UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Cursus theologici iuxta scholasticam huius temporis Societatis Jesu methodum tomus ...

**Amico, Francesco**

**Duaci, 1640**

urn:nbn:de:hbz:466:1-82000

Visual Library

Th. 873a.

C IV
7

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

D. 9. Hr. Hesse.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# CVRSVS THEOLOGICI IVXTA SCHOLASTICAM HVIVS TEMPORIS SOCIETATIS IESV METHODVM

## TOMVS PRIMVS

# DE DEO VNO ET TRINO


AVCTORE

R. P. FRANCISCO AMICO

CONSENTINO,

SOCIETATIS IESV

SS. THEOLOGIÆ DOCTORE,

Eiusdemque olim in NEAPOLITANO Collegio, & in Celeberrima Archiducali Vniuersitate GRÆCENSI Societatis IESV, necnon in Antiquissima & Celeberrima Vniuersitate VIENNENSI publico PROFESSORE.


SECVNDA EDITIO AVCTIOR.


Collegij Soc. IESV Paderborna 1652



DVACI,

Ex Officinâ Viduæ BALTAZARIS BELLERI,

Sub Circino aureo, Anno M. DC. XL.



Cum Gratia & Priuilegio.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Albertus I.
Austriæ Dux.
Triumphator
Imp. coronatus an. 1298.
Rudolphus Habspurgus Austriacus Sacrorum Princeps
Imperator Magnus coronatus an. 1273.
Ferdin. and II Apostolicus Trium. phator.
Coron. Imperat. an. 1619.
Matthias I.
Clemens
Imp. coron. an. 1612.
R.P. FRANCISCI AMICI COSENTINI SOC. IESV
Cursus Theologicus
FERDINANDO III. IMP. AVGVST.
consecratus Anno SOCIET. Sæculari M.DC.XL.
DVACI typis vid Balth. BELLERI.
Fredericus III.
Austr. Imp.
Pulcher coron.
an. 1314.
Rudolphus II.
Regnator
Imp. declar.
an. 1577.
Albertus II.
Hemoptticus
Imp. coron.
an. 1438.
Maximilianus II.
Latinæ cultor
Imp. electus
an. 1562.
Fridericus IV.
pacificus
Imp. coron.
an. 1440.
Maximilianus I.
Felix
Imp. coron.
an. 1486.
Carolus V.
Fortunatus
Imp. coron.
an. 1520.
Ferdinand I.
Dynastor Pacif.
Imp. electus
an. 1558.



AVGVSTISSIMO
INVICTISSIMOQVE
CÆSARI,
ROMANORVM IMPERATORI
FERDINANDO
III. &c.

Teratò prodit auctus à calamo, renatus à prælo, Cursus mei Theologici Tomus primus; & memor Nominis Augusti, quod (Diuis, hominibusque amabile) prius in propylæo gesserat, etiamnum, Cæsar, Auguste, Imperator, lubens prensaret: ita enim eueniret, vt quia Augusto Patrocinio glorioſus primùm in lucem venerat, adaucta cælesti, quâ Ille perfruitur, luce, splendidior rediret. Adeo interest, quem habeat præsidem, cuius à sole Nominis illustretur. At nunc ad pristini Patroni Nomen confugere, impedit Reuerentia, vetat Ratio: immortalibus enim immortalia perspicaciùs, quàm nos mortales contemplantibus, ope-

ra mortalia consecrare, esset, lucem intuentibus, nebulas offundere. Par tamen est, ne Augustæ luci tenebras omnino inducat, ne Ferdinando II. sit iniurius, Ferdinandum alium quærat. Eundem, si negant Superi, similem innuunt: quamquam & eundem post Fata viuentem agnoscimus in Filio Patrem, ac nisi sidera beatiùs distinerent, aut nondum mortuum, aut in Te crederemus rediuiuum. Itaque ad Cæsareæ Clementiæ Tuæ Augusta puluinaria sponte accelerat Trini-vnius Dei ectypa mea commentatio: quemadmodum archetypon antehac ad Augustum Parentem, ita nunc ectypon ad Filium Augustum, ipsissimum Parentis archetypi, viuumque in omnibus ectypon: & vt Parthus Pantheræ raptor multiplici speculo moratur credula matrem: ita me detinent Parentis Augusti, quem vltra terras positum, in terris adhuc quærit rediuiuus commentarius in Maiestate Tua, tot Parentis Ferdinandi, quot in Filio Ferdinando, multiplicis Parentis relucent multiplices, viuæque virtutum imagines. Deum nempe Vnitrinum imitamini Imperatores Austriaci (quantum quidem humanis licet) Vni Austriacâ essentiâ; multi plurimarum virtutum personis. Vicissim porrò Deus, quam in se rerum scientiam, prouidentiam, potentiam complectitur, Vobis, vt ex officio orbem secum Romanum curetis & moderemini, affatim cõmunicat. Video, quod onus susceperim, ostendere videlicet, me ad Augustum parentem etiamnum confugere. Probatu sanè difficile, licet euidens; vti hominem rationalem esse, dum constat omnibus, probari potest à nemine; & Filium esse; siquid est, Parentem alterum: si Parens non sit ipsissimus, non sit Filius: neque enim filium ex corpore solùm, sed paternis virtutibus, velut animâ, constituo. Seruauit Imperium Parens, nec improbus pernegârit: Quod idem tot hosticis vulsum

cona-

conatibus duret, viuat, Vni, post magnum Vniuersi Numen, Vni debet Parenti, Vni Filio; dum pro vitâ Imperij prodigus Pater cor, vitam, animam, Filium ante funesta Norlingæ mœnia in salutem Imperij exposuit. Vti non solùm meminimus Caroli V. laudatissimi Austriaci, inter belli fulmina intonantis:

STANDVM EST, RARVS IN ACIE CECIDIT IMPERATOR;

Sed nostris etiam annis audiuimus Gedeonem,

QVI FORMIDOLOSVS ET TIMIDVS EST, REVERTATVR.

Hinc fortuna Cæsarum Deus audentem iuuit, & quæ in Cæsarem, nefas! collimabat, in militem (hoc vno felicem, quod pro corpore vmbra corruit animosa) pila ferrea lineam duxit fatalem. Qui formidolosus, & timidus est, reuertatur,

*Dixisti, stetisti, stitisti, vicisti.*

Vita me priùs cum hoste deficiat, quàm vnum istud facinus, vel potiùs in vno plurima, satis prædicem. Bonum Deum! si vltimum mortalium operum Tuorum stetisset periculum Norlinganum, quæ nunc facies rerum? Imperij? Quæ nostri facies esset? Tantum debet Imperium Imperatori, Se, Nos, Te, Tibi: omnia verò sospitatori Deo Trino Vni. Pretiosa sanè Victoria, quæ Imperatore pene constitit: gratiosa, quia rediuiuum dedit, quo pluries vinceremus. Eapropter aucto Austriacæ gloriæ perpetuo incremento, auctuarium istud meum, non alij, quàm Tibi paternæ gloriæ auctori & propagatori, debuit consecrari. Ad Te igitur, FERDINANDE III. è periculorum busto phœnix

rediuiue merito se refert commentatio mea rediuiua: hoc est ad pristinum, in Filio, Parentem Patronum, plurimis nominibus Sapientiæ Mecœnatem, paternarum virtutum ex asse hæredem. Tuum existima, quod Patri sacratur: Quod Tibi, vt suum Ille suscipit, etiam in cælo. Non sat fuit, accepisse nomen, sanguinem, Imperium, felicitatem, sed virtutes, maximè Paternas. Amant illæ, vt Maioribus Tuis, ita & Tibi se domesticas facere: Amant plenam Deo mentem Austriacam, iam inde ab Rudolpho I. erga Sacrosanctum Synaxeos Sacramentum, religione, hæreditario Austriacis iure, possessam. Obstupescunt adoratum Principibus caput, formidatos gentibus lacertos, submissione Christianâ, ad pedes homulorum quotannis inclinari: & quem militiæ nuper fortibus factis sublimem, gloriosum, nunc domi Sanctioribus Victorijs distractum, pronumque admirantur. Cesso, quòd vel hæc Augustæ modestiæ Tuæ molesta accidisse verear. Sed tamen neque hoc ignoro, non esse exosam veritatis Patrono veritatem, cuius illa sub geminis lancibus, velut inuictis clypeis secura dominatur. Neque enim cupiditati, sed fidei; non Tuo, sed Dei Imperio proferendo; non personatæ, sed germanæ sinceræque paci, ac veritati Tua militant arma. Perge, CÆSAR Inuictissime, & dum veritatem propugnas, huic etiam labori meo, qui Trinum Vnum Deum, primam veritatem, sinu gerit, tutelam cõcede. Si fauorem in eum seruasti, satis tutus est: si Tuas in lances coniecisti, sat commendatus. Quod hic libratum est, non potest non pondus habere. Patere igitur Nomine Tuo fronti inarato, se, authoremque, vnà cum Societate Tibi commendatissimâ, seruum fateri æternùm deuotum. Ferant alij Te auro, gemmisque incisum; iste, quod potest, vnicum

Deo

Deo locat vicinum. Cui lauro coronati sæculares anni, satellite virtutum choro, succollantibus meritis, tunc reddant in cælo præsentem, dum hæc terrarum necessitas, & votum tuum annuerit. Ita velit Deus Opt. Max. orbis Romanus, Tu ipse CÆSAR Augustissime. Ita animitus ego voueo è Collegio Cæsareo Viennensi 9. Kalendas Majas, partæ salutis 1640. Societatis IESV anno sæculari

*Sacratissimæ Maiestati Tuæ*

*Seruus æternùm deuotus*

FRANC. AMICVS.

# LECTOR BENEVOLE.

ADeo iam multorum, vel hac nostra ætate, in studio Theologico singularis desudauit industria, vt superuacaneum prorsus videri possit eam in rem plura congerere. Quia tamen, cùm in cæteris, tum vel potissimum in ipso docendi discendique modo, multum ipse interest modus; & neminem, quod sciam, hactenus repererim inter tot peregregios Doctores, quos abditissima sacrosanctæ Theologiæ Mysteria laboriosis elucubrationibus præclarè enucleata, æternæ posteritati consecrauisse accepimus, qui hæc ipsa sacrarum disciplinarum arcana ad Methodum temporis nostri accommodata prodiderit; & hoc tantummodo vnicum, cùm ad commoditatem docentium, tùm vel maximè ad vtilitatem discentium, desiderari visum sit; in animum induxi, incommodo huic pro viribus occurrere. Et quamuis inscius non fuerim, summam Doctoris Angelici, plusquam abundè id ipsum nobis præstitisse; illud tamen etiam, vel mediocriter in Scholis versato, palam esse mihi persuaserim, in ea summa permulta haberi, quæ hoc tempore à Theologis vel prorsus non attinguntur, vel leui saltem, vt aiunt, brachio excutiuntur. Vt taceam plurimas successu temporis quæstiones de nouo exortas, quæ hac tempestate longè vberiorem exposcant agitationem.

His igitur permoti rationibus, summam aliquam perbreuem, seu Cursum Theologicum conficere instituimus; ea saltem in eo, quantum sat est, pertractantes, quæ nunc potissimum in scholis vigere & controuerti, longiori experientia didicimus. Vnde illum iuxta annorum octo spatium, quo ordinariè totus Theologiæ summa ab vnoquoque Professorum percurri solet, in Octo Tomos partiti sumus; quam etiam ob causam eundem non alia, quàm CVRSVS THEOLOGICI inscriptione insigniri voluimus. Primus itaque hic esto Tomus, de Deo Vno & Trino, vt dignitate, sic etiam ordine Princeps: secundus, de Angelis: tertius, de Fine vltimo hominis, & medijs ad eum conducentibus, & impedimentis ab eo abducentibus: quartus, de Fide, Spe & Charitate: quintus, de Iustitia & Iure: sextus, de Incarnationis mysterio: & sic deinceps, seruatâ semper annuæ lectionis methodo, singulas materias singulis distinguemus tomis: qui tamen omnes vno videbuntur editi partu anno 1640. conditæ Societatis nostræ sæculari, vt sæcula ferant, quæ spes in cælo est, & tuo fauore, AMICE LECTOR: Hoc, inquam, Cursu Theologico, si arriserit, vtere æternùm saluus: de quo illud vnicum habemus Tibi polliceri, quantum quidem in nobis situm erat, summè elaborasse, vt tu in eo nec Antiquorum, nec Recentiorum doctrinam desideres. Vale. Viennæ.

# APPROBATIO.

TOmus iste primus CVRSVS THEOLOGICI R. P. FRANCISCI AMICI Societatis IESV Magni Theologi, vt multigena eruditione plenus vtiliter recudetur. Actum Duaci 4. Aug. an. 1640.

FRANCISCVS SYLVIVS S. Theol. D. & eiusdem Professor Regius ac ordin.

INDEX

# INDEX DISPVTATIONVM ET SECTIONVM HVIVS OPERIS.


## DISPVTATIO PRIMA.

DE Theologia eiusque obiecto.

Sectio I. An Theologia nostra sit vera, & propria scientia? fol. 3.
II. Quis habitus sit Theologia nostra? 8.
III. An ad assensum Theologicum concurrant principia reuelata cognita fide humana, an diuina, an cognitione naturali? 11.
IV. An habitus Theologicus supernaturalis quoad substantiam? 13.
V. An Theologia sit vna scientia? 16.
VI. An Theologia sit practica, an speculatiua, an vtraque simul? 19.
VII. An Theologia nostra subalternetur Theologiæ Dei, & beatorum? 21.
VIII. An Theologia nostra perseueret in beatis? 23.
IX. Quodnam sit subiectum nostræ Theologiæ? 24.

## DISPVTATIO SECVNDA.

De existentia Dei. fol. 28.

An Deum esse sit demonstrabile? ibid.

## DISPVTATIO TERTIA.

De essentia Dei eiusque attributis.

Sectio I. Quid Deus sit? 32.
II. An natura diuina à parte rei formaliter includat omnes perfectiones attributales? 36.
III. An attributa constituant essentiam Dei? 41.
IV. Quodnam sit formale constitutiuum Deitatis? 45.
V. An attributa ratione inter se, & ab essentia distinguantur? 48.
VI. An distingui possint attributa in Deo sine respectu ad creaturas? 49.
VII. An attributa diuina, vt à nobis concepta, essentiam, & seipsa mutuo includant? 51.
VIII. An attributa diuina secundum rationes explicitas, quas præcisè important, sint inæqualia inter se? 56.
IX. Quot, qua, & quo ordine sint Deo attributa concedenda? 59.

## DISPVTATIO QVARTA.

De vnitate Dei.

An euidens sit Deum esse vnum? 60.

## DISPVTATIO QVINTA.

De simplicitate Dei. fol. 62.

Sectio I. An in Deo sit, vel esse possit aliqua compositio? ibid.
II. An Deus venire possit in compositionem cum creatura? 65.

## DISPVTATIO SEXTA.

De immutabilitate Dei. fol. 68.

An Deus sit immutabilis? ibid.

## DISPVTATIO SEPTIMA.

De æternitate Dei. fol. 72.

Sectio I. Quid sit æternitas? 73.
II. Per quid formaliter constituatur æternitas? 74.
III. An æternitas sit propria Dei? 77.
IV. An, & quo pacto æternitas differat ab æuo? 80.
V. An præter æuum & tempus continuum concedendæ sint aliæ durationes creatæ? 84.


DISPV-

## DISPVTATIO OCTAVA.

*De Immensitate Dei. fol. 86.*


Sectio I. *An Deus sit immensus?* 87.
II. *An praesentia Dei in rebus euidenter colligatur ex operatione ipsius in res omnes?* 88.
III. *An Deus existat non tantùm in hoc mundo, sed etiam extra illum in infinito spatio imaginario?* 91.
IV. *Quot, & quibus modis Deus existat in rebus?* 95.


## DISPVTATIO NONA.

*De veritate seu cognoscibilitate Dei. fol. 97.*


Sectio I. *An aliquis intellectus creatus Deum in seipso videre possit?* ibid.
II. *An possibilitas visionis beatæ ratione naturali demonstrari possit?* 98.
III. *An Deus cognoscibilis sit à Beatis per speciem expressam clarè ipsum repræsentantem sicuti est?* 100.
IV. *An sit possibilis species impressa diuinæ essentiæ?* 111.
V. *An Deus sit cognoscibilis potentia aliqua corporea?* 117.
VI. *An possibilis sit creatura, cui connaturalis sit visio intuitiua Dei, aut quauis alia forma supernaturalis?* 119.
VII. *An possibilis sit substantia, cui saltem vt instrumento naturali debita sit visio Dei, aut quauis alia forma supernaturalis?* 127.
VIII. *An necessarium sit aliquod lumen, vt intellectus creatus Deum videre possit?* 129.
IX. *Ad quid lumen gloriæ deseruiat Beatis?* 130.
X. *Quo pacto intellectus Beati ad visionem Dei concurrat?* 133.
XI. *An lumen gloriæ sit causa principalis visionis beatæ?* 135.
XII. *An de potentia absoluta possit intellectus creatus videre Deum sine lumine inhærente?* 136.
XIII. *An lumen gloriæ in ratione doni accidentalis sit omnium maximum?* 139.
XIV. *An Beati inæqualiter videant Deum?* 141.
XV. *An hæc gloriæ diuersitas in Beatis sit tantùm individualis, an etiam specifica?* 142.
XVI. *An ex perfectiore intellectu oriatur perfectior visio Dei?* 143.
XVII. *An Beati videant omnia quæ formaliter sunt in Deo?* 145.
XVIII. *An de potentia absoluta videri possit essentia diuina sine attributis, vel vna persona sine aliis?* 147.
XIX. *An, & quo pacto Beati videant libera consilia & decreta in Deo?* 153.
XX. *An Beati ex vi visionis Dei videant aliquas creaturas in Verbo?* 155.
XXI. *Quo pacto creaturæ videantur in Verbo?* 157.
XXII. *An omnes creaturæ in Deo videri possint?* 162.
XXIII. *Quas creaturas ex vi visionis Dei de facto videant Beati in Verbo?* 169.
XXIV. *Vnde oriatur, vt hæ potius creaturæ, quàm aliæ in Deo videantur?* 171.
XXV. *An quodlibet lumen gloriæ inclinet intellectum Beati ad quascunque creaturas in Deo cognoscendas?* 174.
XXVI. *An Deus ab homine in hac vita videri possit sicuti est?* 178.


## DISPVTATIO DECIMA.

*De Incomprehensibilitate Dei. fol. 181.*


Sectio I. *In quo sita sit formalis ratio comprehensionis?* ibid.
II. *An possit Deus comprehendi ab intellectu creato?* 185.


## DISPVTATIO VNDECIMA.


*An Deus sit nominabilis nomine significante ipsum sicuti est? fol. 187.*


## DISPVTATIO DVODECIMA.

*De scientia Dei. fol. 191.*


Sectio I. *An, & quomodo Deus seipsum cognoscat?* ibid.
II. *Quo pacto Deus cognoscat creaturas possibiles?* 192.
III. *An Deus præcognoscat futura contingentia?* 199.
IV. *An Deus futura contingentia præcognoscat ex reali eorum præsentia in æternitate?* 200.
V. *An Deus futura certò cognoscat in eorum futuritione?* 203.
VI. *An Deus futura libera certò cognoscat in suis causis proximis?* 205.
VII. *An Deus futura contingentia certò cognoscat in sua essentia, vel ideis?* 207.
VIII. *An Deus futura libera præcognoscat in decreto suæ voluntatis?* 209.
IX. *An Deus futura libera cognoscat in seipsis?* 211.
X. *An cum infallibili scientia futurorum stet creati arbitrij libertas?* 213.
XI. *An Deus certo cognoscat futura conditionata libera?* 215.
XII. *An futura conditionata Deus cognoscat ante vllum decretum suæ voluntatis?* 219.
XIII. *An Deus ante suum decretum certò cognoscat futura conditionalia disparata?* 229.
XIV. *An Deus scientia conditionata cognoscat sua decreta conditionalia?* 231.
XV. *An Deus sua decreta absoluta priùs ratione cognoscat vt ponenda, quàm vt actu posita?* 232.
XVI. *An, & quomodo Deus cognoscat negationes & priuationes?* 234.
XVII. *An, quomodo, & quæ scientia Dei sit causa rerum?* 237.
XVIII. *An scientia Dei sit variabilis.* 238.

XIX. *An scientia diuina repræsentet infinita categorematicè?* 247.

DISPVTATIO DECIMA TERTIA.

*An, & quid sint ideæ in mente diuina? fol.* 257.

DISPVTATIO DECIMA QVARTA.

*De voluntate Dei. fol.* 263.

Sectio I. *An, & qualis in Deo voluntas?* ibid.
II. *An Deus necessario diligat creaturas possibiles, dilectione simplicis cõplacentiæ?* 265.
III. *Quid sit libera volitio in Deo, & quid superaddat actui necessario?* 268.
IV. *Quotuplex sit voluntas Dei, & an omnis voluntas Dei adimpleatur?* 283.
V. *An Deus antecedenter ad nostram libertatem, prædefinire possit nostros actus in individuo, absque læsione nostræ libertatis?* 284.

DISPVTATIO DECIMA QVINTA.

*De diuina prædestinatione. f.* 288.

Sectio I. *Quid sit prædestinatio?* ibid.
II. *An æternæ prædestinationis aliqua causa præcesserit ex parte prædestinatorum?* 289.
III. *An Christi merita sint causa nostræ prædestinationis?* 293.
IV. *An electio ad gloriam decreta dependenter ab operibus gratiæ in genere causæ meritoriæ?* 295.
V. *Quinam sint effectus diuinæ prædestinationis?* 312.

DISPVTATIO DECIMA SEXTA.

*De diuina reprobatione. fol.* 319.

Sectio I. *An in Deo sit voluntas saluandi omnes?* ibid.
II. *Quid sit reprobatio, & an detur causa ex parte reprobi?* 324.
III. *Quinam sint effectus reprobationis?* 326.

DISPVTATIO DECIMA SEPTIMA.

*De potentia Dei. fol.* 329.

Sectio I. *An in Deo sit potentia distincta ab essentia, & reliquis attributis?* ibid.
II. *An, & qua ratione potentia Dei sit infinita?* 334.

*DE DEO VT TRINO.*

DISPVTATIO DECIMA OCTAVA.

*De diuinis processionibus. fol.* 339.

Sectio I. *An sit aliqua realis processio in diuinis?* ibid.
II. *An duplex sit tantùm processio passiua in diuinis?* 340.
III. *An præter processiones passiuas ponendæ sint actiuæ, tum à passiuis, tum inter se distinctæ?* 343.
IV. *An processiones diuinæ sint operationes intellectus & voluntatis?* 345.
V. *Quales sint operationes intellectus & voluntatis, quibus diuinæ personæ producunt?* 347.
VI. *Sub qua ratione actus intelligendi & volendi requirantur ad processiones diuinas?* 350.
VII. *An sola processio Verbi in Diuinis sit generatio?* 355.

DISPVTATIO DECIMA NONA.

*De relationibus Diuinis. fol.* 370.

Sectio I. *An, & quot sint relationes reales in Deo?* ibid.
II. *An spiratio actiua distinguatur à paternitate & filiatione?* 373.
III. *Quòdnã sit munus spirationis actiuæ?* 378.
IV. *An relationes diuinæ distinguantur ex natura rei ab essentia?* 381.
V. *An relationes sint de essentia Deitatis?* 383.
VI. *An relationes includant essentialiter naturam Diuinam?* 388.
VII. *An relationes Diuinæ existant existentia relatiua, ratione distincta ab existentia absoluta naturæ?* 390.
VIII. *An relationes diuinæ superaddant essentiæ perfectionem ratione diuersam?* 394.
IX. *An relationes Diuinæ differant specie, aut numero inter se?* 397.

DISPVTATIO VIGESIMA.

*De formali constitutiuo Diuinarum personarum. fol.* 399.

Sectio I. *An concedendæ sint in Deo proprietates personales quibus personæ constituantur & distinguantur?* ibid.
II. *An proprietates personas constituentes sint relatiuæ?* 401.
III. *Sub quâ ratione diuinæ relationes constituant personas?* 404.

DISPVTATIO VIGESIMA PRIMA.

*An personæ Diuinæ præter proprias subsistentias relatiuas, habeant aliam subsistentiam absolutam communem naturæ propriam? fol.* 411.

DISPVTATIO VIGESIMA SECVNDA.

*De prioritate & posterioritate Diuinarum personarum, reliquorumque Diuinorum attributorum. fol.* 417.

Sectio I. *An, & quæ prioritas & posterioritas admittenda sit in Diuinis personis, diuinisque attributis?* ibid.
II. *An ea, quæ in Diuinis sunt priora in vno genere, possint esse posteriora in alio?* 423.
III. *Quo pacto ordinanda sint signa prioritatis, & posterioritatis in actibus intellectus, & voluntatis diuinæ?* 425.

DISPV-

DISPVTATIO VIGESIMA TERTIA.

*De potentia productiua Diuinarum personarum. fol. 431.*

Sectio I. *An in Diuinis personis sit potentia productiua notionalis realis?* ibid.

II. *An potentia productiua notionalis formaliter importet essentiam, an relationem, an vtramque simul?* 432.

DISPVTATIO VIGESIMA QVARTA.

*De Diuinis Notionibus. fol. 440.*

Sectio I. *An admittendæ sint aliquæ notiones in personis Diuinis?* ibid.

II. *Quot notiones admittendæ sint in Diuinis personis?* 441.

DISPVTATIO VIGESIMA QVINTA.

*De persona Patris. fol. 443.*

Sectio I. *An Pater sit principium totius Deitatis, & Author, vel causa Filij & Spiritus Sancti?* 444.

II. *An ingenitum tribui possit Patri, sitque ipsius tantùm proprium?* 448.

III. *Quid ingenitum prout est proprium Patris de formali importet?*

DISPVTATIO VIGESIMA SEXTA.

*De persona Filij. fol. 455.*

Sectio I. *An Filius sit propriè Verbum, eique tantùm proprium?* ibid.

II. *An Verbum diuinum importet respectum ad creaturas ratione proprietatis personalis, an ratione notitiæ absolutæ, quam essentialiter includit?* 466.

III. *An Verbum procedat ex notitia omnium, quæ formaliter sunt in Deo?* 469.

IV. *An Verbum per se procedat ex cognitione creaturarum possibilium?* 475.

V. *An Verbum per se procedat ex cognitione futurorum?* 482.

VI. *An in Deo sit vera & propria imago, eaque solius Filij propria?* 488.

VII. *An imago conueniat Filio ratione proprietatis personalis, an ratione essentiæ communis?* 491.

VIII. *An Verbum sit imago solius Patris?* 493.

DISPVTATIO VIGESIMA SEPTIMA.

*De persona Spiritus Sancti. fol. 495.*

Sectio I. *An Spiritus S. sit nomen proprium tertiæ personæ?* ibid.

II. *An Spiritus S. à Patre Filioque procedat?* 496.

III. *An Spiritus S. distingueretur à Filio si ab illo non procederet?* 502.

IV. *An Spiritus S. æqualiter procedat à Patre & Filio?* 509.

V. *An Pater & Filius sint vnum principium spiratiuum?* 514.

VI. *An Spiritus Sanctus vi suæ personalis proprietatis per se, & intrinsecè petat procedere ex duobus distinctis suppositis?* 516.

VII. *An Spiritus S. sit formaliter donum, eique soli proprium?* 520.

DISPVTATIO VIGESIMA OCTAVA.

*De Missione Diuinarum personarum. fol. 525.*

Sectio I. *An diuinis personis competat vera & propria missio?* ibid.

II. *Quid sit missio personæ diuinæ?* 528.

III. *Quotuplex sit missio, & an in qualibet missione semper mittatur aliqua persona diuina?* 535.

DISPVTATIO VIGESIMA NONA.

*Quæ regulæ seruandæ sint in modo loquendi in mysterio Trinitatis. fol. 544.*


## *FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS.*

EGo infrascriptus Societatis IESV in Gallo Belgica Prouincialis, iuxta Priuilegium eidem Societati concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absque Superiorum permissione imprimant, facultatem do Viduæ BALTAZARIS BELLERI Typographi Duacensis recudendi Tomum primum de DEO VNO ET TRINO à R. P. FRANCISCO AMICO Societatis nostræ Theologo conscriptum, atque à deputatis ad id Patribus lectum & approbatum. In quorum fidem hoc ei Testimonium & Priuilegium ad decennium manu propriâ subscriptum, & officij mei Sigillo munitum dare volui. Duaci 23. Nouembris 1639.

FLORENTIVS DE MONTMORENCY.

# CVRSVS THEOLOGICI IVXTA SCHOLASTICAM HVIVS TEMPORIS SOCIETATIS IESV METHODVM

# TOMVS PRIMVS

# DE DEO VNO, ET TRINO:

AVCTORE

R. P. FRANCISCO AMICO CONSENTINO, SOCIETATIS IESV SS. THEOLOGIÆ DOCTORE;

Eiusdemque olim in NEAPOLITANO Collegio, & in celeberrima Archiducali Vniuersitate GRÆCENSI Societatis IESV, necnon in antiquissima & celeberrima Vniuersitate VIENNENSI publico PROFESSORE.

## PROOEMIVM.

HÆC est totius Theologiæ difficillima pars, non modò propter innumeras reconditasque, quas in se continet, difficultates, verùm etiam propter subiecti, de quo agit, sublimitatem. Agit enim de Deo, cuius natura eò Simonidi Philosopho, vt est apud Ciceronem 1. de Natura Deorum, in dies videbatur obscurior, quò frequentiùs consideratio ipsius animo eius obuersabatur. quippe cuius esse omnem humanum fugit obtutum: sunt enim, vt

*Simonides apud Ciceronem.*

Psal. 17. sacra Scriptura testatur, *tenebræ latibulum eius.*
Augusti. Quapropter formidandum est, ne, vt Augustinus lib. de Moribus Ecclesiæ cap. 7. ratiocinatur, cùm ad diuina peruentum fuerit, maiorem inde
Plato. anima concipiat imbecillitatem, vbi auidè quietem fessa conquirebat. Quare optimum erit in hac re Platonis consilium, ne solem in propria sphæra micantem intueamur, sed in aqua, tanquã in speculo suos radios temperãtem, contemplemur. Ne igitur nimia diuinitatis luce reuerberati hallucinemur, naturam diuinam non in propria sphæra collucentem, sed in creaturis, tanquam in aqua suos radios temperantem, contemplabimur. Vt si non ipsum in ipso, caligine mortalita-
Nazianz. tis circumsepti, attingere valeamus, saltem ipsum ex his, quæ ipsum adumbrant, cum magno illo Theologo Nazianzeno Orat. 36. obscurâ & imbecilli specie vestigantes, colligamus. Quoniam verò omnis scientia incipit à sui notitiâ cùmque nostra Theologia sit quædam scientia, à sui notitiâ incipiat oportet.

# DISPVTATIO I.

## De Theologia, eiusque obiecto.

## SECTIO PRIMA.

### An Theologia nostra sit vera, & propria scientia?

1. DVPLEX est Theologia viatoris, & comprehensoris: hæc est, quam beati habent de Deo rebusque diuinis medio lumine gloriæ, clarè illis ostendente diuinam essentiam, res creatas, cum eadem essentia vt effectus cum causa necessariò connexos; illa est, quam proprio studio in hac vita Doctores acquirunt, suppositio habitu & principijs Fidei. De Theologia comprehensoris infrà: nunc de Theologia viatoris, quæ est propria nostra, & distinguitur à fide; quòd hæc est simplex adhæsio ad obiectum ex testimonio Diuino media illustratione supernaturali applicato; illa est habitus discursiuus ex principijs reuelatis ad conclusiones medio discursu naturali inferendas, cuius fructu, vtilitate & necessitate suppositia, primum quærimus, an sit vera & propria scientia? Cuius dubitandi ratio est; quoniam, vt Aristoteles definit 1. posteriorum 2. *Scientia est quæ ex veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus causisque conclusionis demonstratiuè procedit; tunc enim*, inquit, *arbitramur aliquid simpliciter scire, cùm causam cognoscimus propter quam res est, & quod illius causa est*; atqui nostra Theologia non procedit demonstratiuè ex notitia principiorum ad conclusiones inferendas, cùm principia, quæ sunt articuli Fidei, ex quibus ad conclusiones inferendas procedit, non nisi obscuro testimonio Dei credat. His positis sit,

*Aristoteles.*

2. PRIMA sententia affirmans Franciscum de Marchia apud Gregorium qu. 1. Prologi, Henrici in summa art. 6. q. 1. & ar. 13. q. 6. & 7. & quodlib. 12. q. 2. Alensis 1. P. q. 1. art. 1. ad 3. Argentinę q. 1. Prologi art. 1. §. *his præmissis*. Cani de locis Theologicis cap. 2. Bannez in P. P. q. 1. ar. 2. Zumel q. 2. concl. 3. Granadi D. 6. Fasoli dubitatione 14. qui tamen ex diuersis procedunt fundamentis: etenim primi duo putantes cum Arist. de essentia scientiæ, esse principijs notis demonstratiuè procedere ad conclusiones ignotas, conantur probare euidentiam principiorum nostræ Fidei; & quidem Franciscus de Marchia ex lumine naturali hoc modo: Postquā principia ipsa reuelata ex testimonio Diuino sunt credita, & assensu Fidei acceptata, statim naturali lumine cognoscuntur sola terminorum penetratione: ex quorum euidente notitia poterit Theologus ad conclusiones demonstratiuè procedere. Fundamentum ipsius est, quia nullus tenetur indubitanter credere, quod sibi euidenter notum non est; sed quilibet Catholicus tenetur indubitanter credere articulos Fidei: igitur articuli Fidei sunt cuilibet Catholico euidenter noti. Minor constat. Maior probatur; quia nullus tenetur firmiùs adhærere conclusioni, quàm principijs, propter quæ conclusionr adhęret, cùm totus assensus in conclusionem sit propter assēsum in principia: atqui nullum principium, quod non est per se notum, potest esse infallibilis ratio assentiendi conclusioni, cùm nequeat intellectus assentiri principio, quod sibi non constat. Cùm natura intellectus sit assentiri ex euidentia rei cognitæ.

*Fran. de Marchia. Henricus. Alensis. Argentin. Canus. Bannez. Zumel. Granada. Fasolus.*

3. Idipsum probat Henricus ex lumine supernaturali, hoc pacto: Deus paratus est lumine supernaturali illustrare intellectum viatoris exercentis se in studio Theologiæ circa principia Fidei, non minùs quàm paratus est lumine naturali illustrare intellectum eiusdem circa principia naturalia; quiuis ergo Theologus studio Theologiæ acquirere sibi poterit habitum scientificum circa principia Fidei. Vnde triplex distinguit lumen supernaturale; obscurum Fidei, clarum patriæ, & euidens viæ: primum comparat nocti; 2. meridiei; 3. auroræ, eò quòd aliquid habent de luce & tenebris, stareque potest cum lumine obscuro Fidei, cum quo tamen stare nequit lumen clarum Patriæ. Confirmat 1 ex illo Isaiæ 7. *Si non credideritis, non intelligetis*; ergò ex Fide nascitur intelligentia. 2. Ex Augustino contra Epistolam Fundamenti cap. 14. *Ego*, inquit, *Catholicam Fidem profiteor, & per illam me ad certam scientiam peruenturum præsumo*: & paulò pòst: *Non iam hominibus, sed ipsi Deo intrinsecùs mentem nostram firmante, atque illuminante*. 3. Non minùs efficax est lumen supernaturale ad euidentiam principiorum supernaturalium, quàm lumen naturale ad euidentiam principiorum naturalium progignendam; atqui hoc efficax est ad progignendam euidentiam principiorum naturalium; ergo & illud ad progignendam euiden-

*Henricus.* *Isaias.* *Augustin.*

euidentiam principiorum supernaturalium.

4. Cæteri verò aut de essentia scientię putant non esse euidentiam, sed solam certitudinem, vt Argentinas, Canus, Zumel, Fasolus; aut sufficere, si euidentiam habeat in alio intellectu, cui ipsa subalternetur, tanquam scientia inferior superiori: sicut perspectiua est vera & propria scientia per subalternationem ad Geometriam, cuius tantùm est habere euidẽtiam principiorum, quibus innititur perspectiua ad suas conclusiones probandas. Esto igitur Theologia nostra non habeat euidentiam suam principiorũ in intellectu viatoris, quia tamen illam supponit in intellectu comprehensoris, cui Theologia nostra subalternatur, erit vera & propria scientia.

*Argentinas. Canus. Zumel. Fasolus.*

5. Alij demum apud Aureolum q. 1. Prologi art. 3. ad scientiam satis esse putant euidentiam solius consequentiæ, quam habet Theologia nostra, supposito vno principio reuelato, & altero naturali, ex quibus per euidentem consequentiam infert conclusionem necessariã hoc pacto: In Diuinis est generans & genitum: sed inter generans & genitum est realis distinctio, ergò inter Patrem Diuinum generantem, & Filium Diuinum genitum est realis distinctio. Vbi consequentia est euidens, licet cõsequens sit obscurum, propter alteram prę missam de Fide. Probatur autem hoc ipsum exemplo Mathematicę, quæ est necessaria & proprijssima scientia, & tamen contenta est sola euidentia consequentię: siquidem principia punctorum, linearum, & superficierum, in quibus tota hęc scientia fundatur, dubia sunt in Philosophia, eaque à multis negantur.

*Apud Aureolum.*

6. Secvnda sententia negans, quę communior est inter Scholasticos, eamque expressè docent Scotus in 3. dist. 24. & in Prologo q. 3. laterali, Richard. q. 2. Aureolus suprà citat. Ockamus q. 3. Mayronus q. 14. Rubio q. 8. §. *hoc præmisso.* Gabriel q. 2. Capreolus q. 1. concl. 3. Heruæus q. 1. Prologi §. *Tertius modus.* & Quodlibeto 11. q. 18. Maior. q. 4. Durandus quæst. 1. Marsil. quæst. 2. art. 3. propos. 2. Greg. suprà cit. Palatius quæst. 2. prę cursor. Caiet. in 1. p. q. 1. ar. 2. Molina ibidem. Vasquez. d. 4. c. 6. Pro cuius explicatione,

*Scotus. Richardus. Aureolus. Ockamus. Mayronus. Rubio. Gabriel. Capreolus. Heruæus. Maior. Durandus. Marsilius. Gregorius. Palatius. Caietanus. Molina. Vasquez.*

7. Notandum 1. præsentem controuersiam non esse de Theologia, quæ ex principijs procedit ad conclusiones tantùm probabiles; vt cùm ex vno principio reuelato, & altero probabili, infertur conclusio opinabilis hoc modo: Christus quoad humanitatem fuit genitus: sed genitus distinctam fundat relationem ad generantem: ergò Christus quoad humanitatem distinctam habet relationem geniti ad genitricem: sed de ea dumtaxat Theologia disputamus, quæ per euidentem consequentiam necessarias infert conclusiones, cuiusmodi est, quæ ex vno principio reuelato & altero naturali, aut ex duobus reuelatis per euidentem consequentiam infert conclusionem necessariam, vt Christus est homo: homo constat intellectu & voluntate: ergo Christus constat intellectu & voluntate. Omnis homo est redemptus: Ioannes est homo: ergo Ioannes est redemptus.

8. Notandum 2. de Theologia hoc modo sumpta duplicem esse posse controuersiam; alteram, an illa per aliquam euidentem notitiam suorum principiorum procedat ad euidentem notitiam conclusionum? alteram, an posito, quòd illa tantùm procedat ex creditis, appellanda sit vera & propria scientia? Prior est grauior, & de re; Posterior facilior, & tantùm de nomine, vt rectè notauit Valentia in 1. p. quæst. 1. punct. 3. vtraque tamen erit à nobis decidenda.

*Valentia.*

9. Dico 1. Theologia nostra non procedit ad conclusiones probandas per euidentem notitiam naturalem suorum principiorum. Conclusio est adeò certa, vt iure oppositam sententiam erroris insimulauerit Vasquez, certè temeritatis notam non effugiet, cùm sit contra omnes Scholasticos, & Patres. Probant aliqui ex eo, quoniam alioqui non esset necessaria Fides: Nam hæc eatenus necessaria est, quatenus principia ipsa nobis obscura credenda sunt: vbi autem illa fuerint euidenti notitia clara, non erit amplius necessaria Fides: quia hæc stare nequit cum notitia clara obiecti. Verùm hæc ratio non vrget: nam de facto habemus naturalem notitiam euidentem de Deo, de quo tamen Fidem habemus. Posset igitur fidelis habere euidentem notitiã de articulis Fidei, & nihil ominus de illis Fidem retinere. Nec talis fides fruſtratoria esset: quia posset illis assentiri non propter euidentiam naturalem ipsorum principiorum, sed propter testimonium obscurum Dei.

*Vasquez.*

10. Ratio igitur est, quia articuli Fidei sunt improportionati lumini naturali: ergo quantumcunque intellectus humanus conetur illos penetrare, non poterit eorum naturam comprehendere. Antecedens constat: nam plerique sunt de rebus supra naturam. Consequentia probatur, quia quod est supra naturam, non habet intellectus humanus medium ad illud euidenter cognoscendum. Nam vel hoc esset propria species, vel effectus aliquis, vel causa, vel ipsa terminorum connexio: nullum autem ex his esse potest. ergo. Non propria species: quoniam cùm propria species obiecti supernaturalis sit supernaturalis, non poterit esse comprincipium cognitionis naturalis. Adde quod species propria mysterij Trinitatis gigneret visionem intuitiuam Dei, qualem habent Beati. Non effectus aliquis; quia hîc nullus est in natura, qui euidenter ostendat mysteria supernaturalia Fidei. Non causa: quia vel nullam habent, vel non nisi extraordinariam potentiam Dei, quæ in ordine ad effectus supra naturam distinctè, & in particulari cognosci nequit. Non ipsa terminorum connexio: Nam hęc potiùs in plerisque Fidei mysterijs videtur pugnare cum ratione ipsa naturali: vt quòd Deus sit vnus in essentia, Trinus in Personis: quòd verbum sine

vlla

vlla sui mutatione factum sit caro: quòd virgo sine suæ virginitatis læsione Christum pepererit: quòd Christus non deserens dexteram Patris fiat realiter, & substantialiter præsens sub varijs hostijs cum tota sua quantitate, cum qua & est in cœlis. Adde quòd mysteria Fidei essent euidenter cognoscibilia ob solam terminorum connexionem, illa cognoscerentur etiam ab infidelibus.

11. *Obijcies* 1. Naturali lumine est euidens, Deum non posse mentiri: igitur naturali lumine est euidens, verum esse, quod Deus reuelauit: ergo naturali lumine potest cognosci vt verum, quod Deus reuelauit. Resp. Nego vltimam consequentiam: Nam licet euidens sit, quidquid Deus reuelauit, esse verum: non est tamen mihi euidens hoc, vel illud in particulari esse à Deo reuelatum, sed sola Fide creditum: quia igitur illa maior, quod Deus reuelat est verum, non applicatur mihi nisi per istam minorem; hoc Deus reuelauit, & ista minor non applicatur mihi, nisi per testimonium obscurum Ecclesiæ; non poterit consequens, quod ex talibus præmissis concluditur, esse mihi euidens; cùm semper conclusio sequatur debiliorem partem præmissarum.

12. *Obijcies.* 2. Euidens est, omnes obiectiones contra mysteria Fidei esse solubiles: at non potest mihi esse euidens, omnes obiectiones contra mysteria Fidei esse solubiles, nisi mysteria ipsa Fidei sint mihi euidentia; ergo. Minor patet: quia non potest vnum contradictorium mihi esse euidens, nisi alterum etiam sit mihi euidens: alioqui si possem dubitare de vno, possem dubitare & de altero. Nam hoc ipso, quod vnum non esset mihi euidenter verum, dubitare possem, an oppositum esset falsum, & consequenter non esset mihi amplius euidens, quòd contradictorium illius, quod teneo vt verum, sit falsum; ergo non erit mihil euidens, quòd obiectiones contra mysteria Fidei, quæ teneo vt vera, sint falsæ, nisi euidens mihi sit, ipsa mysteria Fidei esse vera. Maior probatur. Nam qua ratione euidens mihi est omne reuelatum à Deo esse verum, eadem quoque mihi euidens erit, omnes obiectiones contra mysteria à Deo reuelata falsas esse atque solubiles. Resp. Negando Maiorem: Nam solùm mihi est certum, obiectiones contra mysteria Fidei esse falsas atque solubiles, eadem certitudine, qua mihi certa sunt mysteria ipsa: eodem enim testimonio obscuro, sed certo Fidei teneo, mysteria Fidei esse vera, atque eorum contradictoria esse falsa. Nam qui reuelat vnum esse verum, implicitè quoque reuelat contradictorium esse falsum. Ad probationem Maioris, concedo assumptum, sed nego mihi esse euidens, quòd hæc mysteria sint de facto à Deo reuelata. Vnde sicut tantùm mihi est euidens in vniuersali, quòd quidquid à Deo reuelatur, est verum; non tamen, quòd hoc vel illud in particulari sit à Deo reuelatum: ita euidens mihi quoque est in vniuersali, quòd quidquid obijcitur contra id, quod à Deo reuelatur, sit falsum atque solubile: non tamen euidens mihi est, quòd quidquid obijcitur contra id quod de facto reuelatum est, falsum sit atque solubile, sed tantùm certum. Poterit tamen Theologus omnes obiectiones contra mysteria Fidei ex creditis soluere, quoniam vt illas soluat, non est necesse, vt euidenter cognoscat falsitatem illarum; sed satis est, si mysterium ipsum non appareat falsum, & nulla obiectio euidenter intellectū conuincat contra veritatem ipsam mysterij: quod, vt Caietan. adnotauit 1. part. quæst. 1. articulo 8. est tantùm scire *negatiuè*, non autem *positiuè*, hoc est ex natura ipsa mysterij euidenter cogniti. *Caietanus*

13. Ad Fundamentum Franciſci de Marchia nego maiorem: etenim homo non solùm tenetur indubitanter assentiri, quod sibi euidenter notum est, sed etiam quod sibi euidenter credibile est, auctoritate aliqua infallibili proponentis. Vnde non minùs tenetur homo indubitanter assentiri iuxta regulas prudentiæ huic propositioni: *Roma est*, etiamsi nunquam Romam viderit, propter infallibilem auctoritatem eorum, qui illam testantur; quàm huic: *Triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis:* ergo à fortiori vnusquisque tenebitur indubitanter assentiri mysterijs Fidei propter euidentiam credibilitatis, qua tot signis & argumentis constat, illa esse à Deo reuelata; non minùs quàm constet, Romam esse. Ad probationem autem maioris neganda est minor: & ad eius probationem nego, naturam intellectus esse tantùm assentiri ex euidentia obiecti cogniti, sed etiam ex euidentia rei credibilis auctoritate aliqua infallibili proponentis. *Franciſcus Marchia.*

14. Dico 2. Theologia nostra non procedit ex principijs ad conclusiones per euidentem notitiam supernaturalem principiorum. Fundamentum est, quia fictitia est ista supernaturalis euidentia principiorum: Nam vel illa causaretur à lumine supernaturali Fidei; vel immediatè à Deo: non à lumine supernaturali Fidei: quia, cùm hoc sit essentialiter obscurum, nequit causare notitiam euidenter claram. Non immediatè à Deo: quia vel causaretur ab illo vt à causa generali, vel vt à causa speciali: non vt à causa generali, vt indicat Henricus; quia per hanc non concurrit Deus, nisi ad exigentiam causę secundæ; quæ cùm sit lumen obscurum Fidei non postulat, nisi concursum proportionatum ad assensum obscurum Fidei. Non vt à causa speciali: quia per hanc non concurrit, nisi ad supplendum aliquem defectum in causis secundis: atqui nullus supplendus est defectus in intellectu humano ad discursum Theologicum formandum, cùm per habitum supernaturalem Fidei, & lumen ipsum rationis naturale sit sufficienter instructus ad quemcunque discursum Theologicum formandum. *Henricus.*

15. Confirmatur, quia si quid esset supplendum, esset supernaturalis euidentia principiorum: at hæc nec de facto suppletur, nec est vlla ratio, cur debeat suppleri. Primum constat: Nam, præter Henricum, omnes scholastici hanc principiorum euidentiam negant: non negassent autem, si illis de facto communicata fuisset talis euidentia. Vnusquisque enim illam in seipso expertus fuisset, atque adeò eam negare non potuisset. Secundum ostendo: Nam hæc euidentia ad nihil deseruit, & ex alia parte repugnat viatoris statui, in quo *per speculum & in enigmate* 1 Cor. 13. ad Deum ambulamus. Quòd autem debeat Theologus de rebus Fidei rationem reddere, eamque contra impugnatores defendere, sufficit, si ostendat, eas non repugnare, & probabilibus rationibus suadere; & argumenta in oppositum probabiliter soluere, vt de facto facile faciunt Patres & scholastici; nullus enim profitetur, se demonstratiuè procedere in rebus Fidei.

16. DICES. Diuerso lumine Patres, atque Scholastici de rebus Fidei tractant; atqui ista diuersitas alia esse non potest, quàm penes lumen supernaturale euidens, quod de rebus Fidei habuerunt Patres, & obscurum quod habuerunt scholastici: ergò præter lumen obscurum, datur lumen euidens de rebus Fidei. Resp. Me ir. vniuersum non negasse, præter lumen obscurum, dari etiam lumen clarum de rebus Fidei, sed illud tantùm negasse, datum fuisse scholasticis ad saluandam in eis veram rationem Theologicę scientiæ contra Henricum. Vnde saltem Prophetis, & Apostolis, quibus facta est immediata reuelatio, concedendum est hoc lumen clarum de mysterijs Fidei, de quibus ipsi habuerunt euidentiã in attestante, quæ stare potest cum ineuidẽtia obiecti, atque adeò cũ essentiali ratione Fidei. An autem talis euidentia sufficit ad propriam rationem scientiæ, mox. Cæterùm Patres non differunt à Scholasticis in versandis rebus Fidei, quoad claritatem, & obscuritatem principiorum: vtrique enim procedunt per obscuram notitiam principiorũ; sed quoad modum probandi & confirmandi principia ipsa. PP. enim regulariter ad ea, probanda procedũt per regulas Fidei quæ sunt *Traditio Apostolica, Auctoritas Ecclesiæ, & Scriptura sacra*: rarò adhibent rationes è re ipsa petitas: Scholastici contrà principaliter per rationes, ex ipsa rei natura naturali discursu erutas. Quo fit, vt illi dicantur in rebus Fidei procedere vi luminis superioris atque certioris, tũ quia procedunt per media certiora & infallibiora, quàm hi, qui procedunt per rationes in ipsa rei natura fundatas, vi naturalis discursus erutas: Tum quia illis speciali auxilio intra eundem ordinem luminis obscuri Fidei assistit Spiritus sanctus, ne errent in veritatibus, quę implicitè continentur in principijs reuelatis, eruendis, vt clarè colligitur ex citato loco Augustini contra epistolam Fundamenti.

*Augustinus.*

17. AD Fundamentum Henrici concedo Deum paratum esse Theologi mentem, exercentis se in studio Theologiæ, illustrare suo lumine, non quidem speciali, sed generali quod exigitur tum à lumine obscuro Fidei, tum à lumine naturalis discursus. Ad primam & secundam Confirmationem distinguenda est duplex intelligentia, euidens vna, ineuidens altera, qualis per naturalem discursum de rebus Fidei comparari potest: quæ tamen distinguitur à Fide, quia hæc ad credendum non nititur rationis discursu. Quando igitur scripturæ & PP. ex Fide inferunt intelligentiam, intelliguntur de ineuidente & obscura, quæ ex creditis comparatur vi naturalis discursus: ad quam tamen necessaria est Fides, quia nisi reuelata mysteria credantur vt vera, intellectus non posset applicare se ad ea explicanda. Ad tertiam nego maiorem: quoniam lumen Fidei ad obiectum tendit per testimonium extrinsecum, quod de se nunquam aptum est parere obiecti euidentiam: lumen verò naturale ad obiectum tendit per medium intrinsecum, quod de se aptum est, obiecti euidentiam parere.

*Scriptura & Patres.*

18. Expedita controuersia de re, expedienda est controuersia de nomine: an Theologia appellanda sit vera & propria scientia, esto non procedat per euidentem notitiam principiorum. Pro qua re,

19. DICO 3. Theologia nostra non est vera & propria scientia, atque adeo non nisi largè appellanda est scientia. Fundamentum est: quia quod caret prædicato essentiali alicuius rei, non participat veram & propriam naturam talis rei: atqui euidentia est prædicatum essentiale scientiæ: igitur Theologia nostra carens euidentia, non participat veram & propriam naturam scientię. Maior patet: quia quod caret prædicato essentiali alicuius naturæ, non participat integram, atque adeo veram & propriam essentiam talis naturæ, quæ ex integra constitutione omnium suorum prædicatorum essentialium consurgit. Minorem probo: Nam euidentia non est prædicatum accidentale in scientia; ergo essentiale. Consequentia elucet, quia inter essentiale & accidentale non datur medium. Antecedens ostendo; quia prædicatum accidentale consequitur ad essentiale: at nullum prędicatum essentiale supponitur in scientia ante euidentiam: quia si quid supponeretur, esset certitudo; at hæc non supponitur, sed consequitur euidentiam; ideò enim actus est certus, quia euidens: ergo euidentia supponitur ad certitudinem. Non igitur certitudo, sed euidentia est primum constitutiuum scientiæ. Quia primum constitutiuum rei est quod 1. rem distinguit ab omni alio: atqui euidentia, non certitudo, scientiam distinguit 1. ab omni alio actu, qui scientia non est: igitur,

20. Confirmatur, Nam assensus, ex testimonio Dei clarè cognito, essentialiter differt ab assensu, ex eodem testimonio obscurè credito, non alio ex capite, nisi quia vnus est

*Henricus.*

euidens

euidens alter inceuidens, cùm in cæteris conueniant: ergo euidentia est prædicatum essentiale in actu scientifico; ergo actus qui ea caret, caret essentiali prædicato scientiæ; atque adeò non participat integram naturam scientiæ, & consequenter non meretur nomen veræ & propriè scientiæ.

21. Secundò probatur eadē conclusio, refutando reliquas sententias. Nam si Threologia nostra esset vera & propria scientia, vel esset quia integra essentia scientiæ saluatur in sola certitudine actus sine euidentia; vel in continuatione cū euidētia alterius scientiæ, cui ipsa subalternatur: vel in euidentia consequentiarum. Non in sola certitudine actus: tùm ob rationem assignatā, quia certitudo consequitur euidentiam in actu scientifico. Tum quia magis essentialis est actui ea perfectio, quæ potentiam perficit secundum naturalem exigentiam talis potentiæ: atqui naturalis exigentia potentiæ intellectiuę, est suum assensum præbere ex proprio, & non ex alieno testimonio, cùm natura ipsius sit, rem in se ipsa cernere atque intueri; vnde nunquam quiescit, donec illam in se ipsa videat & intueatur. Tum quia pari ratione assensus ipse Fidei in principia reuelata dici posset verè & propriè intellectus, pout intellectus appellat assensum principiorum, & distinguitur contra scientiam, quæ est assensus conclusionum per principia. Probo autem sequelam: Nam si certitudo & non euidentia ipsa esset tota essentia actus scientifici; igitur certitudo & non euidentia erit tota essentia actus intellectus. Consequentia patet: quia intellectus & scientia in euidentia & certitudine non differunt, sed in modo tantùm assentiendi per discursum, & simplicem adhæsionem: ergo si in vno ratio scientię saluatur per solam certitudinem conclusionis; in alio ratio intellectus saluabitur per solam certitudinem principiorum.

22. Explicatur: Nam ita se habet scientia respectu conclusionis, sicut intellectus respectu principiorum: ergo si saluatur ratio scientiæ per solam certitudinem absque euidentia conclusionis; saluabitur ratio intellectus per solam certitudinem absque euidentia principiorum: atque adeò assensus Fidei in articulos reuelatos erit verè & propriè intellectus; quemadmodùm & ipse habitus Fidei infusus, qui est principium talis assensus, erit verè & propriè habitus intellectus, quod nemo hactenus dixit.

23. Nec saluari potest in continuatione cum euidentia alterius scientię; quia si scientia subalternata non habet euidentiam in se, non poterit illam accipere per continuationem ad subalternantem existentem in alio subiecto, vti existit Theologia Beatorum, cui subalternari dicitur Theologia nostra: Nam, cùm hęc sit extrinseca tantùm coniunctio, non poterit Theologiæ nostrę dare intrinsecam euidentiam, quæ, vt probauimus, necessaria est ad veram & propriam scientiam. Nec est eadem ratio de perspectiua: Nam hæc, quando est in distincto subiecto, nititur euidentia sensus, ad quam suas conclusiones resoluit.

24. Nec saluari tandem potest in euidentia consequentiarum: quia nostra Theologia non tam attendit ad bonitatem consequentię, quod est proprium Logicæ; quàm ad veritatem consequentis, quod est proprium Theologiæ. Igitur si Theologia nostra non habet euidentiam consequentis, etiamsi habeat euidentiam consequentiæ; non erit vera & propria scientia Theologica. Consequentia constat; quoniam, vt sit vera scientia Theologica, debet habere euidentiam, quam postulat scientia ipsa Theologica: sicut non est vera scientia Metaphysica, quę non habet euidentiam, quam postulat scientia ipsa Metaphysica. Antecedens probo; quoniam Theologia nostra præcipuè attendit ad veritatem articulorum, & eorum quæ in articulis virtute continentur: ergo non tam attendit ad bonitatem consequentiæ, quàm ad veritatem consequentis, quod vi consequentię deducitur ex articulis Fidei: Vt patet in hoc syllogismo: *Christus est homo: omnis homo constat intellectu & voluntate; ergo Christus constat intellectu & voluntate.* Id quod Theologus in hoc syllogismo attendit, est veritas huius consequentis, nempe: *Christus constat intellectu & voluntate*; quod implicitè & virtute continetur in illa maiore propositione expressè reuelata, *Christus est homo:* Nec est eadem ratio de Mathematica quæ non attendit nisi ad veritates, quę consequuntur ex tali, vel tali principio posito, siue illud possibile sit, siue non. Quia finis ipsius tantùm est, scire connexionem prædicati cum subiecto. Vnde licet interdum Theologia viatoris vtatur hoc modo argumentandi; id solùm facit ad melius indagandam veritatem propositionis absolutæ: sic enim quærit, an *si spiritus sanctus non procederet à Filio, distingueretur ab illo:* vt ex hac hypothesi melius, profundiùsque indaget formale constitutiuum Filij, & Spiritus Sancti.

25. Neque hæc sententia destituta est patrocinio Doctoris sancti, vt aduersarij contendunt: Nam & in tertio Distinct. 33. qu. 1. articul. 2. quæstiuncula 4. docet scientiam, quæ non potest suas conclusiones reducere ad principia naturaliter cognita, non esse eiusdem speciei cum alijs scientijs; nec dici *vninocè* scientiam: quia nimirum (addo ego) caret essentiali prædicato scientiæ, quæ est euidentia principiorum. Et de veritate quęstione 14. articulo 9. *quicunque*, inquit, *sciuntur propriè accepta scientia, cognoscuntur per resolutionem in prima principia, quę per se præsto sunt intellectui.* Sunt autem per se præsto intellectui, vt ibidem declarat, ea quæ sunt nota intellectui, non propter testimonium alienum, sed proprium ipsiusmet intellectus. Igitur Theologia nostra, quę non scit per resolutionem ad prima principia, quæ præstò sunt intellectui, non est scien- S. Thomas.

tia propriè dicta. Nec refert quod 1. p. quæstione 1. art. 2. absolutè dicat, Theologiam esse scientiam, quoniam vt Caietanus interpretatur, intelligitur de Theologia secundùm se, non autem de Theologia nostra, quæ est imperfectè scientia. *Caietanus.*

26. Quæri autem vlteriùs potest, an saltem notitia illa, quam de rebus Fidei habuerunt Prophetæ, & Apostoli per euidentiam motiui formalis, & ipsius attestationis Diuinæ, fuerit vera & propria scientia. Affirmant Scotus in tertio Distinct. 24 §. *sed si loquamur*, & Mayronus q. 14. Prologi. Fundamentum est: quia talis notitia erat euidens; procedebat enim ex duabus præmissis euidentibus, vna erat: quod quidquid à Deo reuelatur, est verum: altera, quod hoc sit à Deo reuelatum. His enim duabus præmissis euidentibus positis, cogebatur intellectus Prophetæ assentiri obiecto reuelato. *Scotus. Mayronus*

27. Mihi verò cum alijs est negandum. Ratio sequitur ex dictis: quoniam ad scientiam propriè dictam requiritur euidentia rei: Nec sufficit euidentia extrinsecæ attestationis: Nam adhuc ea posita, intellectus dicitur assentiri per extrinsecum, & non per proprium testimonium, quod in ipsa rei euidentia consistit: quâ euidentiâ caruerunt Prophetæ, solumque habuerunt euidentiam extrinsecæ attestationis Diuinæ, quę quia nec falli, nec fallere potest, cogebatur eorum intellectus ad assensum præbendum. Quia tamen assensus ille non eliciebatur ex intrinseca euidentia obiecti, sed ex extrinseca euidentia attestationis Diuinæ, non poterat dici propriè scientia: licet potiori ratione, quàm Theologia nostra, quæ non solùm caret euidentia rei, sed etiam attestationis.

28. Dico quartò. Etsi Theologia nostra non sit vera & propria scientia, dici tamen potest aliquo modo scientia; tum propter summam certitudinem suorum principiorum; tum propter modum procedendi scientificum, ex principijs summa certitudine conclusiones inferendo: non tamen vniuocè scientia cum reliquis, quia caret potissimo prædicato scientiæ, quæ est euidentia obiecti: Non tamen est æquiuocè tantùm scientia, cùm non conueniat in solo nomine cum reliquis scientijs; sed dici potest analogicè scientia; tum analogia proportionis, propter intrinsecam conuenientiam in certitudine, & modo procedendi; tum attributionis, propter habitudinem, quam dicit ad perfectam scientiam Beatorum. Conclusio constat, tum ex modo loquendi Scripturæ & Patrum, qui eam appellare solent scientiam: tùm ex scholasticis ipsis, qui quamuis eam negent esse perfectam scientiam, imperfectam tamen non negant. Cæterùm ratio illa, qua aliqui vtuntur, ideo Theologiam nostram non esse scientiam, quia est de rebus indiuiduis, cùm hæc Auctore Aristot. 6. Ethic. tertio sit de rebus vniuersalibus; non vrget: nam quando indiuidua sunt immutabilia, siue per se, vt Deus, siue vt substant scientiæ Diuinę, quo pacto illa sunt obiectum Theologię, poterit de illis esse scientia. *Aristoteles*

## SECTIO II.

### *Quis habitus sit Theologia nostra?*

29. Ratio Dubitandi sequitur ex dictis, quoniam cùm Theologia nostra defectu euidentiæ non sit scientia, non videtur quænam alia virtus intellectualis esse possit ex reliquis, quas enumerat Aristot. 6. Ethic. Non enim est *Intellectus* aut *Sapientia*: vtraque enim requirit euidentiam obiecti; ille primorum principiorum circa quæ versatur, hęc primarum altissimarumque causarum de quibus disputat. Non *Ars*, aut *Prudentia*: Nam illa in factione, hæc in actione versatur. Præter hos autem nullum alium agnoscit intellectualem habitum Aristoteles Nam *Fidem* & *opinionem*, cùm formidinem includant, à virtutibus intellectualibus excludit. *Aristot.*

31. Prima Sententia affirmat Theologiam esse habitum declaratiuum, & defensiuum veritatum reuelatarum, non autem adhęsiuum, aut inclinatiuum in veritates reuelatas, aut in nouas ex reuelatis deductas. Est Aureoli quęstione 1. Prologi articul. 3. & in primo Distinct. 48. articul. 3. Etenim tria sunt, quę intellectum impediunt, ne assensum facilè præbeat in obiectum, quod alioqui certissimè credit: obscuritas terminorum; rationes in oppositum inclinantes, & vbi nullæ apparent probabiles rationes, & exempla, quæ intellectum manuducant ad assentiendum. Ille igitur habitus, qui terminos explanat, rationes in oppositum soluit, & exempla, rationesque manuducentes adducit, ille est tantùm declaratiuus, & non adhæsiuus. Talis est habitus Theologicus, qui non inclinat intellectum per assensum ad obiecta reuelata, aut in veritates in illis implicitè contentas, ad quas tantùm inclinat Fides; sed declarat tantùm, & defendit illas contra impugnantes. ergo.

31. Confirmat: quoniam, si habitus Theologicus esset adhæsiuus, aut esset adhæsiuus in conclusiones probabiliter, aut euidenter deductas ex principijs reuelatis: neutro modo est adhæsiuus. ergo. Sequela Maioris probatur: Nam dupliciter potest conclusio deduci ex principio reuelato; vno modo probabiliter, alio modo euidenter: probabiliter; si ex vna propositione reuelata, & altera probabili deducatur conclusio opinabilis hoc modo: *Christus est homo: homo constat intellectu & voluntate distincta: ergo Christus constat intellectu, & voluntate distincta:* euidenter; si ex vna reuelata, & altera naturali

turali euidente deducatur conclusio certa hoc pacto: *Christus est Filius Dei: Filius distinguitur à Patre: ergo Christus distinguitur à Patre.* Minor probatur. Nam conclusioni euidenter deductæ ex præmissa reuelata intellectus adhæret assensu Fidei: eodem quippe assensu, quo assentimur principijs reuelatis, assentimur ijs, quæ implicitè continentur in reuelatis. Vnde qui tales conclusiones negat, est hæreticus. Conclusioni verò probabiliter deductæ adhæremus assensu opinatiuo & formidoloso: Absurdum autem est, ponere habitum Theologicum opinatiuum & formidolosum: ergo.

32. SECVNDA Sententia docet, Theologiam esse ipsum habitum Fidei infusæ, quatenus extenditur ad conclusiones ex reuelatis deductas. Quæ extensio non addit nouam qualitatem, ab habitu Fidei distinctam; sed eundem tantùm extendit ad nouam veritatem explicitè credendam: sicuti habitus scientiæ acquisitus circa vnam conclusionem extenditur circa aliam sub eodem motiuo formali. Est Syluestri in Conflato quæst. 1. art. 10. & 11. Fundamentum est: quoniam obiectum Fidei & Theologiæ est idem: sed habitus vnitatem sumunt ab obiectis: ergo. *Sylueſter.* Maior prob. Nam sub eodem testimonio Dei tendit Fides in obiecta immediatè reuelata, & habitus Theologicus in conclusiones ex reuelatis euidenter deductas: cùm non minus sit hæreticus, qui negat conclusiones ex reuelatis euidenter deductas, quàm qui negat obiecta ipsa immediatè reuelata.

33. TERTIA Sententia asserit, Theologiam esse habitum Fidei acquisitæ est Scoti in 3. dist. 35. q. vnica, Ockami qu. 3. Prologi litera o, Maioris q. 4. §. 40. *patet*, Gabrielis q. 7. litera cap. Vasq. 1. P. Disp. 5. c. 3. Fundamentum est: quia siue dicamus, principia Theologiæ esse veritates reuelatas humana fide creditas, siue diuina Fide cognitas, semper habitus Theologicus deductiuus nouarum veritatum ex principijs reuelatis pertinebit ad Fidem non infusam, quia hęc non inclinat nisi ad veritates immediatè reuelatas ex solo testimonio Dei; ergo ad acquisitam. Assumptum probatur; quia cùm sit habitus certus, & ineuidens, non videtur ad quem alium pertinere possit, quàm ad fidem acquisitam. *Scotus. Ockam. Maior. Gabriel.*

34. DICO 1. Theologia non est habitus tantùm declaratiuus, & defensiuus articulorum Fidei: Est omnium contra Aureolum. Fundamentum est: quia habitus Theologiæ non solùm est declaratiuus & defensiuus articulorum, sed etiam deductiuus conclusionum ex articulis reuelatis, vt S. Thomas docet 1. p. quæst. 1. art. 8. & nos infrà probabimus. Confirmatur, quia si Theologia esset habitus tantùm declaratiuus, & defensiuus articulorum, neque excederet naturam opinionis, quod non admittit Aureolus; neq; esset propriè habitus Theologicus. Prior pars sequelæ probatur: Nam habitus specificationem sumit ab obiecto formali, quod in speculatiuis est medium, quo ostenditur conclusio: Vnde eadem conclusio per diuersa media pertinere potest ad diuersas scientias. Media autem, quibus Theologus declarat veritates reuelatas, non sunt nisi exempla, similitudines, & rationes probabiles, vt ipsemet Aureolus testatur: atqui hæc non gignunt nisi solam probabilitatem: ergo si Theologia est habitus tantùm declaratiuus articulorum Fidei, non excedit naturam opinionis. Minor subsumpta patet, quia nequeunt maiorem certitudinem gignere, quàm habeant in se. Consequentia verò constat, quoniam opinio specificatur à medio, quo ostenditur, & declaratur conclusio. Nec satisfacit Aureolus, negando talem habitum esse opinionem, eò quòd non inclinet ad assentiendum, sed tantũ ad declarandum, explicandumq́ue obiectum ipsum reuelatum: quia nequit mentalis declaratio fieri, nisi per mentales assensus, quibus intellectus iudicet, hęc exempla & rationes conducere ad explicandam veritatẽ reuelatã, hæc aut illa media esse apta ad ostendẽdum, quod Dei reuelatio de tali obiecto sit facta. *Aureolus.* *S. Thomas.*

35. Posterior pars sequelæ probatur: Nam sæpe Theologus ad defendendos articulos Fidei contra infideles vtitur ministerio aliarum scientiarum; aut Logicæ, si vitium sit in forma; aut Metaphysicæ, si oppugnantem redigat ad impossibile: ergo si Theologia est habitus tantùm defensiuus articulorum, non erit propriè Theologia, sed alia scientia, ea nimirum cuius Ministerio Theologus vtitur ad articulum oppugnatum defendendum.

36. AD Fundamentum Aureoli negatur minor, eiusq́ue probatio. Similiter ad Confirmationem negatur minor, & eius probatio: falsum quippe est, eodem assensu nos assentiri principijs, & conclusionbus ex principijs deductis, vt infrà explicabo. *Ad fundamentum Aureoli.*

37. DICO 2. Theologia non est habitus Fidei infusę, quatenus extenditur ad nouas conclusiones ex reuelatis deductas. Est omnium contra Sylueſtrum. Probant aliqui ex eo, quòd habitus principiorum est diuersus ab habitu conclusionum: atqui Fides infusa versatur circa principia; versatur enim circa articulos, qui sunt principia Theologiæ, Theologia verò circa conclusiones deductas ex articulis: igitur non poterit esse idem habitus Theologiæ & Fidei. Maior est cõmunis & docet S. Th. in 3. dist. 23. q. 1. a. 4. q. 3. ad 3. his verbis: *Principia ſpeculatiua cognoſcuntur per alium habitũ naturalẽ; quàm cõcluſiones, ſcilicet per intellectum; concluſiones verò per ſcientiam.* Quos habitus Arist. vt essentialiter diuersos enumerat 6. Eth. Verũ hęc ratio non conuincit; Nam vt acutè Scot. in 3. Dist. 35. q. vnica in habitu naturali principiorum & conclusionũ motiuum assentiendi, quod est motiuum specificãdi habitus scientificos, est diuersũ: est enim ipsa connexio terminorum, quæ alia est in principijs, alia in conclusionibus: At in habitu principiorũ Fidei, & cõclusionum motiuum formale assentiendi non videtur esse diuersum; cũ sit eadem auctoritas Diuina mediatè, vel immediatè applicata. *Contrà Sylueſtrum.* *S. Thomas.* *Aristot.* *Scotus.*

Non igi-

Non igitur valet argumentari ex distinctione habitus principiorum, & conclusionum naturalium, ad distinctionem habitus principiorum, & conclusionum Fidei, nisi in materia propria ostendatur, motiuum formale assentiendi principijs reuelatis esse diuersum à motiuo formali assentiendi conclusionibus ex illis deductis.

38. Hoc autem ego sic probo: illud est motiuum formale assentiendi, quo intellectus adæquatè mouetur ad assensum præbendum: atqui motiuum, quo intellectus adæquatè mouetur ad assensum præbendum principijs reuelatis, est sola auctoritas Dei reuelantis: motiuum verò, quo adæquatè mouetur ad assensum præbendum conclusionibus ex reuelatis deductis, non est sola auctoritas reuelantis, sed naturalis etiam connexio earum cũ principijs reuelatis: Ex eo enim quòd cũ homine Christo, principio reuelato, naturalem connexionem habet risibilitas, intellectus assentitur; Christum esse risibilem. Atqui hæc diuersa est à sola auctoritate Dei reuelantis: ergo & assensus, qui talibus motiuis innituntur, diuersi erunt: atque adeo habitus, qui ad huiusmodi assensus inclinant, erunt quoque diuersi: cùm habitus distinguantur penes actus, & obiecta, ad quę tendunt.

*Ad Fundamentum. Syluestri.*

39. Ad Fundamentum Syluestri nego idem esse obiectum formale Fidei infusæ, & habitus Theologici; nam illius est solùm testimonium Dei; huius verò, vt modificatum naturali connexione conclusionis deductę cum principio reuelato. Nec est eadẽ ratio de habitu naturali, extendente se ad nouã conclusionem sub eodem motiuo formali adęquato. Ad probationem verò maioris ideo, qui negat conclusionem euidenter deductam ex principio reuelato, haberi vt hæreticum, quia non censetur negare illam secundùm naturalem connexionem, quam habet cum principio reuelato, sed principium ipsum reuelatum, ex quo illa per euidentem consequentiam deducitur. Pro cuius explicatione,

40. Nota conclusionem ex principio reuelato deductam considerari dupliciter, vno modo, vt deductam formaliter, hoc est vt naturalem connexionem habentem cum principio ipso reuelato: ita vt deductio ipsa, seu naturalis connexio cum principio ingrediatur formale motiuum assentiẽdi. Alio modo [illegible] materialiter; ita vt deductio ipsa, seu naturalis connexio cum principio, nõ ingrediatur formale motiuum assentiendi, sed habeat se tantùm, vt conditio explicans, talẽ conclusionem fuisse implicitè in principio ipso reuelatam: adeo vt tota ratio assentiẽdi sit ipsum testimonium Diuinum, quod explicitè cadit supra principium expresè reuelatum, & implicitè supra conclusionem, in principio reuelato virtualiter contentam. Primo modo est obiectum Theologiæ, quia nititur immediatè & proximè connexioni naturali; Secundo modo Fidei, quæ immediatè tendit ad conclusionem ex solo testimonio Diuino, habẽte se deductione, vt prędicta tantùm conditione explicante, talem conclusionẽ esse cum principio ipso implicitè reuelatam. Quod sub alijs terminis dici solet conclusio vt *deducta*, & vt *explicata*. Et quidẽ vt *deducta* est obiectum Theologiæ, vt *explicata* verò Fidei: quia vt sic deductio non est ratio assentiendi, sed pura conditio explicans, talem conclusionem virtute contineri in principio ipso reuelato.

41. Qua explicatione posita, intellectus nõ ex ipsa naturali connexione, sed ex solo testimonio Dei mouetur ad assentiendum conclusioni: quod est illi assentiri vt deductæ materialiter, non vt deductæ formaliter. Vnde qui illam negaret, vt deductam materialiter, esset hæreticus: qui verò illam negaret, vt deductam formaliter, non esset, sed præsumeretur hæreticus: eò quòd non prędsumeretur negare ipsam euidentem deductionem, sed principium reuelatum, ex quo illa euidenter deducitur. Hinc collige, quo pacto idem habitus Fidei de nouo se extẽdat ad conclusionem, ad quam antea non se extendebat: quia nimirum antea non erat talis conclusio per Ecclesiæ declarationem sufficiẽter proposita; quæ Ecclesiæ declaratio, vt suppono ex materia de Fide, est necessaria conditio, sine qua obiectum Fidei nõ censetur sufficienter propositum, vt credatur saltem ab omnibus.

42. Dico 3. Theologia non est habitus Fidei acquisitæ. Est Rubionis qu. 7. Prologi c. 2. Argent. q. 1. ar. 1. §. *his præmissis*. Molinæ 1. p. qu. 1. art. 2. disp. 2. & communis inter Recentiores. Fundamentum est: quia Fides siue humana, siue diuina, immediatè nititur in sola auctoritate dicentis: per hoc enim distinguitur Fides à quocunque alio habitu, siue scientifico, siue opinatiuo. Atqui habitus Theologicus non nititur immediatè in sola auctoritate dicentis, sed etiam in naturali discursu, & euidenti connexione conclusionis cum principio reuelato, vt probatũ est: igitur non est idem cum fide acquisita. Quæ ratio ęquè probat, siue principia reuelata concurrant ad assensum Theologicũ, vt credita fide diuina, siue humana, contra Vasquez putantem, habitum Theologicum solùm distingui à Fide acquisita, quando articuli reuelati concurrunt ad assensum Theologicum, vt crediti *Fide infusa*, non autem quando concurrunt vt crediti *Fide humana*: nam vtrouis modo concurrant, semper motiuum formale assensus Theologici erit diuersum à motiuo formali assensus articulorum: nam horũ motiuum est sola auctoritas; vel diuina, si concurrant crediti *Fide diuina*; vel humana, si concurrant crediti *Fide humana*: illius verò est euidens connexio conclusionis cum principio ipso credito.

*Rubio. Argent. Molina.*

*Vasquez.*

43. Dico 4. Theologia est habitus medius inter fidem & scientiam. Est omnium, qui nobiscum sentiunt Theologiam neque esse veram scientiam, neque fidem: cùm enim illa vera scientia non sit defectu euidentiæ: nec propriè Fides vel acquisita, vel infusa; eò quòd non nitatur sola auctoritate dicentis, sed naturali etiam discursu, & euidenti con-

nexione

nexione proprietatis cum principio credito; necessariò erit habitus ab vtroque diuersus, mediusque inter illas: nam de Fide participat ineuidentiam, & certitudinem cõsequentis; de scientia verò euidentiam consequentię, & modum deducendi conclusiones per discursum. Vnde qua pollet euidentia, & modo deducendi suas conclusiones per naturalem discursum, distinguitur à Fide, & conuenit cum scientia; qua caret euidentia consequentis, & pollet certitudine maiore, quàm habere posset per quamcunque naturalem euidentiam, differt à scientia, & conuenit cum Fide infusa. Conuenit etiam cum sapientia, quatenus tractat de rebus altissimis, & per causas primas & dignissimas.

*Aristoteles.*

44. Hinc patet ad Fundamentum tertiæ sententiæ, & ad rationem dubitandi initio positam: nam licet Theologia nostra nullus sit habitus ex ijs, quos Aristoteles enumerat, cùm illum non cognouerit, quippe cùm supponat principia reuelata, quæ ipse non cognouit, est tamen habitus intellectualis alterius rationis, vt à nobis suprà explicatum est.

## SECTIO III.

### *An ad aßensum Theologicum concurrant principia reuelata cognita Fide humana, an diuina, an cognitione naturali?*

45. Cvm assensus Theologicus sit assensus in conclusiones deductas ex principijs reuelatis, ex quibus necessariò procedit Theologia; nec possit ex huiusmodi principijs procedere, nisi vt cognitis & acceptatis vt veris: cognosci autem, & acceptari possunt, vt vera, aut Fide humana per miracula & signa excludentia omnem dubietatem; aut Fide Diuina, per solum testimoniũ Dei; aut cognitione naturali euidente, quo pacto cognoscitur, Deum esse, qui tamen est articulus reuelatus; controuersia est, qua notitia debeant esse cognita principia reuelata, vt concurrere possint ad assensum Theologicum.

46. Prima sententia esse posset, sufficere, vt ea sint cognita cognitione dumtaxat naturali. Fundamentum esse potest: quoniam ad assensum Theologicum sufficit, vt procedat ex principijs reuelatis, procederet autem ex principijs reuelatis, etiamsi procederet ex ijs lumine tantùm naturæ notis: quia, vt suppono, vna notitia non impedit aliam. Confirmatur, quia sæpe Theologia ex vno principio reuelato, & altero euidenter noto procedit ad conclusionem Theologicam: ergo non repugnat assensui Theologico procedere ex principijs reuelatis, euidente notitia cognitis.

47. Secvnda sententia affirmat, principia reuelata ad assensum Theologicum concurrere, vt credita tantùm Fide humana per signa, & auctoritatem excludentem omnem dubietatem. Est Maioris qu. 4. Prologi §. 2. *patet*. Vasquez 1. p. disp. 3. nu. 23. Hæc sententia probatur exemplo, quod citato loco affert Maior: quia potest in hæretico, in quo nulla est Fides infusa, esse assensus Theologicus in aliquam conclusionem Theologicam: ergo assensus Theologicus non necessariò nititur principijs reuelatis diuina Fide creditis. Consequentiá constat. Antecedens probatur, quia qui negat vnum articulum, non necessariò negat reliquos: at vno negato destruitur Fides infusa, vt ex materia de Fide suppono: igitur poterit hæreticus negans vnum articulum habere assensum Theologicum circa conclusiones deductas ex reliquis articulis humana Fide creditis.

*Maior. Vasquez.*

48. Tertia sententia docet, vt principia reuelata concurrere possint ad assensũ Theologicum, necessariò debere esse credita Fide diuina. Est Molinę 1. p. q. 1. ar. 2. disp. 6. in fine, Valent. q. 1. puncto 5. Fasoli dubit. 7. Gillij lib. 1. tract. 2. c. 7. & aliorum. Fundamentum Molinæ est; quoniã assensus Theologicus est in essentia supernaturalis; non potest autem esse in essentia supernaturalis, nisi principium reuelatum influat in assensum Theologicum, vt creditum Fide diuina. Maior supponitur. Minor probatur, quia principium non influit in assensum conclusionis, nisi medio assensu sui: vnus autem assensus, vt alium supernaturalem in essentia gignat, requirit vt ipse quoque sit in essentia supernaturalis. Vt igitur principium reuelatum per assensum sui gignere possit assensum supernaturalem cõclusionis Theologicæ, oportet vt sit creditum assensu Fidei infusæ, nam hic tantùm est in essentia supernaturalis. Fundamentum aliorum est: quoniam Theologia excedit quoad certitudinem omnes scientias naturales: non excederet autem omnes scientias naturales, si ipsius assensus causaretur à principio reuelato credito tantùm Fide humana, imò esset illis quoad certitudinem inferior. Maior est axioma Theologorum. Minor probatur, quia nequit assensus esse certior principio, propter quod elicitur: ergo si principium, propter quod Theologicus assensus elicitur, esset articulus reuelatus creditus fide humana, non excederet certitudinem fidei humanæ.

*Molinã. Valentia. Fasolus. Gillius.*

49. Dico 1. Veritas reuelata cognita notitia euidente naturali non potest esse principium Theologici discursus. Fundamentum est, quia Theologicus discursus est essentialiter ineuidens; ergo nõ potest gigni ex principio euidenter noto. Consequentia claret: quia ex principio euidenter noto per euidentem consequentiam deducitur conclusio euidens. Antecedens probatur, quia Theologia nostra per hoc tantùm differt à Theologia Beatorum, & ab omni alia scientia naturali, quòd sit ineuidens & obscura, fundatur enim in solis principijs diuinâ Fide reuelatis.

50. Ad Fundamentum oppositę sententię

nego

nego Maiorem: non enim sufficit ad discursũ Theologicum procedere ex principijs reuelatis, nisi etiam procedat ex ijs cognitis proportionata cognitione assensui Theologico, qualis non est notitia naturalis euidens. Ad Confir. distinguo consequens: non repugnat assensui Theologico procedere ex alterutro tantùm principio euidenter noto, concedo; ex vtroque, nego. Cuius discriminis ratio est, quia quando vnum saltem principium est obscurum, conclusio, quæ semper sequitur debiliorem partem, erit ineuidens & obscura: contra verò, quando vtrumque principium est euidenter notum, conclusio per syllogisticam formam deducta, non potest non esse euidens.

51 Dices. Ergo Propheta ex ijs, quæ esse euidenter cognoscit in attestante, non poterit Theologicum discursum formare; quia deberet procedere ex vtroque principio sibi euidenter noto, hoc pacto: quidquid Deus reuelat, est verum: hoc Deum reuelasse, mihi est euidens: (cognoscit enim hoc euidenter Propheta in attestante) ergo hoc est verum. In quo Syllogismo vtraque præmissa est euidenter nota Prophetæ: ergo conclusio non erit Theologica: quod tamen falsum est, quia non videtur, ad quam aliam scientiam pertinere possit. Resp. Nego sequelam. etenim licet Prophetę sit euidens reuelatio, non est tamen euidens obiectum ipsum reuelatũ; quia licet cognoscat, hanc reuelationem esse à Deo, non tamen cognoscit obiectum ipsum in se, quod cum euidentia attestationis adhuc manet illi obscurum, & ineuidens. Et ratione huius intrinsecę ineuidentiæ & obscuritatis, tenentis se ex parte obiecti (nam reliqua euidentia attestationis est extrinseca obiecto) poterit Propheta Theologicum discursum formare.

52. Pro alterius controuersiæ solutione notandum est, duplicem posse esse quæstionem; vnam, an assensus genitus ex principio reuelato, credito tãtùm fide humana, sit eiusdem rationis, & speciei cum assensu genito ex principio, credito Fide infusa, & Diuina? alteram, an, posito quòd sit alterius rationis & speciei, pertineat ad habitum Theologiæ? Nam cęterùm nemo dubitat posse, & de facto sępè Theologum ex principio reuelato, credito tantùm fide humana, suas conclusiones deducere, cùm hoc sit in libera potestate ipsius. Hoc adnotato,

53. Dico 2. Assensus elicitus ex principio reuelato, credito tantùm fide humana, est diuersæ speciei ab assensu, elicito ex principio, credito Fide Diuina: pertinet tamen ad habitum Theologicum, tanquam minùs perfectus ad perfectum. Prior pars, quæ est contra Vasquez putantem eiusdem rationis esse assensum Theologicum in hæretico & Catholico, probatur: nam diuersum specie motiuum diuersam causat in assensu specificationem, atqui principium reuelatum, humana fide creditum est diuersum specie motiuum à principio Diuina Fide cognito: ergo diuersam causat in assensu ipso specificationem. Maior patet: quoniam motiuum est, à quo specificatur assensus. Minorem probo; quia principium non est motiuum assensus, nisi vt cognitum, vt sic enim mouet intellectum ad assensum, illumque specificat: atqui fides humana & diuina differunt specie: ergo & principia ipsa humana, atque diuina, fide cognita.

Contra Vasquez.

54. Dices, quod est fundamentum Vasquez, & nos suprà docuimus, proximum motiuum assensus Theologici non est auctoritas humana, aut diuina, sed naturalis connexio proprietatis cum suo principio, quæ semper est eadem siue principium reuelatum sit cognitum fide diuina, siue humana. Resp. Concedo Maiorem de motiuo proximo & inadæquato; nego de remoto, & adæquato, à quo Theologicus assensus specificatur. Licet igitur proximum motiuum, quo mouetur intellectus ad assensum Theologicum, sit naturalis connexio conclusionis cum principio, remotum tamen est ipsa veracitas dicentis, quæ modificata naturali discursu est adæquatum motiuum assentiendi; ita vt ad assensum non solùm influat naturalis connexio, sed ipsa etiam auctoritas dicentis, vt modificata per huiusmodi connexionem. Quod inde patet: quia, si sola connexio conclusionis cum principio esset adæquatum motiuum assensus Theologici, non esset certior assensus elicitus ex principio credito fide diuina, atque humana. Nam in vtroque est eadem connexio proprietatis cum principio: igitur, si in vno est maior certitudo, quàm in alio, hęc aliunde esse non potest, quàm ex principio ipso credito certiori assensu, à quo vim habet communicandi maiorem certitudinem in assensum ipsum Theologicum, quàm habeat principium cognitum tantùm fide humana.

Vasquez.

55. Posterior pars, nempe quòd talis assensus elicitus ex principio ipso credito fide humana, excludente omnem moralem dubietatem, pertineat ad Theologiam, sic probatur: Nam Theologia non solùm procedit ad suas conclusiones probandas ex immediato, sed etiam ex mediato testimonio Diuino, quatenus illud per humanam auctoritatem proponitur credendum: Vnde procedit ex auctoritate Patrum, Scholasticorum, ex communi sensu Ecclesię, ex signis & miraculis, in attestationem diuinæ reuelationis, patratis; quæ omnia non excedunt fidem humanam: cùm tamen hæc à Theologis locentur inter locos & sedes Theologicas, ex quibus eruuntur argumenta ad veritates Theologicas confirmandas. Cùm enim proprium sit Theologiæ, (vt egregiè S. Doctor adnotauit 1. part. q. 1. ar. 8. ad 2.) argumentari ex auctoritate, vtpote in Diuina reuelatione fundata, vtitur his omnibus auctoritatibus, tanquam proprijs medijs ad suas veritates comprobandas!

S. Doctor.

56. Sunt tamen inter huiusmodi auctoritates quidam certitudinis gradus: primum gradũ certitudinis obtinet auctoritas diuina immedia-

immediatè applicata per reuelationem Dei; quæ diuiditur in scriptam, traditam, & animatam, quæ residet in Vicario Christi: cuius oppositum, si cum pertinacia asseratur, hæresim gignit: quæ est primus gradus erroris contra Fidem. Secundum gradum obtinet totius Ecclesiæ Consensus: tertium cõmunis Patrum auctoritas. Quartum Cõspiratio omnium Doctorum: Vnde sicut in his datur maior & minor certitudo, omnes tamen reductiuè pertinent ad Fidem: ita & inter assensus ipsos Theologicos datur vnus certior altero. Omnes tamen pertinent ad Theologiam; cuius est per huiusmodi auctoritates suas veritates confirmare. Cæterùm his omnibus auctoritatibus vtitur Theologus, quatenus aliquo modo fundantur in auctoritate diuina: Nam eatenus nititur auctoritate Patrum, Ecclesiæ, & Doctorum, quatenus eas censet fundari in auctoritate Dei reuelantis: quia tamen hoc non est certum, propterea assensus fundatus in his auctoritatibus non est ita certus, sicut qui fundatur in auctoritate Dei immediatè applicata per euidentem deductionem.

57. Dices, Ergo eodẽ modo ad Theologiam spectabit assensus Theologicus opinatiuus, & formidolosus. Resp. Non ita propriè, cùm dubietatem non excludat: quare ille tantùm, & omnis assensus ad Theologiã spectabit qui, moralem gignit certitudinem; nam hæc ad minimum ad Theologicum assensum necessaria est.

58. Ex his patet ad fundamenta vtriusque sententiæ: nam fundamentum secundæ procedit tantùm de habitu Theologico acquisito ex assensibus fidei humanæ, qui manet in hæretico etiam quoad exercitium. Fundamenta tertiæ procedunt de habitu acquisito ex assensibus fidei diuinæ, de quo tanquam de præcipuo ac potissimo habitu verificatur, quod in certitudine excedat omnes scientias naturales.

59. Ex dictis deducitur primò Theologiam non esse vnum specie habitum, sed plures; omnes tamen attributionem dicere ad reuelationem diuinam quam omnes finaliter intendunt magis aut minus proximè, secundùm quod magis aut minus ad illam accedunt per maiorem, vel minorem certitudinem auctoritatis proponentis.

60. Deducitur secundò, Ex assensibus Theologicis non solũ augeri habitũ Theologicum, sed fidem ipsam; vel acquisitam, si assensus principiorum procedat ex fide acquisita; vel infusam, si procedat ex fide infusa: cum hoc tamen discrimine, quòd acquisita augetur ex assensibus fidei humanæ Physicè; infusa verò ex assensibus fidei diuinæ meritoriè: eò quòd habitus infusi, cùm sint ad instar potentiarum, quæ supponi debent ad actus, nequeunt per actus Physicè intendi. Secùs de habitibus acquisitis, qui, quoniam supponunt potentiam, cuius actibus generantur, possunt per actus talis potentiæ, intendi.

61. An autem debeat esse meritorius actus fidei diuinæ, vt habitum moraliter intendat. Affirmat Scotus in tertia dist. 23. §. *de primo*. Mihi tamen probabilius videtur oppositum; quod etiam docet Iacobus Granadus in 1. p. tractatu primo. dist. 4. Cuius ratio est, quia sicut hic habitus manere potest cum peccato, ita & in statu peccati augeri. Quia sicut hic habitus non facit hominem sanctum; ita nec eius augmentum magis sanctum. Vnde Caiet. p. 2. quæst. 62. artic. 4. docet hunc habitum infundi posse sine gratia, vt cùm quis ad baptismum accedit dispositus per solum actum fidei, qui sufficit ad sacramentum, non autem ad effectum sacramenti; Tunc baptizatus simul cum charactere recipit habitum fidei sine gratia. Iuxta hanc sententiam intelligitur auctoritas illa August. 14. de Trin. cap. 1. vbi loquens de nostra Theologia, ait esse scientiam, *qua fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur*: quia nimirum per actus huius scientiæ non solum gignitur, & augetur Theologia, sed etiam fides ipsa, & si non est, infunditur; aut si est, augetur, nutritur, & roboratur.

*Scotus.*

*Iacobus Granadus.*

*Caietanus.*

*Augustin.*

## SECTIO IV.

### *An habitus Theologicus sit supernaturalis quoad substantiam.*

62. Prima Sententia negat, est Vasq. 1. p. d. 4. nu. 23 Granadi tract. 1. d. 5. & aliorum; primò quia assensus Theologicus non innititur immediatè testimonio Dei, sed medio discursu naturali; ergo nequit esse in substantia supernaturalis. Consequentia prob. Nam assensus specificatur à suo motiuo proximo: sed proximum motiuum assensus Theologici, non est testimonium Dei supernaturale, sed discursus, seu connexio naturalis proprietatis cum principio. Secundò, quia sæpè discursus Theologicus procedit ex vna præmissa naturali; ergo nequit tunc quoad entitatem, & certitudinem esse supernaturalis. Consequentia probatur ex illo dialectico principio, quòd *conclusio semper sequitur debiliorem partem*: cuius ratio est: quoniã cùm ars syllogistica debeat in conclusione connectere duas extremitates, ex vi coniunctionis earum cum medio in præmissis, non poterit eas firmiùs in conclusione connectere, quàm fuerint cum medio ipso in præmissis coniunctę. Igitur quantum firmitatis & certitudinis illis deest cum medio, in præmissis tantũdem illis deesse oportebit in conclusione. Vnde si cum medio altera extremitas coniungitur ineuidenter, contingenter, aut probabiliter, coniunctio earum in conclusione erit ineuidens, cõtingens & probabilis, vt inductione constat. Igitur, si in Theologico discursu altera præmissa erit naturalis, cũ eâ vna extremitas cõnectetur certitudine tantùm naturali; atque

*Vasquez. Granadus.*

adeò non poterit in conclusione cum alterâ extremitate maiori certitudine arctioriq́ue firmitate connecti, quàm fuerit cum medio ipso in vna ex præmissis coniuncta.

63. TERTIA. Habitus Theologicus non est per se infusus, sed acquisitus actibus nostris, ergo non est in substantiâ supernaturalis. Antecedens constat: tũ quia si esset per se infusus, non posset acquiri per actus; quoniam habitus per se infusi habẽt rationẽ potentiæ, quæ cùm supponatur ad actus, nequit per eos produci: tũ quia, si habitus Theologicus esset per se infusus, suapte natura peteret infundi cũ reliquis habitibus supernaturalibus, qui simul omnes infundũtur cũ gratiâ. Vnde sequeretur omnes fideles absque studio Theologiæ esse Theologos, per habitum Theologicum infusum, contra experiẽtiam, & Aug. 14 de Trin. c. 1. dicentem: *Augustin.* *Hac scientia non pollere fideles plurimos, quamuis ipsa fide polleant plurimùm.* Consequẽtia verò probatur, quia nullus datur habitus supernaturalis, qui non sit per se infusus; ergo si Theologicus non est per se infusus, non erit supernaturalis.

64. QVARTÒ. Idẽ habitus Theologicus esse potest in hæretico æquè, atque in Catholico; atqui in hæretico nõ est supernaturalis: ergo neque in Catholico. Minor cõstat: quia in hæretico nullum est principium, aut motiuum supernaturale, quod gignere possit assensum Theologicum supernaturalem; cùm careat fide infusa, & motiuo supernaturali auctoritatis diuinæ, qua duci nequit hæreticus in reliquis articulis credendis vel vno tantùm negato, vt suppono. Maior probatur, quia potest hæreticus, sicut & Catholicus ex articulis, quos admittit, veras conclusiones deducere. Quintò. Quia, nequit assignari causa supernaturalis efficiens discursum Theologicum supernaturalem.

65. SECVNDA sententia affirmat. Est Heruei quodlibeto 5. quæst. 19 vbi docet hãc ab omnibus teneri, *Herueus.* Cani lib. 12. de locis Theologicis cap. 3. conclusione 2. *Canus.* Zumel 1. p. q. 1. a. 8. q. 4. notabili 2. Molinę ar. 1. Disp. 1. & 2. Fasoli dubit. 13. Gillij lib. 1. tract. 4. c. 12. Hurtadi de anima Disput. 16. sec. 8. & procul dubio S. Thom. 1. p. quæst. 1. ar. 1. & 5. Vbi docet Theologiã differre à reliquis sciẽtijs naturalibus, quia nititur *lumine superiore:* Quod etiam affirmat Caiet. ar. 1. in fine & art. 3. §. *sed contra.* Nec potest intelligi de lumine fidei prærequisito ad assensum Theologicum: tum quia Caiet. expressè distinguit lumen supernaturale fidei, & Theologicum per rationes intrinsecas: tum quia, alioqui S. Thom. non distinxisset Theologiam à reliquis sciẽtijs per rationem intrinsecam, sed tantùm per extrinsecam, nempe per lumen fidei ad Theologicum discursum prærequisitum. Pro explicatione huius sententiæ,

66. Nota nos hic loqui posse, vel de habitu Theologico inclinante intellectum ad conclusiones deductas ex principijs reuelatis, creditis tantùm fide humana; vel de habitu Theologico inclinante ad conclusiones deductas ex principijs reuelatis, creditis fide diuina. Præsens controuersia non est de priore habitu; Nam hic extra omnem controuersiam est in entitate & certitudine naturalis, quia nullum habet principium supernaturale, à quo gigni possit in entitate supernaturalis: sed controuersia tantùm est de posteriore habitu, inclinante intellectum ad conclusiones deductas ex principijs reuelatis, creditis fide diuina. De quo habitu,

67. Dicendum est, illum esse quoad substantiam supernaturalem: Prob. 1. à posteriori; quoniam assensus Theologicus est certior quolibet assensu scientifico naturali; ergo est quoad substantiam supernaturalis. Antecedens docet S. Tho. 1. p. quæst. 1. ar. 5. & cum eo reliqui Theologi. Consequentia verò probatur. Nam hanc certitudinem non potest aliunde habere, quàm ex principio aliquo supernaturali: cùm oporteat omnem perfectionem, quæ reperitur in effectu, proficisci à causa; cum igitur hæc perfectio excedat quodlibet principium naturale, oportet, vt proficiscatur à principio aliquo supernaturali. Nequit autem effectus recipere à principio supernaturali perfectionem vllam supernaturalem, quin simul cum ea recipiat entitatem supernaturalem. Ergo si assensus Theologicus recipit certitudinem supernaturalem, excedentem certitudinem reliquarum sciẽtiarum naturalium, oportet, vt cum ea simul recipiat entitatem supernaturalem. Minor explicatur. Nam reliqua patent: quoniam perfectio supernaturalis debet necessariò fundari in aliqua entitate supernaturali; cùm enim hæc realis sit, necessariò aduehit secum entitatem realem, quæ nequit esse naturalis, si perfectio ipsa supernaturalis est, vt per se patet. *S. Thom.*

68. Secundò, probatur Conclusio à priori. Quotiescunque ad assensum concurrit motiuum aliquod supernaturale, ille est quoad essentiã supernaturalis. Atque ad assensum Theologicum concurrit motiuum aliquod supernaturale: ergo est quoad essentiam supernaturalis. Maior cõstat quoniam assensus specificatur à motiuo; ergo si illud est supernaturale, assensus quoque erit supernaturalis. Minorem probo quoniam adęquatum motiuum assensus Theologici non est sola dispositio terminorum, seu naturalis connexio vnius extremitatis cum medio, sed etiam supernaturalis connexio alterius extremitatis cum eodem medio: assentior enim huic conclusioni: *Christus est risibilis*, non solùm, quia risibilitas, quæ est alterum cõclusionis extremũ, naturaliter cõnectitur cũ homine, qui est mediũ, cum quo extrema connectũtur in præmissis; sed etiã quia Christus, quod est alterum extremũ conclusionis, fide diuina connectitur cũ eodem homine in præmissis, atq; adeò motiuum adæquatũ,

quo

quo mouetur intellectus ad assensum Theologicum, non est sola naturalis connexio cõclusionis cum medio, sed etiam supernaturalis coniunctio eiusdem cõclusionis quoad alterum extremum cum eodem medio in præmissis. Concurrente autem partiali motiuo supernaturali, totus assensus fit supernaturalis, sicut concurrente partiali causa supernaturali totus effectus, qui producitur, est supernaturalis; vt constat de lumine gloriæ, & intellectu creato partialiter concurrentibus ad visionem beatam.

69. Cuius ratio est: quia quando duæ causæ ambæ in effectum concurrunt, semper superior, vtpote fortior, assimilat sibi effectum, saltem quoad aliquid. Confirmatur quia vel supernaturalitati Theologici assensus obstaret naturalis discursus, quo vtitur Theologus ad conclusiones ex reuelatis deducendas. Et hoc non: quia hic non impedit supernaturalitatem multorum actuũ, quos per scientiam infusam eliciebat Christus Dominus: vel coniunctio alterius motiui naturalis. Et neque hoc impedit, quia ad dandam speciem actui supernaturalem, sufficit alterutrum tantùm motiuum supernaturale.

70. Ex his deducitur non modò, assensum Theologicum, qui infertur ex duabus præmissis supernaturalibus media consequentia naturali, verùm etiam qui infertur ex vna præmissa supernaturali, & altera naturali, esse in essentia supernaturalem: quia ad vtrumque concurrit aliquod motiuum supernaturale, nempe altera saltem præmissa supernaturalis.

71. Ad 1. Oppositæ sententiæ, nego cõsequentiã: ad cuius probationẽ: nego assensum specificari tantùm à motiuo proximo, sed ab adæquato; quòd in casu nostro non est sola connexio naturalis, sed etiam supernaturalis cum medio diuina fide credito.

72. Ad 2. Nego consequentiam: & ad eius probationem Resp. 1. Dialecticum illud axioma intelligendum esse negatiuè, nõ positiuè, vt videlicet nunquã conclusio, sequatur gradum certitudinis præmissæ fortioris; non autẽ vt debeat necessariò sequi gradũ præmissæ debilioris: sed sequi potest certitudinem mediam inter vtrumque gradum: sicut cùm effectus procedit ex duplici causa partiali, non procedit cum specifica perfectione causę perfectioris, neque cũ specifica perfectione causæ imperfectioris, sed cũ media imitante perfectionem vtriusque, vt patet de mulo procedente ex equa & asino, qui procedit media quadam specie imitante naturam vtriusque causæ.

73. Resp. 2. Et meliùs: concesso absolutè Dialectico illo axiomate, nego præmissã naturalem, quando coniungitur cum supernaturali ad illã explicandã, habere tantùm certitudinem naturalem, sed eleuari ex coniunctione cum præmissa supernaturali ad participandum aliquem gradum certitudinis supernaturalis: quia dum præmissa naturalis explicat supernaturalem reuelatam, simul explicat se ipsam implicitè & virtute contineri in supernaturali reuelata, atque adeo participare certitudinem reuelationis supernaturalis, non quidem formalis & expressæ, sed virtualis & implicitæ: & consequenter conclusio deducta ex vna præmissa supernaturali, & altera naturali, etiamsi iuxta Dialecticum principium, sequatur partem debiliorem: erit certior quàm conclusio naturalis: quia non nititur certitudine præmissæ vt naturalis, sed vt participantis certitudinem præmissæ supernaturalis per coniunctionem ad illam: Vt patet in hoc syllogismo: *Christus est homo: homo est risibilis: ergo Christus est risibilis.* Minor naturalis dũ explicat maiorem reuelatã, & creditam fide diuina, simul explicat, se ipsam virtute contineri in maiore ipsa reuelata. Quia cũ propositione reuelata censentur reuelari ea omnia, quæ cum ea sunt naturaliter connexa: atque adeo ex tali explicatione & coniunctione redundat in minorem naturalẽ gradus certitudinis reuelationis implicitæ & virtualis, qui gradus certitudinis communicatur etiam conclusioni.

74. Dices. præmissa naturalis cognita per discursum, vt contenta in præmissa reuelata, creditur fide diuina; ergo vt sic non differt à præmissa reuelata. Resp. Creditur fide diuina virtuali, & implicita, concedo; formali & explicita, nego. Dupliciter enim potest talis præmissa credi ex testimonio diuino, vno modo explicitè & formaliter, si nimirũ discursus naturalis solùm se habeat vt conditio, qua posita intellectus solo testimonio diuino feratur ad eam credendã: alio modo, implicitè & virtualiter, si videlicet eodem discursu explicetur, illam contineri in præmissa reuelata, & simul eodẽ testimonio diuino implicitè & virtualiter credatur ea esse in præmissa supernaturali reuelata: qui est quidam certitudinis gradus inferior quidem fide diuina formali & expressa, superior tamen scientia naturali.

75. Hinc patet, cur quoad reliquas proprietates ineuidentiæ, contingentiæ & probabilitatis, conclusio necessariò sequatur ineuidens, contingens, & probabilis: quia nimirum ineuidentia est pars debilior, & præmissa euidens nequit vllum gradum euidentiæ communicare præmissæ ineuidenti, & creditæ fide diuina; quia hæc excludit à suo motiuo formali omnem rationem naturalem. Perfectio verò probabilis seu contingens non reuelatur implicitè & virtualiter in propositione ipsa reuelata: quia cùm tales perfectiones adesse, & abesse possint integra manente natura propositionis reuelatæ, non intelliguntur in ea implicitè reuelatæ: sicut intelliguntur implicitè reuelatæ eæ perfectiones, quæ naturaliter integrant naturam propositionis reuelatæ, atque adeo propositiones probabiles coniunctæ cum propositione reuelata nullum participant ex

tali coniunctione gradum certitudinis, sed manent in sua pura probabilitate, quam suâpte naturâ habent, & consequenter conclusio, quæ iuxta artem syllogisticam sequi debet partem debiliorem, semper erit probabilis & contingens.

76. Ad tertium nego consequentiam: neque enim supernaturalitati habitûs obesse debet, quòd acquiratur ex nostris actibus; quia quando actus sunt supernaturales, quales sunt assensus Theologici, vt ex eorum motiuo & certitudine supernaturali suprà deduximus, non possunt nisi supernaturalem habitum gignere. Quare ad consequentiæ probationem nego antecedens: etenim ex mea sententia duplex datur genus habituum supernaturalium; alterum infusorum, acquisitorum alterum: illi præcedunt actus, & ad instar potentiæ dant posse simpliciter; vnde à proprijs actibus augeri non possunt: isti subsequuntur actus, & ad instar habituum naturalium necessariò supponunt infusos, tanquam potentias, solùmque conferunt in operando facilitatem, à suisque actibus intenduntur. Fundamentũ meum est: quoniam, vt in Logica docui, habitus acquisiti sunt ipsemet species actuum in potentia relictæ, quæ magis, ac magis perfectæ ac radicatæ per exercitium plurium ac pluriũ actuum, potentiam facilitant ad consimiles actus circa idem obiectum eliciẽdos. Sed actus supernaturales non relinquunt nisi species supernaturales, cùm species sit virtualis imago & repræsentatio obiecti: atque adeo qualis erit actus, talis erit species ab ipso producta, & in potentiâ relicta. Ergo præter habitus supernaturales infusos dantes simpliciter posse, concedendi sunt etiam acquisiti ex actibus ipsis supernaturalibus frequentatis, prębentes tantùm facilitatem circa idem obiectum: vt fusè in 8. tomo disp. 1.

77. Ad quartum nego Maiorem, si loquamur de habitu Theologico inclinãte intellectum ad conclusiones deductas ex principijs reuelatis, creditis fide Diuinâ: quia cùm in hæretico non sit habitus fidei infusæ, non potest ad conclusiones procedere ex principijs reuelatis, creditis fide Diuina, quę necessariò prærequiritur ad perfectum assensum Theologicum.

78. Concedo verò maiorem, si loquamur de habitu Theologico inclinante ad cõclusiones deductas ex principijs reuelatis creditis tantùm fide humana. Verùm hic habitus nõ est in substantia supernaturalis, cùm nullum sit principium supernaturale, ex quo illius supernaturalitas deduci possit, vt supra explicatum est.

79. Ad quintum aliqui causam efficiẽtem supernaturalem assensûs Theologici, assignant ipsos assensus supernaturales fidei in principia ipsa reuelata, qui simul cum intellectu effectiuè influũt in assensum conclusionis. Sed contrà; quia cùm assensus sit actus vitalis, non videtur habere vim actiuè influendi in alium actum vitalem, vt inductione constat de reliquis actibus vitalibus: Solùm enim principia reuelata ad assensum conclusionis Thologicæ concurrunt obiectiuè, sicut omnes pręmissæ ad assensum conclusionis. Quare dicendum est causam efficientem supernaturalem assensûs Theologici, esse ipsum habitum fidei infusæ, quæ non solùm se extendit ad actum fidei formalis & explicitæ, sed etiam ad actum fidei virtualis & implicitæ: qualis est assensus Theologicus in conclusionem; implicitè contentam in præmissis reuelatis.

79. Ex dictis deducitur, certiorem esse conclusionem Theologicam deductam ex vtraque de fide, quàm ex vna de fide, & altera naturali. Fundamentum est: quia quantò conclusio est propinquior principio, ex quo dèducitur, tantò est certior; quia tãtò magis participat certitudinem principij, propter quam ipsa asseritur. Sed conclusio deducta ex vtraque præmissa de fide est propinquior principijs reuelatis, ex quibus deducitur, quàm conclusio deducta ex vna tantùm de fide: ergo. Minor probatur: quia conclusio deducta ex vna tantùm præmissa de fide, continetur in altera de fide, media præmissa naturali; deducta verò ex vtraque de fide continetur nulla media prę-missa naturali, sed tantùm medio discursu naturali; ergo est propinquior principijs, atque adeo certior.

## SECTIO V.

### *An Theologia sit vna scientia.*

80. Prima Sententia negat, Theologiam esse vnam scientiam. Est Goffredi apud Aureolum quæst. 2. Prologi a. 3. Fundamentum est: quia illa scientia non est vna, quæ non habet obiectum formale vnum: Theologia non habet obiectum formale vnum; ergo non est vna. Maior patet: quia vnitas scientiæ sumitur ex vnitate obiecti formalis. Minor probatur primò; quia obiectum Theologiæ est partim practicum, partim speculatiuum: atqui hæc duo nequeunt in vnum obiectum formale simul conuenire, cùm sint rationes primò diuersæ, diuidentes habitum in duas species primò diuersas: vt constat de Ethica & Metaphysica, quæ sunt duæ scientiæ specie diuersæ, non aliunde nisi quia illius obiectum est ens operabile; huius verò speculabile. Secundò Theologia ęquè primò agit de Deo & creaturis; nullus autem conceptus communis est Deo & creaturis, ergo. *Goffredus. Aureolus.*

81. Secunda Sententia docet, Theologiam, quæ conclusiones infert ex vtroque principio reuelato, esse vnam specie scientiam; Theologiam verò, quæ conclusiones infert ex vno principio reuelato, & altero naturæ lumine noto, esse specie diuersam,

eamque,

eamque, in tot specie habitus multiplicari, quot sunt principia naturalia specie diuersa, quæ ad conclusiones Theologicas concurrunt. Est Molinæ P. P. q. artic. 3. Disp. 3. in fine. Granadi in P. P. tract. 1. Disp. 8. Discriminis ratio est: quia prioris obiectum formale semper est idem, ipsa videlicet autoritas Diuina applicata per discursum: posterioris verò obiectum formale semper est diuersum à priore, & interdum varium, iuxta varietatem principiorum, quæ cum reuelato principio ad conclusiones concurrunt. Antecedens quoad primam partem constabit ex dicendis: quoad secundam verò probatur: quia obiectum formale Theologiæ sunt principia ipsa, ex quibus Theologicæ conclusiones inferuntur: atqui hæc sunt diuersa in vtroque assensu; Nam quando vtrumque principium est reuelatum, adequata ratio assentiendi conclusioni est sola autoritas reuelantis, euidenti discursu applicata: quando verò cũ principio reuelato coniungitur aliud principiũ naturale, adæquata ratio assentiendi non est sola autoritas reuelantis, naturali discursu applicata, sed etiam aliud principium lumine naturæ notum. Nam hoc simul cum reuelato integrat adæquatum motiuum assentiendi: quod quia variatur iuxta varietatem principiorum naturalium, variatur & ipsum motiuum formale adæquatum assentiendi: atque adeò tot erunt specie Theologici assensus, quot fuerint specie naturalia principia, quæ cum ipso reuelato principio ad conclusiones concurrunt.

*Molina. Granadus.*

82. Cõfirmatur, nam certior est conclusio deducta ex vtroque principio reuelato, quàm ex vno reuelato & altero naturali: ergo vna specie differt ab alia. Consequentia constat: quia sicut ex maiore certitudine conclusionis Theologicæ supra quamcumque conclusionem naturalem, colligimus specificam diuersitatem inter eas: ita ex maiore certitudine conclusionis Theologicæ deductæ ex vtroque principio reuelato, & vno reuelato & altero naturali, colligere debemus specificam diuersitatem inter illas.

83. TERTIA Sententia affirmat, Theologiam esse vnam scientiam. Est omnium Theologorum, tum in Prologo sententiarum, tum cum S. Tho. P. P. q. 1. a. 3. Variant autem in assignanda radice huius specificæ vnitatis: omnes tamẽ conuenire debent, eam desumendam esse ex vnitate obiecti formalis; Nam, vt constat ex Philosophia, radix omnis specificationis, atque adeo vnitatis potentiarum, actuum, & habituum desumẽda est ex obiecto formali. Quare si probauero Theologiæ obiectum formale esse vnum, efficaciter probauero eam esse vnam. Rursus, quia habitus Theologicus generatur ex actibus, & actus non generant nisi habitum sibi similẽ: si probauero omnes assẽsus Theologicos niti eadẽ ratione & motiuo formali, efficaciter etiam probauero, eadem ratione & motiuo formali niti habitum Theologicum, cùm idem sit motiuum formale habitus & actus: Hoc autem sic probo.

*S. Thom.*

84. Vnitas obiecti formalis assensûs desumitur ex vnitate rationis, quâ potentia ipsa mouetur ad assensum eliciẽdum. Atqui ratio, qua intellectus mouetur ad assensum Theologicum eliciendum, est vna specie: ergo & assensus Theologicus erit vnus specie. Maior patet: quia quod mouet potentiam ad actum, concurrit vt causa proxima ad illum efficiendum, atque adeo illi speciem & vnitatem tribuit: omnis quippe causa proxima, vt inductione constat, speciem tribuit effectui, quem producit. Minorẽ probo: Nam ratio proxima, qua mouetur intellectus ad assentiendum conclusioni Theologicæ, est ipsa reuelatio Dei virtualis, quæ eadem est in omni assensu Theologico. Maior elucet: Nam ratio proxima assentiendi conclusioni Theologicæ est, quia illa implicitè & virtualiter continetur in aliquo principio reuelato, & propter hac virtualem continentiam illi assentimur. Igitur proximum motiuum assensus Theologici est reuelatio Dei virtualis. Minor probatur, quia omnis assensus Theologicus supponit aliquod principium reuelatum, ex quo per naturalẽ discursum deducit nouam veritatem: ergo ad omnem assensum Theologicum concurrit virtualis reuelatio, vt ratio proxima assentiendi. Consequentia constat: Nam virtualis reuelatio non est aliud, quàm ipsa virtualis continentia conclusionis in principio reuelato: ergo hoc ipso, quòd intellectus assentitur conclusioni propter implicitam & virtualem ipsius continentiam in principio reuelato, mouetur ad assentiendum propter virtualem reuelationem.

85. Confirmatur: Nam quemadmodum omnes assensus fidei sunt eiusdem rationis, eò quòd omnes nitantur eodem motiuo reuelationis formalis: ita omnes assẽsus Theologici erunt eiusdem rationis, eò quòd omnes nitantur eodem motiuo reuelationis virtualis. Neque principium naturale coniunctum cum supernaturali reuelato variat hanc virtualem reuelationem, quia non concurrit præcisè vt naturale, sed vt participans virtualem reuelationem: quia concurrit vt virtualiter contentum in principio ipso reuelato.

86. Hinc deducitur 1. Assensum Theologicum, qui nititur principio reuelato credito Fide humana, esse diuersum specie ab assensu Theologico, qui nititur principio reuelato credito Fide Diuina: & consequenter habitus vtriusque esse etiam specie diuersos: siquidem motiuum vnius est testimonium humanum, motiuum verò alterius est testimonium Diuinum virtuale: quæ duo motiua specie differunt inter se. Omnes tamen assensus Theologici ex principijs reuelatis creditis fide humana sunt eiusdem speciei, quia omnes nituntur eodem motiuo proximo Fidei humanæ.

87. Deducitur 2. Theologiam non esse vnam simplicem qualitatem, sed plures habitus distinctos numero, quorum vnusquisque inclinat ad distinctam numero conclusionem, sub eâdem tamen ratione formali, sub qua omnes conueniunt. Est Aureoli q. 2. Prologi art. 4 ad *prima obiecta*, Molinæ & Granadi loco præcitato. Fundamentum est: quoniam in mea sententia, ad quam teste Capreolo q. 3. Prologi ar. 1. post primam conclusionem S. Tho. magis inclinat, eamque apertè docet Scotus in Prologo q. 2. Laterali §. *de* 2. quiuis habitus acquisitus consistit in speciebus relictis ex præteritis actibus in potentia. Atqui species vnius assensus numero differunt à speciebus alterius assensus. Ergo. Confirmatur quoniam non statim acquisito habitu ad vnam conclusionem, acquiritur habitus circa reliquas: ergo habitus inclinans ad vnam est numero distinctus ab habitu inclinante ad alias.

*Aureolus. Molina. Granadus.*

*Capreolus. S. Thomas. Scotus.*

88. *Obiicies* 1. Reuelatio virtualis in Theologia se habet, vt abstractio in scientijs: sed abstractio in scientijs non habet rationem motiui, sed puræ conditionis: ergo & reuelatio in Theologia. Confirm. Nam ratio motiua debet esse intrinseca obiecto formali: sed reuelatio non est intrinseca obiecto formali Theologiæ, cùm sit extrinseca denominatio ab actu Dei reuelantis. Resp. Nego Maiorem: Nam abstractio in scientijs non est motiuum assensus scientifici, sicut virtualis reuelatio est motiuum Theologici assensus in Theologia. Ad Confir. Nego Maiorē, vt patet in obiecto Fidei, cuius ratio formalis est auctoritas dicentis, quæ non est intrinseca obiecto credendo. Vt enim ratio formalis possit mouere intellectum ad assensum, sufficit, vt cum illo apprehendi possit per modum vnius.

89. *Obiicies* 2. Assensus scientifici specificantur à conclusionibus: ergò etiam Theologici. Confir. Nam Theologus diuersos format conceptus de Deo Trino & Vno, atque de Sacramentorum institutione. Resp. Negando antecedēs: etenim assensus scientifici specificantur à medijs, quæ sunt principia ipsorum assensuum, non autem à conclusionibus. Vnde quando diuersæ conclusiones diuersis cognoscuntur medijs, diuersos pariunt assensus, non propter diuersitatem ipsarum conclusionum, sed mediorum, quibus illæ cognoscuntur: eodem enim medio plures possunt conclusiones diuersæ cognosci, & probari. Cùm igitur omnes conclusiones Theologicæ nitantur vnico medio reuelationis virtualis, non specificabunt diuersos assensus.

90. Ad Confirmationem concedo de conceptibus apprehensiuis, qui præcedunt assensum illatiuum, vt conditiones prærequisitę: Nego autem de assensu ipso illatiuo. Explico; vt intellectus possit elicere hunc assensum: *Christus est risibilis*; *Pater distinguitur à Filio*: priùs formare debet simplices conceptus terminorum, nempe de Christo risibili, & de Patris à Filio distinctione: qui quoniam sunt de terminis diuersis, ipsi etiam erunt specie diuersi: verùm non in ijs consistit formalis assensus Theologicus, quem tales conceptus apprehensiui solùm præcedunt vt conditiones prærequisitæ, sine quibus assensus ipse elici non posset; sed in actu illatiuo, quo cōclusio infertur ex principio reuelato, vt in eo virtualiter contenta. Et quia hæc virtualis continentia est eadem in omni assensu Theologico, omnis assensus Theologicus erit eiusdem rationis, etiamsi supponat conceptus apprehensiuos terminorum diuersæ rationis, vt conditiones necessariò prærequisitas: Quia, vt docet S. Thomas p. 2. q. 8. art. 3. & Scotus in Prologo q. 2. Laterali §. *de secundo*, necesse est, vt eodem actu simul cognoscatur principium, & inferatur conclusio: id tamen, à quo actus specificatur, est ipsum motiuum formale, quo intellectus mouetur ad assensum conclusioni præbendum.

*Thomas. Scotus.*

91. *Obiicies* 3. Sæpè Theologia ad suas conclusiones tuendas vtitur principijs purè naturalibus; ergo non potest esse vna. Resp. Nego Theologiam, quà Theologia est, vti principijs naturalibus ad suas conclusiones tuendas, sed quà coniunctas habet in eodem subiecto alias scientias: quarum ministerio vtitur ad suas conclusiones tuendas. Sicut interdum vna virtus vtitur ministerio alterius ad se ipsam tuendam; veluti castitas ad se ipsam contra corruptorem tuendam vtitur ministerio fortitudinis.

92. *Obiicies* 4. Deus in reuelanda Theologia se habet vt præceptor: sed possunt ab eodem præceptore plures scientię addiscī; ergo potest homo plures habitus Theologicos distinctos habere. Resp. Distinguendo Maiorem: habet se Deus in reuelanda Theologia, vt præceptor proponens reuelata, solâ proponentis auctoritate credenda, concedo: & tunc nego, ab eodem præceptore plures addiscī posse scientias: quia tunc omnia creduntur sub eodem motiuo formali auctoritatis præceptoris proponentis. Habet se Deus in reuelanda Theologia, vt præceptor proponens reuelata, cognoscenda sub proprio motiuo, & ratione formali intrinseca ipsarum rerum, quę proponuntur cognoscenda, nego: In quo tantùm casu multiplicarentur scientiæ ad multiplicationem rerum, quæ proponuntur cognoscendę.

93. Ad Fundamentum 1. Nego Minorem: & ad eius primam probationem nego practicum & speculatiuum non posse sub vna ratione formali conuenire, vt patet de Fide, quæ sub vno motiuo formali Diuinæ reuelationis tendit ad vtrumque obiectum practicum & speculatiuum; eadem quippe Fides credit Deum esse Trinum & Vnum, & simul summè diligendum, quod est practicum obiectum. Neque Ethica & Metaphysica ex eo tantùm specie differunt, quòd vnius obiectum sit practicum, alterius verò speculatiuum, sed quia non habent vnam ra-

tionem

tionem formalem communem, vt ex Philosophia suppono. Ad 2. Nego Maiorem: Nam de Deo agit Theologia primariò, de creaturis verò secundariò, & in ordine ad Deum.

94. Ad Fundamentum 1. Patet ex dictis: falsum enim est principiũ naturale specificè variare adæquatũ motiuum assensus Theologici; quippe quod ad assensum non concurrit, nisi vt virtualiter reuelatum, & implicitè cõtentum in ipsa propositione expressè reuelata, sub qua ratione omnia principia naturalia conueniunt. Ad Confir. Nego consequentiam: Nam maior illa certitudo, qua vna conclusio Theologica differt ab alia, non est diuersæ speciei; quippe cùm vtraque pendeat ab eadem reuelatione virtuali, sed maioris duntaxat intensionis intra eundem gradum certitudinis Theologicæ.

## SECTIO VI.

### *An Theologia sit practica, an speculatiua, an vtraque simul?*

95. Ad Definiendum, an Theologia sit practica, an speculatiua, definiendum priùs est, quid practicum, quid speculatiuum sit. Est autem speculatiuæ scientiæ, teste Philosopho 2. Metaphysices cap. 1. intrinsecus finis veritas; practicæ verò opus. *Aristoteles.* Opus igitur quod & πρᾶξις Græcè dicitur, obiectum est practicæ scientiæ: sicut & veritas, ipsa videlicet rei notitia, obiectum est speculatricis scientiæ: Vnde hæc gratia sui esse dicitur, quia suæ solius contemplationis causâ est; illa verò gratiâ alterius, quia non consistit in sola veritate sui obiecti cognoscenda, sed vlteriùs tendit ad actum, seu opus à se distinctum dirigendum regulandúmve: Vnde quidquid est intellectuali notitia regulabile, siue dirigibile, obiectum est practicæ scientiæ. Quare falsò Scotus q. 4. Prologi *Scotus.* §. *dico igitur*, ab obiecto practicæ scientiæ excludit actum intellectus; definiens praxim, ad quam cognitio practica se extendit: esse *actum alterius potentiæ, quàm intellectus, naturaliter posteriorem intellectione, natum elici conformiter rationi rectæ, ad hoc vt sit rectus*: etenim non solùm operationes externæ, internæque appetitus, sed ipsæ etiam operationes intellectus sunt regulabiles, & dirigibiles per notitiam practicam priorem; vt omnes speculatiuæ scientiæ practicè diriguntur per Logicam, cuius est omnes scientias regulare, & per certas regulas syllogisticæ formæ dirigere. Item omnes actus scientiarum sunt moraliter regulabiles à virtute studiositatis; cuius est certũ modũ in studendo præscribere iuxta regulas prudẽtię.

96. Ex his colligitur 1. In actibus duplicem reperiri posse rectitudinem, alterã moralem in ordine ad mores; alteram artificialem in ordine ad artem. Potest enim interdum opus rectum esse secũdùm artem, obliquum verò secundũ mores: & vice versâ, rectum secundùm mores, si recto fine & intẽtione fiat, obliquum verò secundùm artem, si regulas artis non attingat.

97. Colligitur 2. Non solùm actiones, & factiones, quæ sunt circa externa opera, sed ipsas etiam speculationes esse obiecta scientiæ practicæ, ac proinde praxes, sub diuerso tamen respectu: Nã dicitur speculatio, quatenus est cõtemplatio veritatis; praxis verò, quatenus ipsa veritatis cõtemplatio regulatur à scientia practica secundùm circumstãtias loci, temporis, & modi speculandi.

98. Colligitur 3. Non sat esse, vt scientia sit practica, vt versetur circa obiectũ suapte natura operabile, quãuis hoc necessariò requiratur; sed necessarium præterea est, vt versetur modo practico. Etenim dupliciter versari potest notitia circa obiectum operabile, vno modo cognoscendo tantùm naturam ipsius; alio modo dictãdo de modo ipso, quo tale opus est factibile. Prior est cognitio speculatiua, posterior practica.

99. Colligitur 4. Notitiam practicam supponere in ipso sciente liberã facultatem exercendi opus, cuius notitia ipsa practica est directiua. Defectu huius facultatis non est in Angelis practica scientia de castitate, eò quòd nulla in ijs sit facultas eliciendi castitatis actus. Defectu liberæ facultatis nequit de nutritione & augmẽtatione esse sciẽtia practica in homine, quia tales actus non sunt in libera potestate hominis, atque adeo nec ab ipso practicè dirigibiles.

100. His adnotatis, difficultas est, an Theologia nostra sit practica, an speculatiua, an vtraque simul. Suppono autem ex cõmuni sententia scholasticorum, contra Ægidium q. vlt. Prologi & Argentinam q. 4. artic. 3. scientiam adæquatè diuidi in speculatiuam & practicam, nec dari tertium genus scientię, quę nec sit practica nec speculatiua, sed tantùm affectiua, qualem præcitati Autores contendunt esse nostram Theologiã: eò quòd illa pro obiecto respiciat affectionem seu dilectionem Dei: quæ nec est speculatiua, cùm sit nobilior speculatione; nec practica, cùm eius obiectum non sit operabile à nobis. Etenim falsum est Theologię nostræ obiectũ esse dilectionem Dei; & esto sit, illam neque esse speculatiuam: neque practicam: nam aut versabitur circa illam contemplando naturam ipsius, & sic erit speculatiua: aut dirigendo media ad ipsam consequendam, & sic erit practica. Neque ad hoc, vt scientia sit practica, requirit vt immediatè possit operari circa finẽ, sed sat est si operari possit circa media, quibus finem consequimur; alioqui nulla virtus, quæ circa Deũ versatur, posset esse practica: eò quòd nulla virtus immediatè operari possit circa Deum. *Ægidius. Argentin.* Hoc autem supposito,

101. Prima Sentẽtia docet Theologiã nostram esse tãtum practicam est Scoti q. 4. Prologi. §. *ad quam igitur*. Aureoli q. 3. art. 1. & aliorum. Fundamentum est: quia omnis Theologica notitia ordinatur ad cõsecutio-

nem vltimi finis: ergo omnis Theologica notitia est practica: ergo & habitus ex ea genitus. Posterior consequētia claret: quia habitus gignitur ex actibus. Prior patet: quia illa notitia est practica, quæ non est gratia sui, sed est directiua alterius actus operationisve. Antecedens probatur; quia omnis Theologica notitia, est de obiecto homini à Deo reuelato. Atqui omne obiectum hominì à Deo reuelatum, vltimatè dirigitur ad cōsequutionem vltimi finis. Maior est certa: quoniā Theologiæ principia sunt veritates ipsæ reuelatæ. Minor constat: Nam obiectū homini à Deo reuelatum est sacra scriptura, quæ tota dirigitur ad consequutionem vltimi finis per obseruantiam præceptorū, iuxta illud Christi Domini Matth. 22. *In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ.* Confirmatur, quia Theologia est quædam scientia directiua omnium virtutum; dirigit enim hominem per consentanea media ad suum finem consequendū: media autem quibus homo suū finem cōsequitur, sunt virtutes tum morales, tū infusæ: igitur Theologia est directiua omnium virtutum, atque adeo practica.

*Matth. 22.*

102. SECVNDA Sententia affirmat. Theologiam nostram esse tantùm speculatiuam. Est Henrici in summa ar. 8. q. 3. Marsilij q. 3. Prologi ar. 5. Fundamentum est: quia licet Theologia nostra multa de virtutibus practicè disputet, quia tamen hęc ipsa, quę de virtutibus practicè disputat, ordinantur ad speculationem; dirigit enim animū ad virtutes, vt illis acquisitis, liberiùs possit veram Theologiam speculari; simpliciter dicenda est speculatiua. Confirmatur: Nam sicut è contrario, scientia moralis est practica, etiāsi multa de virtutibus speculatiuè disputet; eò quòd hæc ipsa speculatio dirigitur ad praxim: ita Theologia dici debet speculatiua, esto multa de virtutibus practicè tradat; eò quòd hæc ipsa ordinantur ad speculationem.

*Henricus. Marsilius.*

103. TERTIA Sententia docet, Theologiā nostrā partim esse speculatiuam, partim practicam: est S. Th. p. p. q. 1. ar. 4. & ferè omniū Scholasticorū in Prologo sententiarū. Dissensio tamen est inter eos, quo pacto Theologia sit speculatiua & practica simul. Aliqui putant hoc conuenire Theologiæ ratione diuersorum habituum partialium, quibus constat: alij ratione vnius eiusdemque indiuisibilis habitus; & hoc vel eminenter, vt Caiet. p. p. q. 1. ar. 4. Medina p. 2. q. 3. a. 5. & alij; Vel formaliter, vt reliqui. Pro cuius Controuersiæ explicatione,

*S. Thomas. Reliqui Scholastici.*

*Caietanus. Medina.*

104. DICO. 1. Theologia nostra non est tantùm practica, nec tantùm speculatiua; sed partim practica, partim speculatiua. Fundamentum est, quia Theologia nostra nec solū agit de rebus operabilibus, nec de speculabilibus solū; sed de vtrisq; simul, idq; per se: ergo nec tantū est practica, nec tantùm speculatiua; sed partim practica, partim speculatiua. Consequentia constat, quia scientia dicitur practica, vel speculatiua ex obiecto, & modo, quo de illo tractat; ergo si per se de obiecto tractat modo practico, & speculatiuo simul, non erit tantùm practica, nec tantùm speculatiua; sed partim practica, partim speculatiua. Antecedens probatur: Nam Theologia per se disputat de vltimo fine, de actibus humanis, de virtutibus, de legibus, de Sacramentis, quatenus hæc omnia hominem dirigunt, & conducūt ad vltimū finem: per se etiam disputat de Deo, vt in se ipso est vnus in essentia, Trinus in personis, & principium omnium operū ad extrà. Atqui priora sunt operabilia, posteriora speculabilia; ergo per se disputat de vtrisque.

105. DICO 2. non repugnat, quin vnus & idem habitus sit formaliter practicus, & formaliter speculatiuus; quin de facto in Theologia nostra datur aliquis habitus, qui simul sit formaliter practicus & speculatiuus. Primum probo, quia non repugnat, quin aliqua notitia sit, practica & speculatiua simul: ergo nec habitus. Consequētia patet: quia habitus fit ex actibus. Antecedens ostendo I. in cognitione quam Deus habet de creaturis, quæ quatenus eas exprimit secundùm proprias notas & naturas, est speculatiua: quatenus verò ostendit modum eas fabrefaciendi, directiuaque est praxeos, est practica: 2. In visione ipsa, quam Beati habent de Deo, quæ quatenus pura cōtemplatio est Diuinæ essentiæ, est speculatiua; quatenus verò simul est practicum iudicium de increata bonitate Dei summè diligibili, est practica, sic enim est directiua voluntatis ad amorem erga Deum. 3. à priori. Quia practicum subordinatur speculatiuo: practicum enim est, quod est directiuum praxis: sed hoc non repugnat cum speculatiuo, sed supponit illud, & vlteriùs addit extēsione ad praxim. Quapropter Aristotel. dixit intellectum extensione fieri practicum: Quia nimirum ipsa cognitio speculatiua rei, si vlteriùs extendatur ad modū conficiendi rem ipsam in ordine ad existentiam, fit practica. Igitur non repugnat, quin eadem notitia sit speculatiua, & practica simul.

*Aristotel.*

106. DICES cognitio speculatiua includit negationem congitionis practicæ: ergo nequit eadem esse practica, & speculatiua simul. Consequentia patet. Antecedens probo: Quia cognitio speculatiua sistit in sola contemplatione veritatis; ergo excludit cognitionem practicam. Confir. Quia, si notitia practica supponeret speculatiuam, nunquam practica cognitio esse posset sine speculatiua: cuius tamen oppositum experimur in opificibus, qui habent notitiam practicā de opere faciendo, absque speculatiua de natura & essentia eiusdem. Resp. Distinguendo antecedens: includit permissiuè; & concedo: includit incompossibiliter; & nego: sicut materia permissiuè includit negationem formæ ignis, quia potest esse sine illa, non autem incompossibiliter, quia non repugnat esse cum illa. Ad probationem antecedentis, distinguo etiam antecedēs: sistit

in

in sola contemplatione veritatis, quà speculatiua est; & concedo: quà etiam practica esse potest: & nego. Ad Confir. nego sequelam maioris. Non enim dicimus, notitiam practicam necessariò supponere speculatiuam, sed non repugnare cum illa. Est enim notitia speculatiua cognitio de essentia, & proprietatibus rei, quę non necessariò supponitur ad practicam, quæ tantùm dictat de modo operandi: non tamen repugnat esse cum illa.

107. Probata prima parte conclusionis, probatur 2. Nempe quòd in nostra Theologia de facto detur aliquis habitus, qui simul sit formaliter practicus & speculatiuus: nam de facto datur aliqua cognitio, quæ exprimit naturam rei, & simul dirigit ad praxim; qualis est notitia bonitatis increatæ, nec non virtutis, quæ simul explicat naturam obiecti, & dirigit ad amorem erga illud. Quòd autem talis habitus sit formaliter, & non eminenter speculatiuus & practicus, probatur: quia ille habitus est formaliter speculatiuus & practicus, cui formaliter conuenit ratio speculatiui & practici: atqui huiusmodi habitui formaliter conuenit ratio speculatiui & practici; quia formaliter est notitia veritatis, & simul directio praxis: ergo.

108. Dico 3. Theologia nostra constat ex multis habitibus speculatiuis, & ex multis practicis; atque adeo totaliter sumpta nec simpliciter speculatiua, nec simpliciter practica; sed partim speculatiua, partim practica dici debet: partialiter verò accepta, vel pro habitu tantùm speculatiuo, vel pro habitu tantũ practico, dici potest, & debet speculatiua, vel practica. Omnia constabũt, si tantùm primum assumptum fuerit probatum: illud autem à priori sic probo. Obiectum Theologię est Deus tum secundùm se, tum vt finis à nobis consequibilis: sed consideratus secundùm se necessariò parit habitum speculatiuum; quia vt sic consideratur tantùm ratione veritatis à nobis cognoscibilis: consideratus verò vt finis, medijs nostris actibus consequibilis, necessariò parit habitum practicum; aut qui simul sit speculatiuus circa naturam & essentiã tam finis, quã mediorũ; aut qui tãtùm sit practicus directiuus tãtùm mediorũ ad finẽ. Nam, vt sic, consideratur vt terminus consequibilis per nostras operationes, & consequenter nostrę operationes habent se vt praxes dirigibiles per habitum Theologicum, ergo Theologia nostra totaliter sumpta habet aliquos habitus putè speculatiuos, aliquos putè practicos, vel simul speculatiuos & practicos, à quibus denominari potest, & debet partim speculatiua, partim practica.

S. Thomas. 109. Cæterùm an debeat appellari magis speculatiua, an magis practica: S. Th. & Thomistæ in priorẽ partem inclinant; alij in posteriorem, ego in neutrã: sed censeo illã æquè speculatiuam, ac practicã appellandam esse. Fundamentũ est: quia Theologia nõ minùs cõsiderat Deũ, vt finem cõsequibilẽ per humanos actus, quàm secũdùm se, & vt principium est creaturarum: ergo non minùs considerat illum, vt est obiectum virtutis practicè cõsequibile, quàm vt est obiectum virtutis speculatiuè cognoscibile.

110. Ad fũdamentũ primæ nego antecedẽs: sola enim cognitio Dei vt vltimi finis pro se ordinatur ad cõsequutionẽ illius. Ad prob. verò antecedentis, distinguẽda est minor: nam omne obiectũ à Deo homini reuelatum, vltimatè dirigitur ad consequutionẽ vltimi finis, ex extrinseca duntaxat intẽtione reuelantis, non autẽ ex intrinseca natura, & cõditione obiecti, quod tantũ spectãdum est in ratione practici & speculatiui in sciẽtijs: alioqui ex sola intẽtione scientis omnis sciẽtia, quãtũuis speculatiua, fieri posset practica per extrinsecã duntaxat ordinationem ad praxim. Eodẽ modo respõdetur ad prob. minoris: etenim concedo, obiectum homini à Deo reuelatũ, esse scripturam sacrã; Nego autem quidquid in scriptura sacra continetur per se, & ex intrinseca natura obiecti, sed solùm ex extrinseca intentione reuelãtis ordinari ad cõsequutionem vltimi finis. Ad Confir. nego maiorem, si intelligatur de tota Theologia; quia hæc non tãtũ est directiua virtutum; sed etiã speculatiua Dei.

111. Ad Fundamentũ secundæ, negãda est minor de ordinatione per se, & intrinseca ipsi obiecto: alioqui Ethica, quã multi Prisci Philosophi addiscebãt, vt liberiùs opera naturæ contẽplarẽtur, fuisset in ijs habitus speculatiuus, quia ex intẽtione ipsorum ordinabatur ad speculationem. Ad Confir. Nego Ethicam ex eo tantùm dici simpliciter practicam, quia ea, quæ speculatiuè in ipsa tractantur ad praxim diriguntur, extrinseca duntaxat intentione scientis, sed quia id postulat natura & conditio ipsius obiecti. Cùm enim obiectum scientiæ moralis sit virtus: virtus autẽ magis postulet, vt subiectũ perficiat per suum esse reale, quàm per suum esse intentionale, cognitio ipsius suãpte naturã ordinatur ad praxim, atque ad ipsum reale exercitium virtutis.

## SECTIO VII.

### *An Theologia nostra subalternetur Theologiæ Dei, & beatorum?*

Capreolus. Caietanus. Nazareus. 112. Prima Sententia affirmat. Est Capreoli q. 1. Prologi cõclusio. 2. Caiet. P. P. q. 1. ar. 2. §. *quoad secundum*. Nazarij controuersiã secundã. Fundamentum est, quia Theologia nostra habet quidquid requiritur ad essentialẽ rationem subalternationis respectu scientiæ Dei & beatorũ. Antecedẽs probant: quia, quod essentialiter ad rationẽ subalternationis requiritur, est vt subalternata sua principia accipiat à subalternante, vt per continuationem cũ illa sortiatur rationem scientiæ. Sed Theologia nostra sua principia accipit à sciẽtia Dei & Beatorũ, & per continuationẽ cum illa sortitur rationẽ scientiæ; ergo est illi subalternata. Maior est

S. Tho-

*S.Thomas.*

*S.Thomas.* S. Tho. 1.p.q.1.ar. 2. Minor probatur quoniã Theologia nostra procedit ex articulis Fidei, tanquam ex principijs creditis, & acceptis ex scientia Dei, & Beatorũ, in qua tantùm sunt euidentes: ergo habet quidquid requiritur ad essentialem rationẽ subalternationis. Cõfirmatur, & est exemplum S. Doctoris: quia sicut Medicus subalternatur Physico, cuius auctoritate credit, esse quatuor elementa: ita viator fidelis subalternatur Deo, cuius auctoritate credit ea, quæ per suos nuncios reuelat.

*Scotus. Aureolus. Reliqui Scholastici.* 113. Secunda Sententia negat. Est Scoti in Prologo q. 5. Laterali Aureoli. q. 1. ar. 3. & reliquorum Scholasticorum, quæ vti cõmunior est, ita probabilior & à nobis amplectẽda. Fundamentum est; quia ex omniũ sentẽtia ad prefectã subalternationẽ non sat est, vt sciẽtia subalternata accipiat principia à subalternante; sed præterea requiritur, vt obiectum subalternatę addat aliquã differentiam accidẽtalem supra obiectũ scientiæ subalternantis, quæ sit principiũ aliquarũ conclusionum pertinentiũ ad solã scientiam subalternatam; velut obiectũ perspectiuę, quę subordinatur Geometrię, supra lineã, quę est obiectũ Geometriæ, superaddit visualitatẽ, quæ in perspectiua est principium multarũ conclusionum, quæ spectant ad solam perspectiuam. Hanc conditionẽ non addit Theologia nostra supra Theologiam Dei & Beatorum: ergo non est illi subalternata. Maior est omnium Philosophorũ & colligitur ex Arist. 1. Posteriorũ 10. cuius rationẽ assignat Scotus: quia vbi definit subalternans, ibi incipit subalternata ad nouas conclusiones vlteriùs demonstrandas. Minor prob. nam obiectum Theologiæ nostræ & Beatorũ est idẽ, nempe Deitas sub ratione Deitatis: nec vlla est conclusio in Theologia nostra, quæ non sit nota in scientia Beatorum.

*Aristotel.* *Scotus.*

114. Nec satisfaciunt aduersarij, dicẽtes, obiectũ Theologiæ nostræ distingui ab obiecto Beatorũ per reuelationem obscurã, & clarã, siue per lumẽ obscurum fidei, & clarũ gloriæ: quia lumẽ obscurũ siue reuelatio non est ratio aliqua, tenẽs se ex parte obiecti materialis, quæ sit principiũ alicuius conclusionis in Theologia nostra, cuius principiũ non sit obiectũ ipsum in Theologia Beatorũ: cũ nulla conclusio sit in Theologia nostra, quæ non cognoscatur à Beatis vi scientiæ Beatæ.

115. Ad fundamentum. 1. Nego antecedens: ad cuius prob. neganda est Maior; & ad autoritatẽ S. Th. dicendũ nunquã illum expressè docuisse, Theologiã nostrã subalternari Theol. Dei, & Beatorũ, sed habere se ad instar scientiæ subalternatæ: quod notauit Banez in 1. p.q.1.ar 2.ad tertium. Vnde citato loco Primæ partis solùm dicit Theologiam nostrã procedere *ex principijs notis lumine superioris scientiæ, scilcet Dei & Beatorũ:* sicut Perspectiua procedit ex principis notis lumine superioris scientiæ, nempe Geometriæ. Cùm enim hæc sit vna ex cõditionibus, ad subalternationem requisita, meritò in hac

*S.Thom.*

*Bannez.*

S. Th. Theologiam nostram respectu Theologiæ Dei & Beatorũ cõparat perspectiuæ respectu Geometriæ. Cæterùm, quia non participat reliquas cõditiones essentiales, non est perfectè subalternata. Ad Confir. Nego paritatem: Nam Medicina subalternatur Physicæ per additionem nouę rationis sanabilitatis, tenentis se ex parte obiecti vt principij multarũ conclusionum, quæ ad solã spectant medicinam: non ita Theologia nostra Theologiæ Dei & Beatorum. S. Tho. autem vsus est exemplo, solũ ad ostendendam primam conditionem subalternationis.

116. Ex dictis deducitur 1. Theologiam nulli scientiæ naturali subalternari: nam etsi interdũ vratur aliquo principio naturali ad suas conclusiones probandas, eo tamen non vtitur, vt naturale est formaliter, quo pacto est principiũ sciẽtiæ naturalis, sed vt virtualiter reuelatum in ipso principio supernaturali reuelato: quo pacto trahitur ad rationẽ ipsam formalem obiecti Theologici: Tum quia non vtitur illo, vt in eo se principaliter fundet; sed tãquam instrumento ad suas cõclusiones melius explicandas.

117. Petes an saltẽ scientiæ naturales subalternentur Theologiæ? Resp. Negatiuè, loquendo de propria subalternatione: quia cũ Theologia nitatur ineuidẽtiâ suorum principiorum, reliquæ verò scientiæ naturales euidentiâ principiorũ, non possunt scientiæ naturales sua principia accipere à Theologia, quę procedit ex principijs obscuris, solo testimonio Dei virtuali creditis. De impropria verò subalternatione nõ est negandũ siquidẽ Theologia reliquas sciẽtias naturales regulat quoad veritatẽ suorũ principiorũ. Cùm enim Theologia sit certior quauis sciẽtia naturali propter principia reuelata certiora, potest illas quoad veritatem suorum principiorum regulare.

118. Deducitur 2. Neque Theologiã nostram subalternari habitibus infusis. Quoniã vel hi sunt habitus morales existentes in voluntate: atqui nullus habitus intellectualis, qualis est Theologicus, subalternari potest habitui morali existenti in voluntate: Tum quia subalternatio dicit subiectionẽ, quã nõ habet habitus intellectualis ad habitũ moralẽ, sed potiùs contrà: tum quia principia vnius sũt diuersa à principijs alterius, & cõsequenter non potest vnus habitus vti principijs alterius: vel sunt intellectuales, vt est habitus fidei: & neque huic propriè subalternatur Theologia, sed tantũ impropriè: sicut dicitur habitus scientiæ, subalternari habitui principiorũ. Nã ita se habet Theologia ad habitum fidei, sicut habitus sciẽtificus ad habitum principiorum: sicut enim habitus principiorũ immediatè tẽdit ad cognoscẽda principia, quæ deinde cognita, sunt medium cognoscendi conclusiones: ita habitus fidei immediatè tendit ad credendos articulos reuelatos, qui deinde crediti sunt medium, siue principium cognoscendi conclusiones Theologicas.

SECTIO

# SECTIO VIII.

## An Theologia nostra perseueret in Beatis.

Heruæus. Capreolus.

119. PRIMA sententia negat: est Heruæi q. 6. Prologi *ad primã q.* Capreoli q. 1. a. 2. *ad quartum secundo loco adductũ contra sextã conclusionem.* Gabrielis in 3. Dist. 31. a. 3. dubit. 3. Medinæ P. 2. q. 67. a. 2. Molinæ 1. p. q. 1. art. 2. Disp. 3. in fine, Valent. q. 1. puncto 3. §. 5. *habitus.* Zumel q. 1. concluſ. 2. Faſoli dubit. 8. Granadi Diſput. 4. Gillij lib. 1. tract. 2. c. 8.

Gabriel. Medina. Valentia. Zumel. Faſolus. Granadus. Gillius.

Fundamentũ eſt, quia Theologia eſt habitus eſſentialiter obſcurus; ergo non manet in Beatis. Conſequentia conſtat: alioqui in illis maneret etiam fides, cũ ſit æqua ratio vtriuſque: atqui fides non manet, vt eſt commune Theologorum placitum; ergo nec Theologia. Anteced. probatur: quia Theologia gignitur ex actibus Theologicis eſſentialiter obſcuris, cũ nitantur teſtimonio Dei virtuali. Confirmatur, quia talis habitus eſſet in Beatis otioſus; cùm enim non poſſet inclinare, niſi ad aſſenſus obſcuros, quia nequit inclinare, niſi ad actus conſimiles ijs, quibus eſt genitus; & in Beatis nequeat eſſe aſſenſus Theologicus obſcurus; cõſequẽter eſſet in ijs talis habitus otioſus. Secũdò probatur ex illo primæ Corint. 13. *Siue Prophetiæ euacuabuntur: ſiue ſcientia deſtruetur: ex parte enim cognoſcimus. Cùm autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt.* Ergo Theologia noſtra, quę obſcurè, & imperfectè Deum cognoſcit, accedente clara viſione Dei, ceſſabit.

1. Corint. 13

Caietanus. Bannez. Henriquez. S. Thomas.

120. SECVNDA ſententia affirmat. eſt Caiet. 1. p. q. 1. art. 2. §. *quoad ſecundũ.* Bannez dubio tertio. Henriquez libro vltimo de fine hominis c. 1. eaque apertè colligitur ex S. Tho. 1. p. q. 89. ar. 5. & p. 2. q. 67. a. 2. in quibus docet, in animâ ſeparatâ manere omnes ſcientias acquiſitas. Nec rectè Medina id explicat de ſcientijs dũtaxat naturalibus euidentibus, quæ non pugnant cum clara viſione Patriæ: Nam S. Tho. intelligit etiam de Theologia, vt patet ex argumento. *Sed contra,* vbi ad id probandum vtitur auctoritate S. Hieronymi Epiſt. 103. ad Paũlinum, quem ad ſtudium ſacræ ſcripturæ adhortatur, his verbis: *Diſcamus,* inquit, *in terris, quorũ ſcientia nobis perſeueret in Cælo:* atqui ſtudium ſacræ ſcripturæ eſt ipſiſſima Theologia, vt patet; ergo.

Medina.

Hieronym.

121. Pro cuius controuerſiæ explicatione notandum, dupliciter poſſe in nobis manere habitum Theologiæ in alia vita, vno modo formaliter in ratione habitus, hoc eſt in ratione principij conproducẽtis ſimiles actus, à quibus fuit genitus; alio modo materialiter, ſolùm in ratione ſcientiæ, ſeu concluſionum ſcitarum. Hoc poſito,

122. DICO 1. Theologia non remanet in Patria, in ratione habitus formaliter. Fundamẽtum eſt: quia habitus Theologiæ pẽdet eſſentialiter in aſſenſu Theogico producendo ab habitu fidei: atqui hæc non remanet in Patria; ergo nec Theologia. Minor eſt cõmunis ſententia Theologorũ. Maior probatur, quia Theologia eſt habitus deductiuus concluſionum ex aſſenſu principiorum, ſola fide creditorum: ergo nequit eas deducere ſine aſſenſu fidei. Confirmatur. Nam habitus fidei habet ſe ad habitum Theologicum, ſicut habitus principiorum ad habitum concluſionum: ſed nequit habitus concluſionũ producere ſuum actum ſine habitu principiorum; ergo nec habitus Theologicus aſſenſum Theologicũ ſine habitu fidei. Maior eſt certa: Nã ſicut habitus principiorũ ſubminiſtrat ſcientiæ principia concluſionũ, ita habitus fidei ſubminiſtrat Theologiæ principia concluſionum. Minor probatur, quia principia non ſunt ratio aſſentiendi concluſioni, niſi vt cognita; cognoſcuntur autem per habitum principiorum: Ergo nequit habitus concluſionum ſuum actum producere ſine habitu principiorum.

123. DICO 2. Theologia materialiter, & quoad concluſiones ipſas ex principijs fidei deductas manet in patria. Fundamentum eſt: quia in Patria manent ſpecies concluſionum Theologicarum: ergo manet Theologia quoad concluſiones deductas. Conſequentia probatur: quia in mea ſententia habitus acquiſitus conſiſtit in ſpeciebus, magis ac magis ordinatis, & perfectis. Anteced. oſtendo, tùm à poſteriori: quia Beatus recordatur tales concluſiones; non poſſet autẽ illas recordari, niſi earum ſpecies haberet: quia recordatio fit media ſpecie rei, cuius recordamur. Tum à priori; quia tales ſpecies nõ habent cõtrarium; ergo nõ eſt à quo corrumpantur. Conſequentia patet, quia cũ nequeant illæ corrumpi ex corruptione ſubiecti, quia ſubiectãtur in intellectu, quę ſuapte natura eſt incorruptibilis, ſi corrũperẽtur, à cõtrario deberent corrũpi: cũ igitur nullum habeant contrariũ, non eſt à quo corrũpantur. Nec dici poteſt, illas corrũpi corruptis phantaſmatib. à quib. pendebant: quia licet ſpecies intelligibiles pendeant à phantaſmatib. in fieri, cum eruuntur ab intellectu agẽte medio concurſu phantaſmatũ, non tamẽ pendent in facto eſſe. Atque hoc ad minimũ probat pręcitata auctoritas Hieronymi, Paulinum adhortantis ad ſtudium Theologiæ, cuius ſciẽtia nobiſcum perſeuerat in Cœlis. Legatur S. Thom. loco prædicto.

Hieronym.

S. Thomas.

124. Ex dictis deducitur primò in animabus purgãtibus perſeuerare Theologiã etiã in ratione habitus formaliter: quia ſicut in illis perſeuerat habitus fidei; ita & Theologia in ratione habitus formaliter: vnde poſſunt, & ſæpè eliciunt actus Theologicos, ſicut & fidei.

125. Deducitur ſecundo in damnatis non ſolùm perſeuerare habitum Theologiæ materialiter, quoad concluſiones deductas ex principijs reuelatis, creditis fide infusâ,

ſed

sed etiam formaliter, quoad conclusiones deductas ex principijs reuelatis, creditis fide acquisita: quia sicut in damnatis manet fides acquisita eorundem principiorum, quorum habuerunt fidem infusam in via, iuxta illud Iacobi 2. *Dæmones credunt*, nempe fide humana, *& contremiscunt*: ita in ijs manet habitus non tantùm materialiter, quoad conclusiones deductas ex principijs reuelatis creditis fide infusa; verùm etiam formaliter, quoad conclusiones deductas ex ijsdem principijs, creditis tantùm fide acquisita. Vnde possunt elicere nouos assensus Theologicos ex principijs reuelatis, creditis tantùm fide humana: quæ tamen non manet in Beatis, in quibus clara visio Dei excludit vtramque fidem infusam, & acquisitam. Neque est absurdum manere in damnatis aliquem habitum supernaturalem, qualis est Theologicus: cùm in ijs maneat sacramentalis character, qui in omnium sententia est supernaturalis in essentia.

*S. Iacob.*

126. Ad Fundamentum Primæ distinguo consequens: non manet in beatis formaliter in ratione habitus, & comprincipij, inclinanti ad consimiles actus; concedo: non manet materialiter, in ratione scientiæ & conclusionis deductæ; Nego. Nec est eadem ratio de habitu fidei infusæ, quia cùm hæc se habeat per modum potentiæ inclinantis tantùm ad reuelata credenda, non habet aliud munus, quàm intellectum iuuare ad obiecta reuelata credenda: quo fine in patria cessante, cessat & ipse habitus ad talem finem essentialiter ordinatus. At verò habitus Theologicus non solùm inclinat potentiam ad conclusiones Theologicas deducendas, sed præterea continet ipsas conclusiones ex principijs reuelatis deductas: continet enim species intelligibiles conclusionum Theologicarum, quæ sunt virtuales repræsentationes earum. Vnde potest beatus eas intuendo, saltem abstractiuè, cognoscere conclusiones ipsas deductas, quarum ipsæ species sunt repræsentatiuæ.

127. Ad Confirmationem, nego assumptum: quia licet habitus Theologicus in Patria non deseruiat ad consimiles actus eliciendos: deseruit tamen ad exprimendas obiectiuè intellectui conclusiones Theologicas iam deductas; atque adeo non erit in ijs otiosus. Locum autem Pauli explicat S. Thomas locis præcitatis de actu, non de habitu Theologico, qui in Patria non erit obscurus, & per conuersionem ad phantasmata, sed clarus & euidens, & sine vlla conuersione ad phantasmata: nam etiam ille actus, quo Beatus cognoscit conclusiones Theologicas, ex principijs reuelatis deductas, est euidens; quia licet cognoscat illas abstractiuè, euidenter tamen cognoscit eas in ipsis speciebus repræsentantibus.

*S. Thomas.*

128. Dices. Ergo pari modo deberet in Beatis remanere habitus fidei, quia in illo euidenter cognosceret omnia obiecta reuelata. Resp. Nego sequelam: nam Beatus non eget habitu fidei, vt eo mediante cognoscat obiecta reuelata; siquidem illa euidenter cognoscit in verbo: solùm posset in eo remanere, vt eo mediante cognosceret obiecta, quæ de facto in via credidit: sicut remanet habitus Theologicus, vt eo mediante cognoscat conclusiones, quas de facto ipse in via ex reuelatis deduxit. Verùm ad hunc effectum non potest deseruire habitus fidei; quia cùm sit ad instar potentiæ indifferentis ad hæc, vel illa obiecta, non potest hæc potiùs, quæ actu credidit, quàm quæ poterat credere, intellectui exprimere. Habitus verò Theologicus, cùm consistat in speciebus acquisitis ex præteritis actibus, solùm potest exprimere ea, quæ actu cognita fuere, & ex reuelatis Theologicè deducta.

## SECTIO IX.

### *Quodnam sit subiectum nostræ Theologiæ.*

129. Notat Durandus q. 5. Prologi nu. 6. & cum eo alij, discrimen inter *subiectum*, & *obiectum* scientiæ: eò quòd *obiectum* est id, quod principaliter terminat actum scientiæ: quod autem principaliter terminat actum scientiæ, est conclusio ipsa in scientia demonstrata, quæ est propositio complexa, continens subiectum & passionem. *Subiectum* verò est illud, de quo demonstrantur passiones scientiæ: quod ordinariè est terminus incomplexus, cuius cognitio principaliter in scientia intenditur. Quod tres habere debet cõditiones, primam, vt virtute contineat omnes veritates in scientia demonstrabiles; secundam, quę sequitur ex prima, vt de eo possint reliqua denominatiuè prędicari; tertiã, vt si quid aliud in tali scientia tractatur, tractetur per attributionem ad ipsum. Tametsi alij subiectum cum obiecto scientiæ confundãt: nos sequuti modum loquendi grauiorum Theologorum, ea distinguimus, & propterea in titulo sectionis vsi sumus potius nomine *subiecti*, quàm *obiecti*.

*Durandus.*

130. Prima sententia Magistri in primo dist. 1. initio docentis subiectum Theologiæ nostræ esse tum signa, tum res: per signa autem cum Augustino intelligit, non solùm voces, sed etiam res ad alias res significandas impositas; velut Sacramenta, quæ sunt res imposita ad significandas alias res, nempe gratiam, characterem, &c. Probat autem hanc suam sententiam Magister auctoritate Augustin. lib. 1. de doctrina Christiana. c. 2. Vbi docet, omnem doctrinam aut rerum esse, aut signorũ. Secundò ratione: quia quidquid in Theologia tractatur, aut sunt res, aut signa: ergo hoc est obiectum adæquatum ipsius.

*Magister.*

*Augustin.*

131. Secunda sententia Durandi q. 5. Prologi, vbi præmissâ distinctione Theologiæ in habitum creditiuum articulorum

*Durandus.*

fidei,

Fidei, declaratiuum ac defensiuum eorumdem, & deductiuum conclusionum ex articulis Fidei: primo & tertio habitui pro subiecto assignat actum meritorium; secundo verò Deum, non sub ratione absoluta Deitatis, sed respectiua Saluatoris. Primam partē probat, quoniā illud est subiectum in aliqua doctrina, quòd in ea primò & principaliter cōsideratur, & ad quod attributionem dicunt reliqua, quę in ea traduntur: talis est actus meritorius in Theologia primo ac tertio modo accepta. ergo hic est subiectum ipsius. Maior constat ex cōditione subiecti doctrinalis. Minor probatur: Nam omnia quæ vel in scriptura credenda proponuntur, vel ex articulis deducta traduntur, attributionem dicunt ad opus meritorium: Nam aut sunt præcepta, aut exempla, aut monita, aut præmia, vel pœnæ bene vel malè operantibus proposita; aut cognitio ipsa Dei, quæ nō tam proponitur propter se, cùm sit obscura & inuidens, quàm propter actum ipsum meritorium. Tum quia ipsummet credere est nobis meritorium, iuxta illud Ioan. 20. *Hæc autem scripta sunt vt credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei viui; & vt credentes vitam habeatis in nomine eius*: tum quia est regula totius operis meritorij. Præterea quæ ex articulis deducuntur potiùs diriguntur ad inflāmandum affectū, quā ad illustrandum intellectū, cùm de se modicū habeant de notitia, plurimum verò de affectu.

*S. Ioan.*

132. SECVNDAM partem ostendit hoc pacto: Illud est subiectum in scientia, quod est subiectum in conclusione principaliter illata & scita: sed Deus est subiectum in conclusione principaliter illata & scita in Theologia, vt est declaratiua & defensiua articulorum Fidei. ergo. Maior constat ex conditione subiecti sciētifici. Minor probatur: nam ex ijs, quæ Fides tradit, ea tantum principaliter declarat & defendit Theologia, quę specialem habent difficultatem, quæque principia sunt reliquorum: sed hæc sunt, quæ de Deo vel secundum se, vel vt Incarnato Fides docet: reliqua enim nec specialem habent difficultatem, ob quam defēdi ac declarari debeāt, nec principia sunt aliorū, sed cōclusiones potiùs ex his deductæ.

133. Quòd autem Theologia hoc modo sumpta non consideret Deum sub ratione absoluta Deitatis, sed respectiua saluatoris probat primò, quia sub ea ratione aliquid est subiectum in aliqua scientia, sub qua in ea principaliter consideratur, & secundùm quam virtute continet reliqua omnia: talis est Deus sub ratione saluatoris respectu Theologiæ secūdo modo acceptæ. ergo. Maior constat ex conditione subiecti primi ac principalis. Minor quoad priorem partem patet, quia nunquam fuit Fides, quæ saltem implicitè nō fuerit de saluatore. Quoad posteriorem verò partem probatur, quia in ratione ipsa saluatoris virtute cōtinentur Incarnatio, Passio, Resurrectio, Ascensio, aduentus in futurum iudicium. Ergo. Secundò quia sub illa ratione Deus est subiectum Theologię hoc modo sumptę, sub qua maximè habitudinem dicit ad opus meritorium: talis est saluatoris ratio. Ergo. Maior patet, quia principia habere debent habitudinem ad conclusionem: sed articuli Fidei sunt principia respectu eorum, quæ in sacra scriptura concluduntur de opere meritorio. Ergo. Minor verò probatur: Nam illa ratio maximè habitudinem habet ad opus meritorium, quę aliqualiter includit rationem finis, & modum perueniendi ad finem; cùm in agibilibus finis habeat rationem principij: sed ratio saluatoris includit finem operis meritorij, nempe salutem, & implicitè modum perueniendi ad finem. ergo.

134. Huc reducitur opinio Hugonis de S. Victore, assignantis subiectum Theologię opera restaurationis, seu Incarnationis lib. 1. de Sacramentis cap. 2. & 3. Nec non opinio Cassiodori citata à Scoto in Prologo q. 1. Laterali, asserentis subiectum Theologiæ esse Christum vt caput, cum suis membris.

*Hugo de S Victore.*

*Cassiodor. Scotus.*

135. TERTIA sententia affirmat, subiectum Theologiæ esse Deum sub ratione absoluta Deitatis. Est S. Thomæ 1. p. q. 1. art. 7. & reliquorum tum Scholasticorum in Prologo, tum interpretum S. Th. loco præcitato.

*S. Thomas. Reliqui Scholastici.*

Pro cuius controuersiæ explicatione notandum, subiectum scientiæ diuidi in primarium, & secundarium; primarium est, cuius cognitio principaliter in scientia intenditur, & ad quod reliqua in ea scientia considerata attributionem dicunt: secundarium est, cuius cognitio non attenditur per se, sed propter cognitionem primarij, ad quod pleniùs cognoscendum illud in scientia consideratur. Secundò: Diuidi in subiectum attributionis, quod coincidit cum primario; & in subiectum cōmunitatis, siue prædicationis, quod & adæquatum dicitur, complectiturque sub vna ratione cōmuni omnia, quę in tali scientia tractantur, siue sint subiecta primaria, siue secundaria. Tertiò: Diuidi in subiectum materiale, & formale. Materiale est cōmune pluribus scientijs, & habitibus: formale est proprium vnius, cuius tantū est specificare, & vnitatem dare habitibus: specificatio enim & vnitas non desumitur ab ijs, quæ sunt communia pluribus, sed quę sunt propria vniuscuiusque. Rursus ratio ipsa formalis subdiuiditur in rationem formalem *Quæ*, & in rationē formalem *Qua*, seu *propter quam*; illa est quæ in scientia primariò terminat actum scientificū, & omnia alia terminat per ordinem ad illam: hęc est, propter quam intellectus mouetur ad assensum præbendum. Illa dicitur ratio formalis terminatiua, seu subiectiua; hæc ratio formalis motiua. Prior etiam formalis respectu obiectorum secundariorum, materialis verò respectu rationis formalis motiuæ: Posterior cùm non ordinetur ad aliam rationem priorem, est tantùm formalis, à qua scientia desumit vltimam suam specificationem & vnitatem: & in scientijs naturalibus sunt media, seu principia, quibus intellectus mouetur ad assentiendum conclusionibus. His adnotatis,

136. DICO primò: Subiectum adæquatum Theologiæ commune communitate prędicationis, est ens diuinum cognoscibile per reuelationem virtualem: quod sub alijs terminis S. Tho. q. vnica Prologi ar. 4. appellauit *ens diuinum cognoscibile per inspirationem*. Fundamentum est: quoniam adæquatum subiectum scientiæ est illud, quod omnia, quæ in

*S. Thomas.*

scientia tractantur, exprimit sub ea ratione, sub qua à tali scientia tractantur: tale est subiectum assignatum respectu Theologiæ nostrę. ergo. Maior probatur: nam subiectum adæquatum, vt ex nomine ipso patet, debet amplecti omnia, quæ in scientia tractantur, & sub ea ratione, sub qua tractantur; alioqui non esset subiectum adęquatum. Minorem ostendo: nam quidquid in Theologia tractatur, aut Deus est, aut attributionem dicit ad DEVM: ergo rectè exprimi potest per ens Diuinum, quod tanquam analogum primariò stat pro Deo principali analogato, secundariò pro creaturis, vt extrinsecè participantibus rationem Diuini. Sicut sanum rectè dicitur subiectum adęquatum Medicinæ, quia adæquatè amplectitur quidquid in medicina tractatur, & sub ea ratione sub qua tractatur, quæ est sanitas, primariò competens animali, quod est primarium subiectum medicinę; secundariò reliquis attributionem dicentibus ad sanitatem, quæ intrinsecè est in animali.

137. Debet præterea subiectum adæquatum scientiæ exprimere vltimam rationẽ formalem motiuam, à qua proximè specificatur scientia: hęc autem exprimitur per illa verba, Vt *cognoscibile per reuelationem virtualem*. Nam *per reuelationem* differt subiectum Theologię nostræ à Theologia naturali, & supernaturali Beatorum: quia prior per euidentiam naturalem abstractiuam, posterior per euidentiam supernaturalem intuitiuam: Per *virtualem* differt à subiecto formali Fidei, quod est reuelatio formalis, & immediata.

138. DICES. Ens Diuinum hoc sensu explicatum æquè latè patet atq; ens: nam omne ens aut Deus est, aut creatura: non ergo aptè assignatur subiectum Theologiæ, quod debet esse aliquod magis limitatum. Resp. Limitari per duplicem rationem formalem, tum subiectiuam, tum motiuã: nam per rationem Diuini limitatur secundùm rationem formalem subiectiuam, secundùm quam de creaturis in Theologia disputatur: per reuelationem verò virtualem limitatur secundùm rationem formalem motiuam, secundùm quam hæc omnia cadere possunt in considerationẽ Theologiæ.

139. DICO 2. Primarium subiectum Theologiæ est Deus, sub ratione Deitatis; secundarium verò sunt creaturæ, quatenus attributionem aliquam dicunt ad DEVM. Prima pars constat: nam illud est primarium subiectum in scientia, cuius notitia in ea primariò intenditur, & in ordine ad quod reliqua tractantur: talis est Deus in Theologia. ergo. Maior constat ex conditione subiecti primarij. Minor probatur: tum ex nomine ipso Theologiæ, quod scientiam, siue sermonem de Deo importat: tum quia præstantissima scientia, qualis est Theologia, esse debet de pręstantissimo subiecto, qualis est Deus.

140. SECVNDA pars, nempe quòd Deus sub ratione Deitatis consideretur à Theologo probatur: tum quia sub ea ratione est subiectum Theologię Beatorum: atqui subiectum Theologiæ Beatorum non differt à subiecto Theologiæ nostræ in ratione formali subiectiua, sed in ratione tantùm formali motiua: nam quod nos credimus de Deo, ipsi vident iuxta illud 1. Cor. 13. *Nunc in ænigmate, tunc facie ad faciem*. Tum quia, cùm Theologia nostra non solùm sit practica, sed etiam speculatiua, & in quauis speculatiua scientia eius subiecti notitia maximè spectetur, quod in ea est præcipuum: cùm Deus sit præcipuũ subiectum Theologiæ, vt probatum est: sequitur, quòd ipsius notitia, sub ratione Deitatis maximè in Theologia spectetur. Nam eam notitiam speculatiua scientia de suo subiecto maximè intendit, quę est ipsius naturæ explicatiua & declaratiua: atqui hæc est notitia Dei sub ratione Deitatis; nam hęc tantum explicat, quantum nobis viatoribus explicari potest, naturam & essentiam Dei: cùm reliquæ rationes in Deo consideratæ, vel non explicent adæquatè naturam Dei, vel sint illi extrinsecę, & contingentes. 1. Cor. 13.

141. TERTIA pars probatur. Nam Theologia non solùm disputat de Deo, sed etiam de creaturis, de actibus humanis, de gratia, de virtutibus, de Sacramentis, &c. disputat autem de his per ordinem ad Deum. Cuius attributionis ratio est, quoniam creaturæ variæ nobis à posteriori de Deo perfectiones exprimunt; vt creatio Omnipotentiam; iustificatio bonitatem; Incarnatio munificẽtiam, & liberalitatem; punitio peccatorũ iustitiam; quemadmodum & retributio bonorum fidelitatem, & misericordiam. Et quia in quauis scientia maximè attenditur perfecta notitia subiecti primarij, quæ haberi non potest, nisi cognitis ipsius varijs effectibus, ex quorum notitia deuenitur in cognitionem ipsius subiecti primarij; ideo de his agit Theologia ad plenius & perfectiùs cognoscendum Deum subiectum primarium.

142. DICO tertiò. Ratio fomalis motiua, sub qua de his omnibus agit Theologia, est diuina reuelatio per discursũ applicata. Fundamentum est, quia Theologia nostra essentialiter discriminatur à Theologia naturali viatorum; non potest autem essentialiter discriminari per rationem terminatiuam *Quæ*; nam hæc vt patet, est eadem in vtraque scientia, nempe Deitas sub ratione Deitatis: ergo per rationem formalem motiuam *Qua*, quæ in Theologia naturali est medium illustratum lumine naturali; in Theologia verò supernaturali est medium illustratum lumine supernaturali.

143. Pro cuius intelligentia nota, rationẽ formalem motiuam assentiendi esse principia ipsa, vt cognita, quia nequit aliquid esse intellectui ratio assentiendi, nisi vt cognitum: ergo ex variatione luminis, quo principia ipsa cognoscuntur, variatur ratio formalis motiua assentiendi. Quia igitur lumen naturale, & supernaturale differunt inter se; eadem principia cognita lumine naturali, & supernaturali cõstituunt diuersas rationes formales assentiendi: cùm igitur sæpe principia remota, quibus Theologia nostra, ac natura

lis vti-

lis vtitur, sint eadem; vt in ratione principij proximi discriminentur, debent diuerso lumine ac notitia intellectui applicari: applicantur autem vni per lumen & notitiam naturalem euidentem, alteri per lumen & notitiam supernaturalem ineuidentem Fidei. Ergo ratio motiua, propter quam Theologia nostra assentitur cõclusionibus Theologicis, est reuelatio per discursum applicata.

144. Dices. Lumen & cognitio se tenent ex parte potentiæ; ergo non possunt esse ratio motiua, quæ se tenet ex parte obiecti. Resp. Duplex esse lumen, vnum tenens se ex parte potentiæ, quo fit potens ad obiectum percipiendum; aliud tenens se ex parte obiecti, quo illustratũ fortiùs, aut minùs fortiter mouet intellectum ad assensum prębendum. Nostra cõclusio intelligenda est de posteriore lumine, non de priore. Nec refert, quod tale lumen respectu primæ cognitionis se teneat ex parte potentię, quę obiectum ipsum cognoscit; quia sufficit, vt se teneat ex parte obiecti, respectu alterius cognitionis, respectu cuius prior cognitio se habet vt principium; quia respectu alterius cognitionis prior cognitio præsupponitur, vt principium mouens, & determinans intellectum ad assensum conclusionis. Nec obstat quòd cognitio, quâ cognoscuntur principia, sit tantùm conditio, & non ratio formalis assentiendi conclusioni; quia sub diuersa illa cognitione diuersa respondet ratio formalis motiua in principijs ipsis: Nam assensui supernaturali Fidei respondet supernaturalis reuelatio in obiecto, sub qua obiectum terminat talem assensum: assensui verò naturalis scientiæ respondet ratio aliqua naturalis, sub qua obiectũ terminat talẽ assensum: ac proinde principia, diuerso lumine ac notitia cognita, diuersas constituunt rationes formales assentiendi.

145. Ex dictis deducitur 1. Non quæuis principia esse apta ad inferendas cõclusiones Theologicas, sed quę tantùm supponũtur reuelata, & credita Fide diuina: Nam hæc sola supponuntur illustrata lumine superiori: ex qua parte Theologia nostra habet limitatius obiectum, quàm Theologia naturalis, cuius principia sunt omnia, quę naturali lumine cognita, apta sunt inferre aliquam cognitionem de Deo. Quare nec de omnibus rebus creatis disputat Theologia nostra, sed de his tantùm, quæ vel ex reuelatis deduci possunt, vel quæ reuelatę possunt esse principia aliarũ veritatũ, nec de Deo, nisi reuelato lumine cognito.

146. Deducitur secundò. Deitatem esse rationem formalem respectu creaturarum, de quibus tractatur in Theologia; esse verò rationem materialem respectu reuelationis virtualis. Primum constat, quia respectu creaturarum est ratio, propter quam in Theologia de creaturis disputatur. Secundum probatur, quia reuelatio virtualis est ratio assentiendi omnibus, quæ in Theologia tractantur, & in quã vltimò resoluitur omnis discursus Theologicus: Vnde ex hac, & non ex illa Theologia sumit suam vnitatem, & specificationem.

147. Deducitur tertiò. Finitatem sub qua Deitas terminat assensum Theologię nostræ, aut Beatorum, non esse rationem formalem, aut terminatiuam, aut motiuam, sed puram conditionem ex parte actus, illam essentialiter exigentis. Primum patet, quia nulla ratio contradictoriè opposita obiecto potest esse terminatiua, aut motiua potentiæ; vel habitus circa tale obiectum: sed finitas est ratio contradictoriè opposita Deitati, quę est obiectum Theologię; ergo non potest esse ratio terminatiua, aut motiua habitus Theologici. Minor cum consequentia elucet. Maiorem ostendo: nam ratio motiua & terminatiua subiecti scientifici debent expresse, & per se, vt tales rationes sunt, mouere, & terminare actum scientificum; cùm sint rationes in scientia primariò intentæ, & propter quas cętera in scientia considerantur. At nequit habitus siue potentia mediante habitu expresse, & per se moueri, & terminari ad rationem contradictoriè oppositam subiecto, cuius est habitus. Secundum probatur, quia cùm implicet, vt suppono, actum creatũ infinito modo versari circa Deum, finitas erit conditio essentialiter requisita ex parte actus. Est igitur finitas conditio ex parte actus tendentis ad obiectum, non ex parte obiecti terminantis actum.

148. Dices. Implicat esse aliquid in actu, quod non respondeat etiam ex parte obiecti, cùm tota essentia actus sit ad exprimendum obiectum: nequit igitur finitas esse conditio ex parte actus Theologici, & non etiã ex parte obiecti. Resp. Distinguendo duplicem rationem in actu, vnam ex parte actus, quatenus est expressio, & imago obiecti; alterã ex parte actus, quatenus est accidẽs & forma subiecti: Prior semper respondet illi ex parte obiecti: quia imago tota est ad exprimẽdum obiectũ: posterior verò illi respõdet ex parte subiecti: vt actus beatificus, quatenus tenet se ex parte obiecti illud exprimendo, participat aliquam rationem actus puri; quatenus verò tenet se ex parte potentiæ immersæ potentialitati, est inhęrens & potentiale. Pari modo finitas est conditio tenens se ex parte subiecti finito modo tendentis ad obiectum.

149. Ad primum primę sententiæ Resp. Eo loco Augustinum non exactè assignare subiectum Theologię, sed potiùs illa partitione rerum, & signorum comprehendere voluisse subiectum cuiuscũque scientiæ, & doctrinæ, vt ipsemet testatur: nã sicut dicta partitio rerum, & signorum omnia comprehendit; ita nullius scientię subiectum excludit, cuiuscunque enim scientiæ subiectũ, aut sunt signa aut res, aut vtraque simul. Ad 2. Concedo quidquid in Theologia tractatur, aut esse res aut signa: nego tamen, subiectum adæquatum ipsius esse res & signa: quoniam subiectum adæquatum debet exprimere primariam rationem, propter quam ea in scientia tractantur: quia debet distinguere vnam scientiam ab alia, quam non distinguit, nisi per hanc rationem. *Augustin.*

Durandus

150. Ad 2. sententiam Durandi nego, aut actum meritorium, aut Deum sub ratione saluatoris esse primarium subiectum fidei, aut Theologiæ. Vnde ad argumenta pro prima parte nego minorem; tum quia vel Theologia consideratur, vt est speculatiua scientia, & sic primariũ eius subiectum est Deus sub ratione Deitatis; nam hęc cognitio ab ipsa, vt speculatiua est, potissimè intenditur: vel vt practica est; & sic primarium eius subiectum non est actus meritorius, sed Deus, vt assequibilis à nobis actu meritorio: cuius ratio est, quia Theologia non sistit in ipsa consideratione actus meritorij, sed vlteriùs tendit in notitiam practicam finis, vt assequibilis actu meritorio. Vnde omnia Durandi Commenta solùm probant, Theologiam nostrã tendere ad actũ meritorium, tanquam ad medium, quo proximè finem assequimur, non tamquam ad finẽ vltimũ, ad quem tendit, & ordinatur practica Theologia; hic enim est Deus, vt est vltima fœlicitas, & Beatitudo nostra. Cuius ratio à priori est: quoniam in agibilibus finis est principium omnium practicarum conclusionum: nam ex eo mouetur intellectus ad concludenda omnia media, quæ ad finẽ conducunt: ergo in scientia practica magis attenditur consideratio finis, quàm mediorum: igitur Theologia, quia practica scientia est, magis attendit considerationem Dei, qui est finis quàm actus meritorij, qui est medium atque hoc probat auctoritas Ioan. à Durando, citata: nam vita, quæ nobis promittitur, vt finis nostræ fidei, est beatitudo æterna, quæ consistit in ipso Deo, iuxta illud eiusdem Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum.* Reliqua, quæ à Durando afferuntur, solùm probant Theologiam, vt practica scientia est, ordinari quidem ad opus meritorium, non tamen vltimatè, & principaliter, sed non vltimatè, & minùs principaliter.

S. Ioan. Durandus.

151. Ad argumentum secundæ partis, quo probat Deum sub ratione saluatoris esse subiectum Theologiæ, vt est declaratiua, & defensiua articulorum, neganda est minor: nam ipsa ratio Saluatoris, & reliquæ in ea contentę vltimatè considerãtur à Theologo in ordine ad Deum, vel vt practicè consequibilem, vel vt speculatiuè cognoscibilem. Neque ex eo, quòd Fides de Saluatore fuit omni tempore ad salutem necessaria, rectè colligitur, quòd Deus, sub ratione Saluatoris, sit subiectum Theologię, sed solùm, quod talis Fides sit præcipuum medium ad consequendum finem. Vltimum argumentum supponit falsum principium, à nobis iam confutatum, nempe quod opus meritorium sit primarium subiectum Theologiæ.

# DISPVTATIO II.

## De Existentia Dei.

CVM vniuscuiusque scientiæ munus sit perfectam de suo subiecto tradere notitiam; postquam probatum est subiectum primarium Theologiæ esse Deum: consequens est, vt ipsius naturam & attributa, quantùm adumbrato Fidei lumine suffulti assequi poterimus, explicemus. Dupliciter autem Dei natura considerari potest, vno modo secundùm se, in ordine ad intrinsecas perfectiones, quibus constituitur: alio modo in ordine ad creaturas, in ordine ad quas triplicem habet considerationem, secundùm triplicem respectum, quem dicit ad illas, vt principium, vt Finis, vt Reparator. Secundùm quem triplicem respectum considerat Angelicus Doctor Deũ in sua summa, quam in tres diuidit partes; in prima disputat de Deo in ordine ad se, & vt principio creaturarum; in secunda vt Fine earundem; in tertia vt Reparatore naturæ lapsæ. Eandem methodum sequemur & nos in hac nostra Theologica summa. Quoniam verò consideratio Dei in ordine ad creaturas supponit considerationem Dei in ordine ad se, priùs de illa in hoc Tomo; tum de reliquis in sequentibus, ordine ac methodo prædicta disputabimus. Ac primo loco stabilienda est Dei existentia, tanquam fundamentum & basis cæterorũ: quę etsi iuxta scientię leges supponenda potius esset, quàm probanda, cùm nulla scientia probet, sed supponat suum subiectum, quia tamen non desunt Athei, qui illam negent, Theologici muneris est, adhibitis naturæ principijs, hanc veritatem contra Atheos demonstrare.

S. Thomas.

### *An DEVM esse sit demonstrabile?*

1. RATIO dubitandi quadruplex est, prima quoniam ea tantùm, auctore Philosopho 1. Post. 3. sunt demonstrabilia, quę non sunt per se nota: atqui Deum esse, est per se notum: ergo Deum esse, est indemonstrabile. Maior constat, quoniam ea sunt demonstrabilia, quæ habent medium notius, quàm sint ipsa, quę demonstrantur; demonstratio enim tendit ad notificandum id, quod est ignotum, per id quod est notius. Minor probatur: Nam illud est per se notum ex S. Thom. p. p. qu. 2. a. 1. cuius prædicatum est de ratione

S. Thomas.

de ratione subiecti. Atqui esse est de ratione Dei, cùm nequeat concipi Deus, nisi vt actu existens. ergo DEVM esse, est per se notum. Secunda, Deus nullam habet causam sui esse; ergo nequit de Deo demonstrari esse. Consequentia prob. nam teste Aristot. 1. Post. 2. *Aristoteles* Demonstratio procedere debet ex prioribus causisque conclusionis. Tertia Deum esse, est articulus Fidei; ergo nequit demonstrari, cùm nequeat Fides, & scientia esse de eodem obiecto. Quarta ea, quæ sunt demonstrabilia, negari non possunt: atqui Deum esse, multi negarunt: ergo Deum esse non est demonstrabile.

2. DICO 1. Deum esse, est demonstrabile per effectus à posteriori. est S. Thom. p. p. q. 2. articul. 2. & 1. contra Gent. c. 12. & cum eo omnes interpretes, & Scholastici omnes in 1. Dist. 2. & 3. Contra Aliacensem qu. 3. a. 2. opinantem, Deum non posse ratione naturali euidenti, sed tantùm probabili ostendi: eodem inclinât. Maior in 1. Dist. 2. q. 1. concl. 1. & Gabriel. q. 10. a. 3. dub. 1. Nostra tamen assertio apertè deducitur ex Paulo ad Rom. 1. illis verbis: *Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & Diuinitas.* Vt autem ostendat Paulus vim & efficaciam demonstrationis, quam viatores habere possunt de Deo per effectus creatos, subdit: *ita vt sint inexcusabiles.* Cum Paulo concordant Patres, passim docentes, notitiam creatoris esse naturaliter insitam vnicuique mortalium.

*S. Thomas* *Aliacen.* *Maior.* *Gabriel.* *Rom. 1.* *Patres.*

3. Vnde meritò oppositam sententiam S. Tho. 1. cont. Gentes appellat errorem; Molina p. p. q. 2. art. 2. in Fide minimè tutam; Valentia q. 2. punct. 2. erroneam, vel apertam hæresin; Suar. lib. 1. de essentia Dei c. 1. temerariam & errori proximam. Plures afferuntur rationes, quæ Dei existentiam demonstrant: nobis duæ sufficiant tanquam omnium potissimæ; vna desumitur ex subordinatione causarum ad vnam primam efficientem; altera ex subordinatione earundem ad vnam supremam intellectualem gubernantem. Vtrâque vsus est Aristoteles, Priore quidem 7. & 8. Physicorum, nec non 12. Metaphysic. t. 29. Posteriore verò 12. Metaphys. c. vlt.

*S. Thomas.* *Molina.* *Valentia.* *Suarez.* *Aristoteles.*

4. PRIMAM rationem sic ordior. Vnumquodque indiuiduum, exempli causa, naturę humanę, producitur ab alio; & hoc ab alio: atqui in hoc progressu producti & producentis necessariò deueniendum est ad vnum primum efficiẽs, quod improductũ omnia producat, quem Deum omnes nominamus. ergo demonstrabile est, Deum esse. Maior non solùm est euidens experientiâ, sed etiam ratione: quia nisi quodlibet indiuiduum humanũ produceretur ab alio, aut ideò esset, quia idem produci posset à se ipso, vel à suo producto: aut ideò, quia daretur aliquod indiuiduum humanum à nullo productum, quod reliqua indiuidua produceret. Vtrumque euidenter implicat, ergo. Implicat primum: quia si posset idem produci à se ipso, vel à suo producto, idem simul esset, & non esset; quę sunt manifestè contradictoria; esset; quia vt posset producere, deberet necessariò præsupponi existens, nam id, quod non est, vim producendi habere non potest: non esset, quia vt posset primò produci, deberet supponi non esse; nam nihil potest primò produci, quod iam supponitur esse, cùm prima productio tendat ad dandum primum esse.

5. Explicatur: vt res aliqua producat, præsupponi debet naturâ ante productionem; vt eadem producatur, subsequi debet naturâ eandem productionẽ. Ergo idem esset prius, & posterius naturâ respectu eiusdem actionis & esse, secundùm quod & prę supponeretur vt causa, & non prę supponeretur vt effectus. Implicat secundum, quia cùm esse improductum sit maxima perfectio entis, quę illud necessariò euehit in altiorem ordinem, quàm sit quæcunque natura producibilis, implicat esse indiuiduum humanum, & simul esse improductum: nam quà improductum excederet perfectionem naturæ humanæ: quà verò indiuiduum humanum, non excederet perfectionem eiusdem naturæ humanæ: ergo simul esset, & nõ esset indiuiduum humanum. Igitur si necessariò deueniendum est ad vnum principium improductum, à quo tota species humana sit producta, de necessitate illud erit diuersæ altioriśque naturæ, quàm sit species ipsa humana, aut quæuis alia natura producibilis. Idem argumentum fieri potest de qualibet serie indiuiduorum aut specierum.

6. Demonstrata Maiore, demonstro Minorem. Etenim sumatur tota series causarum, quarum quęlibet inferior pendet à superiore; vel tota hæc series pendet ab vna suprema causa improducta, vel non; si primum, iam habetur primum efficiens improductum: si secundum, rursus vel tota series causarum producentium, & productarum est à se, vel ab alio. Tota à se esse non potest, nisi ratione alicuius supremæ causæ, à qua ita reliquæ sint, vt ipsa à nulla alia sit. Neque tota ab alio esse potest, ita vt singulę & omnes ita ab alio sint, vt in tota serie nulla sit à se: alioqui omnes & singulæ causæ essent entia potentialia: implicat autem, vt ens potentiale se ipsum reducat à statu potentiali ad statum entis actualis; quia cùm ens potentiale sit negatio entis actualis cum sola non repugnantia ad illud; & nihil quod actu non est, vim habeat producendi ens in actu; implicabit, ens potentiale se ipsum reducere à statu potentiali ad statum entis actualis. Quare necessariò concedendum erit ens essentialiter existens, quòd ita sit in actu essendi, vt nunquam potuerit esse in statu potentiali.

7. Hac luce demonstrationis mens Atheorum perstricta, ad tenebras infiniti recurrit: putantque se propositę demonstrationi satisfacere, si dicant, totam quidem seriem causarum ab alio esse, quia tamẽ in infinito non datur primum: neque in tota serie infinita causarum assignari posse primam, à qua cæperit actio. Sed contrà; nam esto in infinita

serie causarum, non datur prima, adhuc vis demonstrationis vrgèt: quia vel tota series infinitarum causarum collectiuè sumpta est ab alio, vel à se: si ab alio, ergo tota est potentialis: ergo impossibile fuit, vt se ipsam reduxerit à statu potentiali, ad statum entis actualis: si à se, hoc conuenire non potest toti collectioni ratione singularum causarum, cùm singulæ causæ sint ab alio: neque ratione totius collectionis vt sic; cùm tota collectio non dicat, nisi aggregationem singularum causatum: Vnde si singulæ sunt ab alio, tota causarum collectio erit ab alio.

8. Nec recurri potest ad naturam infiniti, in quo non licet argumentari à distributiuo ad collectiuum; eò quòd aliquid conuenit collectiuo, ex eo quod caret termino, quod non conuenit distributiuo, quod terminum habet: nam hoc verum tantùm est de his prędicatis, quæ consequuntur infinitum vt infinitum; non autem de his, quæ consequuntur essentiã ipsam rerum infinitarum: quia, sicut hæc non mutatur per rationem infiniti, rebus ipsis accidentaliter aduenientis; ita nec eius intrinseca prædicata: sed esse à se, vel ab alio sunt rationes essentialiter conuenientes rebus ipsis: ergo illæ non mutantur per rationem infiniti, accidentaliter illis aduenientis. Igitur si implicat, finitam seriem causarum esse ab alio, nulla assignata prima, à qua tota originem trahat; etiam implicabit, infinitam seriem causarum esse ab alio, nulla assignata prima, à qua tota infinitas originem ducat. Vnde licet infinitę seriei causarum repugnet habere primam causam intra eandem seriem, non tamen repugnat, vt tota series pendeat ab alia causa, quę sit extra totam seriem ipsam causarum producentium & productarum, quæ sit prima tantùm extrinsecè, non habens post se secundam determinatè succedentem: sicut post punctum terminatiuum lineæ non sequitur secundum punctum determinatè. Hęc autem non ideò assero, vt approbem doctrinam de infinito, quod jam puto implicare contradictionem, sed tantùm, vt ostendam vim demonstrationis procedere, etiam posita infinita serie causarum. Nam adhuc tota ista hæc infinita series causarum deberet esse ab alio primo ente improducto, cùm tota esset potentialis, ac proinde impotens reducendi se à statu potentiali ad statum entis actualis.

9. Secvnda ratio, quæ euidenter demonstrat Deum esse, est hic pulcherrimus rerum ordo, & totius vniuersi dispositio; nec non constans & perennis, ac nunquam interrupta rerum, temporumque vicissitudo. Quæ ratio familiaris est Patribus, imò & antiquis Philosophis. Vnde Cicero 2. de Diuintate, *Esse*, *Cicero.* inquit. *præstantem aliquam, æternamque naturam, & eam suspiciendam admirandamque hominum generi, pulchritudo mundi, ordoque rerum Cœlestium cogit fateri*, eaque ante omnes vsus est Sapiens Sapientiæ 13. *A magnitudine*, *Sapiens.* inquit, *speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Quę ratio sic potest formari. Vniuersum hoc tam mira rerum varietate compactum, tam mirabili ordine dispositum, tanta legum constantia sancitum, tanta sublunarium cum cœlestibus orbibus cohærentia, & consensione firmatum, impossibile est, vt non regatur ab aliquo supremo Numine, intellectu & voluntate prædito, quod Deum appellamus. Maiorem ostendo: quoniam hic tantus, ac tam constans rerum ordo non potuit esse casu, & quasi fortuito; cùm ea, quæ casu ac fortuitu accidunt, constantia ac perpetua esse non possint, cùm non habeant causam perpetuò conseruantem, ac dirigentem, neque potest à se ipso regi, & gubernari; quia tam concinnus ordo, atque ordinata dispositio rerum nequit esse effectus, nisi agentis per intellectum, cùm solius intellectus sit ordinatè agere ac disponere, vt vnumquodq; per consentanea media ad suum finẽ tendat. Concedendus est igitur aliquis ętternus Rector, ac supremus Gubernator, qui singula in hoc vniuerso contenta ad peculiares suos fines dirigat, & impellat. Et quoniam hic non potest esse nisi vnus, vt ex perpetua rerum consensione, & ordine imperturbabili constat, fatendum est vnum supremum atque ętternum Numen, hæc omnia infallibili lege, ac prouidentia regens & gubernans. Quod cùm non possit à se ipso vel ab alio superiore produci, alioqui non vnum, sed plura essent Numina, necessariò erit improductum, & à se, atque adeò æternum. Quam veritatem vice, ac voce totius naturæ expressit Aristoteles 12. Metaph. in fine his verbis: *Aristoteles.* *Non est bonum pluralitas Principatuum: vnus ergo Princeps.*

10. Dico 2. Deum esse non potest à priori, & per causam demonstrari. Est communior inter Scholasticos. Fundamentum est, quoniam esse est prima perfectio, quæ nostro modo concipiendi conuenit Deo: ergo non potest per aliam perfectionem à priori demonstrari. Consequentia constat ex ipsa natura Demonstrationis à priori, quæ procedere debet per causam saltem virtualem conclusionis. Cùm igitur prima perfectio subiecti non habeat aliam priorem perfectionem non poterit à priori demonstrari. Antecedens probo: quia prima perfectio, quæ competit Deo, est ipsum esse necessarium & à se; atque adeò actuale, per hoc enim primo distinguitur ab ente potentiali, & est quasi radix omnium perfectionum, quæ competunt Deo: ex hac enim habet, vt sit illimitatus, actus purus, & infinitus in omni genere perfectionis excludentis imperfectionem. Confirmatur, quia esse actuale Dei est æquè notum, ac quælibet alia perfectio ipsius; ergo non potest à priori demonstrari. Consequentia patet: quia quod demõstratur non debet esse æquè notum, ac medium ipsum, per quod demõstratur: si autem esse actuale Dei est æquè notum, ac quælibet alia perfectio ipsius, nulla perfectio assumi poterit vt medium aptum ad inferendum esse actuale ipsius: cùm nulla alia perfectio sit

notior,

notior, quàm ipsius esse actuale Dei. Antecedens probo: nam quælibet perfectio diuina, vt diuina explicitè importat esse necessarium & à se; hoc enim formaliter importat esse Diuinum: atqui nulla perfectio Dei assumi potest vt medium ad inferendam aliam perfectionem nisi vt Diuina; quia non potest habere vim inferendi aliam perfectionem Diuinam, vt abstrahens ab esse Diuino, quia vt sic non est apta inferre perfectiones proprias Dei, qualis est existentia actualis & necessaria.

11. Ad primam rationem dubitandi distinguenda est Maior ex doctrina ipsiusmet Arist. 1. Post. c. 2. de notioribus naturâ, & quoad nos: concedo igitur, quæ sunt notiora & naturâ, & quoad nos, non esse demonstrabilia: nego autem, quæ sunt notiora naturâ, ignotiora verò quoad nos, non esse demonstrabilia: tale est, Deum esse: nam consideratum secundùm se, est per se notum: consideratum verò quoad nos, est ignotum, ac proinde demonstrabile per aliquid notius, vt sunt effectus ipsi creati, necessariam connexionem habentes cum existentia Dei. Atque ex his patet ad probationem Maioris.

*Arist.*

12. Pro Maiore tamen claritate, distinguunt Scholastici cum Arist. propositionem notam *quoad se*, & *notam quoad nos*. Propositionem *notam quoad se*, siuè *per se* appellant illam, quæ apta nata est cognosci immediatè ex terminis ipsis, absque adminiculo extrinseci medij, *qualis est*, inquit S. Tho. p. p. q. 2. art. 1. *Omnis propositio, cuius prædicatum clauditur in ratione subiecti, vt homo est animal*, dicitur propositio nota per se, quia, vt illam intellectus cognoscat, non eget extrinseco medio, sed penetratis terminis, statim illam cognoscit. Propositionem verò *notam quoad nos*. Arist. vocat illam, quæ est propinquior sensui. Ex hac doctrina sequitur posse aliquam propositionem esse *notam per se*, non tamen *quoad nos*, quia potest ex se esse apta, vt cognoscatur ex terminis, nobis tamen sit ignota, qui non valemus eam exactè penetrare ex terminis: quādiu autem termini exactè non penetrantur, nō potest cognosci connexio prædicati cum subiecto, atque adeò propositio ipsa. Talis est hæc propositio, *Deus existit*; cuius prędicatum est de ratione subiecti, quia existentia est de quidditate Dei: quia tamen nos pro hac mortali vita non valemus eius terminos penetrare, cùm non valeamus proprio conceptu Deitatem concipere, sed conceptu dumtaxat analogo & communi, secundùm quem conceptum concepta Deitas non habet immediatam connexionem cum sua ipsius existentia; non possumus prædictæ propositionis veritatem immediatè cognoscere ex sola terminorum penetratione: Vnde remanet nobis ex penetratione terminorum ignota; & consequenter demonstrabilis à Posteriori per effectus creatos, habentes necessariam connexionem cum ipsa existentia necessaria Dei. *Dixi in hac vita*; quia in alia sicut Beati proprio conceptu cognoscunt Deum; ita est illis talis propositio ex terminis nota. Vnde non repugnat, vt eadem propositio respectu diuersorum intellectuum sit nota, & ignota, atque adeo demonstrabilis, & indemonstrabilis.

*S. Thomas.*

*Aristoteles.*

13. Secvnda ratio solùm procedit de demonstratione per causam, & à priori: quam demonstrationem suprà probauimus, in Deū cadere non posse; non autem procedit de demonstratione per effectus, & à posteriori, quam tantùm Deo concedimus.

14. Ad tertiam nego consequentiam; eiusque probationem: nam licet scientia & Fides actualis de eodem obiecto naturaliter esse non possit: scientia tamen & Fides habitualis de eodem obiecto simul esse possunt.

15. Ad quartam concedo, quòd quæ sunt demonstrabilia, negari non possunt ab eo, qui vim demonstrationis percipit; secus ab eo, qui vim demonstrationis non attendit: Nam quamdiu vis demonstrationis non percipitur, non potest intellectus conuinci ad assensum præbendum: quia nequit intellectus conuinci, nisi vi demonstrationis cognitæ. Quare concedo, multos Deum negasse, sed qui ad vim demonstrationis attendere noluerunt, vt expressit Sapiens Sapientiæ 13. *Neque operibus*, inquit, *attendentes agnouerunt, quis esset artifex.*

*Sapiens.*

16. Hîc disputari solet, an dari possit aliqua inuincibilis ignorantia de Deo, saltem ad tempus, & in paucis quibusdam rudibus. Affirmant Medina p. 2. q. 89. art. 6. Molina p. p. quæst. 2. art. 1. Zumel. qu. vnica concl. 3. & alij: nec negat Granadus in p. p. tract. 1. de existentia Dei Disp. 1. sect. vlt. in fine, vbi concedit cum Victoria, posse aliquem in siluis enutritum, qui nihil de Deo vnquam audiuit, laborare ad tempus inuincibili ignorantia Dei.

*Molina. Medina. Zumel.*

*Victoria.*

17. Quę sententia cum prædicta limitatione, in paucis, & ad tempus, probabilis est; absolutè tamē & vniuersaliter est falsa. Prior pars probatur: quoniam, vt ignorantia Dei sit inuincibilis, duo requirit, vnum, vt aliqua saltem cogitatio de Dei existentia animum pulset; alterum, vt talis cogitatio proponatur cum debito comparandi perfectiorem cognitionem de Deo. Etenim, si vel nulla subit animum cogitatio de Deo; vel non subit cum debito comparandi perfectiorem notitiam, non dicitur talis ignorantia inuincibilis: quia inuincibilis ignorantia dicitur, vt ex ipso nomine constat, quæ vinci non potest ab eo, qui tali ignorantia laborat; nequit autem ea ignorātia per oppositum actum scientiæ vinci, cuius aliqua non subit cogitatio cum debito habendi talem scientiam. Atqui fieri potest, vt in aliquo rudi homine vel nulla de Dei existentia cogitatio animum pulset; vel si pulset, non pulset cum debito comparandi perfectiorem: Igitur dari potest in aliquo, ad breue saltem tempus, inuincibilis ignorantia de Deo. Minor probatur: quia talis cogitatio supponit aliquam notitiam creaturarum cum dependentia ab vna prima cau-

sa, & cum obligatione illam inuestigandi; quę cogitatio non statim occurrere solet homini, tunc primùm rationis vsum exercenti, sine vlla parentum disciplina, & maiorum traditione; & multò minùs homini rudis atque hebetis ingenij; & quamuis hæc probabilis sit, probabiliùs tamē defendi potest oppositа, vt neque in paucis, neque ad tempus perfecta ratione vtētibus dabilis sit inuincibilis ignorantia de Deo, vt fusè probo in 3. tomo; & ex posterioris partis probatione colligitur.

18. Posterior autem pars constat ex communi consensu Patrum: qui propterea dicunt, notitiam de Deo esse omnibus naturaliter insitam; & colligitur ex Paulo suprà cit. ad Rom. 1. à quo absolutè & simpliciter dicuntur *inexcusabiles*, qui Creatoris sui notitia carent, cùm eam facilè possint ex creaturis comparare. Fundamentum huius est: quia notitia de Deo saltem confusa & imperfecta, est adeò facilis & obuia cuilibet, vt vix possit quis ad longum tempus excusari: *Cæli enim ipsi enarrant gloriam Dei.* Vnde Tullius 2. de natura Deor. *Quid tam apertum*, inquit, *esse potest, tamque perspicuum, cùm Cœlum suspeximus, Cœlestiaque contemplati sumus, quàm esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur?* Cuius argumentum est; quia nulla est natio tam barbara, quæ aliquam notitiam Dei, cultu aliquo non profiteatur, etiamsi erret in notitia veri Dei. Hoc ipsum confirmat supernaturalis prouidentia Dei, quæ non finit longo tempore homines ignorantia sui Conditoris laborare, sed eos subinde instruit, vel per externam disciplinam Maiorum, vel per internas illustrationes, cùm talis notitia sit simpliciter necessaria; est enim notitia vltimi Finis, sine quo nequit creatura rationalis de se ipsa perfectè disponere.

*Paulus.*

*Tullius.*

# DISPVTATIO III.

## De Essentia Dei eiusque attributis.

## SECTIO PRIMA.

### *Quid DEVS sit?*

1. ARDVA res quæritur, ipsi soli nota, cuius explicatio quæritur. Est enim Deus, teste Scriptura, *immensa lux*, ad quam nemini patet accessus, nisi per ipsius lucis aliquā reuerberationem. Vnde monet Augustinus libr. de moribus Ecclesiæ c.7. vt Diuina contemplaturi ad opacitatem autoritatis, vmbrasque creaturarum, librorumque voces, veluti ad signa temperatiora veritatis confugiamus: ne, si Diuina in se contemplari velimus, nimia luce veritatis reuerberati, ad tenebrarum nostrarum familiaritatem cum satigatione potiùs, quàm cum delectatione conuertamur. Ergo partim Fidei reuelato lumine, partim innato ratiocinatione intellectus tantæ rei explicationem aggrediamur. Et quidem Auctore Augustino libro de cognitione veræ vitæ c.7. nec non S. Thom. p.p.q.3.art.5. & 1. contra gentes c. 25. & q. 7. de potentia art. 3. perfecta definitione Deum comprehendere est impossibile: Nam quæ definiuntur, certis perfectionum cancellis concluduntur, vltra quas res ipsæ definitæ non protenduntur: Deus autem, cùm in suo esse nullo concludatur perfectionis termino, definiri haud quaquam potest, aliqua tamen descriptione potest. Duplex autem est via indagandi Dei naturam, altera à posteriori per effectus; altera à priori per rationem aliquam à posteriori priùs demonstratam. his positis.

*Augustinus*

*S. Thomas.*

2. DICO 1. A posteriori & per effectus euidenter concluditur natura Diuina infinitè perfecta, & totius potentialitatis expers. est S. Tho. p.p.q. 4. a. 2. Scoti in 1. Dist. 2. qu. 2. §. *Ostenso proposito*, Durandi Dist. 43. q. 1. Heruæi quęst. 1. Capreoli q.1.art. 1. concl.4. Rich. art. 1. qu. 2. Argent. art. 3. Ariminensis qu. 3. a. 2. & 3. ad 3. & aliorum contra Rubionem q. 1. art. 2.

*S. Thomas. Scotus. Durandus. Capreolus Heruæus. Richardus. Argentinas Ariminens. Rubio. Aristoteles*

3. Prob. Conclusio 1. Auctoritate Arist. qui 8. Physic. c. vlt. & 12. Metaphys. t. 41. infinitatem primi motoris probauit ex perpetuo motu Cœlorum: & 12. Met. t. 51. affirmat, intellectionem Dei esse ipsammet substantiam Dei: ergò agnoscit illum, vt actum purum & immunem ab omni potentialitate. Prior pars probatur duplici medio. Primò ex effectibus possibilibus perfectioribus, & perfectioribus in infinitum, hoc pacto: Omnis perfectio, quæ est in effectu, necesse est, vt præexistat in causa, aut formaliter, si est vniuoca; aut eminenter, si est æquiuoca. Atqui producibiles sunt effectus perfectiores, & perfectiores in infinitum: ergo necesse est, vt infinita perfectio præexistat in prima causa. Maior patet: nam quando causa est prin-

cipa-

cipalis, qualis est Deus, nequit perfectionem effectus continere modo imperfectiori. Consequentia prob. nam bene arguitur ex infinitate syncategorematica effectuum infinitas categorematica causę; quia cùm virtus causæ sit tota simul actu, non poterit esse infinita syncategorematicè, de cuius ratione est, vt partim sit in actu, partim in potentia: aut igitur talis virtus erit actu finita, aut infinita: finita esse nequit; alioqui assignari posset terminus, quo perfectiorem producere non posset, contra suppositum: ergò necessariò erit infinita. Maiorem ostendo: quoniam in effectibus possibilibus nullus assignari potest, quo producto perfectior produci non posset: ergò nullus est terminus assignabilis in effectibus perfectioribus, & perfectioribus producendis. Antecedens probo: quia nulla afferri potest implicantia, cur quolibet producto perfectior produci non possit.

4. II. Prob. Ex cognitione, qua Deus necessariò cognoscit infinitos effectus perfectiores & perfectiores, quos posset ipse producere, hoc modo. Omne agens intellectuale agit cognoscendo effectus, quos ipsum liberè producit. Sed Deus potest liberè producere effectus syncategorematicè infinitos: ergo cognoscit illos, non successiuè, ergo simul: nequit autem cognoscere illos cognitione finita; ergò infinita. Atqui cognitio infinita supponit potentiam, atque adeò essentiam infinitam: igitur ex cognitione omnium effectuum producibilium arguitur infinitas Diuinæ essentiæ. Maior primi syllogismi patet: quoniam agens intellectuale non potest liberè producere effectum, nisi præcognoscat illum; cùm non possit liberè producere, nisi volendo id, quod producit; atque adeò prę cognoscendo, quod vult producere; cùm nihil possit esse volitum, quin præcognitum. Minor constat ex dictis. Prior consequentia probatur: quia, si successiuè, & non simul Deus cognosceret illos, mutaretur Deus, ac proinde non esset expers potentialitatis contra id, quod mox sumus ostensuri. Minor secundi syllogismi probatur: quia vt infrà probabimus, nequeunt expressè & distinctè cognosci infiniti effectus, nisi cognitione infinita: quia, cùm cognitio substituatur loco obiecti, quod in ipsa actu cognoscitur, tantam perfectionem debet continere in esse intentionali, quantam continet ipsum obiectum in esse reali. Atqui infiniti effectus perfectiores & perfectiores continent infinitam perfectionem in esse reali: ergo & eorum distincta atque expressa cognitio, qualis est Diuina, continebit infinitam perfectionem in esse intentionali atque expressiuo. Minor tertij syllogismi elucet: quia cognitio, potentia, & essentia, mutuò sibi proportionantur: quia cùm cognitio sit actus potentiæ; potentia verò proprietas essentiæ; non potest cognitio esse infinita, potentia verò & essentia finita: alioqui actus excederet potentiam, & essentiam, cuius est actus, quod implicat.

5. Posterior pars conclusionis prob. ex actione creatiua sic; Actio creatiua de necessitate arguit actum purum in creante: sed Deus exercet actionem creatiuam erga plurimos effectus creatos: ergo ex actione creatiua concluditur in Deo immunitas ab omni potentialitate. Consequentia patet: Minor cōstat ex actione, quâ Deus producit & conseruat animas rationales, & materiam primā, quæ cùm sit independens à subiecto sustentationis, non potest esse eductio; erit igitur creatio, cùm inter eductionem & creationem non sit assignabile medium: quemadmodum nec inter dependens à subiecto, & independens à subiecto. Maior, in qua tantùm est difficultas, probatur: quia nequit agens habere actionem transeuntem perfectiorem immanente: Haberet autem Deus actionem transeuntem perfectiorem immanente, si ipsius actio immanens nō esset identificata cum propria substantia ipsius. Porrò agens, quod habet actionem immanentem identificatam cū propria substantia est actus purus, atque adeo potentialitatis expers. Maior probatur, tum quia per actionem immanentem agens perficit seipsum, per transeuntem verò aliud à seipso: nequit autem agens perficere aliud à se ipso perfectius quàm seipsum; quia se ipsum perficit primariò, aliud verò à se ipso, secundariò. Tum quia omnis perfectio, quæ est in effectu, necessariò præsuppoui debet in causa; ergo, cum actio immanens sit proxima causa transeuntis, nequit vlla perfectio, aut independentia esse in actione transeunte, quę non præsupponatur in immanente tanquam in proxima causa. Minorem assumptam ostendo: Nam creatio est actio independens à subiecto inhæsionis; quia cùm fiat ex nihilo, nullum prærequirit subiectum, cui inhæreat; sed solum terminum, cum quo realiter identificetur. Si autem Deus non haberet actionem immanentem identificatam cum propria substantia, haberet illam dependentem à subiecto inhæsionis, ac proinde imperfectiorem transeunte. Minor constat: quia, si talis actio non esset identificata cum substantia Dei, necessariò esset accidentalis, atque adeò dependens ab ipsa substantia Dei, tanquā à subiecto inhęsionis: non enim posset terminari ad aliquam substantiam intra ipsum Deum, distinctam à natura ipsius Dei; quia, cùm terminus talis actionis deberet esse aut species expressa, qua Deus cognosceret se ipsum, & creaturas, aut amor, quo se ipsum & creaturas diligeret; & nulla natura intellectualis intelligere, aut diligere possit per substantiam à se distinctam, sed vel per suammet substantiam, vel per qualitatem accidentalem; non posset talis actio, si non identificaretur cum natura Diuina, terminari ad substantiam, sed ad accidens: atque adeò necessariò foret inhæsiua subiecti. Minor subsumpta declaratur: quoniam substantia, quæ non admittit actiones immanentes distinctas, non habet potentiam passiuam, quæ primariò est ad actiones immanentes. Vnde, si Deus non habet potentiam passiuam ad proprias actiones

ctiones immanentes, multò certiùs atque euidentiùs eam non habet ad quamcunque aliam actionem ab extrinseco agente recipiendam: cùm euidens sit, nullam perfectionem Deum recipere posse à creaturis. Porrò substantia, quæ nullam habet admistam potentiam passiuam, est purus actus: quia purus actus est, qui excludit omnem potentialitatem, quæ in sola potentia passiua reperitur.

6. *Obijcies* primò: possunt effectus infiniti inferioris ordinis produci à virtute finita Ordinis altioris: ergo ex effectibus infinitis producibilibus non concluditur virtus infinita, sed solùm altioris ordinis. Respondetur. Nego antecedens, quando effectus producibiles infiniti continentur in causa secundùm eandem rationẽ formalem, cuiusmodi sunt substantiæ intellectuales perfectiores & perfectiores in infinitum. Etenim perfectio vitę intellectualis formaliter continetur in Deo, atque adeò ex substantijs intellectualibus perfectioribus & perfectioribus in infinitum, rectè concluditur infinita perfectio vitæ intelligentis in Deo. Cuius ratio est: quia quando perfectio effectus continetur formaliter in causa, non potest infinita perfectio communicabilis effectui, contineri in causa secundùm virtutem finitam: quia tunc virtus finita causę continere potest perfectionem infinitam effectus, quando virtus causæ continet eminenter perfectionem effectus: Nam quando perfectio effectus continetur formaliter in causa, productio effectus fit per communicationem graduum perfectionalium eiusdem rationis: ac proinde, si tales gradus communicabiles sunt infiniti, prę supponi debent etiam infiniti in causa secundùm eandem rationem formalem; cùm nequeant præsupponi in aliqua virtute finita eminentiore: vt si infiniti gradus lucis producibiles essent à luce, necessariò in luce supponerentur infiniti gradus virtutis.

7. *Obijcies* secundò: Potest Beatus cognitione finitâ expresè & distinctè cognoscere Deum infinitum: ergo posset Deus cognitione finita distinctè cognoscere effectus producibiles infinitos. Resp. nego consequentiam, ratio discriminis est: quia Beatus non cognoscit Deum per speciem expressam, sed per puram tendentiam vitalem ad obiectum: at Deus cognoscit effectus producibiles per speciem expressam, & non per puram tendentiam vitalem ad illos. Potest autem pura tendentia vitalis ad obiectum infinitum esse finita; non autem species expressa distinctè repræsentans obiecta infinita. Maior patet: quia species expressa substituitur vice obiecti; ergo quando obiectum est per se intelligibile, & intimè præsens potentiæ, qualis est Deus respectu intellectus Beatorum, non est necessaria species expressa, in qua proximè videatur obiectum: sed poterit tunc obiectum videri in se ipso existens, per solam vitalem tendentiam ad illud. Minor assumpta probatur: quia, quando obiectum est absens, non potest cognosci per puram tendentiam, quia hæc supponit obiectum prę sens potentiæ, quę possit illud cognoscere in se ipso: ergo quando est absens, debet exprimi intra ipsam potentiam in esse intentionali & repręsentatiuo. Vnde si obiectum exprimendum est infinitum, expressio ipsa debet esse infinita: quia esse intentionale debet proportionari esse reali. Cùm igitur effectus producibiles à prima causa sint infiniti, nec actu præsentes omnes, vt simul distinctè cognoscantur omnes, debent exprimi intra ipsam potentiam cognoscitiuam, per speciem expressam quæ in esse intentionali contineat omnes perfectiones reales obiectorum. Minor subsumpta constat: quia cùm pura tendentia vitalis non debeat exprimere obiectum in esse intentionali, sed tantùm ducere potentiam ad obiectum in se ipso cognoscendum, etiamsi obiectum sit infinitum, non necessariò ipsa erit infinita. Contrà verò, quia species expressa debet exprimere obiectum in esse intentionali, & subire vicem obiecti realis absentis, si obiectum exprimendum est infinitum, ipsa quoque species expressa erit infinita; quia debet in esse intentionali proportionari esse reali obiecti, alioquin non exprimeret illud distinctè & adæquatè secundùm omnes perfectiones, quas continet in se.

8. Dico secundò: Demonstrato Deo per effectus à posteriori, rectè concluditur per rationem à priori, Deum esse infinitè perfectum quoad omnes perfectiones, quæ in tota latitudine entis excogitari possunt, vt compossibiles inter se; atque adeo esse ipsum infinitum & interminatum esse secundùm totam plenitudinem essendi, quem sancti pelagus totius esse appellant. Ratio autem, quâ à priori demonstratur, Deum esse talem, qualem hactenus descripsimus, est ipsa necessitas essendi, quam demonstrant à posteriori effectus ipsi creati. Ex qua necessitate essendi sic deduco singula: Deus necessariò est: ergo essentialiter est. Ergo nulla in Deum cadit essendi limitatio. ergò actu est tota essendi plenitudo. ergo nulla est perfectio possibilis, quę in Deo actu non sit aut formaliter, aut eminenter: ergo est ipsum esse infinitum, & interminatum. Prima consequentia patet: quia quod necessariò est, ab intrinsecis & ex propria natura postulat esse: quia cùm sit ipse actus essendi, à nullo productus, sed à se ipso non causaliter, sed formaliter existens, se ipso essentialiter est.

9. Secunda probatur: quia omnis limitatio essendi est ab aliqua causa, limitante suum effectum ad tale, vel tantum esse: Deus autem nullam habet causam; ergo nullam limitationem in essendo. Maior constat: quoniam esse, vt sic, nullã dicit limitationem: nam esse, vt esse, solùm excludit non esse. Igitur quidquid concipitur vt possibile, & non inuoluens repugnantiam ad esse, id totum actu & formaliter reperitur in ipso esse per essentiam.

10. Tertia consequentia elucet: nam ex quo Diuinum esse non limitatur ad hoc,

vel illud

vel illud esse, sed est ipsum purissimum esse, continet totam plenitudinem essendi. Quam essendi plenitudinem expressit Dionysius ca. 3. de Diuinis nominibus: vbi *non quoquo pacto Deus*, inquit, *est ens, sed simpliciter & incircumscripte, totum in se esse pariter ambiens, & præambiens*: & Damascen. lib. 1. de Fide. ca. 12. vbi cùm probasset ex omnibus nominibus, quæ Deo tribuuntur, nullum aptius, quàm entis nomen, ipsius naturam exprimere, subdit: *Vniuersum enim id, quod est, tanquam immensum quoddam & infinitum essentiæ pelagus complexu suo continet.* Quin & Deus ipse Exod. 3 hanc suam essendi plenitudinem expressit, cùm interroganti Moysi quis esset, respondit: *Ego sum qui sum.* Is autem propriè est, cui nulla ratio essendi deest.

*Dionysius.* *Damascen.* *Exod. 3.*

11. QVARTA consequentia etiam constat: nam si qua perfectio possibilis esset, quæ in Deo actu non esset aut formaliter, aut eminenter: non esset in eo tota plenitudo essendi. Nam plenitudo essendi, vt Chrysostomus 2. ad Colossenses homil. 6. definit, *est quod aliud non capit*; nam quod totum est, plenitudo dicitur. Confirm. quia nulla perfectio concipi potest vt possibilis, nisi virtute primę causæ. Ergo omnis perfectio possibilis contineri debet in prima causa, à qua omnis possibilitas essendi debet originem ducere. Vltima etiam consequentia claret: quia tale esse nullo finitur limite; nullo clauditur termino: proinde infinitum & interminatum est.

*Chrysost.*

12. Pro maiore explicatione quartæ consequentiæ, duplex perfectionis genus distinguunt Theologi, alterum simpliciter simplicis; alterum ad certum genus limitatæ. Prioris generis sunt, quæ in suo conceptu obiectiuo nullam inuoluunt imperfectionem; cuiusmodi sunt ratio substantiæ, vitæ, sapientiæ, & cætera huiusmodi. Quod genus perfectionis Anselm. in Monologio. c. 13. definit esse illam, *quę in vnoquoque melior est ipsa, quàm non ipsa*: hoc est, vt Scotus explicat in 1. Dist. 6. q. 1. ad 1. & Caiet. de Ente & essentia. ca. 2. q. 3. quæ in vnaquaque re considerata sub ratione entis melior est ipsa, quàm oppositum & incompossibile ipsius: vt considerato equo, non vt equo, sed vt ente, melius esset illi intelligere, quàm quæuis alia perfectio huic repugnans, & incompossibilis: licet equo, considerato vt equo, non sit melius intelligere, quàm non intelligere, quoniam intelligere destruit naturam equi: nulla autem perfectio quantumuis maxima, potest melior esse supposito, cuius est destructiua. Quòd autem debeat Anselmi definitio intelligi contrariè, non autem contradictoriè, ex eo patet: quia alioqui omnis perfectio esset simpliciter simplex; cùm omnis perfectio sit melior, quàm contradictorium ipsius. Alio modo solet hæc perfectio describi, vt sit ea, quæ cum nulla alia maiore vel æquali repugnat: vt ratio spiritus dicitur perfectio simpliciter simplex, quia cũ sapientiâ, quę est perfectio maior, vel æqualis, non repugnat. Contrà verò ratio corporis non dicitur perfectio simpliciter simplex, quia pugnat cum perfectione vitæ intellectualis, quæ est perfectio maior. Posterioris generis sunt, quæ in suo conceptu obiectiuo non præscindũt ab aliqua imperfectione: tales sunt omnes perfectiones creatæ vt sic: quia omnis perfectio creata vt sic, saltem inuoluit limitationem & finitudinem, quæ pugnat cum perfectione infinita & illimitata maiore.

*Anselmus* *Scotus* *Caietanus.* *Anselmus.*

13. Adhuc tamen duplex perfectio reperitur in creaturis; altera, quæ ex suo genere nullam inuoluit imperfectionem, vt ratio vitæ, Sapientiæ, & similia, quæ ex se considerata nullam inuoluit in suo conceptu imperfectionem, licet contracta ad vitam, & Sapientiam creatam, inuoluat finitudinem & accidentalitatem: altera, quæ ex suo genere imperfectionem importat, à qua nunquam potest præscindere: vt ratio corporis, & accidentis, quibus essentialis est imperfectio, quã important, & ideò non possunt ab illa præscindere. Prioris generis perfectiones sunt in Deo formaliter, quia cùm nullam inuoluant imperfectionem, & cum alijs maioribus, aut æqualibus non pugnent, nequeunt altiori modo in Deo contineri, quàm formaliter. Posterioris verò generis continentur eminenter; quia cùm imperfectionem inuoluant, & cum alijs perfectionibus maioribus pugnent, nequeunt in Deo esse formaliter, sed eminenter. Qui modus continentię perfectissimus est, quia est continere illas modo nobiliori per entitatem, & perfectionem altioris ordinis, cum virtute & efficacitate eas producendi: defectu cuius virtutis & efficacitatis, quę ad eminentialem continentiam essentialiter requiritur, non dicitur angelus eminenter continere res corporeas, licèt sit perfectior illis.

14. Aduertendum tamen est, in Deo non esse aliud & aliud genus perfectionis, imò neque alias & alias perfectiones propriè loquendo, quia hoc denotat distinctionem vnius perfectionis ab alia; sed esse vnam simplicissimam entitatem, quæ sine vlla distinctione in re, est omnis perfectio possibilis: quæ per ordinem ad nostrum intellectum, concipientem illam relatè ad creaturas, fundat talem diuersitatem perfectionum: cum aliquo tamen fundamento in re, propter omnimodam plenitudinem essendi.

15. DICES: quod continet omnes perfectiones possibiles, nullam à se excludit: ergo non admittit distinctionem aliorum entium à se; alioqui excluderet illam perfectionem, quæ esset in alijs entibus à se distinctis. Respond. Nullam perfectionem à se excludere, vel formaliter, vel eminenter; excludere tamen aliquas formaliter, quas tamen eminenter connet, vt sunt omnes perfectiones creatæ, vt sic. Vnde negatur consequentia: & ad prob. concedo, excludere illam perfectionem, per quã distinguitur ab alijs entib. formaliter, eandem tamen includere eminenter. Et sic rectè cohęret, Deum esse omnia, & tamen distingui ab omnibus; quia est omnia eminenter, non

est omnia

est omnia formaliter: Distinguitur autem ab omnibus formaliter, non eminenter.

16. Dico 3. Deus est, quo melius excellentiusque, excogitari non potest. Est ferè omnium Sanctorum proloquium. Anselmi in Prosologio c. 1. 15. & 18. Bernardi lib. 5. de Considerat. Senecæ in Præfat. librorum qq. naturalium. Fundamentum est: quia non potest excogitari melior modus essendi, quàm esse à se essentialiter, & cum tota plenitudine essendi: sed Deus est à se essentialiter, & cum tota plenitudine essendi, vt probatum est; ergo est quo melius excellentiusque excogitari non potest. Confir. quia vel id, quod excogitari posset melius & excellentius, est perfectio realis, & eo ipso actu reperitur in Deo, à quo nulla perfectio realis abesse potest, & extra quem nulla realis perfectio excogitari potest: vel non est realis; & iam non est melius excellentiusque Deo; quia quod reale non non est, perfectio esse non potest: perfectio enim in aliqua realitate fundetur, oportet.

*Anselmus.* *Bernardus.* *Seneca.*

17. Ex dictis deducitur primò, Deum non solùm esse Primum Principium eminentissimum in causando, quo eminentius dari vel excogitari non potest, sed etiam vltimum finem, quo vlterior fingi non potest. Fundamentum est: quoniam omne agens intellectuale, qualis est Deus, agit propter aliquem finem: at propter nullum alium finem vltimatum à se distinctum agere potest Deus: igitur Deus est vltimus finis, non tantùm sui, sed etiam creaturarum. Maior patet: quoniam omne agẽs intellectuale agit propter aliquod bonum; non enim impellitur ad operandum, nisi allectum ab aliquo bono; bonum autem & finis coincidunt. Minor etiam constat: quoniam nullum ens est melius Deo: ergo in nullo, quàm in se ipso tanquam in vltimo fine quiescere potest Deus: etenim finis vltimus est, in quo agens, tanquam in summo bono conquiescit. Quod autem Deus non solùm sit vltimus finis sui, sed etiam creaturarum, probatur; quia Deus in productione creaturarum non potest alium finem vltimum intendere, quàm se ipsum: ergo non solùm est finis sui, sed etiam creaturarum. Consequentia patet; quia creaturæ non possunt ad alium finem inclinare, quàm ad quem ordinantur à Creatore: nam sicut Creatoris est dare esse; ita eiusdem erit dare certam inclinationem cum esse. ergo ipsius est ordinare creaturas, quas cõdit ad vltimum finem. Cùm igitur probatum sit, Deum in productione creaturarum non posse alium finem vltimum intendere, quàm se ipsum, idem erit finis sui, & creaturarum. Lege Scotum in 1. dist. 2. qu. 2. §. *Quantum ad secundum argumentum.*

*Scotus.*

18. Deducitur 2. Deum esse actum purum, nulli potentiæ passiuæ admistum: nam omnis potentia passiua includit priuationem alicuius perfectionis, quam possit habere. Deus autem actu continet omnem perfectionem intra totam latitudinem entis possibilis: ergo excludit omnem potentialitatem, cui est essentialiter subiecta creatura: quia omnis creatura est in potentia tam obiectiua ad esse, quàm subiectiua ad recipiendam aliquam perfectionem. Solus Deus essentialiter est omnis perfectio. Dixi *Potentiæ passiuæ*: quoniam actiua, cùm non sit ad perficiendum se, sed aliud à se, est enim teste Arist. 5. Met. 12. *principium transmutandi aliud, in quantum aliud*, actui puro non repugnat.

*Aristoteles.*

## SECTIO II.

### *An natura Diuina à parte rei formaliter includat omnes perfectiones attributales?*

19. Nomine attributi importatur quælibet perfectio absoluta, prædicabilis de Deo ad instar formæ adiacentis naturę, quę melior sit ipsa, quàm non ipsa. Aliqui Scotistæ attributum distinguunt à modo intrinseco: eò quòd attributum superaddit formalitatem ratione saltem distinctam à natura, cui attribuitur; modus autem nullam superaddit formalitatem ratione diuersam ab eo, cuius est modus, sed solùm modificat fundamentum intra eandem perfectionem, vt finitas, vel infinitas addita enti non variat illud, sed modificat intra eandem rationem entis: Sapientia verò addita substantiæ perficit illam sub diuersa ratione.

20. Ab attributi ratione excluduntur 1. relationes & origines, quæ non sunt perfectiones absolutę. 2. Perfectiones importantes aliquid per modum constituentis naturam, vt esse, substantia, vita, Deitas: quia attributa debent, saltem ex modo nostro significandi & concipiendi supponere naturam, cui concipiuntur aduenire ad instar proprietatis, denominantis illam accidentaliter, vt potens, sapiens, iustus, &c. 3. Perfectiones liberę, vt esse creantem, prædestinantem, iustificantem: quia hæc formaliter sumpta non ponunt perfectionem in Deo, sed in re ipsa creata, prædestinata, iustificata. Vnde non sunt meliores ipsę, quàm non ipsæ: Non enim melius est Deo prædestinare, quàm non prædestinare. Addit Durand. in 1. Dist. 2. quę st. 3. n. 7. attributum presè sumptum importare solam perfectionem Deo & creaturis communem: *hæc autem*, inquit, *sunt, quæ nec in sua ratione imperfectionem includunt, nec eam excludunt: Nam, si imperfectionem includerent, Deo non conuenirent; si eam excluderent, non conuenirent creaturis.* Vnde infinitas, æternitas, immensitas, immutabilitas, & cętera huiusmodi excluduntur à ratione attributi, quoniam non sunt Deo & creaturis communia. Sed non est, cur hanc limitationem addamus, quam nec Patres, de Diuinis attributis loquentes, nec Scholastici de ijsdem disputantes addunt. lege Augustin. 15. de Trinit. c. 5. Damascen. 1. de Fide c. 4. & 12. His positis Controuersia est, an essentia Diuina

*Durand.* *August.* *Damascen.*

has

has perfectiones includat formaliter ex natura rei.

*Gualterus. Iacob. de Viterbo. Argentinas*

21. PRIMA sententia Gualtheri, relati à Nipho. 12. Metaphysices disput. 13. cap. 3. & Iacobi de Viterbo apud Argent. in 1. distinct. 8. quæstione 1. art. 4. affirmantium naturam Diuinam realiter ab attributis, & attributa inter se distingui. Fundamentum est, quia quę sunt, vel se habent vt in diuersis prędicamentis, distinguuntur realiter: attributa autem, & essentia sunt, vel se habent vt in diuersis prędicamentis: nam essentia est vt in prædicamento substantię; attributa vt in prædicamentis accidentium. Cum hac tamen distinctione saluant Diuinam simplicitatem: eò quòd ad realem compositionem non solùm requiruntur plura, sed quorum vnum se habet vt potentia, alterum vt actus: Deus autem, cùm sit purus actus, potentia esse non potest; ac proinde realiter cum attributis componere nequit. Confirmatur: quia modus intelligendi sequitur modum essendi: sed attributa Diuina intelliguntur à nobis vt distincta; ergò sunt in se ipsis distincta.

22. Hæc sententia intellecta de distinctione reali presse sumpta, est hęretica: cùm non possit in Deo saluare simplicitatem, quam certâ Fide tenemur Deo concedere. Etenim, si essentia & attributa distinguuntur, vt res diuersorum prędicamentorum, nequeunt distingui, nisi vt substantia & accidens, atque adeò vt componentia vnum quid accidentale. Negandum igitur est, in Deo essentiam & attributa distingui vt res diuersorum prædicamentorum. Neque ex eo, quòd concipiuntur à nobis ad instar rerum diuersorum prædicamentorum, distinguuntur & inter se; quia non licet argumentari ex imperfecto nostro modo concipiendi, qualem de Deo Diuinisque in hac vita habemus, ad rem ipsam secundùm se.

*Scotus. Lichetus. Pet. Aquil Mayronus. Rubio.*

23. SECVNDA sententia Scoti in 1. dist. 8. q. 4. §. *ad quartum*, & quodlib. 1. qu. 1. §. *de primo*. Lichet, Petri Aquilani ibidem, Mayroni dist. 8. q. 1. §. *nunc quartò videndum*. & q. 3. per totã, & q. 5. §. *his visis*, & reliquorum Scotistarum, excepto Rubione, admittentium distinctionem ex natura rei inter essentiam & attributa ipsa inter se. Nec potest Scotus explicare de distinctione rationis, vt ex præcitatis locis cõstat, & in 1. dist. 12. q. 1. §. *contra istam opinionẽ*, vbi expresse hanc opinionem de distinctione rationis refutat. Distinguunt autem quatuor genera distinctionum Scotistę, vt videre est apud Mayronum. Prima dicitur essentialis, quâ vna quidditas existens distinguitur ab alia quidditate existente, vt Deus à creaturis. Secunda realis, qua res distinguitur â re, vt pater à filio. Tertia formalis, qua quidditas vnius non est quidditas alterius, vt quidditas Sapientię, non est quidditas Bonitatis. Quarta modalis, quæ est inter quidditatem & modum ipsius, vt inter Sapientiam & eius finitatem, vel infinitatem.

*Mayronus.*

24. Ex his prima est omnium maxima, quia includit reliquas omnes: post hanc sequitur realis, quæ includit distinctionem entitatis ab entitate. Tertia media inter realem & modalem, est formalis, seu quidditatiua: Minima verò omnium est modalis, quia per eam non fit exitus ab eadem ratione formali: modus enim adueniens formalitati non variat illam, sed auget, vel minuit intra eandem rationem formalem. Ex his distinctionibus primam & secundam, nempe essentialem & realem excludunt ab essentia & attributis diuinis; quia non distinguuntur entitatiuè, sunt enim vna entitas. & hoc modo ipsi saluant diuinam simplicitatem, nec non dictum Damasceni quod Deus sit *pelagus omnium perfectionum*, nimirum identicè: admittunt autem distinctionem formalem, quia quidditas vnius non est quidditas alterius; & modalem inter quodlibet attributum, & eius infinitatem. Fundamenta huius sententiæ afferemus infrà.

*Damasc.*

25. TERTIA sententia Magistri in 1. d. 8. S. Thomæ 1. p. q. 13. ar. 4 & 12. & de potentia q. 7. a. 6. & 1. contra Gent. ca. 54. & 73. Capreol. in 1. d. 8. q. 4. ar. 1. Caie. de ente & essentia to. 3. tract. 7. q. 12. & 1. p. qu. 39. ar. 1. Rich. in 1. dist. 2. ar. 1. q. 2. & 3. Baccon. q. 1. ar. 1. concl. 2. Aliacens. q. 6. ar. 2. Aureoli. d. 8. part. 3. ar. 5. Ochami in 1. d. 2. qu. 1. & reliquorum tum antiquorũ, tum recentiorum Theologorum affirmantium, nullam distinctionem ex natura rei intercedere inter essentiam & attributa, consequenter diuinam essentiam à parte rei formaliter includere omnes perfectiones attributales. Quæ sententia adeo vera est, vt opposita sententia Scoti à multis vt suspecta, & in fide parum tuta censeatur.

*Magister. S. Thomas. Capreolus Caietanus Richardus. Baccanus. Aliacensis. Aureolus. Occam. Reliqui Theologi.*

26. Hæc autem sententia, vt vera, nobis sequenda est: & probatur primò ex Concilio Rhemensi sub Eugenio III. vbi contra Gilbertum definitur, relationes & essentiam non esse *ratione Theologica* distinguẽda: erat autem *ratio Theologica* in sententia Gilberti distinctio ex natura rei, prout opponitur rationi mathematicæ, quæ est sola distinctio rationis. Si ergo inter essentiam & relationes, non est distinctio ex natura rei: à fortiori neq; erit inter essẽtiam & attributa, quę sunt minùs apta distingui, quàm essentia & relatio; cùm hæc ambo sint absoluta, illa verò absoluta & relatiua, quę sunt minùs apta ad conueniendum in eandem rationem formalem.

*Concilium Rhemense. Gilbert.*

27. Secundò ex PP. qui primò docẽt, attributa esse ipsãmet essentiã Dei. Aug. 7. de Trinit. c. 6. *Hoc illi est esse, quod Deum esse, quod magnũ, quod bonũ &c.* & 15. de Trin. c. 6. *Deus est*, inquit, *sua ipse sapientia: quia nõ est aliud sapiẽtia eius, aliud essentia; cui hoc est esse, quod sapientem esse*. Huc accedit duplex loquendi modus eiusdem Aug. alter, quò affirmat eò Deum, quò viuentem, quò intelligentem, quò potentem: vt in quæstiunculis de Trinitate, *Deus eo ipso*, inquit, *quo est, viuit; & eo, quò viuit, intelligit; & eo, quo intelligit, potest; & eo, quo potest, est: quia simplex Deitatis natura vnum habet esse, viuere, & omnia posse*. Porrò terminus *Quo*, ratio-

*Augustin.*

nem formalem, per quam res est, importat. Si ergo Deus est, quo intelligit, quo potest, quo bonus est; &c. non igitur intelligit, potest, aut bonus est per rationem formalem ab essentia distinctam. Alter modus loquendi est, quo docet, idem esse in Deo esse, *quo est, & quod est.* 15. de Trin. c. 5. *Non enim*, inquit, *percipit Sapientia, quâ fit sapiens, sed ipse sapientia est.* Si autem Deus esset Sapiens sapientiâ formaliter distinctâ, non posset Deo sapientia esse ratio *Quâ* & *Quæ* simul, sed tantùm *Quâ*. Nam ea dicitur ratio *Quâ* & *Quę* simul, quæ est essentialis rei, vt eadem est ratio quâ lux est lucida, & lux ipsa. Secundò expresse negant in Deo esse plura, vel aliud & aliud, sed omnia, quæ de Deo dicuntur, esse vnum, solâ voce diuersa. Aug. 6. de Trinit. c. 7. & lib. 7. c. 1. Bernard. 5. de Consider. *voces*, inquit, *diuersæ, semitæ multæ, sed vnum per eas significatur*, Tertiò affirmant, quidquid in Deo est, esse Deum ipsum: at non quidquid in Deo est, Deus esset, si attributa ab essentia, & inter se distinguerẽtur. Nam Deus Deitate est Deus: si autem sapientia suapte natura distingueretur à Deitate, Sapientia suapte natura non esset Deus, atque adeò, non quidquid in Deo est, Deus esset.

*Auguſt.* *Bernardus.*

28. Tertio Prob. rationibus. Prima ducitur ex diuina simplicitate. Est enim Deus ex Cõcilio Lateran. sub Innoc. III. vt refertur in c. *Firmiter* de summa Trinitate & Fide Catholica, *omninò simplex*, non esset autem *omninò simplex*, si aliquam admitteret ex natura rei distinctionem inter essentiam & attributa: Nã vbi est aliqua distinctio, ibi est aliqua compositio, quę summę simplicitati repugnat, maior quippè est Vnitas formalis, quàm identica, maiorque simplicitas consurgens ex vnitate formali, quàm ex vnitate reali: Deo autem summa vnitas concedenda est: Nam hæc est perfectio simpliciter simplex: sicut enim conceditur Deo summa perfectio, ita & summa Vnitas: alioqui, vt rectè Bernard. loco præcitato, non esset Deus, quò maius excogitari nõ posset, quia excogitari posset simplicior.

*Concilium Lateran.*

29. Concedit Lychetus q. 3. §. penult. Summam simplicitatem Deo, quia hæc, inquit, excludit compositionem, quæ Deo repugnat: attributa autem non componunt cum essentia, vel inter se, etiamsi distinguantur formaliter; quia cum hac distinctione formali, sunt vnum perfectissima identitate cum essentia: sicut nec obstat Diuinæ simplicitati realis distinctio personarum: quia licet hæ distinguantur inter se, quia tamen sunt vnum per identitatem cum essentia, nullam in Deo ponunt compositionem. Negat tamen summam Vnitatem, quoniam hæc, inquit, excludit omnem pluralitatem: in Deo autem, cùm sit pluralitas formalitatum, non est summa vnitas, quia hæc non dicit perfectionem.

*Lychetus.*

30. Contra primam, quia impossibile est, plura suapte natura distincta conuenire ad constituendum vnum, sine aliqua reali constitutione: nam vbi est reale constitutum ex ratione priore, & posteriore à parte rei, ibi necessariò est aliqua realis constitutio; nam hæc nil aliud est, quàm plurium distinctorum ad vnum concursus. Nec est eadem ratio de Diuinis relationibus: quia hæ non faciunt vnum inter se, sed cum essentia; & qua ratione cum essentia constituunt vnum ab ipsa non distinguuntur: attributa verò & inter se, & cum essentia constituunt vnum, alioqui non possent de se inuicem, aut de essentia prędicari. Secundum falsum est: nam cæteris paribus, eò ens est perfectius, quò magis vnum; quia quò magis est vnum eò est in sua ratione illimitatius. Vnde Auerroes 12. Metaphysices t. 37. eodem modo affirmat Deum esse summè vnum ac summè simplicem.

*Auerroes.*

31. Secvnda ratio deducitur ex infinitate & illimitatione Diuinæ essentiæ, quæ ex eo, quod est à se, modò est illimitata in omni genere perfectionis possibilis, verùm etiam in modo eas continendi: atqui non implicat, eas continere, indistinctè formaliter: ergò ita eas de facto continet. Maior cum consequentia est euidẽs. Minorem probo ex ipso Scot. in 2. dist. 3. qu. 9. §. *secundo modo*, hoc pacto. Ea, quę sunt dispersa in inferioribus, adunãtur in superioribus, vt inductione constat: vegetatiuum enim, & sensitiuum in plantis & brutis realiter distincta, in homine sunt vnum. Vis calefactiua, & exsiccatiua in elementis distinctæ, in Sole coincidunt in vnam rationẽ formalem, ipso Mayrono teste. Vis perceptiua coloris, odoris, saporis, &c. in sensibus externis multiplicata realiter, in sensu communi, & in intellectu adunatur in vnam eandemque rationem formalẽ. Cuius ratio à priori ea est, quia quò magis aliqua eleuantur ad naturam superiorem, eò magis euadunt perfectiora atque illimitatiora. ergò quę eleuantur ad naturam supremam, atque infinitam euadunt infinitè perfecta atque illimitata: ergò non solùm euadunt vnum realiter, sed etiam vnum formaliter, alioqui manerent limitata in vna tantùm ratione formali.

*Scotus.* *Mayronus.*

32. Confirmatur ad hominem contra Scotum, qui in 2. dist. 3. qu. 1. docet. Hæccitatem distingui formaliter à natura creata, ab increata verò nullo modo. Item per Scotistas, vt cõstat ex Lycheto in 2. dist. 3. q. 1. §. *dico*, gradus differentialis naturæ creatæ distinguitur formaliter à generico. In Deo autem ex Scoto quodlib. 1. q. 1. §. *de altero*, intellectualitas, quę est quasi gradus differentialis naturæ Diuinæ nullo pacto distinguitur à natura Diuina, cùm sit illi essentialis, ergò licet Sapientia, Bonitas, & reliqua attributa realiter, aut formaliter distinguantur in creaturis, in Deo nullo pacto distinguenda sunt.

*Scotus.* *Lychetus.*

33. Tertiò sequeretur, vnum attributum non modò formaliter distingui ab alio, verùm etiam à se ipso: Nam scientia Dei de se ipso, est formaliter diuersa à scientia eiusdem de creaturis: atqui hæc, vt est possibilium, diuersa est à se ipsa, vt est futurorũ; & scientia naturalium à sciẽtia supernaturaliũ. Vnde tot erũt sciẽtię distinctę formaliter in Deo, quot obiecta ipsa

cta ipsa formaliter diuersa, ad quæ illa terminatur; nam eodem modo scientiæ distinguuntur in creaturis, à quibus Scotistæ argumentantur ad diuina. Idem argumentum fieri potest de potentia creatiua & eductiua; & creatiua hominũ atque Angelorum. Quod si non obstante reali ac formali diuersitate scientiarum, & potentiarum in creaturis, vna ponitur scientia in Deo, ac potentia formalis: ergo non obstante diuersitate formali essentiæ, & attributorum in rebus creatis, vna ponenda est ratio formalis essentiæ, & attributorum in Deo: quia si non implicat in vno, neque implicabit in reliquis, & alioqui maior est perfectio debita primo Enti.

34. QVARTA ratio à priori est; quia omnis distinctio præter eam, quæ fundatur in essentiali oppositione relatiua, prouenit ex limitatione & finitate extremorum, vt inductione constat: nam quãtò magis aliqua eleuantur in natura superiore, tantò minùs distinguuntur inter se, & à natura ipsa, cuius sunt perfectiones: sed attributa & essentia diuina non opponuntur relatiuè, & nullam habent finitatem & limitationem; ergo nullam admittunt inter se, & cum natura distinctionem; alioqui si sapientia formaliter distingueretur à bonitate, limitaretur ad solam formalitatẽ sapientię, atque adeo non esset infinita & illimitata in tota latitudine entis possibilis. Confirmatur ex ratione actus puri, nam hic excludit omnem potentialitatem: si autem essentia distingueretur ab attributis, esset in potentia passiua ad illa; nam licet nunquam esset sine illis, tamen esset sub illis, vt potentia sub actu, quod non tollit passiuam potentiam; sicut non tollitur passiua potentia in cælis, etiamsi semper fuerint sub actu substantiali; nec tollitur actiua potentia intra Deum, etsi illa nunquam fuerit sine suo termino producto.

35. *Obijciunt* Scotistę primò: Diuersæ emanationes ex natura rei arguunt distincta principia: sed in Deo sunt diuersæ emanationes ex natura rei, generatio scilicet & spiratio; igitur & distincta principia: atqui principium generationis est intellectus, spirationis voluntas: ergo intellectus & voluntas distinguuntur ex natura rei in Deo. Resp. negando maiorem: possunt enim ex eodem principio formali diuersæ oriri emanationes, vt ab eadem voluntate; quod admittit ipse Mayronus q. 3. §. *Hìc dico*, productio Spiritus sancti ad intra, & creaturarum ad extra; ab eadem omnipotentia creatio & eductio: & ab eadem voluntate amor & odium. Ratio verò est, quia maior vnitas reperitur in principio, quàm in effectu. *Mayronus.*

36. *Obijciunt* 2. Filiatio & spiratio passiua sunt relationes disquiparantiæ distinctæ realiter in Deo: ergo supponunt fundamenta ex natura rei distincta; hæc autem nequit esse essentia: ergo intellectus & voluntas, in quibus illæ proximè fundantur. Prior consequentia probatur, quia idem, in quantum idem, non potest esse fundamentum diuersarum relationum; non enim alba vt alba fundare possunt relationes dissimilitudinis: si igitur in Deo intellectus & voluntas essent idem, non possent fundare oppositas relationes. Respond. Negando primam consequentiã. Non enim relationes diuinæ distinguuntur per aliquid absolutum, tanquam per proximum fundamentum, sed per seipsas, quia æquiualent relationibus transcendentalibus creatis, quæ se ipsis distinguuntur formaliter & fundamentaliter; plures enim potentiæ eiusdem animæ se ipsis distinguuntur formaliter & fundamentaliter.

37. *Obijciunt* 3. Sapientia vt sapientia non est Bonitas: ergo nec contracta ad increatam erit Bonitas. Antecedens cõstat, alioqui etiam sapientia creata esset bonitas, quia quidquid per se competit superiori, per se etiam competit inferiori; sapientia autem est superior ad creatam & increatam: ergo si sapientiæ vt sapientiæ conuenit esse bonitatẽ, etiam sapientiæ creatę id conueniet. Consequentiam verò probat Scotus; quoniam ratio increati non extrahit Sapientiam à ratione Sapientiæ, sed solùm reddit illam infinitam intra idem genus sapientię. Confirmatur, quia sapientia est magis eadem sibi, quàm Bonitati: ergo per maiorem aliquam identitatem, quam non habet cum Bonitate. Resp. Sapiẽtiam & Bonitatem communissimè sumptas præscindere ab vnitate, & distinctione ex natura rei, & solùm importare distinctionẽ ratione præcisam ab actuali, & virtuali: nã sicut ab inferioribus abstrahitur ratio communis præscindens, ita distinctio communis præscindens, quæ contracta ad Deum erit virtualis, contracta ad creaturas erit realis. Vnde Sapientia diuina, non quà sapientia, sed quà diuina, formaliter includit Bonitatem, & reliqua attributa, quia vt sic includit illimitationem, ratione cuius implicitè inuoluit omnes perfectiones compossibiles. Lege S. Thom. opusculo 9. q. 1. *Scotus.* *S. Thomas.*

38. VRGES. Vnitas & distinctio sunt immediatè oppositæ enti: ergo cui determinatè non conuenit vnum, determinatè conueniet alterum. Ergo si sapientię, vt sic, non conuenit vnitas cum Bonitate, necessariò conueniet distinctio à Bonitate. Resp. Antecedens esse verum de entibus in particulari, non autẽ de rationibus in communi: nam sicut rationes in communi prę scindũt ab hac, vel illa ratione; ita ab hac vel illa distinctione. Quare sapientia in cõmuni, neque dicit distinctionem neque vnitatem cum bonitate, sed prę scindit ab vtraque. Distincto igitur Antecedente, nego consequentiam: nam ratio increati, cùm dicat rationem illimitati in omni genere perfectionis, non solùm reddit sapientiam infinitam in genere sapientiæ, sed etiam in genere Bonitatis, & omnis perfectionis possibilis. Nec propterea illam extrahit à ratione formali sapientiæ, sed tantùm superaddit alias perfectiones, quas exigit Sapẽitia diuina, qua diuina est formaliter. Ad Confirmationem dico, sapientiã esse magis eamdẽ sibi, non per maiorem identitatem actualem, sed virtualẽ; nam sibi est eadem actualiter & virtualiter, boni-

bonitati verò est eadem tantùm actualiter, non virtualiter.

39. *Obyciunt* 4. Implicat de eadem re omninò indistincta cõtradictoria verificari. Atqui de diuinis perfectionibus contradictoria verificantur; ergo distinguuntur ex natura rei. Maior cum consequentia constat. Minorem probant. 1. Intellectus diuinus intelligit & generat, & non voluntas: voluntas vult & spirat, non intellectus: ergo si intellectus est volũtas, intellectus intelligit, & non intelligit; generat, & non generat. 2. Intellectus necessariò operatur, voluntas non necessariò operatur: ergo si intellectus est voluntas, intellectus necessariò operatur, & non necessariò operatur. 3. Deus amore diligit, odio odit: ergo si amor est odium, Deus amore diligit & non diligit. 4. Deus intelligit bona & mala: Deus non vult bona & mala: ergo si intellectio est volitio, intelligit & non intelligit mala, vult & non vult mala. 5. Deus secundum quasdam perfectiones est cõmunicabilis creaturis, secundùm alias non est communicabilis creaturis; ergo si per eamdem perfectionem est communicabilis & incõmunicabilis, eadem perfectio erit communicabilis & incommunicabilis.

*S. Thomas. Capreolus.*

40. Respondet S. Tho. q. 7. de potentia a. 1. ad 5. & q. 8. a. 2. ad 7. Capreol. in 4. dist. 8. q. 4. ar. 1. & alij, ad hæc omnia sufficere distinctionem rationis. Verùm, si hæc intelligatur de actuali distinctione rationis, vt multi intelligunt, non satisfacit: tum quia antequam intellectus actu distinguat in Deo essentiã à relatione, res illa, quæ à parte rei simul est essentia & relatio, est communis & non cõmunis, distincta à correlatione & non distincta: eadẽ enim est ratio de attributis & relationibus cõparatis ad essẽtiam, à qua nullo modo distinguuntur, tũ quia esto cõtradictio, quæ subsequitur opus intellectus, fũdari possit in obiectiua distinctione rationis, vt quod definito, & non definitioni conueniat esse subiectum in propositione, esto definitum & definitio sint idem à parte rei: tamen contradictio, quæ præcedit intellectum, fundari non potest in obiectiua distinctione rationis, sed in ipsa distinctione à parte rei existente. Cæterũ plurimæ contradictiones, quæ de Deo dicuntur, præcedunt opus intellectus, vt quòd relatio opponatur correlationi, non opponatur naturæ: quòd intellectus generet, voluntas non generet: quod natura communicetur, relatio non communicetur.

*Caietanus.*

41. Neque dicas cum Caiet. loc. præcitato ad 7. cõuenire Deo ante opus intellectus extremum affirmatiuum, non autem negatiuũ: idque duplici ratione, vel quia negatio non cõuenit rei fundamentaliter, vel quia, cùm sit malignãtis naturæ prępositа copulę, remouet prædicatum à subiecto secundũ omnem rationem. Nam falsum est, negationẽ formaliter conuenire Deo per intellectũ, quia licet verũ sit de negatione enũtiatiua, falsum est de subiectiua, quæ actu & formaliter suo modo inest rebus. Nec obstat, quòd præpositа copulę remouet prędicatum à subiecto secũdùm omnem rationem: nam hoc verum tantũ est de negatione posita in enuntiatione, in qua hanc vim habet ex vi sermonis & humanę significationis, non autẽ de negatione in re ipsa existente: Nam potest negatio conuenire subiecto à parte rei existenti secundùm vnam rationem, & non secũdùm aliam, vt Patrem distingui à Filio ratione Paternitatis, non ratione essentię; & in rebus creatis conuenit homini negatio discursus ratione animalitatis, non ratione rationalitatis: Et quia hîc indagamus subiectũ affirmationis & negationis, vt à parte rei existit ante omne opus nostri intellectus, ideo profundiùs inspiciendũ est, quo pacto eidem omninò à parte rei indistincto possit eadem simul affirmatio & negatio conuenire.

42. Resp. Igitur ad argumentum præmissa distinctione de duplici cõtradictione, formali, & virtuali: formalis cõtradictio est, quę reperitur in ipsa propositione enunciatiua: vt Deus est communicabilis, & incommunicabilis: virtualis est, quæ suo modo fundatur in rebus ipsis ante vllam enuntiationẽ nostri intellectus: vt in eadem simplici entitate naturę diuinę fundatur ratio cõmunicabilitatis & incommunicabilitatis. Hac distinctione posita, quę à nullo negari potest, ad argumentum in forma cõcedo, de eadem re omnino indistincta contradictoria verificari non posse: nego autẽ de Deo, aut diuinis perfectionibus omnino indistinctis contradictoria verificari: nã vel ista contradictoria sumũtur formaliter, & in actu in ipsa propositione ab intellectu formata, & sic supponũt actualẽ distinctionẽ rationis, factã ab intellectu de ipsis perfectionibus diuinis: vel virtualiter, quatenus in re ipsa præcedit fundamentũ, ex quo per intellectũ formari possit formalis contradictio in propositione ipsa enunciatiua; & hæc etiam supponunt in re virtualem distinctionem, quæ sufficit, vt de eadem re omnino indistincta. Nam cõtradictoria ex Arist. sunt illa, quæ cadunt supra eamdem rem secũdùm eamdem omninò rationem. Cùm igitur cõtradictoria formalia supponant in Deo formalem distinctionem rationis factam ab intellectu; virtualia verò fundamentalem distinctionem suo modo conuenientem Deo ante omne opus nostri intellectus, neutra contradictoria cadent supra eamdem rem secundùm eamdem omnino rationem: ac proinde falsum erit de Deo, diuinisque perfectionibus contradictoria verificari.

43. Dices 1. Effectus in actu requirit causam in actu: ergo cõtradictoria in actu requirunt distinctionem in actu. 2. Si hæc distinctio virtualis est in Deo ante opus intellectus, ergo Deus cognoscit illã: ergo Deus distinguit in se ipso vnam perfectionem ab alia. Resp. Ad primũ ex dictis, sicut duplex est genus contradictoriorũ, alterũ formale; alterum virtuale: ita duplex quoque datur distinctio, altera formalis, virtualis altera; concedo igitur contradictoria in actu formali requirere distinctionẽ formalem, ab ipso actu rationis formatam

matam: contradictoria verò in actu virtuali requirere solâ distinctionem virtualem, præcedentem actum rationis; & sic verum est antecedens, quod effectus in actu requirit causam in actu, sibi tamen proportionatam: proportionata autem distinctio ad saluanda contradictoria in actu virtuali, est distinctio ipsa virtualis præcedens actum rationis: sicut proportionata distinctio ad saluanda contradictoria in actu formali, est distinctio formalis, ab actu rationis formata.

44. Ad secundum nego vltimam consequentiam: aliud quippe est, Deum cognoscere in se vnam eminentissimam perfectionem, æquipollentem multis creatis ex natura rei distinctis, quod est cognoscere in se virtualem distinctionem, aliud actu distinguere in se vnam perfectionem ab alia; quia cùm in se nulla præcedat actualis distinctio, si actu distingueret vnam perfectionem ab alia, aliter videret se ipsum, atque est. Nec est eadem ratio de intellectu creato, qui quoniam nequit Deum cognoscere, vt in se est, distinguit in Deo, quæ re ipsa distincta non sunt.

45. Atqui ex his Respond. ad exempla allata: nam si termini sumantur eodem modo in antecedente, atque in consequente, hoc est vel virtualiter distincti, vel actualiter indistincti, nulla sequitur contradictio: Nam si sumantur primo modo, vera est maior, Intellectus tantùm generat; voluntas tantùm spirat: sed falsa minor, Intellectus est voluntas, quia vt sic Intellectus virtualiter distinguitur à voluntate: competit enim intellectui generare, & non spirare, vt virtualiter distincto à voluntate: vnde non sequitur conclusio, ergo intellectus generat & non generat, sed potius generat vt intellectus, non generat vt voluntas. Si verò sumantur secundo modo, falsa est maior; quia intellectus vt indistinctus à voluntate: non solùm generat, sed etiam spirat; quia vt sic non solùm includit vim generandi, sed etiam spirandi: quia vt sic consideratur, vt vna virtus à parte rei existens, cui adæquatè correspondet vterque actus gignendi & spirandi. Cæterùm actus Diuini ad extra terminati nequeunt inuicem prædicari, ob diuersam connotationem obiectorum: nam amor essentialiter connotat bonitatem in obiecto, odium verò malitiam: intellectio autem solùm connotat intelligibilitatem in obiecto, quæ tam reperitur in obiecto bono, quàm in obiecto malo. Lege Dur. in 1. d. 2. q. 2. nu. 13. Argent. d. 6. q. 1. ad 4. *Durandus. Argẽtinas.*

46. Ex dictis soluitur 1. Cur intellectio in Deo à parte rei non sit actu prior volitione, cum hęc suapte natura supponat illam: quia nimirum actu præcedere volitionem, non est de quidditate intellectionis vt sic, sed limitatæ ad esse intellectionis tantùm: intellectio autem Diuina, quoniam non limitatur ad esse intellectionis tantùm, nulla est ipsius ad actum volitionis actualis præcessio, sed tantùm virtualis, ratione cuius postulat à nobis concipi prior ratione, quàm volitio. Lege Richard. in 1. dist. 2. art. 1. q. 4. *Richardus.*

47. 2. Soluitur, quo pacto vnum attributum demonstretur per aliud, cum demonstrãs debeat esse notius, & prius demõstrabili: quoniam cùm demõstratio fiat intellectui nostro, qui res non concipit, vt sunt in se, sed vt sibi innotescunt per effectus, potest idem per vnum effectum esse notius sibi secũdùm vnam perfectionem, quàm secundùm aliam, virtualiter tantùm distinctam, & sic vnam inferre ex alia; quia non repugnat idem quoad nos esse notius se ipso, penes diuersas perfectiones virtualiter distinctas; repugnat autem quoad se, quo pacto nullum attributum Diuinum est altero notius. Et ad hominem contra Scotum, intellectualitas demonstratur de essentia Dei per spiritualitatem, cùm tamen vtraq; in sententia ipsius sit de essentia Dei. Lege Ferrar. 1. contra gentes. c. 25. *Scotus.* *Ferrariẽsis.*

48. 3. Saluatur, qua ratione omnia attributa possint esse vna formalitas, etiamsi diuersas habeant definitiones: quia nimirum non semper diuersa definitio arguit diuersam formalitatem distinctam actu, sed vtcunque: vt patet, si vellet Scotus definire intellectualitatem, & essentiam. Cuius ratio est, quia sępè res definiuntur, prout à nobis inadęquatè concipiuntur. Vnde semper negandum est, attributa Diuina, diuersas reipsa habere definitiones, sed vnam tantùm actu, multiplicem virtute.

49. 4. Cur nomina, quę de Deo dicuntur, non sint Synonima, esto significent eandem indiuisibilem rem: quia videlicet non significant illam secundum eandem formalitatem conceptus, cui nomina ipsa immediatè respondent; sunt enim nomina signa earum, quę sunt in anima passionum; & quia Deum in hac vitâ per varios conceptus exprimimus, per varia etiam nomina significamus. Confirmatur, quia definitio & definitum, essentia & intellectualitas Diuina, & etiam in sententia Scoti significant eamdem formalitatem rei, cùm tamen Synonima non sint. Lege sanctum Thomam 1. parte quæst. 13. artic. 4. *S. Thomas.*

50. 5. Saluatur, quâ ratione à PP. Diuina attributa dicantur æqualia, cùm nil sit ęquale sibi: dicuntur autem æqualia fundamentaliter, quia quod re ipsa est vnum, est etiam reliqua omnia, quia vnum quodque includit formaliter omnia, quæ in Deo sunt.

## SECTIO III.

### *An attributa constituant essentiam Dei?*

51. Non hoc ipso, quòd aliquid est idem à parte rei cum alio, est illi essentiale: Nam relationes sunt idem à parte rei cum natura Diuina, quas tamen non omnes putant esse de essentia Deitatis: Contrà verò, non eò ipso, quòd attributa distinguuntur inter

tur inter se, sequitur illa non esse de essentia Dei; nam gradus Metaphysici, in multorum opinione, distinguuntur inter se, & tamen essentiam constituunt. Diuersa igitur est quæstio, an attributa sint idem à parte rei cum essentia, vel distinguantur inter se, & an essentiam constituant. Quanquam ex alio capite attributa in sententia Scoti non sunt de essentia naturæ Diuinæ, eò quòd illa non solùm distinguantur inter se, sed etiam ab essentia: distinctio autem vnius ab alio supponit iam constitutum vnum & aliud. Vnde hoc ipso quod attributa distinguuntur ab essentia, supponunt illam iam constitutam in se. Sit igitur,

*Scotus.*

PRIMA Sententia Scoti in 1. dist. 8. qu. 4. §. *ad quartum*, & quodlibeto 1. qu. 1. §. *de primo*, & §. *de altero*, Rubionis in 1. dist. 3. q. 1. a. 2. & dist. 8. q. 3. concl. 3. & 4. & reliquorum Scotistarum, Fasoli in 1. p. q. 4. art. 2. dubit. 1. Negantium. 1. quia id PP. insinuât, qui modò attributa appellant proprietates essentiæ, modò ab essentia excludunt, docentque illa circumstare tantum essentiam: modò vocant illa qualitates, & quasi accidentia naturæ. Lege Nyssenum libro de S. Trinit. & Damasc. lib. 1. Fidei c. 4.

*Rubio.* *Fasolus.* *Patres.* *Nyssen.* *Damascen.*

52. 2. Probat Scotus: quia id quod constituit essentiam Dei, est ratio prima: nullum autem attributum est ratio prima: ergo nullum attributum constituit essentiam Dei. Minor elucet, quoniam omne attributum supponit rationem priorem se, in qua fundetur, eamque denominat: est enim attributum, forma denominans, quę essentialiter supponit subiectum denominandum. Maior probatur: nam essentia est ratio, quâ primò res constituitur in se, & distinguitur ab omni alio: sed hæc est sola ratio prima, nam quæuis ratio secunda supponit rem constitutam per aliam rationem priorem. Confirmatur: quia essentia Diuina concipitur ad instar essentiæ creatæ; sed hæc constituitur per solam rationem primam; ergo & illa. Distinguit igitur Scotus in Deo duplices perfectiones, alias substantiales prę supponentes, alias attributales prę supponentes. Primas ait includere totam perfectionem substantiæ possibilis, vltimò actuatæ per existentiam, per easque docet, constitui Deum in ratione Deitatis formaliter: atque hoc modo saluat, quo pacto Deus ex Damasc. *sit pelagus substantię infinitum & interminatum*, quia per hanc rationem Deus est infinitus, & illimitatus intra totam latitudinem substantiæ possibilis. Secundas verò affirmat, excludi formaliter ab essentia, eique solùm identificari realiter.

*Scotus.* *Damascen.*

53. 3. Probatur: quia volitiuum, ex natura sua, est posterius & ignobilius intellectiuo; ergo non potest ingredi formalem constitutionem naturę intellectualis. Anteced. constat; tum quia volitiuum est inclinatio ad bonum prę cognitum; ergo præsupponit intellectiuum. Tum quia non pertinet ad gradum intellectiuum, vt intrinseca pars ipsius, sed vt proprietas consequens: igitur est ignobilius. Consequentia probatur, quia non potest constituere illud vt genus; nam hoc præsupponitur ad gradum differentialem; volitiuum autem non supponitur, sed consequitur ad intellectiuum; nec vt differentia, tum quia hæc non debet æquè latè patere ac genus: volitiuum autem æquè latè patet, atque intellectiuum; tum quia differentia cùm actuet & determinet gradum superiorem, est illo perfectior; Nam eò ens est perfectius, quò actualius & magis determinatum: volitiuum autem est imperfectius intellectiuo. Tum quia, si volitiuum suapte natura consequitur intellectiuum, vt quod exigitur ab illo, non potest esse essentialis differentia illius; quia differentia supponit quidem genus, non tamē fluit ex illo, alioqui non esset differentia sed proprium. Confirmatur 1. quia licet in Deo omnia sint vnum, habemus tamen à parte rei fundamentum concipiendi vnum prius alio: essentia autem constitui debet per prius, non per posterius. Vnde si tales rationes essent à à parte rei distinctæ, vna esset prior alia; ergo etiamsi à parte rei nō sint distinctę, debemus vnam cum fundamento in re concipere priorem alia, & per eam concipere essentiam constitutam. Confirmatur 2. quia hæc sententia facilius assignat discrimen inter generationem Verbi, & processionem Spiritus sancti, vt in materia de Trinitate infrà patebit.

54. 2. Sententia Magistri in 1. dist. 8. cap. vlt. & dist. 45. litera C. Altisiod. lib. 1. c. 3. q. 8. Alensis 1. p. q. 51. memb. 1. art. 1. Durandi in 1. dist. 2. q. 2. nu. 7. Ægidij distinct. 8. parte 2. q. 1. Aureoli p. 3. art. 2. & 6. & dist. 45. art. 3. propos. 3. Ariminensis qu. 2. art. 3. Capreoli qu. 4. art. 2. ad 6. 11. & 14. Aureoli, Maioris quæst. 1. Argent. dist. 6. q. 1. art. 2. ad 2. & 8. Bacconi dist. 2. q. 1. art. 1. conclusione secunda. Gabrielis distinct. 2. q. 1. art. 2. Ferrarien. 1. Contra c. 22. §. *sed notandum*, & cap. 24. §. *dicitur ergo*. & c. 25. §. *ad huius euidentiam*, & cap. 21. §. *considerandi*, Caiet. de ente & essentia qu. 11. & 1. p. q. 7. art. 2. Soti in 4. dist. 49. q. 3. art. 3. post secundam concluſ. Bannez p. 1. q. 28. a. 2. dubio. 3. Zumel. q. 28. art. 2. disput. 8. Molinę disp. 4. Vasq. disp. 119. c. 3. Suarez lib. 1. de attributis ca. 11. Gillij lib. 2. tract. 1. cap. 6. Gonzalez. qu. 12. a. 8. affirmantium. Quæ sententia verior est & amplectenda.

*Magister.* *Altisiodorensis.* *Alensis.* *Durandus.* *Ægidius.* *Aureolus.* *Ariminen.* *Capreolus.* *Maior* *Argentinas* *Bacconus.* *Gabriel.* *Ferrarien.* *Caietanus.* *Sotus.* *Bannez.* *Zumel.* *Molina.* *Vasquez.* *Suarez.* *Gillius.* *Conzalez.*

55. Quam probo 1. Ex PP. Ansel. in Monologio c. 15. *si quæratur*, inquit, *quid sit ipsa summa natura, quid verius respondetur quam Iustitia?* Docetque quòd cum dicitur, *iustus Deus, non qualis, sed quid sit, ostenditur*. Quod de quolibet alio attributo dici, concludit in fine capitis; & cap. 16. affirmat, quidquid de Deo dicitur, *essentialiter dici*, ipsamque Dei substantiam essentialiter esse, quidquid est. Vbi sic concludit: *Nihil dicitur, quòd de eius essentia verè dicitur, in eo quòd qualis, vel quanta, sed in eo quod quid sit.* Et vt apertè ostendat, se loqui de prædicatione essentiali, & non identica, docet omnia quæ in Deo sunt, prędicari in Quid & essentialiter de Deo, non modò

*Anselmus.*

secundùm

secundùm rem, sed etiam secundùm considerationem: *Quemadmodum*, inquit, *vnum est, quidquid essentialiter de summa substantia dicitur: ita ipsa vno modo, vna consideratione est, quidquid est essentialiter.* Quo quid expressius pro nostra sententia? Auguſt. 13. de Trinit. c. 6. *Deus* inquit, *sua ipse Sapientia est, quia non est aliud Sapientia eius, aliud essentia: cui hoc est esse, quod Sapientem esse.* Et lib. 7. cap. 1. *Non alio magnus, alio Deus, sed eo magnus, quo Deus: quia non aliud illi est magnum esse, aliud Deum esse:* & cap. 6. *Hoc illi est esse, quod Deum esse, quod magnum, quod bonum esse.*

*Auguſt.*

56. Respondent Aduersarij, Patres aut loqui in sensu identico, aut sumere *essentiam pro substantia*, condistincta tantùm ab accidente: aut terminum *essentialiter* accipere vt condistinctum tantùm à *notionali*. Sed contra primum: tum quia in eo sensu dicuntur attributa à PP. Deo conuenire, in quo illi conuenit ipsum esse: esse autem, etiam per aduersarios, conuenit Deo formaliter, & non tantùm identicè; ergo & attributa. Tum quia nil potest in Quid, & in recto prædicari, nisi quod formaliter inest; nam prędicari in Quid, est prædicari in primo modo dicendi per se, in quo prædicatum est de formali ratione subiecti. Tum quia termini, *Eo* & *Quo*, per omnes, important rationem formalem: vnde Auguſt. 7. de Trinit. c. 6. *Non eo*, inquit, *Deus, quo Pater; et tamen Deus quo magnus, quo bonus*, &c. quia nimirum Paternitas non est ita formalis ratio essendi Deo, ac bonitas, magnitudo &c. Tum quia, vt rectè notat Aureolus citatus, per prędicationes abstractas denotatur quidditas rei, vt cùm dicitur, verum est sua veritas: Sed PP. attributa prędicant de Deo in abstracto, vt quod Deus sit sua Sapientia, Iustitia, &c.

*Auguſt.*

*Aureolus.*

57. Contra secundum & tertium, quia PP. non solùm docent, ea prædicari *essentialiter*, sed etiam in *Quid*; quod non solùm distinguitur contra modum prædicandi *accidentaliter*, & *notionaliter*, sed etiam contra *identicum*. Idem colligitur ex alio modo loquendi Patrum, quo docent quidquid in Deo est, Deũ esse. Porrò si qua ratio in Deo esset, quæ Deũ formaliter non constitueret, non participaret ipsam formalẽ rationem Deitatis, atque adeò non posset dici Deus formaliter, sed passio aut proprietas Dei.

*S. Thomas*

58. Secundò. Probo auctoritate S. Doctoris, quem aduersarij censent stare pro ipsorũ sententia: tum quia id euidenter deducitur ex eius doctrina. Etenim 1. contra Gent. cap. 21. & 1. p. q. 3. art. 4. docet, nihil in Deo esse, quod non sit sua quidditas, & essentia, & in ipsius definitionem non caderet, si definibilis esset: si autem attributa non essent de quidditate & essentia Dei, aliquid in Deo esset, quod non esset ipsius quidditas & essentia: & c. 28. affirmat, Deum esse totum suum esse: ergo quidquid in Deo est, quidditas ipsius est. Consequentia constat, nam esse est quidditatiuum Deo: ergo si Deus est totum suum esse, quodlibet esse, quod in Deo est, ipsius quidditatem integrat. Igitur attributa quę sunt in Deo, integrant quidditatem Dei.

59. Dices Integrare in ratione esse, non in ratione talis, vel talis esse. Sed contrà, quia sumit esse hîc S. Thomas, vt comprehendit vniuersaliter omne esse, nempe tale, à quo totaliter excluditur omnis defectus essendi: ergo vt comprehendit quodlibet particulare esse, alioqui non esset tale, à quo totaliter excluderetur omnis defectus essendi, quia non excluderetur defectus talis esse attributorum. Quapropter Ferrar. cap. 25. §. *Ad cuius euidentiam*, negat, posse de Deo perfectam demonstrationem fieri, nisi per effectum, eò quòd Deitatis vna sit ratio: *Nam omnia*, inquit, *quæ in ipso sunt, de ipsius ratione sunt: vnde non relinquitur ratio pertinens ad ipsius quidditatem, & ratio pertinens ad passionem, vt vna demonstretur, alia sit demonstrationis medium.*

*S. Thomas.*

*Ferrariens.*

60. Tum quia expressè docet de singulis attributis: de Bonitate ca. 38. *Deus non tantùm*, inquit, *est bonus, sed sua bonitas, & per essentiam seu essentialiter bonus.* De Intellectu & Intellectione. c. 45. *Intelligere*, inquit, *Dei est essentia Dei:* & rationem assignat: *quia quidquid in Deo est, Diuina essentia est, & diuinum esse, est ipse Deus; nam Deus est sua essentia, & suum esse:* quę ratio vniuersaliter probat de quouis attributo. De voluntate, & volitione c. 73. *Voluntas*, inquit, *Dei, est ipsa essentia Dei: & velle Dei non minùs, quàm ipsius intelligere, est ipsum esse Dei.* Vnde nullus relinquitur explicandi locus de sensu identico, cùm expresè affirmet, ita velle esse de essentia Dei, sicut Intelligere, quod tantùm Aduersarij censent in sententia S. Doctoris esse de quidditate Dei. Et ratio, quam affert, est vtrique cõmunis, quia nimirum vtrumque est in Deo, quidquid autem est in Deo, est ipsa essentia Dei. De Virtute c. 92. *Virtus*, inquit, *in Deo non est aliquis habitus, sed eius essentia.* De Vita cap. 98. *Deus est suum viuere, & sua vita.* De Beatitudine cap. 101. *Deus est sua beatitudo, & beatitudo est ipsius essentia.* De Potentia lib. 2. cap. 8. *Deus est sua potentia, ipsaque essentia Dei, est eius actiua virtus.* Confirmatur, nam 1. p. q. 13. ar. 6. docet, omnia nomina, quæ de Deo prædicantur, *essentialiter* prædicari: sed nomina, quæ de Deo dicuntur, imposita sunt ad exprimenda varia attributa Dei: vnde Patres de Diuinis attributis disputant sub titulo Diuinorum nominum, vt constat de S. Dionysio, qui integrum librum composuit de Diuinis nominibus, sub quibus explicat varia attributa Dei.

*Dionysius.*

61. Tertiò probatur rationibus, prima sit ab absurdo: quia sequeretur, attributa in Deo esse accidentia Metaphysica: consequens est absurdum; ergo & antecedens. Sequelam probo; Nam accidens Metaphysicum est illud, quod est extra constitutionem essentiæ, vel personæ, quamuis re ipsa identificetur cum substantia rei: vt constat de multis rationibus identificatis cum substantia rei creatæ, quę quia rei essentiam non constituunt, dicuntur accidentia illius. Nec satisfacit quis dicendo, essentiam Diuinam essentialiter includere

cludere identificationem attributorum. Nam etiam substantiæ creatæ essentialiter includunt identificationem suorum accidentium Metaphysicorum, vt essentia creata identificationem propriæ existentiæ, & potentiarum, posito quòd hæ à parte rei identificentur, cum essentia. Minorem probo, quia non solùm debet re ipsa, sed etiam per intellectum ratio accidentis à Deo remoueri, cùm repugnet actui puro; cuius ratio in eo formaliter consistit, vt nulla perfectio ei adueniat, vel aduenire concipiatur: hoc ipso autem, quòd attributa non constituerent essentiam, conciperentur aduenire essentiæ, ab eaque formaliter excludi.

62. SECVNDA Ratio à priori sit: quoniam Deus est ens illimitatum in omni genere perfectionis possibilis; ergo continere debet omnes perfectiones, non modò identicè, sed etiam formaliter. Antecedens constat, alioqui non esset, quò maius excellentiusque excogitari non potest. Consequentiam probo: quia si Deus in sua essentia non includeret omnes perfectiones formaliter, limitaretur in ipso conceptu formali essentiæ, quia in eo nõ includeret omnem perfectionem possibilem; siquidem ab eo excluderet perfectiones attributales. Nec sufficit illas continere identicè: Nam Deus, quâ Deus est, est Ens illimitatum, & quò maius excogitari non potest: sed Deus, vt Deus reduplicat tantũ essentialia Deitatis; sicut homo vt homo essentialia hominis, excludens formaliter quidquid non est essentialiter homo. Igitur si attributa excluderentur à formali conceptu Deitatis, excluderentur à Deo vt Deo: Vnde Deus vt Deus non esset totum & vniuersale esse, sed pars tantùm esse, nempe esse essentiæ, excludentis formaliter esse attributorum.

63. Neque mihi obijcias esse relatiuum: Nam hoc etiam, vt suo loco dicemus, continetur in formali conceptu Deitatis. Confirmatur. Nam opposita opinio non cohæret cum vnitate formali omnium Diuinarum perfectionum, quam omnes contra Scotum defendimus. Etenim si vna perfectio ex natura rei excluditur ab alia, vt aduersarij docent, ex natura rei vna non est formaliter alia. ergo tollitur à parte rei vnitas formalis omnium Diuinarum perfectionum. Quam vnitatem formalem nobiscum contra Scotum aduersarij se defendere profitentur. Nam apud Scotum idem est, vnam perfectionem non includi formaliter in alia, atque non includi essentialiter in alia, vt expressè docet in primo distinct. 8. quæst. 4. §. *ad quartum. Includere*, inquit, *formaliter, est includere aliquid in ratione sua essentiali: ita vt quòd si definitio includentis assignaretur, inclusum esset definitio, vel pars definitionis*: hęc ille, quo nil apertius contra aduersarios. *Scotus.*

64. *Obijcies* primò: Essentia Diuina est obiectum intellectionis & volitionis Diuinę: sed obiectum præcedit actum; ergo essentia Diuina in ratione essentię, supponitur constituta ante intellectionem & volitionem: ergo intellectio & volitio non constituunt essentiã, sed supponunt illam iam constitutam. Secundò quod denominatiuè prædicatur, non est de essentia: attributa denominatiuè prædicantur de Deo, dicitur enim Deus sapiens, iustus, &c. ergo non sunt de essentia. Tertiò: Hæc sententia tollit attributa à Deo cum ponat illa constituere formaliter essentiam Dei, quod autem essentiam constituit, attributum esse non potest, quia attributum supponit essentiam constitutam.

65. Resp. Ad primum, Diuinam intellectionem considerari dupliciter, vno modo vt directè terminatam ad essentiam, tanquam ad obiectum primarium; alio modo vt reflexè terminatam ad se ipsam; cùm enim intellectio Diuina sit infinitè perfecta & immaterialis, non solùm est directè expressiua obiecti, sed etiam suimet ipsius. Primo modo supponit essentiam inadęquatè tantùm constitutam, quia vt sic essentia concipitur ratione distincta ab intellectione: in quo sensu concedenda est maior de essentia inadęquatè, non autem adæquatè constituta. Secundo verò modo, quia includit se ipsam, vt obiectum suimet ipsius reflexè cognoscentis, supponit essentiam perfectè constitutam: in quo sensu neganda est minor, quia in hoc sensu cognitio ipsa includitur in obiecto eiusdemmet cognitionis reflexè cognoscentis. Idem dicitur de volitione.

66. AD Secundum distinguenda est Maior, de eo quod denominatiuè prędicatur secundùm rem, non autem secundùm modum significandi: attributa autem non prædicantur denominatiuè de Deo secundùm rem, sed secundùm modum tantùm significandi: sicut prædicantur differentiæ essentiales de suis speciebus.

67. AD Tertium distinguo assumptum: tollit hæc sententia attributa, vt passiones fluentes ab essentia Dei; & concedo, quia hæc foret imperfectio in Deo: tollit attributa, vt rationes essentiales, implicitè supponentes alias rationes essentiales implicitas in quo sensu loquuntur PP. cùm de attributis loquuntur, & nego.

98. AD Primum primæ, Resp. primò PP. loqui de essentia, non prout est in se, sed prout concipitur à nobis per analogiam ad creata. Lege Ægidium in 1. Dist. 22. quęst. 3. in fine, S. Tho. q. 7. de potentia art. 5. ad 1. Capreol. in 1. Dist. 8. q. 4. art. 2. ad 2. Secundò loqui PP. de attributis Diuinis secundum rationes explicitas, secundùm quas faciliùs à nobis concipi possunt, quia secundùm has rationes explicitas conueniunt cum perfectionibus creatis: non autem eos loqui secundùm rationes implicitas, quæ nobis occultiores sunt. lege Damasc. *Ægidius. S. Thomas. Capreolus* *Damasc.*

69. AD secundum distinguo maiorem: quod constituit essentiam, est ratio prima secũdùm explicitam dumtaxat perfectionem, quam dicit, & nego; est ratio prima secundùm perfectionem explicitam & implicitam quam essentialiter importat, & concedo. Vnde ad

mino-

minorem, concedo nullum attributum esse rationem primam secundùm perfectionem explicitam, esse tamen rationem primam, secundùm perfectiones implicitas, quas essentialiter importat; quod satis est ad constitutionem essentialem: animal enim implicitè tantùm includit gradus superiores substantiæ corporis, viuentis, cùm tamen omnes sint de essentia ipsius. Ad probationem maioris distinguenda est minor: ratio constituens essentiam est sola ratio prima secundùm perfectionem explicitè tantùm conceptam, nego: est ratio prima secundùm omnes perfectiones essentialiter importatas, concedo. Ad Confir. dispar est ratio de creatura, cuius quia non omnis ratio propter finitudinem & limitationem implicitè saltem includit reliquas, constitui potest per rationem primam, non includentem reliquas.

70. Ad Tertium Concedo, volitiuum in Deo esse posterius intellectiuo secundùm rationem explicitam; nego tamen esse posterius secundùm rationem implicitam, secundū quā includitur in ipso intellectiuo: quemadmodum etiam intellectio, secundùm rationem explicitam est posterior natura, & tamen per aduersarios constituit essentialiter illam. Nego autem volitiuum non pertinere ad completum gradum intellectiui, quia intellectiuum adæquatè sumptum, dicit vtramque perfectionem; vel radicaliter & in potentia, vt in creaturis; vel formaliter & in actu, vt in Deo. Cęterùm Attributa constituunt essentiam, non vt genus vel differentia; quia hæc dicunt determinabilitatem & determinatiuitatem: neque vt partes virtuales integrantes, vt placet Arimineli: quia de ratione partium est, vt saltem in esse obiectiuo sese mutuo perfectè excludant: in Deo autem ob summam simplicitatem & illimitationem non datur perfecta exclusio obiectiua vnius perfectionis ab alia; sed constituunt illam per modum includentis & inclusi; siue rationis explicitæ & implicitæ: ad eum modum, quò rationes vltimæ constituunt summa genera, non per modum differentiæ, aut partis; quia illæ non perfectè præscindunt à ratione superiore, cum qua constituunt summum genus, sed per modum includentis & inclusi, seu rationis explicitæ & implicitæ: vt perfeitas constituit cum ente supremum genus substantiæ, tanquam ratio includens ens, & inclusa in ente. Eodem modo Attributa constituunt essentiam diuinam, vt rationes vltimæ includentes essentiam, & viciſſim inclusæ in essentia: Attributa enim includunt essentiam ab eaque viciſſim includuntur. Cuius ratio est, quoniam ea constitutio concipienda est in Deo, quę minorem importat distinctionem, atque adeo maiorem vnitatem & simplicitatem; cùm in Deo summa concedenda sit vnitas atque simplicitas: talis est prędicta constitutio, ergo.

*Ariminens.*

71. Ad Primam Confirmationem. Fundamentum quod habemus concipiendi in Deo vnam rationem priorem alia, totum esse per Analogiam ad creata, ex quibus non licet argumentari ad diuina secundùm se. Ad probationem dico, si tales rationes in Deo essent distinctæ, rectè sequi, eas non fore de conceptu formali essentię; quia tunc Deus non esset actus purus & illimitatus in omni genere perfectionis possibilis in sua ratione essentiali. Ad secundam Confirmationem, infrà in materia de Trinitate assignabimus discrimen inter generationem Verbi, & processionem Spiritus sancti.

## SECTIO IV.

### *Quodnam sit formale constitutiuum Deitatis?*

*Scotus. Albertinus.*

72. Prima Sententia Scoti quodlib. 1. q. 1. §. *de altero*, Albertini Corollario 14. ex prædicamento ad aliquid difficultate 2. dubit. secunda. Asserentium formale constitutiuum Deitatis esse intellectiuum, quatenus dicit substantialem gradum vitæ. Probat primò Scotus ex Auguſt. 15. de Trinit. cap. 5. affirmante ipsam essentiam Dei esse vitam, *non qualis*, inquit, *inest plantis & brutis, sed quæ omnia intelligit*; & lib. 6. cap. vltimo appellat Deum *primam* ac *summam vitam*; *primum* ac *summum intellectiuum*, cui idem est esse, viuere, & intelligere. Secundò Deus est natura intellectualis: ergo formale constitutiuum ipsius est intellectualitas. Consequentia constat, nam constitutiuum formale rei, est vltimus gradus essentialis ipsius; hic autem in natura intellectuali, est intellectualitas, non ipsum intelligere actuale, nam hoc est perfectio secunda supponens primam. Addunt alij, formale constitutiuum Dei esse intellectiuum & volitiuum simul, nam vtrumque est de conceptu formali naturæ intellectualis.

*Auguſt.*

*Fasolus.*

73. Secunda sententia Fasoli qu. 4. a. 2. dubit. 7. & aliorum asserentium, formale cōstitutiuum Deitatis esse ipsam intellectionem actualem. Fundamentum est: quia natura Diuina est essentialiter viuens; ergo constitui debet per gradum perfectissimæ vitæ, hic autem est ipsa vita intellectiua actualis. Antecedens cum consequentia constat, nam formale constitutiuum desumendum est ex suprema perfectione rei, cùm sit radix omnium proprietatum. Minor subsumpta probatur: tum quia, inter perfectiones substātiales Deo conuenientes nulla perfectior est intellectuali; quia hęc & reliquos gradus substantiales in Deo prę supponit, & est adæquata ratio, quà ei attributa omnia conueniant. Tum quia ex Aug. 14. de Trin. cap. 8. Et S. Tho. pluribus in locis, solæ creaturæ rationales sunt ad imaginem Dei, eò quòd solę eæ imitantur Deum, secundùm gradum intellectiui. Porrò imago assimilationem postulat secundùm differentiam specificam.

*Auguſt. S. Thomas*

74. Quod

74. Quòd autem intellectio ipsa actualis, non autem radicalis, sit vltima differentia cõstitutiua Deitatis, probatur tũ quia vita, quæ constituit Deum in ratione Dei, non modò debet esse perfectissima secundum gradum, sed etiam secundùm actualitatem: cum Deo, concedenda sit vita perfectissima. Tum quia maior perfectio est, Deum esse beatum essentialiter, quàm identicè: beatitudo autem in actuali intellectione summi boni consistit. Tum quia sicut creaturæ rationales constituuntur per intellectiuum radicale: ita Deus per intelligere actuale: nam quod est posse in creaturis, actu est in Deo.

*Argentinas Toletan.*

75. TERTIA sententia Argent. qu. 1. Prologi. §. *Sed illud non valet* Toletan. qu. 6 ar. 2. affirmantium, formale constitutiuum Dei esse infinitatem. Probat Argent. primò, Deus est purus actus, essentialiter fundans infinitas perfectiones: ergo infinitas est de formali ratione ipsius. Anteced. constat, nam Deus est Vniuersaliter perfectus, continens perfectiones omnium generum. Consequentiam probat, quia si infinitas non esset de formali ratione Dei, Deus non fundaret has perfectiones, vt purus actus, sed vt passiua potentia. Secundò, Illud est formaliter infinitum, quod omnia sibi annexa reddit formaliter infinita: sed Deitas reddit omnia attributa formaliter infinita, quia nullum attributum est formaliter infinitum, nisi vt coniunctum Deitati: ergo Deitas est formaliter infinita. Tertiò si infinitas non esset formalis ratio Deitatis, excogitari posset ratio nobilior ipsa infinitate: sed nulla ratio nobilior infinitate excogitari potest: ergo. Quartò sic se habet creatura ad esse finitum & limitatum, sicut Deus ad esse infinitum & illimitatum: sed finitas est formalis ratio creaturę; ergo infinitas est formalis ratio Deitatis. Quintò Deitas est perfectissima ratio, est autem talis formaliter per infinitatem, nam infinitas continet omnem perfectionem, qua sola posita nihil Deitati deest, & qua sola sublata, Deitas ipsa manet imperfecta. Sextò probatur auctoritatte Damas. lib. 1. Fide c. 12. asserentis, Deum esse *infinitum pelagus substantiæ.*

*Damascen*

*Gillius.*

76. QVARTA sententia Gillij lib 2. tract. 1. cap. 14. affirmantis, formale constitutituum Deitatis esse ipsum *Esse* infinitum & interminatum. Pro explicatione huius sententiæ,

77. Nota 1. Ex eodem Gillio, formale cõstitutiuum rei requirere tria. Primum vt quoad fieri potest, sumatur ex vltima & perfectissima ratione rei. Ex vltima, quia debet rẽ distinguere ab omni alia; ex perfectissima, quia debet esse radix omnium operationum & proprietatum, quę rei competunt vt tali. Secundum vt conueniat rei per se primò & secundùm quod ipsum, alioqui vel esset accidens, vel illi commune cum reliquis. Tertium vt formaliter contineat omnia, quæ sibi vendicat essentia vt talis, eò quòd nunquam intelligitur essentia constituta, donec formaliter dicat ea omnia, quæ ipsam constituunt vt talem.

78. Nota 2. Discrimen inter formale constitutiuum Dei, & creaturæ. Nam formale constitutiuum Dei, non potest assignari, vt condistinctum à reliquis perfectionibus essentialibus ipsius Dei; quia non potest assignari, vt differentia contractiua generis, alioqui esset in Deo compositio Metaphysica ex genere & differentia, quam potior pars Theologorum cum S. Thom. 1. p. qu. ar. 5 & 1. contra Gentes. cap. 25. & qu. 7. de potentia art. 3. negat; eò quòd talis compositio dicat partes mutuo sese obiectiuè excludẽtes, quod repugnat actui puro; sed assignari debet tale constitutiuum, quod formaliter imbibat omnes perfectiones essentiales Dei. Etenim cùm Deus non habeat perfectiones, per quas vniuocè conueniat cum creaturis, & per quas ab ijsdem creaturis differat, sed se toto differat, se toto conueniat analogicè, vt solent vltimæ differentię, & suprema genera se totis conuenire, se totis differre; nequit assignari vltimum constitutiuum, vt formaliter excludens reliquas perfectiones superiores, essentiales Deo, sed potiùs, vt eas implicitè & formaliter includens. His adnotatis,

*S. Thomas.*

79. DICO. Formale constitutiuum Dei est ipsum esse secundùm totam latitudinem essendi. Est S. Tho. 1. p. q. 3. ar. 4. & 1. contra Gentes. c. 21. & 28. de potentia. qu. 7. ar. 2. & alibi affirmantis, essentiam Dei formaliter consistere in suo esse, quod continet totam virtutem essendi. Nec dici potest, in his locis S. Thom. non assignare vltimum constitutiuum Dei, de quo est præsens quæstio: Nam citata. qu. 7. de potentia ad nonum, docet ipsum *esse*, esse omnium perfectissimum; quod inde probat: quoniam actus semper est perfectior potentia: sed *esse*, est actualitas omnium actuum, omnis quippe forma vltimo constituitur per *esse*: Vnde patet, inquit, quòd est perfectio omnium perfectionum. atqui de ratione vltimi constitutiui est, vt sumatur ex perfectissima actualitate rei. Hanc eandem sententiam expressis verbis docuit Athanasius oratione contra gentes colum. 3. ante finem: *Deus*, inquit, *qui est ipsa essentia, nullis partibus coalescit, quapropter & eius ratio ipsum est esse.*

*Athnasius*

80. Fundamentum est, quia hoc tantùm prędicatum in Deo, habet omnes conditiones requisitas ad formale constitutiuum Deitatis. Nam primò conuenit Deo per se primò, & secundùm quod ipsum; nulli enim creaturæ per se primò conuenit actu esse seu existere; Vnde per hoc nomen, Deus ipse Exodi. 3. expressit naturam & essentiam suã, nomen enim, vt S. Thom. contra Gent. cap. 21. adnotauit, ad exprimendam rei naturam & essentiam imponitur. Secundò quia hoc tantùm desumptum est ex vltima perfectione Dei, cùm desumatur ex ipso *esse*, seu existere Dei, quod est vltima perfectio, quippe quæ nullam vlteriorem in Deo supponit: desumptum etiam est ex vltima actualitate Dei: nam teste S. Tho. *Esse* est actualitas omnium actualitatum, cùm omnes aliæ eatenus perfe-

*Exod. 3. S. Thomas*

*S. Thomas*

ctiones

ctiones sunt, quatenus ad hanc ordinem dicunt: omne quippe ens realitatem & perfectionem habet per ordinem ad *esse*, quod habet, vel habere potest.

81. Tertiò solùm hoc prædicatum continet formaliter, non modò formalitate rei, sed etiam rationis, omnes perfectiones essentialiter Deo conuenientes: nam per esse illimitatum & infinitum formaliter intelligitur esse substantię, esse spiritus, esse sapientię, esse bonitatis, esse omnipotentiæ, & cætera esse quæ in Deo concipiuntur. Etenim *si bonum*, *Bernardus* inquit Bernardus lib. 5. de consid. cap. 6. *si magnum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo (Est) instaurator, nempe hoc est ei esse, quod hæc omnia esse.* Contrà verò sapientia, vt virtualiter distincta à cæteris dicit quidem *esse*, sed determinatum, quo Deus *esse* sapiens nominatur, non autem quo *esse* simpliciter dicitur; cùm verò *esse* dicitur, totum *esse* prędicatur, nullo excluso. Neque putes in ipso *esse*, virtutè tantùm & potestate, non autem actu & formaliter contineri omnes perfectiones Deo conuenientes, quia cùm nulla perfectio diuina præscindat ab *esse*, omnis perfectio formaliter continetur in ipso *esse*.

82. Ex hac nostra opinione improbantur reliquæ. Nam prima assignat aliquid potentiale, quod repugnat actui puro. Secunda, aliquid inadęquatum, præcisum à perfectionibus prioribus substantiæ spiritus, &c. & excludit perfectiones volitionis, iustitiæ, omnipotentiæ, &c. quę sunt de conceptu quidditatiuo Dei. Tertia assignat pro formali constitutiuo modum, est enim infinitas modus rei infinitæ, sicut Finitas modus rei finitæ: modus autem nunquam assignatur pro formali constitutiuo rei, quia modus non est forma, qua res est, sed quò est, cùm tamen formali constitutiuo res maximè & primò sit.

83. *Obijcies* esse illimitatum, est ratio transcendentalis in Deo, competens omnibus perfectionibus & attributis: formale autem constitutiuum debet esse ratio aliqua propria, cõdistincta ab alijs perfectionibus communibus eiusdem rei, vt constat de Rationali, quod *Aristot.* est specificum constitutiuum hominis. vnde Aristot. 3 Met. tex. 10. & 11. docet, ens in nullius definitione ponendum esse, quia per illud definitum à nullo distinguitur. Respon. primò negando Maiorem: Nam *esse* illimitatum, prout est formale constitutiuum Dei, dicit illimitationem in omni genere entis simpliciter; vt autem conuenit singulis perfectionibus, & attributis diuinis, vt virtualiter inter se distinctis, dicit illimitationem in certo dumtaxat genere, puta sapientiæ, vel iustitiæ.

84. Secundò distinguenda est minor, de formali constitutiuo simplicis vel compositæ naturæ: etenim vera est de formali constitutiuo essentiæ compositę, non autem simplicis. Cuius discriminis ratio est: quia quando essentia est composita, potest ratio propria distingui à communi, secus quando essentia est simplex: quia tunc ratio propria & communis est eadem, vt constat in supremis generibus, & vltimis differentijs: in Deo autem cùm essentia sit simplicissima, ratio constitutiua propriè non prescindit à communi, sed eam formaliter includit. Vnde non est par ratio de rationali. Aristot. autem loquitur de *Aristot.* ente creato, per quod nulla res differt ab alia; non autem de increato, per quod & Deus differt à creatura, &, vt comprehendit totum *esse* simpliciter, differt à quolibet *esse* particulari diuino tanquam includens ab incluso.

85. *Obijcies* 2. esse actus essentię; ergo est ea posterius; ergo non potest illam constituere. Vtraque consequentia patet. Antecedens probatur tum ex Aug. 5. de Trinit. cap. 2. & *August.* Anselmo in Monol. c. 5. affirmantibus, ita se *Anselmus.* habere essentiam ad *esse*, sicut lucem ad lucere, vitam ad viuere, sapientiam ad sapere. Tum quia esse est effectus formalis essentiæ, forma autem prœcedit suum effectum formalè. Resp. *Esse* sumi dupliciter, vno modo substantiuè, alio adiectiuè. concedo igitur, *esse* concipi vt actum essentię, nõ adiectiuè, vt in creatura, sed substantiuè, cùm sit ipsamet essentia Dei subsistens. Aug. autem & Ansel. loquuntur iuxta nostrum imperfectum modum concipiendi.

86. *Obijcies* 3. Limitatio & finitas non est constitutiuum creaturæ: ergo neque illimitatio & infinitas erit constitutiuum Dei. Resp. Nego cõsequentiam. Ratio discriminis: quia limitatio & finitas de formali dicit defectum perfectionis; defectus autem non potest rem primò constituere, cùm supponat anterius fundamentum in quo fundetur: illimitatio autem & infinitas importat perfectionem, quæ potest rem primò constituere.

87. Ex dictis patet ad primum primæ sententiæ. Etenim concedo, Deum esse essentialiter vitam & intellectum, sed inadæquatè; formale autem constitutiuum rei simplicis, debet adæquatè rem exprimere. Ad secundum, nego consequentiam; eiusque probationem ob eandem rationem assignatam.

88. Ad Fundamentum secundæ, nego Deum esse tantùm essentialiter viuentem. Cæterùm dicuntur creaturæ ob gradum intellectiui, esse ad imaginem Dei, quia hęc perfectio est potior in creaturis; Vnde ea tantùm constituit earum essentiam: in Deo autem licet ratio intellectiui comparata ad cæteras sit perfectior; comparata tamen ad omnes quæ constituunt per se primò & secundùm quod ipsum Deum, non est perfectior. Ad imperfectam autem imaginem, qualis est creatura respectu Dei, sat est quæcumque similitudo.

89. Ad primum tertiæ, Resp. Infinitatem sumi dupliciter, primò pro attributo infinitatis. Secundò pro materiali connotato infinitarum perfectionum. Infinitas primò modo est essentia Dei, sed inadęquatè, quia non solùm constituitur per infinitatem, sed per reliquas etiam perfectiones. Secundo modo est adæquata, verùm quia reliquas perfectiones non importat directè & per se primò, vti requiritur ad formale constitutiuum rei, sed

tantùm

tantùm indirectè & connotatiuè, nequit esse Deitatis constitutiuum. Ad secundum, nego minorem, eiusque probationem; etenim, vnumquodque attributum est in suo genere infinitum. Ad tertium concedo minorem. Nam *esse* secundùm totam latitudinem essendi est perfectius infinitate, & quatenus infinitas restringitur ad solum attributum infinitatis, & quatenus indirectè connotat infinitas perfectiones, atque adeo illud potiùs, quã hæc, ponendum est constitutiuum Deitatis. Ad quartum nego minorem; est enim finitas modus rei creatæ, supponens essentiam vt fundamentum. Ad quintum nego, Deitatem esse perfectissimam per solum attributum infinitatis. Ad sextum dico, Damascenum loqui de infinitate secundùm esse, quod est pro nobis.

## SECTIO V.

### *An attributa ratione inter se, & ab essentia distinguantur?*

89. HACTENVS de essentia & attributis secũdùm se; nunc de illis disputandum est per ordinem ad intellectum creatum, illa inter se distinguentem.

*Aureolus. Arimines. Aliacensis. Maior. Gabriel.*

91. PRIMA sententia Aureoli in 1. dist. 8. p. 3. ar. 6. propos. 2. & dist. 45. ar. 3. propos. 1. Ariminensis dist. 8. q. 2. ar. 2. Aliacensis q. 6. ar. 2. Maioris q. 1. Gabr. dist. 2. q. 1. & 2. Negantium, ea inter se vel ab essentia ratione distingui posse, nisi sola connotatione extrinseca: eadem quippe Deitas, vt connotat effectum à se producibilem, dicitur omnipotẽtia, vt connotat res sibi obiectiuè præsentes, sapientia nuncupatur. Fundamentum eorum est, quia quod natura sua est indistinctum, nequit per extrinsecum distingui; essentia autem Diuina natura sua est indistincta: ergo nequit per extrinsecam rationem distingui. Confirmat Aureolus primò, quia hæc distinctio sufficit ad saluanda contradictoria, & omnia quę de natura Diuina prædicantur; nam licet in recto per plura attributa importetur idem, in obliquo tamen importantur diuersa. Secũdò quia maior est perfectio, nullam in Deo, ne rationis quidem multiplicitatem admittere.

*Aureolus.*

*S. Thomas. Durandus. Richardus. Capreolus.*

92. SECVNDA Sententia S. Th. q. 7. de potentia ar. 6. opusculo 9. q. 1. 2. & 3. & in primo dist. 2. q. 1. ar. 3. Durandi q. 3. Rich. ar. 1. q. 3. & 4. & dist. 3. ar. 2. qu. 1. ad primum, Capreoli dist. 6. qu. 4. ar. 1. conclusione 2. & aliorum communis, affirmantium ea inter se & ab essentia ratione cum fundamẽto in re distingui posse. Quæ distinctio à modernis Theologis, distinctio rationis ratiocinatæ appellatur: & consistit in pluralitate conceptuum conuenientium rei, quæ ob sui perfectionem & plenitudinem nequit vno conceptu adequatè penetrari. Hęc eadem dici potest distinctio ex natura rei, non quidem actualis & formalis, sed fundamentalis & virtualis; & distinguitur contra distinctionem rationis ratiocinantis, quę nullum habet fundamentum in re, sed pendet ex mera ratione ratiocinante ac distinguente.

93. Hæc sententia verior est & sequenda. Fundamentum sumitur tum ex plenitude diuini esse, vnitissimè continentis multas perfectiones, quæ in creaturis distinctæ sunt; tum ex imbecillitate & imperfectione nostri intellectus, nõ valentis vno actu exprimere, quidquid perfectionis est in simplicissima illa Deitate. Quo fit, vt dum varijs conceptibus naturam illam exprimit, in varias perfectiones distinguat obiectiuè, quæ re ipsa actu subiectiuè distinctæ non sunt, nisi tantùm virtualiter, & inchoatè.

94. Secundò argumentor contra Auctores primæ scientiæ: quia licet plerumque diuina attributa concipiantur distincta, per habitudinem ad diuersa connotata extrinseca: falsum tamen est, ea concipi distincta per solam connotationem extrinsecam, sed ratione etiam intrinsecã præsupposita ab hoc vel ab illo extrinseco connotato; velut sapientia & omnipotentia non distinguuntur sola connotatione obiecti intelligibilis & producibilis: sed intrinseca etiam ratione præsuppositа in ipso Deo ab obiecto intelligibili, & producibili; ratione cuius dicitur Deus intrinsecè sapiens, intrinsecè potens: alia enim ratione diuersã Deus concipit obiectum, & producit effectum: quoniam, si, per impossibile, posset producere omnia & non posset intelligere omnia, haberet perfectionem omnipotentiæ, nõ haberet perfectionem omniscientiæ. Confir. nam pura connotatio nullam ponit intrinsecam perfectionem in connotante: attributa autem ponunt in Deo perfectionem intrinsecam: sunt enim perfectiones simpliciter simplices, quæ meliores sunt ipsæ quàm non ipsę: ergo nequeunt solâ connotatione obiectorum distingui.

95. Tertiò: Si Deus diceretur bonus aut sapiens per solam connotationem bonitatis, aut sapientiæ, quam causat, vel causare potest; dici etiam posset terra aut cœlum per connotationem terræ, aut cœli, quod causat, vel causare potest.

96. AD fundamentum Primæ Resp. quod in se indistinctum est, non posse extrinsecã notitiã in se ipso distingui; posse tamẽ obiectiuè in ordine ad varios conceptus inadæquatè exprimentes eandem rem, secundùm varias perfectiones in ea virtualiter distinctas. Ad priorem Confir. concedo, ex ea saluari contradictoria, non tamen saluari intrinsecam perfectionem, quam attributa in Deo dicunt. Ad posteriorem nego assumptum: etenim maiorem perfectionem supponit in Deo virtualis multiplicitas rationum formalium, quã vnitas: quia illa supponit eminentem perfectionem equipollentem multis, quam nõ supponit hæc lege Capreol. in p. d. 2. qu. 3. ad 2. *Capreolus.*

# SECTIO VI.

## *An distingui possint attributa in Deo sine respectu ad creaturas?*

NOn disputamus hîc, an ratione alicuius peculiaris repugnantiæ, nequeat intellectus aliquis attributa in Deo distinguere sine respectu ad creaturas; nam saltem de intellectu viatoris omnes fatemur, non posse illum viâ inuentionis attributa cognoscere, & multò minùs ea distinguere sine ordine ad creaturas, cùm nequeat illa cognoscere, nisi ex perfectionibus creatis distinctis, ex quibus assurgit ad increata: solùm igitur disputamus de obiecto ipso secundùm se, prescindendo à qualibet peculiari repugnantia, quæ esse posset ex parte alicuius intellectus, an possint attributa in Deo distingui, sine vllo respectu ad creaturas.

*Henricus. S. Thomas. Bacconus. Aureolus. Capreolus. Torres. Gillius.*

98. PRIMA sententia Henrici in summa art. 51. q. 1. & quodlib. 5. q. 1. S. Thom. in primo dist. 2. q. 1. art. 3. Bacconi q. 2. art. secundo. Aureoli dist. 8. parte 3. art. 3. Capreoli q. 4. ad argumenta vltimo loco adducta, Torres in 1. p. q. 28. art. 2. disp. 2. dub. 3. Gillij lib. 2. tract. 6. c. 11. & aliorum affirmantium, Deum in se ipso sine vllo respectu ad creaturas, per solum respectū ad se ipsum, varias distinguere perfectiones attributales: quia cognoscendo se vt veracem, cognoscit se vt obiectum intellectus, cognoscendo verò se vt bonum, cognoscit se vt obiectum voluntatis, atque adeò cognoscit in se ipso veritatem virtualiter distinctam à bonitate. Idem à fortiori docent de intellectu creato beatorum.

99. Probatur hæc sententia primò: quia sicut se res habet ad esse, ita & ad cognosci: sed Deus independenter à creaturis, actu distinctis, habet virtualem distinctionem suarum perfectionum: igitur cognosci possunt sine ordine ad illas. Maior cum consequentia constat. Minor probatur. Nam multiplicitas realis creaturarum possibilium, supponit multiplicitatem virtualem diuinarum perfectionum: ergo virtualis distinctio diuinarum perfectionum, præcedit quamcunque distinctionem realem creaturarum. Antecedens ostendo, quia pluralitas non potest oriri ab vno in quantum vno, sed in quantum virtute multiplici: sed pluralitas creaturarum est à Deo: igitur in ipso Deo præcedere debet virtualis multiplicitas, per quam possit in actum reduci possibilis multiplicitas creaturarum.

100. Secundò. Potest diuina essentia cognosci pluribus notitijs inadæquatis nullo cognito ordine ipsius ad creaturas: ergo distingui possunt eius attributa sine vllo ordine ad res actu distinctas.

101. Tertiò. Si nulla possibilis esset creatura, adhuc Deus cognosceret se sub ratione veri, & diligeret se sub ratione boni: ergo, circumscripto quouis ordine ad creaturas, Deus in se ipso cognoscit hanc virtualem distinctionem suarum perfectionum.

102. Quartò. Quod est ratio maioris distinctionis, potest esse ratio minoris distinctionis: sed fœcunditas diuinæ naturæ est principium distinctionis realis personarum, quæ est maior; ergo poterit esse ratio distinctionis virtualis attributorum, quæ est minor.

103. Quintò. Nullum posterius potest esse causa prioris, sed perfectiones creatæ sunt posteriores increatis; ergo non possunt esse causa distinctionis perfectionum increatarum.

104. Sextò. Saltem intellectus & voluntas diuina cognosci possunt vt virtualiter distincta, absque ordine ad creaturas, per respectum ad processiones diuinas, quarum sunt principia.

*Durandus. Heruæus. Argentin. Goffredus. Palatius. Vasquez. Suarez.*

105. SECVNDA sententia Durandi in 1. dist. 2. q. 3. num. 15. & dist. 12. q. 1. n. 25. Heruæi q. 2. §. *quantum ad secundum*, & dist. 10. qu. 1. art. 3. *ad secundam difficultatem*, & quodlibeto tertio q. 3. Argent. dist. 6. q. 1. art. 3. Goffredi apud Aureolum, in primo dist. 8. q. 3. art. 1. Palatij disp. 2. ad finem, Vasquez 1. p. q. 117. & 118. Suar. lib. 2. de attributis diuinis cap. 22. num. 13. & aliorum negantium, posse attributa in Deo cognosci virtualiter distincta absque vllo ordine ad creaturas, in quibus huiusmodi perfectiones reperiuntur distinctæ. Fundamentum huius sententiæ est: quia hęc virtualis distinctio attributorum in Deo, est per extrinsecam denominationem à reali distinctione perfectionum creatarum. Implicat autem cognosci denominatum, sine ordine ad formam denominantem: ergo implicat cognosci virtualem distinctionem attributorum in Deo, sine ordine ad realem distinctionem creaturarum.

106. DICO primò. Implicat, in Deo cognosci perfectiones virtualiter distinctas, quæ nullum habent fundamentum realis distinctionis in ipso Deo, sine respectu ad creaturas realiter distinctas. Fundamentum est, quia implicat, in re simplici cognoscere plura virtute distincta, nisi per ordinem ad plura actu distincta. Antecedens probo: quia cognoscere plura in re simplici virtute distincta, est cognoscere rem simplicem, vt æquipollentem pluribus actu distinctis: igitur repugnat; in re simplici cognoscere plura virtute distincta, sine ordine ad plura actu distincta. Consequentia patet: quia implicat, cognoscere vnum relatiuum, non cognito altero correlatiuo: ergo implicat cognoscere æquipollentiam multorum, non cognitis multis, quorum est æquipollentia. Antecedens ostendo: quoniam in re simplici, vt sic, nullum potest esse apparens fundamentum multiplicitatis; ergo ex se nullam potest intellectui distinctionem obijcere: ergo si qua in ea distinctio concipitur, concipienda necessariò est, per ordinem ad res actu distinctas,

ctas, quatenus illis virtute & perfectione æquipollet.

107. Confirmatur quia implicat, cognoscere potentiam, non cognito termino talis potentiæ: ergo implicat, cognoscere virtualem distinctionem attributorum in Deo, non cognito termino talis distinctionis: atqui terminus talis distinctionis non sunt attributa, vt sunt quid vnum in Deo, quia, vt sic, non possunt obijcere intellectui, nisi vnitatem quam habent in se; sed vt æquipollent distinctis perfectionibus creatis.

108. Dico 2. Perfectiones, quæ habent fundamentum realis distinctionis intra Deum, possunt, & de facto ab increato, & beatorum intellectu cognoscuntur virtualiter distinctæ, absque vllo respectu ad creaturas. Est Heruæi quodlib. 3. quæst. 3. ar. 3. Fundamentum est: quia tales perfectiones habent sufficiens fundamentum virtualis distinctionis intra Deum: ergo non est recurrendum ad realem distinctionem creaturarum. Consequentia patet: quoniam in tantum perfectiones prioris generis non possunt cognosci, vt virtualiter distinctæ, nisi per respectum ad realem distinctionem creaturarum, in quantum nullum est sufficiens fundamentum in ipso Deo: ergo quæ habent sufficiens fundamentum in ipso Deo, non est opus, ad hoc vt cognoscantur, virtualiter distinctæ, recurrere ad realem distinctionem creaturarum. Antecedens probo: quoniam realis distinctio personarum ac processionum, sine vllo ordine ad creaturas, præbet sufficiens fundamentum cuicumque intellectui virtualiter distinguendi ea, quæ sunt vnum & idem in Deo.

Heruæus.

109. Hoc autem sic ostendo. Nam Pater communicando Filio & Spiritui sancto solam naturam, non communicata paternitate, habet sufficiens fundamentum virtualiter distinguendi naturam à paternitate, filiatione & spiratione tam actiua, quàm passiua, cùm videat naturam communicari, non communicata paternitate, filiatione, & spiratione, tam actiua, quàm passiua, ijs personis, quibus natura ipsa communicatur. Secundò, Producendo personam Filij & Spiritus sancti, non producta natura, habet sufficiens fundamentum virtualiter distinguendi naturam à personalitatibus, siquidem videt produci personalitates Filij & Spiritus sancti, non producta eorum natura. Tertiò, Videndo filium produci secundùm filiationem, & non secundùm spirationem actiuam, quæ tantùm communicatur cum natura ipsa Patris, habet sufficiens fundamentum distinguendi filiationem à spiratione actiua. Quartò, Cognoscendo, quòd ipse sit productiuus Filij per paternitatem, & non per spirationem actiuam; contrà verò, quòd sit productiuus Spiritus sancti proximè per spirationem actiuam, & non per paternitatem; habet sufficiens fundamentum distinguendi paternitatem à spiratione actiua. Quintò, Intuendo communicari filio ex vi Originis solam intellectionem, Spiritui verò sancto, solùm amorem, habet sufficiens fundamentum distinguendi virtualiter intellectionem à volitione. Sextò, Videndo Patet, se opponi Filio secundùm relationem paternitatis, non opponi secundùm naturam, habet fundamentum distinguendi virtualiter naturam, à paternitate. Nam quodnam maius fundamentum habere potest Deus, hæc omnia in se ipso virtualiter distinguendi, quàm quòd videat vnam & eãdem simplicem entitatem communicari, & non communicari, producere & produci, opponi & non opponi? Cum enim nequeant hæ proprietates secundùm eandem omninò rationem conuenire Deo: necessariò concipere debet in se ipso aliquam saltem virtualem diuersitatem in ipsis rationibus formalibus, propter quas eidem indiuisibili entitati potiùs conueniat producere, quàm produci, communicari, quàm non communicari, opponi quàm non opponi: ergo hęc omnia sine vllo respectu ad creaturas, Deus in se ipso videt virtualiter distincta.

110. Dices. Actualis distinctio rationis formaliter consistit in extrinseca denominatione, prouenient à distinctis conceptibus inadæquatis: sed nec Deus, nec beati distinctos formant conceptus inadæquatos de essentia & relationibus diuinis, ergo. Minor patet. Maior probatur: quia omnis denominatio prouenire debet ab aliqua forma actu denominante: forma autem actu denominans essentiam à relationibus distinctam, non est distinctio aliqua in re ipsa existens; ergo aliqua alia existens in intellectu, virtualem distinctionem concipiente. Atqui intellectus diuinus & beatorum nõ distinguit per inadæquatos conceptus essentiam à relationibus; ergo non concipit virtualem distinctionem inter essentiam & relationes.

111. Resp. Aliud esse, Deum, & beatos actu distinguere in Deo ea, quę actu distincta non sunt; aliud cognoscere virtualem seu fundamentalem distinctionem, per ordinem ad terminos actu distinctos. Primum, nec Deus nec beati faciunt: quia ad hoc, vt argumentum probat, necessaria est actualis distinctio conceptuum inadæquatorum, quam nec Deus, nec beati formant. Secũdum & Deus, & beati virtualem distinctionem cognoscũt, per ordinem ad terminos actu distinctos, in ordine ad quos dicitur virtualis distinctio. Vnde est in Deo talis distinctio virtualis obiectiuè, quia illam cognoscit, non autem subiectiuè, quia illam non format per inadæquatos conceptus, sicut illam format intellectus viatoris creatus.

112. Ad primum primæ, distinguendum est de duplici distinctione virtuali incompleta, & completa, seu inchoata & perfecta: rursus de perfectionibus, quæ habent fundamentum realis distinctionis intra Deum, & de ijs quę nullum habent fundamentum realis distinctionis intra Deum. Concedo igitur

minorem

minorem de virtuali distinctione, etiam completa & perfecta, respectu earum perfectionum, quæ fundamentum realis distinctionis habent intra Deum: nego autem minorem de completa & perfecta distinctione virtuali; concedo tamen de incompleta & inchoata, respectu earum perfectionum, quæ nullum habent fundamentum realis distinctionis intra Deum. Est autem inchoata seu incompleta distinctio virtualis, ipsa plenitudo diuini esse, vt conceptibilis per æquialentiam ad plura actu distincta: completa verò, est ipsamet plenitudo essendi, concepta vt æquialens pluribus actu distinctis: nam ipsa virtualis distinctio perfectionum in re existens, actu quodammodo completur per actualem cõparationem ad perfectiones actu distinctas. Ad probationem Minoris concedo, multiplicitatem creaturarum possibilium, supponere in Deo multiplicitatem remotam, non autem proximam diuinarum perfectionum. Quod autem dicitur, ab vno, in quãtum vno, oriri non posse multiplicitatem, distinguendum est, de vno formali, & concedo; de vno eminentiali qualis est Deus, & nego: Etenim à tali vno oriri potest multiplicitas perfectionum. Iuxta hanc doctrinam explicandus est S. Thom. vt non concedat proximum & completum fundamentum distinctionis virtualis in Deo, sed tantùm remotum & inchoatum. Lege ipsum 1. p. q. 13. art. 4. & q. 7. de poten. art. 6. *S. Thomas.*

113. Secundum argumentum, vt intentum probet, intelligi debet de notitijs claris diuinæ essentiæ, nam de obscuris & ænigmaticis, cùm illę non terminentur ad perfectiones increatas immediatè, sed ad perfectiones creatas, quibus mediantibus repręsentantur increatæ: argumentum nullam habet vim: atqui implicat, quacumque notitia clara Deũ videri inadæquatè, quin totus quoad omnia ipsius attributa & perfectiones videatur, vt suo loco constabit: atque adeo implicat, per plures notitias plura distingui posse attributa in Deo, eò quòd nullum attributum videri potest per vnam notitiam, quin & per eandem videantur reliqua omnia.

114. Ad tertium distinguo antecedens: prędscripto ordine ad creaturas, Deus intelligeret se sub ratione veri, prędscisa ratione boni, & diligeret se sub ratione boni, prędscisa ratione veri; nego: etenim sicut, prędscripto ordine ad creaturas, non distingueret Deus suam intellectionem à dilectione; ita nec obiectum intellectionis ab obiecto dilectionis, sed eodem indiuisibili actu se totum intelligeret, se totum diligeret, nulla concepta virtuali distinctione, neque inter intelligere & diligere, neque inter seipsum intellectum & dilectum. Cuius ratio est, quia virtualis distinctio inter verum & bonum ex parte obiecti, originatur ex virtuali distinctione inter intellectionem & volitionem ex parte potentiæ, sed eas non posset concipere virtualiter distinctas sine respectu ad creaturas, aut saltem sine ordine ad reales processiones, intra ipsum Deum existentes: ergo neque hæc virtualiter distincta concipere posset, sine consimili respectu ad creata actu distincta.

115. Ad quartum falsa est vniuersaliter maior: Nam potest distinctio minor esse diuersæ rationis à distinctione maiore, atque adeò non rectè vna infertur ex alia. Talis est distinctio realis personarum, & virtualis attributorum: nam illa fundatur in reali origine personæ producentis & productæ, quæ necessariò infert realem distinctionem inter ipsas personas producentes & productas; hęc autem in eminentia virtutis, cum æquipollentia ad multa actu distincta extra Deum, quæ concipi nequit sine respectu ad multa actu distincta extra Deum. Nam quemadmodum prior concipi nequit sine respectu ad actu distincta intra Deum; ita nec posterior sine respectu ad actu distincta extra Deum: cùm non minùs vna, quàm alia in sui conceptibilitate pendeat à termino, quem essentialiter importat.

116. Ad quintum, distinguo Minorem. Perfectiones creatæ sunt posteriores increatis quoad entitatem, & concedo; quoad completam distinctionem virtualem inter se, & nego: sicut visio est posterior obiectõ quoad entitatem, quia producitur ab illo; quoad denominationem verò visi est prior obiecto, quia denominat illud visum, tanquam forma subiectum: ita perfectiones creatę sunt posteriores increatis quoad entitatem, quia producuntur ab illis; quoad denominationem verò completæ distinctionis virtualis, sunt priores, quia complent illam per modum termini extrinseci respectus. Ad sextum patet ex secunda Conclus.

## SECTIO VII.

### *An attributa diuina, vt à nobis concepta, essentiam, & se ipsa mutuò includant?*

117. PRIMA sententia Richardi in primo dis. 3. art. 2. q. 1. ad primum. Rubionis q. 1. art. 2. §. *Hoc præmisso.* Capreol. dist. 8. q. 4. art. 3. ad argumenta primo loco inducta contra secundam conclusionem, & ad argumenta Aureoli. Vasquez 1. p. disp. 119. c. 2. Gillij lib. 2. Tract. 2. c. 7. & 8. & aliorum negantium: & videtur esse sententia S. Doctoris in primo dist. 33. q. 1. art. 1. ad vltimum. vbi *alia*, inquit; *est ratio scientiæ & substantiæ, sicut in creaturis, alia est ratio scientiæ & qualitatis.* & à fortiori sequitur ex doctrina Scoti, à parte rei distinguentis essentiam ab attributis, & attributa ipsa inter se. *Richardus. Rubio. Capreolus. Vasquez. Gillius. S. Thomas. Scotus.*

118. Probatur primò, ex Scriptura & Patribus, qui diuinas perfectiones tanquam plures & intelligũt & explicant. Ioan. 16. *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt*, inquit Christus: intelligit autem perfectiones increatas, *Ioan. 16.*

quas per æternam generationem Christus accepit à Patre. Rom. 1. *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Bernard. 5. de Consid. cap. 5. *Deus*, inquit, *amat vt charitas; nouit vt veritas; sedet vt æquitas; dominatur vt maiestas; regit vt principium; tuetur vt salus; operatur vt virtus; reuelat vt lux; assistit vt pietas.* quę omnia pluralitatem atque adeò obiectiuam exclusionem vnius ab altero important.

Rom. 1.

Bernard.

119. Secundò probatur ratione, quoniam ea tantùm mente concepta sese mutuò includunt, quorum ratio vnius obiectiuè relucet in conceptu formali alterius; atqui ratio vnius attributi non relucet obiectiuè in conceptu formali alterius; ergo. Maior constat: nam quemadmodum ea tantùm secundùm rem se mutuò includunt, quorum entitas vnius existit in entitate alterius; ita ea tantùm secundùm rationem se mutuò includent, quorum ratio vnius obiectiuè relucet in conceptu formali alterius. Minorem probo; quia in conceptu formali diuinæ sapientiæ non relucet obiectiuè perfectio diuinæ iustitiæ, & è conuerso. Alioqui dum conciperemus in Deo sapientiam, conciperemus simul & iustitiam, & reliqua attributa.

120. Confirmatur. Quia id tantùm exprimit conceptus formalis, quod significat nomen; nomina enim, authore S. Thoma 1. parte quęst. 13. art. 1. & primo con. gen. cap. 35. significant rem mediante conceptione; cùm sint signa earum, quæ sunt in anima, passionum. atqui nomen sapientiæ diuinæ importat solam perfectionem sapientiæ; ergo & conceptus sapientiæ diuinæ exprimit solam perfectionem sapientiæ.

S. Thom.

121. Tertiò: Attributa concipiuntur vt proprietates, manantes ab essentia, ergo nequeunt includere essentiam. Antecedens constat, quia concipiuntur ad instar proprietatum creatarum. Consequentia verò probatur; quia nequit aliquid concipi vt proprietas essentię, & simul vt includens essentiam; alioqui conciperetur vt prius, & posterius seipso: prius, quatenus deberet concipi vt constituens essentiam; posterius, quatenus conciperetur vt fluens & posterius essentiâ.

122. Quartò, si quodlibet attributum includeret essentiam, & reliqua omnia; de quolibet posset cum reduplicatione prędicari essentia & reliqua omnia; consequens autem est falsum, ergo & antecedens. Sequela constat; nam quidquid est de essentia, potest cum reduplicatione prędicari de eo, cuius est de essentia: nam semper reduplicatio cadit super essentialia. Minor probatur; quia nequit Intellectus reduplicatiuè prędicari de Voluntate, & vice versa. alioqui valerent istæ propositiones: Pater Voluntate generat; Intellectu spirat; Intellectu vult; Voluntate intelligit, si hęc de Intellectu, & Voluntate cum reduplicatione prædicari possent.

123. Secunda sententia Aureoli in primo dist. 1. quęst. 1. art. 2. Torrez 1. p. q. 28. art. 2. disput. 2. dub. vltimo. Molinæ ibid. disput. 4. Zumel quęst. 8. dub. tertio. Suarez lib. 1. de essentia Dei cap. 12. & 13. Granadi in 1. p. Tract. 2. disp. 2. Affirmantium, quæ probabilior est, & procul dubio S. Doctoris, primo cont. gent. cap. 45. 73. 92. 98. 101. & lib. 2. cap. 8. vbi de singulis attributis, Intellectus, Voluntatis, Virtutis, beatitudinis & potentiæ, non solùm docet includere essentiam; sed esse ipsammet essentiam Dei.

Aureolus. Torrez. Molina. Zumel. Suarez. Granadus. S. Thom.

124. Probatur primò, manifesta authoritate Anselmi in Monol. c. 16. *Quemadmodum*, inquit, *vnum est quidquid essentialiter de summa substantia dicitur; ita ipsa vno modo, vna consideratione est, quidquid est essentialiter. Cùm enim aliquis homo dicatur & corpus, & rationalis, & homo, non vno modo vel consideratione hæc tria dicuntur: secundùm enim aliud est corpus, & secundùm aliud rationale, & singulum horum non est totum, id, quod est homo; illa verò summa essentia nullo modo sic est aliquid, vt illud idem secundùm alium modum, aut secundùm aliâ considerationem non sit: quia quidquid aliquo modo essentialiter est, hoc est totum quod ipsa est:* quo testimonio nil potest esse pro hac sententia clarius: quo non modò affirmatur, quidquid de Deo dicitur, esse ipsam essentiam Dei totam secūdùm *rem*, verùm etiam secundùm *considerationem*.

Anselmus.

125. Secundò probatur ratione, & primò ab absurdo: Etenim nisi dicamus, quodlibet attributum diuinum, etiam vt conceptum à nobis, implicitè includere essentiam & reliquas perfectiones diuinas, necessariò in Deo concedenda esset aliqua compositio Metaphysica: atqui hęc repugnat Deo: ergo. Minor constabit infrà, cùm de summa ipsius simplicitate: nunc breuiter probatur: quia compositio Metaphysica exigit partes Metaphysicas, quarum vna excludat à sua formalitate aliam, cum qua debet componere; hoc autem repugnat actui puro & illimitato in tota latitudine entis simpliciter. Nam sicut à parte rei ad nullam certam perfectionem limitatur; ita nec obiectiuè & Metaphysicè potest à nobis limitari. Alioqui conceptus obiectiuus non correspondaret subiectiuo. Sequelam ostendo: quia si sapientia diuina ex. gra. nullo pacto obiectiuè includeret essentiam, & reliqua attributa, eo ipso conciperetur vt apta ad Metaphysicè componendum cum essentia, & reliquis attributis; quia conciperetur vt excludens à sua formalitate formalitatem essentiæ, & reliquarum perfectionum diuinarum; atque adeo vt apta constituere cum illis compositionem Metaphysicam consurgentem ex pluribus formalitatibus, sese obiectiuè perfectè excludentibus: Nam hoc in omnium sententia sufficit ad Metaphysicam compositionem.

126. Resp. autem aduersarij, sapientiam diuinam non concipi vt positiuè excludentem essentiam, quo pacto esset concipienda,

vt posset

vt posset Metaphysicè componere cum illa, sed tantùm præcisiuè, non concepta nimirum essentia. non autem positiuè illa exclusa à formalitate sapientiæ. Sed contrà, tum quia hæc præcisiua exclusio sat est, ad Metaphysicam compositionem, ad quam solùm requiritur, vt formalitas vnius nullo modo concipiatur in formalitate alterius. Nam hoc ipso duæ formalitates conciperentur, saltem exercitè aptæ ad componendum vnum tertium: Nam illa reflexio; qua vna pars concipitur vt positiuè excludens aliam, non tam facit ad compositionem, quàm ad certitudinem ipsius componentis, quod extrinsecum est compositioni: Modò enim formalitas vnius perfectè excludat obiectiuè formalitatem alterius, ex se apta censebitur ad componendum Metaphysicè, etiamsi nulla fiat reflexio, qua signatè cognoscatur positiua exclusio vnius à formalitate alterius. Tum quia, si formalitas sapientiæ perfectè prescinderet à formalitate essentiæ, non tantùm præcisiuè, sed etiam positiuè illam excluderet, quod sic probo.

127. Nam ista positiua exclusio, non debet sic intelligi, vt vna perfectio excludat aliam à parte rei, sed tantùm obiectiuè, vt à nobis concepta. At hoc ipso, quòd vna perfectio obiectiuè perfectè præscinderet ab alia, positiuè excluderet in esse cognito & obiectiuo aliam. igitur si attributa diuina præscindunt obiectiuè perfectè ab essentia diuina, excludunt positiuè illam. Cõsequentia elucet. Maior constat: quoniam hoc ad Metaphysicam compositionem non requiritur, vt patet de gradibus Metaphysicis, qui, vt suppono, non se excludunt à parte rei in eadem essentia, quam Metaphysicè componunt: atque adeo neque vt substant conceptibus nostris, debent hoc modo se excludere. Alioqui conceptus obiectiui non corresponderent rebus ipsis à parte rei existentibus. Minor, in qua sita est tota præsens difficultas, probatur: nam perfectio, quæ obiectiuè perfectè prescindit ab alia, nõ includit obiectiuè illam; ergo excludit obiectiuè illam: ergo nõ tantùm præcisiuè, sed etiam positiuè excludit illam quoad esse cognitũ & obiectiuum. Antecedens patet: quia præscindere perfectè obiectiuè, est non includere perfectè obiectiuè. Vtraque Consequentia probatur, quia quod non includit obiectiuè aliud, potest de eo affirmari, & de facto ab aduersarijs affirmatur ipsa obiectiua exclusio hoc modo: ratio sapientiæ, vt à nobis concepta, non est ratio bonitatis; nec contrà. Sed quod hoc modo excludit obiectiuè aliud, non solùm negatiuè, sed etiam positiuè excludit illud. Nam quæ maior positiua exclusio, quàm positiua affirmatio exclusionis?

128. Confirmatur, nam ita se habet vnum esse obiectiuum ad aliud esse obiectiuum, sicut vnum esse subiectiuum ad aliud esse subiectiuum: sed hoc ipso, quòd vnum esse subiectiuum non includit in sua entitate aliud esse subiectiuum, excludit positiuè illud, cùm de eo positiuè affirmari possit exclusio alterius. Ergo hoc ipso, quòd vnum esse obiectiuum non includit aliud esse obiectiuum, positiuè excludit illud; quia etiam de ipso positiuè affirmari potest exclusio alterius esse obiectiui.

129. Tertiò probatur conclusio à priori. Quodlibet attributum conceptum vt diuinum, implicitè inuoluit in esse obiectiuo ens à se, atque adeo illimitatum in omni genere entis simpliciter; ergo implicitè inuoluit essentiam & reliquas omnes perfectiones diuinas. Consequentia constat: Nam ens illimitatum in omni genere entis simpliciter, non coarctatur ad perfectionem vnius tantùm generis: sed complectitur vniuersum genus entis, atque adeo omnem omninò perfectionem. Antecedens probo: quia diuinum, vt diuinum, formaliter importat esse à se, ac proinde esse illimitatum in omni genere entis simpliciter: importat enim primum contra distinctiuum ab esse creato, hoc autem non est aliud, quàm esse à se. Hanc ipsam rationem tetigit S. Thom. opusculo 9. q. 1. cùm dixit: *Bonitas diuina est diuina Sapientia, ex hoc quòd est diuina, non ex hoc quòd est bonitas.* S. Thomas.

130. Sed respondere possent aduersarij, vt Sapientia concipiatur à nobis, vt diuina, sat esse si concipiatur illimitata tantùm in genere sapientiæ: nam hoc modo rectè concipitur, vt condistincta à sapientia creata. Sed contrà primò, quia esse diuinum, est analogum ad omnes perfectiones increatas: de ratione autem analogi est, vt si concipiatur, totum concipiatur. Repugnat igitur concipere sapientiam vt diuinam, & non concipere illam, vt implicitè inuoluentem omnes perfectiones increatas. Maior constat: quia repugnat, à perfectionibus diuinis abstrahi conceptum vniuocum: alioqui posset inter eas concipi vera compositio Metaphysica ex duobus conceptibus vniuocis. Minor probatur, quia in analogo, ob sui simplicitatem non sunt plures conceptus partiales distinguibiles; vnde si concipitur, totum concipi debet: ergo si concipitur sapientia vt diuina, concipi debet saltem implicitè cum tota plenitudine essendi, quam dicit esse diuinum, & non tantùm cum partiali esse sapientiæ.

131. Confirmatur: nam ex eo, quòd ens est analogum ad substantiam & accidens, implicat concipere illud, & non concipere, vt implicitè inuoluens vtrumque. Ergo ex eo, quòd diuinum est analogum ad omnes perfectiones increatas, implicat concipere illud, & non concipere, vt implicitè inuoluens omnes perfectiones increatas. Secundò, quia hoc modo sapientia non cõciperetur vt actus purus, de cuius ratione est, vt in nullo genere perfectionis possit perfici. Atqui sapientia diuina, concepta illimitata tantùm in genere sapientiæ, conciperetur vt vlteriùs perfectibilis in alio genere; ergo non conciperetur vt actus purus.

132. Tertiò. Ex consensu Patrũ & Scho-

lasticorum, Deus est, quò melius & excellentius excogitari non potest. atqui si vnum attributum non includeret implicitè essentiam & reliquas perfectiones, Deus non esset, quò melius & excellentius excogitari nō potest: siquidem posset melius & excellentius excogitari, si nimirum quælibet ipsius perfectio concipiatur cum implicita inclusione omnium: sic enim conciperetur cum maiore vnitate, & simplicitate in suis perfectionibus. Est enim Deus, vt Auerroes testatur 12. Met. tex. 37. *in fine nobilitatis, vnitatis, & simplicitatis.* quia sicut in ratione entis nihil potest ei addi; ita nec in ratione vnitatis & simplicitatis potest excogitari simplicius, & magis vnum: posset autem excogitari simplicius & magis vnum, si vnum attributum conciperetur cum exclusione aliorum.

*Auerroes.*

133. Quartò. Omnes Patres docent, quidquid in Deo est, esse essentialiter Deum, nihilque in Deo esse, quod Deus essentialiter non sit. atqui si vna perfectio conciperetur cum exclusione essentiæ & reliquarum perfectionum, non quidquid in Deo est, essentialiter Deus esset: quoniam perfectio, quæ non includeret essentiam, non esset essentialiter Deus: quia quod est essentialiter Deus, nequit concipi absque essentia Dei: cùm nequeat res concipi non conceptaeius essentia.

134. Quintò. Esse obiectiuum non debet differmari ab esse subiectiuo rei: sed quælibet perfectio Dei essentialiter est Deus; ergo quælibet perfectiò debet obiectiuè esse Deus: non est autem obiectiuè Deus, nisi implicitè includat essentiam & omnia, quæ sunt in Deo: ergo. Maior constat: quia non est vera conceptio, quæ non est iuxta exigentiam rei conceptæ. Minor assumpta patet ex suprà disputatis. Minor subsumpta etiam constat: quia non concipitur vt Deus, quod non concipitur cum essentia Dei. Igitur si attributum Dei, non concipitur vt inuoluens essentiam Dei, non concipitur vt Deus, sed vt proprietas Dei. Neque hinc tollitur distinctio rationis ratiocinatæ, quàm inter essentiã & attributa ipsa inter se cum communi Scholasticorum sententia suprà concessimus: quia hęc saluatur inter rationes explicitè conceptas. Nam ratio explicita sapientiæ, non est ratio explicita bonitatis. Quæ distinctio est maior, quàm definitionis & definiti. & iuxta hanc doctrinam explicatur S. Thomas citatus pro opposita sententia.

*S. Thomas.*

135. Ad primum primæ, deductum ex Script. & Patribus, Resp. non esse contra nos, qui non negamus attributa, secundùm esse explicitum intelligi, & nominari à nobis vt plura: nam licet secundùm esse implicitum se mutuò omnia includant, & sint vnum, tamen secundùm esse explicitum multiplicantur, & sunt plura. Vnde idem Christus, qui Ioan. 16. diuinas perfectiones expressit in numero plurali, Ioan. 10. expressit in num. singulari, dicens: *Pater meus, quod dedit mihi, maius omnibus est.*

*Ad Scripturas & Patres.*

*Ioan. 16.*
*Ioan. 10.*

136. Ad secundum distinguenda est minor, de relucentia explicita, vel implicita: concedenda est de explicita; neganda de implicita. Ad cuius probationem, eodem modo concedenda est sequela de implicita conceptione omnium, neganda verò de explicita. Sicut cùm concipimus ens, quod est analogum ad omnia inferiora, explicitè solùm concipimus rationem essendi; implicitè verò quidquid inferiora ipsa dicunt, ita cùm concipimus sapientiam diuinam, (nam de hac tantùm est controuersia, non de sapientia, quæ abstractè concepta prædicatur de Deo & creaturis) explicitè concipimus solam perfectionem sapientię; implicitè verò quidquid perfectionis dicunt reliqua attributa. Ad Confirmationem pari modo distinguenda est minor: quia cùm nomen imponatur ad significandum primariò conceptum mentis, sicut hic & explicitè significat vnam rationem, & implicitè reliquas, ita & nomen.

137. Ad tertium 1. Negandum est antecedens: potiùs enim attributa concipienda sunt, vt constituentia essentiam, quàm vt proprietates manantes ab essentia; quoniam illa, non hæc conceptio conformatur rei conceptæ. Et ad probat. nego, illa concipienda esse cum ea imperfectione, quam inuoluunt perfectiones creatæ. Nam licet ex perfectionibus creatis concipiamus increatas: non tamen concipere debemus cum imperfectione, quam ipsæ creatæ perfectiones includunt: atqui imperfectio est, concipere attributa vt proprietates ab essentia manantes, quia vt sic conciperentur, & vt accidentia Metaphysica extra ipsam constitutionem essentiæ. Secundò nego consequentiam: patet enim in ipsis attributis entis, vnius, veri, & boni, quæ concipiuntur vt proprietates entis, & tamen includunt ipsum ens. Impossibile enim est, concipere vnum, verum, bonum, quin concipiatur ens: neque est absurdum, idem secundùm diuersas rationes explicitas & implicitas concipi prius, & posterius seipso, imò hoc est necessarium in qualibet perfectione analoga; quæ quia simplicissima est, concepta secundùm vnam rationem explicitam, supponit seipsam secundùm aliam rationem implicitam: vt perfeitas explicitè importatur in ipsa perfectione substantiæ, implicitè verò in ipsa ratione entis, quæ superior est ad substantiam & accidens. Ergo similiter perfectio sapientiæ diuinæ explicitè importatur per attributum sapientiæ, implicitè verò per essentiam, & reliqua attributa diuina.

138. Ad quartum Resp. rectè essentiam diuinam prędicari de attributis, & attributa de essentia; nec non de se mutuò etiam abstractè sumpta: tum quia tales prædicationes vsurpant Patres, Augustin. 7. de Trinit. cap. 1. *Eadem*, inquit, *sapientia est, quæ essentia.* Basilius libro de Spiritu sancto cap. 19. *Cuius*, inquit, *bonitas est ipsa sapientia*; Anselmus in Monologio cap. 15. *Si quæratur, quid sit ipsa summa natura, quid verius respondetur,*

*Augustin.*
*Basilius.*
*Anselmus.*

quàm

quàm iustitia? eodem modo docet, prædicari reliqua attributa de Deo. Bernardus 5. de Consideratione c. 13. *Quid est Deus? longitudo, latitudo,, sublimitas, & profundum.* Idem Augustinus. August. 6. de Trinit. cap. 1. *Eadem*, inquit, *virtus quæ sapientia, & eadem sapientia quæ virtus:* & cap. 7. *eadem magnitudo quæ sapientia, & eadem bonitas quæ sapientia & magnitudo, & eadem veritas quæ illa omnia.* Tum quia has prædicationes admittit S. Thomas. S. Thom. 1. p. q. 32. ar. 3. ad tertium, & q. 39. art. 6. & in primo dist. 17. q. 1. ad tertium. Tum quia quæ seſe analogicè includunt, possunt etiam in abstracto formaliter prædicari: vt perfectas est entitas; corporeitas est substantia. Cuius ratio est: quia quæ se analogicè includunt, cùm sint simplicissimæ rationes, facta quacumque abstractione semper seſe obiectiuè includunt: quæ obiectiua inclusio requiritur, & sufficit ad formalem prædicationem: Talia sunt attributa diuina, ad inuicem, & cum essentia comparata, quæ ob summam vnitatem, & illimitationem, quacumque abstractione facta, semper seſe obiectiuè includunt; atque adeo poterunt de se mutuò prędicari, non tantùm identicè propter realem identitatem, sed etiam formaliter propter obiectiuam inclusionem. Confirmatur: quia magis propria est prædicatio, in qua prędicatum obiectiuè in subiecto includitur, quàm in qua tantùm includitur realiter & à parte rei, sed ista est identica prædicatio; ergo illa est plusquam identica, atque adeo formalis.

139. An autem prædictæ prædicationes sint concedendæ etiam cum nota reduplicationis, affirmat Molina: distinguit verò Torres, vt sit tantùm vera prædicatio si nota reduplicatiua cadat supra essentiam, quæ communis est omnibus attributis: secus si cadat supra propriam rationem cuiuslibet attributi: rationem discriminis assignat: quia essentia qua essentia, includit omnia attributa: & quodlibet attributũ, qua tale, includit essentiam: ergo ratione essentię quodlibet attributum, qua tale est, includit quodlibet aliud. At verò ratio vnius attributi non est ratio alterius: ergo si reduplicatio cadat supra propriã rationem attributi, propositio erit falsa, quia reddit hunc sensum; ratio vnius attributi est ratio alterius, quod falsum est.

140. Sed aliter mihi distinguendum videtur, vt omnes prædictæ prædicationes sint etiam cum nota reduplicationis concedendæ, modò reduplicatio non cadat supra explicitam rationem, qua vnumquodque attributum quasi specifica differentia distinguitur ab omni alio. Quia tunc sensus esset, quòd ratio ipsa explicitè à nobis concepta, esset ratio alterius explicitè concepta, quod est falsum. Dixi: *Modo non cadat supra explicitam rationem*; quia cadere potest supra implicitam rationem, quæ est ipsa ratio diuini, ratione cuius quodlibet attributum non modò includit essentiam, sed reliqua etiam attributa. Vnde intellectus diuinus qua diuinus, non solùm est essentia, sed etiam voluntas, & è conuerso. Etenim ratio diuini, cùm sit ratio illimitati simpliciter; analogicè & implicitè includit omnes perfectiones, atque adeò de qualibet perfectione vt diuinâ, cum omni reduplicatione affirmari potest quęlibet alia perfectio diuina. Nego autem, eandem esse rationem de his propositionibus, in quibus prædicantur actus siue notionales, siue essentiales. Cuius discriminis ratio est: quia, vt Dialectici docent, verba adiectiua addita substantiuis, appellant principium, à quo proximè fluunt, hoc est applicat explicitum significatum prædicati, supra explicitum significatum subiecti: vnde reddunt sensum formalem explicitum. Atque hoc ex impositione Sapientum. Falsum autem est, principium, ex quo proximè & explicitè est actus intelligendi, & gignendi Verbum diuinum, esse voluntatem; & è contrà, principium ex quo proximè & explicitè est actus volendi, & spirandi Spiritum sanctum, esse intellectum. Eadem ratio est de his propositionibus: iustitia diuina miseretur: misericordia punit: & de actibus ipsis, quatenus de se mutuò prędicari possunt, vt punire est misereri, & vice versa: nam ratione terminorum, quos essentialiter connotant, non potest vnus de altero formaliter, & reduplicatiuè prædicari, sed tantùm identicè.

141. Ex dictis deducitur, inter essentiam & attributa, & attributa ipsa inter se, non esse propriè inclusionem: cùm inclusio dicat distinctionem includentis ab incluso: sed potiùs esse vnam simplicissimam formalitatem, quæ essentialiter est tota perfectio essendi, quæque ob summam sui fœcunditatem & perfectionem apta est fundare diuersos conceptus formales, quorum vnicuique respondet eadem simplicissima formalitas, explicitè secundùm vnam rationem essendi, implicitè verò secundùm totam plenitudinem essendi.

142. Ex quo nascitur, vt in Deo nulla sit concipienda compositio virtualis partium; quoniam hæc requirit perfectam præcisionem vnius ab alio; sed sola constitutio per modum impliciti & expliciti, ad eum modum, quo concipiuntur constitui summa genera, & vltimæ differentiæ. Substantia enim non constituitur ex ratione entis & perfectatis, tanquam ex partibus virtualibus, sed tanquam ex ratione implicita & explicita: quia nimirum quod explicitè dicit perfectas, implicitè importat ens. Vnde perfectas non addit rationem aliquam perfectè præcisam ab ente, sed maiorem dumtaxat explicationem ipsius entis. Ita diuina attributa, non important rationem perfectè præcisam ab essentia, sed maiorem dumtaxat explicationem ipsius essentiæ, quæ implicitè dicit omnia.

143. Quo fit, vt in nostra sententia nullam vim habeat illa argumentatio: Implicat aliqua duo seſe mutuò includere essentialiter: quia quod essentialiter includitur

in alio, est minus includente: ergo repugnat vicissim includere in se illud, in quo ipsum essentialiter includitur: alioqui idem esset maius & minus seipso: maius vt includens, minus vt inclusum. Hæc enim tantùm concludit de ijs, quæ perfectè prescindunt, vt quia animal perfectè præscindit à rationali, non potest illud essentialiter includere, aut vice versa; non autem de ijs, quæ non perfectè præscindunt, vt sunt omnes rationes analogæ, quarum quælibet secundùm rationem explicitam distinguitur, secundùm rationem verò implicitâ includitur in alio: vt perfectas secundùm rationem explicitam distinguitur ab ente, secundùm rationem verò implicitam includitur in illo. Pari modo sapientia diuina, secundùm explicitum conceptum sapientiæ, distinguitur à bonitate; secundùm implicitum verò continetur in illa. Cuius ratio est: quia quando vnum perfectè prescindit ab alio, nullo modo in esse obiectiuo continet, aut continetur ab illo: atque adeò repugnat, vt perfectè præscindat, & nihilominùs includat, vel includatur ab illo, à quo ipsum perfectè præscindit: quando verò non perfectè prescindit, excludit illud secundùm esse explicitum, & simul includit illud secundùm esse implicitum. Atque adeò non repugnat, hoc modo duo distingui secundùm esse explicitum, & nihilominùs mutuò se includere secundùm esse implicitum.

## SECTIO VIII.

### *An attributa diuina secundùm rationes explicitas, quas præcise important, sint inæqualia inter se?*

*Granad.* 144. PRIMA sententia Granadi, prima parte tractatu secundo, disput. 9. negantis. Probatur primò auctoritate Theologorum, Scoti in 1. distinct. 8. quæst. 4. *Scotus.* §. *ad quartum*, Mayroni quæst. 5. §. *his visis*, *Mayronus.* difficultate quinta. Ochami dist. 2. quæst. 1. *Ocham.* littera R. Molinæ 1. parte quæst. 28. art. 2. *Molina.* disput. 4. Zumel quæst. 42. art. 1. quæst. 2. *Zumel.* dubit. 1. Vasquez disput. 122. cap. 7. Suarez *Vasquez.* lib. 3. de Trinit. cap. 10. Secundò, Auctori- *Suarez.* tate Patrum. Augustini lib. 1. de Trinitate *Augustin.* cap. 7. & lib. 8. initio, vbi docet in Deo non esse maius & minus, eiusdemque perfectionis esse vnam personam atque aliam; nec minoris perfectionis esse vnam, quàm omnes tres simul: *Tanta*, inquit, *est æqualitas in ea Trinitate, vt non solùm Pater non sit maior quàm filius, sed nec Pater & Filius simul maius aliquid sint, quàm Spiritus sanctus, aut singula quæque persona quælibet trium, minus aliquid sit, quàm ipsa Trinitas.* Anselmi in Monologio *Anselmus.* cap. 16. *Idem*, inquit, *est quodlibet vnum illorum*, loquitur de diuinis attributis, *quod omnia simul.*

145. Tertiò probatur ratione, potissima est; quia quodlibet attributum etiam secundùm rationem explicitam consideratum, intrinsecè & essentialiter includit essentiam & reliqua omnia; igitur nequit, etiam secundùm rationes explicitas, inter ea concipi inæqualitas. Consequentia patet: quia si quodlibet, etiam secundùm rationem explicitam, includit reliqua, nequit etiam secūdùm rationem explicitam concipi diuersum à reliquis, ac proinde inæquale. Sequela probatur, quia diuersitas nequit fundari supra idem, cùm idem & diuersum opponātur. Atqui si quodlibet attributum secundùm rationem explicitam includit formaliter & essentialiter reliqua, etiam secundùm rationem explicitam erit vnum & idem cum reliquis: ergo neque secundùm rationem explicitam poterit esse diuersum, atque adeò inæquale cæteris. Confirmatur, quia ex oppositâ sententia sequeretur aliqua realis inæqualitas inter diuinas personas: nam inter diuinas personas vna est realiter improducta, reliquæ verò productæ; duæ producentes, tertia non productiua: atqui perfectior est persona improducta, quàm producta, & producens, quàm non productiua.

146. Secunda sententia Durandi in pri- *Durandus.* mo dist. 36. q. 4. in fine, Gillij lib. 2. tract. 2. *Gillius.* cap. 9. num. 7. affirmantium. Neque hic auctor sibi contradicit tract. 5. cap. 7. n. 5. vbi *Augustin.* tantùm negat cùm Augustino inter diuina attributa intercedere inæqualitatem secūdùm se, non autem, vt subsant conceptibus nostris explicitis. Hęc sententia à fortiori sequitur ex eorum Patrum doctrina, qui explicantes locum illum Ioan. 14. *Pater maior me est.* do- *Ioan. 14.* cent Patrem maiorem esse filio, etiam secundùm diuinitatem, ratione principij & originis, quos multos refert Toletus in citatum *Toletus.* caput Ioannis, Annotatione 27. & Maldona- *Maldonatus.* tus ibidem. Secundò sequitur ex opinione eorum, qui dicunt nō omnia attributa reipsa constituere essentiam Dei, quia non omnia attributa sunt æqualis nobilitatis & perfectionis: eò quòd aliqua pertinent ad gradum intellectiuum, in quo Dei essentiam formaliter constituunt: alia sunt extra essentiam gradus intellectiui, eumque consequuntur vt proprietates. Tertiò à fortiori sequitur ex eorum opinione, qui hæc ipsa attributa suâptè naturâ distinguunt in Deo.

147. Pro controuersiæ explicatione notandum, diuina attributa secundùm rationes, quas explicitè important, considerari posse dupliciter, vno modo prout tales rationes existunt in Deo; alio modo prout subsant conceptibus nostris: atque hoc etiam dupliciter: Primò, prout tales rationes concipiuntur à nobis per analogiam ad consimiles perfectiones creatas: Secundò, prout concipiuntur secundùm se, abstrahendo à perfectionibus creatis; & hoc vel considerando illas adæquatè secundùm vtramque perfectionem, explicitam & implicitam, quam important; vel inadæquatè se-

cundùm

cundùm solam perfectionem explicitam. Hoc posito,

148. Dico 1. Attributa diuina secundùm explicitas rationes, quas important, vt in Deo existentes, nullam dicunt inæqualitatem. Fundamentum est: quoniam ea ipsa explicita ratio sapientiæ, exempli gratiâ, in Deo non est tantùm sapientia, sed bonitas, iustitia, omnipotentia, & Deus ipse: ergo, vt in Deo existens, nullam importat inæqualitatem. Antecedens constat ex dictis. Consequentia probatur: quia omnis inæqualitas fundari debet in aliqua diuersitate; & omnis diuersitas in aliqua distinctione. Sed vna ratio explicita in Deo, non est diuersa & distincta ab alia, sed vna indiuisibilis formalitas; igitur nulla poterit esse inæqualitas. Neque ad hoc, vt vna perfectio in Deo existens dici possit diuersa & inæqualis alteri, sufficit inter eas virtualis distinctio, quia sicut hæc virtualis distinctio nullam ponit in Deo actualem distinctionem, sed tantùm fundamentalem, fundamentum nimirum causandi diuersos conceptus in intellectu creato; ita nullam ponit in Deo actualem inæqualitatem, sed ad summum fundamentum, causandi inæquales conceptus in intellectu creato, de quo mox. Confirmatur, quia in tantum vna ratio attributalis potest esse inæqualis alteri, in quantum vna aliquo modo non est alia, cùm nihil possit esse inæquale sibi ipsi: nulla autem ratio attributalis, vt in Deo existens, est aliquo modo diuersa ab alia: ergo.

149. Dico 2. Eadem attributa considerata formaliter per analogiam ad perfectiones creatas, sunt inæqualia inter se. Fundamentum est: quia vt sic obijciuntur nobis cum modo, quo tales perfectiones sunt in creaturis: sed tales perfectiones in creaturis sunt inæquales: ergo.

150. Dico 3. Attributa diuina adæquatè à nobis concepta, secundùm rationes explicitas & implicitas, quas, vt diuina, essentialiter important, non sunt inæqualia. Fundamentum est: quia, vt sic, sese mutuò includunt: igitur non possunt esse inæqualia. Consequentia constat: quia inæquale dicit aliquid, quod non dicit illud, cui est inæquale: sed quæ se mutuò includunt, neutrum dicit aliquid, quod non dicat alterutrum. Maior patet: quia si quidquid dicit vnum, dicit & alterum, non poterit inter illa concipi inæqualitas, sed potiùs summa æqualitas. Minor declaratur: nam quæ se mutuò includunt, tota perfectio vtriusque includitur in alterutro: atque adeo nihil perfectionis est in vno, quod non includatur in altero.

151. Dico 4. Attributa diuina considerata secundùm rationes explicitas inadæquatè, nempe secundùm præcisas rationes explicitas, quas tantùm explicitè important, non consideratis rationibus, quas vnumquodque attributum in ipsa ratione explicita implicitè importat, non repugnat, ea esse inæqualia: absolutè tamen dicenda sunt æqualia.

152. Prior pars assertionis probatur; quia secundùm hanc considerationem, explicita perfectio vnius non est explicita perfectio alterius: atqui explicita perfectio vnius attributi potest esse melior & nobilior, quàm explicita perfectio alterius: ergo secundùm hanc considerationem non repugnat: attributa diuina esse inæqualia. Maior patet: quia considerata sapientia secundùm præcisam rationem sapientiæ, quam tantùm explicitè importat attributum sapientiæ, non est ipsa explicita ratio bonitatis, quam explicitè importat attributum bonitatis: alioqui nulla foret rationis distinctio inter explicitam rationem vnius, & explicitam rationem alterius: vnde posset explicita ratio vnius prædicari de explicita ratione alterius, dicendo: explicita ratio sapientiæ est explicita ratio bonitatis, quod falsum est, & contra omnes Theologos. Minorem ostendo: nam illa perfectio secundùm explicitum conceptum est melior & nobilior, quæ consequitur nobiliorem gradum entis. Vnde illa attributa, quę in Deo vel consequuntur, vel constituunt gradum intellectiuum, sunt secundùm explicitam rationem nobiliora & perfectiora, quàm quæ consequuntur, vel constituunt gradum solius entis. Et eorum quę consequuntur gradum entis, perfectiora sunt productiua non productiuis. Quæ verò consequuntur gradum intellectiuum, ea concipiuntur nobiliora, quæ immediatiùs & proximiùs consequuntur ipsum gradum intellectiuum.

153. Ex his constat, attributa intellectus, voluntatis, sapientiæ, virtutis, secundùm explicitas rationes concipi perfectiora, quàm attributa Immensitatis, & omnipotentiæ: quia priora consequuntur gradum intellectiuum; posteriora verò gradum entis: & inter priora, attributum intellectus & sapientiæ concipi perfectiùs, quàm attributum voluntatis & virtutis, quia immediatiùs consequitur ipsum gradum intellectiuum. Virtus enim consequitur gradum intellectiuum mediante voluntate, voluntas medio intellectu; sapientia autem medio intellectu, intellectus verò seipso nullo alio medio attributo, vel ratione virtualiter distincta. Inter posteriora autem omnipotentia secundùm conceptum explicitum concipitur perfectior, quàm Immensitas: quia illa est productiua, non autem hæc. Confirmatur: nam is ordo dignitatis concipiendus est inter explicitas rationes attributorum, qui foret, si illa à parte rei distinguerentur: atqui si illa à parte rei distinguerentur talis foret ordo, qualis à nobis est assignatus: ergo hic ipse concipiendus est inter explicitas rationes eorum. Maior constat: quia distinctio rationis concipitur per analogiam ad

distinctionem

distinctionem realem, quia quidquid in aliquo genere est secùdùm quid, concipi debet per ordinem & analogiam ad id, quod in eodem genere est tale simpliciter. Ergo is ordo dignitatis concipiendus est inter explicitas rationes attributorum, qui foret, si illa realiter distinguerentur. Minor etiam patet: nam attributa, concipiuntur vt perfectiones, vel cõsequentes, vel constituentes naturam diuinam: igitur ea concipienda sunt perfectiora, quæ perfectiorem gradum naturæ consequuntur, vel constituunt.

154. Posterior pars assertionis constat: quoniam ea dicenda sunt talia simpliciter, quæ ex se sunt talia: atqui diuina attributa non sunt ex se inæqualia, neque vt sunt subiectiuè in Deo, neque vt sunt obiectiuè adæquatè in nostris conceptibus, sed tantùm vt substant inadæquatis conceptibus nostris: ergo non sunt dicenda simpliciter inæqualia, sed æqualia, imò eadem: quia hoc habent de se & intrinsecè; illud ex intrinseca & inadæquata conceptione nostri intellectus.

155. Confirmatur: quia quod alicui cõpetit essentialiter & ex natura sua, competit simpliciter; quod autem competit ex inadæquata consideratione intellectus, competit extrinsecè & secundùm quid: sed diuinis attributis essentialiter, & ex intrinseca natura ipsorum, competit æqualitas & identitas, ex inadæquata verò consideratione intellectus, inæqualitas; ergo illa competit simpliciter, hæc secundùm quid. Vnde ex illa, non ex hac debent simpliciter denominari æqualia & eadem.

156. *Obijcies.* Perfectiones attributales explicitæ eædem sunt in Deo, quę in nostris conceptibus; ergo si, vt substant nostris conceptibus, sunt inæquales, etiam vt sunt in Deo, erunt inæquales. Antecedens constat, alioqui conceptus nostri essent falsi, quia non conformarentur rebus ipsis. Consequentia verò probatur; nam eatenus illæ, vt substant nostris conceptibus, sunt inæquales, quatenus habent rationes explicitas inæquales: ergo si eædem rationes explicitæ sunt in Deo formaliter, etiam in Deo attributa erunt inæqualia. Nec obstat, quòd in Deo rationes explicitæ attributorum identificentur cùm essentia, nã etiam relationes identificantur cum essentia, & tamen non tollitur, quin mutuo opponantur. igitur possunt rationes explicitæ attributorum identificari cum essentia, & nihilominus inæquales esse inter se.

157. Resp. Distinguendo antecedens: sunt eædem adæquatè, & nego; inadęquatè, & concedo. Etenim Sapientia diuina sub nostro explicito conceptu relucet tantùm secundùm perfectionem sapientiæ, quæ est ratio inadæquata ipsi sapientiæ Diuinæ; in Deo autem est secundùm omnes rationes, quas essentialiter includit: & quia hęc inæqualitas conuenit diuinis attributis, in quantum aliquo modo inuicem distinguuntur: nequit enim idem esse inæquale sibi ipsi: cùm in Deo nullam habeant actualem distinctionem, sed omnia sint vnum, nullam habent inæqualitatem, nisi virtualem in ordine ad nostros conceptus, inadæquatè concipientes & distinguentes vnum ab alio. Ad probationem antecedentis, ad hoc vt conceptus nostri non sint falsi, sat est, vt non exprimant diuersum ab eo, quod in Deo est, etiamsi non exprimant totum id, quod in Deo est. Ad probationem verò consequentiæ dicó, eatenus attributa diuina, vt substant nostris conceptibus, esse inæqualia, quatenus exprimuntur secundùm rationes explicitas, aliquo modo distinctas ab implicitis, quo pacto non existunt in Deo; nec est eadem ratio de diuinis relationibus: quia licet illæ identificentur cum essentia, non tamen identificantur inter se: atque adeò possunt inter se inuicem opponi, propter realem distinctionem, quam inter se cùm perfecta identitate essentiæ mutuò seruant. At verò attributa nullam habent in Deo actualem distinctionem, neque cum essentia, neque inter se; ac proinde nullam fundare possunt inæqualitatem, sed summam identitatem. Sicut neque relationes cum essentia, cum qua perfectè identificantur, fundare possunt aliquam oppositionem, aut inæqualitatem.

158. Ex his patet ad argumenta primæ sententiæ. Ad primum & secundum dico, Scholasticos & Patres tantùm loqui de diuinis attributis, vel vt sunt in Deo, vel vt concipiuntur à nobis adæquatè, secundùm vtrasque rationes explicitas & implicitas. Tertium solùm probat, non posse diuina attributa à nobis concipi inæqualia, vt adæquatè concepta, non autem vt inadæquatè considerata, secundùm solas perfectiones explicitas, secundùm quas etiamsi essentialiter implicitè includant omnia, adhuc tamen possunt inuicem comparari secundùm solas rationes explicitas. In quo sensu neque ab aduersarijs negari potest, diuina attributa concipi posse vt inæqualia: qui non negant, si hoc modo concipiantur, concipi vt inæqualia, sed tantùm negant, hoc modo concipi posse, quin semper concipiantur cum implicita inclusione omnium. Sed esto hoc verum sit, adhuc comparatio fieri potest inter solas rationes explicitas, & non implicitas. *Ad Patres & Scholasticos.*

159. Ad Confirmationem, nego ex hac doctrina vllam sequi inæqualitatem diuinarum personarum in re ipsa: cùm in diuinis non sit maior perfectio, habere naturam à se, quàm habere communicatam ab alio; quia cum eâdem prórsus necessitate & perfectione est in omnibus. Neque quòd vna sit productiua, est perfectior alia, quę productiua non est: quia hoc non oritur ex defectu virtutis, sed termini producibilis, de quo in materia de Trinitate.

SECTIO

# SECTIO IX.

## *Quot, quæ, & quo ordine sint Deo attributa concedenda?*

160. EX dictis constat, non quamlibet Dei perfectionem esse attributum, sed eam dumtaxat, quæ per modum formæ adiacentis de Deo absolutè ac necessariò prædicatur; quæque naturali lumine à nobis cognoscibilis est. Vnde ab attributi notione primò excluduntur ea, quæ in Deo concipiuntur per modum gradus substantialis naturam constituentis, cuiusmodi sunt ens, substantia, spiritus, vita, intellectualitas, actus purus, essentia, existentia, subsistentia, quæ à nobis concipiuntur vt rationes quædam constituentes naturam. 2. Excluduntur perfectiones relatiuæ; quia eæ nec naturali lumine cognosci possunt, nec prædicantur per modum formæ adiacentis, sed constituentis personas ipsas. 3. Actus liberi, & prædicata, quæ Deo conueniunt in tempore ex aliqua libera actione ad extrà. Prioris generis sunt libera decreta Dei, quæ, licet æterna sint, tamen potuerunt in Deo non esse: Posterioris generis sunt creatio, conseruatio, gubernatio, incarnatio, à quibus in tempore Deus, denominatur Creator, Conseruator, Gubernator, Incarnatus. Hæc enim omnia à propria notione attributi excluduntur, quia non necessariò, sed liberè Deo conueniunt. His pro attributi notione adnotatis,

*Communis contra Nominales.*

161. DICO 1. Attributa Dei sunt finita extensiuè, infinita verò intensiuè. Est omnium ferè Theologorum, contra aliquos Nominales. Fundamentum prioris assertionis est; quoniam attributa sunt perfectiones diuinæ, specie quasi diuersæ; eæ autem non sunt nisi finitæ; ergo. Maior constat, quia non quælibet perfectio in Deo conceptibilis constituit rationem attributi, sed quæ peculiari modo naturam diuinam nobis explicat: sunt enim attributa rationes quædam explicantes & declarantes naturam diuinam. Minor probatur; quoniam duplex perfectio attributalis potest à nobis in Deo concipi; vna positiua, quâ aliquid de Deo affirmetur; altera negatiua, quâ aliqua imperfectio ab eodem remoueatur. Vtraque autem est finita: tum prior, quia vel illa est communis cum perfectionibus creatis, & sicut hæ finitæ sunt, ita & quæ cum his Deo communes sunt: vel est propria Dei, & quoniam hæc non colligitur, nisi ex perfectionibus creatis, ex quibus non colligimus, nisi finitas perfectiones extensiuas, specie quasi diuersas, ideò etiam hæ in Deo finitæ sunt. Tum posterior; quia non quælibet remotio imperfectionis constituit attributum negatiuum, sed quæ specialem aliquam Dei perfectionem designat: istæ autem finitæ sunt; ergo.

162. Fundamentum posterioris assertionis est, quia quælibet perfectio, quæ in Deo est, est iuxta conditionem & exigentiam naturæ diuinæ, quæ cùm sit illimitata in tota latitudine entis, quamlibet perfectionem exigit illimitatam & infinitam intensiuè.

163. Hinc constat, cur non omnia prædicata, quæ in Deo excogitari possunt, habeant rationem attributi: alioqui sub vno attributo scientiæ, vel potentiæ, plura possunt prædicata realia, per ordinem ad varia obiecta & terminos, à nobis distingui; cùm tamen non singula prædicata habeant rationem perfecti atque completi attributi, sed sint quasi partiales formalitates eiusdem attributi. Ratio igitur est, quia nimirum ea tantùm habent rationem attributi, quæ conueniunt sub vna ratione, & modo quasi generico tendendi ad obiectum vel terminum. Vnde licet plures in Deo scientias distinguamus, per ordinem ad varia obiecta: quia tamen omnes conueniunt sub vna generica ratione, & modo tendendi ad obiectum, per expressionem illius intra ipsam potentiam cognoscentis, vnum non plura scientiæ attributa in Deo ponimus.

164. DICO 2. Attributa alia sunt positiua, alia negatiua: Vtraque aliquam denotant perfectionem in Deo. Diuisio est omnium Scholasticorum, & colligitur ex Patribus, qui sæpe docent, meliùs à nobis Deum cognosci per negationem, quàm per affirmationem; eò quòd euidentiùs cognoscere possimus quid Deus non sit, quàm quid Deus sit. Fundamentum diuisionis est, quia Deus concipi potest, vel secundùm perfectiones, quas in se includit, vel secundùm imperfectiones, quas à se excludit. Primo modo conceptus fundat attributa positiua; secundo modo negatiua; ergo. Quòd autem vtraque attributa aliquam in Deo perfectionem connotent, probatur: quia non solùm perfectio Dei est, omnem omninò perfectionem in se claudere, sed omnem omninò imperfectionem à se excludere; igitur non solùm attributa positiua, sed etiam negatiua aliquam in Deo perfectionem connotant.

165. DICO 3. Inter attributa diuina nullus est ordo actualis: est tamen ordo virtualis. Prior pars assertionis constat, quia vbi nulla est distinctio realis, nullus potest esse ordo actualis; inter attributa diuina nulla est distinctio realis; ergo nullus ordo actualis. Minor cum consequentia elucet. Maior patet; quoniam ordo realis actualis, concipi non potest, nisi inter distincta realia, cùm eiusdem ad se ipsum nequeat esse ordo & respectus realis.

166. Posterior assertionis pars probatur; nam idem fundamentum quod probat; in

Deo

Deo dari distinctionem virtualem, probat etiam dari inter distincta virtualiter, ordinem virtualem. Etenim fundamentum distinctionis virtualis inter diuina attributa, est ipsa eminentia diuinæ naturæ æquipollentis multis perfectionibus actu distinctis: eadem autem eminentia diuinæ naturæ, æquipollet ordini actuali, intercedenti inter actu distincta; ergo idem fundamentum, quod in Deo probat distinctionem virtualem, probat etiam ordinem virtualem. Minorem ostendo: nam qua ratione diuina natura ob eminentiam suæ perfectionis æquipollet potentiæ actiuæ, intellectiuæ, volitiuæ, &c. actu distinctis in creaturis: eâdem ratione æquipollet ordini actuali, inter huiusmodi perfectiones intercedenti; cùm non sit maior ratio, cur potiùs æquipolleat vni, quàm alteri rationi. Confirmatur: nam Deus ob eminentiam suæ naturæ æquipollet cuicumque perfectioni creatæ: sed actualis ordo inter perfectiones creatas est aliqua perfectio: ergo illi æquipollet Deus. Vnde is ordo virtualis concipiendus est inter perfectiones increatas, qui realiter intercedit inter perfectiones creatas, & qui foret, si eadem attributa actu in Deo distinguerentur. Quorum ratio est, quia omnis ordo virtualis fundari debet in actuali, sicut omnis distinctio virtualis in distinctione actuali; quia, vt sæpè dictum est, omne quod est secundùm quid in aliquo genere, fundari debet in eo, quod est simpliciter in eodem genere.

167. Ex dictis deducitur primò, vt priora concipienda esse attributa, quę immediatè essentiam consequuntur secundùm rationem communem & indeterminatam, quàm quæ essentiam consequuntur secundùm rationem particularem & determinatam, vt priora sunt vnitas, veritas, bonitas, immensitas, omnipotentia, quàm intellectus, sapientia, idea, ars, voluntas, misericordia, iustitia, & reliquæ virtutes morales: quoniam illa essentiam consequuntur secundùm rationem entis, quæ est ratio communis, & indeterminata: hęc verò essentiam consequuntur secundùm rationem substantiæ intellectualis, quæ est ratio specifica & determinata. Et inter prima quinque, priora sunt vnitas, veritas, bonitas, quę consequuntur rationem entis, analogicè communis Deo & creaturis, quàm postrema duo immensitas, & omnipotentia, quæ consequuntur rationem entis infiniti & increati. Inter postrema verò, quæ pertinent ad intellectum, sunt vt priora concipienda, quàm quæ pertinent ad voluntatem. Proportionali modo Theologandum est de reliquis attributis, tam affirmatiuis, quàm negatiuis.

168. Deducitur 2. Hanc virtualem distinctionem inter diuina attributa, esse sufficientem ad omnes demonstrationes propter *Quid*, quæ de Deo fiunt. Quoniam ad demonstrationem propter *Quid*, non est necesse, vt medium, quod in præmissis assumitur, sit actualis causa conclusionis, quæ per syllogisticam formam ex præmissis deducitur, sed sufficit, si sit tantùm causa seu ratio virtualis: quia cùm demonstratio fiat ad manifestandam aliquam veritatem intellectui, quam antea non cognoscebat, & sola causa seu ratio virtualis satis sit ad nouam veritatem intellectui manifestandam, eadem ipsa satis erit ad demonstrationem.

# DISPVTATIO IV.

## De Vnitate Dei.

POst disputationem de attributis in communi, disputandum est de attributis in particulari, & primò de vnitate, quæ est prima entis proprietas, nullam prę supponens, & ab omnibus præsupposita. Est enim indiuisio entis in se, ad quam consequitur diuisio à quocunque alio: quam supponunt Veritas & Bonitas: quorum illa est conformitas rei ad intellectum, siue ad principia, quibus vnaquæque res intrinsecè petit constare, vt cum Aureolo in Metaphysicis docui: hæc autem vel dicit integritatem rei, si sit absoluta; vel conformitatem ad appetitum, si sit respectiua: Vtraque autem præsupponit indiuisionem entis in se.

*Aureolus.*

### SECTIO VNICA.

### *An euidens sit, Deum esse vnum?*

1. RAtio dubitandi est duplex, prima, quia multi ex Ethnicis existimarunt, plures esse Deos: ergo euidens non est, Deum esse vnum. Secunda, quia sicut natura diuina subsistere potest in tribus personis distinctis, ita existere posset in tribus indiuiduis distinctis. His tamen non obstantibus,

2. Communis sententia Patrum & Scholasticorum est vnitatem Dei nō minùs, quàm eius existentiam, euidenter demonstrari. Prima & potissima ratio demonstrationis desumitur ab ente per essentiam, hoc pacto: Euidens est, Deum esse ens per essentiam: atqui euidens est, ens per essentiam non posse multiplicari;

tiplicari; ergo euidens est Deum esse vnum. Maior patet ex suprà disputatis. Minorem sic ostendo. Ens per essentiam claudit in se totum esse possibile: ergo nullum esse relinquit extra se: relinqueret autem aliquod esse extra se, si præter ipsum, alius Deus esset; prior consequentia patet. Minor subsumpta constat, quia relinqueret extra se illud esse, quod alius Deus à se distinctus haberet. Nam eò ipso, quòd essent plures Dij naturâ distincti, aliquod esse foret in vno, quod non foret in alio: cùm nequeat vna res ab alia distingui, nisi per aliquod esse, quod dicit vna, & non dicit alia; quia nequit idem distingui à se ipso. Antecedens autem probo, nam ens per essentiam, est ens illimitatum ad omne esse, quod non inuoluit cõtradictionem; quia cùm sit se ipso formaliter, & non ab alio efficienter, non poterit à se ipso excludere perfectius esse, quod posset in se ipso continere: nam esse, quod nõ limitatur ab alio efficiẽter vel exemplariter, non poterit à seipso limitari formaliter; tùm quia non esset maior ratio, cur se limitaret ad tantum, & non ad maius, aut minus esse: tum quia esse, vt esse, non potest esse causa limitatiua sui. Non esset autem ens per essentiam illimitatum ad omne esse, quod non inuoluit contradictionem, si, præter ipsum, esset aliud ens per essentiam: quia non esset illimitatum ad illud esse, quod contineretur in alio ente per essentiam; quod posset in se ipso sine contradictione cõtinere.

3. Dices: esto illud esse, quod contineretur in vno ente per essentiam, non implicaret simpliciter, implicaret tamen existere in alio ente per essentiam: ergo ex eo, quòd tale ens non implicaret simpliciter, non bene colligitur, quòd non implicaret existere in alio ente per essentiam: sicut non implicat triplex esse personale in eadem natura Diuina; cùm tamen implicet, esse personale vnius formaliter contineri in esse personali alterius. Sed contrà. Nam hoc ipso, quod supponeretur, tale esse non implicare simpliciter: euidenter deducitur, illud debere contineri in vno tantùm ente per essentiam, & non diuidi in pluribus; tum quia non esset maior ratio, cur ens per essentiam diuideretur in duo, & non in plura, atque adeò in infinita, cùm ex se non magis peteret multiplicari in tot, quàm in plura. Tùm quia sicut Ens per essentiam, est illimitatum quoad entitatem, ita & quoad vnitatem; nam hęc proportionaliter sequitur ad entitatem. Vnde Auerroes. 12. Metaph. text. 37. dixit, Deum esse *infinitæ nobilitatis & Vnitatis*. Infinita autem & illimitata vnitas excludit consortium plurium, in eadem natura generica, vel specifica existentium. Nec est eadem ratio de triplici esse Diuinarum personarum; quia cùm illud sit relatiuũ, implicat esse vnius, formaliter contineri in esse alterius: esse autem vnius Dei esset absolutum, atque adeò non oppositum cum esse vt sic: ergo non implicaret totum esse formaliter contineri in vno ente per essentiam, quod essentialiter importat illimitationem ad omne esse simpliciter.

*Auerroes.*

4. Secvnda ratio demonstrationis desumitur ex perenni & constanti ordine huius Vniuersi. etenim si plures essent Dij, sese impedirent in ordine & gubernatione huius vniuersi, quia quod vellet vnus, respueret alter; Vnde vel omnes essent æqualis virtutis, vel vnus excederet reliquos. Si primum; omnes in agendo se impedirent, ac proinde nullus sequeretur effectus. Secundum est contra naturam entis à se, quod sicut nullum agnoscit superiorem in essendo, ita nec in dignitate. Verùm, quia posset quis fingere plures esse mundos, quorũ cuiq; suus præsideret Deus. Contra hoc figmentũ est, quoniam hoc ipso, quod vnusquisq; caret dominio aliorũ mundorũ, nõ esset perfectissimus, quale debet esse ens à se, Hanc veritatem fassus est Aristot. 12. Metaphysices in fine, vbi sic librum concludit: *At entia nolunt male gubernari. Non est bonum pluralitas principatuũ. Vnus ergò princeps.* *Aristoteles.*

5. *Obijcies.* Vnitas limitat ens, ergo non potest competere Deo enti illimitato. Antecedens probatur, quia Vnitas distinguit vnum ab alio, ergo limitat, ne vnum sit aliud. Resp. distinguendo antecedens: limitat quoad perfectionem simpliciter, nego: limitat quoad perfectiones includentes imperfectionem, concedo. Deus enim non distinguitur à creaturis secũdùm perfectionem simpliciter, quia continet illas eminenter; distinguitur autem secundùm perfectiones includentes imperfectionem, quas excludit formaliter. Distinguitur igitur à creaturis Deus formaliter, non autem eminenter; nam eminenter est omnia.

6. Ad Primam rationem dubitandi resp. illum fuisse errorem vulgi, non perpendentis vim demonstrationis, non autem Sapientum, qui vno ore omnes testati sunt Vnitatem Dei; quin per antonomasiam Deum appellabant Vnitatem.

7. Ad secundam, nego paritatem: nam plura suppositа in eadẽ natura non multiplicant esse à se: vnum quippe est esse à se in tribus suppositis indiuisum existens: at plura indiuidua multiplicarent esse à se, quia sicut multiplicarent naturas, ita & esse à se. Repugnant enim multiplicari naturas, nõ multiplicato eo, quod est proprium naturæ. Igitur si multiplicaretur natura Diuina, multiplicaretur & esse à se quod est proprium naturæ Diuinę. Tota autem ratio, cur repugnet pluralitas Deorum est, quia repugnant plura entia à se.

8. Ex his collige, Diuinas personas non esse plura, sed vnum indiuiduum, quia indiuiduationem non accipiunt à personalitatibus, sed à natura, quę est vna indiuidua in tribus suppositis. Nec obstat, quòd Diuinę personæ distinguantur ad inuicem; quia non distinguuntur ratione aliqua absoluta, sed respectiua. Dices saltem multiplicantur tria esse à se relatiua. Resp. hoc nullum esse absurdum: quia hæc non faciunt tria esse simpliciter, sed vnum: quia omnia constituunt vnum esse perfectè subsistens.

9. Ex dictis deducitur, Vnitatem de forma-

li nullam dicere perfectionem in Deo; de materiali autem importare maximam. Primum constat, quia Vnitas de formali importat indiuisionem entis in se, & diuisionem à quocunque alio, quæ sunt negationes: negatio autem, cùm non affirmet aliquid de subiecto, sed potiùs neget, nullam de formali dicit perfectionem. Nec refert, quòd indiuisio dicat negationem diuisionis entis in se, quæ formaliter est negatio; quia non negat diuisionem ipsam entis formalem, sed fundamentalem: quo pacto non est negatio negationis, sed affirmationis. Secundum patet, quoniam de materiali Vnitas in Deo importat talem perfectionem, ratione cuius implicat inplures diuidi, quæ est maxima perfectio.

# DISPVTATIO V.

## De simplicitate Dei.

Henricus. Auerroes.

VNITATEM sequitur simplicitas, quæ teste Henrico in summa art. 28. q. 1. species quædam est perfectę vnitatis: vnde Auerroës 12. Metaphysices text. 37. illam Deo tribuit post vnitatē. Duplex quippe est vnitas: altera, quę opponitur multitudini, & comitem excludit eiusdem naturæ: altera, quæ opponitur multiplicitati partium componentium, & compositionem plurium respuit. Vnde omne simplex est vnum: non tamen omne vnum est simplex; quia vnum admittere potest compositionem plurium, quam excludit simplex. Duplex autem est in hac re difficultas, altera, an in Deo sit vel esse possit aliqua compositio: altera, an ipse venire possit in compositionem alterius.

### SECTIO I.

#### *An in Deo sit, vel esse possit aliqua compositio?*

1. DVPLEX est compositio, realis, & rationis. Prior adhuc est duplex, alia ex potentia obiectiua & esse, alia ex potentia subiectiua & actu; quæ quadruplex est, ex materia & forma, ex partibus integrantibus, ex natura & subsistentia, ex subiecto & accidente. Posterior etiam est duplex: alia, quæ consurgit ex solis perfectionibus, quę sunt intra ipsum Deum; alia quæ componitur ex ratione propria Dei, & alia communi Deo & creaturis. His adnotatis,

2. DICO 1. Implicat in Deo compositio ex potentia obiectiua & esse, non solùm re, sed etiam ratione. Prior pars claret, quia talis cōpositio supponit, rem potuisse non esse; Nam ea dicuntur in potentia obiectiua, quæ ex se ipsa non sunt, possunt tamen esse vi alterius potentiæ, in cuius virtute continentur, & cuius vim, antequam sint, obiectiuè terminant. Implicat autem Deum contineri potuisse in virtute alicuius potentiæ, cuius vim productiuam obiectiuè terminasset, antequam esset: ergo. Posterior pars patet, quia implicat concipere rem sub oppositō suæ essentiæ: atqui essentia Dei est ipsum esse seu existere: ergo implicat, etiam ratione, concipere Deum cum potentia obiectiua ad esse.

3. DICO 2. Implicat in Deo quęcūque realis compositio ex partibus actu distinctis. Fundamentum est, quia omnis talis compositio supponit limitationē partium componentiū: supponit enim, quod vna pars componens excludat à se perfectionem alterius partis componentis, atque adeo supponit illam limitatā ad esse tantùm partis; nam propterea exigit vnionem compartis, quia caret perfectione illius, quam si haberet, exigere non posset. Implicat autem, vllam perfectionem Diuinam limitari ad vnum tantùm genus perfectionis, & re ipsâ excludere omnes alias perfectiones. Minor patet, quia omnis perfectio Diuina essentialiter est à se: ergo omnis perfectio Diuina est illimitata ad omnes perfectiones possibiles. Confirm. quia Deus est actus purus, cui repugnat omnis realis compositio: quia omnis realis compositio supponit potentiam passiuam, quæ opponitur actui puro: qui propterea purus dicitur, quia nullam admittit potentialitatem actui repugnantem.

4. DICES: vna perfectio Diuina relatiua non includit alias perfectiones relatiuas: ergo non quęlibet perfectio Diuina est illimitata ad omnes perfectiones possibiles. Resp. Distinguendo antecedens: nō includit alias perfectiones relatiuas oppositas, concedo: non includit alias perfectiones relatiuas non oppositas, & simul absolutas omnes, nego. Nec est de perfectione relationis Diuinæ, includere formaliter oppositam relationem; quia per hanc formalem inclusionem tolleretur Trinitas personarum, atque adeò fęcunditas Diuinæ naturę, quæ est perfectio maior. Omnis autem perfectio, quæ excludit perfectionem maiorem, implicat in Deo; quia Deus, ex dictis, est quò, maius, excellentiusque excogitari non potest. Est igitur de essentia cuiuslibet perfectionis Diuinæ, vt re ipsâ non excludat perfectiones non oppositas: relatio autē, cùm opponatur correlationi, non est de essentia earum, vt sese mutuò includant. Est autem de essentia tam perfectionis absolutę includere omnes & absolutas, & relatiuas, quàm per-

fectionis

fectionis relatiuæ non excludere, nisi correlatiuè oppositas. Si autem esset in Deo Physica cōpositio ex partib. actu distinctis, perfectio absoluta vnius partis re ipsa excluderet perfectionem absolutam alterius compartis: quia pars non distinguitur à comparte solâ perfectione relatiuâ, sed etiam absolutâ, nam ideò exigit vniri comparti, vt perfectionem, quam non habet ex se, accipiat à comparte. Pars autem nō exigit accipere à comparte relationē, quia relatio, vt relatio, non ordinatur ad componendum vnum tertium: cùm enim relatio opponatur correlationi, non potest ordinari ad componendum vnum cum illa, quia quæ ordinantur ad componendum, debent sese mutuò perficere in vno tertio, relationes autem oppositę nequeunt sese mutuò perficere in vno tertio; igitur nequeunt ordinari ad cōponendum vnum tertium. Minor constat, quia nulla res potest perfici per inclinationem ad oppositum suæ naturę: sed relatio essentialiter inclinat ad distinctionem, & oppositionem, non ad vnitatem & compositionem cum sua correlatione: ergo.

5. Hinc deducitur, tres relationes personales in Deo nullam facere compositionem, nec inter se, quia cùm sint oppositæ, non petunt inter se vniri, sed potiùs realiter distingui; neque cum natura, à qua nullo pacto distinguuntur ex natura rei.

6 Et hæc quidem de compositione reali non modò ratione naturali, sed etiam Fide Diuina certa sunt, & definita in Concilio Lateranensi, vt refertur cap. *Firmiter* de summa Trinit. & Fide Catholica. Non nihil controuersiæ habet compositio rationis, an ea locum habeat in Deo: & quoniam hæc duplex est, altera quæ coalescit ex rationibus Diuinis, altera ex ratione communi Deo & creaturis: nunc de priore, sequenti sectione de posteriore.

*Concilium Lateran.*

7. PRIMA sententia concedit in Deo compositionem rationis, consurgentem ex diuersis rationibus obiectiuis: Est S. Thom. in 1. dist. 24. qu. 1. art. 2. ad 4. & dist. 25. art. 1. ad 2. Bonauentur. dist. 34. art. 1. quæst. 1. Argentin. Dist. 8. quæst. 1. art. 1. ad 5. & art. 3. Ferrarien. 1. contra Gentes c. 58. Gillij lib. 2. tra. 4. c. 14. Vasquez. p. p. Disp. 121. c. 3. Suarez de Deo lib. 1. cap. 4. Probatur primò, quia ad compositionem rationis nil aliud requiritur, quàm mentalis multiplicitas rationum cum obiectiua vnione earumdem inter se: sed totum hoc attribui potest Deo ex modo nostro concipiendi cum fundamento in re: ergo potest Deo tribui compositio rationis. Maior constat, quoniam compositio rationis concipienda est ad instar compositionis realis: ergo sicut ad hāc sufficit realis multiplicitas extremorum, cum subiectiua vnione inter se: ita ad illam sufficiet mentalis multiplicitas rationum, cum obiectiua vnione inter se. Minor ostenditur, nam in Deo, ob infinitam eminentiam perfectionis est fundamentum multiplicis conceptibilitatis rationum; & ob summam vnitatem, est fundamentum obiectiuę vnionis earundem inter se: ergo est fundamentum mentalis compositionis.

*S. Thomas. Bonauentura. Argentinas Ferrarienſ. Gillius.. Vaſquez. Suarez.*

8. Confirmatur: quia magis recedit à Diuina simplicitate multiplex conceptibilitas perfectionum, quàm mentalis vnio earundem inter se, quia magis hæc accedit ad Diuinam vnitatem, quàm illa ad Diuinam simplicitatem. Ergò si datur multiplex conceptibilitas perfectionum, dari etiam poterit mentalis coniunctio earundem in vnam rationem ex illis obiectiuè compositam.

9. Secundò, quia sicut in Deo, ob illimitationem perfectionis, est virtualis distinctio, quæ equipollet diuersis perfectionibus creatis: ita ob summam identitatem est virtualis vnio, quę equipollet diuersis cōpositis creatis.

10. Tertiò: Implicat esse vnum & plura absque compositione: sed in Deo est vna perfectio, respondens adæquatè multis à nobis inadæquatè conceptis: cùm ergo omnes istæ perfectiones à nobis inadæquatè conceptæ, sint de intrinseca & adæquata ratione illius, debent omnes concipi vt coalescentes in illam vnam, atque adeo vt obiectiuè, & secundùm rationem illam componentes.

11. SECVNDA sententia negat in Deo omnem compositionem rationis. Est Aureoli in p. dist. 1. quæst. 1. artic. 2. & dist. 8. part. 4. distinctionis art. 1. Capreol. dis. 2. quęstiunc. 3. ad 2. & 4. argumentum. Fasoli 1. p. quæstione 3. artic. 7. dub. 4. potissimum fundamentum est, quia talis compositio importat aliquam imperfectionem in Deo: ergo non est concedenda.

*Aureolus. Capreolus. Faſolus.*

12. Pro explicatione, notandum præsentem controuersiam non esse, an quomodocumque in Deo concipi possit compositio rationis: sic enim nemo dubitat, posse nos, & de facto eam interdum in Deo concipere; sed, an concipi possit absque vlla imperfectione repugnante esse Diuino. Pro quo vlteriùs notandū, duplicē esse compositionem rationis, vnā per modum vnionis, connectentis extrema mutuò perfectè condiuisa, secundùm rationes obiectiuas, siue per modum plurium coalescentium in vnum tertium, conflatum ex ijsdem perfectionibus remanentibus in toto inuicem distinctis, & condiuisis secundùm rationem: sicut in quolibet composito reali extrema vnita, manent inuicē realiter distincta: alteram per modum identitatis, perfectè sibi identificantis extrema vnita: siue per modum plurium rationum coalescentium in vnā perfectam formalitatem, absque vlla mutua distinctione extremorum in toto. His positis,

13. DICO Tertiò: Repugnat Deo compositio primo modo, non autem secundo. Iuxta hanc conclusionem conciliantur Doctores citati pro vtraque sententia, & Patres, qui interdum compositionem rationis in Deo admittunt, interdum verò negant. Lege Anselmum in Prosologio cap. 18. vbi compositionem per intellectum Deo negat: *Nā quæ possunt*, inquit, *ab intellectu dissolui, aliena sunt à Deo, quo nihil melius excogitari potest.*

*Anſelmus.*

14. Fundamentum prioris assertionis est

imperfectio, quam talis compositio essentialiter importat in extremis ipsis mentaliter componentibus. Imperfectio autem, est ipsa mutua condiuisio partium in toto; siquidem alterutra manet obiectiuè perfectè condistincta ab altera: hanc enim mutuam condistinctionem extremorum exigit realis vnio, ad instar cuius concipienda est mentalis. Vnde sequitur perfectiùs concipi totum constitutum ex vtraque perfectione simul, quàm ex vna tantùm. Quæ omnia pugnant cum perfectionibus Diuinis, quæ sicut in se sunt illimitatæ simpliciter, ita contra ipsarum naturam concipiuntur limitatæ ad vnam tantùm perfectionem, excludendo perfectionem tam partis componentis, quàm totius constituti.

15. Dices, ad compositionem rationis nõ opus esse, vt extrema componentia se mutuò excludant positiuè, sed tantùm negatiuè: sicut conceptus sapientię non excludit positiuè perfectionem bonitatis, sed tantùm negatiuè, illam non includendo, non autem positiuè excludendo. Sed contrà, tum quia, vt constat ex Disp. 3. sect. 7. eo ipso, quo aliqua ratio non includit obiectiuè aliam, potest de illa affirmari obiectiua exclusio alterius, ac proinde non tantùm negatiuè, sed etiam affirmatiuè excludit obiectiuè illam. Tum quia nequeunt extrema concipi, vt partes componentes, nisi concipiantur se mutuò positiuè excludentia: hoc enim importat totum ex pluribus compositum, vt neutrum componentium includat alterum, cum quo debet componere: alioqui non conciperetur aptum constituere cum illo totum, quod essentialiter fit ex partibus mutuò distinctis. Confirmatur: quia compositum debet esse tale, de quo possit positiuè affirmari, quòd neutra pars componens sit totum compositum.

16. Posterior pars assertionis probatur, nam compositio secundo modo accepta nullam inuoluit neque in toto, neque in rationibus ipsis componentibus imperfectionem. Non in toto: quia in hac sententia, totum non concipitur coalescere per vnionem plurium obiectuè distinctorum, sed per identitatem plurium conceptuum, in vnam simplicissimam formalitatem coalescentium: posterior enim conceptus additus priori, non componit propriè cum illo, quia non manet obiectiuè distinctus ab illo, sed inclusus obiectiuè in illo, & tantùm explicat, quod prior implicitè dicebat. Neque in ipsis rationibus componentibus, quia neutra ratio componens excludit aliam, sed potiùs sese mutuò includunt. Est enim compositio hæc per modum expliciti & impliciti, seu inclusi & includentis, ad eum ferè modum, quo ratio substantiæ componit cum ente, quarum neutra ratio excludit aliam, sed illam implicitè inuoluit. Neque in toto, ratio entis & perfectatis manent inuicem condiuisę, ne quidem per rationem: sed illæ statim coalescunt in vnam entitatem indiuisibilem, conceptibilem tantùm per conceptus inadæquatos, quorum vnus explicat, quod alter implicitè tantùm significat. Atque hæc tantùm compositio, cùm nullam importet imperfectionem, concedenda est Deo.

17. Dices: aliquam compositionem dicere debet compositum ex rationibus Diuinis obiectiuè componentibus, quam non dicit Deus in se ipso: atqui in hac sententia nullam compositionem dicit compositum ex rationibus Diuinis obiectiuè componentibus cõstitutum: ergò. Resp. Negando minorem: dicit enim compositionem ex rationib. sese mutuò implicitè includentibus, quarum neutra in toto manet perfectè condiuisa ab altera, sed inclusa implicitè in altera. Quam compositionem non dicit Deus in se ipso, quia in se ipso non dicit, nisi vnam indiuisibilem entitatem, continentem omnem perfectionem possibilem.

18. *Obiicies* 1. Saltem personæ Diuinæ cõponi possunt ex duabus rationibus, quarum vna perfectè excludat aliam. Assumptũ prob. quoniam abstrahibilis est à Diuinis personis ratio communis perfectè præcisa, ex qua & tali personalitate componibilis est obiectiuè quęlibet persona Diuina. Antecedens ostendo, nam vna persona Diuina non includit alias, sed ab illis perfectè distinguitur: ergo ratio communis non potest implicitè inuoluere rationes particulares singularum. Respond. Negando assumptum: etenim nulla ratio Diuina perfectè & vniuocè pręscindit ab inferioribus, sed tantùm imperfectè & analogicè: quę præcisio non sat est ad compositionem metaphysicam, vt patet in ente, quod quia non perfectè & vniuocè præscindit ab inferioribus, nõ componit Metaphysicè cum illis. Ratio autem, cur nulla ratio Diuina potest perfectè & vniuocè præscindere ab inferioribus est, quia quælibet ratio Diuina, vt sic, essẽtialiter dicit illimitationem, atque adeò implicitè includit rationes, à quibus abstrahitur, & vicissim includitur in illis.

19. *Obiicies* 2. Multæ de Deo formantur propositiones denominatiuę, vt Deus est sapiens, Deus est iustus &c. Sed istæ necessariò supponunt obiectiuam compositionem prædicati cum subiecto: nam affirmare vnum de alio, est vnum mentaliter componere cum alio: ergo. Resp. cum distinctione Minoris: supponunt compositionem per modum expliciti & impliciti, seu includentis & inclusi, concedo: supponunt aliam maiorem, nego. Et ratio est, quia vt prædicatio sit formalis, debet prædicatum implicitè includi in subiecto, & solùm ab eo distingui per explicitum & implicitum, seu inclusum & includens.

20. Ad Primum primæ, nego minorem, loquendo de vnione obiectiua secundùm perfectam condiuisionem vnitorum. Et ad probationem, nego in Deo esse fundamentum talis vnionis, sicut est fundamentum obiectiuę multiplicitatis. Non enim in Deo est virtualis compositio, sicut est virtualis distinctio: cuius ratio est, quia multiplicitas rationum solùm se tenet ex parte nostri intellectus, suppositâ tantum ex parte Dei eminentiâ Diuinæ

perfe-

perfectionis: vnio verò earundem inter se, nō solùm se tenet ex parte nostri intellectus mentaliter vnientis, sed etiam ex parte ipsorum vnitorum, dum concipi debent per modum partium positiuè sese excludentium. Vnde Capreolus: *Dici*, inquit, *potest Deus multiplex, non tamen compositus secundùm rationem*: & causam assignat: *quia illæ rationes non componuntur ad inuicem in Deo, nec in intellectu; cum non habeant vnionem in intellectu ad inuicem, nec in Deo sint subiectiuè.* Capreolus.

21. Ad secundum, nego antecedens: nam multiplicitas conceptionum solùm se tenet ex parte nostri intellectus concipientis multiplici conceptu, quod in se est vnū: vnio verò redundat in imperfectionem ipsorum vnitorum. Nec refert, quòd vnio magis accedat ad vnitatem, quàm multiplicitas ad simplicitatem: nam si loquamur de multiplicitate & vnione subiectiua, vtraque repugnat Deo; si de obiectiua, potest vna attribui Deo sine imperfectione, sine quâ non potest attribui altera.

22. Ad Tertium nego paritatem: nam virtualis distinctio nullam dicit imperfectionem, neque in Deo, neque in ipsis perfectionibus distinctè à nobis conceptis: virtualis autem vnio imperfectionem importat in ipsis perfectionibus mentaliter vniendis.

23. Ad vltimum implicat esse vnum & plura absque compositione per rationes explicitas & implicitas, seu includentes & inclusas, concedo; per rationes sese obiectiuè excludentes, nego.

## SECTIO II.

### *An Deus venire possit in compositionem cum creatura?*

24. Dvplex est compositio, vna Physica, ex materia & forma, ex subiecto & accidente, ex supposito & natura, ex essentia & existentia; altera Metaphysica, ex genere & differentia. De vtraque videndum est, an Deus venire possit in compositionem cum creatura: & primò de Physica. Dupliciter autem intelligi potest, Deum venire posse in compositionem physicam cum re creata. Primò naturaliter, quo pacto materia venit in compositionem cum forma, subiectum cum proprio accidente, natura cum proprio supposito: Secundò, liberè & gratuitò. Primo modo euidentius est, quàm vlla probatione egeat, Deum in nullā venire posse cōpositionem cum creatura, euidentiæ ratio est, quia quod hoc modo venit in compositionem cum aliquo, intrinsecè ordinatur ad illud: atqui euidens est, Deum non posse intrinsecè ordinari ad creaturas; quia, cùm sit omninò independens à creaturis non potest intrinsecè ordinari ad illas: ordinatio enim dependentiam importat, & commensurationem ad illud, ad quod ordinatur. Est igitur tantùm disputatio, an saltem liberè & gratuitò Deus venire possit in aliquam Physicam compositionem cum creatura.

25. Dico 1. Implicat Deum venire in compositionem cum forma, vel cum materia. Fundamentum est, quia vtraque compositio euidentem arguit imperfectionem in extremis ipsis componentibus. Etenim munus materiæ est, esse subiectum formæ, ab eaque informari & actuari: munus verò formæ, esse actum materiæ, & formale principium omnium operationum immanentium. Implicat autem, Deum, vel actuari & informari à forma, vel actuare & informare materiam, aut esse formale principium immanentium operationum. Minor patet, nam hæc omnia inuoluunt mutationem & perfectibilitatem, quę in Deum, purissimum actum, cadere non possunt. Confirmatur, nulla substantia completa venire potest in compositionem cum materia, aut cum forma: Deus est substantia completissima: igitur. Maior constat, quia compositio ex materia & forma est ordinata ad faciendum vnum per se, hoc autem non fit, nisi ex substantijs incompletis.

26. Dico 2. Implicat, Deum venire posse in compositionem cum accidente. Fundamentum est, quia talis compositio non fit, nisi medio accidente actuante, & informante: implicat autem, Deum actuari & informari ab accidente: ergò.

27. Dico 3. Implicat, Deum componere vnum existens cum essentia creata: est contra Thomistas asserentes, humanā naturā in supposito non modò subsistere, sed etiā existere existētiâ increatâ Verbi. Fundamentū nostrę conclusionis est, quia nulla essentia creata existere potest existentiâ à se distinctâ: cùm enim formalis effectus existentiæ, sit ponere rem extra suas causas; implicat autem poni rem extra suas causas, per existentiam à se distinctam; nam hoc ipso, quòd intelligitur res in actu intelligitur extra suas causas: intelligitur autēres in actu: hoc ipso, quòd ex potētia obiectiua trāsiuit in subiectiuam: ergo hoc ipso, quòd essentia creata de esse potentiali transit ad esse actuale, fit extra suas causas, ac proinde existens: atqui non solùm ad esse actuale transit existentia, sed etiam essentia; alioqui non fieret, nisi sola existentia, quæ per aduersarios est tantùm modus essentiæ. Hoc autem falsum est: aliàs essentia in actu, & in potentia non distinguerentur, nisi solâ existentiâ. Vnde essentia ipsa in potentia esset immediatum subiectum existentiæ, & materia, quæ per aduersarios existit existentiâ formæ, in priori naturæ, in quo præsupponitur ad existentiam formę, vt causa sustentatiua illius, sustentaret illam per essentiam nondum in actu, quia nondum intelligeretur actuata existentia formæ. Implicat autem, essentiam in potentia, vt in potentia, causare aliquid reale: cuiusmodi est realis sustentatio formę. Contra Thomistas.

28. Dico 4. Implicat, naturam increatam componere cum supposito creato; non

tamen suppositum increatum cum natura creata. Posterior assertionis pars est de fide, vt constat in mysterio Incarnationis. Cuius ratio est, quia in ea compositione nulla interuenit ex parte suppositi imperfectio, vt suo loco probabitur. Fundamentum prioris assertionis est triplex: primum, quia suppositum creatum est modus: modus autem nequit, nisi propriam naturam terminare: nequit igitur terminare Diuinam. Ergo implicat, Deum cũ illo componere vnum in ratione suppositi. Secundum est, quia nequit natura suppositata proprio supposito vlteriùs suppositari alieno, vt in materia de Incarnatione probabimus: ergo nequit natura increata suppositata proprio supposito, suppositari alieno. Consequentia patet, quia nulla natura quamdiu suppositatur suppposito proprio, suppositari potest alieno: implicat autem, naturam increatam definere suppositari supposito proprio, ergo implicat suppositari alieno. Tertium est, quia sicut suppositare, est communicare aliquam perfectionem suppositato: ita suppositari, est recipere aliquam perfectionem à suppositante: igitur si natura Diuina suppositari posset à supposito creato, aliquam posset ab eo perfectionem recipere, quod implicat.

29. Ex dictis deducitur primò: Non posse Deum vniri cum creatura in ratione vitæ; quia hæc importat formale principium operationum vitalium: implicat autem, Deum esse formale principium vitalium operationum creaturæ: ergo. Minor patet, quia esse formale principium vitalium operationum, est illas in se ipso producere, ijsque mediantibus obiecta percipere: hoc autem manifestam arguit mutationem in ipso principio vitæ; ergo. à fortiori constat neque Deum vniri posse cum creatura in ratione Sapientiæ, aut iustitiæ, vel alterius virtutis moralis: quia, cùm huiusmodi perfectiones sint actus vitales in Deo; actus autem vitales vnius suppositi nequeant communicari alteri supposito, nequit Deus vniri creaturæ in ratione sapientiæ, vel alterius actus vitalis.

30. Deducitur 2. Non repugnare Deo compositionem in ratione causę efficientis cum causis creatis; quia hęc, cùm sit extrinseca, nullam arguit mutationem intrinsecam in principijs ipsis componentibus, sed solam subordinationem causæ inferioris ad superiorem. Vnde Deus sine vlla sui imperfectione, vt causa prima componit vnum principium cum qualibet causa secunda, in ordine ad effectum producendum. Hinc fit, vt neque Deo repugnet compositio in ratione intellectiui & intelligibilis: quo pacto Diuina essentia, vt species intelligibilis sui, & creaturarum, componere potest cum intellectu creato vnum intrinsecum principium intellectiuum. Cuius ratio est, quia hæc compositio est in genere causæ efficientis: intelligibile enim efficienter complet intellectiuum in ordine ad intellectionem producendam. Nec refert, quòd intelligibile denominetur passiuè intelligi ab intellectione; quia hæc passiua intelligibilitas, nullam requirit potentiam passiuam Physicam in obiecto intelligibili, sed tantùm extrinsecam terminabilitatem, quæ appellari solet potentia passiua grammaticalis. Et ratio est, quia intellectio, à qua denominatur obiectum passiuè intellectum, non recipitur in obiecto intellecto, sed in potentia ipsa intellectiua, & solùm extrinsecè terminatur ad obiectum intelligibile.

31. Atque hęc de compositione Physica, quę certa sunt apud Catholicos. Superest altera pars expedienda de compositione Metaphysica, quæ controuersa est vel inter ipsos Catholicos, de qua:

32. Prima sententia est affirmans. Gregorij in 1. dist. 8. quæst. 3. art. 2. Rubionis qu. 1. art. 1. & 3. Marsilij quæst. 12. art. 2. Maioris quęst. 2. Gabrielis q. 1. Bacconi quęst. vnica art. 2. & 3. & dist. 9. quęst. vnica, Holchot. quæst. 6. concl. 3. qui omnes ad minimum affirmant, Deum esse in prædicamento substantię, & relationis; alij etiam in prædicamento actionis. Rubio verò Deum ponit in omnibus his prædicamentis substantiæ, relationis, actionis, passionis, quando, & vbi, quin & Verbum ipsum in prędicamento, *habere*, ratione humanitatis assumptæ. Fundamentum huius opinionis est, quoniam aliqua prędicamenta secundùm omnem proprietatem dicuntur de Deo, velut prędicamentum substantiæ, relationis, & actionis: Nam secundùm omnem proprietatem Deus dicitur & est substantia, nec non relatiua, cùm verè Pater sit ad Filium, Filius ad Patrem, & vterque ad Spiritum sanctum. Deus etiam verè agit producendo personas Diuinas: ergo verè, & propriè est in prędicamento substantiæ, relationis, & actionis. Consequentia patet, quoniam esse in prædicamento nihil aliud dicit, quàm esse id, de quo verè, & propriè dicatur res ipsa prędicamenti, vt homo dicitur esse in prædicamento substantiæ, quia de ipso verè & propriè dicitur prædicamentum substantiæ. Antecedens probo, quia alioqui nullum esset discrimen inter ea, quæ de Deo propriè & metaphoricè dicuntur. *Gregorius. Rubio. Marsilius. Maior. Gabriel. Bacconus. Hôlchot.*

33. Confirmatur: nã de quocunque prędicatur aliquid in quid, quod commune est alijs differentibus specie, id collocatur sub tali prędicabili, tanquam species sub genere: atqui multa prædicantur de Deo in quid, quæ communia sunt multis differentibus specie. Maior patet ex definitione generis, quod est prædicabile de pluribus differentibus specie in quid. Minor probatur, nam substantia & Spiritus prædicantur de Deo in quid, eaque communia sunt creaturis, specie inter se, & à Deo differentibus. Secundò probatur autoritate Patrum, pręsertim August. & Damasc. quorum ille lib. 5. de Trin. ca. 8. & 10. docet, aliqua prædicamenta propriè, alia translatè de Deo dici: hîc verò in sua introductione c. 8. apertè affirmat, Deum contineri sub summo genere substantiæ, non minùs, quàm Angelum, Animam, Dæmonem, & li. 3. Fidei c. 4. Deum appellat *Speciem*. *August. Damasc.*

34. Se-

*Magistar.*

*S. Thomas*

*Anselmus. Bernardus. August.*

*Censura oppositæ sententiæ. Rubio.*

*Molina.*

34. SECVNDA sententia negans est: Magistri & reliquorum Scholasticorum in 1. dist. 8. S. Thom. 1. p. q. 3. art. 5. & omnium eius interpretum: Quę procul dubio verior est, & rationi conformior: quam passim docent Patres, Ansel. in Monol. c. 26. Bernardus epistola ad Fratres de monte Dei; Aug. ipse, qui pro contraria sententia citatur, libro de cognitione veræ vitæ c. 3. apertè affirmat, nullum prædicamentum de Deo propriè dici. Quin oppositæ sententia, referente Rubione loco prędicto art. 4. fuit tanquam error in Fide damnata: vnde nonnulli recentiores, eam in Fide periculosam esse censent. Ego verò cũ Molina 1. p. quæst. 3. art. 5. sicut falsam puto, ita nulli censuræ subijciendam censeo. Pro cuius explicatione,

35. Notandum est, prędictam controuersiam non esse, an Deus sit sub genere aliquo analogo; hoc enim à nemine negari potest: quod inde patet, quia cùm de Deo & creaturis aliqua prædicentur, & non tantùm æquiuocè, aut secundùm vocem, ad minimum de Deo & creaturis prædicari debent secundùm aliquam rationem analogam, quę proportionaliter conueniat Deo & creaturis: sed tantùm controuersiam esse, an Deus sit sub genere aliquo vniuoco: nam hoc tantùm est aptum simul cum differentia componere essentiam metaphys. ratio enim analoga cùm non præscindat ab inferioribus analogatis, sed ea omnia implicitè inuoluat, non est apta componere metaphysicam essentiam, quę saltem ex duobus conceptibus, perfectè præcisis constare debet. His adnotatis,

36. DICO 5. Implicat, Deum venire in compositionem Metaphysicam cum creatura atque adeo contineri sub genere aliquo vniuoco cum illa. Fundamentum est, quia talis compositio inuoluit imperfectionem Deo repugnantem. Imperfectio autem est, quia genus importat conceptum à differentijs perfectè præcisum; & vice versâ, differentia conceptum à genere perfectè abstractum: implicat autem huiusmodi conceptus in Deo: ergo. Maior constat, quoniam genus dicit quid potentiale & perfectibile per differentias; differentia verò quid actuale & perfectiua: igitur conceptus vnius excluditur à conceptu alterius: alioqui non possent mutuò componere Metaphysicam essentiam, quia hæc non componitur, nisi ex extremis, quorum vnum saltem conceptibiliter excludit alterum. Minor probatur, quia in Deo nulla ratio potest admitti, quæ vel obiectiuè inuoluat perfectibilitatem & limitationem, quia obiectiuè Deo tribui non potest, quod ipsius naturæ repugnat, cuiusmodi est omnis ratio perfectibilis & perfectiua, contrahibilis & contractiua: omnes enim istę rationes tollunt saltem obiectiuè actum purum.

37. Confirmatur: quia potentialitas obiectiua, quam inuoluit genus, non fundatur tantùm in imperfecto modo concipiendi nostro, sed in ipsa natura rei, præbentis intellectui fundamentum huiusmodi potentialitem concipiendi. Est autem fundamentum hoc, natura ipsa generis à parte rei coniuncta cum vna differentia, & simul cum priuatione aliarum differentiarum: animal enim à parte rei in homine est coniunctum cum rationalitate, & simul cum negatione irrationalitatis, quam habet in bruto, ex quo habet intellectus fundamentum concipiendi in ipsomet homine naturam animalis cum potentia ad priuationem rationalitatis, cum qua de facto est coniuncta in bruto. Implicat autem, concipere in Deo rationem vllam cum potentia ad priuationem Deitatis, cum qua est essentialiter coniuncta. Talè autem fundamentum non præbet ratio analoga, etiamsi illa reperiatur à parte rei coniuncta cum differentia vnius, & negatione alterius, vt ratio entis in substantia est coniuncta cum differentia perfeitatis & negatione inaleitatis, quia cum ratio analoga non sit simpliciter vna ab inferioribus perfectè præcisa, sed immediatè dicat ipsa inferiora, non præbet intellectui fundamentum concipiendi rationem ipsam analogam cum priuatione omnium suarum differentiarum: quia semper ratio ipsa communis concipitur, vt immediatè inuoluens rationes ipsas inferiores.

38. Explicatur magis, imperfectio, quam importat genus vniuocum, ex duplici conditione, quam essentialiter includit. Prima conditio est, quia genus prædicamentale abstrahit ab existentia, & solùm dicit essentias rerum, quæ tantùm in prædicamento collocantur: nam in prędicamento ea tantùm collocantur, quæ sunt obiectum scientiæ: ea autem sunt, quæ abstrahunt ab existentia, & solùm dicunt essentias: nam hæ tantùm sunt necessariè & æternæ veritatis, quam necessitatem requirit obiectum scientiæ. Repugnat autem, concipere in Deo aliquam rationem abstractam ab existentia. Nec refert, si dicas, eam Deum sortiri ex propria differentia Deitatis: quia saltem Deus non adæquatè constitueretur per esse actuale ac necessarium, sed partim per esse actuale, partim per esse potentiale. Secunda conditio est, quia omne genus prædicamentale coarctatur ad aliquam perfectionem, exclusis perfectionibus aliorum prædicamentorum: atqui nulla ratio in Deo concipi potest coarctata ad vnam tantùm perfectionem, cum exclusione aliarum perfectionum, cùm nulla ratio in Deo concipi possit potentialis & perfectibilis per aliam.

39. Vltimò probatur, nam si Deus esset in aliquo prædicamento, ex eoque Metaphysicè componeretur, posset propriâ definitione definiri: consequens est contra Patres, præsertim Augustinum & Damascenum, quos aduersarij in suam sententiam trahunt: ille enim de cognitione veræ vitę cap. 7. sic scribit: *Porrò summus Spiritus, sicut à nullo intellectu valet propriè cogitari, ita nullâ definitione poterit propriè definiri:* Hic autem lib. 1. fidei ca. 4. apertè demonstrat, Deum esse indefinibilem. Sequela verò probatur, nam propria definitio constat ex genere & differentia: igitur

*August. Damascen.*

si Deus componitur ex genere vniuoco, & differentia propria Deitatis, poterit verè & propriè definiri: cùm ad veram & propriam definitionem nil aliud requiratur, quàm genus, quo res definitâ vniuocè conueniat cum alijs, & differentia, quâ discrepet ab alijs.

40. Ad fundamentum primæ sententiæ, negandum est antecedens: Non enim prædicamenta secundùm omnem proprietatem, & rationes, quas includunt, dici possunt de Deo: includunt enim potentialitatem & limitationem ad certam perfectionem, cum exclusione aliarum, secundùm quam imperfectionem nequeunt de Deo dici, atque adeo, vt prædicamenta, nequeunt propriè de Deo enunciari, quia vt prædicamenta, tales imperfectiones essentialiter includunt, à quibus si præscindant, non erunt ampliùs prædicamenta, sed rationes propriè Diuinę, quę ita sunt propriè Dei, vt non conueniant creaturis. Atque hoc indicant Patres, cùm dicunt, Deum nō esse substantiam, sed supersubstantiam, vt loquitur Diony. quem imitantur Damascen. libr. 1. fidei cap. 4. & reliqui Patres.

*Dionysius. Damascen.*

41. Ad Confirmat. concedenda est maior, quando ea, quę prędicantur de pluribus differentibus specie, vniuocè prædicantur; secus quando tantùm analogicè prędicantur, cuiusmodi sunt omnia, quæ de Deo prædicantur, quę non vniuocè, sed tantùm analogicè conueniunt cum rebus prædicamentalibus.

42. Ad auctoritatem Patrum dico, eos tantùm intendere discrimen afferre inter ea, quæ tantùm metaphoricè & propriè de Deo dicuntur. Dicuntur autem propriè, & non metaphoricè, etiamsi tantùm analogicè, & non vniuocè dicantur. Nam etiam analoga conuenientia est propria conuenientia, quamuis imperfecta: accidens enim propriè conuenit cum substantia in analoga ratione entis, licet non perfectè & propter hanc analogam conuenientiam interdum Patres ad differentiam Metaphoricæ prędicationis, affirmant res prædicamentales propriè de Deo dici. Ad loca Damasc. Ref. S. Tho. qu. 7. de potentia a. 3. ad primum, illum accipere *genus* & *speciem* non propriè, & in dialectico rigore, sed impropriè & similitudinariè. *S. Thomas.*

*Explicantur Patres.*

43. Ex dictis deducitur 1. summam simplicitatem esse propriam Dei, cùm nulla sit creatura, quę aliquam compositionem ex assignatis non admittat.

44. Deducitur 2. Summæ simplicitati Diuinæ non obstare pluralitatem personarum; cùm illę non conueniant ad componendum vnum neque inter se, neque cum natura.

45. Deducitur 3. Etsi simplicitas de formali importet solam negationem compositionis, ac proinde, vt sic, nullam addat perfectionem: materialiter tamen, & de connotato supponere modum essendi cæteris paribus perfectiorem; quia, cæteris paribus, perfectius est habere totum suum esse in entitate simplici, quàm compositâ: tum quia quò esse est vnitius, eò est perfectius: tum, quia res simplex est totum quod est: non item res composita, quia res composita non est sua pars, nec vna pars compositi est alia. Iuxta hanc considerationem simplicitas in Deo summam arguit perfectionem, quia supponit modum essendi infinitè perfectum; supponit enim naturam, quæ sine vlla compositione, per summam vnitatem includat infinitas formalitates.

46. Sequitur, 4. simplicitatem esse perfectionem simpliciter simplicem: nam ex definitione perfectionis simpliciter simplicis, in quolibet ente melior est ipsa, quàm non ipsa, nec cum alijs æqualibus, aut maioribus perfectionibus pugnat.

# DISPVTATIO VI.

## De Immutabilitate Dei.

*Henricus.*

1. Quoniam, vt rectè Henricus in summa art. 30. immutabilitatis causa est simplicitas: nam quod est summè simplex, nullam in se compositionem admittens, oportet vt ipsum sit immutabile; alioqui si posset aliquam mutationem subire, posset aliquam compositionem, quę ex tali mutatione in subiecto recepta necessariò resultaret, in se ipso admittere: ideò post disputationem de Simplicitate, annectimus hanc de Immutabilitate.

### SECTIO VNICA.

### *An DEVS sit immutabilis?*

1. Ratio dubitandi est triplex. Prima desumitur ex processionibus Diuinis: nam personæ Diuinæ transeunt à non esse producto ad esse productum; ergo mutantur. Consequentia constat, quoniam prima mutatio rei est, transire à non esse ad esse. Antecedens prob. quia, vt Fides docet,

Verbum

Verbum & Spiritus sanctus realiter producuntur : quod autem realiter producitur, necessariò transit à non esse sui, ad esse sui, quod vi productionis accipit. Confirm. quia in Patre est realis potentia productiua : ergo in Filio & Spiritu sancto est realis potentia passiua. Consequentia probatur, nam omnipotentiæ actiuę correspondet passiua, mediãte quâ terminus producendus est aptus terminare actionem producentis. Idem argumẽtum fieri potest de natura Diuina, quæ à non esse relatiuo Filij & Spiritus sancti, transit ad esse relatiuum Filij & Spiritus sancti per realem productionem in se receptam.

2. Secvnda ratio dubitandi ducitur ex actib. liberis Diuinæ voluntatis hoc modo. Actus liberi Diuinę voluntatis sunt intrinsecæ perfectiones Dei: sed ij potuerunt non esse: ergo aliquid in Deo est, quod potuit non esse. Ergo Deus est mutabilis. Maior constat, nam Actus liberi sunt vitales actiones, quibus liberum agens ab intrinseco se determinat ad operandum, vel non operandum. Minor probatur, quia actus liberi pendent ex libertate operantis.

3. Tertia dubitandi ratio est: nam Deus in tempore ex non creante fit creator, ex non gubernante gubernator, ex non Domino Dominus: ergo mutatur. Consequentia probatur, quia nequit esse noua denominatio sine noua mutatione: ergo si Deus in tempore subit nouam denominationem, quam ab æterno non habuit, debet in ipso fieri aliqua mutatio.

4. Antequam propositam veritatem ostendam, præsupponenda est natura propriæ mutationis, quæ est transitus ab aliqua priuatione ad formam, vel à forma ad priuationem intrinsecam mobili. Quæ duplex est, Physica, & moralis: hęc tantùm cernitur in actibus liberis, quę in nobis sine Physica mutatione, quâ de vno actu in alium mutamur, esse non potest: illa est duplex, altera substantialis, cuius terminus est substantia vel, totalis, vt in creatione, annihilatione, & transubstantiatione; vel partialis, vt in generatione & corruptione. Altera accidentalis, quę diuiditur iuxta varietatem accidentiũ, ad quæ tẽdit. His adnotatis,

*Aristoteles.* 5. Dico 1. Deus est immutabilis quacunque mutatione Physica. Assertio nõ solùm est naturali discursu nota, quam docuit Arist. 8. Physic. vbi ostendit, Deum esse primum motorem immobilem: sed etiã supernaturali Fide certa, quam expressè definit Lateranense, vt refertur c. *Firmiter* de summa Trinit. & Fide Catholica: Et passim docent Scripturæ. *Concilium Lateran.*

6. Difficultas est, ex quo attributo, tanquam ex causa & ratione proximâ, hęc perfectio deducatur. Et quidem omnes conueniunt, illam remotè & mediatè deduci ex ratione essendi à se, ex qua, tanquam ex radice, omnes perfectiones Diuinę deducuntur. Verùm ex qua immediatè & proximè deducatur, nõ omnes conueniunt. Quatuor autem sunt rationes in Deo, ex quibus perfectio immutabilitatis, tanquam ex proxima radice videtur posse deduci. Prima est necessitas essendi: secunda actus purus: tertia summa simplicitas: quarta infinitas simpliciter, quæ conuertitur cum summa perfectione; quia quod est infinitum simpliciter, non modò includit omnem perfectionem possibilem, sed omnem modum essendi perfectionis possibilis.

7. Aliqui contendunt attributum immutabilitatis, tanquam ex causa adæquata & proxima, probari tantùm ex necessitate essendi: Nam, hac tantùm positâ, & qualibet aliâ ratione sublatâ, ponitur immutabilitas : contrà verò, omni aliâ positâ, & hâc vnâ tantùm sublatâ, tollitur immutabilitas : ergo iuxta regulam Aristotelis traditâ in prædicamentis c. *de his quæ ad aliquid*, hæc est tantùm proxima, & adæquata ratio immutabilitatis: Antecedens probatur, quoniam implicat, intelligere id, quod est absolutè necessarium, transire de nõ esse ad esse, aut de esse ad non esse : eò quòd summa necessitas non permittit, vt non sit id, quod necesse est esse. Sed mutari nihil aliud est, quàm transire de non esse ad esse, vel de esse ad non esse. Igitur sola necessitate essendi in Deo positâ, & omni aliâ ratione sublatâ, intelligitur immutabilitas. Contrà verò ratio actus puri, ratio summæ simplicitatis, ratio infinitatis simpliciter, præcisa necessitate essendi, immutabilitatem non inferunt, sed in tantum illam inferunt, in quantum includunt ipsam necessitatem essendi, qua secluſa, illam non inferrent: ergo non ratione sui præcisè, sed ratione summæ necessitatis, quam includunt, talem perfectionem inferunt. *Aristoteles.*

8. Alij contendunt, Ex sola infinitate simpliciter id posse proximè ostendi. quia quod est infinitum simpliciter, est omni ex parte perfectum, atque adeò incapax accrementi, vel decrementi perfectionis: implicat enim concipere, vel infinito in tota latitudine entis possibilis addi, vel summè perfecto demi posse perfectionem vllam.

9. Ego verò censeo, non ex sola necessitate essendi, sed ex qualibet ratione ex assignatis optimè inferri, tanquam ex proxima & immediata radice, perfectionem immutabilitatis. Non enim repugnat, eandem perfectionem deduci posse ex pluribus, quarum singulæ sint sufficientes, nulla verò adæquata. Assertio hæc est Sancti Bonauenturæ in. 1. distinct. 8. part. 1. distinctionis artic. 2. qu. 1. S. Thom. loco præcitato qu. 1. Scoti q. 5. §. *huius exclusiuæ*, Rich. art. 2. quæst. 1. Capreoli qu. 3. post 1. conclusion. Durandi qu. 3. Henrici in summa a. 30. & aliorum. Probatur primò auctoritate Auguſt. lib. 6. de Trin. c. 6. vbi, sicut ex compositione probat, omnem creaturam esse mutabilem ; ita ex simplicitate probat, solum Deum esse immutabilem. *Nihil enim*, inquit, *simplex mutabile est.* *Bonauent. S. Thomas. Scotus. Richardus. Capreolus. Durandus. Henricus. Auguſt.*

10. Secundò, Probatur ratione, & primò quòd ex actu puro, tanquam ex proxima radice, immediatè inferatur immutabilitas, sic ostendo. Actus purus ex sua formali & precisa ratione negat omnem potentialitatem; ergò est immediata causa immutabilitatis. Antecedens claret ex ipso explicito conceptu actus pu-

ctus puri, qui consummatur in ipsa formali exclusione omnis potentialitatis; Nam hæc sola opponitur perfectioni, quam actus purus dicit, depuratam ab omni imperfectione. Consequentia verò probatur, nam proxima radix immutabilitatis, est negatio omnis potentialitatis; sicut proxima radix mutabilitatis est ipsa potentialitas. Igitur, exclusâ à Deo per actum purum omni potentialitate, immediatè & per locum intrinsecum infertur immutabilitas. Antecedens probo, nam proxima causa, cur repugnet subiectum mutari, est ipsa repugnantia, seu incapacitas ad mutationem, quam incapacitatem formaliter importat exclusio ipsa totius potentialitatis.

11. Confirmatur: nam ea censenda est proxima causa effectûs, inter quem & causam ipsam nulla intercedit proximior: sed inter negationem totius potentialitatis & immutabilitatem, nulla intercedit ratio proximior: quia sicut inter mutationem & potentialitatem nulla intercedit proximior causa, cum nulla fingi possit proximior, quàm quę inter actum & potentiam immediatè receptiuam concipitur: ita neque inter negationem omnis potentialitatis & immutabilitatem: cùm talis illatio procedat ex negatione potentiæ proximè receptiuæ, ad negationem actus proximè receptibilis.

12. Dices, mediare necessitatem essendi, quę si ab actu puro præscindatur, non erit tadix immutabilitatis, ea verò subintellecta statim infert immutabilitatem: Esto igitur, actus purus immutabilitatem inferat, eam tamen non infert ratione sui, sed ratione necessitatis essendi, quam includit. Sed contrà; nam adhuc præcisa & non intellecta necessitate essendi, intellecta tantùm ratione actus puri excludentis omnem potentialitatem, necessariò infertur immutabilitas. Quod sic demonstro. Immutabilitas est incapacitas & repugnantia ad quamcunque mutationem: actus purus, etiam præcisa & non considerata necessitate essendi, est incapacitas & repugnantia ad omnem mutationem, quam formaliter importat negatio omnis potentialitatis: ergo intellecta sola ratione actus puri, & non considerata necessitate essendi, infertur immutabilitas. Maior & Minor patent. Consequentia verò probatur. Quia si ex ratione actus puri precisè non sequeretur immutabilitas, posset concipi ratio actus puri cum mutabilitate: implicat autem concipere rationem actus puri cum mutabilitate: ergo immutabilitas necessariò sequitur ad precisam rationem actus puri. Sequela patet, nam cum ea tantùm ratione nequit alia ratio concipi, cum qua habet immediatam oppositionem, & cuius explicitus conceptus destruit explicitum conceptum alterius: cùm enim tales rationes ita existant præcisę in mente, sicut existerent præcisæ à parte rei, solùm ea ratio non poterit mentaliter concipi cum alia, cuius explicitus conceptus vnius nequit consistere cum explicito conceptu alterius. Ergo si ex precisa ratione actus puri non inferretur immutabilitas, posset ratio actus puri mentaliter consistere cum mutabilitate, quia tunc mutabilitas non destrueret immediatè rationem actus puri, sed solam necessitatem essendi, quæ cum actu puro non expresè conciperetur. Minor probatur, actus purus in sua explicita ratione, negat omnem potentialitatem: mutabilitas verò in sua explicita ratione dicit aliquam potentialitatem: igitur implicat, explicitam rationem vnius mentaliter, & obiectiuè consistere cum explicita ratione alterius: ergo ex sola & præcisa ratione actus puri infertur immutabilitas: nam ex ea ratione præcisè infertur immutabilitas, quam immediatè destruit mutabilitas.

13. Secundò, Probo eandem immutabilitatem, tanquam ex proxima radice inferri ex summa simplicitate, hoc pacto. Summa simplicitas, etiam præcisa necessitate essendi, explicitè negat omnem compositionem: Sed omnis mutabilitas explicitè importat potentiam ad aliquam compositionem: ergo ex summa simplicitate proximè infertur immutabilitas. Maior patet, quia sicut simplicitas explicitè negat compositionem, ita summa simplicitas omnem omninò compositionem; alioqui non esset summa, si non negaret omnem. Minor constat, quia mutabilitas dicit explicitum respectum ad mutationem: mutatio autem nequit concipi sine aliqua compositione: omne enim quod mutatur, necessariò componit cum ipsa mutatione. Consequentia verò probatur, nam ex ea ratione proximè pullulat immutabilitas, cuius explicitum conceptum destruit mutabilitas, vt ex dictis constat.

14. Tertiò: Quod ex infinitate essendi simpliciter immediatè inferatur immutabilitas, sic probo: Infinitas essendi simpliciter negat omnem terminum perfectionis possibilis: ergo vi huius Deus non solùm est incapax cuiuscunque accrementi perfectionis, quam posset per mutationem acquirere, sed etiam cuiuscumque decrementi perfectionis, quam habet. Antecedens est ipse explicitus conceptus infinitatis simpliciter. Consequentia quoad priorem partem est euidens ipsis etiam aduersarijs: quoad posteriorem verò, quam ipsi negant, sic probo: Infinitas essendi simpliciter, aduersarijs etiam fatentibus, explicitè negat omnem terminum perfectionis, ratione cuius Deus est incapax accrementi perfectionis; sed si posset esse capax decrementi eius perfectionis, quam habet, eo ipso fieret capax accrementi eiusdem perfectionis, quam amitteret. Nam amittendo aliquam perfectionem, non amitteret capacitatem ad illam. ergo ex eadem radice, quâ Deus est incapax accrementi perfectionis, est etiam incapax decrementi eiusdem. Rectè igitur ex infinitate essendi simpliciter infertur immutabilitas in Deo, non solùm quoad accrementum perfectionis, sed etiam quoad decrementum eiusdem.

15. Dico

15. DICO 2. Deus est immutabilis quacunque mutatione morali. Dupliciter intelligi potest hęc mutatio moralis, vno modo per physicam mutationem actus, quo pacto nos moraliter mutamur ex vno actu in alium: & in hoc sensu assertio demonstrata manet ex præcedente. Alio modo sine vlla physica mutatione actûs, per solam mutationem obiecti voliti: nam posito, quòd Deus potest velle & non velle, quodcunque obiectũ creatum sine physica mutatione sui actus, vt infrà ostendam, difficultas insurgit, an Deus possit quod semel voluit liberè, non velle. Et ratio dubitandi est, quoniam ex hac mutatione nulla aut noua perfectio accrescit Deo, aut aliquid demitur de antiqua, sed solùm mutatio fit in obiecto volito, vt quod ex vi prioris actus erat futurum, ex vi posterioris desinat esse futurum.

*Gillius.* 16. Gillius lib. 2. tra. 8. c. 10. putat ex hac præcisa ratione, nisi alia circumstantia admisceatur, nullam fore imperfectionem in Deo, si, quod semel voluit, desinat velle. Quod etiam docuerunt aliqui Scotistæ, quos infrà citabo, cùm de actibus liberis Diuinę voluntatis. Verùm etiam in hoc sensu assertionẽ positam puto veram, & omninò sequendam. Fundamentum est, quoniam præcisâ omni aliâ imperfectione, sufficiens imperfectio foret diuinæ prouidentię, cõstantięque repugnans, ipsa liberi actus mutatio: quia cùm nulla posset Deo noua ratio occurrere, quam antea nõ præuidisset, ob quã prudenter posset priorem actum mutare, nõ posset absque vitio imprudentiæ atque inconstantiæ semel volitum obiectum nolle. Vnde longè dispar est ratio in nobis, qui, quoniam non omnia à principio præuidemus, prudenter possumus priorem actum in melius mutare.

17. DICES. Etiam Deus posset priorem actum vel in melius, vel saltem ad exercendam suam libertatem mutare: ergo ex hoc capite non incurreret vitium imprudentiæ vel incõstantiæ. Sed contrà, quia tunc potest quis absque vitio imprudentię suum actum in melius mutare, quando ratio, ob quam suum actum in melius mutat, aut non fuit præuisa, aut non attentè considerata: Deus autem omnia & singula ab æterno prędidit, & attentissimè circumspexit. Neque solum exercitium libertatis sufficiens est ad euitandum vitium imprudentiæ, aut inconstantiæ, quia tale exercitium semper debet esse coniunctum cum regula prudentiæ, cui nõ debet libertas præiudicare.

18. AD I. rationem dubitandi, distinguo antecedens, transeunt personę Diuinæ à non esse producto ad esse productum secundùm totũ suum esse essentiale, nego; quia nõ transeunt secundùm esse absolutum, quod essentiale est Diuinis personis: transeunt secundùm esse relatiuum, & subdistinguo; transeunt cũ indifferentia ad esse & non esse, & nego: transeunt cum omnimoda necessitate & determinatione ad esse, & concedo. Ergo mutantur. nego consequentiam: tum quia mutatio est transitus à non esse distinctum à mobili: personæ autem diuinæ procedentes, etsi distinguantur à personis producentibus; non tamẽ distinguuntur à natura, in qua subsistunt. Tũ quia mutatio importat transitum formę, cum antecedente indifferentia ad esse & non esse. Personæ autem diuinæ producuntur cum omnimoda determinatione ad esse, quia producuntur cum summa necessitate, cum ea nimirum, cum qua existit natura ipsa, quę essentialiter postulat personas productas ob sui fœcũditatẽ. Vnde neque etiam dici possunt transire à nõ esse relatiuo ad esse relatiuũ, sed tantùm produci secundũ, esse relatiuum; quia transire à non esse, denotat transitum ex nihilo sui: Diuinæ autẽ processiones, vt rectè adnotauit Scotus in 1. dist. 5. q. 2. *ad argumenta*, non habent terminum ex quo transeunt, sed solum principium, à quo emanant. Quapropter non dicuntur transire ex non esse sui, sed emanare de substantia producentis. Cuius ratiò est, quia id tantùm dicitur transire ex non esse ad esse, quod, quantum est de se, potuit non esse: personæ autem Diuinæ non potuerunt non esse. *Scotus.*

19. DICES. Licet personæ Diuinæ procedentes non potuerint simpliciter non esse, tamen consideratæ ex se, sicut à se non sunt, sed ab alio, ita ex se nõ necessariò sunt, sed necessariò tantùm ab alio. Resp. cum Aureolo in 1. dist. 8. p. 2. ar. 2. personas diuinas procedentes ex se necessariò esse formaliter, quamuis non sint à se productiuè. Non repugnat autem esse ex se necessariò formaliter, & ab alio productiuè, quia potest esse aliqua ratio, quæ essentialiter petat esse, & tamen ab alio. *Aureolus.*

20. Instabis: quod non est à se, sed ab alio, nequit ex se sibi determinare esse formaliter, quia vt determinet ex se sibi esse formaliter, oportet vt sit, quia priùs res est, quàm determinet sibi ex se formaliter esse. Ergo quod accipit ab alio esse, nequit ex se sibi determinare formaliter esse. Resp. Negando assumptũ: ad cuius probationem, distinguo ly, *oportet vt sit*, vel in se vel in potentia, productiua sui, sufficit autem, vt esse relatiuum personæ procedentis sit in potentia actiua producentis, vt in ea sibi determinet formaliter esse necessarium.

21. AD confirmationem nego consequentiam: & ad probationem, concedo antecedens de potentia actiua factiua, nego de potentia actiua purè productiua. Ratio discriminis est, quia potentia factiua habet pro termino aliquid distinctum ab ipsa natura producẽtis, quod vel educitur ex eadem natura producentis, vel ab illa realiter distinctum, debet passiuè terminare actionem agentis; Potentia verò purè productiua, qualis est Diuina productiua ad intra, non habet terminum distinctum à natura producentis, sed est idem omnino cum illa: Vnde neque ex ea deducitur, nec debet passiuè terminare originem producentis, quia productio non distinguitur à termino ipso producto.

22. Vrgebis, saltem illi respondet potentia producibilis in termino ipso, qui producitur,

quia

quia quod producitur, possibile est produci: ergo saltem secundùm istam potentiam dici potest persona procedens transire ab esse producibili, seu potentiali ad esse productum, seu actuale; Resp. Cùm S. Thom. 1. p. qu. 41. articul. 4. & Scoto loco præcitato, in personis procedentibus dari potentiam producibilem, prout hæc dicit solam non repugnantiam cum esse, quo pacto dicimus *possibile est Deum esse*; non autem prout dicit indifferentiam ad esse & non esse: & consequenter ex hoc capite non repugnaret ista propositio: persona procedens transit ab esse producibili ad esse productum: repugnat tamen ex alio capite, tum quia Verbum *Transire*, vi suæ primariæ notionis importat antecedentem indifferentiam ad esse, & non esse eius termini, qui transit. Vnde multò minùs dici potest: persona Diuina transit ab esse potentiali ad esse actuale: quia hoc expressiùs significatur per ly *Potentiale*. Cùm igitur persona procedens non contineatur in producente per indifferentiam ad vtrumlibet, sed per omnimodam determinationem ad esse: non potest dici, quod transeat ab esse potentiali ad actuale. tum maximè, quia, vt acutè aduertit Scotus loco præcit. persona Diuina procedens, actu, non potentiâ continetur secundùm suum esse formale in persona producente, quia actu, non potentiâ continetur secundùm esse essentiale sui, quod est esse absolutum naturæ, quæ dat esse formale omnibus personis. cùm igitur esse absolutum naturæ sit esse formale atque essentiale personæ procedentis, & secundùm hoc esse, actu, non potentiâ contineatur in persona producente: non poterit absolutè dici, quòd persona procedens transeat ab esse potentiali ad esse actuale. Eodem modo soluitur argumentum de natura Diuina, quæ nec propriè transit à non esse relatiuo personæ procedentis, ad esse relatiuum eiusdem: nec illud recipit per potentiam aliquam passiuam, sed per omnimodam identificationem.

*S. Thomas. Scotus.*

*Scotus.*

23. Ad secundam rationem dubitandi, distinguenda est maior: nam actus liberi diuinæ voluntatis solùm potuerunt non esse, quoad connotatum extrinsecum, ad actum liberum essentialiter requisitum; non autem quoad aliquid intrinsecum, vt fusiùs infrà.

24. Ad tertiam nego consequentiam: & ad probationem, distinguendum est antecedens: etenim nulla potest esse noua denominatio, sine noua mutatione in aliquo saltem extremo. Cęterum dicitur Deus in tempore de nouo Creator, Gubernator, Dominus, non per aliquam mutationem sui, sed per mutationem creaturæ, à qua extrinsecè Deus dicitur Creator, Gubernator, Dominus à creatione, gubernatione, & dependentia existente in creatura. Verùm si Creator, Gubernator, Dominus, non sumatur formaliter & denominatiuè, sed fundamentaliter; tunc dicendum est, Deum ab intrinseco dici Creatorem, Gubernatorem, Dominum, ab intrinseca nimirum potestate creandi, gubernandi, dominandi, quam potestatem vti non acquirit in tempore, ita nec in tempore incipit denominari fundamentaliter Creator, Gubernator, & Dominus, sed ab ipsa æternitate.

25. Ex dictis deducitur, Immutabilitatem de formali importare negationem mutationis; de materiali verò & connotato, perfectissimum modum essendi, soli Deo competentem: quippe cùm nulla creatura possibilis sit, cui prętер potentialitatem à non esse ad esse, & ab esse ad non esse, aliqua non competat mutabilitas, vel secundùm esse substantiale, vt substantijs incompletis; vel secundùm esse accidentale; & hoc siue quoad accidentia connaturalia, à quibus pendet omnis substantia creata; siue quoad accidentia supernaturalia, ad quæ eleuari potest omne ens creatum sustentatiuum: vel secundùm aliquam componibilitatem, vt accidentibus, & modis omnibus, quibus competit componibilitas cum substantia, aut fundamento. Vnde quò creatura magis recedit à Deo, eò est potentialior & mutabilior; quò verò magis ad Deum appropinquat, eò est actualior & immutabilior. Vnde, quia materia prima maximè omnium distat à Deo, est omnium mutabilissima, quin & subiectum primũ totius sublunaris mutationis: Angeli contrà, quia inter cæteras res creatas proximiùs accedunt ad Deum, sunt inter omnes creaturas, immutabiliores.

# DISPVTATIO VII.

## De Æternitate Dei.

IMMVTABILITATEM sequitur Æternitas, vnde illam post immutabilitatem tractant Scholastici: quod enim est immutabile, nec incipere nec desinere potest, sed semper sibi ipsi vniformiter perseuerans nullis clausum durationis limitibus perenniter durat. Quocirca Patres Æternitatem cum Immutabilitate sæpe confundunt, vt legere est apud Augustinum 4. de Trinitate capite decimo octauo in fine: *Vera*, inquit, *immortalitas, vera incorruptibilitas, vera incommutabilitas ipsa est Æternitas.* Ve-

*August.*

rùm ex

rum ex dictis, & ex dicendis facile constabit discrimen inter vtrumque Attributum.

## SECTIO I.

### Quid sit Æternitas?

*Dogma fidei. Concilium Lateranẽse Scriptura.*

1. CERTVM Fidei dogma est, Deum esse æternum, definitum in Concilio Lateranensi cap. *Firmiter* de summa Trinit. & Fide Catholica: quod etiam scriptura expressè docet multis in locis, & ratio ipsa naturalis euidenter ostendit: quia quod necessariò est, & à nullo in suo esse dependens, ortum & interitum sui habere non potest. Hoc igitur posito, inquirimus primò quid sit æternitas. Multæ autem æternitatis definitiones traduntur, sed omnium celeberrima, & à Scholasticis recepta est illa Boëtij quinto de consolatione prosa vltima: *Æternitas est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.*

*Boetius.*

2. Ponitur *possessio* pro duratione, in qua æternitas analogicè conuenit cum durationibus creatis: est enim æternitas, ætas propria Dei, qua eius Beatissima vita mensuratur; sicut duratio creata est propria mensura, qua vniuscuiusque rei creatæ esse mensuratur. Exprimitur nomine possessionis, quia esse, duratione possidetur: possessio enim, teste S. Tho. 1. p. q. 10. a. 1. ad vlt. quietem & firmitatem rei possessæ importat. Ad denotandam igitur hanc rei stabilitatem & quietem, quam duratio ipsa importat, vsus est auctor nomine possessionis. Dices, tempus, quod sub duratione continetur, quietem & stabilitatem non importat, sed successionem & fluxum: ergo non quæuis duratio quietem & stabilitatem rei durantis importat. Resp. quòd quies & stabilitas à duratione importata explicanda non est pro re, quæ tota simul indiuisibiliter existit, sed pro re, quæ non interruptè existit, quo pacto etiam tempus, dum à suo fluxu & successione non interrumpitur, vniformitatem quandam & quietem, non quidem permanentiæ, sed non interruptionis sui esse seruat.

*S. Thomas.*

3. Dicitur *tota simul*: qua particula æternitas contrahitur ad durationem indiuisibilem, discriminaturque à diuisibili & successiua temporis: quia hæc nunquam manet eadem, sed successiuè variatur, per diuersas continui partes. Dicitur autem *tota*, vt S. Tho. præcitato loco ad tertium notauit, non quòd habeat partes, sed quia nihil illi deest: Totalitas enim, teste Ægidio in 1. dist. 8. p. 2. q. 1. ad quartum; dicitur per comparationem ad partes, non quas habet, sed quibus priuat.

*S. Thom.*

*Ægidius.*

4. Dicitur *perfecta*: ad denotandam propriam differentiam, qua æternitas discriminatur à cæteris durationibus creatis. Nulla quippe creata duratio est simpliciter perfecta, quia licet sit indiuisibilis & tota simul, vt Æuum, non est tamen simpliciter perfecta, quia æuum non mensurat vitam actualem angeli, sed solam substantiam ipsius: vita enim actualis Angeli, cùm consistat in operationibus vitalibus intellectus & voluntatis, quæ permanentes non sunt, sed sibi succedentes, nequeunt mensurari æuo, quo mẽsuratur substãtia ipsa Angeli: æternitas verò non mensurat solùm substantiam Dei, sed omnes vitales operationes ipsius, quia non solùm substantia, sed etiam operationes omnes vitales Dei, indiuisibiles sunt & permanentes: ac proinde eadem æternitas non solùm mensurat vitã radicalem, sed etiã actualem Dei. Duratio autem eò est perfectior, quò perfectius esse mensurat: qua de causa in definitione æternitatis pro subiecto mensurabili non est positum esse, aut Substantia, sed Vita, quæ non solùm accipitur pro vita radicali, sed etiam pro actuali.

5. Dicitur *interminabilis vitæ*: quod nõ solùm importat actualẽ, sed etiã potẽtialem negationẽ termini: interminabile enim est, quod terminari non potest. Nam vita Dei ita caret termino ortus & interitus, vt ei repugnet habere terminum sui ortus & interitus, non autẽ creaturæ, quæ etiamsi ab æterno condita neget actualem terminum durationis principij & finis, non tamẽ negat potentialem, quo vel potuit non incipere, vel poterit desinere. Duplici igitur differentia æternitas Dei discriminatur à qualibet duratione creata, vna desumpta ex negatione termini, altera ex perfectione esse quod mensurat. Prior est magis propria æternitatis quã exprimit nomẽ ipsum æternitatis: æternitas enim, teste S. Thom. in 1. dist. 8. q. 2. ar. 1. *est quasi ens extra terminos.*

*S. Thomas.*

6. Ex dictis infertur primò, in æternitate nullas esse differentias præteriti & futuri, quod rectè notauit Plato in Timæo, & post ipsum Patres, & ratio naturalis id etiam demonstrat: quia præteritum dicit rem non esse, sed fuisse: futurũ contrà, dicit rem nondũ esse, sed futurã esse. In Deo autem, cùm nihil possit desinere, aut incipere, nil præteritum, aut futurũ esse potest, sed quidquid est, semper sibi præsens est. Vnde Patres æternitatem vocant *NVNC STANS* quod inuariabiliter existens semper est sibi idem, solaque mutatio fit in tempore præterlabente. Ob eandem rationem illam explicant per verbum, *EST*: Aug. de vera religione c. 49. in fine: *nihil autem, inquit, præterit in æterno, & nihil futurum est: quia & quod præterit, esse desinit, & quod futurum est, nondum cœpit, æternitas autem tantummodo est, nec fuit quasi iam non sit, nec erit quasi adhuc non sit. Quare sola ipsa verissimè dicere potuit humanæ mẽti, EGO SVM QVI SVM, & de illa verissimè dici poterat, QVI EST MISIT ME.*

*Plato. Patres.*

*Augustin.*

7. Infertur secũdò æternitatẽ esse virtualiter diuisibilẽ: cuius virtualis diuisibilitas consistit in hoc, vt eadẽ indiuisibilis duratio

Dei, propter sui plenitudinem & perfectionem, apta sit correspondere infinito tempori, & de facto corresponderit infinitæ moræ imaginariæ à parte ante. Sicut ratione immensitatis aptus est Deus correspõdere infinito spatio reali, & de facto correspõdet infinito spatio imaginario, vt infrà probabo, cũ de immensitate. Ratione huius virtualis diuisibilitatis interdum Patres æternitati tribuunt differentias præteriti, præsentis, & futuri. Lege August. tract. 99. in Ioannem.

## SECTIO II.

### *Per quid formaliter constituatur Æternitas?*

*Henricus. Ferrariens. Bannez.*

8. PRIMA Sententia Henrici in summa art. 31. q. 2. Ferrar. 1. contra Gentes cap. 15. §. *Proportionaliter.* Bannez 1. p. q. 10. ar. 1. dubio 2. affirmantium, æternitatem proximè constitui per rationẽ mensurę, non realis, sed rationis. Duo enim distinguit in æternitate Ferr. vnitatem seu vniformitatem diuini esse, & mensurationem eiusdem: primum docet conuenire Deo re ipsa, nullo intellectu cogitante; est enim Deus re ipsa vniformis propter suam immutabilitatem: secundum per operationem intellectus, distinguentis vnitatem diuini esse ab ipso esse, apprehendentis ipsam vnitatem vt mensuram eiusdem esse. Vnde, non considerante intellectu rationem mensuræ, est quidem in re entitas ipsa, quę est æternitas, non est tamen ratio completa æternitatis, quia hæc completur per rationem mensuræ, quæ Deo conuenit per operationem intellectus.

*S. Thomas.*

9. Probatur 1. auctoritate S. Thomæ 1. p. q. 10. ar. 2. ad tertium docentis Deum dici æternum, quatenus ei conuenit ratio mensuræ secũdùm apprehensionem nostram, & in 1. dist. 19. q. 2. art. 1. ait, rationem mensuræ complere rationem æternitatis.

10. Secundò, quia scrip. & Patres æternitatem contra ponunt tempori, dicunt enim, Deum esse in ęternitate, sicut res corruptibiles in tempore: sed tempus completur per rationem mensurę; ergo & æternitas. Minor constat ex definitione temporis; est enim, auctore Philosopho 4. phys. tex. 101. *Numerus, motus, secundùm prius & posterius,* quo res corruptibiles mensuramus. Consequentia verò probatur, quoniam si æternitas non portaret rationẽ mensuræ, non magis ipsa, quàm quodlibet aliud attributum contraponeretur tempori.

*Aristotel.*

*Vasquez.*

11. SECVNDA Sententia Vasquez 1. p. disp. 31. nu. 23. opinantis æternitatem cõpleri negatione mẽsuræ, quæ est quædam negatio respectus rationis. Probat primò ex illa particula definitionis æternitatis, *Interminabilis*, hæc enim non tantùm significat negationem principij & finis in duratione, quæ est realis, sed etiam negationem mensuræ, quæ est rationis: *Interminabile* enim est, quod nec determinari, nec definiri aliqua mensura potest. Secundò, quia oppositorum oppositæ debent esse differentię: sed æternitas & tempus opponuntur: ergo sicut formalis ratio temporis consistit in mensura numerata & definita per intellectum, vt ipsa possit esse aliarum durationum mensura: ita æternitas est duratio omni prorsus carens mensura.

*Gillius. Fasolus.*

12. TERTIA Sentẽtia Gillij lib. 2. tract. 10. cap. 10. Fasoli in 1. p. q. 10. art. 1. dubit. 7. & aliorum affirmantium, æternitatem adęquatè compleri per negationẽ termini seu principij & finis, tam actualis, quàm possibilis. Fundamentum est, quoniam, hac tantùm negatione concepta, adæquatè concipitur ratio ipsa æternitatis: ergo per hanc adæquatè saluatur ratio æternitatis. Consequentia patet, quoniam ratio formalis adæquata est illa, qua posita, & cęteris omnibus sublatis, manet integra ratio formalis constitutiua rei. Antecedens probatur, quia, ea tantùm posita, duratio diuina primò & adæquatè cõdistinguitur ab omni alia duratione creata, quia nulla duratio creata dicit negationem principij & finis, saltem possibilis, cùm omnis creatura in sui inceptione, & desitione pendeat à libera voluntate Dei.

13. DICO primò: Æternitas Dei non completur formaliter per rationem mensuræ. Fundamentum est, quoniam ratio mensurę non est quid reale, sed rationis; importat enim durationem diuinam, vt formam distinctam ab esse diuino, illudque mensurãtem, quod est quid ratione confictũ. Æternitas autem competit Deo absque vlla operatione intellectus: ergo.

14. DICO secundò: Æternitas Dei non completur formaliter per negationem mensuræ. Probatur primò, quia nulla negatio concipi potest absque formâ negata: ergo concipi non posset æternitas sub negatione mensuræ, absque conceptione ipsius mensuræ, tanquam formæ negatæ: atqui probatum est, concipi posse ęternitatem, absque eo quod concipiatur vlla ratio mensuræ: ergo negatio mensurę non est formale completiuum ęternitatis.

15. Secundò nulla negatio potest esse formale completiuum rei, cui opposita forma negata non repugnat: atqui opposita ratio mensuræ negatæ non repugnat æternitati: ergo nequit æternitas per negationẽ mensuræ formaliter cõpleri. Maior constat, quia quod est formale completiuum rei, constituit rem essentialiter: repugnat autem, vt possit rei conuenire oppositum eius, quod illam constituit essentialiter, alioqui posset conuenire illi destructiuum sui, quod implicat. Minor probatur, quia licet æternitas nõ constituatur formaliter per rationem mensurę, non tamen illi ratio mensuræ repugnat: etenim sine vlla repugnantia concipitur æternitas propria mensura diuini esse. Ne-

que

que ad hoc requiritur realis distinctio inter mensuram & mẽsuratum, sed sufficit distinctio virtualis, qua vnum apprehenditur vt mensura, alterum vt mensuratum.

16. Dico 3. Neque completa ratio æternitatis saluatur in sola ac præcisa negatione termini, tam actualis, quàm possibilis. Fundamentum est, quia per huiusmodi negationem non exprimitur, nisi quòd esse Diuinum non possit incipere desinere, sed præter hoc æternitas addit positiuam permanentiam in suo esse: qui conceptus non habetur per solam negationem termini. Minor constat, nam æternitas est duratio; duratio autem formaliter importat permanentiam rei, cuius est duratio: hæc autem non exprimitur formaliter per negationem termini; quia licet negatio termini inferat causaliter hanc permanentiam, non tamen illam exprimit formaliter: negatio enim formaliter tantùm exprimit incapacitatem principij, & finis, non autem formalem permanentiam rei, actu in suo esse perseuerantis.

17. Dico 4. Æternitas præter negationem termini, superaddit permanẽtiam vitæ Diuinæ cum perfecta vniformitate essendi, & aptitudinali correspondentia ad infinitum tempus. Est Scot. quodliber 6. §. *contra istud*, Molinæ 1.p. q. 10. ar 1. Disp. 4. nec ab ea discrepat Suar. in Metaph. disp. 50. sec. 4. & deducitur ex præexposita definitione æternitatis. Etenim per *interminabilem vitam*, exprimitur negatio termini: per ly *tota simul & perfecta possessio*, permanentia eiusdem cum omnimoda vniformitate essendi, & simul innuitur aptitudo coëxistẽdi omni tempori & durationi possibili.

*Scotus.* *Molina.* *Suarez.*

18. Fundamentũ assertionis est, quoniam ea omnia censenda sunt de essentia rei, sine quibus non exprimitur adæquatus conceptus rei: atqui sine his non exprimitur adæquatus conceptus æternitatis; igitur omnia censenda sunt de essentia æternitatis. Maior cum consequentia constat. Minorem ostendo quoad singula. Nam primò æternitas est duratio quædam permanens, ergo includere debet quidquid essentialiter includit duratio permanens: sed hæc supra existentiam rei addit quasi habitualem permanentiam eiusdem rei, quę explicatur per actualem existentiam rei, cum connotatione præexistentiæ eiusdem. Secundò Æternitas discriminatur à qualibet duratione creata, tum per omnimodam vnitatem essendi; tum per negationem omnis termini tam actualis quàm possibilis, & quod ex his consequitur, per aptitudinalem coëxistentiam ad infinitum tempus. Igitur hæc omnia censenda sunt de quidditatiuo conceptu æternitatis. Nisi enim Deus concipiatur in suo esse semper & vniformiter existere, absque vllo termino actuali & possibili, nec non cum aptitudine ad coëxistendum infinito tempori, non concipitur adæquatus, & explicitus conceptus æternitatis. Igitur hæc omnia concurrunt ad integrandam adæquatè æternitatem.

19. Confirmatur ex paritate immensitatis: nam ita se habet in Deo æternitas, sicut immensitas; sicut etiam per immensitatem coëxistit loco, ita per æterniratem tempori: atqui non habetur adæquatus conceptus immẽsitatis, nisi per negationem omnis termini circumscriptionis localis, & aptitudinalem coëxistentiam ad infinitum spatium reale cum indiuisibili correspondentia totius substantiæ Diuinæ ad quodlibet punctum spatij, ita nec habetur adęquatus cõceptus æternitatis, nisi per negationem omnis termini circumscriptionis, durationis, & aptitudinalem coëxistentiam ad infinitum tempus, cum permanentia vniformis vitæ Diuinæ in ordine ad quodlibet instans temporis.

20. Quæri autem vlteriùs potest, an hãc perfectionem coëxistendi infinito tempori, æternitas formaliter habeat per negationẽ termini, an per aliquam rationem positiuam. Scotus docet, haberi formaliter per negationem termini; nam, ea sublata, tolleretur aptitudo coëxistendi ad infinitum tempus: Molina contrà censet, haberi per rationem positiuam. Sed distinctione opus est: nam proximè & formaliter prouenit ex negatione termini, remotè & radicaliter ex ipsa positiua perfectione talis durationis. Nam ex eo, quòd est duratio Diuina, essentialiter postulat negationem termini; & ex negatione termini proximè habet, vt coëxistere possit infinito tempori possibili.

*Scotus.* *Molina.*

21. *Obijcies* primo, quia multa videmur requirere ad rationem æternitatis, quæ illi non competunt, nisi dependenter à nostro intellectu, cùm tamen æternitas secundùm omnia, quæ dicit essentialiter, cõpetat Deo indepẽdenter à nostro intellectu. Maior patet de negationibus, & respectu ad extrinsecum tempus. Resp. Negando maiorem: ad cuius probationẽ, nego tã negationes quàm aptitudinẽ coëxistendi infinito tempori, cõpetere æternitati depẽdenter à nostro intellectu: nam ante omnem considerationẽ nostri intellectus Deus caret principio & fine, & aptus est coëxistere infinito tempori.

22. *Obijcies* secundò, nullum attributum Diuinum pendet ab aliquo extrinseco: sed æternitas à nobis explicata, pendet à tẽpore possibili. Resp. Distinguendo maiorem: nullum attributum Diuinum pendet ab aliquo extrinseco in esse, & cõcedo; in cognosci, & nego. Constat de attributis omnipotentiæ, & scientiæ, quę nequeunt cognosci, nisi per ordinem ad creaturas possibiles, & cognoscibiles, etiamsi ab illis non pendeant in esse. Esto igitur æternitas cõcipi nequeat sine respectu & habitudine ad tempus extrinsecũ, haud tamen ab illo in esse pendet. Est autem talis respectus de essentia æternitatis, non formaliter, sed fundamentaliter sumptus; quo pacto dicit ipsam absolutam & intrinsecam perfectionem æternitatis, connotato tantùm tempore infinito possibili, tanquam termino

termino extrinseco, sicut accidit in alijs attributis respectiuis secundùm dici.

23. Ex dictis infertur 1. discrimen inter attributum æternitatis, & immutabilitatis. tum quia hæc de formali importat solã negationem: illud, præter negationem, importat positiuas counotationes, tum diuinæ existentiæ, sine vllo principio & fine durantis: tum habitudinis coexistendi ad infinitum tempus, tum quia negatio, qua formaliter, completur immutabilitas, est negatio motus; negatio verò, qua completur æternitas, est negatio temporis: negat enim æternitas successionem, seu prioritatem & posterioritatem in durando, quæ formaliter pertinet ad tempus, quod est numerus prioris & posterioris. Vnde qua ratione motus distinguitur à tempore, distinguitur negatio motus à negatione temporis: atque adeò attributa ipsa immutabilitatis, & æternitatis, quæ per huiusmodi negationes formaliter complentur.

24. Infertur secundò: Conuenientia, quam hæc duo attributa habent inter se in proxima radice, in qua fundantur: nam vtraque proximè fundantur in necessitate essendi, in summa simplicitate, & puritate actus. Etenim ex necessitate essendi oritur, vt vita & existentia Dei sit incapax omnis inceptionis, & desitionis, & consequenter omnis prioritatis, & posterioritatis in durando. Ex simplicitate, vt sit incapax omnis compositionis, atque adeò omnis successionis duratiuæ. Ex puritate actus, vt sit incapax vlterioris perfectionis, ac proinde vlterioris perfectionis duratiuæ, ex ijsdem radicibus immediatè oritur attributum ipsum immutabilitatis, vt supra ostendimus.

25. Infertur tertiò: In Deo non esse plures æternitates, sed vnam iuxta Athanasij symbolum, *non tres æterni, sed vnus æternus*. Ratio est, quia licet vnaquæque persona Diuina sit æterna, & vnumquodque attributum Diuinum, vt tamen æternitas importat attributum virtualiter distinctum à cæteris, in se vno claudit æternitatem omnium, quia importat durationẽ perfectissimam totius Deitatis. Sicut licet quælibet persona, & quodlibet attributum sit immutabile, infinitum, bonum &c. Prout tamen immutabilitas, infinitas, & bonitas important attributa à cæteris distincta, inuoluunt immutabilitatem, infinitatem, & bonitatem omnium personarum, & attributorum, quia vnumquodque importat attributum in suo genere perfectissimum & ædequatum toti Deitati; non autem partiale & inadæquatum vnius tantùm personæ, vel attributi.

*Athanasius*

26. Ad primum primæ Resp. S. Thomam intelligendum esse de eo, quod fundare potest rationem mensuræ, quæ est duratio ipsa Diuina vt interminabilis, quo pacto apta est mensurare vitam & existentiã Diuinam; non autem de mensura ipsa formaliter, vt multi Thomistæ explicant.

*S. Thom.*

27. Ad secundum nego consequentiam: non enim necesse est, vt Patres æternitatem cum tempore comparent in ratione mensuræ, sed in ratione existentiæ, quæ antecedit rationẽ mensuræ: nam sicut res corruptibiles coëxistũt in tẽpore, ita Deus in sua æternitate. Nec inde sequitur, quodlibet aliud attributum contraponi posse tẽpori, quia nullum aliud attributum habet hanc cõuenientiam in ratione durationis cum tempore.

28. Ad primum secundæ nego, ly *interminabile* æquè primò dicere negationem termini ac mensuræ, sed negationem termini per se primò; negationem mensuræ consequenter: ideo enim Deus est *immensurabilis*, quia caret termino; non contrà. Et hoc de mensura propriè dicta, nam mensura impropriè dicta non repugnat Deo.

29. Ad secundum Resp. 1. Rationẽ mensuræ non esse tempori essentialem, sed accidentalem: est enim tempus mensura per opus intellectus, quatenus illud assumit ad mẽsurandum motum: nam adhuc esset tempus etiamsi intellectus illud non assumeret vt mensuram. Resp. 2. Distinguendo maiorem: oppositorum immediatorũ oppositę debent esse differentiæ essentiales, concedo; oppositorum mediatorum, nego. Æternitas autem & tempus non opponuntur immediatè, sed mediatè. Minor cõstat, nam æternitas immediatè opponitur durationi creatæ vt sic, sub qua cõtinetur æuum & tempus. Maior probatur, quia quæ mediatè tantùm opponũtur, supponuntur constituta per alias differentias priores: vt quia substãtia mediatè opponitur quantitati, non constituitur, tanquam differentia essentiali, negatione ipsa extensionis, nam hæc supponit substantiam cõstitutam per aliam differentiam priorem, quæ est ratio ipsa perfeitatis, quæ immediatè opponitur accidẽti vt sic. Quia igitur æternitas opponitur tempori mediatè, non potest primò constitui per differentiam, qua immediatè opponatur tempori, sed qua immediatè opponatur durationi creatæ vt sic: & consequenter ratio, qua opponitur tempori, non est primò constituens æternitatem, sed proprietas consequens illam. Est autem ratio primo constituens æternitatem, eamque primò distinguens à duratione creata vt sic, negatio omnis termini cum indiuisibili & perfectissima permanentia in essendo.

30. Ad Fundamentum tertiæ. Nego antecedens: ad cuius probationem concedo, per eam primò, sed non adæquatè, distingui ab omni duratione creata; quia æternitas, non solùm in suo cõceptu inuoluit negationem termini, sed etiam perfectissimam permanentiam vitæ & existentiæ Diuinæ: negatio enim termini solùm dicit carentiã principij & finis, sed præter hanc addit æternitas perfectissimam permanentiam vitæ & existentiæ Diuinæ; ergo non solùm per illam, sed etiam per hanc adæquatè discriminatur à duratione creata.

# SECTIO III.

## An æternitas sit propria Dei?

31. DVPLEX distingui potest æternitas, necessaria, quæ est propria Dei, & nulli ab ipso conuenire potest; & libera seu contingens. Quæ adhuc duplex esse posset, altera connaturalis, & quæ intrinsecùs exigitur; altera merè accidentalis & extrinseca. Connaturalis est, quæ naturaliter exigitur ab essentia, tanquam propria passio. Extrinseca & accidentalis est, quæ omninò accidit essentiæ, cum eaque nullam habet naturalem exigentiam & connexionem. De vtraque est controuersia, an repugnet creaturæ.

32. PRIMA sententia affirmat, neutram æternitatem repugnare creaturæ. Fundamẽtum est, quoniam ad neutram negandam est apparens aliquod implicantiæ fundamentum. Non est autem diuinæ potentiæ negandum, quod apparens aliquod implicantiæ fundamentum nõ præseferat. Maior probatur. Nã potissima implicantia esset de æternitate, quæ connaturaliter exigitur; sed huius nulla est: quia sicut connaturalis est Angelo æternitas à parte post, ita connaturalis esse potuit æternitas à parte ante. Consequentia constat à paritate rationis. Antecedens probatur, nam illa perfectio est connaturalis subiecto, cui opposita priuatio est violenta & præter naturalis: sed annihilatio est violenta & præternaturalis Angelo: ergò eius sempiterna conseruatio est connaturalis eidem.

33. SECVNDA sententia negat, vllam æternitatẽ conuenire posse creaturæ: est Alberti in 1. parte summæ de quatuor Coëuis, quæst. 3. art. 3 Henrici quodlib. 1. quæst. 7. & quolib. 8. q. 9. §. *Restat ergò*, Alens. 2. p. q. 14. memb. 1. art. 1. ad vndecimum & duodecimũ, Bonauenturæ in secundo dist. 1. 1. p. art. 1. quæst. 2. Rich. art. 3. quæst. 4. Marsilij qu. 1. art. 2. sub finem, Goffredi apud Ochamũ infrà citandum, Valent. 1. p. d. 3. de Deo vt creatore quæst. 3. puncto 2. qui, quamuis nullam rationem ex his, quæ afferuntur conuincentem putet, propterea naturali ratione spectata, probabile censeat, creaturam ex æternitate condi potuisse, spectata tamen Patrum auctoritate, quã in re Theologica sequi debemus, id putat implicare, etiamsi id aperta ratione nobis non constet. Patres autem, qui id expressè negant, sunt Athanasius orat. 2. contra Arianos, Basilius lib. 2. contra Eunomium, Damascen. li. 1. fidei c. 8. Ambros. lib. 1. Hexameron cap. 3. August. 12. de Ciuit. Dei cap. 15. & contra Felicianum Arianum ante medium: qui omnes docent, ex eo, quod creatura est ex nihilo, ab æterno condi non potuisse.

*Albertus. Henricus. Alensis. Bonauent. Richardus. Marsilius. Goffredus. Ocham. Valentia.*

*Athanasius Basilius. Damascen. Ambrosius Augustin.*

34. Secundò probatur hæc sententia ratione. Prima sit: Quod conuenit alicui ex se, priùs illi conuenit, quàm quod illi conuenit ex alio. Creaturæ ex se conuenit non esse, ab alio verò esse: igitur priùs illi conuenit non esse, quàm esse. Impossibile autem est, vt in eadem durationẽ creaturæ simul conueniat esse & non esse: igitur impossibile est, vt creaturæ cõueniat æternitas: alioqui vel in eadem æternitate illi simul conueniret esse & non esse, vel nullo pacto illi conueniret non esse.

35. SECVNDA ratio sit. Si creatura cõdita fuisset ab æterno, sequeretur, illam non potuisse non condi: quia vel potuisset non condi ante æternitatem; & non; quia ante æternitatem nihil est: vel in ipsa æternitate; & neque hoc, quia quando res est, non potest non esse: neque post æternitatem, quia præteritum non potest non fuisse præteritũ: ergò numquam. Confirmatur, quia repugnat enti creato, non posse per totam æternitatem à Deo corrumpi, cùm de essentia ipsius sit, perfecta dependentia à Deo.

36. TERTIA ratio sit, quia sequeretur, creaturam numquam incepisse, sed semper factam esse. Nam creatura incipit per creationem: in æternitate autem non fuisset creatio, sed tantùm conseruatio: ergò non fuisset inceptio, sed tantùm factũ esse creaturæ. Minor probatur, quia creatio est tantùm in instanti, in æternitate autem non fuisset assignabile instans, in quo incepisset creatio, & post quod secuta fuisset conseruatio.

37. QVARTA ratio sit; implicat, Deũ producere creaturam cum coëxistentia ad infinitum spatium; ergò & cum coëxistentia ad infinitum tempus.

38. TERTIA sententia affirmat de æternitate extrinseca & accidentali. Est S. Th. 1. p. quæst. 46. articulo primo ad primum, & artic. 2. ad primum & quintum. Secundò contra gentes ca. 38. & de potentia, quæstione tertia, articulo decimo quarto. Caietan. & Ferrar. locis citatis, Ægidij in secundo distinct. 1. 1. p. quæstione quarta, articulo secundo. Durandi quæstion. 2. Capreoli quæst. prima, articulo secundo, concluſ. 2. Argent. quæst. secunda, articulo 2. Ochami quæst. 8. Ariminens. quæst. tertia. Rubionis, quæst. sexta, articulo tertio. Maioris quæst. quarta. Gabr. quæst. 3. Palatij disputat. 2. concluſ. quarta. Heruæi de æternitate mundi, quæst. 5. Bannez 1. p. quæst. 46. articulo secundo, conclusione tertia. Vasquez disputat. 177. c. 3. Molinæ quæst. 10. artic. 3. Suarez in Metaph. tom. 1. disput. 20. sect. 6. Inclinat Scotus in secundo dist. 1. quæst. tertia. §. *tenentes autem primum*. Quam sententiam problematicè defendit ibidem Lychetus. Pro cuius controuersiæ explicatione,

*S. Thomas. Caietanus. Ferrarien. Ægidius. Durand. Capreolus. Argentinas Ocham. Ariminen. Rubio. Gabriel. Palatius. Heruæus. Bannez. Vasquez. Molina. Suarez. Scotus. Lychetus.*

39. DICO primò: Implicat, cõdi potuisse creaturã cum naturali exigẽtia ad æternitatẽ. Hãc nõ inuenio in terminis à Scholasticis agitatam,

agitatam, eam tamen semel audiui assertam à doctissimis Theologis. Eam verò probo primò Ratione, ducta ex Athanasio oratione, seu lib. secundo, contra Arianos ante medium: vbi docet reliqua omnia, excepto Verbo diuino, *gratia & voluntate condita* esse: vbi non modò ait *voluntariè*, vt excludat necessitatem, verùm etiam *gratia* omnia condita esse, vt excludat omnem exigentiam & connaturalitatem ex parte rerum creandarum. Ex quo sic formo Syllogismum: Deus merè gratis & liberaliter omnia extra se producit: at non omnia merè gratis & liberaliter extra se produceret, si esset aliqua creatura, quę connaturaliter & ab intrinseco æternitatem exigeret. Maior est Athanasij, & reliquorum Patrum contra Arium disputantium, & ratione constat; quia Deo tribuendus est modus producendi omnium perfectissimus; modus autem producendi extra se omnium perfectissimus est, vt merè gratis, & sine vllo debito cuncta producat, quia hic magis cõmendat liberalitatem & munificentiam creatoris erga creaturas. Minor probatur, quia quod naturaliter exigit creatura, nõ merè gratis & liberaliter creatur, sed cũ aliquo debito & obligatione creantis; nam quantum ponitur de connaturalitate & exigentia ex parte effectus, tantum tollitur de gratia & liberalitate ex parte agentis: & quãtum crescit vis & exigentia creabilitatis in termino, tantùm crescit debitum & obligatio creandi in principio creante. Vnde non omnia merè gratis & liberaliter conderet Deus, sed aliqua cum debito & obligatione, fundata in essentia & natura creata, ab intrinseco exigente creationem, quod diuinæ perfectioni derogat. Confirmatur. Nam hãc saltem creaturam negant Patres cùm contra Arium negant, vllam creaturam condi potuisse ab æterno.

*Athanasius*

40. Secundò probatur à priori. Implicat creaturam naturaliter exigere proprietatem, quæ necessariò inuoluit perfectionem repugnantem intrinsecis principijs ipsius creaturæ: Si autem possibilis esset creatura, quę naturaliter exigeret ęternitatem, illa naturaliter exigeret proprietatem, quæ necessariò inuolueret perfectionem repugnantem intrinsecis principijs ipsius, ergo. Maior patet, quia cùm proprietas sit naturalis passio subiecti, implicat illam esse repugnantem intrinsecis principijs ipsius subiecti: alioqui esset, & non esset naturalis passio; esset, quia vt naturalis passio, postularet, vt esset proportionata subiecto; nõ esset, quatenus esset repugnãs proprio subiecto. Minor verò probatur, quia æternitas necessariò inuoluit immutabilitatem rei æternæ per infinitam durationem: sed implicat, creaturam naturaliter exigere immutabilitatem per infinitã durationem: igitur repugnat creaturæ naturalis exigentia æternitatis. Maior constat, quia implicat, rem æternam vt sic mutari, vel quoad esse, vel quoad operari: sed ratione æternitatis creatura necessariò fieret incapax omnis mutationis. Minor probatur, quia de conceptu creaturæ est, perfecta subiectio ad creatorem; atqui hæc tollitur à creatura per infinitam durationem: igitur nequit exigentia æternitatis esse connaturalis creaturæ.

41. Dices, exigentiam talis immutabilitatis non repugnare creaturę, tum quia oritur ex suppositione æternitatis, quæ non pugnat cum creatura, vt patet, si creatura condita fuisset ab ęterno sine tali exigentia: nam tali creaturæ, ex suppositione æternitatis, cõ naturalis fuisset æterna immutabilitas. Tum quia hæc immutabilitas est consequens ad æternitatem: creatura autem posset naturaliter exigere vnum & non aliud. Resp. Negando assumptum: & ad primam probationem, distinguenda est maior: talis immutabilitas oritur ex suppositione ęternitatis gratuitò cõmunicatę, & nego; quę cõnaturaliter exigatur, & cõcedo. Prior immutabilitas non repugnat creaturæ, repugnat autẽ posterior: Multa enim possunt nobis gratis communicari, quæ tamen non possunt à nobis connaturaliter exigi; gratia enim & gloria, cæteraque dona supernaturalia gratis nobis communicantur, quæ tamen nequeunt connaturaliter à nobis exigi. Æternitas igitur, & immutabilitas ex ea orta, possunt quidem nobis sine vlla repugnantia gratis communicari, non autem sine intrinseca repugnantia naturaliter exigi.

42. Cuius discriminis ea est ratio: quia quod gratis communicatur, non variat intrinsecam essentiam rei, variat autem quod naturaliter exigitur. Quia igitur nulla res potest naturaliter exigere, quod propriæ essentiæ repugnat, nõ potest creatura naturaliter exigere ęternitatem, quæ necessariò inuoluit immutabilitatẽ, repugnantem intrinsecis principijs essentiæ creatæ, quæ essentialiter importat mutabilitatem. Ex his patet ad minorem: nam immutabilitas, quæ conueniret creaturæ gratuita æternitate donatæ, esset connaturalis creaturæ ratione æternitatis gratis communicatæ, non autem ratione alicuius intrinsecæ exigentiæ, sicut visio beata est connaturalis intellectui creato ratione luminis gloriæ, gratis collati, non autem ratione alicuius intrinsecæ exigentiæ. Vnde licet potuerit creatura gratuita ęternitate donari, & consequenter æterna immutabilitate ex ea orta insigniri, non tamen potuit intrinseca & connaturali.

43. Ad Secundam probationem neganda est minor: repugnat enim naturam à parte rei exigere vnam perfectionem, & abstrahere ab alia cum ea essentialiter connexa: quod constat tum inductione, repugnat enim, naturam exigere potentias, & cum potentijs non exigere actus, cum ijs potentijs essentialiter connexos. Repugnat, potentias exigere actus, & cum actibus non exigere obiecta, actus essentialiter specificantia. Repugnat, hominem exigere admirabilitatem, & cum admirabilitate non exigere risibilitatem,

cum

cum ea essentialiter coniunctam. Tum ratione; quoniam intrinseca exigentia naturæ tendit ad suas proprietates, prout à parte rei existunt: atqui implicat, vt à parte rei existat vna perfectio sine alia: ergo implicat, naturam tendere ad vnam perfectionem, & non ad aliam. Minor patet, quia si vna essentialiter includitur in alia, implicat, vnam existere sine alia. Maior probatur, quia natura exigit suas proprietates, vt perfectibile suum perfectiuum: perfectibile autē respicit suum perfectiuum, prout in re ipsa existit: quia existentia est prima perfectio rerum, cùm nihil possit habere rationem perfecti, nisi vel per existentiam, vel per ordinem ad illam. Confirmatur, quia quando exigitur aliqua perfectio, exigitur secūdùm totum id, quod à parte rei essentialiter includit: ergo si æternitas à parte rei essentialiter includit immutabilitatem rei creatæ per infinitam durationem, non potest ea exigi, quin simul coëxigatur ipsa æterna immutabilitas, cum æternitate essentialiter connexa.

44. Dico Secundò: Non repugnat, Creaturas etiam natura sua corruptibiles, merè gratis & liberaliter ab æterno condi potuisse. Fundamentum est, quia nulla est implicantia, neque ex parte Dei producentis, neque ex parte termini producibilis, neque ex parte ipsius productionis. Non ex parte Dei producentis; quia Deo non deest potentia, si ex parte termini nulla sit repugnantia. Nec requiritur, vt causa duratione præcedat suum effectum, sed sufficit, si tantùm naturâ & causalitate, vt patet de sole respectu luminis, quod tantùm natura supponit illum priorem.

45. Neque ex parte termini: quia aut repugnaret ex parte termini, vt sic; & non, alioqui neque verbū diuinum potuisset ab æterno produci: aut ex parte termini, vt creabilis; & neque hoc, quia terminus, vt creabilis solùm dicit non habere esse ex se, sed illud totum accipere ab alio: at etiam creatura ab æterno condita potuisset habere totum suum esse ab alio, & non ex se. Ergo. Confirmatur, quia sicut non repugnat æternæ productioni, vt terminus per eam productus habeat esse ab alio, vt constat de productione æterni verbi: ita non repugnat æternæ productioni, vt per eam terminus totum suum esse habeat ab alio. Vnde non sequitur, quod ipsum non esse creaturæ duratione præcederē debeat ipsum esse creaturæ. Sicut nec ipsum non esse relatiuum verbi præcedere debet duratione ipsum esse relatiuum verbi, sed tantùm origine. Quare cùm dicitur, creatura fit ex nihilo, Præpositio *Ex*, non importat antecessionem temporis, sed vel negationem subiecti, vel prioritatem naturæ; quæ in hoc consistit, vt creatura, quantum est ex se, nullum habeat esse, sed totum, quod habet, habeat à Deo libere producente: quia verò quod conuenit alicui ex se, priùs natura illi conuenit, quàm quod conuenit ab alio: ideò priùs natura dicitur creatura non esse, quàm esse.

46. Nec demum repugnat ex parte creationis: cuius conceptus non est, vt putat Henricus, vt debeat tantùm in instanti durare, sed vt sit actio, qua res accipit esse. Neque est necesse illam à parte rei distingui à conseruatione, vt patet, si Angelus crearetur immediatè post instans temporis: tunc enim creatio distingui non posset à conseruatione eiusdem Angeli realiter, sed tantùm ratione. Nam eadem actio considerata, vt simplex dependentia termini à sua causa, diceretur creatio: considerata verò, vt quædam continuata dependentia termini à causa, connotans præexistentiam sui, diceretur conseruatio, absque reali distinctione in re ipsa.

47. Ad Fundamentum primæ, neganda est maior; & ratio implicantiæ constat ex prima assertione. Ad probationem minoris, negatur paritas: tum quia æternitas à parte pòst supponit in Angelo liberalem creationem, qua posita, est illi connaturalis æternitas à parte pòst: æternitas verò à parte antè non supponit in re creata liberalem creationem, sed potiùs ipsamet essentia creaturæ priùs natura, quàm crearetur, naturaliter exigeret æternam creationem. Non repugnat autem, vt posito vno dono gratuito in creatura, sit illi connaturale & alterum, quod cum primo dono gratuito naturalem habet connexionem: quia tunc connaturalitas & exigentia non fundatur in ipsa creatura, sed in dono liberaliter collato: ratione cuius doni fit creaturæ aliquid connaturale, quod simpliciter non est, nec potest illi esse connaturale. sic posito lumine gloriæ, vt gratuito dono in intellectu creato, connaturalis est illi visio beata, quæ cum tali lumine est connaturaliter connexa, quæ simpliciter non est, nec esse potest intellectui creato connaturalis.

48. Dices. Ergo saltem æternitas est connaturalis creationi: sed creatio est ipsa creatura in fieri: ergo æternitas est connaturalis creaturæ. Resp. Distinguendo minorem: creatio est ipsa creatura includens donum gratuitum, concedo; non includens donum gratuitum nego: ergo est connaturalis æternitas creaturæ, vt includenti donum gratuitum, concedo; vt non includenti donum gratuitum, nego. Si autem connaturalis esset creaturæ æternitas à parte antè, esset illi connaturalis nullo supposito dono gratuito, quia æternitas à parte antè non potest supponere in creatura creationem gratuitam, sicut supponit æternitas à parte pòst. Cuius discriminis ratio est: quia æternitas à parte pòst habet initium durationis à parte antè, in qua supponere potest creationem: æternitas verò à parte antè, nullum habet initium durationis à parte antè, in qua possit

gratuitam creationem supponere. Neque illam supponere potest natura priorem, quia cùm æternitas formaliter consistat in æterna permanentia esse rei durantis, necessariò inuoluit esse rei secundùm omnem conceptum essendi; atque adeò non potest illud, vt natura tantùm præcedens excludere à conceptu æternitatis, quia tunc non includeret omnem perfectionem essendi rei durantis.

49. Confirmatur, quia æternitas à parte post, non includit necessariam immutabilitatem ex parte creaturæ, sicut includit æternitas à parte ante: quia in æternitate à parte post, creatura manet perfectè subiecta Deo in quolibet instanti temporis, in quo annihilari potest pro beneplacito Dei: & quod non annihiletur, non prouenit ex impossibilitate creaturæ, sed ex libero decreto ipsius Dei. In æternitate verò à parte ante creatura per totam æternitatem & infinitam durationem à Deo annihilari & mutari non posset: atque hoc non tam ex decreto Dei, quàm ex ipsa impossibilitate rei. Implicat autem, vt creatura naturaliter exigat talem perfectionem, per quam se subtrahat per infinitam durationem à subiectione Dei: non implicat autem, vt naturaliter exigat talem perfectionem, per quam semper maneat pro quouis instanti perfectè subiecta Deo.

*Explicantur Patres.*

50. Ad argumentum secundum ductum ab auctoritate Patrum Resp. Vel eos contra Arium loqui, supposita rerum creatione in tempore; qua posita rectè contra ipsum arguebant; Si Verbum est æternum; ergò non est creatura: quia de facto nulla creatura est æterna. Vel certè eos negare, condi potuisse creaturam ab æterno cum naturali exigentia æternitatis. Quę responsio est magis conformis ad confutandum errorem Arij, qui dicebat, Verbum Diuinum non esse qualemcumque creaturam, sed excellentissimam inter omnes, vt constat ex Athanasio Oratione seu lib. 3. contra Arianos columna 13. & l. 4. vbi probat non ex quacumque æternitate colligi Christum esse naturalem filium Dei, sed ex æternitate propria Dei Patris. Rectè igitur contra Arium argumentabantur Patres: Verbum ab æterno productum est, & non sicut reliquæ creaturæ, quæ tantùm voluntate & gratia producuntur, sed naturaliter: igitur non potest esse creatura, quia nulla creatura postulat naturaliter ab æterno produci. Quæ responsio colligitur ex citatis locis Athanasij & Damasc. lib. 1. Fidei c. 8. vbi ex eo, quòd creatio sit volũtaria Deo, colligit illam suapte natura & ab intrinseco non postulare æternitatem.

*Arij.*

*Athanasius*

*Damascen.*

51. Ad primam rationem, distinguo minorem subsumptam: impossibile est, vt in eadẽ duratione conueniat esse, & non esse simpliciter, concedo: vt eidem conueniat esse ab alio, & non esse à se, nego: hoc autem non est ponere esse, & nõ esse in eadẽ duratione simpliciter, sed esse absolutè, & non esse sub conditione, nempe si ab alio productum non esset.

52. Ad Secundam nego sequelam: ad cuius probationem dico, creaturam potuisse non condi in ipsa æternitate, non quidem in sensu componente æternitatem cum creatura, sed in sensu diuidente æternitatem à creatura: quia nimirum quod ab æterno conditum fuisset, potuisset ab æterno non condi, sicut ab æterno Deus voluit mundum, & tamen pro eadem æternitate potuisse non velle mundum, non quidem in sensu composito, sed in sensu diuiso. Ad Confirm. Resp. Assumptum esse verum de incorruptibilitate æterna, quę connaturaliter exigatur; non autem de gratis communicatâ.

53. Ad Tertium: Si ly, *incipit*, denotet initium durationis, concedo creaturam ab æterno nunquam incepisse; si tantùm principium productionis, nego: nam ab æterno creatura habuisset principium suæ inceptionis, tametsi ea inceptio distincta non fuisset à conseruatione. Vnde ad minorem, concedo ab æterno non fuisse creationem re ipsa distinctam à conseruatione, ad cuius probationem, falsum est, creationem esse tantùm in instanti: hoc enim argumẽtum fieri suo modo potest de productione ipsa Verbi Diuini, quod ita ab æterno productum est, vt per totam æternitatem dicatur produci: nec in eius æterna productione, licet distinguere productionem ab eius quasi conseruatione.

54. Ad quartum nego consequentiam: ratio discriminis est, quia potest res coëxistere æterno tempori per solum fluxum æterni temporis, cùm res, vt coëxistat tempori, nullam perfectionem requirat maiorem, quàm ex se habet in instanti ipso, in quo primo est: non potest autem res coëxistere infinito spatio per fluxum ipsius spatij, quia spatiũ non fluit, sed per aliquam perfectionem intrinsecã, sicut enim ipsa non potest coëxistere maiori spatio, quod primò adæquatè occupat, sine noua aliqua perfectione intrinseca; ita nec infinito spatio sine noua perfectione intrinseca infinita, quod implicat.

## SECTIO IV.

### *An, & Quo pacto æternitas differat ab æuo?*

55. Tametsi Æuum ex sua primæua impositione multa significet, ex Scholasticorum tamẽ vsu accommodatum est ad significandam solam durationem rerum incorruptibilium: in quo sensu inpræsentiarum de Æuo disputamus.

56. Prima sentẽtia affirmat, Æuum differre ab æternitate: quia hæc caret principio & fine: illud principiũ habere potest. Sed cõtrà, quia, vt præcedẽte sectione probauimus, non repugnat, creaturã incorruptibilem carere potuisse principio & fine durationis.

57. Se-

*Bonauent.* 57. SECVNDA sententia celebris est Bonauent. in 2. dist. 2. parte prima, ar. 1. q. 3. & *Varro. Capreolus.* Varronis apud Capreolum ibidem q. 2. a. 2. contra 5. conclusionem, asserentium, æuum differre ab æternitate, eò quòd æuũ includat successionem, quam non includit æternitas.

*Scotus, Richardus.* Hanc sententiam probabilem putat Scotus in 2. dist. 2. q. 1. & Richardus art. 1. q. 3. Dupliciter autem hæc successio in æuo explicari potest, vno modo explicatur à Bonauent. vt sit tantùm successio in actione, qua substantia æuiterna conseruatur à Deo, absque vlla successione in substantia ipsa æuiterna, quod probat hac similitudine: sicut aliter egreditur riuulus à fõte, aliter radius à sole; riuulus enim semper egreditur à fonte cum noua & noua aqua; radius verò à sole cum eodẽ semper esse præhabito. Ita in re præterlabente & corruptibili, vna pars habita amittitur, & noua subinde acquiritur: in re autẽ æuiterna idem esse, quod semel habuit, per cõtinuum influxum Dei continuatur. Vnde sola successio est in actione, qua conseruatur, absque vlla successione in re ipsa cõseruatã. Supponit autem hic modus actionem, qua Deus cõseruat res incorruptibiles, non esse vnam cõtinuò perseuerantem, sed plures, quarum vna immediatè succedit alteri.

58. Alio modo, & quidẽ probabiliùs explicatur hæc sententia; vt nimirum æuum sit modus successiuus, distinctus ab actione, & à substãtia rei æuiternæ, per quem substantia ipsa incorruptibilis successiuè respondet diuersis partibus temporis realis vel imaginarij. Sicut vbi est modus, quo vnaquæque res diuersis respondet partibus loci realis aut imaginarij. *Hieronym. Anselmus. Augustin.* Hæc sententia sic explicata probatur primò auctoritate Patrũ Hieronymi epistola ad Marcellam, Anselmi in Prosologio c. 20. Aug. l. 11. Confess. c. 14. & aliorum affirmantium, solam æternitatem Dei nullam agnoscere successionem, reliquas verò durationes creatas necessariò aliquam admittere præteriti ac futuri successionem. Secundò, probatur rationibus.

59. PRIMA sit, si in æuo nulla esset successio, idem in eo esset præteritum, præsens, & futurum: sed implicat angelum, qui semel fuit, non fuisse; ergò similiter implicabit, qui nunc est, non fore. Minor patet. Maior probatur, quia vbi nulla est successio, sed idem nunc semper indiuisibiliter stans, nulla est distinctio inter præteritum, præsens, & futurum: igitur si præteritũ non potest non fuisse, nec futurum poterit non fore. Confirmatur, nam ideò Deus non potest non fore, quia nunc habet quidquid ad futurã durationem requiritur: ergò si nunc angelus habet quidquid ad futuram durationem requiritur, nec ipse poterit non fore.

60. SECVNDA ratio. Angelus vi suæ durationis correspondere potest tempori infinito: ergò, si talis duratio est indiuisibilis & tota simul, est actu infinita. Consequentia probatur, quia mensura, quæ ex se apta est adequari mensurato infinito, est actu infinita. Confirmatur, nam ita se habet duratio ad tempus, sicut locabilitas ad spatium: implicat autem, creaturam per locabilitatem finitam respondere spatio infinito; ergò & per durationem finitam tempori infinito.

61. TERTIA sit, potest vnus angelus plus durare quàm alius; & idem plus durare dicitur per duos, quàm per vnum annum: sed si duratio esset indiuisibilis & tota simul, non plus durationis haberet vnus, quàm alius angelus; nec idem maiorem durationẽ haberet coëxistens duobus annis, quàm vni tantùm.

62. QVARTA ratio sit, repugnat, in re finita esse infinitas negationes defectuũ: at si æuum esset duratio totum esse suũ futurum vnitiuè præhabẽs, actu haberet infinitas negationes defectuum. Minor patet, quia nunc haberet negationem diei crastini, & infinitorũ subsequentium. Maior probatur, quia negatio defectus est positio perfectionis: ergò infinitæ negationes defectuum est positio infinitarum perfectionum. Igitur si res finita haberet infinitas negationes defectuum, esset infinitè perfecta. Confirmatur, quia ex infinitis negationibus defectuum colligimus infinitam perfectionem in Deo: ergò ex infinitis negationibus defectuum colligemus infinitam perfectionem in re creata.

63. QVINTA & vltima ratio sit. Implicat, angelum successiuè correspondere diuersis partibus spatij, absque modo successiuo superaddito: ergò implicabit, successiuè correspondere diuersis partibus temporis, absque modo successiuo superaddito.

64. TERTIA sententia S. Tho. 1. p. q. 10. ar. 5. & quodlibeto 10. q. 2. ar. 4. Alens. 1. p. q. 12. memb. 9. ar. 3. & reliquorum Scholasticorum in secundo distin. 2. affirmantium, æuũ non distingui ab æternitate per successionẽ aliquam, sed vel per defectibilitatem in essendo, & terminum saltem possibilem; vel, vt S. Tho. explicat, per coniunctionem ad mutabilitatem. *S. Thomas. Alensis. Reliqui Scholastici.* Nam etsi æuum in se immutabile sit, est tamen cum mutabilitate coniũctũ, quia mensurat esse quod est subiectũ & principium variarum mutationum accidentalium: æternitas verò mensurat esse, quod est omninò immutabile, & quoad esse, & quoad operationes. Pro cuius controuersiæ declaratione,

65. DICO primò. Æuum non differt ab æternitate per aliquam successionem intrinsecam. Est August. 12. de Ciuit. Dei c. 15. *Immortalitas*, inquit, *Angelorũ non transit in tẽpore, nec præterita est quasi iam non sit, nec futura quasi nondum sit.* *August.* Probatur primò, ratione contra priorẽ modũ Bonauenturæ: tùm quia falsum est, actionẽ, qua Deus conseruat æuiternam, esse successiuã, sed permanentem; sicut est ipsum esse, quod cõseruatur: est enim conseruatio eadem continuata actio. *Contra modum Bonauentura.* Tùm quia non saluat intentum: intendit enim hic modus saluare, rem æuiternam posse in quolibet instanti deficere; & propterea fingit actionẽ successiuam, quæ, quia in quolibet instanti desinit, in quolibet instanti res æuiterna

deficeret,

deficeret, si noua actio cõseruatiua non succederet; non, inquam, saluat intentum, quia actio illa, quæ succedit in tempore immediatè post instans, necessariò debet durare tempore aliquo determinato, cùm nequeat actio desinere pro ea duratione, pro qua est. Ergò saltem pro eo tempore non posset res æuiterna deficere. Tùm quia hæc eadem actionũ successio adstruenda esset in operationibus ipsis æuiternorũ, nam etiã illæ deficere possunt pro quolibet momento futuro. Tùm maximè, quoniam duratio non est formaliter actio, qua res durãs conseruatur; cùm actio & duratio sit res diuersorum prædicamentorum. Vnde debent saltem ratione distingui. Est enim actio attingentia termini; conseruatio manutenentia eiusdem: duratio autem addit permanentiam esse præhabiti, cum correspondentia ad tempus reale vel imaginarium. Vnde non solùm res ipsa conseruata, sed etiam conseruatio durare dicitur: quia sicut vnumquodque Ens existit existentiâ propriâ, ita durat duratione propria: quia duratio supra existentiam non addit, nisi permanentiam in esse: Vnde sicut nequit existere existentiâ alienâ; ita nec permanere in proprio esse permanentiâ alterius esse.

65. Demum ratio ob quam talis successio ab aduersarijs fingitur in actione conseruatiua æuiternorum, est ad saluandam continuam defectibilitatem, quam res creatæ habent ad durandum in futurum: atqui ad hoc talis successio necessaria non est; igitur frustra fingitur. Maior est ipsum fundamentum aduersariorum. Minorem probo, quia talis defectibilitas optimè saluatur per continuã dependentiã eiusdẽ esse, quâ res creatæ media actione conseruatiua liberè pendent à Deo: nam, etiã posita tota actione conseruatiua & existentia, atque adeo tota perfectione duratiua intrinseca in creatura, potest Deus pro quolibet momento futuro talem actionem suspendere, & creaturã in nihilũ redigere; atque adeo illa ampliùs non durare.

67. Probatur secundò cõtra posteriorẽ modum; nam tota ratio ponendi talem modum successiuum distinctum à substãtia ipsa æuiterni, est vt substantia æuiterni correspõdeat diuersis partibus temporis: sed ad hunc effectũ non est necessarius talis modus: ergo. maior est fundamentum aduersariorum: minorem ostẽdo, nam illud non est ad aliquem effectum necessarium, sine quo talis effectus haberi potest: atqui sine hoc modo superaddito haberi potest successiua correspondẽtia rei incorruptibilis ad tẽpus; ergo. maior patet, minor probatur, nã posita re incorruptibili, & tẽpore simul, & quocunque alio modo præciso, implicat talem rem non correspõdere diuersis partibus temporis; cũ nihil aliud sit, rẽ correspondere diuersis partibus temporis, quàm illis coëxistere: implicat autem, rẽ incorruptibilem positã in tempore, non coëxistere diuersis partibus temporis; nam hoc ipso, quòd diuersæ partes temporis fluũt circa talem rem, talis res coëxistit illis, sicut eo ipso, quòd circa pontem præterfluũt diuersæ partes fluminis, pons coëxistit illis; cùm nil aliud sit, alteri coexistere, quàm existere dum aliud existit: atqui dum diuersæ partes temporis existunt, existit res æuiterna; ergo illis coexistit.

68. Confirmatur, quoniam, vt in Physicis docui, nulla duratio à parte rei distinguitur à re durante; cùm enim duratio addat supra existentiam solam permanentiam in essendo, repugnat rẽ durare duratione à propria existentia distincta. Implicat igitur, æuũ esse modum ex natura rei distinctum à substantia æuiterna. Addo, quòd quælibet duratio proportionari debet rei, cuius est duratio, vt si illa sit indiuisibilis & permanens illa etiam indiuisibilis & permanẽs sit, oportet, alioqui non esset proportionata mẽsura respectu sui mẽsurati. Sicut enim duratio permanens non est congrua mensura rei fluentis; ita nec duratio fluens erit congrua mensura rei permanentis.

69. Dico secundò: Æuum differt ab æternitate tum per intrinsecam capacitatem termini, cuius non est capax æternitas: tum per exigentiam successionis in proprijs actibus & accidentibus substantiæ, quam mensurat. Ratione prioris differentiæ æuum habet, vt in quolibet momẽto deficere possit, & in futurum ampliùs non protendi: ratione posterioris, vt non sit perfecta mensura rei, cuius est duratio: si quidem non mensurat rem quoad proprios actus & intrinsecas operationes ipsius, sicut æternitas; sed solùm quoad substantiam. Assertio sic explicata constat ex dictis suprà de Æternitate.

70. Ad Patres adductos contra primam conclusionem. Resp. vel eos intelligi de duratione æuiternorum, mensurante non eorum substantiam, sed operationes, quarum esse sicut constat ex præterito & futuro, ita & earum duratio: & quia talis duratio est quoddam complementum æui; nam sicut propriæ operationes sunt complementum substantiæ, ita & ipsarum duratio est complementum durationis substantiæ; non incongruè dici potest, æuum ratione huius complementi adiuncti admittere aliquam successionem in substãtia, vel intelligi de ipsamet duratione substantiæ, quæ saltem in potentia, & negatiuè admittit huiusmodi differentias præteriti & futuri: nam & qui creatus est initio mundi, poterit tunc non creari; & qui nunc est, poterit non fore. Æternitas autem nec ratione durationis adiunctæ, nec in potentia & negatiuè admittere potest successionem vllam in diuina substantia. *Expenduntur Patres.*

71. Ad Primam rationem concessa sequela cum minore, loquendo de differentijs intrinsecis æuo: neganda est consequentia; quoniam *fuisse* in æuo, connotat aliquid, in cuius oppositum Deus non potest, quia connotat rem coëxtitisse præterito; fieri

autem

autem nequit, vt quod coëxtitit præterito, non coëxtiterit. Fore autem cùm nihil connotet, in cuius oppositum Deus non possit, non repugnat, vt quod coëxtitit præterito, non coëxistat futuro, esto præteritū & futurū, quatenus sunt differentiæ intrinsecę, non distinguantur in æuo. Ratio verò est, quia licet æuum habeat totā suam perfectionē intrinsecam simul, quia tamen illam habet dependēter à Deo, totam illam simul amittere potest. Vnde si Deus annihilaret angelum ab initio mundi creatum, non solùm annihilaret durationem, quæ futura erat, sed etiam quæ fuit, licet non posset annihilare illam secundùm extrinsecum connotatum quod fuerit: tamen si annihilando illā non solū annihilaret durationē, quę futura erat, sed ipsū etiam extrinsecum connotatum, quod resultare debuerat ex duratione ipsa futura. Cuius discriminis ratio est, quia hoc connotatum *fuisse*, necessariò resultat ex coëxistentia rei æuiternæ, ad tempus præteritū, quod non tollitur ex destructione rei pręsentis: connotatum verò temporis futuri pendet ex coëxistentia rei præsentis ad tempus futurum: destructa autem re præsente, tollitur quin res ipsa, quæ est præsens, coëxistat futuro; ac proinde non solùm tollitur duratio intrinseca, sed ipsa etiam connotatio extrinseca, quæ essentialiter pendet ex permanentia rei præsentis ad tempus futurum. Ad Confirmationem nego, Deum non posse non fore, ex eo præcisè, quòd nunc habet quidquid ad coëxistendum futuro requiritur, sed quia id habet à nullo extrinseco dependens.

72. Ad secundam nego consequentiam: Nam sicut correspondentia ad tempus extrinsecum nullam ponit perfectionē intrinsecam in re correspondente; ita nec correspondēția ad tempus extrinsecum infinitum ponit perfectionem intrinsecam infinitā in eadē re correspondente: non enim res crescit in perfectione intrinseca, per connotationē rei extrinsecæ; alioqui quęlibet creatura esset infinita, quia connotat creatorem infinitum. Ad probationem consequentiæ, nego æuum esse mensuram temporis infiniti, sed solùm purum coëxistens; est autem mensura solius substātiæ æuiternæ, quæ sicut finita est, ita & ipsius æuum finitum erit: duratio nemque mensuram perfectionis sumit ab esse, quod mensurat.

73. Ad confirmationem neganda est maior: ratio discriminis oritur ex diuerso modo, quo res adæquatur spatio, & tempori; nam spatio adæquatur permanenter, tępori verò successiuè. Vt autem res adæquetur spatio permanenter, debet cò magis crescere in perfectione creabili, quò maiori spatio adæquatur: vt verò adæquetur tempori successiuè, non oportet, vt quò longiori tępori adęquatur, eò perfectiorem durationem habeat: patet primò à posteriori, nā eodē modo Angelus supremus, atque infimus correspondebunt tempori infinito à parte post; cùm tamen non eodem modo correspondeant spatio; Nam quò Angelus est perfectior, eò maiori spatio correspondet. Secundò à priori, quia cùm spatium sit permanens, vt res adæquetur spatio permanenti infinito, debet ipsa quoque esse infinita: implicat enim, vt res permanens finita adæquetur spatio permanenti infinito; cùm talis adæquatio fieri debeat per commensurationem rei ad spatium. Contrà verò, cùm tempus sit successiuum, ad hoc vt res adęquetur tempori infinito, non est opus, vt res ipsa sit etiam infinita, sed sufficit, vt tempus sit infinitum. Cuius ratio est; quia res non debet adæquari toti tempori simul, sed successiuè: potest autē eadem res, inuariata quoad entitatem, correspondere infinitis partibus temporis successiui, eò quòd semper correspondet eadem res sub singulis partibus temporis. Toti autem spatio debet adæquari simul, quia spatium non est fluens, sed permanens; vt autem adæquetur infinito spatio simul, debet necessariò esse quoad entitatem infinita, alioqui non posset adæquare illud totum simul.

74. Ad tertiam distinguenda est maior. dicitur vnus Angelus plus durare, quàm alius per durationem intrinsecam, & nego; per connotationem & coëxistentiam ad tempus extrinsecum, & concedo.

75. Ad quartam, Maior est intelligenda de negationibus, quæ tollūt defectus intrinsecos, per positionem perfectionis oppositę, cuiusmodi sunt negationes, quas Deo tribuimus; non autem de negationibus, quæ solùm tollunt connotationes & respectus extrinsecos, cuiusmodi sunt negationes infinitorū dierum subsequentium, quas tribuimus ęuo: sicut enim respectus, & coëxistentia ad infinitos dies, non ponit in æuo perfectionem intrinsecam, ita nec infinitæ negationes infinitorum dierum ponent in æuo perfectionem vllam intrinsecam. Ex his patet ad Confirmationem.

76. Ad quintam nego consequentiam: ratio discriminis est, quia nequit subiectum acquirere nouam formam siue intrinsecam siue extrinsecam, sine aliqua mutatione, vel sui, vel formæ: atqui nulla mutatio fit in spatio, quod angelus de nouo acquirit; ergo fieri debet in Angelo: nō potest autem fieri noua mutatio, nisi per nouum modum superadditum, ergo: Contrà verò, vt Angelus coëxistat nouæ & nouæ parti temporis, non requiritur noua mutatio in Angelo, sed sufficit mutatio ipsa temporis, qua successiuè fluit. Præcisa enim qualibet mutatione in Angelo, implicat Angelum non coëxistere nouæ & nouę parti temporis, quod continuò fluit.

77. Ex dictis infertur 1. si Angelus annihilaretur, & postea reproduceretur, non reproduci cum nouo æuo, sed cum eodem: quia cùm ęuū non distinguatur ab existentia Angeli, implicat reproduci cum eadem existentia, & non cum eodem æuo: licet illud

ob

ob interruptionem ab esse ad non esse, & à non esse, ad esse, dici possit prius & posterius se ipso sicut & existentia ipsa Angeli.

78. Infertur 2. Quo pacto substantia incorruptibilis sit in actu, & in potentia simul ad durandum: est enim in actu ratione esse quod totum simul possidet est autem in potentia ratione dependentiæ, cum qua illud à primo agente possidet.

## SECTIO V.

### *An præter æuum & tempus continuum concedendæ sint aliæ durationes creatæ?*

*Scotus.*

79. PRIMA sententia Scoti in 2. dist. 2. quæst. 8. negantis. Fundamentum est, quia omnia aut existunt successiuè, aut permanenter: quæcumque existunt successiuè, mensurantur tempore continuo; quæcumque existunt permanenter, mensurantur æuo: ergo præter tempus continuum, & æuum, non datur alia duratio creata. Confirmatur primò: quia quæcumque habent conformem modum manendi, habent mensuram eiusdem rationis in manendo, etiamsi vnum diutiùs duret alio: sed omnes res creatæ aut habent modum manendi successiuum, aut permanentem; si successiuum, mensurantur tempore continuo; si permanentem, æuo: ergo præter æuum & tempus continuum, non datur alia duratio creata: Confirmatur secundò: quia alioqui tot distinguendæ essent durationes specie diuersæ, quot distinguuntur res durantes. Vnde diuersum esset æuum vnius Angeli, ab quo alterius specie diuersi.

*S. Thomas. Caietanus. Henricus. Durandus Capreolus.*

80. SECVNDA sententia est S. Tho. 1. p. quæst. 10. ar. 5. ad primum quæst. 53. ar. 3. & quodlibeto 2. ar. 5. & quodlibet. 11. ar. 4. Caiet. ibid. Henrici quodlibeto 12. quæst. 8. Durandi in 2. distinct. 2. quæst. 6. Capreoli quæst. 2. conclusione 3. & 5. & reliquorum Thomistarum affirmantium, præter æuum & tempus continuum, dari alias durationes creatas. Pro cuius sententiæ explicatione,

81. DICO primò; præter tempus continuum, quo mensurantur omnes motus & æuum, quo mensurantur substantiæ incorruptibiles, earumque accidentia & operationes suapte natura perpetuæ, datur alia duratio, qua mensuranrur operationes indiuisibiles Angelorum. Fundamẽtum assertionis est, quia duratio est permanentia in esse, ergo diuersificatur à diuersa permanentia in esse: sed hæc omnia habent diuersam permanentiam in esse; ergo & diuersam durationem. Antecedens patet: consequentia etiam constat, nam specifica diuersitas oritur ex diuersa ratione contractiua generis, ergo ex diuersa ratione permanentiæ in esse oritur diuersa ratio specifica durationis. Minor verò probatur. Nam diuersitas permanentiæ in esse, desumitur ex diuersa exigentia ad permanendum: sed prædicta omnia habent diuersam exigentiam ad permanendum. Nam motus habet exigentiam ad permanendum per diuersas, & continuas sui partes; substantiæ verò immortales ab intrinseco postulant permanere totæ simul indiuisibiliter: nec vllam habent intrinsecam potentiam incorruptibilitatis, sicut nec earum proprietates, & quædam operationes immanentes ipsarum, quæ nec ab extrinseco corrumpi, nec ab intrinseca potentia deficere possunt. Cuiusmodi est cognitio, qua Angelus perpetuò cognoscit se ipsum, & actio, qua sol intrinsecam lucem continuò in se ipso conseruat. Huiusmodi enim operationes, cùm nec possint ab extrinseco agente creato, nec ab intrinseca potentia, quæ eas semper ac necessariò conseruat, corrumpi, mensurantur æuo, non minùs, quàm substantiæ ipsæ, quarum sunt operationes: cùm non minùs hæ, quàm illę sint ab intrinseco incorruptibiles, & ad permanendum stabiles. Reliquæ verò operationes immanentes Angelorum, quoniam ex vna parte, quando existunt, totæ simul indiuisibiliter existunt & ex alia parte sunt ab intrinseco principio, à quo liberè cõseruantur, defectibiles, non possunt mensurari æuo, quo mensurantur res ab intrinseco indefectibiles; aut tempore cõtinuo, quo mensurantur res successiuæ; mensurari debebunt duratione diuersæ rationis ab vtroque. Quia cũ duratio sit mensura rei durantis, & mẽsura proportionari debeat mensurato, non possunt mẽsurari æuo, quod est tantùm mensura rei ab intrinseco indefectibilis; nec tempore continuo, quod est mensura rei successiuæ.

*S. Thom.*

82. DICO secundò: Duratio, qua mensurantur res indiuisibiles ab intrinseco defectibiles, est instans temporis discreti, formaliter indiuisibile, virtualiter diuisibile. Est S. Tho. & reliquorum supra citatorũ. *Instans* dicitur, quia est duratio tota simul, & nõ per partes existens; per quod differt à tẽpore continuo. *Formaliter indiuisibile*, quo conuenit cum instanti temporis continui, quod est etiam indiuisibile. Dicitur autem *virtualiter diuisibile*, quo differt ab eodẽ instanti temporis continui, & conuenit cum æuo. *Temporis*, qua particula discriminatur ab æuo, quod suapte natura ineptum est ad tempus componendũ: cùm enim de ratione temporis vt sic, sit prius & posterius immediatè sibi succedentia, æuum autẽ suapte natura sit perpetuum, ineptum erit ad tempus vllum componendum; quia vt posset tempus componere, deberet posse vnum æuum alteri æuo succedere, per inceptionẽ vnius, & corruptionem alterius. Contrà verò, quia duratio ab intrinseco defectibilis, apta est succedere alteri durationi ab intrinseco etiam defectibili in eodẽ subiecto, apta erit

componere

componere tempus aliquod; ad quod componendum sufficit, vt duratio vnius immediatè succedat durationi alterius, per mutuã incompossibilitatem naturalem: sed tam duratio vnius cognitionis angelicę succedit naturaliter incompossibiliter durationi alterius cognitionis eiusdem angeli, quàm duratio vnius formę materialis succedit materialiter incõpossibiliter durationi alterius formę in eodem subiecto: igitur apta sunt componere tempus aliquod. *Discreti* dicitur, ad differentiam continui: continuum enim constat ex priori & posteriori diuisibilibus, aptis ad cõtinuitatem gignendam; *discretum* verò ex priori & posteriori indiuisibilibus, ineptis ad continuitatem faciendam. Vnde dicitur *discretum*, quia partes, illud componentes, non continuantur, sed quædam quasi discretæ vnitates totæ simul sibi immediatè succedunt.

*S. Thomas.* Huius temporis discreti auctor censetur S. Tho. quem posteriores Scholastici sunt secuti: & colligitur ex

*August.* August. lib. 8. de Gen. ad literam cap. 20. vbi docet, creaturam spiritualem mouere se in tempore, dum internas affectiones exercet.

83. Dico 3. Beatitudo supernaturalis mensuratur æuo, quod, quia supernaturalis est ordinis, & participatio quædam vitæ diuinę, quę mensuratur æternitate, rectè à

*S. Thomas Thomistæ.* S. Th. & Thomistis, ad differentiam çui naturalis, quo mensurantur substantiæ çuiternorum, & perpetuæ earum operationes, dicitur participata æternitas.

84. Nec alio, quàm de nomine contendit

*Scotus.* Scot. in 4. dist. 49. q. 6. §. *De secundo dubio*, cùm negat beatitudinem supernaturalẽ mensurari participata çternitate, sed tantùm æuo, quo mensuratur substantia ipsa beati: quia cùm beatitudo non sit immutabilior substantiâ, cuius est ipsa beatitudo, cùm nullum accidens possit esse immutabilius substantiâ, cui inhęret, nõ poterit immutabiliore duratione, qualis est æternitas, mensurari. Nam

*S. Thomas.* S. Tho. non ex eo deducit, beatitudinem mensurari çternitate, quia est immutabilior substantiâ, sed quia est ordinis altioris diuini: vnde sicut esse diuinum mensuratur æternitate imparticipata, & à se; ita esse diuinum participatum, mensuratur æternitate participata. Eadem est ratio de gratia, & reliquis habitibus supernaturalibus perseuerantibus in beatis; secus de ijsdem existentibus in viatoribus: in quibus, quia habere possunt contrarium non mensurantur æuo, aut çternitate, sed instanti temporis discreti ordinis supernaturalis: cuius ratio est, quia æuum, & æternitas participata inuoluit indefectibilitatem ab intrinseco, quam non dicunt gratia, & reliqui habitus supernaturales in viatoribus, in quibus corrumpi possunt ab intrinseca potentia subiecti, in quo existunt.

85. Ex dictis infertur 1. operationes externas Angelorum non mensurari æuo, aut instanti temporis discreti, sed tempore continuo. Fundamentum est, quia Angeli non aliam possunt in externa corpora operationem exercere, quàm motum localem, qui mensuratur tempore continuo.

86. Infertur 2. operationes internas hominis mensurari tempore, non æuo, aut instanti temporis discreti. Fundamentum est, quia omnis operatio interna hominis fit medio discursu, ex vno actu in aliũ continuo procedendo: contrà verò, operationes internę angelorũ eliciuntur totæ simul indiuisibiliter, sicut etiam totæ simul indiuisibiliter desinunt. Dices saltem posset homo in eadẽ indiuisibili cognitione manere absque nouo discursu: ergo saltem tunc operatio interna hominis non mensuraretur tempore continuo, sed discreto: Resp. In eo casu nullum esse absurdum talem operationem mensurari instanti temporis discreti: quod concedi t Capreolus ad quartum contra tertiam conclusionem. *Capreolus.*

87. Infertur 3. Materiam primam in sententia Thomistarum mensurari instanti temporis discreti, quia in sententia ipsorum materia existit existentia formæ: vnde sicut existentia vnius formæ, succedit alteri indiuisibiliter & tota simul: ita eadem materia, vt existit existentia vnius formæ succedit sibi ipsi indiuisibiliter & tota simul vt existenti existentia alterius formæ: quia verò duratio non est permanentia rei secundùm esse essentiæ, sed secundùm esse existentiæ, durare enim formaliter includit existere, esto materia sibi nõ succedat quoad esse essentiæ, quæ semper manet eadem, quia tamen sibi succedit, quoad esse existentiæ, quæ ad variationem cuiuscunque formę variatur, mensuratur instanti temporis discreti: in sententia verò Scoti, & aliorum, quam ego veram puto, materia secundùm se sumpta mensuratur çuo; quia habet durationẽ ab intrinseco indefectibilem: est enim secundùm se ingenerabilis, & incorruptibilis. Dixi *secundùm se*, nam vt coniuncta mutationibus mensuratur tempore, vt constat in viuentibus, in quibus continuo motu acquiruntur, & deperduntur nouæ partes materiæ. *Scotus.*

88. Ad fundamentum Scoti negatur Minor quoad secundam partem: nam quæ permanenter existunt, sunt in duplici differentia; aliqua enim existunt ab intrinseco indefectibilia, & hæc mensurantur çuo; alia ab intrinseco defectibilia, & hæc mensurantur instanti temporis discreti. Eadem responsio applicatur ad primam confirmationem. Ad secundam verò nego sequelam: nam differentia sumpta ex sola diuersitate rerum, est tantùm materialis, ac proinde nequit specificare diuersas durationes, quarum differentia formaliter spectatur penes maiorem vel minorem defectibilitatem in essendo. *Scotus.*

89. Atque hæc dicta sint de mensura intrinseca rerum: nam de mensura extrinseca censeo nec æuum vnius angeli mensurari per æuum alterius, nec tempus discretum vnius, per tempus discretum alterius, vti Thomistæ censent, putantes omnia æua inferiorum angelorum mensurari æuo supremi an- *Thomistæ.*

mi angeli, omnesque operationes eorum operatione supremi angeli. Probo primum, quoniam mensura debet esse certior & notior mensurato: æuum autem supremi angeli est æquè certum ac notum atque aliorum; cùm in permanentia ab intrinseco indefectibili omnes angeli sint pares: nam æquè omnes sunt ab extrinseco agente creato incorruptibiles, & in ordine ad Deum vnus non est independentior alio. Confirmatur: nam mensura deseruit ad dignoscendum, quantum vna res excedat aliam in quantitate: Sed quando res mensurabilis est æquè nota mensuranti, atque est ipsa mensura, non est opus mensura ad cognoscendam quantitatem rei mensurabilis. At æquè nota est omnibus angelis virtualis quantitas duratiua vniuscuiusque: ergo non est opus æuo vnius ad dignoscendum æuum alterius. Maior cum Consequentia constat. Minor probatur, quia cùm omnes angeli simul cæperint durare, & omnes æquè, sint ab intrinseco indefectibiles, & in perpetuum duraturi, & hoc naturaliter notum sit omnibus, nota etiam erit omnibus virtualis quantitas duratiua vniuscuiusque.

91. Probo secundum, quia nequit deseruire vt mensura id, quòd suapte natura est ignotum: at quælibet operatio interna angeli est suapte natura ignota alteri angelo; ergo nequit deseruire illi vt mensura. Maior cum Consequentia patet. Minorem ostendo, nam quælibet operatio interna angeli, ob perfectum dominium libertatis, quod quælibet creatura intellectualis naturaliter habet in suos actus internos, est naturaliter ignota alteri angelo: ergo nequit illi deseruire vt mẽsura. Confirmatur, quia quælibet operatio interna angeli liberè pendet in quantitate duratiua à potentia libera eiusdem angeli; igitur nequit esse certa mensura durationis. Consequentia constat, quia mensura debet habere stabilem ac certam quantitatem; non potest autem habere stabilem ac certam quãtitatem, quę quoad tantam, aut tantam quantitatem, pendet à libera potentia alterius.

92. A quo autem tanquam à mensura extrinseca mensuretur æuum angelorum, & internæ, atque externę operationes eorumdem, Durandus in 2. dist. 2. q. 5. num. 14. Ockamus quæst. 13. Gabriel qu. 1. conclusione 7. censent mensurari tempore nostro: quod mihi probabilius est, tum à paritate substantiarum corruptibilium, quarum extrinseca mensura, notificans earum durationem, est tempus, non obstante, quod intrinseca mensura ipsarum sit instans temporis discreti: dicimus enim Adamum, vel Abrahamum tãto vel tanto tempore vixisse. Tum à priori, quia durare essentialiter importat respectum ad tempus reale vel imaginarium: ergo impossibile est cognoscere, quamdiu quis durauerit, nisi cognoscatur tempus, in ordine ad quod durauerit. Confirmatur; nam ita se habet duratio ad tempus, sicut prẽsentia ad locum: sed impossibile est cognoscere; quantum vnus angelus distet ab alio, nisi per extrinsecam mensuram spatij localis: ergo impossibile est cognoscere, quantò vnus angelus, vel anima rationalis distet in duratione ab alia, nisi per extrinsecam mensuram temporis, quo vna distat ab alia. *Durandus. Ocham. Gabriel.*

93. Tum quia, cùm dicitur vnus angelus cognoscere durationem alterius, aut significat, debere tantùm cognoscere durationem illius intrinsecam, aut etiam extrinsecam coëxistentiam ad tantum, vel tantum tempus. Si primum, nõ eget angelus extrinsecâ mensurâ ad illam cognoscendam, nam ex natura ipsius angeli naturaliter nota intrinseca duratio illius, nempe quod sit perpetua, & ab intrinseco indefectibilis. Neque enim hîc loquimur de quantitate perfectionis, secundùm quam nõ inficior, angelos inferiores cognosci, tanquam per extrinsecam mensuram, per naturam & perfectionem supremi angeli, sed de quantitate duratiua, quoad intrinsecam perfectionem durandi, est æqualis in omnibus, atque adeo æquè nota omnibus. Si secundum; impossibile est cognoscere, quamdiu angelus, vel anima durauerit, nisi cognito tempore, tanquam extrinseca mensura, in quo durauit.

# DISPVTATIO VIII.

## De Immensitate Dei.

POst Æternitatem agimus de immensitate, quæ per se consequitur ad immutabilitatem, posterius tamen, quàm æternitas, quia res priùs concipitur esse, quàm esse in loco: est autem Deus æternus, quatenus est; immensus verò, quatenus est, vel esse potest præsens loco. Porrò immensitas sumi potest dupliciter: primò transcendenter, vt modus intrinsecus cuiuslibet attributi, quo pacto est idem, atque infinitas transcendenter sumpta: nam quodlibet attributum Diuinum est in suo genere infinitum, immensum, & illimitatum: Secundò, vt peculiare attributum, virtute distinctum à cæteris, qua ratione inuoluit aptitudinem ad coëxistendum in infinitis locis, per omnimodam sui immutabilitatem: in quo sensu nos hîc de illa disputamus.

SECTIO

# SECTIO I.

## An Deus sit immensus?

1. AFFIRMANS cōclusio est expresse definita in Concilio Lateran. sub Innocentio III. *Firmiter*, inquit, *credimus, quod vnus solus est verus Deus, æternus, immēsus, &c.* Et constat apertis scripturæ testimonijs, sufficiat vnum Baruch 3. *Magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus.* Contra quam veritatem opinatus est Auctor de Mundo ad Alexandrum: quem librum propterea Peripatetici negant esse Aristotelis. Fuere & alij Philosophi atque hæretici, quos sequutus est Augustinus Eugubinus Catholicus in Psal. 138. Dupliciter autem potest hæc veritas demonstrari à priori, & à posteriori. In hac sectione demonstrabimus illam à priori, in sequenti verò à posteriori.

*Concilium Lateran.*

*Baruch*

*Auctor libri de Mundo ad Alexandrum.*

*Augustinus Eugubinus.*

2. A PRIORI illam sic demonstro primò. Ex attributo immutabilitatis. Deus est immutabilis: ergo immensus. Consequentiam probo, quia si Deus non esset immensus, posset esse aliqua creatura distans, ergo posset ab ea fieri indistās: ergo mutabilis. Antecedens constat, quia immensitas est perfectio per quam Deus à nulla creatura, vel loco distare potest: ergo si non esset immensus posset a b aliqua creatura, aut loco distare. Prior consequentia probatur, nam posita hac imperfectione, quòd Deus distaret à creatura, maior esset perfectio, vt ad eam posset, quàm non posset accedere, vt patet de creaturis spiritualibus, quarum limitatione locabilitatis posita, maior perfectio in illis est, vt possint, quàm vt non possint ad loca distantia accedere. Deo autem concedendum esset id, quod maioris esset perfectionis, etiam aliqua imperfectione posita. Dices, diuersam esse rationem de creaturis & Deo: nam, quia vna creatura perficitur ab alia, maior perfectio est posse, quàm nō posse ad distantes accedere: contrà verò, quia Deus à nulla creatura perficitur, nō esset maior perfectio posse, quàm non posse ad distantes accedere. Sed contrà, quia licet Deus non perficeretur à creaturis, atque adeo accessus ad eas, nō esset in Deo maior perfectio, quàm non accessus, posse tamen accedere maior foret perfectio, quàm non posse: sicut licet non perficiatur productione creaturarum, tamen posse illas producere maior est perfectio, quàm non posse.

3. Posterior verò consequentia ostenditur, quia non posset Deus ex distante, fieri indistans & loco præsens, nisi per aliquam mutationem sui: implicat namque subiectū transire de contradictorio in contradictorium, sine aliqua mutatione alicuius extremi: sed nulla fieret mutatio in loco, si Deus ex non præsente fieret præsens: ergo necessariò deberet fieri in Deo: atque adeo Deus esset mutabilis secūdum locum. Minor patet, quia supponimus Deum moueri ad locum, non locum ad Deum: ac proinde mutatio nō fieret in loco, sed in Deo. Dices: Deus ex non creatore fit creator, nulla mutatione sui: ergo ex non præsente præsens. Resp. Distinguendo consequens: etenim si Deus fiat ex non præsente præsens, per productionem loci, verum est; quia tunc transitus ex non præsente in præsentem fit per mutationem termini; Secus, si fieret ex non præsente præsens, per mutationem ipsius ad locum, quia tunc mutatio non fieret in loco, sed in subiecto mouente se ad locum.

4. Secundò, probo ex infinitate, & illimitatione Dei, hoc pacto: Deus est infinitus & illimitatus in sua essentia; ergo & in quauis perfectione sibi intrinseca; ergo & in hac perfectione coëxistendi spatio infinito. ergo est immensus. Hæc vltima consequentia patet, quia immensitas est perfectio, per quam Deus est aptus coëxistere infinito spatio. Antecedens constat ex ipso conceptu essentiali Deitatis, quæ est ipsum esse infinitum & interminatum in tota latitudine essendi. Prima consequentia probatur, quia si aliqua perfectio diuina non esset infinita & illimitata, Deus non esset infinitus & illimitatus in tota latitudine essendi; quia, cùm quælibet perfectio dicat aliquod esse, si aliqua perfectio in Deo foret limitata, non esset Deus in tota latitudine essendi illimitatus, siquidem non esset illimitatus in hac perfectione. Secunda consequentia elucet, cùm non minùs hęc sit intrinseca perfectio Dei, quàm reliquæ; nec minùs hæc, quàm reliquæ, fundetur in ipsa essentia infinita & illimitata Dei. Quare sicut Deus est illimitatus in ęternitate, in omnipotentia, & in reliquis perfectionibus sibi intrinsecis, ita & in hac, coëxistendi spatio.

5. Confirmatur: Nam quælibet perfectio, quæ in causa continetur formaliter, & communicabilis est effectui sine certo limite, debet in causa necessariò esse infinita: atqui virtualis quantitas, per quā Deus aptus est coëxistere spatio, formaliter continetur in Deo, & communicabilis est creaturæ sine certo limite: ergo debet in Deo necessariò esse infinita. Maior constat, quia, quando causa continet perfectionem formaliter, non posset illam maiorem & maiorem effectui communicare, quin tandem perueniret ad certum terminum, quo maiorem communicare non posset, nisi illam contineret actu infinitam. Minor quoad priorem partem probatur, quia virtualis quantitas coëxistendi spatio non est in Deo eminenter, sed formaliter; formaliter enim Deus per suam propriam substantiam spatium replet, iuxta illud Ieremiæ 23. *Nunquid non cælum & terram ego impleo?* licut etiam formaliter Deus per suum proprium esse occupat tempus eique interruptè coëxistit. *Ieremias.*

6. Quoad posteriorem verò partem ostendo, quia non implicat dato quolibet Angelo, cum determinata sphæra virtualis quantitatis, in ordine ad spatium dari aliū & alium

cum sphæra virtualis quantitatis maioris & maioris sine termino. Igitur communicabilis est hæc perfectio creaturæ, sine certo limite; & consequenter in Deo necessariò debet esse infinita: alioqui cũ peruenirẽtur ad eum terminum, in quo illa in Deo contineretur, non posset maior produci, quia non potest causa producere perfectiorem effectum, quàm ipsa contineat in se. Antecedens probatur, quia nulla est implicantia, quin dato quolibet Angelo, perfectior creari possit cum ampliori sphęra, virtualis quantitatis in ordine ad locũ.

7. Ex dictis deducitur primò immensitatem, etsi vi nominis importet negationẽ mensuræ, re tamen ipsa significare perfectionem positiuam, importat enim perfectionem secundum quam Deus aptus est coëxistere omni loco: quæ perfectio sicut in creaturis est quid positiuum, ita & in Deo.

8. Deducitur secundò: Deum non modò actu esse præsentẽ rebus omnibus creatis, sed etiã actu fieri posse prędsentem quibuscunque alijs, etiam infinitis, si crearẽtur, sine vlla mutatione sui; patet, quia Deus est in rebus, ratione suæ immensitatis; atqui ipsius immensitas non habet limitem; ergo ratione ipsius immẽsitatis non modò actu est in rebus omnibus creatis, sed fieri posset in infinitis, si crearentur. Confirmatur: Nam si Deus ante mundum conditum creasset angelum tantæ extensionis localis, quantæ est mundus ipse, per nouam creationem mundi, angelus actu factus fuisset præsens toti mundo, sine vlla mutatione sui. Ergo à fortiori Deus, cùm sit infinitæ & immensæ extensionis, quantitatisque virtualis, fieri potest actu præsens infinitis mundis, sine vlla mutatione sui.

9. Deducitur tertiò discrimen inter immẽsitatem & præsentiam Dei; primò, quia illa competit Deo ex ęternitate; hęc ex tempore. Secundò, quia illa est perfectio necessaria, hæc libera, quę potuit in Deo non esse, si nullas produxisset creaturas. Tertiò, quia illa est fundamentum huius. Probo primum discrimen, quia immensitas dicit infinitam extensionem seu quantitatem virtualem substantiæ diuinę, ratione cuius Deus aptus est coëxistere infinitis locis; sed hanc Deus habuit ex ipsa æternitate. Præsentia verò, supra hanc virtualem quantitatem substantiæ diuinæ, addit cõnotationẽ seu respectũ rationis ad res & loca actu existentia, quę Deus non solùm efficienter per suam actionẽ, sed etiam formaliter per suammet substantiam intimè replet. Secundũ discrimen deducitur ex primo, quia si prędsentia addit connotationem seu respectum rationis ad creaturas actu existẽtes, potuit in Deo non esse: tametsi rebus actu existentibus, talis præsentia non poterit in Deo non esse: quia posito termino Deus ratione suę immensitatis necessariò illi coëxistit, per intimam præsentiam suæ substantiæ. Tertium ostendo, nam connotatio seu respectus ad res & loca actu existentia immediatè fundatur in immensitate diuina; fundatur enim in substantia Dei, quatenus continet virtualem quantitatem. An autem ad complendam prędsentiam Dei in rebus, requiratur actio Dei circa res, nõ modò vt conditio, faciens terminum actu existentem, verùm etiam vt ratio formaliter completiua præsentiæ, qua Deus virtuali quodam contactu res ipsas contingit, pendet ex ea quæstione, an substantia spiritualis sit in loco formaliter & completè per substantiam, an per operationem, de qua in materia de Angelis tomo sequenti.

## SECTIO II.

### *An præsentia Dei in rebus euidenter colligatur ex operatione ipsius in res omnes.*

10. HACTENVS probauimus immensitatem Dei ex attributo immutabilitatis, & infinitatis, superest, vt illã probemus à posteriori ex operatione, quam Deus exercet in res omnes creatas. Cardo autem prędsentis controuersiæ est, an ex operatione Dei, immediatè & euidenter colligatur ipsius præsentia in rebus omnibus.

11. PRIMA sententia affirmat. Est Alensis 1. p. q. 9. memb. 2. S. Th. 1. p. q. 8. ar. 1. & 3. contra Gentes c. 68. Caiet. & Ferrar. ijsdem locis, Henrici in summa a. 30. q. 5. Bonau. in 1. dist. 37. 1. p. dist. ar. 1. q. 1. Rich. a. 1. q. 1. Duran. q. 1. Aureoli a. 2. propos. 3. & 4. Arg. a. 1. & 2. Capreol. q. 1. a. 1. & 3. Martilij q. 39. a. 2. Palatij Disp. 1. Bãnes 1. p. q. 8. a. 1. Molinæ d. 2. Zumel q. 1. Suar. in Metap. d. 30. sect. 6. Gillij l. 2. tr. 9. a. c. 3. Fundatur hæc sententia in illo principio Aristot. 7. Physic. text. 10. 11. & 12. *quod agens & passum debeant esse simul.* Sed Deus per conseruationẽ est intimum agens omnium creaturarum: ergo debet esse præsens in omnibus creaturis. Rectè igitur ex operatione Dei in creaturas colligitur ipsius præsentia ad easdẽ creaturas.

*Alensis. S. Thomas. Caietanus. Ferrariens. Henricus. Bonauent. Richardus. Durandus. Aureolus. Argentinus Capreolus. Marsilius. Palatius. Bannez. Molina. Zumel. Suarez. Gillius. Aristoteles.*

12. Quòd si quis obijciat: Ex prędsisa operatione agentis ad passũ, non colligi præsentiã agentis intra ipsas intimas partes passi: qualem prędsentiã concedere debemus Deo in ordine ad creaturas: siquidẽ experientia cõstat, agens corporeũ, dum agit in passum corporeum, nõ fieri præsens intra intimas partes ipsius, sed tãtùm ad extimas partes, cùm tamen eius actio pertingat vsque ad intimas partes passi. Respondent assignando disparitatẽ inter Deum & agens creatum: quoniã agens creatum potest agere media virtute à se distincta, quam diffundit vsque ad intimas partes passi: Deus autem, cũ debeat ad omnem effectũ immediatè concurrere, non potest virtute à se distincta, sed per seipsũ immediatè agere; atque adeo ex ipsius operatione in creaturas, rectè colligi intimam præsentiam eiusdem ad omnes creaturas. Esto talis prędsentia non colligatur ex operatione agentis creati ad passum.

13. Confirmatur: quoniam in qualibet re creata est aliquid quod produci & conseruari non potest, nisi à solo Deo, ac proinde quæ-

libet

libet res creata exigit intimam præsentiam Dei. Assumptum probatur, nam omnis res aut est materialis, aut spiritualis: Materialis habet saltem materiam, spiritualis verò totam substantiam, quæ non potest, nisi per creationem à solo Deo fieri & conseruari; cùm solius sit Dei creare.

14. Secundò probatur eadem sententia: quoniam agens est actus passi: actus autem vt perficiat passum, debet esse indistans ab illo. Tertiò, implicat agens agere in passum tempore distans; ergo & loco distans; Consequentia probatur, quoniam agens respectu loci, à quo distat, se habet ac si non esset: perinde enim est respectu passi hîc præsentis, quod agẽs alibi existat, ac si nullibi existat. Quartò, nã eadẽ ratione, ducta ex operatione, colligũt PP. præsentiã Dei in rebus. Nyss. orat. Catech. c. 25. vbi sic Dei præsentiam in rebus omnibus cõcludit: *Si ergo ab illo*, nẽpe Deo, *sunt omnia, & ille est in omnibus.* Anastasius Sinayta l. 2. de rectis fidei Catholicæ dogmatibus to. 1. Bibliothecæ Patrum: *Rei*, inquit, *quæ effici cæpit tantisper dum peragitur, necessario adest natura agentis: quiduis enim operis nemo, absens si est, operatur.* Deus igitur, cùm nullo non tempore quiduis eorum, quæ fiunt, efficiat, prorsus necesse est fateri, Deum omnibus inesse, nec ab vllo vnquam disparari entium. Quintò, eadem ratione vtitur Paulus Actor. 17. *Non longè*, inquit loquens de Deo, *abest ab vnoquoque nostrûm*: & causam huius reddit, *in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.*

*Nyssenus.*

*Anastasius Sinayta.*

*S. Paulus.*

15. Secvnda sententia negat, ex sola & præcisa operatione, Dei præsentiam euidenter colligi: est Scoti in 1. dist. 37. Licheti ibidem, Ockami quæst. vnica, Mayroni quæst. 1. Rubionis quæst. 2. art. 1. Gabrielis quæst. vnica art. 3. dub. 1. Valent. in 1. p. quæst. 8. puncto 1. Vasquez disp. 28. c. 4. & 5. & aliorum: inter quos aliqui putant etsi præsentia Dei colligi nequeat ex operatione Dei vt sic, eam tamen colligi ex operatione Dei vt primi ac perfectissimi agentis; eò quòd operatio primi ac perfectissimi agentis necessariò coniunctam habet præsentiam operis à se producti. Quod explicant exemplo regis creati, cuius potentia & imperium moraliter solùm, & non physicè se extendit in totum regnum. Perfectius autem esset eius imperium, si non tantùm moraliter, sed etiam physicè se extenderet in totum regnum, & in singulas partes ipsius. Cùm igitur Deus perfectissimum habeat imperium in omnes res creatas, eoque perfectius sit imperium, quò propinquiùs & intimiùs attingit rem ipsam, & effectum imperatum, ex eius perfectissimo imperio in res omnes rectè colligitur ipsius præsentia in rebus omnibus. Pro præsentis controuersiæ explicatione,

*Scotus. Lychetus. Ocham. Mayronus. Rubio. Gabriel. Valentia. Vasquez.*

16. Dico primò, ex sola & præcisa operatione Dei in creaturas, non colligitur euidenter intima præsentia ipsius in creaturis. Fundamentum est, quoniam aut hæc intima præsentia colligitur ex operatione agentis vt sic, aut ex operatione talis agentis, nempe Dei agentis infiniti: ex neutra colligitur euidenter: ergo. Maior constat, quoniam si colligeretur, deberet alterutro ex his colligi. Minor quoad priorem partem probatur primò experientiâ, quâ constat non semper agens creatum esse intimum effectui, quem producit. Tum in casu suprà assignato, in quo agens corporeum est præsens tantùm extimis partibus passi, & tamen effectum producit vsque ad intimas partes passi. Nec satisfacit responsio ibi data, quòd effectus ille non producatur ab agente immediatè, sed à virtute per medium diffusa vsque ad intimas partes passi. Falsum namque est, aut saltem in controuersia positum, an solum accidens, quod tãtùm per medium diffunditur vsque ad intimas partes passi, sine actuali concursu substantiæ, producat in intimis partibus subiecti formam substantialem. Cùm igitur hæc intima præsentia agentis in passum pendeat ex opinione dubia non potest ex sola operatione agentis vt sic, euidenter demonstrari.

17. Tum in alijs casibus, & primus sit. Ingrediatur solis radius per fenestram intra cubiculum, & reflectatur ad parietem soli directè oppositum: experientia constat, mãius lumẽ produci in ea parte parietis atque in eo tractu spatij, qui directè opponitur soli, quã in alijs partibus, quæ soli directè nõ opponitur. Hoc autẽ aliũde esse non potest, nisi quia sol immediatè cõcurrit ad lumen è regione sibi oppositũ, qui tamen non concurrit ad lumen sibi è regione non oppositum. Igitur in hoc casu sol agit vbi non est præsens immediatè per substantiam. Consequentia patet. Minor probatur, nam dici non potest, illud produci tãtùm à radio à sole producto, quoniam omne agens natum est æqualem effectum producere, in omnibus partibus passi, æquè approximatis & non impeditis. Igitur si lumen illud directè soli oppositum, produceretur à solo radio in medio producto æquale etiam lumen produci deberet in alijs partibus eidem radio directè oppositis, & æquè approximatis, cùm tamẽ videamus, semper intensius lumen produci in partibus directè oppositis soli, quàm in alijs directè tantùm oppositis radio. Signum igitur est, quòd ad lumen dicrectè soli oppositum, immediatè concurrat sol, qui tamen non concurrit ad reliquum lumen sibi directè non oppositum.

18. Secvndvs casus: Sit ignis vnius palmi, qui calefaciat spatium immediatè sequens trium palmorum, apponatur que ante hunc ignem vnius palmi alter ignis B. eiusdẽ extensionis & actiuitatis, ita vt inter hunc & primũ ignem intercedat spatiũ vnius palmi. Porrò ignis B. cùm sit eiusdẽ actiuitatis cum igne A. calefaciet spatium immediatè sequẽs triũ palmorũ, & quia inuenit secundũ palmũ ignitum, atque adeo perfectè assimilatum, non poterit in illum agere, cùm non sit capax vlterioris gradus caloris, & tamen aget in tertium palmum sequentem, cùm ille sit intra

suam sphæram. ergo in tali casu ignis B. aget in primum & tertium palmum, non agendo in secundum.

19. Secundò probatur ab absurdo: quia si non posset agens agere, nisi vbi est immediatè præsens per entitatem, sequeretur agens corporeum non posse agere, nisi in solam extimam superficiem passi. Sequelam probo, quia in sola extima superficie potest agens corporeum esse præsens. Neque dicas, qualitatem productam in extima superficie agere in profundas partes passi: Nam, vt ipsa qualitas producta in extima superficie agere possit in partes profundas & extensas passi, debet in hac sententia priùs per suam entitatem fieri præsens in ipsis partibus extensis & profundis passi: aut certè, si potest qualitas existens in sola extima superficie passi, agere in partes extensas & profundas passi, etiamsi in illis non sit immediatè præsens, iam dabitur aliqua actio in distans.

20. Tertiò probatur à priori: quoniam ex nullo capite colligi potest hęc necessaria præsentia agẽtis cum passo, neque ex parte agentis; neque ex parte effectus, neque ex parte actionis. Non ex parte agentis: nam agens, producendo effectum, non communicat suũ esse, sed aliquid à se distinctum; vnde non est actus informans, sed efficiens. Neque vt influat esse in effectum, debet necessariò esse præsens effectui, nam in sententia multorum aduersariorum, potest instrumentum obedientialiter influere in effectum loco distantem: ergo ex vi influxus non requiritur talis præsentia: neque hęc præsentia est necessaria ex parte effectus; nam effectus solùm dicit dependere ab agente, ab eoque suum esse accipere: potest autem effectus dependere ab agente, ab eoque suum esse accipere absque intima præsentia agentis, vt patet in effectu obedientialiter producto ab instrumento loco distante. Neque ex parte actionis: nam actio est tantùm via ad communicandum esse effectui; identificaturque cum ipso effectu: vnde non maiorem cum agente præsentiam requirit, quàm requirat effectus ipse, vt constat de actione producta ab instrumento distante.

21. Probatur minor primi syllogismi quoad posteriorem partem; nam minor necessitas apparet huius intimæ præsentiæ in agente infinito, quàm finito, quia infinitum omnipotentiâ suâ superare potest quodcunque impedimentum, atque adeo omnem distantiam inter ipsum, & effectum intercedentem, quæ regulariter solet esse conditio impediens actionem agentis creati, quod in agendo, vt potè limitatum pendet à conditione spatij, à quo non pendet virtus infinita & illimitata. *Scotus.* Vnde rectè argumentatur Scotus: Si Deus esset in vno tantùm loco determinato cum ea potentia & virtute agendi infinita, quâ nunc est, posset in quamcunque distantiam agere, quia virtus infinita & illimitata nõ pendet in agendo à conditionibus spatij, sicut pendet virtus finita & limitata; atque adeo posset in eo casu agere in quamcunque distantiam. Neque ex eo quòd Deus habet perfectissimũ dominium supra creaturas, ex hoc præcisè colligitur intima præsentia ipsius ad creaturas: quia perfectissimum dominium consistit in potestate vtendi illis ad quemcunque vsum possibilem sibi placitum: atqui posset Deus vti creaturis ad omnem vsum possibilem sibi placitum, etiamsi non esset illis intimè præsens: nam omnis vsus Dei circa creaturas, vel fundatur in aliqua actione, vel in suspensione alicuius actionis, quia vel vtitur creatura, eleuando illam ad effectus, propriam naturam excedentes, vel illam perficiendo, aut destruendo totaliter, vel partialiter: sed hoc ipso, quòd Deus posset agere in effectum distantem, perfectissimè posset hoc dominium exercere: ergo. Vnde dispar est ratio de rege creato: cuius dominium vtpote limitatum, quoniam non se extendit ad res distantes, eas cognoscendo, disponendo, regulando, & gubernando, perfectius esset, si non tantùm per suos ministros, sed etiam per seipsum se extenderet. At dominium Dei absque præsentia locali, perfectissimo modo se extenderet ad res omnes loco distantes, disponendo de illis, non secùs ac si esset ijs intimè præsens.

22. Dico 2. Ex actione Dei creatiua non immediatè, sed mediatè colligitur intima præsentia Dei in rebus omnibus. Fundamentum est: quoniam actio creatiua supponit in creante actum purum: sed actus purus necessariò est intimè præsens rebus omnibus: ergo ex actione creatiua mediatè colligitur intima præsentia Dei in rebus omnibus. Maior probatur, nam creatio est actio independens à subiecto, saltem inhæsionis, cùm fiat ex nullo præsuppositio subiecto; ergo supponit in creante actionem immanentem independentem à subiecto. Consequentiam probo, quia nullum agens habere potest actionem transeuntem independentiorem à subiecto, quàm sit sua ipsius immanens actio: tum quia hæc est causa & exemplar illius: non potest autem effectus & exemplatum esse perfectius sua causa & exemplari. Tum quia per actionem immanentẽ agens ordinatur ad seipsum perficiendũ, per transeuntem verò ad perficiendum aliud à se: nequit autem agens principale ordinari ad perfectiùs perficiendum aliud, quàm seipsum, cùm ad perficiendum seipsum ordinetur primariò, ad perficiendum verò aliud ordinetur secundariò. Igitur si creatio nequit supponere in creante actionem immanentem dependentiorem à subiecto, quàm sit ipsa; cùm ipsa sit à subiecto independens necessariò supponit in creante actionem immanentem independentem à subiecto, atque adeo identificatam cum ipsa substantia creantis: nam hoc ipso, quod est independens à subiecto, identificatur cum illo: alioqui si distingueretur ab illo, necessariò esset accidens; & inhæsiuè pendens ab illo, solius autem actus puri est, habere actionem immanentem identificatam cum propria

sub-

substantia. Igitur solius actus puri est, creare. Rectè ergo ex actione creatiua colligitur puritas actus in creante.

23. Iam probatur Minor primi syllogismi, nempe quòd actus purus necessariò debeat esse intimè præsens rebus omnibus: nam de ratione actus puri est omnem omnino potentialitatem excludere; atqui aliqua potentialitas est, posse esse præsentem, vbi non est, potest tamen esse: ergo si Deus non esset præsens rebus omnibus, in quibus tamen esse posset, non omnem omnino potentialitatem excluderet. Vt igitur illam excludat, debet in omnibus esse præsens; ac proinde rectè ex creatione non quidem immediatè, cùm immediatè tãtùm colligatur puritas actus in creante, sed mediatè; cùm ex perfectione actus puri rectè inferatur exclusio omnis potentialitatis, atque adeo intima præsentia eiusdem in rebus omnibus.

*Aristoteles.*

24. Ad fundamentum primæ, Resp. Principium illud Aristotelicum, ad summum intelligendum esse de agente & passo creato, quæ ob suam finitudinem & limitationem, requirunt indistantiam localem; non autem de agente increato, quod ob suam infinitatem & independentiam à spatio, posset effectum loco distantem producere, si in vno tantùm loco existeret.

25. Ad secundum Dico, agentem esse actum passi, non formalem, qui solus requirit indistantiam passi, sed effectiuum, qui per se talem indistantiam non requirit, nisi fortè ex peculiari conditione talis agentis.

26. Ad tertium, Nego consequentiam, quia quod distat tempore, nullo modo est, & consequenter nullo modo agere potest: quod verò distat loco, simpliciter est, atque adeo non implicat simpliciter agere. Nego autem respectu passi hîc præsentis, perinde esse agentem alibi esse, ac si nullibi esset, quoniam nullibi esse, negat simpliciter esse; at alibi esse, solùm negat non esse hîc. Implicat autem ex terminis, quòd aliquid recipiat esse ab eo, quod simpliciter non est: non implicat autem, quòd recipiat esse ab eo, quod hîc tantùm non est, modò alibi sit: cùm multi hoc concedant causis naturalibus, aut saltem obedientialibus.

*Ad Patres & scripturam.*

27. Ad Patres & scripturã Resp. Rectè eos ex operatione Diuina probare præsentiam Dei in rebus omnibus: tùm quia hoc probare poterant mediatè ex propria actione Dei, quæ est creatio, vti nos fecimus: tùm quia & fortè magis ad mentem ipsorum, cùm probant præsentiam Dei ex operatione; hanc probationem ipsi non afferunt, vt exactam demonstrationem, sed vt efficacem duntaxat rationem, & inter probabiles omnium probabilissimam, vt reuera est. Etenim non semper ipsi Diuinas perfectiones probant rationibus demonstrantibus, sed interdum probabiliter tantùm concludentibus, vt constat, quando existentiam Dei probant non solùm per rationes demonstratiuas, sed etiam probabiles, & vulgò accommodatas. Nec refert, quod sæpe dicant, ex operatione Deum necessariò esse præsentem rebus: quippe qui intelligendi sunt, non de necessitate physicè, sed moraliter tantùm euidente, quæ coincidit cum ratione probabilissimè ostendente, quæ ratio moraliter solet demonstratio appellari.

## SECTIO III.

### *An Deus existat non tantùm in hoc mundo, sed etiam extra illum in infinito spatio imaginario?*

28. Hæc est celebris controuersia ab omnibus ferè Scholasticis agitata, sed acriùs à Theologis nostri temporis discussa, ob inextricabiles difficultates, quas secum inuehit inanitas illa spatij imaginarij, quam præsens controuersia inuoluit. Ad clariorem autem propositę difficultatis notitiam, duplex quęstionis sensus distinguendus est; alter, an Deus simpliciter existat extra hunc mundum; alter, an existat in aliquo spatio imaginario, quod actu sit extra hunc mundum. Primus sensus adhuc est duplex, alter negatiuus & in potentia, alter positiuus & in actu. Negatiuè & in potentia, dicitur Deus extra hunc mundum, non quod actu sit, sed quod possit esse. Ita vt hoc modo loquendi solùm denotetur, essentiam Diuinam non limitari ad hunc tantùm mundum sed ratione suæ immensitatis esse posse in alijs, qui extra hunc condi possent. Positiuè autem & actu dicitur esse extra hunc mundum, quia non solùm potest esse, si actu extra illum aliquid creetur, sed quia actu sit interminabiliter & infinitè vel in spatio imaginario, infinitè excurrente extra hunc mũdum, vel in se ipso tantùm. Præsens controuersia non est, an Deus negatiuè tantùm, & in potentia sit extra hunc mundum, omnes enim Catholici admittunt; & de Fide esse puto: quoniam de Fide est, Deum esse omnipotentem, ac proinde posse alium mundum extra hunc creare: De Fide quoque est, Deum esse immensum atque adeo necessariò huic nouo mundo præsentem fore: igitur de Fide est, Deum negatiuè & in potentia extra hunc mundum esse. Ergo præsens controuersia tantùm est, an positiuè & actu Deus sit extra hunc mundum. Posito autem quòd sit, alia insurgit quæstio, an extra illum sit in spatio aliquo imaginario infinito, an in se ipso tantùm.

29. Prima sententia negat, Deum esse extra hunc mundum. Est Bonauent. in primo distinct. 37. p. 2. artic. 1. quæst. 3. Capreoli q. vnica ad quartum contra primam Conclusionem, Vasquez. 1. p. Disp. 29. Granadi Disp. 3. de Immensitate Dei, Nazarij art. 2. Controuersia vnica §. *resolutio* in fine, Moncæi Disp. 1. de Immensitate Dei.

*Bonauent. Capreol. Vasquez. Granad. Nazarius. Moncæus.*

30. Secunda sententia affirmat, Deum actu esse

actu esse extra hunc mundum, non tamen in spatio aliquo imaginario, sed in se ipso tantùm. Est Alens. 1. par. qu. 10. memb. 1. Richard. in primo Dist. 37. art. 1. qu. 4. Marsilij quæst. 39. §. *ad rationes ad octauum* Bannez. 1. quæst. 8. Fasoli dubit. 4. Gillij lib. 2. tract. 9. cap. 19. Theodori Smising. tom. 1. de Deo tract. 2. Disput. 5. quæst. 2. Neque huic sententiæ contradicit Scotus in primo Dist. 37. qui solum docet, Deum non esse in spatio imaginario, non autem negat esse extra mundum. Hæc sententia duas habet partes, & quod Deus sit extra mundum, & quòd non sit in spatio aliquo imaginario, sed in se ipso. Primum constabit ex dicendis: secundum nititur eodem fundamento, quo præcedens sententia, quod infrà assignabitur.

*Alensis. Richardus. Marsilius. Bannez. Fasolus. Gillius. Theod. Smis. Scotus.*

31. TERTIA sententia affirmat, Deum non modò esse extra hunc mundum in se ipso, verùm etiam in infinito spatio, non quidem reali, sed imaginario, est Carthusiani in primò Dist. 37. quæst. 1. Palatij Disp. 2. Maioris qu. vnica & in 2. Dis. 1. q. 2. ad Octauum, Molinæ 1. p. q. 8. art. 1. Disp. 3. Zumel. art. 2. q. vnica, Valent. puncto 2. Suar. in Metaphysi. D. 30. Sec. 7. & aliorum. Pro cuius controuersiæ decisione,

*Carthusian. Palatius. Maior. Molina. Zumel. Valentin. Suarez.*

32. DICO 1. Negari non potest, Deum actu esse extra hunc mundum: Deducitur ex scriptura Iob 11. vbi *Excelsior Cælo, profundior inferno, longior terra, latior mari*, dicitur eius mensura. Et 3. Regum 8. *si Cœlum, & Cœli Cœlorum te capere non possunt, &c.* quo modo loquendi scriptura significat, Diuinam essentiam non coarctari ad hunc mundum, sed illimitatè & interminabiliter extra illum etiam reperiri. Accedit communis auctoritas Patrum, qui varijs locutionibus hanc ipsam Diuinæ substantiæ extra mundum existentiam declarant: asserentes illum non solùm esse intra, sed extra, supra, vndequaque, circumquaque, & vndique infusum, & circũfusum. Lege Dionys. cap. 9. de Diuinis nominibus. Gregor. lib. 2. Moral. c. 8. Hieronymum in Isaiam 66. Richardum libr. 2. de Trinitate c. 23. Quos loquendi modos imitatus Alensis dixit, Deum esse in rebus, & extra; intra non inclusum; extra non exclusum. Eandem veritatem nobis explicat August. 7. Confess. cap. 5. apta similitudine infiniti & immensi maris, paruam aliquam spongiam intra se vndique circumambientis. *Concipiebam*, inquit, *te Domine ex omni parte ambientem eam & penetrantem, sed vsquequaque infinitum: tanquam si mare esset vbique & vndique per immensa spatia infinitum solum mare, & haberet intra se spongiam quamlibet magnam, sed finitam; tamen plena esset vndique spongia illa ex omni sua parte ex immenso mari. Sic creaturam tuam finitam te infinito plenam putabam.* Est igitur, iudice Augustino, mundus hic spongia, Deus mare immensum & infinitum, quod non tantùm sua præsentia implet & replet spongiam, sed illam in infinitum excedit. Hanc ipsam veritatem ante Augustinum exẽplo sphęræ docuit Trismegistus, cùm dixit, Deum esse veluti *sphæram*, cuius centrum esset vbique, circumferentia verò nusquam. Nec Patres intelligi possunt de existentia Dei extra mundum potentiali; nam eodem modo dicunt, Deum esse, intra atque extra mundum: atqui Deus est intra mundum actu: ergo & extra.

*Dionysius. Gregorius. Hieronym. Richardus. Alensis.*

*Trismegist.*

*Iob. 11. 3. Reg. 8.*

*Augustin.*

33. Ratio vero fundamentalis nostræ assertionis, est hæc. Deus necessariò est actu vbicumque potest creatura, præsertim spiritualis, existere: atqui extra hunc mundum potest creatura spiritualis existere: ergo extra hunc mundũ Deus necessario est actu. Minor patet; nam quis negabit posse Deum extra hunc mundum Angelum condere, quod sic demonstro: nam posset Deus extra hũc mundum qui de facto est, alium condere cum vno Angelo, quo tantùm conseruato destruere posset talem mundum: tunc autem solus Angelus existeret extra hunc mundum: ergo. Maiorem aliqui probãt ex eo, quoniam ad omnem actionem præsupponi debet præsentia agentis: vt igitur Deus agere possit extra mundum præsupponi debet ipsius præsentia extra mundum, sed hæc probatio non est efficax, quia si ex vi actionis precisè, non colligitur necessario intima præsentia agentis ad effectum, à fortiori nec necessariò præsupponetur eius præsentia ad actionem. quare ego maiorem sic probo: Deus ratione suæ immensitatis & virtualis extensionis, actu habet, quidquid ratione suæ finitæ locabilitatis & virtualis extensionis habere potest quælibet substantia creata spiritualis: atqui substantia spiritualis creata, ratione suę finitę locabilitatis & virtualis extensionis, habere potest vbi extra hunc mundum: ergo & illud Deus, actu habet: ergo Deus actu est extra hunc mundum. In hoc discursu, sola maior est probanda, nam reliqua ex ea euidenter deducuntur; ea autem sic probatur, quidquid perfectionis est, vel esse potest in creatura, actu est in Deo, absque vlla imperfectione: habere vbi extra mundum, perfectio est in Angelo, & nullam includit imperfectionem: ergo actu est in Deo. minor probatur, quia sicut habere vbi intra mundum, perfectio est in Angelo; ita & habere, vel habere posse vbi extra mundum. si qua vero imperfectio esset in vbi Angelico, esset limitatio & finitudo, quam imperfectionem excludit vbi diuinum, quippe cùm sit interminatum & infinitum.

34. Confir. 1. quia non est maior ratio, cur Angelus habere possit vbi extra hunc mundum & non Deus: quod si habere potest, actu habet; cùm sit perfectio, quæ ab extrinseco termino reali non pendet. Confirmatur secundò: Ita se habet Deus ad hunc mundum ratione Immensitatis: sicut se habet ratione ęternitatis ad tempus: sed ratione æternitatis, Deus non solùm fuit, & est in omni tempore reali, sed etiam fuit, & erit, ante, & post omne tempus reale. ergo pariter ratione Immensitatis, non solùm est intra, sed etiam extra, & vltra hunc mundum. Minor constat ex

sacra scriptura in qua Deus dicitur fuisse, & fore, ante & vltra sæcula, & patet etiam ratione: quia ante omne tempus Deus erat, & post omne tempus erit: ergò sicut verè dici potest, Deum ante, & post tempus fuisse ac fore: ita extra, & vltra hunc mundum esse.

35. Dico 2. Deus ratione suę immensitatis actu occupat infinita spatia imaginaria extra hunc mundum. Assertio hæc sequitur ex præcedente. Vnde non cohærenter, meiudice, ratiocinantur ij, qui admittunt, Deum actu existere extra mundum, nullum tamen spatium, vel inanitatem occupare extra mundum. Ratio verò sequelæ est; quia sicut implicat, angelum esse extra mundum & spatiũ vel inanitatem aliquam extra mundũ non occupare; ita & Deum esse extra mundum, & spatium vel inanitatem aliquam similiter non occupare. Et ratio huius est, quia implicat, angelum esse, & cum aliquo Vbi non esse, sicut & existere, & cum aliqua duratione non existere. Atqui implicat concipere Vbi, & non per respectum ad aliquod spatium, vel reale vel imaginarium. Nec dici potest, hoc spatium esse hunc mundum, ad quem vbi angeli, extra hunc mundum existentis, dicit respectum: quia posset destructo hoc mundo, adhuc angelus cum eodem vbi perseuerare, cùm tamen per aduersarios, mutato spatio, necessariò mutandum esset vbi; quia hoc essentialiter dicit respectum ad determinatum spatium. Si igitur nequit angelus extra mundum existere sine aliquo Vbi, spatium aliquod occupante; ergò nec Deus sine suo Vbi immensitatis, infinitum spatium occupante. Nam ita se habet Vbi finitum angeli ad spatium finitum; sicut Vbi infinitum Dei ad spatium infinitum.

*Augustin.*

36. Secundò, Eadem assertio probatur auctoritate Aug. 11. de Ciuitate c. 5. vbi admittit, Deũ incorporea sua præsentia occupare infinita spatia imaginaria extra hunc mundum: imò absurdum putat, & Diuina substantia indignum, illum tantùm concludere intra hoc exiguum mundi spatium: *An fortè*, inquit, *substantiam Dei, quam nec includunt, nec determinant, nec distendunt loco, sed de ea, sicut de Deo sentire dignum est, fatentur incorporea præsentia vbiq; totam à tantis locorum extra mundum spatijs absentem, esse dicturi, & vno tantùm, atque in comparatione illius infinitatis tam exiguo loco, in quo mundus est, occupatam? non opinor, eos in hæc vaniloquia progressuros.* Dum igitur absurdum putat, substantiam Diuinam absentem esse ab infinitis locorum spatijs extra mundum, apertè sentit, illam actu occupare infinita spatia extra mundum.

37. Tertiò probatur ratione in hunc modum. Concedenda est necessariò extra hunc mundum distantia negatiua & infinita, in qua posset Deus plures & plures mũdos in infinitum condere, ergò totam illam necessariò occupat Deus per suam immensitatẽ & virtualem extensionem. Consequentia patet, quia Deus ratione suæ immensitatis & virtualis extensionis, necessariò occupat quodcũque spatium occupabile; repugnat enim dari spatium occupabile, & illud actu à Deo nõ occupari: est enim occupatio effectus formalis immensitatis, qui ad illã necessariò consequitur, posita tãtùm capacitate termini, cũ non sit quid distinctum ab ipsa infinita substantia Dei.

38. Confirmatur: quia, sicut implicat, dari spatium positiuum occupabile, & illud actu à Deo non occupari: ita similiter implicat, dari spatium negatiuum occupabile, & illud actu à Deo non occupari. Antecedens verò probo; nam posset angelus extra hunc mundum moueri in infinitum: implicat autem mobile moueri nisi per distantiam: ergo si potest angelus extra hunc muudum in infinitum moueri, cõcedenda est extra hunc mundum infinita distantia negatiua. Cõsequentia elucet. Maior constat, nam qua ratione potest angelus extra hunc mundum existere, potest & moueri: Nam posset habere existentiam non contiguam mundo, & tunc posset versus hunc mundum moueri, donec fieret contiguus mundo. Confirmatur, quia saltem posset Deus motu recto mouere hunc mundum, & tunc eadem foret ratio, cùm non posset mundus localiter moueri nisi per distantiam.

*Bannez. Moncæus. oppositum est damnatum.*

39. Nec rectè id negant Bannez & Moncæus cap. 7. tum quia oppositum est damnatum inter articulos Parisienses insertos in fine quarti libri Magistri sentẽtiarum. Tum quia, communis Schola admittit motum in vacuo, atque adeo etiam extra hunc mundum, cùm eadem ratio sit de inani & vacuo quoad motum localem, vt mox constabit. Maiorem autem, probo, quia motus localis essentialiter est successiua acquisitio spatij: implicat autem successiua acquisitio spatij, sine aliqua saltem negatiua distantia. Maior est ipsa motus localis definitio, qui essentialiter est derelictio termini à quo, & successiua acquisitio termini ad quem, quę sine aliqua distantia inter terminum à quo, & ad quem, concipi non potest. Minor etiam patet in motu, qui fieret in vacuo, in quo nisi aliqua intercedat distantia inter latera ipsa corporis ambientis, impossibile est, vt in eo fiat motus: quia motus localis non fit, nisi per derelictionem termini à quo, & acquisitionem termini ad quem. Quare concedenda necessariò est extra hunc mũdum, infinita distantia negatiua, in qua, & per quam, moueri posset Angelus, vel hic mũdus, atqui, ea data, necessariò sequitur Deum actu illam occupare & replere infinita sua substantia. Igitur negandum non est, Deum extra hunc mundum ratione suę immensitatis & virtualis quantitatis, actu occupare infinita spatia imaginaria.

40. Aliqui nobiscum conueniunt re, solùm discrepantes quoad modum loquendi. Siquidem concedunt, Deum sua infinita substantia & virtuali quãtitate, actu occupare huiusmodi infinitam inanitatem extra hunc mundum, sicut occuparet inanitatem vacui: negant tamẽ dici posse, Deum esse in spatio imaginario, sed in se ipso, eò quòd esse in spatio, importat esse in loco reali: cùm igitur spatium hoc nihil sit,

hil sit, non potest in eo verè Deus esse aut dici. Verùm si de re conueniunt, non est, cur de modo loquendi nobiscum contendant: præsertim cùm etiam noster modus loquendi vsurpetur à Patribus, vt constat ex Augustino, & Scholasticis.

*Modus loquendi Patrum. Augustin.*

41. Quartò probatur eadem assertio à paritate Æternitatis; quo argumento vtitur cit. loco Augustinus, ad probandam præsentiam Dei in spatijs imaginarijs. Nam ita se habet æternitas ad tempus, sicut immensitas ad spatium: sed Deus ratione æternitatis fuit in tempore imaginario infinito; ergò & ratione immensitatis, est in spatio imaginario infinito. Negant Aduersarij Minorem, concedentes Deum ratione æternitatis, fuisse ante omne tempus reale; negant autem fuisse in tempore imaginario, sed in sua dumtaxat æternitate. Sed contentionem faciunt de nomine; cùm nos per existere in tempore, vel in spatio imaginario, non intelligamus Deum existere in aliquo tempore, aut spatio reali, sed in negatione potiùs temporis, & spatij realis, apti tamen, vt in eo existat tempus, vel spatium reale: quam capacitatem replet Deus sua æternitate, atque immensitate.

42. Quintò probatur ab absurdo: etenim si Deus actu non esset in infinita illa vastitate inanitatis extra mundum, posset à seipso disiungi, & discontinuari: nam creet Deus alium mundum huic non contiguum, tunc foret in extremis realibus, & non in inani intermedio. Id ipsum sequeretur, si Deus, corruptis intermedijs corporibus, conseruaret cælum & terram. Item sequeretur, Deum moueri cum lapide, si à cælo moueretur ad terram; quia Deus necessariò esset cum lapide, quocunque lapis moueretur, cumque ille moueretur à cælo ad terram per vacuum, si in vacuo non esset Deus, necessariò deberet moueri cum ipso lapide.

43. *Obijcies* 1. Patres affirmantes, Deum extra hunc mundum, non in alio, quàm in seipso esse. Respon. Cùm Patres dicunt, Deum extra hunc mundum tantùm esse in se ipso, velle tantùm excludere terminum seu locum realem, non autem imaginarium, vt constat ex Aug. suprà citato.

*Explicantur Patres.*

44. *Obijcies* 2. Hoc spatium est ens fictum, vt ex ipso nomine spatij imaginarij constat: ergo non potest in eo Deus esse. Consequentia probatur, quia nequit Deus esse in nihilo: alioqui esset in chimera, in rebus possibilibus, in rebus præteritis, & futuris. Respond. Concedo hoc spatium esse fictum quoad realitatem, cùm nihil sit reale; nego tamen esse fictum quoad distantiam & capedinem negatiuam, secundùm quam suo modo existit independenter ab intellectu, eo modo quo independenter ab omni intellectu dicũtur existere negationes, & priuationes rerum, non per realem aliquam existentiam, sed quia, vt sint tales negationes aut priuationes, non pendent ab intellectu, sed à natura talis negationis, aut priuationis: nõ enim lignũ habet priuationem ignis, aut homo negationẽ Leonis, quia intellectus fingit; sed quia à parte rei est talis negatio. Eodem modo, quod hoc spatium sit talis distantia negatiua, quæ repleri & occupari possit substantiâ aliquâ reali, non pendet ab intellectu, sed à natura talis spatij. Sicut quòd inanitas illa, quę intecederet inter cœlum & terram, destructis corporibus intermedijs, sit tantæ capacitatis, & non maioris aut minoris, non pendet ab intellectu, sed à natura talis inanitatis, per respectum ad corpora, quę distant. Distincto igitur antecedente distinguendum est & consequens: non est in tali spatio Deus per potentiam & operationem, concedo; per substantiam & immensitatem, nego. Ad hoc enim, vt Deus sit in illo per substantiam, non requiritur, vt sit terminus realis, sed sufficit, vt non sit repugnãs: nam sicut illud repleri potest substantia angelica, & eius reale Vbi terminare; ita repleri potest substantia Diuina, eiusque realem immensitatem terminare.

45 Nec est eadẽ ratio de chimera; quia hęc est ens omnino fictum; nec capax repleri substantia Diuina, sicut spatium imaginariũ. Non dicitur autem Deus esse in rebus possibilibus, præteritis, aut futuris; dicitur autem esse in spatio etiam non reali; quia esse in spatio, solùm dicit esse in illo repletiuè seu occupatiuè, esse verò in rebus, dicit esse operatiuè producendo vel conseruando illas: implicat autem Deum esse per operationem in rebus possibilibus, præteritis, aut futuris, quia hoc ipso, quod esset in illis per operationem, non essent possibiles, prętęritę, aut futurę, sed prę-sentes atque existentes.

46. *Obijcies* 3. Hoc spatium non est aliud, quàm non repugnantia corporis maioris & maioris, quod Deus extra hunc mundũ producere posset: Sed hæc non repugnantia non est distincta ab ipsa possibilitate corporis, quod non repugnare dicitur: ergò ista capacitas seu non repugnantia ad recipiendum corpus non est aliud, quàm possibile esse corpus cum tali vel tali Vbi constitutum. Ergo prętęr ipsum corpus, quod cõstituitur, & positiuum Vbi, quod habet, nullum aliud spatiũ imaginariũ reperitur, in quo tale corpus recipiatur; ergo præter Diuinum esse, eiusque reale Vbi, nullum aliud spatium imaginandum est, in quo existat. Confirm. nulla res, quando producitur, dicitur esse aut recipi in nõ repugnãtia: ergo nulla res, quando vbicatur, dicitur esse aut recipi in nõ repugnantia. Consequẽtia probatur, quia ita se habet non repugnantia rei, ad sui existentiam, sicut non repugnantia vbicationis ad existentiam ipsius vbicationis: ergò sicut illa, cùm producitur, non dicitur recipi in non repugnantia, sed vel in subiecto reali, si illud habeat, vel in se ipsa, si subiecto careat: ita cùm res vbicatur non ponitur in non repugnantia, sed vel in loco reali, vel in seipsa.

47. Resp. Nego Maiorem: nam præter non repugnãtiam corporis, est distantia negatiua, occupabilis à corpore, atque adeò distincta à corpore, & à quauis substantia occupatiua spa-

tij: tum

tij: tum quia alioqui non posset angelus in tali spatio extra mundum moueri, quia motus essentialiter supponit distantiam, per quam mobile mouetur, distinctam ab ipso mobili. Tum quia, si illud esset sola non repugnantia corporis, & non distantia negatiua præsupposita ad corpus, non posset reddi ratio, cur si Deus annihilatis corporibus intermedijs, relictis tantùm Cœlo & terra, non posset, maius & maius corpus inter cœlum & terram producere; nam si nulla est certa distantia inter cœlum & terram, non esset maior ratio, cur maius aut minus corpus inter eas collocari non posset.

48. Recurrunt aliqui ad naturam Vbi, quibus Cœlum & terra constituuntur, quæ talia sunt, vt sint proximum fundamentum tantæ quantitatis intermediæ, & non maioris aut minoris. Sed contrà, tum quia hæc saluari non possunt in tempore imaginario, intercepto inter duo tempora realia: si enim Deus interrũpat tempus reale hodiernum, & crastina die iterum incipiat realiter fluere, mora illa vacua, quę inter tempus hesternum & crastinũ intercipitur, est determinata, cùm illa non sit capax, nisi tantæ moræ temporis realis, & nõ longioris, aut breuioris: & tamen in ipsis extremis realibus temporis, non est assignare aliquid, ratione cuius extrema ipsa exigant tãtùm tempus intermedium, & non maius, aut minus. Tum quia ipsummet Vbi supponit spatiũ, à quo specificatur: non enim reddi potest ratio, cur hoc Vbi sit addictum ad hoc spatiũ, nisi quia supponit & specificatur ab hoc spatio, quod natura sua est immobile. Ad Confirm. nego consequentiam: ratio discriminis est, quia non repugnantia rei, quæ producitur, non distinguitur ab ipsius possibilitate: at nõ repugnantia spatij, in qua res producitur, distinguitur à re ipsa quæ producitur. Vnde nego eodem modo se habere non repugnantiam rei, ad existentiam sui; ac se habet non repugnãtia rei vbicabilis ad vbicationem, quoniam hæc præter non repugnantiam rei vbicabilis, dicit spatium in quo vbicatur.

49. *Obijcies* 4. Hoc spatium est nihil; ergo non potest esse aptum ad recipiendas entitates reales. Consequentia probatur: quia aptitudo non reperitur, nisi in ente reali. Resp. distinguẽdo de apto positiuè, quo modo reperitur in solo ente reali, & de apto negatiuè per non repugnantiam, quo pacto reperitur etiam in non ente; vt res, quæ non est, dicitur apta, non quidem positiuè, cùm ante existẽtiam nihil sit, sed negatiuè per non repugnantiam, seu per negationem repugnantiæ. Secundo modo, non primo, spatium imaginarium aptum dicitur ad recipiendas entitates reales.

50. *Obijcies* 5. Præsentia realis dicit terminum realem: ergo nõ potest Deus habere præsentiam realem ad spatium imaginariũ, quod reale nõ est. Resp. distinguo antecedens, dicit terminum realem intrinsecum, concedo; extrinsecum nego. Porrò terminus realis intrinsecus, est ipsum Vbi reale intrinsecum, à quo intrinsecè res denominatur præsens spatio. Licet igitur Deus, aut quæuis substantia creata existens in spatio imaginario, non habeat terminum realem extrinsecum, habet tamen terminum realem intrinsecum, qui in Deo est immensitas, seu virtualis quantitas, actu occupans & replẽs spatium ipsum imaginarium infinitum: in substantia verò creata est locabilitas intrinseca, actu replens spatium imaginarium extrinsecum.

51. Ex dictis colligitur, Immensitatem esse ita propriam Dei, vt nequeat communicari creaturæ. Nam siue illa accipiatur pro aptitudine coëxistendi maiori & maiori loco in infinitum, siue pro actuali existentia ad spatium imaginarium infinitum, nequit competere creaturæ. Nam quamuis Deus replicare possit Angelum in spatio maiore & maiore in infinitum, nullum tamen condere potest, qui hoc exigat ab intrinseco; vel qui actu replicetur in spatio infinito: nam in vtroque casu concedenda foret infinita perfectio in creatura. Dices: datur spatium infinitum: ergò non implicat creatura, quæ illud totum occupet. Consequentia probatur, quia occupabile dicit ordinem ad occupatiuum: ergo si datur occupabile actu infinitum, dari poterit occupatiuum actu infinitũ. Resp. nego Consequentiam: & ad probationem primò nego antecedẽs; nam dicere ordinem est proprium entium realium. Secundò nego Consequentiam; patet in potentia diuina, quæ est infinita, esto nullus terminus, aut multitudo actu infinita producibilis sit. ex infinitate namque potentiæ, solùm sequitur infinitas syncategorematica, non categorematica termini. ergo ex infinitate spatij tantùm sequitur infinitas syncategorematica termini occupatiui illius: eò quòd nulla datur creatura, qua perfectior quoad locabilitatem produci non possit.

## SECTIO IV.

### *Quot, & quibus modis Deus existat in rebus?*

52. HACTENVS ostendimus, Deum esse in rebus, & locis omnibus tam realibus, quàm imaginarijs: supereſt ostẽdendum, quot & quibus modis in illis existat. Duos in vniuersum assignant Scholastici cum Magistro in primo distinct. 37. vnum communem, quo existit in rebus omnibus; alterum specialem, quo inexistit in sanctis. Priore modo tripliciter docent Deum esse in rebus, primo per essentiam; secundo per præsentiam; tertio per potentiam: per essentiam dicitur esse, quatenus eius substantia est intimè coniuncta & indistans à rebus omnibus, per præsentiam dicitur esse, quatenus omnia, quæ in mundo geruntur, sunt ei cognitione præsentia. Tandem per potentiam dicitur esse, quatenus omnia virtute sua producit & conseruat. Qui modi sunt ita inter se connexi, vt primus non necessariò includat reliquos; Nam erat Deus ante mundum conditum per essentiam in infinito spatio imaginario, in quo tamen non erat

*Magister & scholastici.*

per

per præsentiam, cùm nihil extra Deum esset, quod corã ipso vidente gereretur: Neque per potentiam, cùm nihil ante mundum conditũ esset, quod Dei virtute atque operatione egeret. Reliqui verò duo necessariò includunt primum; eò quòd impossibile sit, vt Deus sit pręsens rebus per cognitionem, operationemue, quin simul ijsdem præsens sit per substantiam.

53. Porrò cognitio, qua Deus dicitur præsens rebus, non est qualiscũque, sed intuitiua rei pręsentis vt præsentis, atque actu existentis; non enim dicitur Deus esse præsens rebus possibilibus, aut futuris, vel pręteritis, sed tantùm præsentibus: sicut nec nos dicimur præsentes, nisi rebus; quæ coram nobis aguntur. Quo fit, vt ante conditum mundum non diceretur Deus præsens rebus, quæ in futuro mundo gerenda videbat, nam præter præsentiam intentionalem & obiectiuam, requiritur realis & subiectiua: contrà verò, existens extra mundum, dicitur Deus ptæsens rebus, quę aguntur intra mundum; nam ijs omnibus dicitur Deus pręsens, ad quæ vt actu existentia se extendit Dei intuitus.

54. *Obijcies*, potiùs res dicuntur præsentes cognoscenti, quàm cognoscens rebus, cum per cognitionẽ potiùs res fiant præsentes cognoscenti, quã cognoscens rebus: ergo potiùs res dicuntur pręsentes Deo, quã Deus rebus. Resp. Sub diuersa ratione dici res præsentes cognoscenti, & cognoscentem rebus: Nam cognoscens fit præsens rebus vitaliter, tanquã termino suę vitalis operationis; res autem fiũt pręsentes cognoscẽti, obiectiuè & intentionaliter, quatenus exprimuntur intra notitiam cognoscentis. Dices, eadem ratione dici posse, Deum præsentem sibi ipsi per intuitiuam cognitionem sui. Res. Nego sequelam: ad hoc enim requiritur realis distinctio inter cognoscentem & res cognitas.

55. Ad complementum modi, quo Deus dicitur per essentiam esse in rebus, tria supersunt explicanda: primum, an Deus sit in rebus per intimum illapsum: secundum, an sicut Deus dicitur esse in rebus, ita res dici possint esse in Deo; Tertium, an propriè Deus sit in loco.

*Communis sententia.*

56. Quantum ad primum Communis sententia Scholasticorum est, Deum esse in rebus per intimam præsentiam & illapsum. Fundamentum, quia Deus non solùm adest rebus vt causa efficiens, sed etiam vt causa exemplaris, formans & figurans singulas rerum essentias. Sicut enim sigillum non solùm efficienter imprimit figuram sui, sed etiam illam efformat & effingit communicãdo se in genere causæ exemplaris: ita Deus non modò efficit essentias rerum, verùm etiam illas efformat & effingit in genere causæ exemplaris, communicando se illis participatiuè secundùm varias perfectiones, non quidem formaliter, sed exemplariter.

*S. Thomas.*

57. Ad secundum concedit S. Thom. 1. p. quęst. 8. art. 1. ad 2. omnia esse in Deo, sicut effectus in causa; & Deum esse in rebus, sicut causam in effectu. Dices: ergo sicut res dicuntur esse in Deo, antequam existant, ita dici potest, Deum esse in rebus, antequam res existant. Confirmatur, quia si vera est hæc propositio: res sunt in Deo; vera erit & eius conuersa, Deus est in rebus: sed illa ab ęterno fuit vera, ergo & hæc. Resp. nego Consequẽtiam; nam res sunt in Deo causaliter, & ideò possunt, etiam quando non existunt, verè dici in Deo esse, ratione virtutis causatiuæ: Deus verò est in rebus causaliter, esse autem in rebus causaliter, est actu causare res: implicat autem Deum actu causare res, & res actu non esse, quia hoc ipso, quo actu causantur, sunt; nam media causatione tanquam via accipiunt esse. Ad Confirmationem, nego conuersam huius, res sunt in Deo, esse hanc, Deus est in rebus; sed hanc, Deus est causa exemplaris & effectiua rerum, quæ etiam ab æterno fuit vera. Lege Bonau. in 1. distinct. 37. prima parte, articulo secundo, qu. 2. *Bonauent.*

58. Ad tertium negant communiter Scholastici cum Magistro, Deum propriè esse in loco, quod expressè docuit Anselmus in Monologio cap. 22. & August. libro de essentia diuinitatis initio, vbi Deum appellat *illocalem*: & apertè colligitur ex conditionibus loci, quas assignat Philosopus quarto Physicorum, inter quas est, vt locatum concludatur finibus loci: atqui Deus nequit concludi finibus loci; ergo nequit propriè esse in loco. Eo tamen modo improprio, quo Deus est in loco, excedendo terminos loci, controuersia est inter Doctores, an sit in illo formaliter, an tantùm causaliter. Thomistæ cum S. Tho. quæst. cit. artic. secundo affirmant, esse causaliter, quatenus Deus causat corpora, quæ formaliter replent loca: alij verò formaliter: quibus magis assentior; Nam, esse in loco, importat continentiam formalem, non effectiuam, alioqui etiam Cœli dici possent esse in loco sublunari; quia Cœli per suas influentias effectiuè causant & conseruant corpora, quæ formaliter replent loca sublunaria. *Scholastici. Magister. Anselmus. Augustin. Aristoteles.* *S. Thomas.*

59. Alter modus specialis, quo Deus inexistit in Sanctis, adhuc est triplex; primus dicitur specialis, quo in iustis & sanctis habitat per gratiam, tanquam in proprio templo & sede. Secundus specialior; quo ab aliquibus Deus habitare dicitur in B. Virgine per identitatem, quatenus ex ea carnẽ assumpsit, quàm propriæ copulauit hypostasi. Tertius specialissimus per vnionem hypostaticam, quo singulariſſimo modo inexistit in humanitate Christi Domini, illam immediatè sanctificando, & ad naturalem filiationem assumendo, vnamque personam cum ea ineffabiliter efficiendo.

# DISPVTATIO IX.

## De Veritate seu cognoscibilitate Dei.

POst Disputationem de vnitate Dei, ijsque, quæ ad vnitatem consequuntur, disputandum est de veritate seu cognoscibilitate Dei. Disputamus autem hîc de Veritate, non vt est peculiaris virtus in dicendo, quæ veracitas dici solet, & ad fidem spectat, sed vt est secunda passio entis, per quam vnumquodque est aptum cognosci; estque prima radix veritatis in cognoscendo: hæc enim per se pendet ab intellectu & obiecto, tanquam à causis per se. Quoniam verò cognoscibilitas respicit intellectum cognoscentem, illumque præcedit vt obiectum potentiam, priùs de cognoscibilitate diuinæ naturæ, tum de intellectu, deque ijs, quæ diuinum intellectum consequuntur, ordinatè disputabimus.

### SECTIO I.

### *An aliquis intellectus creatus Deum in seipso videre possit?*

*Armen. Alphonsius de Castro.*

1. PRIMA sententia seu error Armenorum, referente Alphonso de Castro, verbo *beatitudo*, hæresi prima, negantium Deum ab vllo intellectu creato in se ipso videri posse, sed in quadam *Theophania* seu luce, ab ipso deriuata, à beatis in Patria cognosci. Fundamentum sumi potest tum ex Scriptura attestante, Deum à nemine hactenus visum, sed nec videri posse, Ioan. 1. prima ad Timoth. 6. tum ex Patribus, Chrysostomo homil. 14. in Ioan. & homilia 3. & 4. de Incomprehensibili Dei natura, Euthymio in primam Ioannis, Isidoro in 41. Exodi, & alijs. Tum ratione: quia quod est extra sphæram alicuius potentiæ, nequit ab illa attingi: Deus est extra sphæram intellectus creati: ergo nequit ab ipso in propria substantia attingi. Confirmatur: Nam maior est improportio inter intellectum creatum & Deum; quàm inter oculum corporeum & obiectum spirituale: sed nequit oculus corporeus, ob improportionem cum obiecto spirituali, illud attingere: ergo nec intellectus creatus DEVM obiectum increatum.

*S. Ioan. 1. ad Tim. 6. S. Chrysost. Euthymius. Isidor. Exod.*

*S. Thomas.*

*Benedictus XI.*

2. SECVNDA sententia affirmat, Deum clarè in seipso à beatis videri. Est de fide, cuius oppositam Sanct. Thom. quæstione octaua, de Verit. articulo primo, appellat hæreticam. Illam primò definiuit Benedictus XI. vulgò XII. in quadam decretali, de qua mentio fit in eius vita Tom. 3. Conciliorum parte secunda a pagina 818. & extat apud Sanderum de visibili Monarchia, referturque à supplemento Gabr. in 44. dist. 49. quæstione secunda, articulo tertio, dubit. 3. Cuius verba sunt hæc: *Definimus, quod secundùm Dei ordinationem animæ Sanctorum, quæ ex hoc mundo purgatæ discedunt, ante iudicium generale vident Diuinam essentiam, visione intuitiua & faciali, nulla mediante creatura in ratione obiecti se habente, sed Diuina essentia nudè & clarè, & apertè illis se ostendente.* Secundò, Eugenius quartus in Concilio Florentino in decreto de Vnione Armenorum: *Morientes*, inquit, (loquitur de adultis baptizandis antequam culpam aliquam committât) *statim ad regnum Cælorum, & Dei visionem perueniunt.*

*Sanderus. Gabriel.*

*Eugen. 4.*

3. Eadem veritas apertè colligitur ex Scriptura. Marth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem patris mei:* est autem facies Dei, ipsa essentia Dei, vt Hilarius interpretatur Psalm. 118. in versiculum. *Deprecatus sum faciem tuã.* Primæ ad Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Quid autem est *facie ad faciem* Deum videre, quàm sine interuentu alicuius creati velaminis, Dei essentiam cernere? 1. Ioan. 3. *Scimus, quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est.* Porrò videre Deum *sicuti est*, est illum in propria natura intueri.

*Matth. 18. Hilarius. 1. Cor. 13. 1. Ioan. 3.*

4. Tertiò probatur auctoritate Patrum, Aug. epist. 112. de videndo Deo c. 14. *Si quæris*, inquit, *vtrùm possit Deus videri? Resp. potest. Si quæris vnde sciam; Resp. quia in veracissima scriptura legitur;* Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbũt. *Si quæris vtrùm etiam sicuti est, possit aliquando videri? Resp. Filijs hoc esse promissum, de quibus dictum est,* Scimus quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Hilarius in locum suprà citatum, *quamuis*, inquit, *nemo hominum videat faciem Dei, & viuat, tamen Deum omnes mundo corde visuri sunt.* Lege alios apud recentiores. Aliqui conantur ratione naturali hanc veritatem confirmare, sed vt sequente sectione constabit, nulla est ratio naturalis, quæ illam efficaciter probet: Vnde sola fide eam puto credendam. Si quæ verò ratio in Confirmationem ipsius affertur, ea procedit suppositis principijs fidei, de eleuatione naturæ ad gloriam, vt notauit Caiet. in 1. p. q. 12. ar. 1. [illegible] ad euidentiam.

*Augustinus. Hilarius. Caietanus.*

5. Ad primum argumentum ductum ex Scriptura respondet præcitata Epistola Augustinus, cùm Scriptura testatur, Deum à ne-

*Augustin. Exponuntur Patres.*

mine visum, intelligēdam esse de hominibus, quorum nemo ante Christi resurrectionem, in propria vidit substantia, non autem de Angelis beatis; quippe qui *semper vident faciem patris:* cùm verò eadem Scriptura addit, *Deũ esse inuisibilem, & à nemine videri posse*; intelligendã esse, *Deum esse inuisibilem* naturâ, non voluntate: Nam si ipse propriâ voluntate non se manifestat, à nemine videri potest. *Si quaeris*, inquit cap. 14. *quomodo dictus sit inuisibilis, si videri potest? Resp. Inuisibilem esse naturâ, videri autem cùm vult, & sicut vult*; Aliam responsionem affert ex sententia Ambrosij cap. 10. & 11. Cur Deus dicatur *inuisibilis*, nempe corporis, non mentis oculo. *Ambrosius.*

6. Ad secundum ductum ex auctoritate Patrum, concedit Vasquez 1. p. Disp. 37. cap. 2. & 3. multos ex his Patribus cum Armenis sensisse. Sed nulla nos ratio cogit ad hanc notam Patribus, diu in Scriptura versatis, & rectè de fide sentientibus, inurendam: cùm omnes possint ad bonum sensum trahi, vt nimirum cùm negant, Deum in seipso videri, non negent de quacunque visione, sed de comprehensiua tantùm, vt illos explicat S.Tho. 1. p. q. 12. ar. 1. & de verit. q. 8. ar. 1. & ex eorum scriptis non obscurè colligitur: controuersia enim erat ipsorum cum Anomœis, qui ita se Deum in hac vita nosse contendebant, sicut Deus seipsum. Testatur hoc Chrysostomus tom. 5. homiliâ 2. de incomprehensibili Dei natura, his verbis: *Quod nemo vnquam dicere ausus est, ipsi sic ita Deum nosse, quemadmodum Deus se ipse nouit, asserunt.* Idipsum arguit nomẽ ipsum *comprehensionis*, quo citati Patres ad huiusmodi errorem confutandum vtuntur. Imò & titulus *De incomprehensibili Dei natura*, quem per quinque homilias Chrysostomus apponit, apertè ostendit, in eo tantùm sensu prædictos Patres contra Anomæos disputasse. *Vasquez. Explicatur Patres.* *S. Thomas.* *Anomæi.* *Chrysost.*

7. Ad rationem, neganda est Minor: nam saltem Deus est intra sphæram intellectus creati, sub analoga ratione entis, ad quem potest lumine aliquo confortatus eleuari; cùm non se habeat vt obiectum disparatum, & actu alterius vitæ quàm intellectiuæ cognoscibilis, sicut se habet substantia spiritualis respectu oculi; sed vt obiectum excedens intra eandem analogam rationem intelligibilitatis: ac proinde non implicat ad illum eleuari. Ad Confirmationem concedenda est Maior de improportione in ratione entis; neganda de improportione in ratione potentię, & obiecti, seu habitudinis & termini. Maior enim est proportio inter intellectum creatum & Deum, in ratione habitudinis & termini, quàm inter spiritum & oculum: quoniam inter intellectum creatum & Deum est proportio intellectiui & intelligibilis, in eodem proximo genere vitæ: inter spiritum verò & oculum nulla est proportio, in ratione visibilis & visiui, in eodem genere proximo vitæ, cùm alter sit visibilis actu vitæ intellectiuæ, alter visiuus actu vitæ sensitiuæ. Ex defectu huius proportionis, quæ essentialiter requiritur inter potentiam vitalem, & obiectum ab ipsa attingibile, nequit oculus eleuari ad percipiendum spiritum, potest autem intellectus eleuari ad intuendum Deum.

## SECTIO II.

### *An possibilitas visionis beatæ ratione naturali demonstrari possit?*

8. PRIMA sententia Scoti in quarto dist. 49. quæst. 8. Rubionis quęst. 1. Prologi. §. *Sed hic est dubium.* Niph. 2. Metaphys. disp. 3. cap. 4. Vasquez 1. 2. disp. 20. cap. 2. Arrubalis prima parte quæstione 12. disput. 15. affirmantium. Probat Scotus primò: omnis potentia habens obiectum primum adæquatum, potest in quodlibet contentum sub illo: sed primum obiectum adæquatum intellectus creati, est ens vt ens: ergo quodlibet, in quo reperitur ratio entis, est per se obiectum ipsius: Impossibile autem est, vt intellectus creatus in alio, quàm in summo ente quiescat; sicut nec visus quiescere posset alibi quàm in pulcherrimo visibili. Igitur ratione naturali constat, creaturam rationalem capacem esse visionis Dei. *Scotus.* *Rubio.* *Niphus.* *Vasquez.* *Arrubal.*

9. Secundò: Quod est perfectionis in aliquo genere, si competit per se inferiori in eo genere, competit etiam superiori: sed cognitio intuitiua, quæ est perfectio simpliciter in genere cognitionis, per se competit sensui; ergo & à fortiori intellectui, respectu perfectissimi intelligibilis, contenti sub adæquato obiecto ipsius. Confirmat, nam de quocunque obiecto intellectus habet notitiam abstractiuam, habere potest & intuitiuam: sed de Deo habet notitiam abstractiuam; ergo habere potest & intuitiuam. Minor cum consequentia constat. Maior probatur, quia si de obiecto habet notitiam abstractiuam, signum est, quod illud continet intra suam sphęram; alioqui nullo modo posset illud cognoscere: sed cuiuscunque obiecti cõtenti intra propriam sphęram potest intellectus habere notitiam intuitiuam: ergo.

10. Tertiò: Creatura rationalis habet naturalem potentiam passiuam ad visionẽ Dei: ergo qui intuitiuè cognoscit illam, cognoscit ordinabilitatem ipsius ad finem: Sed anima separata intuitiuè cognoscit suas potentias naturales; ergo naturaliter cognoscit suam ordinabilitatem ad vltimum finem. Antecedens probat Scotus quæst. 1. Prologi. §. *Antequam*, quia omne subiectum naturaliter inclinat ad actum sui perfectiuum, vnde Augustinus de prædestinatione Sanctorum c. 5. *Posse*, inquit, *habere fidem & charitatem, naturæ est hominis.* Confirmat S. Thomas 1. p. q. 12. art. 1. & 3. Contra Gentes cap. 51. Nam aliàs *inane foret desiderium*, quod omnes naturaliter habent videndi Deum si ipsius visio possibilis non esset. *Scotus.* *Augustin.* *S. Thomas.*

11. Quartò.

*Arrubal.* 11. Quartò probat Arrubal: quoniam certâ ratione constat, intellectum creatum eleuari posse ad videndum Deum, quia per talem eleuationem potentia non extrahitur à sphæra sui obiecti, cùm Deus contineatur sub ratione entis, quod est ipsius obiectum: sed euidens est, quamlibet potentiam à Deo iuuari posse ad suum obiectum perfectè percipiendum: ergo euidens est, intellectum creatum à Deo iuuari posse ad ipsum perfectè cognoscendum. Tum, quia ad videndum obiectum infinitum non requiritur actus, aut virtus infinita: amamus enim Deum ob infinitam ipsius bonitatem, actu & virtute finita.

*Bassolus.* 12. Secunda sententia Bassoli in 4. dist. 49. quæst. 5. §. *sed quantum ad præsentem art.* Lycheti quæst. 1. Prologi. §. *sed occurrit.* Gabrielis quæst. 1. art. 3. dub. 2. Medinæ p. 2. quæst. 5. art. 1. Caietani 1. p. quæst. 1. art. 1. & quæst. 12. art. 1. §. *Ad euidentiam.* Molinæ ibid. disp. 2. Zumel quęstione 2. conclusione 3. Gonzalez disput. 24. sectione 2. Fasoli dub. 2. n. 18. Suarez lib. 2. de Diuinis attributis cap. 7. Negantium, id naturali ratione demonstrari posse, quæ sententia probabilior est & sequenda. Quam vt probem, suppono quæstionem esse de vera demonstratione, quæ intellectum euidenter conuincat, & non tantùm probabiliter suadeat: & per medium ostensiuum, & non tantùm negatiuum, per solam non repugnantiam: nam hic modus ineptus est ad conuincendum intellectum: quia licet nulla appareat repugnantia, non tamen conuincimur, quòd reipsâ nulla sit, ob quam rem fieri repugnet, cùm reipsâ esse possit, esto nobis non appareat.

*Lychetus. Gabriel. Medina. Caietanus. Molina. Zumel. Gonzalez. Fasolus. Suarez.*

13. Vt igitur ostensiuè demonstretur possibilitas visionis beatæ, oportet demonstrare, Deum in seipso cognoscibilem, contineri intra obiectum intellectus creati; eò quòd nulla potentia eleuari potest extra suum obiectum: hoc autem demonstratum hactenus non est, cùm nondum demonstratum sit, posse potentiam ferri in obiectum, quod sit sub maiore abstractione potentialitatis, quàm sit potentia ipsa in se: atqui Deus in seipso visibilis abstrahit ab omni potentialitate; nullus verò intellectus creatus potest à potentialitate abstrahere: ergo nondum demonstratum est, posse in Deum ferri intuitiuè. Hanc autem proportionem naturaliter requiri inter potentiam & obiectum, docent S. Thomas 1. parte quęst. 12. articulo 4. & Scotus ipse quodlibeto 14. §. *De secundo principali:* & constat inductione; nam propterea nequit sensus eleuari ab obiectum abstractum à materia indiuiduali; & intellectus humanus coniunctus corpori ad obiectum abstractum à materia intelligibili. Cuius ratio est, quia cognitum debet esse in cognoscente, iuxta modum ipsius cognoscentis. Cùm igitur experiamur, hanc proportionem seruari inter potentiam & obiectum, & aliunde non constet, potentiam vitalem, quà vitalis est, eleuari posse extra suum connaturalem modum operandi, ratione naturali non constat, posse Deum ab intellectu creato in seipso videri.

*S. Thomas. Scotus.*

14. Ad primum primæ nego, obiectum naturale & specificum intellectus creati esse ens, vt includit increatum cognoscibile in seipso, sed solùm vt includit increatum cognoscibile per aliud: sic enim seruatur naturalis proportio inter potentiam & obiectum. Dices, adhuc abstractiuè cognoscitur Deus, vt actus purus: sed modus cognoscendi abstractiuè, & intuitiuè non variat obiectum formale. Respond. Cognosci Deum, vt actum purum, tantùm arguitiuè, & mediatè, mediante nimirum effectu creato potentiali, non autem per se primò & immediatè. In quo sensu neganda est minor. Nam actus purus cognitus intuitiuè cognoscitur per se primò, vt talis est, & immediatè: proinde vt actus purus specificaret actum cognitionis; quia id specificat, quod per se primò & immediatè terminat: Cognitus verò arguitiuè, non cognoscitur per se primò & immediatè vt actus purus, sed mediante alio obiecto potentiali immediatè terminante, atque adeò specificante cognitionem: proinde non, vt actus purus est, specificat actum cognitionis, sed vt immediatè repręsentatus per medium potentiale. Igitur cognoscibile abstractiuè, arguitiuè & intuitiuè variat obiectum formale. Ad minorem subsumptam respondeo: Sat esse, si intellectus quiescat in contemplatione abstractiua primæ causæ, qualem hominis felicitatem agnouit Arist. 10. Ethic. 7. & 8. *Aristoteles.*

15. Secundum argumentum supponit, Deum in seipso visibilem, esse obiectum intellectus creati, non secùs ac sensibile est obiectum sensus. Maior igitur argumenti vera est, quando cognitio intuitiua non extrahit obiectum à proprio modo cognoscendi potentiæ: at cognitio intuitiua Dei extrahit obiectum à naturali modo cognoscendi intellectus creati, cuius est, obiectum cognoscere per modum entis potentialis. Ad confirmationem nego maiorem, quando cognitio intuitiua extrahit obiectum ad altiorem ordinem cognoscibilitatis, supra modum naturalem cognoscendi potentiæ: ex eo autem, quòd creatura cognoscat Deum abstractiuè, solùm sequitur, Deum vt abstractiuè, non autem vt intuitiuè cognoscibilem contineri intra sphæram ipsius, eò quòd primo & non secundo modo seruat proportionem cum potentia: nam primo modo cognoscitur ad instar obiecti potentialis medio aliquo effectu creato.

16. Ad tertium: Præter auctores citatos in 1. sententia, Durand. in 4. Dist. 49. quæst. vlt. num. 8. Sotus quæst. 2. art. 1. conclusione 1. & lib. 1. de natura & gratia cap. 4. concedunt antecedens. Probat Durandus, quia vnumquodque naturali appetitu fertur in suam perfectionem; cùm naturalis appetitus nil aliud sit, quàm inclinatio imperfecti ad suam *Durandus. Sotus.*

suam perfectionem: sed visio Dei est maxima perfectio naturæ rationalis; ergo. Probat secundò Sotus, quia homo est naturaliter imago & similitudo Dei: sed imago & similitudo Dei non solùm importat capacitatem videndi Deum, sed etiam naturalem inclinationem; quia simile naturaliter appetit suum simile: tum quia appetitus humanus in nulla re creata quiescit; ergo possibile est illum expleri; alioqui frustrà nobis à natura esset ille inditus. Implicat autem, illum alio, quàm adeptione summi boni expleri, vt experientia constat. Ergo datur naturalis appetitus ad visionem Dei.

17. Sed contrà: tum quia, si esset in nobis naturalis appetitus ad visionem Dei, visio Dei esset nobis naturaliter debita; nec posset homini in pura natura constituto sine violentia denegari, si in ea viueret iuxta dictamen rationis. Tum quia repugnat, dari potentiam naturalem ad actum supernaturalem: sed visio Dei est actus supernaturalis: ergo. Maiorem probo, nam potentia specificatur ab actu: ergo implicat, potentiam per se primò ordinatam ad visionem supernaturalem, esse quoad entitatem naturalem. Confirmatur: ita se habet potentia ad actum, sicut actus ad obiectum: sed implicat actus naturalis per se primò ordinatus ad obiectum supernaturale; ergo & potentia naturalis per se primò ordinata ad actum supernaturalem. Tum, quia ex Aristotele 3. de anima cap. 5. & S. Thoma 2. contra Gentes cap. 60. omni potentiæ passiuæ naturali respondet aliqua actiua naturalis, à qua possit in actum reduci; alioqui frustrà foret talis potentia, quæ nunquam reduci posset in actum: ergo si datur potentia passiua naturalis ad beatitudinem supernaturalem, danda est etiam potentia actiua naturalis, quæ illam reducere possit in actum. Nec sufficit, vt reduci possit in actum à potentia actiua supernaturali Dei, nam potentiæ passiuæ respondere debet actiua in eodem ordine. Vnde creatio animæ rationalis, etiamsi ab alio, quàm à Deo fieri non possit, computatur inter opera naturalia, eò quòd exigitur à potentia passiua materiæ; vnde in ea producenda gerit se Deus vt causa naturalis. Tum demum, quia nunquam natura tribuit propensionem ad finem, quin etiam tribuat ad media, sed aduersarijs etiam fatentibus, natura non tribuit propensionem ad bona gratiæ, quibus beatitudinem consequimur: ergo neque ad ipsam beatitudinem. Maior constat inductione: omnis quippe potentia ad suum finem inclinat medijs dispositionibus: tum ratione, nam eiusdem ordinis sunt forma, & dispositio ad formam: ergo eadem est propensio ad finem & ad dispositionem.

*Aristoteles.* *S. Thomas.*

18. Quare negandum est antecedens: Et ad probationem concedenda est Maior de actu commensurato subiecto; neganda verò de actu excedente subiectum, qualis est visio glorioſa, ad quam creatura rationalis solùm habet capacitatem obedientialem: & hanc tantùm probat testimonium Augustini. Ad Confirmationem S. Thomæ respondet Caietanus, intelligendum esse de desiderio creaturæ rationalis, ordinatæ iam ad finem supernaturalem: posita enim reuelatione finis supernaturalis naturale est creaturæ desiderare illam actu elicito saltem ineffi-caci.

*Augustin.* *S. Thomas.* *Caietanus.*

19. Ex his patet ad argumentum Durandi. Ad primum verò Soti, nego Minorem: imago enim & similitudo, quæ est inter hominem & Deum, non est vniuoca & perfecta, sed analoga & imperfecta, proinde naturalem appetitum videndi imaginatum fundare non potest. Ad secundum concedo, quòd appetitus humanus expleri non possit, nisi adeptione summi boni, vel per cognitionem abstractiuam, vt in pura natura, vel per cognitionem intuitiuam, vt in natura elçuata.

*Durandus.* *Sotus.*

20. Ad quartum Arrubalis, nego assumptum: & ad probationem nego euidens esse, Deum in seipso visibilem contineri intra adæquatum obiectum intellectus creati; vel ad illum diuinâ virtute eleuari posse: quia, cùm sit contra naturalem modum operandi potentiæ vitalis, nequit hoc naturaliter demonstrari, sed solâ fide teneri.

*Arrubal.*

## SECTIO III.

### *An Deus cognoscibilis sit à beatis per speciem expressam clarè ipsum repræsentantem sicuti est?*

21. Dvplex distinguitur species intelligibilis, altera impressa virtualiter tantùm repręsentans obiectum, à quo imprimitur, effectiuè concurrens cum potentia cognoscitiua ad actualem repræsentationem obiecti: altera expressa, seu expressiua obiecti; actu & formaliter illud repræsentans potentiæ cognoscenti. Vtraque controuertitur, an sit possibilis, quæ diuinam essentiam in seipsa repræsentet, sicuti est in se. Quoniam verò impressa essentialiter ordinatur ad expressam, vt causa ad effectum, & consequenter ex possibilitate, aut impossibilitate huius pendet possibilitas, aut impossibilitas illius, priùs inuestiganda est natura & possibilitas, vel impossibilitas speciei expressæ, vt ex ea faciliùs cognoscatur natura & possibilitas, vel impossibilitas impressæ.

22. Prima sententia affirmat, possibilem esse speciem expressam clarè repręsentantem diuinam essentiam, sicuti est. Est Bonauenturæ in 1. distinct. 3. 1. p. art. 1. quæst. 1. ad vltimum. Durandi dist. 27. quæst. 2. n. 26. Aureoli apud Capreolum in 4. dist. 49. q. 5. art. 2. Soti in 4. dist. 49. q. 2. art. 3. Torrez in 1. p. quęst. 27. art. 1. dub. 4. Molinæ q. 12. art. 2.

*Bonauent.* *Durandus.* *Aureolus.* *Capreolus.* *Sotus.* *Torrez.* *Molina.*

*Vasquez. Suarez. Granadus. Arrubal. S. Thomas.* art. 2. dist. 1. Vasquez disp. 38. cap. 2. Suar. lib. 2. de Diuinis attributis cap. 11. Granadi tractatu 5. dist. 1. sect. 2. Arrubalis dist. 17. cap. 2. & omnium, qui vel admittunt verbũ mentis in beatis, quod in doctrina S. Tho. problematicè defendunt Capreol. in 4. dist. 49. quæst. 5. artic. 3. ad primum. Aureoli & *Ferrarien.* Ferrarien. 1. contra Gentes cap. 53. §. *quinta est*; cùm idem sit verbum mentis & species expressa, vt infrà constabit: vel qui concedunt speciem impressam diuinæ essentiæ. Nam etsi non omnes, qui concedunt expressam, concedant impressam, omnes tamen, qui impressam admittunt, admittunt & expressam; eò quòd illa ad hanc essentialiter ordinetur.

23. Fundamentum sententiæ est, quia impossibile est, potentiam cognoscitiuam obiectum cognoscere, quin aliquam similitudinem de illo in seipsa formet: Ergo impossibile est beatum Deum videre, quin aliquam similitudinem de Deo in seipso formet. Datur igitur species expressa creata repręsentans Deum, sicuti est. Vtraque consequentia constat. Antecedens probatur, quia impossibile est, vt potentia obiectum cognoscat, quin illud propriâ cognitione faciat sibi obiectiuè præsens: nequit autem potentia facere sibi obiectum mediâ cognitione obiectiuè præsens, quin cognitio ipsa sit expressâ similitudo obiecti. Minor patet, quia nequit cognitio repræsentare obiectum potentiæ, nisi illud contineat, aut realiter, aut intentionaliter; nequit autem cognitio creata continere Deum realiter, ergo saltem continere debet intentionaliter, quod est continere illum per aliquam imaginem & similitudinem.

*1. Ioan. 3.* 24. Confirmatur: tum ex Scriptura 1. Ioan. 3. vbi visio Dei appellatur similitudo: *Similes*, inquit, *ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est.* Tum ex Augustino 9 de Trinitate *Augustin.* cap. 10. & 11. & libr. 15. cap. 16. & Anselmo in Monologio cap. 9. 29. & 31. vterque *Anselmus.* enim apertè docet, nullam rem posse nos intelligere, nisi intelligendo, aliquam illius similitudinem & imaginem intra nos ipsos formemus: quin ex ista similitudine, & imagine verbi creati colligunt imaginem verbi increati. Nam sicut verbum creatum nascitur ex memoria fœcunda intelligentis, tanquam proles ex obiecto intelligibili, & potentia intellectiua: ita Verbum increatum gignitur ex memoria fœcunda patris, vt perfectissima proles, & expressissima imago æterni parentis.

25. SECVNDA sententia negat possibilem esse speciem expressam repræsentantem diuinam essentiam, vti est in se, est Henrici in *Henricus.* summa art. 33. q. 2. ad tertium, & quodlib. 4. q. 8. & 26. Durandi in 4. dist. 49. q. 2. Richard. in 3. distinct. 14. quæst. 1. art. 1. q. 3. *Durandus. Richardus. Bassolus. Ioan. de Ripa. Caietanus. Bannez.* Bassoli q. 1. art. 1. §. *Dico igitur.* Ioannis de Ripa apud Capreolum in 3. dist. 14. artic. 2. Caiet. in 1. p. q. 12. art. 2. §. *Aduerte.* & q. 27. art. 1. §. *Ad tertium dub.* Bannez in 1. p. q. 12. ar. 2. Zumel disp. 2. Gonzalez dist. 25. sect. 4. Nazarij controuersia 2. & ferè omnium, qui negant, beatos formare Verbum in ipsa visione beatifica. Et procul dubio sententia est S. Doctoris 1. p. quæst. 12. art. 2. vbi negat, Deum per vllam creatam similitudinem, aut speciem à beatis videri posse: Cuius rationes non solùm militant contra speciem impressam, sed multò magis contra expressam, vt notauit Caietanus loco præcitato. Quoniam verò tota hæc controuersia de possibilitate speciei expressæ repræsentantis diuinam essentiam, pendet ex natura ipsa speciei expressæ, seu verbi mentalis, accuratiùs est nobis ipsius natura & essentia examinanda, ex qua multæ aliæ grauissimæ difficultates Theologicæ dependent.

*Zumel. Gonzalez. Nazarius.* *S. Thomas.* *Caietanus.*

26. Auctores ergo primæ sententiæ putant, naturam speciei expressæ, seu verbi mentalis consistere in eo, vt sit tantùm medium *Quo*, & sola ratio cognoscendi obiectum, & nullo modo ratio seu medium *in Quo* cognoscatur, aut cognosci possit obiectum. Vt de dicitur species expressa, quia exprimitur seu producitur ab intellectu, cuius est intrinsecus terminus, ad differentiam speciei impressæ, quæ ab extrinseco producitur, & imprimitur ipsi potentiæ cognoscenti, propter quod impressa nuncupatur. Huius opinionis fuit etiam Durandus in 1. distinct. 27. *Durandus.* quæst. 2. Scotus quæst. 3. §. *Ad quæstiones.* & *Scotus.* in 2. dist. 3. quęst. 9. & alij.

27. Probatur autem hæc sententia: Primò, quia non experimur, cùm aliquid intelligimus, nos ferri in actum & obiectum simul, sed in obiectum tantùm. Secundò, quia non possumus actu directo, sed tantùm reflexo in nostros actus tendere: atqui actus reflexus supponit directum: Ergo verbum mentale non potest esse id, quod primò cognoscitur ab intellectu. Consequentia patet, quia Verbum mentale est actus nostri intellectus.

28. Tertiò: Per notitiam spiritualem cognoscimus obiectum quantum & materiale: ergo quod immediatè terminat intellectionem, non est species expressa seu verbum mentale, sed obiectum ipsum. Antecedens patet, consequentia probatur: quia quod non est quantum & materiale, non potest esse medium in quo cognoscendi quantum & materiale. Eadem ratio est, cùm cognoscimus substantiam, nequit enim hæc cognosci in Verbo, quod est accidens.

29. Quartò: Si intellectus cognosceret suum actum, cognosceret seipsum: sicut qui cognoscit picturam, cognoscit subiectum, in quo est pictura, sed experimur nos, cùm ad obiectum tendimus, nostrum intellectum non intelligere: ergo. Confirmatur: quia si intelligeremus Verbum, non intelligeremus illud abstractè, sed concretè, vt afficiens intellectum, in quo est, & à quo egreditur: ergo cum ipso simul intelligeremus intellectum.

30. Quintò: Voluntas non producit in

se aliquid, quod sit primum obiectum amoris, sed eo immediatè tendit ad obiectum ipsum secundùm se: ergo nec intellectus producit aliquid in se, quod sit primum obiectum intellectionis, sed ea immediatè tendit ad obiectum ipsum secundùm se. Consequentia constat à paritate rationis. Antecedens probo, quia alioqui nulla daretur virtus Theologalis; nam hæc immediatè tendit ad Deum propter se: igitur si primum, & immediatum obiectum amoris esset noster amor, primum & immediatum obiectum amoris Theologalis, non esset Deus propter se, sed aliquid creatum. Idem argumentum fieri potest de assensu Fidei Theologicæ, quia hic non tenderet ad Deum, vt veracem immediatè, sed ad verbum creatum mentale nostri intellectus.

31. Sextò: Oculus corporeus non cognoscit obiectum expressum per verbum sensile intra se, sed in propria natura existens, alioqui eius visio non esset intuitiua; hæc enim terminatur ad obiectum in seipso existens: ergo nec intellectus per visionem intuitiuam cognoscit obiectum intrà se per verbum expressum, sed extra se in propria natura existens.

32. Septimò: Opposita sententia admittit per actum intelligendi produci in nobis formam realem, in qua tanquam in imagine cognoscamus obiectum, contra Philosophum 9. Metaph. t. 16. docentem per operationes immanentes nihil in nobis produci. *Philosophus.*

33. Octauò: Si verbum esset immediatum obiectum intellectionis, nulla dari posset intellectio sine verbo; atqui dabilis est aliqua intellectio sine Verbo: ergo. Sequela patet, quia nulla intellectio esse potest sine re intellecta, sicut nulla imago sine imaginato. Minor probatur, nam visio beata est vera intellectio: sed hæc non terminatur ad verbum, vt infrà probabimus: ergo.

34. Nonò: Si verbum producitur ab actu intelligendi, prior est actus intelligendi, quàm verbum productum, sicut omnis causa prior est suo effectu: ergo in illo priori debet actus intelligendi habere suum obiectum, cùm nequeat esse actus sine termino: Atqui hoc non potest esse verbum; quia cùm verbum producatur actu intelligendi, est posterius natura actu ipso intelligendi: Nequit igitur Verbum esse primum & immediatum obiectum intellectionis.

35. Decimò: Nullum medium potest esse ratio intuitivè videndi aliud, nisi illud formaliter, aut eminenter contineat: sed verbum substantiæ neque formaliter, vt per se patet; neque eminenter, cùm sit imperfectius substantiâ, continet substantiam. Confirmatur: quia verbum est ad instar picturæ; sed in pictura non potest intuitivè videri imaginatum: ergo neque in verbo obiectum repræsentatum.

36. Vndecimò: Si verbum esset ratio in qua immediatè videndi obiectum, omnis cognitio esset intuitiua: nam intuitiua cognitio est, quæ fertur ad obiectum præsens: atqui hoc modo omnis cognitio ferretur ad obiectum in ipso verbo præsens: igitur omnis cognitio esset intuitiua.

37. Auctores verò secundæ sententiæ, vno excepto Durando, censent verbum, seu speciem expressam esse formam ab intellectu productam, in qua tanquam in propria, & naturali imagine proximè cernitur obiectum intentionaliter expressum, & intelligibiliter repræsentatum secundùm omnes eas proprietates, & perfectiones, quas obiectum ipsum continet in suo esse naturali: aut saltem posse in eo obiectum cerni, tanquam in propria & expressa imagine, non secus atque in sententia eorum, qui docent in speculo videri imaginem, & in ea imaginatum intentionaliter expressum: ita sentit Henricus, qui, quamuis putet verbum esse medium *Quo* cognoscendi obiectū, talis tamen naturę esse censet, vt in eo, tanquam in propria imagine cerni possit obiectum, non secus atque in imagine speculari cernitur imaginatum. *Durandus.* *Henricus.*

38. Omnes autem hi auctores conueniunt, verbum non consistere in specie ab obiecto impressa, sed in specie ab intellectu expresâ, concurrente tantùm impresâ vt comprincipio illius: quod apertè docent Anselmus in Monologio ca. 31. *Cùm*, inquit, *cogito notum mihi hominem absentem, formatur acies cogitationis meæ in talem imaginem eius, qualem illam per visum oculorum in memoriam attraxi, quæ imago in cogitatione verbum est eiusdem hominis, quem cogitando dico.* Et cap. 46. Verbum sic definit: *Verbum est cogitatio rei, ad eius similitudinem ex memoria formata.* Et Augustinus 15. de Trinitate cap. 12. *Tunc* inquit, *est verbum simillimum rei notæ, de qua gignitur imago, quando de visione scientiæ visio cogitationis exoritur.* Vbi verbum appellat ipsam rei visionem, genitam ex memoria fœcunda, quæ prętер intellectum includit speciem obiecti, quo tanquam semine fœcundatur potentia ad Verbum, tanquam sui, & obiecti prolem gignendam: ab vtroque enim, vt ipsemet testatur 9. de Trinit. cap. vlt. cognoscente scilicet & cognito paritur notitia, quæ verbum est, & mentis proles. Idque etiam ratione constat: nam si esset species impressa, vel esset species impressa, vt recepta tantùm in potentia; vel vt terminans per modum obiecti actum ipsum intellectionis: non primum; alioqui semper actu cognosceremus omnia obiecta, quorum species in memoria receptas habemus: Non secundum; quia, etsi posset intellectus formare Verbum de ipsa specie impresâ, eamque cognoscere, illam tamen non cognosceret immediatè in seipsa, sed in verbo, in quo illa exprimeretur & repræsentaretur, sicut reliqua obiecta, quæ in Verbo expressa cognoscuntur. Cuius ratio est, quia cùm verbum sit expressiuum obiecti, de quo gignitur, illud adæquatè continens secundùm esse intentionale & intelligibile, sufficienter in eo intel- *Anselmus.* *Augustin.*

lectus

lectus poterit cognoscere speciem ipsam impressam, non secus ac cognoscit reliqua obiecta in verbo, de ipsis formato.

39. Confirmatur 1. nam ideò aduersarij hoc asserunt, quia putant, speciem impressam requiri vt medium, in quo obiectū proximè cernatur, tanquam in sua imagine, at hoc falsum est: tum quia ad hoc sufficit species expressa, in qua melius, quia vitaliter, exprimitur obiectum. Tum quia sequeretur, nos non posse sine specie impressa, nobis inhærente, obiectum cognoscere; quia non possumus obiectum cognoscere, nisi per imaginem ipsius: sed imago, in qua in hac sententia obiectum cognoscitur, non est species expressa, sed impressa; ergo sine illa non possemus obiectum cognoscere, quod falsum est; alioqui nō posset Deus absque eo, quod in nobis produceret speciem impressam lapidis, facere vt lapidem cognosceremus, cùm non possimus obiectum cognoscere, nisi illud habeamus, vt terminum nostræ cognitionis: in hac autem sententia obiectum est terminus nostræ cognitionis immediatè, & formaliter per ipsam speciem impressam: lege S. Thom. opusc. 14.

Confirmatur 2. nam destructâ specie impressâ, & conseruata in potentia cognoscitiua solâ specie expressâ eiusdem speciei impressæ, sufficienter per eam potentia cognosceret obiectum: ergo de facto non per impressam, sed per expressam obiectum cognoscit. Consequentia patet, tum quia de facto non per vtramque, sed per vnam dumtaxat obiectum cognoscit: ergo si illud cognoscit per expressam, non cognoscit per impressam: tum quia intimiùs, connaturaliùs, & magis proportionatè per expressam quàm per impressam cognoscit illud. Antecedens probatur: quoniam in specie expressa delineatur & exprimitur tota atquè integra natura ipsius speciei impressæ, cùm sit formalis naturalisque imago ipsius effectiuè producta ab eadem specie impressa: ergo in ea tanquam in propria & naturali imagine relucet integra natura tum speciei impressæ, tum obiecti ipsius: ergo etiam impressâ specie destructâ, tota natura ipsius eiusque obiecti cerni poterit in specie expressa. Cuius rei optimum exemplum habemus in ipso Verbo increato, in quo tanquam in propria imagine exprimitur natura diuina tanquam species impressa omnium obiectorum, quæ sunt in memoria fœcunda æterni Patris; vt passim docent Patres, præsertim Augustinus infrà citandus: non enim in Verbo diuino tanquam in specie impressa, sed tanquam in specie expressa & Sapientia genita æternus Pater cognoscit omnia. Quòd autem possit destructâ specie impressâ conseruari species expressa eiusdem speciei impressæ in potentia cognoscitiua, probatur: tum quia non apparet essentialis connexio inter speciem expressam & impressam: tum quia sicut potest impressa conseruari absque obiecto, cuius est impressa species, ita poterit expressa conseruari absque impressa, cuius est expressio: tum quia sunt duæ res mutuò realiter distinctæ: tam enim species impressa realiter distinguitur ab expressa, quàm impressa ab expressa.

40. Dico 1. Verbum mentis, seu species expressa non est tantùm medium *Quo*, sed etiam *in Quo* videndi obiectum, imò est ipsum obiectum intentionaliter expressum, & in sua naturali imagine intelligibiliter apparens cognoscenti. Hæc est expressa sententia S. Thom. 1. contra Gent. cap. 53. vbi verbum appellat *intentionem intellectam* formatam ab intellectu media specie intelligibili, per quam tanquam per rei similitudinem rem ipsam intelligimus. Et 4. contra Gent. cap. 11. docet, hanc *intentionem intellectam*, quam intellectus in seipso concipit de re intellecta, non esse rem ipsam, quæ intelligitur, sed quandam similitudinem intellectu cōceptam de reipsa intellecta, quam voces exteriùs significant, & verbum interiùs nominatur; ex quo infert, verbum hominis interius conceptum, non esse hominem verum, naturæ hominis esse habens, sed hominem intellectum, & quandam similitudinem hominis veri ab intellectu apprehensam. Et in opusc. 13. *Istud*, inquit, *sic formatum & expressum in anima dicitur verbum interius, & ideo comparatur ad intellectum, non sicut quo intellectus intelligit, sed sicut in quo intelligit, quia in isto sic expresso & formato videt naturam rei intellectæ*. Vnde colligit, duo esse de ratione verbi; vnum, quòd sit aliquid ab intellectu procedens, in eoque existens; alterum quòd sit ratio & similitudo rei intellectæ. Et opusc. 14. *Similitudo*, inquit, *perfecta genita & expressa ab intellectu, & hoc totum expressum est verbum, & est totum rei distinctè expressiuum, & totum, in quo res exprimitur, & hoc intellectum principale; quia res non intelligitur, nisi in eo: est enim tanquam speculum in quo res cernitur*: hęc ibi. Vbi non solùm docet, rem intelligi in verbo, tanquam obiectum in speculo, sed non intelligi nisi in verbo. Et infrà docet, verbum esse ipsum obiectum, quod intellectus virtute speciei à sensibus in seipso format, ad quod immediatè terminatur nostrum intelligere, & non ad rem ipsam, vt est in sui natura; idipsum confirmat q. 4. de Verit. art. 2. ad tertium vbi verbum appellat *conceptionem intellectam, & rem ipsam, quæ intelligitur: vt sic*, inquit, *id quod intelligitur possit dici & res ipsa, & conceptio intellectus*. Quia nimirum verbum est res ipsa intentionaliter, quam nos intelligimus, dum verbum concipimus. Idem docet 1. p. q. 34. art. 1. ad tertium, & Capreolus in 2. dist. 39. q. vnicâ art. 3. ad 2. contra 1. concl.

41. Est etiam, me iudice, expressa sententia Arist. 3. de anima t. 20. & 37. vbi ait, scientiam actualem esse ipsam rem scitam: non posset autem esse ipsa res scita, nisi ipsamet esset obiectum scientiæ; alioqui si esset distincta à reipsa scita, non posset esse eadem

S. Thomas. S. Thomas. Aristoteles.

cum illa. Præterea docet, *animam intelligendo fieri omnia.* Fit autem anima intelligendo omnia, quia per intellectionem exprimit in se omnia. Demum sæpè affirmat, cognitionem fieri per *assimilationem cognoscentis ad cognitum:* si autem cognitio esset pura tendentia intellectus ad res extra existentes, nulla opus esset assimilatione ad res ipsas intelligendas, sed sufficeret quæcumque vitalis tendentia, qua intellectus posset extra se tendere ad res cognscendas. Requiritur igitur assimilatio cognoscentis ad cognitum, propter verbi expressionem, in quo res ipsa cognoscenda est.

*Patres.* *Anselmus.*

42. Eadem sententia fundamentum habet in Patribus, qui verbum appellant *imaginem obiecti,* in quam acies mentis fertur, dum obiectum cognoscere nititur; vt patet ex Anselmo supra citato. Confirmatur: nam patres ex verbo creato probant increatum, cum eoque comparant, assignatis interim differentijs, quæ inter creatum & increatum intercedunt: cùm tamen nullam differentiam assignent in eo, quod increatum sit, in quo pater cognoscit omnia, imò in hoc potius illi verbum creatum assimilant. Igitur sentiunt, verbum nostrum esse in quo obiectum cernitur; sicut verbum Diuinum est, in quo pater omnia contemplatur: *Nouit,* inquit, *Augustin.* 15. de Trinitate cap. 14. *Omnia Deus Pater in seipso; nouit in Filio; sed in seipso tanquam seipsum, in Filio tanquam suum.* Et paulò pòst subdit: *verbum autem nostrum simile est in hoc ænigmate illi verbo Dei, quoniam sic & hoc de nostra nascitur, quemadmodum & illud de scientia Patris natum est.*

*Augustin.*

43. Secundò probatur hæc sententia ratione hoc pacto. Potentia visiua obiectum suum percipit in sua visione, tanquam in propria imagine expressum ab ipsamet potentia virtute speciei visiuæ ab obiecto impressæ: ergo à fortiori potentia intellectiua obiectum suum percipit expressum in verbo, vt in propria imagine in seipso formata, virtute speciei intelligibilis, in memoria existentis. Consequentia tenet per locum à fortiori, quia minùs eget visus verbo sensili, vt in eo visibile obiectum intueatur, quàm intellectus verbo intelligibili, vt in eo intelligibile obiectum percipiat: quia visus semper habet obiectum secundùm propriam existentiam præsens, ad quod ferri possit, quod non habet intellectus, qui plerumque fertur ad obiectum absens. Antecedens non admittitur ab omnibus auctoribus nostræ sententiæ, mihi tamen experientia & ratione certum est.

44. Experientia sic probo: variatis tantùm speciebus visiuis variatur obiectum in ratione obiecti formaliter, non variato in ratione rei: ergo visus non terminatur immediatè ad visibile in seipso existens, sed in propria imagine expressum. Antecedens constat multiplici experientia; primò, quando species variantur quoad intensionem, obiectum apparet crassius & intensius. Secundò quando species variantur quoad multiplicationem, vt in conspicilijs multangularibus obiectum apparet multiplex, adeò vt nullum discrimen percipiat oculus inter verum, & apparens obiectum. 3. Quando species refranguntur, obiectum apparet fractum.

45. Ex hoc antecedente experientia certo sic ostendo deductam consequentiam. Si visibile non cerneretur in sua imagine expressum, sed in propria natura existens, non posset cognosci, nisi cum ea dispositione, quam in seipso haberet; atqui non cognoscitur cum ea dispositione, quam in seipso habet, sed cum ea, quam habet in propria imagine expressum: ergo non cernitur in propria natura existens, sed in sua imagine expressum. Consequentia euidenter deducitur ex præmissis. Minor est nota experientia. Maiorem sic probo. Si visio non esset medium in quo, sed tantùm quo intuendi obiectum in seipso existens, non esset medium cognitum à potentia: Ergo non posset ipsa tantùm visione variata, variari obiectum, sub ratione formali obiecti. Consequentia probatur, quia nullum medium potest esse ratio videndi obiectum aliter, atque est in se, nisi ipsum medium obiectiuè aliter se habeat ad talem potentiam: igitur si visio non se habeat obiectiuè ad potentiam visiuam, non potest esse medium videndi obiectum aliter, atque est in se. Antecedens probo, quia quod non se habet obiectiuè ad potentiam, non potest mutare obiectiuè potentiam, quia nihil potest esse medium mutandi alterum, quod non est medium afficiendi illud sub ea ratione, sub qua debet illud mutare: Ergo si visio non afficit oculum obiectiuè, sed tantùm subiectiuè, non potest esse medium mutandi illum obiectiuè, sed tantùm subiectiuè. Sicut quod tantùm efficit potentiam obiectiuè, non potest mutare potentiam subiectiuè: ego nec quod tantùm afficit potentiam subiectiuè, mutare potest potentiam obiectiuè.

46. Confirmatur, quoniam variata visione per solam variationem specierum visibilium, diuersum quid apparet, quod antea non apparebat: sed hoc diuersum, quod nunc apparet, non est in obiecto in seipso existente; ego in obiecto per visionem expresso. Consequentia constat, quia hoc diuersum, quod nunc apparet, est aliquid reale existens ac præsens potentiæ, cum sit obiectum potentiæ visiuæ, quæ ferri non potest, nisi ad aliquid reale existens ac præsens: ergo si nō est in obiecto, in seipso existente, necessariò esse debet in obiecto, in visione ipsa expresso.

47. Atque hæc de experientia. Probo nunc antecedens ratione. Conseruata tantum in oculo visione, & corrupto visibili, cuius est visio, eodem prorsus modo appareret oculo ipsum visibile, atque appareret, si esset existens & præsens potentiæ: ergo oculus non intuetur visibile immediatè in seipso existens, sed in visione intentionaliter expressum. Antecedens admittūt Vasquez 1. p. disp. 38. c. 2. & d. 208. c. 3. Suarez lib. 2. de Angelis c. 11. n. 12. Arrubal, & alij: & constat experientia,

*Vasquez. Suarez. Arrubal.*

nam

nam species multiplicatæ in oculo per conspicilia multangularia repręsentant obiectum vbi non est, eodem planè modo, ac repręsentant illud vbi est: ergo sola species, aut visio in oculo conseruata, eodem modo repræsentaret obiectum, ac si illud esset existens & præsens potentiæ. Consequentia probatur, quoniam de facto visio repræsentat illud, vbi non est, eodem planè modo, ac si ibi esset; ergo sola visio conseruata, & corrupto obiecto, adhuc illud repræsentaret, vbi non est; quemadmodum illud repræsentat nunc, vbi non est. Nam quod per aliam speciem de facto simul repræsentetur vbi est, nihil conducit ad speciem, quo illud repræsentat vbi verè non est.

48. Est & alia experientia, vt cùm quis diu aliquam magnam lucem aspexit, & deinde statim ad tenebras se conuertit, adhuc tantisper sibi videtur lucem aliquam aspicere: aut cùm intuitus est aliquem intensum colorem, & deinde vertit se ad aspiciendum alium colorem diuersæ rationis, adhuc iste secundus color per aliquod tempus apparet eiusdem omninò rationis cum priore colore. Hoc autem aliunde prouenire non potest, nisi quia relictæ sunt aliquæ species lucis, vel coloris præcedentis, quæ simul cum potentia producunt visionem obiecti absentis permodum præsentis.

49. Probato antecedente sic deduco consequentiam: mutatur obiectum in se, & non mutatur obiectiuè: ergo oculus non intuetur illud immediatè in seipso existens, sed in sua imagine expressum. Consequentia patet, quia si intueretur illud in seipso, non posset, eo corrupto, illud intueri, cùm non possit intueri, nisi quod est sibi præsens, quia oculus non fertur nisi ad præsens. Confirmatur: corrupto obiecto, adhuc potentia aliquid reale videt: sed illud non est obiectum naturaliter existens, cùm illud sit iam corruptum; ergo est obiectum intentionaliter expressum. Maior constat: tum quia potentia eodem modo videt nunc, corrupto obiecto, atque videbat antea, eodem obiecto præsente: ergo si antea videbat quid reale, etiam nunc videt aliquid reale. Tum quia oculus ferri non potest, nisi ad obiectum reale, vt ex Animastica scientia suppono. Consequentia verò probatur, quia si videt aliquid reale, & non obiectum in seipso existens; ergo obiectum in sua imagine expressum; cùm inter hæc duo nequeat aliud obiectum reale assignari.

50. Tertiò probatur nostra principalis assertio à priori. De quolibet verbo siue intelligibili, siue sensibili, hoc pacto: Verbum seu species expressa est adæquatus effectus speciei impressæ; species verò impressa est adæquata similitudo obiecti: ergo verbum seu species expressa est adæquata imago obiecti: ergo in ea sufficienter cernitur obiectum. Maior patet, quoniam adæquatum munus & finis speciei impressę est gignere verbum: quod propterea appellatur coceptus & partus memorię fœcundæ, quæ quodammodo ingrauidatur obiecto, quod per sui speciem, tanquam per semen fœcundat illam in ordine ad verbum gignendum. Minor constat, quia species impressa, cùm à natura substituatur loco obiecti, quod sæpe vel est absens, vel ineptum ad concurrendum immediatè cum potentia ad productionem verbi, debet adæquatè continere in esse intentionali, quidquid obiectum ipsum continet in esse naturali. Vnde Capreolus in primo distinct. 35. quæst. 2. columna quarta, §. *Sciendum tamen*, verbum mentis appellat similitudinem essentiæ rei, & ipsam quodammodo quidditatem naturæ rei in esse intelligibili. Prior consequentia elucet, quoniam si verbum est adæquatus effectus speciei impressæ, & species impressa est adæquata similitudo obiecti, verbum erit adæquata similitudo & imago obiecti. Posterior verò consequentia probatur, quoniam in adæquata imagine adæquatè continetur imaginatum: igitur sufficienter in ea poterit imaginatum videri. *Capreolus.*

51. Confirmatur, quia, vt docet S. Tho. 3. contra Gentes cap. 49. & in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 1. & Confirmant Durandus in 4. distinct. 49. quæst. 2. num. 13. & Palatius disput. 1. Caiet. suprà citatus, & alij; species intentionales sunt eiusdem naturæ & quidditatis in repræsentando cum obiectis, quæ repræsentant: sunt enim à natura institutæ, vt loco obiectorum substituantur, in potentijs cognoscitiuis: cùm enim nequeant plerumque obiecta per seipsa potentias informare, aut illis præsentia esse, ne maneant potentiæ destitutæ sufficienti virtute ad sua obiecta cognoscēda, rectè à natura prouisum est, vt per species intentionales, quæ sunt obiecta ipsa secūdùm esse intentionale, hoc munus exerceatur: vnde cū verbū producimus, rē ipsam in esse intētionali producimus, quia producimus adæquatam, & naturalem imaginem ipsius, in qua obiectum relucet secūdùm totum esse naturale, quod in se habet. *S. Thomas.* *Durandus.* *Palatius.* *Caietanus.*

52. *Obijcies* 1. Si oculus perciperet obiectum intra se expressum, & non extra se existens, omnia videret æqualiter distantia: quia in visione ipsa expressa omnia forent æquè præsentia oculo: ergo non magis videret vnum distans, quàm aliud. 2. Non potest oculus percipere, nisi coloratum: atqui visio non est colorata: ergo non potest esse obiectum oculi. 3. Si oculus videret obiectum in ipsa specie expressum, sequeretur, quòd etiam clausus videret illud, quia etiam clausus posset conseruare suam speciem expressam: item posset videre illud supra se positum, quod est contra experientiam.

53. Resp. Ad primum nego sequelam: & ad probationem nego omnia esse æquè præsentia oculo obiectiuè & intentionaliter, esto omnia sint oculo præsentia subiectiuè & realiter. Ratio, quia visio non solùm exprimit obiectum, sed distantiam ipsam, quæ inter vnum obiectum & aliud intercedit: vnde non tantùm obiectiuè apparent res ipsæ

visibiles,

visibiles, sed etiam distantia interposita inter res ipsas visibiles. Ad 2. Concedo, visionem non esse coloratam subiectiuè & naturaliter, esse tamen coloratam imò colorem ipsum obiectiuè & intentionaliter, cùm sit ipse color intentionaliter expressus: & hoc sufficit vt sit obiectum potentiæ, quæ per se tendit ad esse intentionale, vt expressiuum esse naturalis obiecti. Ad 3. Nego vtramque sequelam: & ad primam, nego posse oculum clausum conseruare in seipso speciem expressam, quia hæc actu pendet ab impressa, & rursus impressa ab obiecto: obiectum autem nequit sui speciem in oculum clausum transmittere propter obstaculum. Ad secundam, vt obiectum producat proportionatam speciem sui in oculum, certam requirere loci distantiam.

## *Solutio argumentorum oppositæ sententiæ.*

*Capreolus.* 54. AD primum oppositæ sententiæ Resp. Capreolus in 1. dist. 27. q. 2. art. 3. *ad quartum*, non oportere hoc nos experiri, sed sat esse efficaci ratione id nobis constare: præsertim cùm non sint duo actus, quibus verbum & obiectum intelligimus, sed vnus & idem, quo & verbum & obiectum ipsum in verbo expressum simul cognoscimus. Addo ego, quod cùm verbū non intelligamus actu reflexo, sed directo, & verbū sit ipsum obiectum intentionaliter expressum, cognoscendo verbum actu directo, cognoscimus obiectum ipsum in verbo intentionaliter expressum, absque alio actu reflexo.

55. Ad secundum Resp. Dupliciter posse à nobis verbum cognosci; vno modo subiectiuè, & vt res quædam est in seipsa existens, & sic cognoscitur distincto actu reflexo. Alio modo obiectiuè, & vt imago formalis est, & expressio naturalis obiecti, & sic cognoscitur eodem actu; qui quatenus informat potentiam, est illi ratio cognoscendi; quatenus verò est imago obiecti, illud in seipso exprimens, & in prospectu potentiæ ponens, est ratio cognita, & obiectum ipsum in esse intentionali & intelligibili expressum. Idem igitur actus vt vitalis forma, est potentiæ ratio cognoscendi; vt obiectiua imago rei, est ratio cognita: est autem verbum formaliter, non vt est ratio cognoscendi, sic enim se tenet ex parte potentiæ, & dicitur esse ipsum formale cognoscere; sed vt est ratio cognita: sic enim se tenet ex parte obiecti, & est ipsum repræsentari obiecti. *S. Thomas.* Vnde S. Thom. 4. contra Gent. c. 11. Verbum vocat ipsum intelligi, quia nimirum verbum tenet se formaliter ex parte obiecti.

56. Ad tertium. Nego Consequentiam: ad cuius probationem concedo id, quod non est quantum nec subiectiuè, nec obiectiuè, siue nec naturaliter nec intentionaliter, non posse esse medium *in Quo* cognoscendi quantum: nego tamen id, quod est quantum obiectiuè & intentionaliter, quale est verbum mentis de re quanta, non posse esse medium *in Quo* cognoscendi quantum, sub qua tātum ratione terminat vim intellectiuam.

57. Ad quartum. Nego sequelam: Ratio negationis est, quia verbum non cognoscitur formaliter secundùm esse subiectiuum, sed secundùm esse obiectiuum & intentionale, quia cognoscitur, vt imago tantùm est obiecti; & consequenter non cognoscitur secundùm respectum ad subiectum, sed secundùm ordinem & respectum ad obiectum, cuius est imago. Ad Confirmationem dico, nos cognoscere verbum concretè concretione obiectiua, nō autem subiectiua: cognoscimus enim illud vt imaginem expressiuam obiecti, non vt formam inhæsiuam subiecti; atque adeò vt concretum in ratione repræsentantis, non in ratione inhærentis atque accidentis.

58. Ad quintum. Nego consequentiam: Ratio discriminis est, quia voluntas non producit sibi obiectum, sicut illud sibi producit intellectus. Et hoc ideo, quia voluntas cum sit potentia appetitiua, non potest impelli ad operandum, nisi à bono præcognito, & obiectiuè præsente: intellectus verò, cùm sit potentia conceptiua, non supponit, sed facit sibi obiectum præsens media specie, vi cuius illud producit in esse intentionali. Ex quo discrimine oritur, vt intellectus producat sibi verbum, in quo obiectum cognoscat; non autem voluntas aliquid, quod diligat: quia quod voluntas est dilectura, supponitur iam præsens per cognitionem, & verbum mentis: quod autem intellectus est cogniturus, non supponitur præsens per aliam potentiam, nisi tantùm remotè, & in habitu per speciem ipsam obiecti.

59. DICES, cur voluntas non fertur immediatè in suum amorem, sicut intellectus in suum verbum? Resp. quia cùm voluntas feratur ad diligendam bonitatem obiecti, & ipsius amor non sit imago, in qua obiecti bonitas diligenda reluceat, non potest ad illum ferri, tanquam ad obiectum diligendum, sed tāquam ad rationem diligendi. Contrà verò, cùm verbum sit expressa imago, in qua obiecti perfectio, quam intellectus conatur attingere, reluceat, potest ad illud ferri, non solùm tanquam ad rationem cognoscendi, sed etiam tanquam ad obiectum ipsum cognoscendum. Cuius discriminis ratio à priori sumenda est ex diuerso fine vtriusque potentiæ. Etenim finis voluntatis est, coniungi cū bono amato, secundùm esse reale & existens, cuius realem consecutionem intendit voluntas per suum actum: finis verò intellectus est, veram notitiam de obiecto acquirere. Ex qua finium diuersitate sequitur, vt possit intellectus in suo verbo, tanquam in imagine, obiectum, cuius notitiam quærit, cognoscere; non autem voluntas in suo amore obiectum, cuius realem consecutionem intendit, diligere. Lege August. 9. de Trinitate c. vlt. & *Augustin.* l. 10. per multa prima capita. Ad illud autem

quod

quod affertur de assensu fidei, nego, illum non ferri in Deum vt veracem, quamuis ad illum feratur medio verbo, quia hoc non tollit, quin feratur in ipsam veritatem Dei expressam & repræsentatam in verbo.

60. Ad sextum nego antecedens, vt constat ex dictis: & ad probationem dico, ad intuitiuam visionem sat esse, si illa sit per propriam speciem genita: quod admittere tenentur omnes, qui nobiscum concedunt, posse oculum intueri obiectum etiam corruptum, si in ipso conseruetur visio: nam talis visio non posset esse abstractiua, quia oculus non est capax talis cognitionis: ergo non necessariò erit intuitiua, ex eo tantùm, quòd erit visio per propriam speciem genita. Lege S. Th. q. 4. de verit. art. 2. ad 7. *S. Thomas.*

61. Ad septimum. Cùm Arist. negat, per operationes immanentes aliquid produci in nobis, vel solùm negare, per eas produci aliquid extra nos, sicut producitur per operationes transeuntes; alioqui per operationes immanentes producuntur habitus: vel tantùm negare, produci aliquid, quod sit finis operationis immanentis, vt apertè docuit 1. Eth. 1. Cæterùm verbum, quod per intellectionem producitur, non est finis intellectionis, sicut quod producitur per actionem transeuntem est finis ipsius operationis transeuntis; sed potiùs ipsa intellectio est finis; nam ideo producitur verbum, vt in eo intellectus obiectum intelligat. *Aristoteles.*

62. Ad octauum. Nego sequelam: etenim immediatum obiectum intellectionis non solùm potest esse verbum, sed etiam obiectum ipsum secundùm se, præsertim quando obiecti adæquata similitudo implicat, vt de visione beata mox dicemus. Ad probationem autem sequelæ, concedo, nullam intellectionem esse posse sine re intellecta, vel in se, vel in suo repræsentatiuo.

63. Ad nonum Respondent aliqui, verbū immediatè produci ab actu intelligendi, tanquā à causa efficiente proxima. Sed cōtrà, nā hoc est contra Aug. 15. de Trinitate cap. 10. afferentem, verbū gigni ex memoria: *Necesse est*, inquit, *cùm verbum loquimur, ex ipsa scientia, quam memoria tenemus, nascatur verbum.* *Augustin.*

64. Quare mihi cum Scoto in 1. dist. 27. q. 2. §. *Ad quæstiones*, & alijs apud Canariensem 1. p. q. 27. art. 1. disp. 4. dicendum est, verbum immediatè produci ab intellectu fœcundo per speciem intelligibilem obiecti, media actione dicendi, non autem media actione intelligendi. Fundamentum est, quia hæc sententia per pauciora saluat omnia, quæ de Verbo dicuntur. Tria enim in verbo saluanda sunt, primum habitudo producti ad producentem; secundum intellecti ad intelligentem; Tertium intelligentis ad rem intellectam. Cùm enim verbum, vt ex S. Thom. docuimus, sit intellectio intellecta, ex memoria fœcunda genita, hæc tria necessariò includit; nempe habitudinem producti ad producentem, qua notitia genita est; habitudinem intellecti ad intelligentem, quatenus obiectum intellectum est; & habitudinem intelligentis ad rem intellectam, quatenus intellectio formaliter est. Atqui possunt hæc tria saluari per vnicam formam ab intellectu productam, media actione dicendi: ergo nō sunt multiplicandæ plures, altera qua intellectus intelligat, & per quam verbum immediatè producat; altera quæ sit ipsum verbum productum. Minor probatur, quia non repugnat, vt eadem forma sit & ratio cognoscendi, & simul ratio cognita. Igitur poterit per vnicam formam hæc triplex habitudo saluari. Antecedens probatur, quia non implicat, vt eadem forma sit & actus vitalis ex parte potentiæ, & naturalis atque expressa imago ex parte obiecti. Consequentiam ostendo, quia talis forma, vt ab intellectu producta includeret primam habitudinem; vt imago obiecti includeret secundam; vt informans & actuans potentiam includeret tertiam; ergo saluaret omnia, quæ sunt propria verbi. Confirmatur: nam altera sententia ad minimum duas admittit formas realiter distinctas, alteram, qua intellectus intelligit, alteram qua obiectum repræsentatur. Hanc nostram sententiam indicat præcitato loco Augustin. *Formata*, inquit, *cogitatio verbum est, quod in corde dicimus.* Si ergo verbum est cogitatio, non igitur ab ea realiter distinguitur, cùm nulla res possit esse id, à quo realiter distinguitur. Eadem colligitur ex S. Thom. prima parte quæstione 34. artic. primo ad tertium, & quęst. 4. de Veritate art. 2. *Scotus, Canariēsis.* *S. Thomas.* *Augustin.* *S. Thomas.*

65. Ad decimum. Sat esse, si illud contineat intentionaliter, quod est continere illud per suam propriam & naturalem imaginem. Quæ conuenientia maior est ad repræsentandum obiectum, quàm quæcunque conuenientiæ similitudo in essendo: magis enim in essendo conuenit vnum album cum alio, quàm species albi cum ipso albo, & tamen magis species albi repræsentat album, quàm vnum album aliud album. Lege Scotum in secundo distinct. 3. quęst. 9. Ad Confirmationem concedo, verbum esse ad instar picturæ, sed naturalis, non artificialis: inter quas hoc est discrimen, quod quia artificialis non est ab ipsa re, quam repræsentat, naturaliter producta, nequit rem ipsam ad viuum exprimere; sicut naturalis, quæ quia producitur ab ipsa re, quam repręsentat, illam ad viuum exprimit. Cuius ratio est, quia quæ producitur ab ipsa re, illam exprimit per propria rei; quæ verò producitur ab artifice, rem exprimit per aliena, atque adeo non potest, nisi abstractiuè illam repræsentare. *Scotus.*

66. Ad vndecimum. Nego sequelam: nā ad intuitiuam cognitionem requiritur, vt res videatur in verbo per propriam speciem rei producto: at non omne verbum producitur per propriam speciem rei: igitur non omnis cognitio est intuitiua, esto omnis cognitio rem cognoscat in verbo præsente.

67. Ex dictis infertur 1. Verbum formaliter

liter distingui ab intelligere: est enim verbum, quatenus expressiuum est obiecti; est autem intelligere, quatenus est actus intellectus, & ratio percipiendi obiectum in ipso verbo expressum. Est verbum, quatenus manifestatiuum est obiecti in memoria latentis, eiusque naturale signum: est intelligere, quatenus est forma, qua fit talis manifestatio obiecti, ipsi intelligenti. Vt verbum est, magis se tenet ex parte obiecti, cuius est expressa imago, & virtute cuius producitur, quàm ex parte intellectus: vt intellectio verò, contrà, magis se tenet ex parte intellectus, cuius est vitalis actus, & ratio ipsa percipiendi obiectum. Vt verbum, comparatur ad intellectū, vt terminus obiectiuè terminans ipsum intelligere: vt intellectio, comparatur vt forma actu informans, & actiuè tendens ab obiectum ipsum cognoscendum. Vt verbum obiectum exprimens, illudque in prospectu mentis proponens, est prius ratione ipso intelligere, quia obiectum vt cognoscendum præsupponitur ad cognitionem, contrà verò vt actu intellectum, & posterius ratione ipso intelligere. Comparatum ad intellectum, vt producentem vtrumque habet rationem effectus; sed vt verbum habet rationem prolis, quia procedit, vt imago ad exprimendum obiectum, quod tanquam parens media specie veluti semine vnà cum memoria, tanquam matre gignit verbum sibi simile: deficit autem à perfecta ratione prolis, quia non procedit in consubstantialitate eiusdem naturæ cum adæquato principio producente, quæ est tota natura intellectualis. Comparatum ad dicere, vtrumque est posterius, tanquàm terminus actione; eodem quippe dicere, tanquam actione procedit & verbum, & intelligere, cùm à parte rei sit vna & eadem indiuisibilis forma.

68. An autem dicere sit distinctum ab ipso intelligere, & verbo, sicut reliquę actiones à termino ipso producto, mihi negatiua pars est probabilior: cuius fundamentum est, quia actus vitalis dicit essentialem dependentiam à potentia ipsa vitali, cùm sit actualis tendentia ipsius: non diceret autem essentialem dependentiam à potentia ipsa vitali, si ab illa procederet media actione distincta: quia tūc posset idem terminus per aliam actionem à solo Deo fieri: sicut reliqui effectus, qui ab actione distinguuntur. Eam igitur dependentiam dicit actus vitalis à potentia vitali, quam dicit actio à principio, à quo est: sed implicat, actionem vnius causæ fieri ab alia causa, cùm sit actualis dependentia solius causæ, cuius est actio. Ergo similiter implicabit, vt actus vitalis fiat ab alia causa, cùm sit actualis & vitalis dependentia solius potentiæ, cuius est vitalis actio & tendentia. Colligitur ex S. Thoma q. 4. de ver. ar. 2. ad 5. vbi docet, in nobis dicere significare intelligere cum expressione conceptionis, cùm nequeamus aliter intelligere, quàm huiusmodi conceptionem exprimendo, & intelligere includere ipsum dicere. *S. Thomas.*

69. Dices. Actus vitalis non solùm pendet à potentia vitali, sed etiam à specie & habitibus, qui non sunt vitales. Ergo saltem ab istis producitur actione distincta. Confirmatur, quoniam ab istis non pendet essentialiter, siquidem idem actus vitalis fieri posset absque vllo concursu speciei & habitus, supplente Deo concursum ipsorum. Resp. Concedo consequentiam: non enim puto absurdūm, eumdem effectum dependentem à pluribus causis, ab vna pendere essentialiter, & nulla media actione distincta; ab alia verò accidentaliter, & media actione distincta. Quemadmodum vnio & quilibet modus, excepta causalitate essentialiter pendet à subiecto, cuius est modus, nulla media causalitate ab eo distincta; accidentaliter verò, & media actione distincta ab agente creato, ad talem modum actiuè concurrente; quia potest Deus circa talem modum causalitatem agentis creati supplere, non autem causalitatem subiecti. Eodem modo potest hic actus vitalis essentialiter pendere ab hac potentia vitali, nulla actione distincta intermedia: accidentaliter verò à specie, & à quacunque alia causa non vitali creata, media actione distincta: quam Deus se solo supplere posset, licet supplere non possit concursum potentiæ vitalis, propter essentialem dependentiam ab illa.

70. Infertur 2. Verbum esse proprium partum intellectus, non aliarum potentiarum: nam licet aliæ potentiæ cognoscitiuæ obiecta percipiant in imagine, virtute speciei in seipsis producta, illud tamen non vocatur propriè verbum, sed idolum: quia verbum propriè est terminus locutionis, atque adeò solius potentiæ intellectiuæ, cuius tantùm est loqui, tam sibi per expressionem verbi manifestatiui rei in memoria latentis, quàm alteri per prolationem verbi vocalis manifestatiui verbi mentalis.

71. Infertur 3. Non solùm dici verbum respectu intellectus à quo producitur, sed etiam respectu obiecti, quod repręsentat: lapis enim intellectus, dicitur verbum lapidis in intellectu, & homo intellectus, verbum hominis, vt testatur S. Tho. 4. contra Gent. c. 11. & docet Anselmus suprà citatus. *S. Thomas. Anselmus.*

72. Infertur 4. Non solùm formari verbum quando concipimus res perfectè, sed etiam quando eas concipimus imperfectè: Cuius ratio est, quia verbum est necessarium, vt in eo obiectum cognoscamus: ergo siue perfectè, siue imperfectè obiectum cognoscere debeamus, semper necessarium erit verbum, vt in eo aliquo modo cognoscere obiectum possimus.

73. Dico 2. Repugnat species expressa, seu verbum intelligibile diuinæ essentiæ: Est S. Thom. 1. p. q. 12. art. 2. & alibi, negantis omnem similitudinem diuinæ essentiæ, tenentem se ex parte rei visæ; & communior inter Thomistas, & antiquiores Scholasticos. Fundamentum est, quia species expressa debet exprimere obiectum in esse intentionali, *S. Thomas.*

secundùm

secundùm omnem perfectionem, quam habet in esse reali: nulla autem species creata exprimere valet essentiam Diuinam, secundùm omnem perfectionem, quam illa continet in esse reali: igitur nulla dabilis est species expressa Diuinæ essentiæ; Maior probatur; quoniam species expressa gerit vicem obiecti, in cuius locum substituitur: igitur debet illud quoad omnia exprimere, alioqui per eam non posset totum obiectum, secundùm omnem perfectionem cognosci, sed solùm secundùm eam, secundùm quā exprimeretur: cùm enim obiectum non videatur in se ipso, sed in eius specie expressum, si species illud non exprimeret, secundùm omnē perfectionem, quàm in se ipso continet, non posset in ea videri, secundùm omnem perfectionem, quam obiectum continet in suo esse reali.

74. Confirmatur, quia species expressa debet esse talis, vt obiecto etiam non existente, in ea possit totum conspici, ac si illud in se ipso existens conspiceretur, cùm in obiecto representando non pendeat ab eius existentia, aut locali præsentia. Vnde concedit Vasquez 1.2. disp. 7. num. 8. quòd si per impossibile Deus non existeret, & adhuc in beato cōseruaretur visio Diuinæ essentiæ, illum fore beatum, quia per eam videret Deum, sicuti est, eodem prorsus modo, quo illū videt nunc in se ipso existentem & præsentem. Maiorem primi Syllogismi ostendo, quia sequeretur, talem speciem fore infinitæ perfectionis: implicat autem quęcumque perfectio creata infinita, vt ex probatis in Philosophia suppono: ergo. Sequelam probo, quia talis species esset tantæ perfectionis in esse intentionali, quantę perfectionis esset obiectum ipsum in esse naturali: atqui obiectum exprimendum est infinitæ perfectionis in suo esse naturali; ergo & species ipsa in suo esse intentionali. Minor cū consequentia elucet. Maior probatur, quia species expressa per suū esse intentionale supplet esse naturale obiecti, cùm in ea conspiciendum sit naturale esse ipsius: igitur tantæ perfectionis esse debet ipsa in esse intentionali, quantæ est obiectum in suo esse naturali. Nam in ea mensura crescere debet species in esse intentionali & representatiuo, qua crescit obiectum ipsum in esse naturali.

*Vasquez.*

75. Confirmatur: quia implicat, formam finitam præstare posse effectum formalem infinitum: videre autem Deum obiectum infinitum, esset effectus formalis speciei expressæ: ergo implicat illam exprimere Deum infinitum, & tamen esse perfectionis finitæ. Maior constat, quia effectus formalis non distinguitur à forma, cùm sit ipsamet in subiecto posita: ergo si ipsa est finita, non poterit conferre effectum formalem infinitū. Minor probatur, nam ea tantùm in intellectu posita, & omni alio, etiam obiecto ipso è rerum natura per impossibile sublato, redderet intellectum beatum, & videntem Deum, vt iam concedit Vasquez, & concedere debent omnes, qui nobiscum sentiunt, destructo visibili, & manente tantum visione in oculo; adhuc nos videre obiectum ipsum visibile. Igitur videre Deum obiectum infinitum, esset effectus formalis solius speciei expressæ; alioqui omni alio sublato sola species id præstare non posset, quia sublata causa, vel concausa non potest integer effectus manere. Vnde non cohęrenter Torrez 1.p.q.27.a.1. in p.p. suę disputationis docet, verbum esse id, in quo tanquam in imagine obiectum cernitur, & tamen in secunda parte eiusdem disputationis dub. 4. probabiliter affirmat, à beatis formari verbum de Diuina essentia.

*Torrez.*

76. *Obijcies* 1. Potest species accidentalis repræsentare obiectum substantiale: ergo & species finita obiectum infinitum. Secundò de facto videtur Deus à beatis, vt est in seipso obiectum infinitum: ergo non implicat, videri obiectum infinitum actu finito. Tertiò potest intellectus finitus videre Deum infinitum: ergo poterit species finita repręsentare Deum infinitum.

77. Resp. Ad primum nego consequentiam: ratio discriminis est, quia potest dari accidens, quod sit adæquata proprietas substantiæ finitæ: non potest autem dari accidens, quod sit adæquata proprietas substantię infinitæ, atque adeò dari potest accidens, quod repręsentet adæquatè substantiam finitam, non potest autem dari accidens, quod adæquatè repręsentet substantiam infinitam. Cuius ratio est, quia licet, ad hoc vt species repræsentet substantiam, non sit necesse, vt sit ipsa substantia, vt patet in specie angelicà repræsentante substantiam, est tamen necesse, vt sit tantæ perfectionis in esse accidentali, quantę est substantia repręsentata in esse substantiali. Et hoc ideò, quia species per suum esse accidentale debet exprimere totum esse substantiale obiecti: vnde quanto crescit esse substantiale obiecti, tanto crescere debet esse accidentale speciei; quia verò species creata nequit crescere infinitè in esse accidentali, vt exprimere possit infinitum esse substantiale Dei; potest autem crescere finitè vt exprimere possit esse substantiale creaturę; poterit dari species accidentalis, adæquatè repræsentans substantiam creatam, nequit autem dari species accidentalis, adæquatè repræsentans substantiam increatam.

78. Ad secundum. Concedo, de facto Deū videri à beatis, vt est in se obiectū infinitum, nego tamen videri in aliqua specie aut verbo creato, sed in se ipso immediatè: non implicat autem, videri obiectum infinitum actu finito, qui tantùm sit ratio videndi: implicat verò, videri obiectum infinitum actu finito, qui sit ratio in *qua* videatur obiectum. Nam in primo casu infinitas se tenet tantùm ex parte obiecti; in secundo verò etiam ex parte actus: & quia solùm actus creatus infinitus implicat, non autem Deus obiectum infinitum, ideò non implicat, Deum videri actu finito, qui tantùm sit ratio videndi; implicat autem videri actu finito, qui simul sit ratio, in *Qua* ipsum videndi.

79. Ad Tertium. Nego consequentiã, nam obiectum est extrinsecum intellectui, est enim extrinsecus tantùm terminus illius; speciei verò est intrinsecum, saltem secũdùm esse intentionale, quia debet in illa repræsentatiuè contineri: ex infinitate autem termini extrinseci nulla colligitur infinitas in potentia: sicut colligitur ex infinitate obiecti intrinseci infinitas intentionalis in actu.

80. Ex dictis infertur, nec dari posse speciem expressam exprimentem aliquod attributum Diuinum, vt in se est. Contra quod sentire videntur Heruæus tract. de verbo quæst. 3. art. 4. & Capreol. in 1. dist. 27. quæst. 2. art. 3. *ad octauum.* Sed ij auctores solùm loquuntur de specie, quam beati de attributis formare possunt cognitione abstractiua extra verbum. Fundamentum corollarij est, quia quodlibet attributum Diuinum est in suo genere infinitum; ergo nequit per speciem finitam, vt in se est, adæquatè repræsentari. Antecedens patet, quia quodlibet attributum Diuinum caret termino: sapientia enim in ratione sapientię est illimitata, quemadmodum bonitas in ratione bonitatis, potentia in ratione potentiæ, & reliqua attributa. Consequentia constat ex dictis, quia infinitum nequit per speciem finitam adæquatè exprimi ac repræsentari.

*Heruæus. Capreolus.*

81. Dico Tertio: Beati vident Deum visione creata, quæ est sola vitalis tendentia, & intentionalis vnio intellectus creati cum Deo proximè & immediatè intelligibili. Quę dici potest similitudo *Qua*, & verbum largo modo, quatenus vnit potentiam intelligibiliter cum Deo, & producitur ab intellectu beati medio lumine gloriæ; quæ est aliqua similitudo Dei, vt infrà constabit. Est Paludani in 4. dist. 49. q. 1. art. 2. in fine, & omnium, qui nobiscum negant in patria produci verbum à beatis.

*Paludanus.*

82. Fundamentum est, quia hic modus possibilis est, imò ab ipsis aduersarijs, qui hoc pacto speciem expressam explicant, communiter admissus: in nostra autem sententia deficit à natura speciei expressę, & verbi mentalis propriè dicti, quia non exprimit intentionaliter obiectum, vt in eo proximè, & immediatè cerni possit. Vnde, si per impossibile Deus, vel non esset præsens intellectui beatorum, vel non existens, beati Deum non viderent per huiusmodi vitalem tendentiam: hoc autem est contra naturam speciei expressæ, quę obiectum absens, & non existens potentię repræsentat, vt præsens atque existens, vt aduersarij etiam admittunt, sed me iudice, non cohęrenter ad sua principia: quia, si species expressa non debet per ipsos obiectum in se ipsa exprimere, sed solùm potentiam ducere ad illud, in se ipso videndum, non existente obiecto, non poterit intellectus, vi solius speciei illud intueri, quia species, vt ab ipsis explicatur, non aliter facit obiectum videre, nisi, quia intellectum vitaliter ducit ad illud in se ipso videndum: igitur si in se ipso non existit, impossibile est, vt possit videri; quia non videtur, nisi quod est aut in se aut in alio: quando igitur obiectum neque existit in se, neque in sua specie, nequit simpliciter videri. Eò quòd non esset terminus, qui terminare posset actum visionis, sine quo implicat visio, quæ essentialiter est alicuius obiecti visio.

83. Ad fundamentum primę sententiæ, distinguendum est antecedens, de similitudine *Qua*, vel *in Qua*; negandum de *in Qua*, cõcedendum de *Qua*. Et de hac intelliguntur Scripturæ, & Patres, cùm docent, beatos videndo Deum formare verbum, & similitudinem Dei. Ceterùm rectè Patres ex verbo creato probant increatum, non quidem in ratione causæ finalis, sed formalis: etenim finalis causa producendi verbum increatum, non est, vt suppleat absentiam obiecti, sed vt natura Diuina subsistat in tribus suppositis, quia, vt sępè testatur Augustinus, verbum Diuinum non producitur ex necessitate, aut indigentia; cùm eodem modo æternus Parens suam naturam, & reliqua omnia intelligeret per actum intelligendi absolutum, communem reliquis Diuinis personis, atque illam intelligit per verbum, & in verbo; sed ex fœcunditate naturæ, quæ essentialiter postulat esse in tribus personis: quarum, quia secunda vi suę processionis debet esse filius intellectualis; & filius intellectualis esse non possit, nisi in se ipso intelligibiliter exprimat adęquatè naturam ipsam Parentis, & omnia, quæ sunt in memoria fœcunda ipsius, ideò necessariò procedit vt Verbum, in quo hæc omnia perfectissimè relucent. Quare non est in Deo necessarium Verbum, vt in eo Pater intelligat se ipsum & omnia, cùm independenter ab illo intelligat omnia in sua specie expressa, imò neque respectu sui necessaria esset Deo species expressa, quia cùm sit sibi intimè præsens, posset se ipsum cognoscere, absque specie expressa, quę tantùm substitui solet loco obiecti absentis, sed solùm ponitur ad maiorem perfectionem Diuinę cognitionis, quæ non tantùm est ratio *Qua*, sed etiam *in Qua* cognoscitur Diuina essentia: vtramque enim perfectionem includit increata cognitio respectu obiecti primarij. At verò causa finalis producendi verbum creatum est, vt suppleat obiecti absentiam, quæ nec supplenda est in obiecto beatifico, nec suppleri potest, in ordine ad intellectum creatum, ob rationem suprà assignatam. Ceterùm in ratione causę formalis rectè probatur Verbum increatum ex creato. Nam sicut creatum producitur ab intelligente, in eoque tanquam in propria imagine cernitur obiectum: ita increatum producitur à Patre intelligente, in eoque tanquam in propria & naturali imagine cernitur ipsa natura Patris, quam verbum Diuinum perfectissimè in se ipso exprimit.

*Explicãtur Scripturæ & Patres.*

*Augustin.*

SECTIO

# SECTIO IV.

## An sit possibilis species impressa Diuinæ essentiæ.

*Vasquez.* 84. PRIMA sententia Vasq. 1. p. disp. 43. ca. 7. de facto eam in beatis concedentis, quam sequitur Theodorus Smising. de Deo vno, tract. 2. d. 6. num. 69. & probabilem putat Richar. in 3. dist. 14. a. 1. q 3. Eamque concedere videtur Aureolus quolib. 8. art. 2. vbi docet, Deum à beatis videri per similitudinem creatam, quæ est actus ipse intelligendi. Explicans autem, quid sit ipsum intelligere formaliter, ait esse ipsam receptionem speciei, cò quòd ex Philosopho 3. de Anima, intelligere, est *quoddam pati*; non esset autem *quoddam pati*, si in alio, quàm in ipsa receptione speciei formaliter consisteret.

*Smising.* *Richardus.* *Aureolus.* *Aristoteles.*

85. Fundamentum Vasquez est, quia in omnium sententia infunditur beatis lumen gloriæ, vt comprincipium visionis beatæ: sed tale lumen est species impressa Diuinę essentiæ; tum quia nullus ex antiquis Scholasticis lumen gloriæ distinguit à specie impressa: Tum quia S. Thom. 1. p. q. 12. ar. 2. & 3. Contra Gent. c. 54. lumen glorię appellat similitudinem Dei, quod est proprium speciei. Tũ quia lumen gloriæ ita determinat intellectum beati ad videndum Deum, vt nullo alio determinatiuo superaddito, sufficienter ipsum determinet ad Deum videndum: sed species adhoc tantùm requiritur, vt determinet potentiam ad hoc, vel illud obiectum: ergo si independenter ab omni alio, intellectus beati per solum lumen est sufficienter determinatus ad videndum Deum, tale lumen erit species impressa Dei.

*S. Thomas.*

*Scotus.* 86. SECVNDA Sententia Scoti in secundò dist. 3. q. 9. §. *ad quartum.* Admittentis in angelis speciem abstractiuam, distinctè repręsentantem essentiam Dei, non quidem in se, sed in suo repræsentatiuo. Distinguit enim notitiam intuitiuam ab abstractiua Scotus in eo, quod intuitiua immediatè producitur, & terminatur ad obiectum in se: abstractiua verò est omnis alia cognitio, quæ nec ab obiecto producitur, nec ad ipsum immediatè terminatur. Angeli igitur in sua creatione habuerunt speciem abstractiuam Diuinæ essentiæ, quæ illam distinctè repræsentabat, non immediatè in se ipsa, sed in suo repręsentatiuo: quamuis ibidem doceat, speciem hanc non esse Angelo rationem cognoscendi in *Qua*, sed tantùm *Qua*; quod an sit cohærenter dictum constat ex præcedenti disputatione. Mouetur autem Scotus ad hanc speciem abstractiuam Diuinæ essentiæ angelo concedendam, quia naturalis beatitudo angeli excedit naturalem beatitudinem hominis, etiam existentis in statu innocentię: sed homo in statu innocentię habebat distinctam notitiam Dei vltimi finis; ergo distinctiorem habere debebat angelus: hanc autem habere non poterat, nisi per speciem abstractiuam Diuinæ essentiæ, distinctè ipsam repræsentantem, non quidem in se, sed in suo naturali repræsentatiuo.

87. TERTIA sententia negat de facto speciẽ impressam Diuinę essentiæ, concedit autem de possibili. Est Argent. in 3. d. 14. q. 1. art. 1. ad tertium, Mayroni quodlib. 4. in fine. Molinæ 1. p. quæst. 12. art. 2. disp. 1. conclusione 4. Valent. puncto 2. sub finem. Suarez lib. 2. de Diuinis attributis, cap. 13. Inclinat Scotus in 2. distin. 3. quęst. 9. §. *ad rationes*, & in 4. dist. 49. quæst. 11. §. *Resp. dicitur* circa finem; vbi soluit rationes in oppositum. Prima pars sententię constat, nam species impressa eatenus requiritur, quatenus nequit obiectum, vel propter absentiam, vel propter sui materialitatem ad cognitionem concurrere: atqui Diuina essentia est intimè prędens intellectui beatorum, & per se ipsam summè immaterialis: frustra igitur ipsius vice reponitur species creata.

*Argentinas.* *Mayronus.* *Molina.* *Valentia.* *Suarez.* *Scotus.*

88. Secunda pars probatur primò, quia datur species expressa, quę perfectiùs Deum repræsentat: ergo possibilis est impressa eiusdem. 2. Quoties in ordine ad vnum effectum non repugnat vnum principium, non debet repugnare & alterum, ad eundem effectum requisitum: sed in ordine ad visionem Dei non repugnat principium, tenens se ex parte potentiæ, quod est lumen gloriæ; ergo nec principium tenens se ex parte obiecti, quod est species impressa.

89. QVARTA sententia huiusmodi speciẽ nõ solùm negat de facto, sed etiam de possibili. Est Henrici in summa art. 33. quæst. 2. ad 3. & quodlib. 4. quæst. 7. S. Tho. 1. p. q. 12. ar. 2. & 3. contra Gent. cap. 49. & 51. q. 8. de veritate art. 1. & q. 10. a. 11. quodlib. 7. a. 1. & in 4. dist. 49. q. 2. ar. 1. Durandi quęst. 2. à num. 12. Capreoli q. 5. a. 1. Soti q. 2. art. 3. conclusione 2. Palatij disp. 1. sub finem, Bassoli in 3. dist. 14. q. 1. a. 1. §. *dico igitur*. Marsilij q. 10. ar. 2. dubio incidente conclusione 2. Ferrar. 3. contra Gent. c. 49. Caiet. & Bannes 1. p. loco præcitato, Zumel ibidem disp. 2. Gonzalez disp. 25. sect. 3. Arrubalis disp. 16. cap. 4. Bartholomęi Torrez quæst. 27. art. 1. disp. 5. parte 2. dub. 4. Quę sententia vera est & sequenda. Difficultas est in assignanda implicantia. Duplex autem implicantię genus assignari solet; alterum eorum, qui negant speciem impressam, admittunt autem expressam; vndè simul implicantiam afferunt de vna, & disparitatem de alia: alterum eorum, qui vtramque simul negant. Primò igitur prius, secundò posterius implicantiæ genus examinabimus.

*Henricus.* *S. Thom.* *Durandus.* *Capreolus.* *Sotus.* *Palatius.* *Bassolus.* *Marsilius.* *Ferrariensis.* *Caietanus.* *Bannez.* *Zumel.* *Gonzalez.* *Arrubal.* *Torrez.*

91. PRIMA implicantia sit Ferrar. 1. cõtra Gent. c. 43. §. 5. *est*, vbi probabiliter sustinens opinionem de specie expressa Diuinę essentiæ, hanc assignat rationem, cur possibilis sit species expressa, non autem impressa Diuinæ essentiæ: quia nimirum species expressa immediatè producta à Deo, vt à forma actuã-

*Ferrarien.*

te intellectum beati, simul cum ipso Deo supplēte vicem speciei, habet rationem vnius perfecti, & totalis repræsentatiui rei intellectæ, non autem species impressa creata, vel expressa producta ab impressa creata.

92. Sed contrà, tum quia eodem modo dici posset, quod species impressa creata simul cum Deo, supplente vicem speciei impressę, haberet rationē vnius perfecti, & totalis repræsentatiui obiecti intelligibilis in actu primo. Tū quia, sicut species impressa se sola debet repræsentare obiectū in actu primo, ita expressa se sola debet repræsentare obiectum in actu secundo; debet enim se sola supplere vicem & absentiam obiecti.

Soto. 93. Secunda Implicantia est Soti, quę duplex est; altera, quia impressa species repræsentat obiectum efficienter, expressa verò formaliter: implicat autem principium creatum effectiuum visionis Dei, non autem formale: eò quòd implicat, creaturam efficienter beare hominem. Hanc rationem sequitur Torrez. Altera est, quia species impressa, cùm substituatur loco obiecti, debet esse in eodem ordine immaterialitatis cum ipso, non autem expressa, quę solùm se tenet ex parte potentiæ.

94. Sed contra primam implicantiam, quia non repugnat, hominem efficienter beari ab aliquo principio creato, vt constat de lumine gloriæ, efficienter concurrente ad visionem Dei. Contra secundam, quia non minùs species expressa, quàm impressa tenet se ex parte obiecti, substituiturque loco illius; illa in ratione principij effectiui; hæc in ratione vitalis imaginis, formaliter exprimentis obiectum: ergo vtraque seruare debet proportionem immaterialitatis cum obiecto.

Zumel. 95. Tertia Implicantia est quorundam Theologorum apud Zumel, quę talis est: Species impressa Dei, si daretur, necessariò esset infinita, non autem expressa, quia hæc limitatur ex potentia finita, à qua producitur; illa verò nec limitari posset ex causa, quæ infinita est; nec ex obiecto, quod est etiam infinitum; nec ex coagente aliquo finito, cùm nullum creatum agens ad illius productionem concurreret; nec ex peculiari idea, cùm nullam haberet ideam; neque ex libero concursu Dei, quia non liberè, sed naturaliter à Deo emanaret, vti emanant cæteræ species à suis obiectis: cùm enim species sit naturalis imago obiecti, non liberè, sed naturaliter ab eo emanaret. Confirmatur: nam illa talis esset naturæ, vt eadem numero inuariata apta esset determinare quemcunque intellectum, etiam infinito lumine præditum, ad quamcunque visionem Dei, etiam infinitam, si possibilis esset, quod est euidens signum infinitæ perfectionis.

96. Sed contrà, nam allatum discrimen inter speciem impressam & expressam nullum est: quia sicut per aduersarios limitatur expressa ex potentia finita, à qua producitur; ita impressa à libero concursu Dei: falsum namque est, eam naturaliter à Deo emanaturam: neque enim hoc postulat intrinseca natura speciei, vt constat de speciebus angelicis, quæ liberè à Deo producuntur. Tum ab actu finito, ad quem per aduersarios talis species ordinaretur. Neque verum esset, eam nullam ideam habere in mente Diuina, nam sicut per aduersarios Deus peculiarem ideam habet de specie expressa, ita & de impressa: quamuis nullam ideam haberet de obiecto ipso, quod est Deus per talem speciem repręsentatus. Ad Confirmationem 1. responderet aduersarius, id prouenire non ex infinitate speciei, quæ solùm posset vt instrumentum ad visionem cōcurrere, sed vel ex infinitate luminis, vel Dei principalis agentis. 2. Negaret assumptum, nam sicut quęlibet species creata est determinatæ perfectionis, ita determinato modo repræsentat obiectum.

Arrubal. 97. Quarta Implicantia est Arrubalis. Puri actus species impressa dari non potest: Deus est purus actus: ergo Dei impressa species dari non potest. Maiorem probat, quoniam purus actus est de se essentialiter intelligibilis perfectiori modo, quàm esset per vllam speciem creatam; cùm enim hoc sit perfectio, nullam includens imperfectionem, concedenda est Deo enti perfectissimo: sed obiectum, quod per suam essentiam est proximè intelligibile, & intimè vnitum cuicumque potentiæ, non potest per aliquam impressam similitudinem repręsentari. Minorem hanc, in qua tota vis ipsius ratiocinationis consistit, sic probat: Implicat forma, quæ essentialiter ordinetur ad perficiendum agens, secundùm eam rationem, qua agens est tale per essentiam; vt implicant accidentia, quæ essentialiter ordinentur ad efficiendam substantiam operatiuam, si substantia ipsa ex se sit proximè & completè operatiua: Implicat qualitas, quæ ordinetur ad facilitandam potentiam ad operandum, si potentia per se ipsam summam habet in operando facilitatem, atqui species impressa essentialiter ordinatur ad reddendum obiectum proximè intelligibile, vt sic possit determinare potentiam ad cognitionem sui. Ergo implicat species impressa Dei, qui per suam essentiam est proximè intelligibilis, & se ipso vnitus cuicumque potentię intellectiuæ, vt illam determinare possit ad cognitionem sui. Minor constat, nam hęc est essentia & natura speciei; est enim essentialiter Vicaria obiecti, vt inductione patet. Maior probatur, quia quod est essentialiter tale, nequit fieri tale per formam accidentalem superadditam; quia cùm talis forma nullum alium haberet effectum, esset essentialiter superflua; atque adeo repugnans: quoniam ex vna parte ordinaretur ad perficiendum aliud, quia hæc esset natura ipsius; ex alia verò non ordinaretur, quia res, ad quam ordinaretur, nō esset capax talis effectus, quia supponeretur per se essentialiter talis. Non est autem eadem ratio de specie expressa, quia hęc se tenet ex parte potentiæ; nec effectus ipsius, est facere obiectum intelligibile, sed intellectum: Deus autem, licet per suam essen-

essentiam sit actu intelligibilis, non est tamen per suam essentiam actu à creatura intellectus, & ideò hoc fieri debet per formam inhærentem creaturę, qua Deus denominetur à creatura intellectus.

98. Sed contrà, quoniam falsum est illud principium, in quo tota hęc ratio fundatur, nempè, *quod est per se operatiuum, non potest fieri per aliam formam operatiuum*: constat primò in substantia angelica, quę respectu proprij intellectus est proximè intelligibilis, & determinatiua eiusdem ad cognitionem sui, cùm tamen non repugnet, intellectum angelicum determinari ad cognitionem sui per speciem superadditam distinctam. Quod sic ostendo; nam certum est, eandem substantiam respectu alterius intellectus esse intelligibilem, & proximè determinatiuam ad cognitionem sui per speciem distinctam: atqui posset Deus, talem speciem producere in intellectu eiusdem angeli, cuius esset species, & cum ea concurrere ad notitiam eiusdem angeli, non concurrendo cum substantia eiusdem ad notitiam sui ipsius. Atqui tunc angelus se ipsum cognosceret, non per substantiam, sed per speciem à se distinctam. Igitur potest, quod est per se operatiuũ, fieri per aliã etiam formam superadditam operatiuum. Omnia elucent, nam potest Deus impedire, ne substantia angelica influat in proprium intellectum ad notitiam sui, & simul concurrere cum specie superaddita eiusdem angeli ad eandem cognitionem sui: quę cognitio, cùm fiat ex propria specie angeli, erit expressiua sui non minùs quàm cognitio producta à propria substantia. Igitur angelus non solùm est intelligibilis per propriam substantiam, sed per distinctam etiam speciem; ergo & Deus.

99. Secundò Constat in omni causa æquiuoca, quę productiua effectus per suam substantiam, fieri potest productiua eiusdem per virtutem vniuocam superadditam: sic piper calefactiuum virtualiter per se ipsum, fieri potest calefactiuum formaliter per calorem superadditum: ergo & Deus intelligibilis per se ipsum, fieri potest intelligibilis per speciem superadditam: Consequentia constat, nam dicitur Deus intelligibilis per efficientem vim determinatiuam, quam habet respectu intellectus creati ad visionem sui: sed hęc virtus æquiuoca est, cùm sit virtus productiua ad extra: species verò impressa Dei esset vniuoca repræsentatiuè respectu visionis eiusdem, nam vtraque esset creata similitudo Dei accidentalis. Confirmatur: nam Deus est per se ipsum potens in omnem effectum, & tamen non repugnat, hanc virtutem communicari creaturę: ergo licet Deus sit per se ipsum potens determinare intellectum creatum ad visionem sui, non repugnabit, communicari hanc vim speciei impressæ.

100. Tertiò Impugnatur hæc ratio à priori, quia nulla ex hoc sequeretur imperfectio in Deo: nam ex hoc, quòd fieret Deus intelligibilis per speciem creatam, non tolleretur, quin maneret intelligibilis per se ipsum. Nec aliqua sequeretur contradictio in specie ipsa: nam quæ affertur, nempè, quia ordinaretur, & non ordinaretur ad efficiendum obiectum intelligibile, saluatur respectu diuersorum: siquidem ordinaretur ad efficiẽdum obiectum intelligibile extrinsecè, non ordinaretur ad efficiendum obiectum intelligibile intrinsecè.

101. Neganda igitur est maior primi syllogismi: & ad probationem dicendum, posse actum purum intelligibilem per se, fieri intelligilem per aliud à se distinctum; esset enim hæc maior perfectio Dei, si aliunde nõ implicaret, non solùm posse se ipso, sed mediâ etiam specie intellectum creatum determinare ad visionem sui. Neganda est etiam minor subsumpta: ad cuius probationem distinguẽda est maior: nam implicat, rem esse ntialiter ordinari ad perficiendum subiectum secundùm eam rationem, quâ subiectum est tale essentialiter, ex intrinseca natura & exigentia subiecti, non autem ex libera voluntate Dei; cùm non implicet, agens eundem effectum operari per varias formas, quarum vna sit intrinseca, altera extrinseca. Iuxta hãc distinctionem soluendæ sunt instantiæ de accidentibus, & qualitate facilitante: nam possent hęc ordinari ad perficiendum subiectũ, non ex intrinseca natura & exigentia subiecti, sed ex libera voluntate, Dei: nam potest accidens ordinari ad subiectum, esto subiectum ab intrinseco non exigat tale accidens, vt constat de accidente supernaturali, quod essentialiter ordinatur ad subiectum naturale, esto hoc non exigat illud. Nec talis species foret superflua, nam esset vniuocè determinatiua intellectus creati ad visionem Dei, & denominaret Deum extrinsecè & vniuocè intelligibilem, in ordine ad intellectum creatum, quam denominationem non habet Deus à propria essentia.

102. Qvinta Implicantia Ambrosij Machin. 1. p. disput. 15. sect. 1. Implicat instrumentum connaturale illius effectus, qui natura sua petit esse à Deo, vt à causa proxima: visio beata natura sua petit esse à Deo, vt à causa proxima: ergo ad eam implicat species impressa, quæ est connaturale instrumẽtum obiecti. Maiorem probat, quia iustrumentum connaturale essentialiter ordinatur ad supplendum aliquem defectum principalis agentis, velut impotentiam, distantiam, vel improportionem aliquam; at Dei principalis agentis visionis beatæ nullus defectus supplebilis est: igitur nullum possibile est naturale instrumentum. Probat minorem quia visio beata, sicut quæuis alia intuitiua cognitio, natura sua petit esse ab obiecto, nõ solùm vt à terminante, sed etiam vt à mouente; nam ex obiecto, & potentia paritur notitia. Vnde quando obiectum est per se proportionatum, & coniunctum potentiæ, se ipso concurrit sine specie: igitur species solùm ponitur ad supplendum defectum: ergo quando nullus obiecti defectus supplebilis *Amb. Machin.*

est, nulla dari poterit species impressa talis obiecti.

103. Sed contrà, tum quia falsum est, instrumentum connaturale essentialiter ordinari ad supplendum defectum principalis agentis, nam esto hoc reperiatur in instrumentis concessis causis secundis, non est tamen essentiale instrumento vt sic. Neque instrumentum dicitur naturale ex eo, quia supplet agentis imperfectionem, sed quia proportionatur effectui producendo. Tum quia falsum est, speciem esse instrumentum, sed causam principalem, partialem cognitionis, cùm in ratione obiectiuę repręsentationis ab illa non excedatur.

104. Sexta Implicantia sit: Deum esse intelligibilem, est ratio prima incommunicabilis creaturæ; sicut esse causam primam, competit Deo incommunicabiliter. Fundamentum est, quia intelligibilitas sequitur ad ens; vnde sicut Deus est primum ens, & in ratione talis incommunicabilis est creaturæ; ita est primum intelligibile, & in ratione talis, incommunicabilis est eidem creaturæ. Si autem posset producere speciem impressam sui, posset communicare creaturæ rationem primi intelligibilis, nam species per omnia gerit vicem obiecti; est enim Vicaria & substituta illius: hæc autem ratio non militat in specie expressa, quia hæc non se tenet ex parte obiecti, sed ex parte potentiæ, quam informat, & reddit formaliter intelligentem.

105. Sed contrà, nam sicut Deus communicat creaturæ esse causæ, non communicando illi esse primæ causæ, ita communicare posset esse intelligibile, non communicando illi esse primi intelligibilis. Confirmatur, quia non minùs Deus est primum intellectiuum sui, quàm primùm intelligibile: Sed potest communicare esse intellectiuum sui, medio lumine gloriæ, non communicando primum intellectiuum sui; ergo communicare poterit esse intelligibile sui, mediâ specie creatâ, non communicando primum intelligibile sui. Cuius ratio est, quia primitas perfectionis Diuinæ in eo consistit, vt sicut ipsa est prima in essendo à nullo dependens, ita sit prima in operando, à qua cætera in operando pendent: sed communicando Deus aliquam intelligibilitatem sui, non necessariò communicaret hanc primitatem in operando, nam adhuc talis species in actiua determinatione potentiæ creatæ, penderet à prima intelligibilitate & determinatione Dei, vt cæteræ causę secundæ in productione suorum effectuum: vnde neganda est minor fundamenti: & ad probationem, nego speciem impressam per omnia gerere vicem obiecti, sicut nec causa secunda per omnia gerit vicem causæ primæ, in producendo effectum; sed solùm dicitur vicaria obiecti, eiusque vicem gerere in determinatione potentiæ ad cognitionem obiecti, non autem modo illam determinandi dependenter, vel independenter à superiore determinatiuo.

106. Instabis: Implicat Deum communicare creaturę passiuam intelligibilitatem sui: ergo & actiuam. Respondetur negando consequentiam, nam passiua intelligibilitas consistit in ratione causæ formalis obiectiuæ; actiua verò in ratione causæ efficientis: est enim obiectum actiuè intelligibile, quatenus potens est actiuè mouere, seu determinare intellectum ad cognitionem sui; est verò passiuè intelligibile, quatenus aptum est per se ipsum, in genere causæ formalis obiectiuæ terminare cognitionem sui. Potest autem creatura participare virtutem actiuam Dei, non autem formam ipsam Dei, qui illam participare potest mediâ entitate distinctâ ab ipso Deo, hanc autem participare non potest, nisi participando ipsam essentiam Dei, quod implicat.

107. Septima implicantia sit: Species intelligibilis supplet vicem obiecti; ergo naturaliter requirit absentiam obiecti; propterea enim intellectus angelicus ad notitiam sui speciem intelligibilem, à propria substantia distinctam non requirit, quia semper illam præsentem habet: sed quotiescunque implicat terminus qui naturaliter exigitur, implicat res ipsa exigens: implicat autem absentia Dei à quouis intellectu creato: igitur implicat species impressa Dei. Minor subsumpta claret: assumpta probatur, quoniam naturalis exigentia rei non distinguitur ab ipsa re: ergo, si implicat naturalis exigentia rei, implicabit res ipsa. Sed implicante termino, qui naturaliter exigitur, implicat naturalis exigentia rei, vt inductione constat: implicante enim risibilitate, quę est proprietas, quam naturaliter exigit homo, implicaret homo: implicante extensione locali, quæ est proprietas quantitatis, implicaret quantitas. Igitur implicante absentiâ Dei, à quouis intellectu creato, quæ est proprietas, quam naturaliter exigit species, implicat species ipsa Dei. Quę ratio non militat de specie expressa, quia hęc non supplet vicem obiecti, cùm sit ipsemet actus potentiæ, qui æquè naturaliter stare potest cum præsentia, ac cum absentia obiecti, vt patet de notitia angeli respectu sui, & aliorum.

108. Sed contrà, nam licet implicante termino primario, & positiuo, penes quem res specificatur, implicet res ipsa talem terminum exigens, vt argumentum, & exempla probant; non tamen implicabit, implicante solùm aliquo termino negatiuo & secundario, qualis est absentia obiecti respectu speciei intelligibilis; cùm enim hæc sit pura negatio præsentiæ obiecti, nequit esse terminus formaliter specificans speciem impressam, sed sola conditio, sine qua species esset naturaliter superflua. Cæterùm terminus formaliter specificans speciem impressam, est obiectum ipsum, vt exprimendum per actum.

109. Octava implicantia: posito lumine

ne gloriæ in intellectu beati Deus necessariò determinat illum in ratione speciei ad visionem sui; repugnant autem eiusdem effectus duę causę totales; igitur & species impressa Dei. Consequentia constat, nam talis species esset essentialiter superflua, quoniam determinante Deo, adæquatè, & necessariò in ratione speciei, intellectum beatum ad visionem sui, non posset ipsa simul ad eandem visionem intellectum determinare. Minor supponitur ex Philosophia. Maior probatur, nam munus speciei est se ipsâ formaliter potentiam determinare ad notitiam obiecti; Sed Deus suâ immensitate, est intellectui beati intimè præsens: ergo posito in ipso lumine gloriæ, Deus necessariò, & adæquatè determinat illum ad visionem sui; ad hoc enim sufficit dispositio ex parte potentiæ, & obiectum proximè intelligibile vnitum potentiæ. Sed contrà, nam hęc ratio supponit speciem impressam formaliter, non effectiuè determinare potentiam, cuius oppositum suppono ex Philosophia.

*Marsilius.* 110. Nona Marsilij: si species Dei foret possibilis, cùm ea finita esset, creari posset alia & alia essentialiter perfectior; nequit autem creari alia & alia essentialiter perfectior, nam tam visio Dei, quàm obiectum, ad quod ordinatur, est essentialiter vnum. Sed falsa est sequela maioris, vt constat de lumine glorię, quod etsi finitum sit, nequit tamen perfectius & perfectius essentialiter creari. Sufficit igitur, vt illa creari possit perfectior & perfectior intensiuè.

*Palatius.* 111. Decima implicantia est Palatij. Species rerum eminentius esse habent, quàm res ipsæ: nulla autem creatura habere potest eminentius esse Deo: igitur nulla species creata Diuinæ essentiæ dabilis est. Minor cum consequentia patet. Maior probatur, quia species rei materialis habet esse spirituale, & intentionale, authore Philosopho 2. de anima text. 121. vbi docet, sensum suscipere formas sine materia, perinde atque cera suscipit sigilli figuram absque auro. Ergo si species rei materialis est eminentior, quàm sit res ipsa, à qua producitur, etiam aliæ erunt eminentiores rebus, quarum sunt species. Nec obstat, inquit, quòd species producantur à rebus ipsis: & nulla res producere possit effectum nobiliorem se: quia non tantùm producuntur à rebus, sed etiam à lumine, & reliquis influentijs cœlestibus.

*Aristoteles.*

112. Sed contrà primò, quia hæc ratio militat etiam contra speciem expressam, quam ipse non videtur negare. Secundò falsum est, speciem habere esse eminentius obiecto, tum quia Deus est tum impressa, tum expressa species sui, cùm tamen, vt species, non sit eminentior se ipso, vt obiecto. Tum quia species substantiæ spiritualis non est eminentior substantiâ ipsâ spirituali, cùm illa sit accidens, hæc substantia. Tum à priori, quia species est naturalis proprietas rei cognoscibilis: nulla autem proprietas est eminentior re ipsâ, cuius est proprietas: igitur nulla species est eminentior suo obiecto. Maior constat, quia species est naturale complementum cognoscibilitatis rei; dicuntur enim res cognoscibiles per actiuam virtutem mouendi cognoscitiuam potentiam ad notitiam sui, quod præstant medijs speciebus à se naturaliter productis: sed cognoscibilitas est naturalis proprietas rei; ergo & species, quà talis cognoscibilitas formaliter completur. Quòd autem nulla naturalis proprietas sit eminentior re ipsâ, cuius est proprietas, probatur, quia naturalis proprietas est proprius & adæquatus effectus rei: nullus autem proprius & adæquatus effectus rei potest esse eminentior re ipsâ, alioqui effectus excederet suam causam.

*Palatius.* 113. Nec satisfacit Palatius, dicendo, species sensibiles produci mediante luce, aut influentiâ cœlesti: tum quia species ipsius lucis non producuntur mediante aliâ virtute, distinctâ à virtute cognoscibilitatis ipsius lucis. Tum quia substantia spiritualis angelica non producit in se ipso speciem expressam, quę perfectior est impressa, eminentiorem, quàm sit sua ipsius substantia. Tum à priori, quia species est naturalis proprietas rei cognoscibilis: nulla autem naturalis proprietas rei producitur à re, cuius est naturalis proprietas, vt ab instrumento alterius, sed à re ipsa vt à causa principali. Ergo species visibiles, vt naturales proprietates rerum visibilium, non producuntur à rebus visibilibus mediâ luce, vel aliquâ influentiâ cœlesti vt causâ principali, sed à rebus ipsis visibilibus.

*Aristoteles.* Vnde nego, eas esse spirituales. Ad Aristotelem autem dico, mentem eius eo loco tantùm fuisse docere, sensum non suscipere in se ipso res, quas debet cognoscere, sed typos tantùm, & imagines ipsarum; non tamen inde concluditur, has imagines esse spirituales, aut habere esse eminentius, quàm habeant res ipsæ, quarum sunt imagines.

114. Atque hæ sunt implicantiæ, quæ impugnant speciem impressam. Inter eas verò, quæ etiam expressam impugnant, vnam tantùm reperio impugnatione dignam apud *Henricus.* Henricum suprà citatum; & sit,

115. Vndecima implicantia: Si species impressa, vel expressa Dei possibilis esset, naturali vi cognosci posset ab Angelo; cùm autem hæc esset naturalis imago Dei, naturaliter per eam posset Deus ab Angelo cognosci. Sed contrà, quia cùm talis species esset supernaturalis, vtpote Deum in se ipso repræsentans, nulli intellectui creato foret naturaliter debita; proinde à nullo intellectu creato esset naturaliter cognoscibilis.

## Implicantia auctoris.

116. VLtima & mea implicantia hæc est. Species impressa essentialiter ordinatur ad expressam, vt principalis causa ipsius. Implicat autem expressa; igitur & impressa. Consequentia constat, quia implicante primario termino specificante, implicat res ipsa specificabilis: ergo implicante specie expressa, quę est primarius terminus specificans impressam, implicabit impressa. Minor constat ex dictis sectione præcedente. Maiorem probo, quia species impressa cùm sit virtualis & effectiua similitudo obiecti, essentialiter ordinatur ad exprimendam formalem similitudinem eiusdem obiecti. Quòd autem sit princeps causa, & non instrumentum, sic ostendo: Nam species impressa est suppletiua totalis concursus obiecti: sed obiectum non est instrumentum, sed princeps causa speciei expressę; quia in ratione repræsentationis non excedit perfectionem obiecti. Maior probatur, nam species impressa supplet absentiam obiecti; ergo & totalem concursum ipsius, quia nec species expressa produci potest sine totali concursu obiecti; nec obiectum absens, & non existens concurrere potest ad effectum præsentem. Neque dicas, in absentia obiecti principalem concursum ipsius suppleri à Deo, vt supplet in reliquis instrumentis naturalibus, absente causâ principali: nam reliqua instrumenta naturalia non requirunt per se, & ex natura sua absentiam causæ principalis; vnde non est mirum, si interdum per accidēs, separatis à causa principali, Deus suppleat concursum ipsorum causæ principalis: at species impressa per se, & ex intrinseca natura sua requirit absentiam obiecti, nam præsente obiecto proximè intelligibili, nulla producitur species. Vnde signū est illam supplere totalem concursum obiecti. Tum quia inter speciem impressam, & expressam est perfecta conuenientia in ratione imaginis, & obiectiuæ repræsentationis. Dicitur autem à Philosophis species instrumentum obiecti, non in ratione concursus, sed supplementi: quo pacto interdum vna causa principalis, substituta vice alterius, dicitur instrumentum illius. Si igitur species impressa est principalis causa speciei expressæ in esse repręsentatiuo, in eodem esse repræsentatiuo cōtinere debet in actu primo quidquid species expressa continet in actu secundò: sed species expressa cōtinere debet totam perfectionem obiecti in esse actuali repræsentatiuo; ergo eandem continere debet species impressa in esse repræsentatiuo virtuali.

*S. Thomas.* 117. Hanc nostram rationem supponit S. Thomas 1.p.quæst.12.artic.2.vbi ideo negat quamcunque speciem creatam Dei, quia deberet habere perfectionem Dei, & esse in eodem ordine immaterialitatis cum ipso Deo: Quę ratio, vt probet intentum, necessariò supponit tam speciem impressam, quàm expressam, debere esse adæquatam similitudinem obiecti: & in expressa, tanquam in propria imagine, videri obiectum ipsum; alioquin si supponeret speciem expressam esse solam rationem *Qua*, & impressam principium huius, facilè negari posset, speciem vel impressam, vel expressam Dei, debere continere perfectionem ipsius Dei.

118. Dices: de facto datur cognitio, quà Deus videtur in se ipso: ergo dabile est principium creatum productiuum talis cognitionis ex parte obiecti: sed esse determinatiuum potentiæ ex parte obiecti est proprium munus speciei impressæ: igitur possibilis est species impressa Dei. Resp. Nego, esse determinatiuum quomodocunque potentiæ ad obiectum, esse munus speciei impressæ, sed esse determinatiuum per expressionem obiecti intra ipsam potentiam cognoscentis, intra quam debet virtute speciei impressæ intentionaliter produci obiectum, esse proprium munus speciei. Est enim species impressa essentialiter ordinata ad supplendam absentiam obiecti, atque adeò debet illud virtualiter & effectiuè continere, non quidem in esse reali, sed in esse intentionali.

119. Ad argumenta primæ sententię Resp. Ea tantùm concludere, lumē esse aliquo modo principium visionis Dei, quod vltrò concedo; non autem quòd sit principium per modum speciei, nam ad hoc requiritur vt sit principium per modum exprimentis & producentis obiectum intra ipsam potentiam cognoscentis. Cæterùm falsum est, quod *Aureolus.* Aureolus docet, intelligere esse solam speciei receptionem, sed potiùs esse vitalem actum à propria potentia elicitum, concurrente aliquo determinatiuo ex parte obiecti:. Nuncupatur autem à Philosopho *quoddam pati*, quia non fit per actionem transeuntem, sed immanentem, quâ manet & recipitur in ipso agente.

*Scotus.* 120. Ad secundam sententiam Scoti nego huiusmodi speciem abstractiuam diuinæ essentię esse possibilem; contra quam militant omnes rationes, quibus negatum est, possibilem esse speciem impressam, vel expressam Diuinæ essentiæ. Ad fundamentum ipsius, neganda est Minor subsumpta; quia poterat naturalis beatitudo Angeli esse perfectior naturali beatitudine hominis per clariorem, & expressiorem notitiam obiectiuam Dei, ortam ex perfectiore cognitione intuitiua creaturarum.

121. Ad Primum Tertiæ quatenus probat possibilitatem speciei impressæ Diuinæ essentiæ, nego antecedens. Ad secundum nego maiorem, quia potest vnum principium implicare, non implicante altero, ad eundem effectum requisito, ob specialem rationem.

# SECTIO VI.

## An Deus sit cognoscibilis potentia aliqua corporea?

*Anthropomorphitæ.*

122. FVit error Antropomorphitarum, qui, quoniam Deum corporeum fingebant, corporis etiam oculis visibilem putabant: Catholica verò sententia sicut Deum incorporeum prædicat, ita inuisibilem oculis, aut quouis alio corporis sensu imperceptibilem docet. Difficultas est in assignanda implicantia: cuius dubitandi ratio est, quia Deus eleuare potest quamcumque creaturam ad quemcumque effectum, sicut eleuat ignem ad torquendos spiritus, & intellectum creatum ad videndum ipsum: ergò licet potentia corporea naturaliter sit incapax cognoscendi Deum, non tamen videtur repugnare, vt ad id Diuinâ virtute eleuari possit. Confirmatur

*Augustinus*

auctoritate Augustini 22. de Ciuit. Dei cap. 29. opinantis, Deum glorificati corporis oculis in patria videndum: *Valdè*, inquit, *credibile est, sic nos esse visuros mundana tunc corpora, vt Deum vbique præsentem, & vniuersa gubernantem per corpora, quæ gestamus, clarissima perspicacitatè videamus.*

123. Verùm oppositę sententiæ satis sufficiens implicantia assignatur hæc: nulla potentia cognoscitiua ferri potest extra suum obiectum: sed Deus est extra obiectũ cuiuscunque potentię cognoscitiuæ corporeæ: igitur nulla potentia cognoscitiua corporea in Deũ ferri potest. Minor constat, quia cùm Deus sit purus spiritus, nequit potentiam corpoream, quæ essentialiter ordinatur ad aliquod materiale, specificare. Maiorem probo, nam potentia cognoscitiua debet habere formalem proportionem cum actu cognitionis, eoque mediante cum obiecto ipso cognoscibili, in eodem genere proximo vitę. Implicat autem formalem proportionem à Deo extrinsecè suppleri re ipsâ immutatâ. Minor elucet, nã proportio formalis non distinguitur à re ipsa; igitur implicat suppleri, re ipsâ immutatâ. Maior probatur, quia potentia cognoscitiua non est tantùm productiua & receptiua cognitionis, nam hoc etiam in multorũ opinione præstare posset lapis, sed etiam perceptiua obiecti media notitia rei, tanquam imagine illius: repugnat autem, potentiam percipere obiectum mediâ cognitione tamquam imagine illius, absque formali proportione in eodem genere proximo vitę cum ipsa cognitione.

124. Cuius ratio est, quia imago non confert suum effectum formalem repræsentandi imaginatum, nisi subiecto idoneo & proportionato, vt patet de visione, quæ posita in lapide non faceret lapidem videntem, nulla alia ratione, nisi, quia lapis non est subiectum proportionatum in genere vitæ cum ipsa visione. Sicut nec auditio posita in oculo redderet oculum audientem, quia oculus non est proportionatum subiectum in eodem genere proximo vitæ auditiuæ cum ipsa auditione: sed Deus non potest repræsentari, nisi per intellectionem, quæ est actus vitę intellectricis: ergo non potest effectum suum formalem repræsentandi Deum, vt obiectum intelligibile conferre potentiæ corporeæ, quoniam hæc non est in eodem genere vitę intellectiuæ cũ ipsa intellectione. Minor probatur, quia repugnat, obiectũ spirituale exprimi, ac repræsentari cognitione sensitiuâ, nam hæc essentialiter postulat specificari ab aliqua ratione formali sensibili: igitur, cùm Deus non possit repręsentari cognitione sensitiuâ, non poterit per vllam potentiam corpoream cognosci, quia hæc eleuari non potest ad obiectum percipiendum, nisi medio actu vitali eiusdem vitæ, in qua est potentia.

125. Confirmatur 1. nam cognitio est actuale exercitium vitæ, quo mediante potentiâ vitalis percipit suum obiectum: Implicat autem, vt potentia sensitiua per actuale exercitium vitæ intellectiuæ percipiat obiectum intelligibile.

126. Confirmatur 2. Non potest substantia materialis per potentiam spiritualem percipere obiectum spirituale: ergo nec potentia materialis per actum spiritualem percipere obiectum spirituale: cùm sit eadem proportio potentiæ ad actum & obiectum, quæ est substantiæ ad potentiam.

127. Confirmatur 3. Nequit potentia vegetatiua per actum vitę sensitiuę percipere obiectum sensibile: ergo nec potentia sensitiua per actum vitæ intellectiuæ percipere obiectum intelligibile: cùm sit eadem proportio inter vitam sensitiuam, & actum vitę intellectiuæ, quę est inter vitam vegetatiuam, & actum vitæ sensitiuę, imò & maior, quia hæc conueniunt in eodem gradu materialitatis.

128. *Obijcies* vt Aqua eleuari possit ad producendam gratiam, sufficit, vt habeat virtutem remotam producendi illam in ratione entis: ergo vt oculus eleuari possit ad videndum Deum, sufficit, vt habeat potentiam videndi remotam in ratione cognoscentis. Respondeo: Nego Consequentiam, nam virtus incompleta aquæ producendi gratiam compleri potest per extrinsecum concursum Dei, vel per superadditam qualitatem: vis autem incompleta oculi ad cognoscendum suppleri non potest, vel per extrinsecum concursum Dei, cũ non debeat suppleri in genere causæ efficiẽtis, sed formalis; nec per superadditam qualitatem, quia nulla qualitas, quæ non est vitalis, & ab intrinseco innata, est idonea forma, per quam natura intellectualis percipiat obiectum. Vnde lumen gloriæ, quæ est qualitas superaddita intellectui beatorum ad complendam virtutem ipsorum, non complet vim perceptiuam intellectus, nam hęc supponitur intrinsecus innata in beato, sed tantùm complet vim productiuam visionis.

129. Dices: Hinc sequeretur, intellectum creatum esse completam potentiam perceptiuam videndi Deum; siquidem hęc per lumen gloriæ non completur: at hoc falsum est, nam hinc sequeretur, intellectum creatum esse causam principalem visionis Dei, eamque naturaliter exigere. Respondetur negando primam sequelam: quoniam potentia perceptiua essentialiter includit vim productiuam sui actus; sita est enim in principio vitali, quod vt sic essentialiter importat vim productiuam sui actus, qui vt vitalis essentialiter dependet actiuè à principio intrinseco vitæ. Ad secundam autem sequelam, negandum est absolutè, intellectum creatum esse causam principalem perceptiuam Dei, quia licet ex se habeat proportionem formalem in eodem genere vitę intellectiuę, non tamen ex se habet proportionem effectiuam visionis Dei, quæ proportio essentialiter includitur in principio perceptiuo.

130. Hinc collige, potentiam corpoream non modò implicare ferri in Deum, sed in quodcunque obiectum spirituale: quia quodcunque obiectum spirituale est extra sphæram potentiæ corporeæ. Dices: hinc sequeretur, neque intellectum creatum eleuari posse ad videndum Deum; cùm plus intellectus creatus distet à Deo actu puro visibili in se ipso, quàm potentia corporea à quocunque obiecto spirituali creato. Respondeo: nego sequelam: ad cuius probationem dico, intellectum creatum plus distare à Deo actu puro, in ratione entis, & perfectionis essentialis, non autem in ratione potentię & obiecti, seu cognoscentis & cognoscibilis: Nam Deus sub ratione cognoscibilis aliquo modo continetur intra sphęram intellectus creati, cùm possit ipsum saltem abstractiuè cognoscere: substantia verò spiritualis nullo pacto continetur intra sphæram potentiæ corporeę; vnde nullo modo, neque intuitiuè, neque abstractiuè potest illam cognoscere. Porrò inter potentiam, & obiectum non tam est attendenda proportio commensurationis entitatis ad entitatem, quàm proportio commensurationis habitudinis ad terminum, quæ potest esse maior etiam inter entitates, quæ magis inter se distant in ratione entis, vt sic. Cuius ratio est, quia hæc proportio non fundatur immediatè in ipsa entitate, vt sic, sed in certo quodam genere & gradu entis vitalis: non repugnat autem, vt inter duas entitates plus distantes in ratione entis, sit maior proportio & conuenientia in certo gradu vitę, quàm sit inter duas alias entitates magis conuenientes in ratione entis, vt sic.

131. Ex his patet ad rationem dubitandi; nam repugnat, Deum eleuare creaturam ad effectum contradictionem inuoluentem, qualis esset potentiam corpoream ferri in obiectum spirituale. Ad primam instantiam, cōstat ex dictis; nam ignis eleuatur ad torquendos spiritus in genere causæ efficientis; in quo genere suppleri potest extrinsecè quod agenti deest intrinsecè, in ordine ad effectum producendum.

132. Ad secundam, ratio discriminis est, quia intellectus creatus est in eodem genere proximo vitæ intellectiuæ cum Deo obiecto intelligibili: vnde, cùm eleuatur ad videndum Deum, non eleuatur per actum alterius vitę, quàm sit obiectum ipsum repræsentabile: nā sicut Deus est intelligibilis à se actu vitæ intellectiuæ, ita est intelligibilis à beatis actu eiusdem vitæ intellectiuę; Vnde non extrahitur extra suam sphæram, cùm eleuatur ad videndum Deum. Nec refert, quòd Deus sit intelligibile supernaturale, proinde supernaturali actu vitæ repræsentabile, qui, quoniam naturalem proportionem non habet cum intellectu creato, non videtur ei posse formalem effectum repræsentandi Deum conferre. Nam supernaturalitas non extrahit actum aut potentiam ab eodem genere vitę intellectiuę, cùm tam vita naturalis, quàm supernaturalis sit in eodem genere proximo vitæ, eò quòd supra intellectiuam, non datur alia superior vita. Neque actus vitalis aliud essentialiter requirit, quàm procedere ab eodem genere proximo vitę. Nec potentia aliud essentialiter postulat, quàm ferri in obiectum repręsentabile per actum vitę eiusdem generis: vnde tam potentia visiua ferri potest ad visibile supernaturale, quàm visibile supernaturale repręsentari actu visionis supernaturalis, vt ostendemus in materia de Eucharistia. Cùm igitur intellectus eleuatur ad intelligēdum Deum, obiectum supernaturale non extrahitur ad obiectum disparatum, sed ad perfectissimum obiectum intra eandem rationem intelligibilis.

133. Etenim tripliciter potest obiectum ad potentiam comparari, vt colligitur ex S. Thom. 1. contra Gentes c. 54. Primò vt illi adæquatè commensuratum; sic comparatur ens naturale ad intellectum creatum, quia tātum intelligibilitatis habet illud, quantum intellectiuitatis habet iste. Secundò, vt disparatum & omninò extra rationem formalem obiecti; sic comparatur audibile ad visum, & visibile ad auditum, quia nec audibile participat formalem rationem obiecti visus, nec visibile formalem rationem obiecti auditus. Tertiò, vt excedens intra eandem rationem formalem obiecti; sic comparatur Deus, in se ipso visibilis ad intellectū creatū; est enim Deus supremum intelligibile, intellectus verò creatus infimus intellectiuus; vnde, cùm eleuatur ad intelligendum Deum, eleuatur quidem ad obiectum excedens propriam virtutem, non tamen ad genus vitæ disparatæ. Quare dici potest, Deū in seipso visibilē esse quidem supra obiectū naturale intellectus creati, nō autēextra: obiectū verò spirituale esse omninò extra quācunque potentiā corpoream. Ad Confirm. Resp. ibi Augustinum loqui tantùm disputatiuè, ex quo ad summum colligitur, in ea re fuisse dubium. S. Thomas.

SECTIO

## SECTIO VI.

*An possibilis sit creatura, cui connaturalis sit visio intuitiua Dei, aut quæuis alia forma supernaturalis?*

Dogma fidei.

134 DE Fide est, nullam de facto talem creaturam productam esse; cùm de Fide sit, de facto beatos egere lumine glorię, ipsos eleuante ad videndum Deum. Vt autē videamus, an ea saltē possibilis sit, notādū triplex genus operationum in Deo. 1. est omninò incommunicabile creaturæ, vt posse in se ipso producere distinctam personā cum omnimoda identitate naturæ producentis & productiː esse causam primam, & cætera huiusmodi, quæ sunt ita propria Dei, vt ne supernaturaliter quidem communicari possint creaturæ: sunt autē omnia ea, quæ in suo conceptu requirunt illimitationē in omni genere perfectionis, & independentiam in essendo; nā vtraque perfectio pugnat cum ente creato. Secundum genus operationis communicabile est creaturæ, etiam naturaliter, & vt causæ principali, vt intelligere & amare res creatas, & Deum ipsum medijs effectis creatis: producere dependenter à subiecto. Tertium genus operationis de facto communicatum est creaturæ, sed per gratiam, & supra exigentiam ipsius, vt videre Deum actum purum in se ipso; diligere eundem propter se ipsum immediatè, operari indefectibiliter.

135. Controuersia igitur est, an hæc eadem communicari possint alicui substantiæ per naturam? vt quemadmodum de facto beati Deum vident, & amant in se ipso medio lumine gloriæ, & charitate eis supernaturaliter infusa, ita videri & amari in se ipso ab aliqua creatura possit per naturalem facultatem, aut per hæc ipsa dona ipsis naturaliter debita? Et quoniam hoc genus operationum est propriū Dei, quo Deus dicitur ens supernaturale, quia per illud operatur supra omnem naturam creatam, ideò substantia, quæ talem modum operandi participaret, diceretur supernaturalis; quia per talem modum in operando, & in essendo excederet reliquas omnes substātias creatas. Cęterùm etsi præsens controuersia inter doctores solùm agitetur de visione Dei, eam tamen nos ad reliquas etiam supernaturales operationes extendemus, vt doctrina sit vniuersalior in ordine ad quamcumque formam supernaturalem.

136. PRIMA sententia affirmat possibilem esse creaturam, cui connaturalis sit intuitiua visio Dei. In eam inclinat Maior in 4. Dist. 49. q. 4. in fine. Molina 1. p. q. 12. a. 5. Disp. 2. Becanus 1. p. c. 9. q. 5. Argumenta autem, quibus hæc sententia probatur, sunt hæc, 1. quoniam nulla est implicantia.

Maior. Molina. Becanus.

137. SECVNDVM, quia participabilis est hic modus operandi Dei medio accidente supernaturali, vt constat de lumine, & reliquis habitibus infusis, qui suapte natura ordinātur ad talem modum operandi propriū Dei; ergo & media substantia supernaturali. Consequētia prob. alioqui Deus perfectiori modo participari posset ab accidente, quod est ens imperfectius, quàm à substantia ente perfectiore. Confir. quia sicut inter entia naturalia creata nobilior est substantia, quouis accidēte naturali, ita inter creabilia producibilis est substātia nobilior quouis accidente supernaturali, ad hoc vt tota latitudo substantialis perfectionis creabilis superet totam latitudinem accidentalis perfectionis perducibilis.

138. TERTIVM: Coniunctum ex intellectu beati & lumine gloriæ, cui connaturalis est visio Dei, est quid finitum: ergo potest Deus creare intellectum tantæ virtutis, vt illud adęquet, nam dato quocumque intellectu, semper dabilis est perfectior & perfectior. Igitur possibilis est intellectus, qui per sua naturalia Deum videat. Neque dicas, intellectum creatum esse diuersę rationis à lumine glorię, proinde quantumcumque crescat in virtute intelligendi, nunquam attingere posse visionem Dei: sicut quantumcumque crescat visus, nūquam attingere poterit sonum; quia visus est potentia alterius rationis ab auditu, cuius tantùm est sonum percipere: nam Deus comprehenditur sub obiecto intellectus creati, aliquin non posset ad illum intuendum eleuari: sonus verò non comprehenditur sub obiecto visus. Confir. quia non modò Deus creare potest vnum intellectum alio intēsiuè, sed etiam essentialiter perfectiorem. Esto igitur coniunctum ex intellectu creato, & lumine gloriæ sit alterius perfectionis essentialis, adhuc creari poterit intellectus, qui illud in essentiali perfectione adæquet.

139. QVARTVM: Quidquid Deus potest intellectui conferre, per qualitatem superadditam, potest per essentiam: vnde illum gradum vigoris, quem Deus cōferre posset oculo Noctuæ ad intuendam rotam solis, de facto contulit oculo Aquilæ per naturam: igitur dari potest intellectus creatus, cui per naturam competat videre Deum.

140. QVINTVM: Non repugnat, eandem rem esse proprietatem plurium, vnius in gradu intenso, alterius in gradu remisso, vt splendor in gradu intenso est proprietas solis, in gradu verò remisso aliorum à sole. Esto igitur lumen gloriæ in summo gradu vt est comprehensiuum Dei, sit proprietas solius Dei; in gradu tamen remisso, vt est tantùm repræsentatiuum Dei in se ipso, poterit esse proprietas creaturæ. Confirm. quia non minus intellectus creatus est participatio intellectus increati, quàm lumen gloriæ creatum sit participatio luminis increati: ergo sicut lumen gloriæ increatum est proprietas intellectus increati; ita lumen glorię creatum erit proprietas intellectus creati: nam sicut participatur subiectum, ita participari poterit proprietas ipsa subiecti.

141. SEXTVM: participabilis est Deus quoad reliquas perfectiones supernaturales potentiæ, sapientiæ, charitatis, sanctitatis, iustitię,

cæte-

cæterarum q; supernaturalium virtutum; ergo & quoad perfectionem supernaturalis substã-tię. Confir. quia nõ repugnat substantię creatæ supernaturalitas, quia substantia est, quia conuenit Deo; nec quia creata est, quia conuenit lumini gloriæ, cæterisque habitibus infusis; nec quia substantia creata est, quia si non implicant extrema, nec implicabit coniunctum ex extremis.

142. Septimum: Vnio hypostatica est alterius ordinis, quàm lumen gloriæ, quia per illam fit homo Deus; per hoc tantùm videns Deum: at vnio hypostatica est aliquid substantiale: ergo si hęc non repugnat, multò minùs repugnabit substãtia supernaturalis eiusdem ordinis cum lumine gloriæ.

143. Octauum: Datur accidens supernaturale: ergo possibilis est substantia supernaturalis. Consequentiã probo, nam accidens supernaturale essentialẽ ordinem dicit ad subiectum; non ad subiectũ naturale, nam hoc non est illi proportionatum; ergo ad supernaturale: hoc autem nequit esse Deus ipse, quia Deus est incapax accidentis: igitur erit substantia supernaturalis creata. Confirmatur: nam visio Dei est actus vitalis; ergo alicui potentiæ vitali connaturalis est: hæc autem potentia alicui substantiæ debet esse connaturalis: non igitur repugnat substantia creata cui visio Dei connaturalis sit. Maior probatur, nam actus vitalis essentialiter pendet à principio vitali intrinseco & connaturali. Minor constat, nam omnis potentia vitalis sibi vendicat aliquam substantiam proportionatam, cuius sit propria passio & instrumentum.

144. Nonum: Etiamsi daretur intellectus creatus, cui connaturale esset lumen glorię, visioque ipsa beatifica, adhuc proprius modus essendi Dei excederet proprium modum essendi talis intellectus: ergo excessus quoad modum essẽdi obiecti cogniti supra modum essendi potentię cognoscentis non impedit, quin talis potentia possit tale obiectum naturaliter cognoscere. Confir. nam de facto intellectus creatus cum lumine gloriæ non eleuatur ad eundem ordinem actus puri cum Deo in se ipso visibili: & tamen intellectus creatus cum lumine gloriæ naturaliter videt Deum: ergo vt aliquis intellectus creatus naturaliter videat Deum actum purũ, non est necesse, vt sit in eodem ordine actus puri cum ipso Deo.

145. Secunda sententia negat possibilem esse substantiam, cui connaturalis sit visio intuitiua Dei. Est S. Th. 1. p. q. 12. art. 4. & 5. ad tertium, tertio con. Gent. c. 53. Cai. & Ferr. ibid. Scoti in quarto, Dist. 49. q. 11. §. Respon. *ergo*, & quodlib. 14. a. 2. Rich. in secundo Dist. 23. a. 1. q. 1. ad primũ & in 3. Dist. 14. a. 1. q. 2. Capreoli in 4. Dist. 49. q. 4. a. 1. cõcl. 1. Aureoli quodli. 9. a. 3. in fine, Soti in 4. Dist. 49. q. 2. a. 4. ad 3. Zumel 1. p. q. 12. art. 4. Disp. vnica, Vasq. Disp. 44. c. 1. Suar. l. 2. de attributis c. 9. Valent. pũcto 3. in fine, Gõsal. disp. 26. Alber. tom. 1. corol. 2. ex prin. 1. Phil. puncto 1. Arrub. Disp. 21. c. 2. & reliquorum communis. Difficultas est in assignanda implicantia.

*S. Thomas. Caietan. Ferrar. Richardus. Scotus. Capreolus. Aureolus. Sotus. Zumel. Vasquez. Suarez. Valentia. Gonsalez. Albert. Arrubal.*

## *Expenditur ratio Scoti.*

146. PRIMA implicantia sit Scoti. Visio clara Dei prærequirit Deum naturaliter præsentem in ratione obiecti, vel in propria existentia, si sit intuitiua, vel in aliquo perfectè repręsentatiuo, si sit abstractiua: neutro modo potest Deus esse naturaliter præsens intellectui creato, non primo, quia nec Deus sub propria ratione Deitatis est naturaliter, sed tantùm voluntariè, motiuus intellectus creati, nec vlla creatura potest esse naturaliter actiua talis visionis, & perfectæ præsentiæ Dei, cùm nulla creatura continere possit essentiam Dei, & consequenter intelligibilitatem ipsius. Non 2. quia nullum creatum potest esse causatiuũ perfecti repræsentatiui Dei sub propria ratione Deitatis, quia nullum creatum continere potest Deum, secundùm propriam intelligibilitatem ipsius. *Scotus.*

147. Sed contrà, nam cùm Scotus dicit, Deum nunquam posse *naturaliter*, sed tãtùm *voluntariè* mouere intellectũ creatum ad claram visionem sui; aut per *voluntariè*, intelligit liberè, & hoc non tollit naturalem exigentiã ex parte creaturę, nã posita quacunque exigentia & connaturalitate ex parte creaturę, semper Deus liberè mouet illã ad suos actus. Aut per *voluntariè*, intelligit quòd non sit illi talis visio cõnaturalis actiuè, & hoc non tollit connaturalitatem simpliciter; Nã neque anima rationalis actiuè producitur ab homine, & tamen connaturalis est corpori humano: & ad hominem contrą Scotum species abstractiua Dei, sub propria ratione Deitatis est connaturalis intellectui angelico, & tamen illa à nullo agẽte creato produci potest. Aut demum per *voluntariè*, intelligit, quòd talis motio ad claram visionem Dei nullam possit in creatura supponere naturalem exigentiã, & hoc erat Scoto probandum; nam hoc vertitur in cõtrouersiam, cùm quæritur, an sit possibilis intellectus, cui sit connaturalis intuitiua visio Dei.

## *Expenditur ratio Vasquez.*

148. Implicantia Vasquez: *Aut*, inquit, *substantia hæc diceretur supernaturalis, quia superior esset alijs substantijs creatis, & sic innumeræ substantiæ essent supernaturales; aut quia à solo Deo produceretur per creationem, & ita omnes substãtiæ spirituales essent ordinis supernaturalis: superest igitur vt soli formæ accidentariæ ratio supernaturalis conueniat*, nã ei soli conuenit perficere subiectum supra id, quod ipsius essentia & naturalis constitutio postulat, penes quod tantùm attenditur ratio supernaturalitatis. *Vasquez.*

149. Sed contrà, nam talis substantia diceretur supernaturalis, quia participaret proprium modum operandi Dei; per quem consequenter haberet, vt comparata ad reliquas substantias creatas esse superioris ordinis: sicut à priori dicitur accidens supernaturale, non quia perficit subiectum supra naturalem exigentiam ipsius, nam etiamsi perficeret subiectum iuxta naturalem exigẽtiam

ipsius,

ipsius, vt esset respectu substantiæ supernaturalis, si daretur, adhuc esset supernaturale, sed dicitur supernaturale, quia participat proprium modum operandi Dei, per quem consequenter habet, vt omnem substantiã, cui talis modus operandi non competit, perficiat supra naturalem exigentiã, similiter diceretur à priori talis substantia supernaturalis, non quia produceretur à solo Deo per creationẽ, vel quia foret superior alijs substantijs, sed quia participaret proprium modum operandi Dei; per quem consequenter haberet, vt esset cæteris superior. Vnde falsum est, supernaturalitatem formaliter desumi penes excessum formæ ad quodlibet subiectum creatum; nam hæc tantùm ratio est à posteriori, & ex suppositione, quòd talis substantia supernaturalis implicet, quod non debet, contra aduersarium in argumento assumi.

## *Triplex implicantia, ob quam repugnat substantia, cui connaturale sit lumen gloriæ aut visio beata Dei.*

150. VT igitur distinctè procedamus in hac grauissima controuersia, priùs ostendendum est, implicare substantiam, cui connaturale sit lumen gloriæ, aut visio beatifica: tum vniuersaliter probabimus, implicare omnem substantiam, cui connaturalis sit vlla forma supernaturalis. Primum probo triplici ratione, & prima sit à posteriori. Si talis substantia possibilis esset, de facto ea producta esset. Sequelam probo, nam Deus, quæ sua est perfecta prouidentia, quoad fieri potest, semper operatur iuxta naturalem inclinationem rerum: ageret autem Deus contra naturalem inclinationem rerum, si talis substantia possibilis foret, & à Deo producta non esset. Minorem declaro, quia contra naturalem inclinationem accidentis ac proprię passionis est, eam nunquam produci in proprio subiecto, cùm quodlibet accidens ac passio naturaliter petat esse in proprio subiecto: si autem possibilis esset hęc substantia, lumen gloriæ, & visio Dei essent naturales proprietates talis substantiæ, alterum vt principium, alterum vt actio vitalis propria. Igitur contra naturam ipsorum ageretur, si nunquam illa in proprio, sed semper in alieno atque extraneo subiecto producerentur: sicut contra naturam potentiæ risiuę esset, si ea nunquam in homine, cuius est propria passio, sed semper in alia ab homine diuersa natura produceretur. Cùm igitur certum sit, nullum beatum de facto Deum naturaliter videre, sed medio lumine gloriæ ipsis indebito, contra naturalem inclinationem, & perfectam prouidentiam Dei hæc accidentia à proprio & connaturali subiecto perpetuò exularent.

151. SECVNDÀ Implicantia sit ex absurdis, quæ ex opposita sententia sequuntur. primum est, Deum non fore inuisibilem omni creaturę, nec lucem habitare inaccessibilem, cùm tamen Paulus primæ ad Timot. 6. absolutè pronunciet, Deum à nemine videri posse, quod Patres explicant viribus naturæ. Secundum, creaturam fore suapte natura beatam, hæredem Cœlestis gloriæ, amicam Dei, & filiam adoptiuam; proinde naturaliter impeccabilem, idque non ex dono superaddito, sed ex beneficio ipso creationis, cui non posset Deus absque violentia claram sui visionem denegare, cùm ad illam naturalem haberet inclinationem, & exigentiam, nec vllum esset impedimentum, quo minùs ad illam toto naturæ conatu ferretur.

152. TERTIA ratio est à priori, quam assignat S. Th. 1. p. q. 12. ar. 4. & 3. cont. Gent. c. 52. Modus naturalis cognoscendi obiectum adæquatè sequitur modum essendi virtutis cognoscentis, vt videlicet sub quo abstractionis ordine fuerit principium cognoscens, sub eodem naturalis cognitio ab ipso producta, ei obiectum repræsentet, & non sub altiori: vt si principium cognoscens fuerit materiale, cognitio naturalis ab ipso elicita, non potest illi nisi materiale obiectum repræsentare, si principium cognoscens fuerit potentiale, pariter cognitio ab eo naturaliter producta, non poterit nisi potentiale obiectum vel per modum potẽtialis ipsi repræsentare. Atqui nulla creatura participare potest eundem modum essendi Dei: ergo nulli creaturę poterit esse cõnaturale videre Deum in seipso. Minor constat, nam omnis creatura necessariò est immersa potentialitati, vtpote ex non esse ad esse producta, ex natura & suppositо, ex subiecto & accidente composita. Deus autem emersus est ab omni potentialitate in supremo ordine puri actus constitutus. Maior, in qua vis ratiocinationis consistit, probatur primò inductione, nam, quia sensus affixus est certo ac determinato organo, non potest nisi singulare ac determinatum obiectum percipere: quia intellectus humanus habet esse vnitum corpori, non potest, nisi ad modum corporis naturaliter cognoscere: quia intellectus angelicus habet esse immersum potentialitati, non potest viribus proprijs Deum intelligere ad modum actus puri, sed per modum potentialis, & per effectus creatos. Nec alia afferri potest ratio, cur de facto nequeat Deum naturaliter videre; nisi talis improportio, quæ necessariò reperitur in omni creatura possibili. Demum quia intellectus Diuinus est actus purus, ab omni potentialitate emersus, naturaliter intelligit se ipsum ad modum actus puri: certà igitur inductione constat, naturalem modum cognoscendi obiectum proportionari naturali modo essendi virtutis cognoscentis. *S. Thomas.*

153. Secundò idem principium probatur à priori, quia non potest intellectus elicere visionem actus puri, nisi in seipso præhabeat obiectum, vel speciem actus puri: nullus autem intellectus creatus naturaliter in seipso præhabere, aut præexigere potest obiectum, vel speciem actus puri: igitur nullus intellectus creatus naturaliter elicere potest

visionem actus puri. Maior constat, quia omnis notitia, cùm sit expressio obiecti, essentialiter postulat fieri ab obiecto cuius est notitia; repugnat quippe obiectum exprimi vt in se est, ipso aut ipsius propria specie non concurrente, cùm formalem exprimendi rationem habeat actus ex obiecto. Minorem probo, quia nulla potentia prehabere, vel prexigere potest obiectum, aut specie in modo operandi perfectiorem se: sed actus purus in ratione obiecti habet modum operandi perfectiorem quauis potentia creata; quippe qui modum habet operandi emersum ab omni potentialitate, potentia verò creata immersum in potentialitate. Maiorem ostendo, nam potentia prexigit obiectum vel speciem obiecti, vt complementum sui ad producendum actum sibi proportionatum: nulla autem potentia naturaliter præexigere potest complemetum altioris ordinis ad eliciendum actum sibi proportionatũ: ergo nulla potentia creata potest naturaliter præexigere obiectum, vel speciem actus puri. Maior claret. Minor constat, tum inductione: nam neque potentia corporea, neque intellectus humanus, aut angelicus, naturaliter præexigit, aut præexigere potest obiectum, aut speciem altioris ordinis. tum ratione, quia non minùs species, quàm potentia est connaturale instrumentum substantiæ ad eliciendam vitalem operationem naturaliter perfectiuã eiusdem substantię: at nulla substantia creata naturaliter prexigere potest potentiam altioris ordinis, cùm omnis substantia naturaliter sibi vendicet potentiam eiusdem ordinis & perfectionis; alioqui posset causa principalis, cuiusmodi est substantia respectu suæ potentiæ, naturaliter exigere instrumetum altioris ordinis, quod implicat: ergo nec exigere poterit obiectum vel speciem altioris ordinis, quàm sit ipsa. Non igitur dari poterit substantia, quę naturaliter exigat videre Deum per modum actus puri. Confir. quia non minùs cognitio est effectus obiecti secũdùm esse representatiuum, quàm potentiæ secundùm esse subiectiuum: sed repugnat, cognitionem naturalem excedere suam potentiam secundùm esse subiectiuum; ergo & obiectum secundùm esse obiectiuum, seu representatiuum.

154. *Obycies* 1. Non implicat forma creata, quę naturaliter per modum causę principalis exprimat Deum actum purum: ergo nec potentia, quę per modum causæ vitalis principalis naturaliter attingat Deum actum purum. Antecedens constat de ipsa visione beata, quę formaliter, atque adeo principaliter, cùm nequeat forma esse instrumentum, connaturaliter exprimit Deum actum purũ. Consequentia probatur, tũ quia semper actus est similior obiecto, quàm potentia; semper enim actus obiecti supernaturalis est supernaturalis, non semper autem potentia percipiens obiectũ supernaturale, est supernaturalis: tum quia semper actus specificatur ab obiecto quod exprimit, non semper autem potentia specificatur ab obiecto, quod percipit. Resp. Nego antecedens: falsum enim est, visionem beatam, vt causam formalem principalem exprimere Deum actum purum, sed tantùm esse viam, & tendentiam ad illum; non enim est forma in qua, sed qua Deus videtur: vnde non exprimit illum, vt *Quod*, sed vt *Quo*; proinde non debet in modo essendi conuenire cum obiecto, est enim pura vnio intentionalis potentiæ cum obiecto: de ratione autem puræ vnionis non est participare eundem modum essendi extremorum, vt constat de vnione hypostatica, quæ vnit Verbum increatum, cùm tamen ipsa increata non sit. Potentia verò vel est principalis causa sui actus, vel connaturale instrumentum suę substantiæ, atque adeo debet illi in modo essendi & operandi proportionari. Ad primam probat. Consequentiæ Resp. actum esse similiorem obiecto in ratione representandi, potentia verò naturalis est similior in modo essendi. Quòd autem semper actus obiecti supernaturalis, sit supernaturalis, ea est, quia cùm actus sit ipsa actualis tendentia ad obiectum, non potest aliũde specificari, quàm ab obiecto, ad quod actu tendit: potentia verò, cùm non sit actualis perceptio, sed principium percipiendi obiectum, aliunde specificari potest, quàm ab obiecto, quod actu percipit. Ad. 2. Concedo, actum specificari ab obiecto, sed in ratione tendentiæ; vnde non oportet participare modum essendi ipsius, sicut nec vnio participat modum essendi extremorum.

155. *Obicijes* 2. Visio beata est immersa potentialitati, est enim accidens à subiecto dependens; ergo potest esse connaturalis intellectui creato. Respond. esse immersam potentialitati subiectiuè, non obiectiuè, in quo debet actus proportionari potentię, vt non sit ipse elevatior in representando, quàm sit potentia in essendo; vt inductio ipsa ostendit.

156. *Obijcit* 3. Scotus, sequeretur, Angelum inferiorem non posse naturaliter cognoscere superiorem, eò quòd modus essendi superioris excedit modum essendi atque adeo modum cognoscendi inferioris. Resp. negando sequelã: nam vt rectè Ferrar. loco præcit. omnes Angeli conueniunt in eodem gradu potentialitatis, omnes quippe componuntur ex essentia, & existentia, ex natura & suppposito, ex subiecto & accidente: quòd autem vnus perfectiùs, & plura cognoscat, quàm alius, non arguit maiorem simplicitatem in ipsa substantia Angeli, sed in actibus dumtaxat: nam eò vnus actus est simplicior alio, quoad ad plura se extendit. *Scotus.* *Ferrarien.*

157. *Obijcies* 4. Sequetur, quod nec intellectus cum lumine gloriæ posset Deum videre, quia etiam cum lumine gloriæ excedituir à Deo actu puro. Resp. cum eodem Ferrariensi negando sequelam: nam esto intellectus cum lumine gloriæ excedatur à Deo actu puro, adhuc potest illum videre vt est in se, quia non videt illum naturaliter, & viribus proprijs, sed per gratiam & virtutẽ Dei; ratio autẽ solùm probat, nõ posse Deum à creatura *Ferrarien.*

videri

videri naturaliter, & viribus proprijs.

158. *Obijcies* quintò, inter potentiam & obiectum non requiritur proportio æqualitatis secundùm perfectionem entitatiuam, sed solius habitudinis mobilis ad motiuum, qualis est inter potentiam & obiectum: sed talis proportio est inter intellectum creatum & Deum actum purum; alioqui non posset intellectus eleuari ad intuendum Deum, cùm nequeat potentia eleuari ad obiectum, ad quod nullā habet proportionē mobilis ad motiuū. Resp. Negādo minorem: non enim inter intellectū creatum & Deū in seipso visibilem, est naturalis proportio mobilis ad motiuū; idque defectu porportionis secundùm modum essendi potentiæ intellectiuę, & obiecti intelligibilis, quæ per se attenditur inter potentiam & obiectum. Ad probationem, nego sequelam, quia licet intellectus creatus non habeat proportionem naturalem cum Deo, in seipso visibili, habet tamen proportionem obedientialem; quia cum illo conuenit in eodem genere proximo vitæ intellectricis, quo repræsentari potest intellectui creato confortato lumine glorię. Vnde Caietan. 1. p. q. 12. art. 4. in fine docet, Deum non esse omnino extra obiectum adæquatum intellectus naturalis, sed solùm extra obiectum adæquatum intensiuè, eò quòd non est ab ipso cognoscibilis secundùm modum ipsius obiecti; est tamen intra obiectum adæquatum extensiuè, quia est ab ipso cognoscibilis secundùm modum ipsius cognoscentis.

*Caietanus.*

159. Ex Dictis deducitur, non posse dari substantiam creatam cui connaturalis sit intellectus supernaturalis, aut lumen gloriæ, vel vnio cum Diuina essentia tanquam cum specie intelligibili: nam hęc omnia sunt complementum & cōprincipia altioris ordinis ad actum excedentem perfectionem substantiæ creatæ. Vnde in omni substantia intellectuali, hæc omnia tanquam instrumenta proportionantur substantiæ, ad quam perficiendam ordinantur. Præterea omnis natura intellectualis vendicat sibi aliquod obiectum proportionatum, quod primò & adæquatè respiciat, hoc autem est propria natura atque essentia, ad instar cuius superiora cognoscit. Sicut intellectus humanus pro adæquato obiecto respicit quidditatem corpoream, ad instar cuius spiritualia cognoscit: intellectus Angelicus propriam substantiam immersam potentialitati, per modum cuius Deum contemplatur.

## *Ratio vniuersaliter probans implicare quamcumque substantiam supernaturalem.*

160. HACTENVS ostendimus, implicare, substantiam supernaturalem, cui sit connaturalis peculiaris forma supernaturalis luminis gloriæ, & visionis beatificæ: superest ostendendum, implicare omnem substantiam supernaturalem, cui debita sit quæcumque forma supernaturalis. Hoc autem sic ostēdo à priori. Implicat quod est proprium vnius naturæ, fieri proprium alterius, nisi natura vnius commutetur in naturam alterius: sed omnis modus operandi supernaturalis est proprius Dei; ergo implicat fieri proprium creaturę. Consequentia sequitur in forma syllogistica. Minor constat inductione per omnes modos operandi supernaturales, quorum vnusquisque supponit peculiarem aliquā perfectionem propriam Dei: vt modus videndi Deum, vt actum purum, modus producendi rem independenter ab omni subiecto supponit in videnti & creante puritatem, modus diligendi Deum immediatè propter seipsum, supponit immediatam coniunctionem cum bono increato, atque adeo primariam specificationem appetitus ab ipso bono increato, modus cognoscēdi res supernaturales intuitiuè per cognitionem infusam, vel assentiendi mysterijs reuelatis per infallibilem certitudinem, excedentem omnem infallibilitatem & certitudinem scientiæ naturalis, supponit in cognoscente perfectionē primæ veritatis, atque adeo omnimodam in cognoscendo infallibilitatem: modus operandi indefectibiliter supponit immediatam coniunctionem cum Deo vltimo fine. Et sic de cæteris, vt infrà. Maiorem ostendo tum inductione. Implicat risibile, quod est proprium hominis, fieri proprium equi, vel alterius naturæ diuersæ ab homine: implicat calorem proprium ignis, fieri proprium aquæ, & sic de cæteris: tum à priori; quia proprium, vt nomen ipsum indicat, est proprietas vni certæ naturę addicta, à qua tantùm petit fluere, vt propria & adæquata passio ipsius: nam quęlibet natura, sicut propriam sibi vendicat constitutionem, per quam distinguatur à qualibet alia natura, ita & propriam passionem, per quam distinguatur à propria alterius passione: ergo implicat vt fiat propria alterius naturæ, quin talis natura cōmutetur in naturam alterius, cuius fieret propria passio. Hanc rationem breuiter tangit S. Th. 1. p. q. 12. ar. 5. ad tertium & 3. cont. Gent. c. 52. vbi Caiet. & Fer.

*S. Thomas. Caietan. Ferrarien.*

## *Corollaria Doctrinæ.*

161. EX dictis deducitur 1. posse communicari creaturæ aliquā operationem propriam Dei, imò & principium proximum accidentale talis operationis, non autem principium remotum substantiale, quemadmodum potest calefactio, quin & proximum principium calefactionis communicari aquæ, non autem ipsum substantiale principium radicale calefactionis, absque eo quòd natura aquæ mutetur in naturam ignis. Cuius ratio est, quia principium accidentale, adhuc communicatum extraneo subiecto manet cum relatione ad proprium, cuius est propria passio, non autem principium ipsum substantiale. Cuius ratio à priori est, quia cùm substantia essentialiter sit ad se & pro-

pter se nequit naturaliter manere ordinata ad aliud, tanquam propria passio alterius: contrà verò accidens, cùm non sit ens ad se & propter se, sed propter aliud, est enim teste Philosopho, entis ens, adhuc communicatum extraneo subiecto retinebit intrinsecum respectum & relationem ad proprium: ac proinde poterit in accidente saluari ratio proprij modi operandi Dei, non autem in substantia, nam hæc statim fit propria eius, cui communicatur, eiusque naturam essentialiter constituit, condistinctam ab omni alio, atque adeo definit esse proprietas alterius; quippe cùm implicet, aliquid esse propter se, & simul etiam proprietatem & passionem alterius, cùm vnum excludat aliud. Confirmatur, nam quę sunt propria naturæ superiori, nequeunt communicari naturæ inferiori substantialiter, queunt autem accidentaliter, vt inductione constat: igitur quæ sunt propria naturæ increatę, nequeunt communicari naturæ creatæ substantialiter, queunt autem accidentaliter.

*Aristot.*

163. Deducitur secundò non posse produci substantiam, cui connaturalis sit gratia, charitas, aut quiuis alius habitus infusus: nam hæc omnia dona, aut formaliter aut dispositiuè coniungunt immediatè creaturam, cum Deo bono increato: coniungi autem immediatè cum Deo bono increato est, proprium Dei. Maior constat, nam propterea hi habitus dicuntur Theologici, quia habent pro immediato obiecto Deum: est enim gratia immediata participatio naturæ diuinæ cuius, teste Petro, epistol. 2. cap. 1. consortes & comparticipes efficimur. Charitas est peculiaris participatio illius inclinationis, & appetitus, quo Deus naturaliter seipsum diligit. quo, fit, vt quemadmodum Deus, nullo alio mediante bono creato priùs dilecto, cum seipso immediatè coniungitur per charitatem, tanquam cum proprio bono; ita creatura per hæc dona, nullo alio mediante bono creato priùs amato, immediatè coniungatur cum Deo, tanquam cum bono increato: ergo si creaturæ connaturales essent huiusmodi habitus, connaturalis illi foret immediata coniunctio cum Deo tanquam cum bono increato: quòd autem hoc sit proprium Dei, incommunicabile connaturaliter creaturæ patet; nam immediata coniunctio seu propensio naturalis appetitus cum aliquo supponit adęquatam commensurationem cum illo, vt inductione constat. Cuius ratio est quia appetitus naturalis consequitur adęquatè naturam, cuius est appetitus; ergo non potest immediatè & naturaliter inclinare, nisi ad bonum commensuratum proprię naturę; alioqui si posset naturaliter inclinare ad bonum excedens perfectionem proprię naturæ, posset naturaliter inclinare ad aliquid excedens seipsum, quia cùm ipse sit maximè adæquatus & commensuratus, propriæ naturæ, si posset naturaliter inclinare ad bonum perfectius, inclinare posset ad aliquid excedens seipsum. Hæc eadem ratio militat de reliquis habitibus infusis: nam fides tendit ad obiectum, sub motiuo diuinæ veracitatis, per certitudinem excedentem omnem naturalem certitudinem: spes sub motiuo diuinæ promissionis, per firmitatem superantem omnem naturalem firmitatem.

*S. Petrus 2. 1.*

164. Dices 1. De facto creaturæ naturaliter inclinant ad Deum, vt ad proprium finem, & consequenter vt ad proprium bonum, nam finis & bonum coincidunt. Secundò, esto creatura non possit immediatè inclinare ad bonum increatum, posset tamen ad illud inclinare mediante bono creato, amando Deum propter seipsum amore amicitię: ergo potest creaturæ esse connaturalis habitus charitatis. Resp. Ad primum, negando, creaturas inclinare ad Deum, vt ad proprium finem immediatè, sed tantùm mediatè, quem singulæ respiciunt vt finem vltimum mediante proprio, à quo immediatè specificantur, ratio est, quia appetitus per se primò specificatur ab appetibili immediato, quod respicit, vt adæquatum obiectum suæ naturalis inclinationis, eoque mediante appetibile commune: ob hanc enim rationem repugnat intellectus creatus, qui per se primò respiciat Deum intelligibile increatum, quem tamen non repugnat respicere mediante intelligibili creato, repugnat autem, naturalem appetitum creaturę per se primò specificari à bono increato; sicut & intellectum ab intelligibili increato.

165. Ad secundum nego, creaturam per habitum gratiæ & charitatis inclinare posse ad Deum mediante bono creato. Ratio, quoniam huiusmodi habitus essentialiter respiciunt per se primò bonum increatum, à quo immediatè specificantur. Cęterùm de facto creaturæ rationales possunt naturaliter diligere Deum dilectione amicitiæ naturalis, non immediatè, vti illum diligunt per charitatem, sed mediante bono creato priùs dilecto: sicut & cognoscere possunt medio ente creato priùs cognito; sic enim naturalis dilectio, & cognitio ad Deum tendit limitata & specificata à proprio appetibili & intelligibili.

166. Deducitur tertio repugnare creaturam naturaliter impeccabilem, quia repugnat substantia, cui connaturalis sit immediata coniunctio cum Deo vltimo fine: quæ immediata coniunctio cum Deo vltimo fine necessaria est ad naturalem impeccabilitatem: quia cùm peccatum sit auersio ab vltimo fine, ea coniunctio necessaria est ad impeccabilitatę, quę opponitur peccato, hæc autem est sola coniunctio cum Deo vltimo fine: ratione cuius debita essent creaturæ omnia media, quæ ad talem coniunctionę conseruandam necessaria forent, inter cętera autem media necessaria essent peculiaria auxilia, quibus omnia & singula peccata vitanda forent.

167. Deducitur quartò, implicare substantiam, cui sit connaturalis vnio hypostatica cum aliqua persona increata. Ratio, quia nihil est ita proprium Dei, quàm

suæ

suæ ipsius personalitates; igitur implicat illas fieri connaturales naturę creatæ; tum quia, quod est proprium vnius, non potest fieri proprium alterius: tum quia nulla natura potest habere repugnantiam ad propriam personalitatem, haberet autem repugnantiam ad propriam personalitatem, si naturaliter inclinaret ad alienam; eò quòd, vt probabimus in tomo De Incarnatione, implicat naturam creatam subsistere in propria & aliena subsistentia simul: eo ipso autem, quod inclinaret ad alienam repugnaret ad propriam. immò aliena non esset ampliùs aliena, sed propria; nam propria est, ad quam substantia naturaliter inclinat.

168. Deducitur quintò, implicare creaturam, cui sit connaturalis Æternitas, eò quòd Æternitas essentialiter affert immutabilitatem per infinitam durationem, quæ est propria Dei, vt constat ex disputatione septima sect. 3.

169. Deducitur sextò, implicare substantiam, quę naturaliter exigat intuitiuè, cognoscere mysteria gratiæ, donorumque supernaturalium: quia nequeùt hæc intuitiuè cognosci, nisi per notitiam infusam, quę in certitudine superat omnem certitudinem scientiæ naturalis, estque propria Dei, qua res creatas cognoscit cum omnimoda certitudine & infallibilitate: quę omnimoda certitudo, & infallibilitas in cognoscendo non est debita creaturæ, vtpote mutationi naturaliter subiectę.

170. Deducitur septimò, non posse produci substantiam, cui sit connaturalis vis creatiua: quoniam hæc supponit in creante perfectionem actus puri; supponit enim actionem immanentem, per quam se determinat ad creandum, independentem à subiecto, quia supponit actionem immanentem, vtpote causam transeuntis perfectiorem, aut saltem non imperfectiorem transeunte: atqui actio creatiua est independens à subiecto, saltem mediato & inhæsionis; ergo & actio immanens, à qua transiens, vt à causa exemplari proficiscitur.

## *Responsio ad oppositas rationes.*

171. AD Primum oppositę sententiæ patet ex dictis; ex quibus etiam patet ad secundum, quia potest ens supernaturale accidentaliter participatum retinere proprium modum operandi Dei, non autem participatum substantialiter: eò quòd accidens, adhuc extraneo subiecto communicatum, retinet respectum ad proprium: nec propterea, quod illi communicatur, fit proprium illius: sicut substantia fit statim propria illius, cui communicatur: eò quòd substantia essentialiter sit ad se, accidens verò ad aliud. Ad Confirmationem nego paritatem, nam inter entia naturalia non repugnat substantia, quæ sit princeps causa accidentium naturalium: at inter entia supernaturalia repugnat substantia, quæ sit princeps causa accidentium supernaturalium.

172. Ad Tertium nego Consequentiam, ad quod bene responsum est, intellectum creatũ esse diuersæ rationis à lumine gloriæ; proinde solùm crescere posse intra suum ordinem: nam, vt rectè Scotus in secundo dist. 23. ad finem, quantumcumque crescat perfectibile, numquam attingit ad perfectionem sui perfectiui, nisi crescat infinitè, nam tunc eminenter contineret per identitatem perfectionem sui perfectiui. Nec instantia de visu aliud probat, quàm diuerso modo comparari visum ad audibile, quàm intellectu creatum ad Deum in seipso intelligibilem; ille enim ad audibile comparatur, vt potentia ad obiectum omnino disparatum; hic ad Deum in seipso intelligibilem, vt potentia ad obiectum excedens, excessu eiusdem quidem ordinis in ratione vitæ, proinde eleuabilis ad illud, diuersi tamen in ratione entis; quia Deus in seipso intelligibilis, est in supremo ordine actus puri, ac proinde proportionabilis per lumen altioris ordinis. Ad Confirmationem concedo, Deum creare posse intellectum non modò intensiuè, sed etiam essentialiter perfectiorem, semper tamen intra ordinem perfectionis naturalis. *Scotus.*

173. Ad Quartum nego antecedens, nam potest Deus conferre aquæ esse calefactiuum per qualitatem superadditam, non autem per essentiam. Ad probationem, disparitas est, quia vis intuitiua Solis non repugnat cum aliqua potentia visiua naturali: repugnat autem cum quocunque intellectu naturali vis intuitiua Dei.

174. Ad Quintum nego antecedens, quando talis res est propria vnius in quarto modo: nam tunc neque in gradu remisso participari potest connaturaliter ab alio, nisi simul participetur natura, ex qua illa fluit: risibilitas enim, quæ est propria hominis, ne remissè quidem potest ab alia natura, quàm ab homine, naturaliter participari; cuius ratio est, quia tunc secundùm quemcunque gradum essentialiter respicit naturam, cuius est proprietas. lumen autem gloriæ est proprium naturæ diuinæ, vt à cæteris distinctæ; ergo ne remissè quidem participari poterit connaturaliter à creatura, quia in quouis gradu includit proprium modum operandi Dei, excedentem proprium modum operandi creaturę.

175. Cæterùm dicuntur accidentia supernaturalia proprietates naturę diuinæ, non quà accidentia sunt formaliter, sic enim respiciunt substantiam creatam, tamquam subiectum, à quo sustententur; sed quia formaliter includunt proprium modum operandi Dei. Nam sicut Deus immediatè intelligit, & diligit seipsum, nullo medio creato priùs intellecto, aut dilecto: ita hęc accidentia immediatè tendunt ad Deum cognoscẽdum, & diligendum, nullo alio medio creato priùs cognito, & dilecto. Dicuntur etiã formales par-

ticipationes Dei, nō quoad ipsum esse formale participatū, sic enim sunt entia & participationes creatæ, sed quoad modum operandi, & attingendi obiectū. Nam sicut Deus attingit seipsum per modum actus puri: ita lumen gloriæ attingit Deum per modum actus puri, & quoniam ratio, cur competat Deo attingere seipsum per modum actus puri est, quia purus actus est, quæ est ipsius propria natura & essentia; ideo lumen gloriæ attingens Deum per modum actus puri, dicitur proprietas & formalis participatio naturæ atque essentiæ diuinæ, quia in modo operandi imitatur illam in operatione sibi maximè propria.

176. Ad Confirmationem, si ly *non minus*, dicat participationem in suo genere, vt quemadmodum intellectus creatus est participatio in genere naturali, ita lumen gloriæ in genere supernaturali, concedo antecedens; sed nego Consequentiam; quod sicut lumen gloriæ increatum, est proprietas intellectus increati, ita lumen gloriæ creatū sit proprietas intellectus creati: nā hoc, siue consideretur vt est in Deo, siue vt cōmunicatum creaturæ, semper est in ordine diuino, quia semper includit propriū modum operandi, atque adeò indebitū creaturæ. Si ly *non minus*, dicat æqualem participationem eiusdem generis, falsum est antecedens; nam prior est participatio intellectus diuini, non quà diuinus est formaliter, hoc est quà formaliter distinguitur à creaturis, sed quà conuenit cum illis in analoga perfectione intelligendi.

177. Ad sextum, primo nego, Deum participari posse accidentaliter quoad omnes suas perfectiones, nequit enim participari quoad perfectionem actus puri, independentis, &c. Secundò assigno discrimen, quia quoad reliquas perfectiones supernaturales potest participari, absque eo quòd talis perfectio supernaturalis participata fiat propria & connaturalis creaturę: quoad perfectionem verò substantiæ supernaturalis nequit participari, quin talis perfectio participata fiat propria & connaturalis creaturæ, ob rationem supra assignatam. Ad Confirmationem dico, repugnare illi supernaturalitatem, quà substantia creata est, nec valet: Non repugnant extrema seorsim sumpta; ergo nec coniuncta, quia possunt vt coniuncta inuoluere repugnantiam, quam non inuoluunt vt seorsim sumpta.

178. Ad septimum nego, vnionem hypostaticam esse substantiam, sed modum dumtaxat substantialem, longè imperfectiorem substantia supernaturali, si daretur: ex quo non licet inferre, possibilem esse substantiam naturaliter visiuam Dei, nam hęc esset substantia perfecta diuini ordinis, longè perfectior modo substantiali.

179. Ad octauum nego Consequentiam: & retorqueo argumentum: nam si de facto datur accidens supernaturale, & non datur substantia supernaturalis, signum est, quod hæc non sit possibilis: alioqui, vt suprà infe-

rebamus, daretur accidens sine suo proprio & connaturali subiecto. Ad probationem dico, accidens supernaturale, quà accidens est, naturaliter ordinari ad substantiam creatam, vt subiectum sustentationis; quà verò operatiuum est operationis diuinę, essentialiter respicere Deum tamquam obiectum specificatiuum: neque ex hoc, quòd accidens supernaturale naturaliter respiciat substantiam creatam, sequitur, quod vicissim substantia creata naturaliter respiciat accidens supernaturale, quia potest superius, cuiusmodi est accidens supernaturale respectu substantiæ creatæ, naturaliter respicere inferius, absq; eo quòd inferius naturaliter respiciat superius: eò quòd superius ad plus se extendit, quam inferius.

180. Adde, quod accidens supernaturale non respicit substantiam naturalem, secundùm potentiam naturalem, sed secundùm potentiam obedientialem. Ad Confirmationem dico, visionem Dei considerari tripliciter, primò quà visio Dei est; secundò quà creata & vitalis est; Tertiò, quà supernaturalis: primo modo soli Deo connaturalis est: 2. soli intellectui creato: 3. Soli lumini gloriæ, quare negandum est simpliciter, eam connaturalem esse intellectui creato, sed solum quoad vitalitatem, ex quo patet ad probationem maioris, quia ad actum vitalem sufficit, vt quoad vitalitatem pendeat ab intrinseco & innato principio, etiamsi, quoad reliqua pendeat à principijs extrinsecis.

181. Ad Nonum, ex eo impossibili vtrumque contradictorium sequi, & proprium modum operandi Dei non excedere proprium modum operandi talis intellectus, siquidem poneretur in eodem ordine abstractionis cum Deo; nam eo ipso, quod illi esset debita visio intuitiua Dei, poneretur in ordine abstractionis actus puri, qui est proprius Dei: & rursus proprium modum operandi Dei excedere proprium modum operandi talis intellectus, nam eo ipso, quòd poneretur creatus, poneretur potentialis, ac proinde infrà ordinem abstractionis actus puri.

182. Ad Confirmationem negandum est, intellectum creatum, adhuc cum lumine gloriæ naturaliter, sed tantùm obedientialiter videre Deum. Ratio, quia lumen gloriæ non proportionat intellectum creatum, in ratione perceptiui, cum Deo actu puro in seipso perceptibili, sed tantùm in ratione purè productiui visionis beatæ: vnde non redditur naturaliter visiuus Dei, quia ad videndum naturaliter Deum, non sufficit naturalis proportio producendi visionem, sed præterea requiritur naturalis proportio percipiendi ipsum Deum: eò quòd naturalis proportio potentiæ cognoscentis, & obiecti cognoscibilis, sita est in huiusmodi proportione perceptiui & perceptibilis, quæ, cùm sit intrinseca & formalis, nequit ab extrinseco suppleri per lumen. Vnde eo posito, adhuc manet intellectus beati respectu Dei, in seipso visibilis, improportionatus naturaliter: quippe qui à lumine non mutuat, nisi solam proportio-

nem

nem effectiuam producendi actum visionis.

## SECTIO VII.

*An possibilis sit substantia, cui saltem vt Instrumento naturali debita sit Visio Dei, aut quæuis alia forma supernaturalis?*

183. RATIO dubitandi est, quia de facto datur connaturale instrumentum visionis Dei in genere accidentis, quod est lumen glorię: ergo non repugnabit connaturale instrumentum eiusdem visionis in genere substantię. Consequentia probatur, quia si quid obstaret, esset potentialitas talis substantię: at hæc non obstat de facto in lumine: ergò. Confirmatur, quia instrumentum non debet esse eiusdem ordinis, vel cum causa principali, vel cum effectu, ad quem instrumentaliter producendum ordinatur, vt de quouis instrumento naturali constat: igitur vt substantia sit connaturale instrumentum visionis Dei, non requirit, vt sit eiusdem ordinis, vel cum Deo causa principali, vel cum ipsa visione, ad quam instrumentaliter producendam ordinaretur.

184. Hanc Controuersiam non reperio apud Scholasticos; negatiua tamen pars ex eorum principijs non obscurè colligitur, dum vniuersaliter negant omnem substantiam supernaturalem, cum quibus & ego sentio. Et ad sententiæ confirmationem tres affero rationes.

185. PRIMA ratio sit. Instrumentum naturale debet esse in eodem ordine cum sua causa principali: sed causa principalis cognoscitiua actus puri debet esse in ordine actus puri; ergo & ipsius naturale instrumentum. Minor constat ex suprà disputatis sect. præcedente. Maior, in qua vis nostræ rationis sita est, probatur primo inductione in omni instrumento naturali, tum vitali, omnis quippe potentia vitalis, quę est instrumentum naturę cognoscentis, est in eodem ordine cum sua principali causa cognoscitiua, & obiecto cognoscibili: tum non vitali; siquidem omnes qualitates, quæ sunt instrumenta rerum sensibilium, sunt in eodem ordine cum rebus ipsis. Secundò à priori, quoniam instrumentum naturale est connaturalis proprietas causę principalis; calor enim, qui est instrumentum ignis, est simul proprietas ipsius: proprietas autem debet esse in eodem ordine cum subiecto, à quo debet vt propria passio emanare, & ad quod finaliter perficiendum ordinatur.

186. Confirmatur, quia potentia cognoscitiua non solùm est principium productiuum actus, sed etiam perceptiuum obiecti, ergo maiorem proportionē habere debet cum obiecto perceptibili, quam quodcumque instrumentum cum effectu producibili: quia principium perceptiuum non solùm debet habere proportionem in genere causæ efficientis, sed etiam formalis, quia debet simul cum ipso cognoscente principali percipere obiectum. Hæc ratio efficaciter probat, non solùm nullum dari posse instrumentum substantiale respectu illius modi operandi, qui formaliter in Deo supponit actum purum, qualis est modus cognoscendi Deum in seipso, vt actum purum, & modus producendi aliquid independenter ab omni subiecto; sed neque instrumentum accidentale: cùm nullum dari possit accidens supernaturale ordinis actus puri, cùm omne accidens essentialiter sit immersum subiecto, cui est aptum inhęrere. vnde implicat intellectus creatus, vt naturale instrumentum perceptiuum Dei actus puri; nec non vis connaturalis instrumentaria creatiua.

187. DICES. Lumen glorię est connaturale instrumentum visionis Dei & tamen non est in ordine actus puri. Phantasma est naturale instrumentum intellectus agentis ad producendas species intelligibiles, & tamen non est in eodem ordine spiritus cum ipso intellectu: igitur non est necessarium, vt instrumentum naturale sit eiusdem ordinis cùm sua causa principali. Resp. Lumen gloriæ non esse instrumentum perceptiuum Dei, sed productiuum dumtaxat visionis Dei, quia lumen non intelligit, sed producit tantùm actum, quo intellectus intelligit: vnde non debet proportionari visioni obiectiuè, quia secundùm hanc formalitatem non respondet visio, nisi tantùm principio perceptiuo; sed solùm proportionari debet visioni subiectiuè: quo pacto visio est eiusdē ordinis cum lumine: quia sicut lumen est supernaturale, & immersum potentialitati subiecti: ita & visio est supernaturalis, & immersa subiecto, cui inhæret. Cuius ratio à priori est, quia obiectum non comparatur vt forma intelligibilis ad principium purè productiuum, sed ad principium cognoscitiuum, quod tantùm est capax effectus formalis illius: igitur non debet seruare proportionē ordinis cū principio naturali purè productiuo, sed cū principio naturali cognoscitiuo. Confirmatur, quia maior proportio requiritur inter perceptiuum obedientiale & perceptibile, quàm inter productiuum obedientiale & producibile; nam quodlibet productiuum obedientialiter eleuari potest ad quodlibet producibile: at non quodlibet perceptiuum obedientialiter eleuari potest ad quodlibet perceptibile: ergo maior requiritur proportio inter perceptiuum naturale & perceptibile, quàm inter productiuum naturale & producibile: nam eadem proportio est obedientialis ad obedientiale, ac naturalis ad naturale. Vrgebis: ergo saltem possibilis est substantia, vt naturale instrumentum productiuū visioni, sicuti est lumen. Sed contrà, quia implicat, naturam intellectualem esse naturaliter productiuam

uam visionis, & non esse naturaliter perceptiuam obiecti; nam productio cognitionis in natura intellectuali est ipsissima obiecti perceptio, cùm in ea supponatur principium vitale proportionatum: quare si est naturaliter productiua cognitionis in alieno subiecto, à fortiori erit naturaliter productiua eiusdem in seipsa, tanquam in proprio subiecto, nec est eadem ratio de lumine, quia hoc non est principium vitale.

290. Ad secundùm nego minorem: nam phantasma est naturale instrumentum animæ, quatenus est forma corporis, à quo pendet in operari; qua ratione phantasma est eiusdem ordinis cum intellectu agente, & speciebus intelligibilibus, saltem obiectiuè: quo tantùm pacto debent seruare proportionem: nam sicut phantasma est materiale obiectiuè; ita & species intelligibiles sunt etiam materiales obiectiuè, quia debèt repræsentare quidditates & essentias rerum, ad instar corporis, iuxta modum intelligendi animæ vt formæ corporis: ac proinde etiam intellectus agens in producendis talibus speciebus se habet vt causa principalis, corporea, quia producit illas tanquam causa corporea obiectiuè.

191. Secvnda ratio. Implicat substantia, vt connaturale instrumentum visionis Dei: nam vel ea esset instrumentum sui, vel aliorum; non sui, quia cum ipsa esset principalis finis suarum operationum, non posset esse instrumentalis, sed principalis causa efficiens visionis Dei: nam finis & efficiens, quando in eandem rem coincidunt, sibi mutuò commensurantur: vndè si esset principalis finis, esset etiam principalis efficiens: quod autem esset principalis finis, patet, quia in ratione finis proximi non ordinaretur ad aliud: at de ratione instrumenti est, ad aliud ordinari, eò quòd instrumentum non est ad perficiendum se, sed aliud à se. non aliorum, quoniam implicat, substantiam in hoc genere actionis per se primò ordinari ad perficiendam aliam substantiã, absque eo, quòd sit primariò perfectiua sui: nam vel esset perfectiua alterius substantiæ in ordine ad ipsam visionem Dei, vt species intelligibilis saltem quà diuinæ essentiæ, vel vt principium completium potentiæ intellectiuæ: vtrouis modo esset perfectiua alterius, à fortiori esset etiam perfectiua sui, quia non posset aliam naturaliter perficere; nisi in seipsa contineret & speciem diuinę essentię, & virtutem supernaturalis potentię intellectiuę: igitur posset naturaliter seipsam determinare ad visionem Dei. Consequentia constat, quia magis ipsa, quàm alia substantia ab ea distincta, esset à seipsa determinabilis ad cognitionem obiecti, cuius principia in seipsa contineret, quia magis ipsa, quàm alia substantia ab ea distincta, esset ad talem visionem proportionata.

192. Tertia ratio deducitur ex precedente sect. quia omnis substantia necessariò continet radicale principium suæ operationis: ergò implicat substantia, quæ sit tantùm instrumentalis causa operationis supernaturalis. Consequentia constat, quia principium radicale necessariò est causa principalis: est enim prima radix operationis, vltra quam non est assignanda alia prior in eo genere, quod est proprium causæ principalis: cuius ratio à priori est, quoniam radix operationis est ipsa essentia rei: essentia autem rei, si substantialis est, semper est causa principalis suæ operationis, quia cùm per eam non ordinetur res ad perficiendum aliud, sed seipsum, non potest habere rationem instrumenti respectu talis operationis.

193. Ex his deducitur vniuersalis ratio, cur implicet omnis substantia supernaturalis per modum instrumenti connaturalis, quia nimirum omnis supernaturalitas includit aliquem modum operandi proprium Dei: omnis autem modus operandi proprius Dei, aut supponit immediatè & formaliter actum purum, & nullo modo communicabilis est creaturæ; aut non supponit immediatè & formaliter actum purum, & saltem incommunicabilis est substantialiter creaturæ, eò quòd nulla substantia potest esse instrumentum suę propriæ operationis, cùm ipsa sit principalis finis, atque adeò principalis efficiens omnium suarum operationum, nec poterit esse instrumentum alterius, quia nulla substantia, cùm essentialiter sit ad se, potest primariò ordinari ad perficiendum aliud à se; quia destrueretur essentialis conceptus substantię, quæ primariò est ad se. Igitur possibilis non est substantia, quæ sit connaturale instrumentum operationis supernaturalis.

194. Ad rationem dubitandi, nego Consequentiam. Ad probationem, nego pariter Consequentiam, nam ideo potentialitas non obstat in lumine, obstaret autem in substantia, quia lumen, cùm sit purè productiuum, non debet proportionari visioni obiectiuè, quo pacto visio beata emergit à potentialitate, & requirit in cognoscente puritatem actus, sed subiectiuè, qua ratione immergitur potentialitati subiecti, & non requirit in proximo producente puritatem actus. Substantia verò, quia non solùm esset productiua, sed etiam perceptiua obiecti, deberet proportionari visioni etiam obiectiuè. Adde, quod cùm lumen sit accidens, potest vt connaturale instrumentum ordinari ad aliud perficiendum; non autem substantia, quæ essentialiter est ad se. Ad Confirmationem nego antecedens, iuxta primam rationem, quia licet instrumentum semper sit imperfectius causa principali, non tamen est inferioris ordinis illa, iuxta secundam verò & tertiam rationem, nego substantiam posse esse naturale instrumentum visionis Dei.

## SECTIO VIII.

### *An necessarium sit aliquod lumen, vt intellectus creatus Deum videre possit?*

Durandus. 195. PRIMA sententia negat. Est Duran. in 4. dist. 49. q. 2. num. 24. probat primò quotiescunque virtus potentiæ extendit se ad aliquod obiectum, eo præsente, & exclusso omni impedimento causante obscuritatem, necessariò sequitur cognitio clara, & intuitiua, qualis inter talem potentiam & obiectum est possibilis: atqui intellectus creatus de se potens est in essentiam diuinã, vt in obiectum intelligibile, totumque impedimentũ, quòd eum clarè nõ cognoscat est, quia secundum naturalem cursum illam cognoscit per medium creatum inferioris ordinis: ergo, eo sublato, & diuina essentia illi immediatè præsentata, statim sequitur cognitio clara & intuitiua, qualis inter intellectum creatum & essentiam diuinam possibilis est.

196. Secundò, quia vel hoc lumen additur, vt intendat vim intellectiuam: & contrà est, tum quia intellectus non suscipit magis & minus; tum quia, vt habitus intendat id, cui additur, debet esse eiusdẽ rationis cum illo: at lumen gloriæ non est eiusdem rationis cũ intellectu creato, alioqui nõ eleuaret illũ ad aliquid superioris ordinis: vel additur vt cõcausa visionis simul cum intellectu: & contrà est, quia quando duo agentia partialia integrant vnum totale, quodlibet per se sumptũ habet similem virtutẽ in effectum, quem producũt: at lumen gloriæ non habet similem virtutẽ in actum visionis, quam habet intellectus, alioqui illud esset quædã vis intellectiua. Tertiò, hoc lumen ponitur ad proportionandũ intellectum creatũ cũ obiecto: sed adhuc eo posito, intellectus creatus in infinitũ distat à Deo obiecto increato: ergo superuacaneum est.

S. Thomas. & reliqui Scholastici. Concilium Viennense. 197. SECVNDA sententia affirmat, est S. Th. 1. p. q. 12. a. 5. & communis Scholasticorũ in 3. dist. 14. & in 4. dist. 49. & definitur in Concilio Viennensi, vt refertur in Clementina de hæreticis *Ad nostrum*. Neque huic Catholicæ doctrinæ aduersatur Scotus in 3. dist. 14. q. 2. §. *In prima q.* & dist. 31. §. *Respondeo*, & in 4. dist. 49. q. 1. §. *Respondeo ergo*, in quibus locis vel solũ negat lumẽ glorię, vt necessarium de potentia absoluta; vel tantùm ad recipiendam visionem; vel quod illud sit per modũ habitus, quo pacto non est contra Conciliũ: nam cæterum in 4. loco præcitato & quodl. 14. a. 2. apertè docet, impossibile esse, Deũ videri foliis naturæ viribus: imò ait oppositum dicere, peiorem esse hæresim, quàm hæresim Pelagij.

Scotus.

198. Fundamentũ huius Catholicæ veritatis est, quoniam omnis creatura est essentialiter immersa potentialitati: ergo quocunque extrinseco impedimento sublato, semper manet naturaliter impotens ad videndum Deũ actum purum. Consequentia constat, nam radix, vnde in creatura oriatur connaturalis exigentia cognoscendi Deum per medium creatum, in modo essendi propriæ naturæ commensuratum, & non in seipso, est ipsa potentialitas, quæ cùm sit essentialis, per nullius impedimenti sublationem tolli potest. Confirmatur, nam ex opinione Durandi sequitur, omnes beatos æqualiter videre Deum, si æquali vi intellectiua polleant; quin etiam perfectiùs videre Deum, qui pauciora habet merita, modò perspicaciorem habeat vim intelligendi: &, quod absurdius est, quemlibet Angelum clariùs Deum cognoscere, quã animam Christi; cùm quilibet Angelus nobiliorem habeat intellectum.

Durandus. 199. Respondet 1. Durandus inæqualitatem gloriæ non mensurari penes obiectum essentiale, quod æqualiter cernitur ab omnibus, sed penes obiecta secundaria, quæ Deus extra beatitudinem essentialem succedentiuè reuelat beatis; penesque dotes corporis, & gradus quosdam dignitatis, in quibus anima Christi, & beatæ Virginis excedunt reliquos beatos. At hęc responsio, vt ipsemet Durandus ingenuè fatetur, secura non est, cùm ex Patribus & Scripturis constet, inæqualitatem gloriæ positam esse in ipso præmio essentiali.

200. Respondet igitur secundò, inæqualitatem gloriæ in pręmio essentiali prouenire ex eo, quòd Deus perfectiorem actum intelligendi influit vni, quàm alteri. Sed contrà, nam sic Deus non concurreret cum beatis iuxta naturalem exigentiam ipsorum, nempe cum perspicacioribus ad clariorem, cum minùs perspicacibus ad minùs claram notitiam sui.

Durandus. 201. AD primum argumentum Durandi Resp. maiorem esse veram, quando potentia naturaliter ordinatur ad cognoscendum obiectum, non autem quando tantùm ordinatur obedientialiter: vnde falsum est, totum impedimentum, cur Deum clarè non cognoscat, esse, quia illum cognoscit per medium creatum, sed quia potentialis est; ex quo tanquam ex radice oritur, vt illi talis modus cognoscendi sit debitus & connaturalis.

202. AD secundum dico, lumen superaddi intellectui, non vt illum intendat, sed vt comprincipium diuersæ rationis, ex quo & intellectu fit vnum principium completè, & proximè productiuum visionis beatificę. Nego autem semper agentia partialia debere habere similem virtutem in effectũ, quem producunt, nisi sola homogenea, qualia non sunt lumen, & intellectus, quorum alter est vitalis, & non supernaturalis, alterum supernaturale, & non vitale.

203. AD Tertium Resp. Lumen gloriæ non requiri ad proportionãdum intellectum Mathematicè, & in ratione entis, sed Geometricè seu habitudine, & in ratione potentiæ, non perceptiuæ, sed productiuæ visionis erga Deum, ad quod sufficit qualitas finita al-

tioris

tioris ordinis. Præterea requiritur lumen ad proportionandum intellectum ex parte obiecti proximè determinantis potentiam ad obiectum percipiendum, vt sectione sequente dicemus.

204. Controuertunt Doctores, an hoc lumen sit per modum actus, an habitus? Affirmant aliqui esse per modum actus, seu specialis concursus, vel antecedentis motionis. Fundamentum, quia hoc sufficit ad saluandum Concilium, nam etiã actus eleuat intellectum formaliter ad videndum Deum. Communis tamen sententia est, esse per modum habitus, eò quòd connaturalius est, vt potentia vitalis fiat intrinsecè potens ad eliciendos suos actus, per aliquid sibi intrinsecè inhærens: propterea enim dantur habitus infusi, vt intrinsecè proportionent potentias ad suos actus supernaturales eliciendos. Cæterùm licet hæc sententia sit verior, non tamen puto eam esse à Concilio definitam: eò quòd finis Concilij non fuit, dirimere controuersiam, quæ inter Theologos de lumine gloriæ tunc temporis agitabatur; sed solùm damnare errorem Beguardorum, & Beguinarum asserentiũ, quamlibet creaturam intellectualem in seipsa naturaliter beatam esse, eamque ad Deum videndum gloriæ lumine non egere. Ad quem errorem damnandum sufficit quodlibet lumen, etiam actuale, formaliter eleuans creaturam in Deum.

*Concilium Viennense.*

*Beguardi. Beguinæ.*

## SECTIO IX.

### *Ad quid lumen gloriæ deseruiat Beatis?*

205. PRIMA sententia affirmat deseruire ad solum ornatum potentiæ, est Mayroni in 30. distinct. 12. quæst. 2. Bassoli dist. 14. q. 1. art. 1. Rubionis q. 2. Fundamentum est, quia sicut in patria manet character ad solum ornatum animæ; ita infunditur lumen gloriæ ad solum decorem potentiæ. Sed contrà, tum quia hæc sententia est contra Scotũ in 4. dist. 49. q. 11. §. *Respon. ergo*: tum quia est contra Concilium Viennense suprà citatum ponens lumen ob indigentiam & necessitatem: tum quia, cùm intellectus creatus sit incõpletus ad actus supernaturales, non solùm eget lumine ad ornatum, sed etiam ad complementum suæ virtutis, vti eget reliquis habitibus infusis. Nec est par ratio de charactere, nam hic fuit in hac vita impressus, vt morale principium sacrarum operationum; & quia ex se indelebilis est, manet etiam in beatis ad gloriam accidentalem, in signum perfunctarum operationum, sicut in damnatis ad pœnam accidentalem, & in ignominiam malè functi ministerij.

*Mayronus. Bassolus. Rubio.*

*Scotus. Conc. Vien.*

206. SECVNDA sententia docet, deseruire ad recipiendam visionem. Est Richardi in 4. dist. 49. art. 3. q. 1. Maioris q. 4. Marsilij in 3. q. 10. ar. 2. dubio incidente conclusione 1. Caiet. 1. p. q. 12. a. 5. §. *circa primæ consequentiæ*. Valent. ibidem puncto 3. Gonsalez. disp. 27. sec. 2. Fundamentum est, quia aut lumen non est productiuum visionis, cùm non sit vitale; atque adeò si requiritur, non requiritur nisi ad recipiendam visionem: aut certè intellectus non tantùm est incompletus ad producendam, sed etiam ad recipiendam visionem, & consequenter quoad vtrumque eget compleri lumine. Vnde Concilium docet, animam egere lumine ad *videndum*: *videre* autem vtrumque essentialiter includit, & producere & recipere visionem.

*Richardus. Maior. Marsilius.*

*Caietanus.*

*Gonsalez. Valent.*

207. Sed contrà, nam anima de se capax est ad recipiendam quamcumque formam supernaturalem, tanquam causa obedientialis principalis: siquidem ad recipiendum non requiritur, nisi vt de se sit subiectum aptum ad sustentandum: quælibet autem substantia de se apta est sustentare quodcumque accidens. Confirmatur. Nam de facto per aduersarios intellectus recipit lumẽ sine alia forma supernaturali disponente. Nec valet, quòd visio sit vltimus terminus: nam sicut visio Dei est vltimus terminus & perfectio in patria, ita gratia habitualis est vltimus terminus & perfectio in via: sed hæc nullam per se requirit dispositionem, vt constat in paruulis, in quibus absque vlla prœuia dispositione infunditur; ergo nec illa in patria. Confirmatur, nam perfectior forma est vnio hypostatica, quàm visio beata; sed hæc nullam postulat in subiecto dispositionem, recipitur enim in nuda substantia humanitatis, vt cum S. Thom. fatetur ipsemet Caiet. 3. p. quæst. secunda, artic. decimo; ergo nec illa.

*S. Thomas. Caietanus.*

208. Ad fundamentum. Ratio discriminis est, quia in recipiendo non debet subiectum communicare formę, nisi seipsum vt receptaculum: ad producendum verò effectum supernaturalem debet potentia obedientialis communicare aliquid perfectius se, quod, cùm ipsa non habeat in se, eget intrinseco, vel extrinseco principio, vt compleatur & adiuuetur ad talem effectum producendum. Ad Concilium dico, non eodem modo illud intelligendum esse de eleuatione actiua, & passiua; sed de actiua, per qualitatem superadditam; de passiua verò, per formam indebitam: Nam etiam dicitur subiectum eleuari, quando recipit formam indebitam sibi.

209. TERTIA sententia asserit, lumen gloriæ in beatis exercere munus solius speciei intelligibilis, supplendo concursum obiecti. Est aliquorum apud Bassolum in tertio dist. 14. quæstione prima, articulo primo, & Vasquez 1. p. Disputatione trigesima nona, & quadragesima tertia, quam sic probat cap. quinto, quotiescunque ad effectum influunt plures causę proximæ, assignari debet in effectu peculiaris ratio vnicuique causæ respondens, alioqui frustra tales causę ad talem effectum requirerentur: sed nulla ratio assignari potest in actu visionis, quæ reduci non possit ad intellectum & lumen, quatenus habet rationem speciei. Minor probatur, nam vita-

*Bassolus.*

*Vasquez.*

lis

litas reducitur ad intellectum ; claritas & expressio quidditatiua Dei ad lumen, vt habet rationem speciei ; supernaturalitas ad idem, quatenus forma supernaturalis est : frustra igitur præter lumen, quatenus habet rationem speciei, requiritur aliud tenens se ex parte potentiæ. Quod autem illud potiùs teneat se ex parte obiecti, quàm potentiæ, probat in fine capitis quarti, quia virtus, quam intellectus habet ad videndum Deũ, non est instrumentalis, sed principalis, proinde non eget virtute superaddita, quæ illum perficiat & compleat in ratione potentiæ, cùm nulla virtute superaddita queat magis proportionari, quàm sit ipsa suo natiuo lumine proportionata. Solùm igitur eget specie impressa Diuinæ essentiæ, cum qua compleat integrum principium clarę visionis Dei.

*Victoria.* 210. Hæc sententia displicet primò : quia contra communem sententiam Thomistarum, vno excepto Victoria, admittit in sententia sancti Thomæ speciem impressam diuinæ essentię. Secundò, quòd præter speciem, nullam aliam admittit virtutem ex parte potentię, contra eumdem sanctum Thomam sæpe docentem, lumen gloriæ requiri ex parte potentiæ, & habere rationem habitus roborantis potentiam. Vnde argumentor ratione, & primò quòd lumen non sit species diuinæ essentiæ, constat ex dictis ; & confirmatur ad hominem : nam si Deus in rerum natura non existeret, adhuc vitalis speciei per ipsum repręsentaretur eodem prorsus modo, quo repræsentatur nunc ; & beatus eodem modo foret beatus per notitiam, virtute ipsius speciei productam, ac est beatus nunc : hoc autem esse non potest, nisi species contineat in esse intentionali, quidquid Deus ipse continet in esse reali, quod manifestam arguit infinitatem in specie, quam infinitatem ipse non admittit.

211. Secundò. Adhuc ea posita, intellectus creatus nõ esset completum principium ad intuendum Deum : siquidem ad intuendum obiectum non solùm requiritur species intuitiua obiecti, sed etiam potentia completa : atqui intellectus creatus non est completa potentia ad intuendam Dei essentiam : ergo adhuc, posita specie diuinę essentiæ, vt ipsum possit intuitiuè videre possit, compleri debet in ratione potentiæ. Maior constat : Nam quotiescumque ad effectum per se requiruntur plures causæ, singulæ debent compleri in proprio genere ; nec potest vna compleri per complementum alterius, quia quando causæ sunt heterogeneę, quales sunt potentia & species in ordine ad cognitionem, non potest vna in suo genere compleri per aliam, quia vnaquæque completur complemento sibi proportionato : sed ad visionem Dei per se requiritur & species diuinę essentię, & potentia intellectiua : ergo vtraque debet esse completa in suo genere. Minor in qua est difficultas, probatur primò, paritate aliorum habituum supernaturalium, qui formaliter dantur ad complendas potentias in ratione potentiæ, vt habitus fidei, spei, & charitatis : at non minùs est incompletus intellectus ad eliciẽdam visionem Dei, quàm ad eliciendum actum fidei, & voluntas ad eliciendum actum charitatis : ergo si ad eliciendos hos actus potentia indiget compleri in ratione potentiæ ; à fortiori indigebit compleri ad eliciendam visionem Dei.

212. Dices. Compleri intellectum in ratione potentię supernaturalis ad visionem Dei per speciem ipsam supernaturalem diuinę essentiæ, quo pacto non completur ad eliciendum actum fidei intellectus, quia ad talem actum eliciendum, non infunditur species supernaturalis : nec etiam per eam completur voluntas ad eliciendum actum charitatis, quia ad nullum actum voluntatis effectiuè concurrit obiectum. Sed contrà : tum quia, cùm species sit causa diuersi generis, non potest potentiam in ratione potentiæ formaliter complere. Vnde, etiam posita specie supernaturali ad actum fidei, vt nonnulli putant, necessarius esset habitus ex parte potentiæ. Tum quia repugnat, causam esse proximè completam in suo genere, & esse inferioris ordinis cum effectu à se producendo : sed visio Dei est ordinis supernaturalis, intellectus verò creatus ordinis naturalis : ergo. Minor constat, nam licet intellectus per speciem diuinæ essentię fiat supernaturalis in ratione speciei, non tamen fit supernaturalis in ratione potentiæ. Maior probatur : Nam totum complementum causæ est in ordine ad effectum producendum : repugnat autem, causam esse proximè completam in suo genere ad effectum producendum, & non esse in eodem ordine cum illo. Cuius ratio à priori est, quia causa proximè completa debet effectum à se producendum in suo saltem genere naturaliter continere ; non potest autem in suo genere illum naturaliter continere, nisi sit eiusdem generis cum illo.

213. Tum quia nunquam instrumentum est completum in ratione instrumenti, nisi euehatur ad ordinem suæ causę principalis ; quia instrumentum connaturale, vt ex disputatis constat, debet esse in eodem ordine cum sua causa principali : sed intellectus ad producendam visionem Dei se habet vt instrumentum connaturale Dei ; ergo euehi debet ad ordinem diuinum : non euehitur autem ad ordinem diuinum in ratione potentiæ per solam speciem, nam tunc euehitur in ratione potentiæ ad ordinem diuinum, quando in ratione potentiæ formaliter participat ordinem intellectus diuini : non participat autem ordinem intellectus diuini in ratione potentię formaliter, nisi per lumen intellectuale, tenens se ex parte potentię, quia per illud formaliter assimilatur intellectui diuino, qui non solùm est diuinus ratione essentiæ, gerentis vicem obiecti, sed etiam ratione intellectus, habentis rationem potentiæ : igitur quoad vtramque

tramque rationem debet intellectus creatus assimilari Deo causæ principali. Confirmatur, quia magis improportionatus est intellectus creatus ad visionem Dei, quam oculus noctuæ ad visionem solis; sed hic non potest ad solem videndum eleuari per solam speciem solis, nisi etiam vigoretur in ratione potentię, ergo nec ille ad Deum intuendum per solam speciem diuinæ essentiæ, nisi etiam roboretur in ratione potentiæ.

*Vasquez.* 214. Ad fundamentum Vasquez, neganda est maior, si intelligatur de ratione peculiari formaliter diuersa: nam sæpe ad eandem rationem formalem integram plura requiruntur principia, vt ad eandem rationem formalem integram naturalitatis concurrit agens principale, & instrumentum; potentia, & habitus naturalis; species impressa & potentia vitalis: ergo ad eandem rationem formalem integram supernaturalitatis concurrere possunt lumen & species, illud ex parte potentię, hęc ex parte obiecti: nam tam vitalitas respondens intellectui, quàm expressio & intuitio obiecti, respondens speciei, debet esse supernaturalis: sicut tam vitalitas visionis corporeę, respondens potentiæ, quàm expressio & intuitio obiecti, respondens speciei, debet esse naturalis. Cōcedenda verò est maior de ratione formali, si intelligatur partialiter tantùm distincta. Cuius ratio est, quia vtraque causa partialis, vt sit completa, debet esse in eodem ordine cum effectu producendo. Vnde negādum est, intellectum creatum esse completū principium elicitiuum visionis Dei, sine lumine, tenente se ex parte potentiæ: nam licet per illud non compleatur in ratione vitalis, completur tamen in ratione productiui, quod essentialiter includitur in ratione perceptiui.

*Thomista.* 215. Qvarta sententia communis Thomistarum docet lumen gloriæ, duo in mentibus beatorum præstare; alterum complere simul cum intellectu beati principium productiuum visionis; alterum disponere intellectum eorundem ad recipiendam essentiam diuinam; per modum speciei intelligibilis, vltimò determinantis ad actum visionis Dei. Prima pars constat. Secunda probatur, quoniam ad actum visionis glorioſę duo concurrunt, sufficiens virtus ex parte potentiæ, & species ex parte obiecti: sed virtus præsupponitur ad speciem, vt determinabile ad determinatiuum: igitur lumen complendo intellectum in ratione potentię, simul disponit illum ad recipiendam diuinam essentiam in ratione speciei intelligibilis, quæ vltimò determinet potentiam ad visionem Dei iuxta perfectionem luminis.

216. Sed contra hanc secundam partem: nam vel lumen disponit ad recipiendam essentiam Dei, vt supplentem vicem speciei impressæ, quæ sit principium speciei expressæ; at hoc impossibile est, vt constat ex disputatis sec. 3. & 4. de natura speciei expressę, & impressæ, & apertè negat S. Thomas 1. p. qu. 12. ar. 5. ad secundum, vbi docet, lumen istud non requiri ad videndam Dei essentiam, vt simili

*S. Thomas.*

tudinem, in qua Deus videatur, sed vt perfectionem intellectus, ipsum confortantem ad Deum videndum: vel quę sit proxima causa notitiæ, qua Deus immediatè videatur in seipso; & hoc meliùs, & connaturaliùs refundi potest in lumen, vt mox constabit.

## *Sententia Authoris.*

217. Qvinta igitur & mea sententia est, lumen gloriæ hæc tria in intellectu beatorum præstare, primum complet intellectum in ratione potentiæ productiuę visionis Dei, Secundò determinat ex parte obiecti ad immediatam notitiam Dei, vt obiecti primarij. Tertiò, supplet speciem impressam harum, vel illarum creaturarum, vt obiecti secundarij connexi cum primario, tamquam effectus cum causa. Fundamentum est, quia lumen glorię est perfecta participatio luminis increati: sed lumen increatum hæc omnia præstat in intellectu diuino: igitur & lumen creatum in intellectu beatorum, vt est perfecta participatio illius. Minor patet, quia lumen increatum non modò tenet se ex parte intellectus diuini intelligentis, sed etiam ex parte obiecti intelligibilis, tum primarij suę essētiæ, tum secundarij creaturarum. Est enim hæc triplex perfectio debita lumini increato, quatenus est adæquata proprietas essentię diuinę, quę non minùs est sui & aliorum intelligibilis, quàm intellectiua. Maior verò probatur, nam lumen debet ab intellectu creato participari, secundùm omnem perfectionem, qua intellectus creatus eget, & lumen ipsum est connaturaliter participatiuum: atqui intellectus creatus non solùm eget lumine, vt comprincipio ex parte potentię, sed etiam vt proximè determinatiuo ex parte obiecti, tam primarij, quàm secundarij, & lumen est vtriusque perfectionis connaturaliter participatiuum: ergo. Maior cum Consequentia elucet. Minor quoad priorem partem constat ex dictis: quoad posteriorem verò probatur primo, quoniam nulla est implicantia, vt lumen creatum quoad vtramque perfectionem participet lumen increatum, & quoad rationem intellectiui, & quoad rationem intelligibilis: Sicut enim visio ipsa beata participat vtramque perfectionem à visione increata, & claræ intellectionis, & obiecti intelligibilis, quatenus est & vitalis tendentia ad primarium, & species expressa secundarij: ita non implicat principium participans vtramque perfectionem in ordine ad eandem visionem.

218. Secūdò probatur à pari: nam intellectus Angelicus, quia est adæquata proprietas, & accidentalis participatio suæmet substantię quæ non minùs est intelligibilis, quàm radicaliter intellectiua, non solùm est formaliter intellectiuus, sed etiam formaliter intelligibilis respectu suæ propriæ substantiæ, adeo vt ad intelligendam propriam substantiam non egeat intellectus angelicus specie, aut peculiari concursu obiectiuo proprię sub-

stantiæ,

stantiæ, sed seipso sit vltimò determinatus, & per modum intellectiui, & per modum intelligibilis ad propriam substantiam intelligendam, vt sequenti tomo ostendemus, ergo dabilis est accidentalis participatio diuinæ substantiæ, quæ respectu eiusdem non modò sit intellectiua, sed etiam intelligibilis, ita vt sine peculiari concursu obiectiuo diuinæ substantiæ intellectum beati vltimò determinet ad claram visionem eiusdem. Cæterùm, quia lumen gloriæ non participat perfectam similitudinem intelligibilem diuinæ essentiæ, participat autem perfectam similitudinem intelligibilem creaturarum, non est respectu diuinæ essentiæ species intelligibilis, sed tantùm habitus immediatè determinans intellectum beati ad Deum intuendum; est autem species respectu creaturarum, quarum intelligibilitatem perfectè continet in actu primo.

*Richardus.* 219. Hanc sententiam colligo tum ex Rich. in 4. distinct. 49. articulo tertio, quæstione prima, ad secundum, vbi lumen vocat *S. Thomas.* *speciem, & Dei similitudinem:* tum ex S. Thoma 1. p. quæstione duodecima, articulo quinto & tertio, contra Gent. cap. 53. vbi lumen appellat *Dei similitudinem & augmentum virtutis intellectiuæ.* Est enim *Dei similitudo,* quia intellectum determinat ad visionem Dei. Est *augmentum virtutis intellectiuæ*, quia potentiam complet in ratione potentiæ.

*S. Thomas.* 220. Cæterùm cùm S. Thomas docet, lumen intellectum disponere ad recipiendam diuinam essentiam per modum speciei intelligibilis, intelligit de specie expressa, sæpe enim docet, diuinam essentiam in visione beata supplere vicem verbi & speciei expressæ, immediatè terminantis notitiam beati. Nec obstat, quòd 3. contra Gent. cap. 51. & q. 8. de verit. articulo primo, affirmet, diuinam essentiam esse *quod* & *quo* videtur: nam id dixit ad excludendum ab intellectu beatorum verbum creatum, cuius vicem gerit ipsa Dei essentia, quatenus ipsa videtur in seipsa, nullaque alia mediante obiectiua similitudine est ratio, qua in seipsa immediatè videtur.

221. *Obijcies* 1. Ad notitiam, præsertim intuitiuam obiecti, necessariò requiritur concursus obiecti: *ex cognoscente enim & cognito,* *Augustin.* teste Augustino 9. de Trin. cap. vltimo, *paritur notitia.* Secundò, superfluum est determinatiuum ex parte obiecti, vbi adest obiectum per seipsum intelligibile, & intimè vnitum potentiæ. Assumptum probo, nam determinatiuum ex parte obiecti instituitur loco obiecti: ergo quando obiectum est præsens, per seipsum intelligibile, & intimè vnitum potentiæ, superfluum est omne aliud determinatiuum. Confirmatur, quia connaturalius est, vt obiectum per seipsum determinet potentiam, quàm per aliud à se distinctum. Antecedens probatur, tum quia concursus obiectiuus est propter terminatiuum: sed terminatiuus est proprius obiecti: ergo & obiectiuus. Tum quia concursus obiectiuus est à virtute determinatiua, quam habet obiectum ad determinandam potentiam cognoscitiuam ad notitiam sui: atqui hæc virtus est propria obiecti, à qua dicitur intelligibile: ergo & concursus à tali virtute promanans.

222. Resp. ad primum, concedo requiri concursum obiecti, vel alicuius participantis naturam obiecti: lumen autem gloriæ, etsi non sit ipsum obiectum, participat tamen naturam obiecti, tam primarij diuinæ essentiæ, quàm secundarij creaturarum, iuxta quam responsionem intelligendus est Augustinus. Ad secundum nego assumptum. Ad cuius probationem, nego consequentiam; nam esto substituatur loco obiecti non tamen eo presente est superfluum, quia requiritur, vt connaturaliùs compleat potentiam ad obiectum cognoscendum. Quare negandum est, obiectum connaturalius per seipsum, quàm per aliquid à se distinctum potentiam ad sui notitiam determininare: quia ille modus est connaturalior, qui magis perficit ab intrinseco potentiam, penes quam attendenda est connaturalitas operandi. *Augustin.*

223. Ad primam probationem confirmationis concedo, concursum obiectiuum esse propter terminatiuum, & terminatiuum esse proprium obiecti, nego tamen, obiectiuum esse obiecti tantùm proprium, nisi originaliter seu radicaliter. Ratio discriminis est, quia concursus terminatiuus est in genere causæ formalis, quod non potest alteri communicari: obiectiuus verò est in genere causæ efficientis, quod communicabile est alteri, etiam connaturaliter.

224. Ad secundam distinguenda est minor iuxta distinctionem datam; est propria obiecti originaliter & radicaliter, concedo; formaliter & participatiuè, nego: nam formaliter & participatiuè potest esse propria alterius ab obiecto, vt constat de specie impressa, cuius proprium est, determinare potẽtiam ad cognitionẽ obiecti, cuius est vicaria.

## SECTIO X.

### *Quo pacto intellectus beati ad visionem Dei concurrat?*

225. Hic sunt duæ controuersiæ; altera, an intellectus creatus ad visionem concurrat actiuè? altera, an vt causa principalis? Quoad priorem.

226. Prima sententia negans. Est Nomi- *Nominales.* nalium, & Rubionis in 3. dist. 14. q. 2. §. *Ad* *Rubio.* *cuius euidentiam.* Fundamentum est, quia præmium debet esse totaliter à præmiante, alioqui qua parte esset à recipiente, non esset præmium; quia præmium est donum præmiantis: sed visio Dei est præmiũ beatorum, quod illis datur pro mensura meritorum; ergo totaliter est à Deo, nõ coagentibus beatis. Cõfirmatur.

Visio Dei est perfectior quolibet dono supernaturali, cùm in ea consistat summa felicitas creaturæ rationalis: sed ad multa alia dona minùs perfecta creatura se habet merè passiuè, vt ad gratiam & reliquos habitus infusos: ergo & ad visionem Dei, quia quod non potest in minus, à fortiori non potest in maius.

*Thomista.* 227. SECVNDA sententia affirmans Thomistarum. Quæ verior est & sequenda. Fundamentum est, quia implicat, actionem vitalem non actiuè procedere à principio vitali. Assumptum probo, nam actio vitalis est, qua viuens ab intrinseco principio seipsum mouet ad operationem sibi intrinsecam, & immanentem: ergo implicat, eam ab extrinseco tantùm principio procedere. Consequentia patet, quia repugnat, actionem esse ab extrinseco, & simul per eam viuens ab intrinseco seipsum mouere; nam seipsum mouere, est seipsum agere. Antecedens est S. Thom. 1. p. q. 18. art. 1. & 3. vbi hanc differentiam assignat inter viuentia & non viuentia, quòd viuentia seipsa ab intrinseco mouent; non viuentia verò ab extrinseco tantùm. Confirmatur. Nam *intelligere, appetere, &c.* formaliter non important recipere, sed elicere intellectionem & appetitionem, importât enim attentionem & conatum potentiæ in suum obiectum: idem quippe est attendere, & intendere in obiectum. Implicat igitur, intellectum *intelligere*, aut voluntatem *appetere* per intellectionem, & appetitionem ab alio productam, quoniam per eam non saluaretur formalis ratio intelligentis & appetentis, hoc est ab intrinseco se mouentis.

*S. Thomas.*

228. *Obijcies* 1. Intellectus creatus nullum dicit ordinem ad obiectum supernaturale; ergo nullam habet erga tale obiectum actiuitatem; igitur totam actiuitatem sumit ab habitu supernaturali. Resp. Nullum dicere ordinem completum & perfectum ac naturalem, concedo; incompletum & imperfectum ac obedientialem, nego. Consistit autem hic ordo incompletus & inchoatus in eo, quòd qua ratione concurrit intellectus cum intelligibili supernaturali in ratione generica & remota, eadem ratione in intellectu est ordo quasi genericus incompletus & remotus, qui completur per complementum specificū habitus supernaturalis. Dicitur autem ordo obedientialis, & non naturalis, quia suā specificationem non habet ab obiecto supernaturali, ad quod diuina virtute euehitur, sed ab obiecto naturali, per ordinem ad quod commensuratur.

229. *Obijcies* 2. Non minùs propria & intrinseca est naturæ intellectuali potentia, quā actio vitalis; sed potest illa ab extrinseco produci, potest enim Deus se solo in anima vitalē potentiam producere; ergo & hanc. Resp. Disparitatem esse, quoniam potentia vitalis est intrinseca & propria per modū actus primi, quo natura fit tantùm potens ad operandum; actio verò est intrinseca & propria per modum actus secundi, quo natura per seipsam agit: implicat autem, naturam actu per seipsam agere actione extrinseca, non implicat autem, fieri intrinsecè potentem ad agendum potentia extrinsecùs recepta.

230. Ad fundamentum primæ sententiæ, nego Maiorem, quando præmium essentialiter requirit actionem præmiandi. Sufficit igitur ad præmium, vt principaliter procedat à præmiante, à quo præmiandus accipit virtutem illud producendi. Ad Confirmationem nego consequentiam, nam alia dona non postulant essentialiter actionem creaturæ. Falsum autem est, creaturam non posse actiuè obedientialiter concurrere ad productionem gratię, & reliquorū habituum supernaturalium; cæterùm ad visionem actu influit, quæ tamen non actu influit ad alia dona, eò quòd hæc essentialitet postulat; vt actio vitalis, productionem creaturæ; non autem cætera dona, quæ vitales actiones non sunt.

231. Quoad posteriorem controuersiam, Prima sententia affirmat, concurrere vt causam principalem. Primò, quia repugnat, aliquid concurrere vitaliter, & non principaliter: quia concurrere vitaliter, est concurrere per formam proportionatam potentiæ. Confirmatur, quia operari instrumentaliter, est operari vltra sphæram sui obiecti: implicat autem, intellectum operari vltra sphæram sui obiecti: ergo. Secundò. Visio denominat videntem causam principalem, non instrumentalem: atqui intellectus denominatur videns; ergo est causa principalis.

232. SECVNDA sententia docet, intellectum ad visionem beatificam concurrere vt instrumentum, vel *obedientiale*, vt Suar. lib. 2. c. 16. opinatur; vel *naturale*, vt Ambrosius Machin. disp. 16. sec. 3. sentit. Fundamentum illius est; quoniam visio Dei est effectus supra naturalem capacitatem intellectus creati; ergo nequit ad illam concurrere *naturaliter*. Fundamentum huius est, quia intellectus ad visionem Dei concurrit, vt potentia vitalis, ergo vt instrumentum connaturale ipsius viuentis; ergo non vt *obedientiale*. Prior consequentia probatur, quia potentia vitalis est proprium instrumentum viuentis, quo seipsum ab intrinseco mouet. Posterior verò ostēditur, quia instrumentum obedientiale, non est instrumentum proprium creaturæ, sed creatoris vtentis illo ad omnem effectum, contradictionem non inuoluentem: vnde commune est viuentibus & non viuentibus.

*Suarez.* *Ambros. Machin.*

233. Secundò, per eam potentiam beatus concurrit ad visionem Dei, per quam respicit illam vt contentam intra suum adæquatum obiectum: hæc autem est potentia *naturalis*, non *obedientialis*. Maior constat, alioqui non posset eleuari ad illam, quia nulla potentia vitalis eleuari potest ad actum non cōtentum intra sphæram adæquatā sui obiecti. Minor probatur, quia potentia obedientialis non respicit certum effectum, sed omne id, quod contradictionem non inuoluit: Nam vt obedientialis non est operatiua, vt instrumentum

mentum creaturę, sed Dei. Mihi verò dicendum est, intellectum Beati ad visionem Dei, quà supernaturalis est, concurrere vt instrumentū obediētiale; quà verò vitalis, vt causam principalē. Priorem partē suppono ex disputandis de potentia obedientiali to. 7. disp. 5. Posterior verò probatur, Nam visio Dei, quà vitalis est formaliter, dicit esse à virtute innata, à qua intrinsecè viuens seipsum mouet ad actum immanentem, in eodem genere proximo vitæ cum ipsa virtute sibi intrinseca & innata: vnde potiùs importat modum operandi, quàm substantiam ipsam operationis: sed intellectus beati eodem modo operatur, quantum ad hoc, vt seipsum moueat per virtutem innatam in eodem genere proximo vitæ per actum, ad quem se mouet, quando elicit visionem Dei, ac quando elicit actum naturalem: ergo. Cuius ratio est, quia potentia vitalis, vt sic essentialiter limitatur ad certum modum operandi, à quo ne per diuinam quidem potentiam extrahi potest.

234. Confirmatur, nam operari *obedientialiter*, est operari modo propriæ naturæ indebito: sed intellectus beati, vt vitalis potentia, non operatur modo propriæ naturæ indebito, dum elicit visionem Dei, quia vt vitalis non elicit illam, nisi à principio intrinseco, qui est modus sibi maximè connaturalis. Nec refert, quod egeat compleri lumine extrinseco, quia non eget illo, vt vitalis est formaliter, hoc est vt ab intrinseco & innato principio operatiuus, sed tantùm vt productiuus est. Iuxta hanc doctrinam conciliantur præcitatæ sententiæ.

## SECTIO XI.

### *An lumen gloriæ sit causa principalis visionis beatæ?*

*Vasquez. Arrubal. Machin. Zumel. Bannez. Gonzalez.*

235. PRIMA sententia affirmat. Est Vasquez 1. p. disp. 47. num. 38. Arrub. disp. 19. cap. 7. Machin. disput. 16. sect. 6. Zumel disput. 2. post tertiam conclusionem, Bannez, & Gonzalez supracitat. Fundamentum est, quia lumen glorię proportionatur visioni, eamque producit per concursum sibi debitum. Confirmatur, nam reliqui etiam habitus infusi sunt causæ principales actuum supernaturalium, quorum sunt productiui.

*Suarez.*

236. SECVNDA sententia est Suarez tomo 2. Metaph. disp. 30. num. 45. asserentis, lumen gloriæ comparatum ad Deum, cui subordinatur, esse instrumentum; comparatum verò ad effectum, quem producit, esse causam proximam in suo genere principalem; sicut calor respectu iginis, qui in agendo subordinatur, est instrumentum; respectu verò caloris, ad quem producendum ordinatur, est causa principalis.

237. Mihi iuxta mea principia dicendum est, lumen gloriæ esse causam principalem visionis beatæ, entitatiuè, non autem repræsentatiuè consideratæ. Etenim visio beata considerari potest dupliciter, vel secundùm entitatem, vel secundùm modum, quo obiectum ipsum repræsentat: consideratæ primo modo, lumen gloriæ est causa principalis, non secus ac reliqui habitus infusi respectu suorum actuum supernaturalium: quia vt sic visio non excedit lumen: consideratę verò secundo modo lumen est instrumentum, non proximum, sed remotum. Est instrumentum, quia vt sic non proportionatur visioni, quę in modo attingendi & repręsentandi obiectum, est in ordine actus puri, cùm tamen lumen sit quid potentiale: est autem instrumentum remotum, non proximum, quia lumen non attingit vnà cum intellectu obiectum, visione repręsentatum, sicut quæuis potentia cognoscitiua vitalis vnà cum substantia viuentis attingit obiectum cognitione expressum; sed solùm producit actum visionis quoad supernaturalitatem: vnde remotè tantùm dicitur ad obiecti repræsentationem concurrere, sicut habitus naturalis remotè tantùm concurrit ad obiecti expressionem.

238. Ex quo elicio, lumen gloriæ non debere esse eiusdem ordinis cum visione terminatiuè considerata, vti sunt reliquæ potentiæ cognoscitiuæ naturales cum suis actibus naturalibus, eò quòd non est proximum instrumentum respectu illius ratione repręsentationis, quo pacto deberet esse eiusdem ordinis cum termino ipso repræsentato, vt inductio ipsa ostendit in omnibus potentijs cognoscitiuis; sed solùm ratione entitatis, sub qua ratione est eiusdem ordinis cum illa: iuxta hanc nostram sententiam reconciliari possunt reliquæ.

239. DICES: Si lumen glorię, sicut & reliqui habitus infusi est causa principalis respectu actuum supernaturalium: igitur proprius modus operandi Dei fieri potest connaturalis creaturæ; quia cùm habitus sit quædam creatura, si illi, vt principi causæ est connaturalis ipsa operatio Dei, cuius ipse est naturaliter productiuus, ipse modus operandi proprius Dei fit connaturalis creaturæ. Resp. distinguendo consequens, proprius modus operandi Dei fieri potest connaturalis creaturæ accidentali, & concedo; substantiali, & nego. Cuius discriminis ratio est: quoniam accidens, siue vt instrumentum, siue vt princeps causa semper operatur vt proprium Dei, non vt proprium creaturæ: vt patet de calore, qui communicatus aquæ, siue agat vt instrumentum, siue vt principalis causa, semper agit vt proprietas ignis ad quem semper dicit respectum: substantia verò, cùm sit ens ad se, & propter se, statim communicata alteri, fit propria illius vnde non retinet neque in essendo, neque in operando relationem proprij respectu alterius naturæ, cuius est participatio: quo fit, vt propria operatio Dei communicata principio accidentali, adhuc maneat propria Dei: quia sicut

ipsum principium accidentale, siue sit operatiuum vt instrumentum, siue vt causa principalis, semper operatur vt proprietas Dei; ita & operatio ipsa à tali principio manans semper dicitur propria operatio Dei: contrà verò eadem operatio propria Dei communicata principio substantiali non maneret amplius propria Dei, sed creaturæ. Quia sicut ipsum principium substantiale fit proprium ipsius creaturæ; ita & operatio à tali principio promanans.

240. Ex dictis definitur alia quæstio, an visio beata dicenda sit connaturalis intellectui creato, informato lumine gloriæ? Negat *Sotus*, Sotus in 4 dist. 49. q. 2. ar. 4. §. *Dubitatur*: quia cùm non sit intellectui connaturale lumen, neque ei erit connaturalis visio, quia nulli subiecto est connaturalis actus, cui non est connaturalis potentia. Affirmat *Caietanus*. Caiet. 1. p. q. 12. art. 5. cuius sententia magis arridet: quia licet visio sit connaturalis intellectui, per se est tamen illi connaturalis ratione luminis: quod licet ad eam non concurrat vitaliter, concurrit tamen productiuè, quod satis est, vt dicatur illi connaturalis. Ad hoc enim vt actus dicatur connaturalis subiecto sufficit, vt proximè producatur à forma, quę inest tali subiecto, etiamsi talis forma non sit connaturalis subiecto. Cuius ratio est, quia iuxta logicorum regulas, vt aliquid possit affirmari de subiecto; sufficit, vt sub aliqua ratione illi cōueniat: contrà verò, vt possit aliquid negari de subiecto, debet sub nulla ratione illi conuenire: quia negatio, cùm sit malignātis naturæ, distribuit per omnia. Vt igitur visio Dei possit affirmari, vt cōnaturalis de intellectu creato, sufficit vt illi sit connaturalis ratione luminis; contrà verò, vt possit simpliciter negari, quòd sit illi connaturalis, debet sub nulla ratione illi esse connaturalis.

## SECTIO XII.

### *An potentia absoluta possit intellectus creatus videre Deum sine lumine inhærente?*

241. *Thomistæ.* *Capreolus.* *Paludanus.* PRIMA sententia communis Thomistarum negat, Capreol. in 4. dist. 49. q. 4. art. 1. concl. 2. & art. 3. *ad primum Scoti contra secundam concl.* Palud. q. 1. ar. 3. concl. 3. vbi quamuis affirmet posse beatos de potentia absoluta Deum videre sine lumine, id tamen docet, supponendo visionem creatam effici posse à solo Deo. Cæterùm si debeat intellectus actiuè cōcurrere ad illam: *Sotus.* *Oportet*, inquit, *præintelligere, quòd præmoueatur à Deo ad illam eliciendam.* Soti in 4. d. 49. q. 2. ar. 4. §. *Quod si arguas.* quamuis, vt ibidem *Ferrariens.* *Caietanus.* *Bannez.* *Gonzalez.* *Zumel.* fatetur, iunior aliter senserit. Ferrar. 3. contra Gent. c. 54. *ad primum.* Caiet. 1. p. q. 12. ar. 5. *ad tertium.* Bannez ibid. dub. 3. Gonzal. d. 27. sect. 3. Zumel disp. 2. Qui tamen diuisi sunt: nam alij putant, necessarium esse lumen habituale permanens; alij sufficere fluens per modum dispositionis facilè transeuntis, coadiuuantis intellectum ad productionem actus beatifici.

242. Probant primò auctoritate S. Doctoris 2. 2. q. 175. ar. 3. ad secundū, *Dicendum*, *S. Thomas.* inquit, *quod Diuina essentia videri ab intellectu creato non potest, nisi per lumen gloriæ, quod dupliciter participari potest, vno modo per modum formæ immanentis, & sic beatos facit sanctos in Patria, alio modo per modum cuiusdam passionis transeuntis, vt fuit in Paulo*: & 3. contra Gent. c. 53. *Impossibile est, quòd essentia Dei fiat intelligibilis forma alicuius intellectus creati, nisi per hoc, quòd aliquam diuinam similitudinem intellectus creatus participet. Hæc igitur diuinæ similitudinis participatio necessaria est, ad hoc quod Dei substantia videatur*: hæc ille. Est autē hæc diuinæ similitudinis participatio, vt ibidem Doctor Angelicus explicat, lumen gloriæ roborans & confortans intellectum in actu primo ad Dei visionem eliciendam.

243. Secundò ratione. Implicat intellectū intelligere, absque intrinseca virtute intelligendi; sed intellectus creatus ex se caret virtute intelligendi Deum in seipso: ergo implicat illum in seipso intelligere, absque superaddita virtute inhærēte. Minor claret. Maior probatur, quoniam intellectus est principium vitale, de cuius essentia est, vt per intrinsecam virtutem operetur. Consequentia verò constat, quia si intellectus ex se non habet hāc vim intuendi Deū, eam recipere debet ab extrinseco, vt per illam fiat potens ad videndū Deū. Confirm. Nā esto Deus possit se solo facere, quidquid potest cum causa secunda, non tamen potest facere, vt causa secunda agat, sine intrinseca virtute agendi: ergo licet possit Deus se solo producere visionem sui in mentibus beatorum, non tamen facere potest, vt beati ipsum videant sine intrinseca virtute videndi; Nam hæc est causa formalis, quæ sine intrinseca forma suppleri non potest.

244. Tertiò. Visio Dei est quoad substantiam supernaturalis: sed vt sic debet effectiuè ab intellectu procedere: igitur cùm in eo non supponatur vis innata supernaturalis, debet ab extrinseco infundi, & præsupponi tanquam actus primus, ad actum secundum essentialiter requisitus.

245. Quartò, In visione beata dari debet ratio *sub Qua* intellectus tendat ad Deum; sed hæc non potest esse naturalis, sed supernaturalis: igitur necessariò in intellectu beati supponi debet forma aliqua supernaturalis actiua inhærens. Confirm. quia per rationem *sub Qua*, tenentem se ex parte potentiæ distinguitur vnus actus ab alio, quando vterque procedit ab eadem potētia, & vterque distinguitur specie: sed visio beata, vt procedit ab eadem potentia intellectiua habet distinctum modū genericum ab eo, quem habent reliqui actus naturales: ergo ex parte potentiæ dari debet ratio *sub Qua*, genericè distincta ab ijs, quæ sunt principia actuum naturalium.

246. Se-

246. SECVNDA sententia affirmat. Est Scoti in 3. distinct. 14. q. 2. §. *quantum ad 2. articul.* Lycheti ibid. Bassoli q. 1. art. 1. Mayroni dist. 12. q. 2. Bacconi q. 1. art. 2. & in primo dist. 17. art. 6. vbi licet requirat aliquid præuium ad actum visionis, illud tamen non requirit per modũ actus primi influentis in visionem, sed per modum excitantis & applicantis potentiam ad operandum: Aureoli quodlib. 9. art. 3. Argent. in 4. dist. 49. q. 2. art. 1. concl. 1. Maioris q. 4. contra tertiam concl. Durandi q. 2. num. 24. Molinæ 1. p. q. 12. art. 5. d. 1. Suarij lib. 2. de Diuinis attributis cap. 16. Valent. 1. p. q. 12. puncto 3. Vasquez ibid. disp. 46. cap. 2. Arrubalis disp. 20. c. 3. Machin. disp. 16. sect. 7. quæ verior. est & sequenda.

*Scotus. Lychetus. Mayronus. Bacconus. Aureolus. Argentinas. Maior. Durandus. Molina. Suarez. Valentia. Vasquez. Arrubal. Machin.*

247. Fundamentũ pendet ex tribus principijs. Primum est, quod lumen gloriæ non complet intellectum beati in ratione potentiæ vitalis, quod ferè ab omnibus conceditur; & patet, quia lumen non percipit obiectum. Cuius ratio à priori est, quia non est intrinsecum principium fluens ab ipsa substantia viuẽtis, aut saltem aptum fluere ab ipsa, quod essentialiter requiritur ad potentiam vitalem, sed ab extrinseco tantùm infusum. Secundum est, quòd lumen solùm absque concursu intellectus, nõ est integrum principium productiuum visionis, alioqui non saluaretur vitalitas in actu, quæ essentialiter includit actiuam dependentiam ab intrinseco principio vitæ. Tertium, quòd potest Deus in causis secundis efficienter supplere omnem defectum virtutis actiuæ.

248. Ex his tribus principijs, ab aduersarijs etiam admissis, sic deducitur nostra sententia. Solum principiũ vitale à Deo suppleri non potest: ergo cùm intellectus creatus ex se sit potentia vitalis intellectiua, cum solo concursu Dei speciali supplente vim luminis, poterit visionem beatam in seipso elicere, atque adeo sine lumine inhærente Deum videre. Consequentiam probo, nam vt causa producat, vel producere possit effectum, non requirit in seipsa totam vim producendi, sed aliquam tantùm per quam possit cum adiutorio alterius causæ in actum exire: sicut per aduersarios potest intellectus sine specie inhęrẽte, diuino tantùm concursu supplente defectum inhærentis speciei, notitiam obiecti in seipso producere: cùm non minùs per aduersarios intellectus fiat potens ad producendam visionem beatam per speciem, quàm per lumen. Neque ex eo quòd non solus ipse per integrã virtutem inhærentem, sed simul cum extrinseca causa assistente & coagente producat visionem, dicendus est, aut illam nõ producere, aut non producere vt supernaturalem: nam vt verè producat, sufficit vis aliqua innata, inchoata & imperfecta; vt supernaturalem illam producat, aut producere possit, sufficit specialis concursus, & virtus diuina, supernaturalis proximè per decretum Dei intellectui creato assistens, eique extrinsecè coniuncta, ad instar causæ adiuuantis & coagentis: nam per hanc fit potens in actu primo producere; per illum verò actu producens supernaturalem visionem; cuius ratio est, quia quando duæ causæ ad causandum concurrunt, semper superior trahit inferiorem ad assimilandum sibi effectum, vt constat de instrumento & causa principali.

249. Ad argumenta oppositæ sententiæ. Ad primum desumptũ ex auctoritate S. Doctoris, fateor Doctorem S. in ea fuisse sententia vt in penultimo tomo, in disputatione de potentia obedientiali ex consensu omniũ Thomistarum, & ex principijs ipsius, manifestè ostendemus, licet aliquando in nostra fuerit sententia, vt colligitur ex q. 10. de ver. art. 11. in corpore, & fatentur Capreol. loco supra cit. art. 3. ad finem, & Durand. in 4. dist. 49. q. 2. num. 23.

*S. Thomas. Capreolus. Durandus.*

250. Ad secundum concessa maiore, distinguenda est minor: caret intellectus virtute proxima & completa, concedo; remota & incompleta, nego. quæ virtus non solùm compleri potest qualitate intrinsecè inhęrente, sed etiam virtute extrinsecè assistente, vt constat in sententia eorundem Thomistarum de specie impressa, sine qua non minùs est impotens intellectus creatus videndi Deum quàm sine lumine: cùm tamen hæc suppleri possit, & de facto in eorũ sententia suppleatur per extrinsecum concursum. Ad Confirm. nego, Deum supplendo concursum luminis, facere vt intellectus videat sine virtute videndi: nam supponitur in eo vis innata, quæ per concursum non suppletur, sed completur, sicut completur omnis vis innata instrumenti per concursum principalis agentis.

251. Ad tertium distinguenda est minor: debet visio supernaturalis procedere ab intellectu creato seorsim, nego; vt coniuncto cum Deo agente supernaturali, cõcedo: sicut nec de facto procedit ab intellectu, vt seiuncto à lumine, sed vt coniuncto cum lumine. Nam hoc est proprium causarum partialium, vt effectus nõ procedat à singulis seorsim, sed ab omnibus coniunctim, quia non in singulis, sed in omnibus simul continetur adæquatè effectus producendus. Vnde concedendum est, ad quemlibet actum secundum præsupponi primum, non tamen adæquatè in vnaquaque causa, sed adæquatè in omnibus simul, inadęquatè verò in singulis.

252. DICES, vis innata intellectus per solam extrinsecam assistentiam virtutis supernaturalis manet intrinsecè immutata: ergo non potest ab ea proficisci actio supernaturalis, cùm nulla causa communicare possit alteri, quod non habet in seipsa. Resp. manere immutatam intrinsecè, mutari tamen extrinsecè per ordinem ad actum; quod sufficit, vt ab ea, vt coniuncta cum virtute superiore agendi egredi possit actio supernaturalis. Nec putandum est, hunc concursum diuidi vt partim sit ab intellectu, partim à Deo agente supernaturali, sed indiuisibiliter proficisci ab vtroque coniunctim, vt tam vitalitas

actus sit à Deo concurrente cum intellectu, quàm supernaturalitas ab intellectu coagente cum Deo supernaturaliter. Ad probationem verò consequentiæ, concedendum est, quòd si nullo modo habet in se, neque proximè, neque remotè, nullo modo posse alteri communicare: intellectus autem creatus, licet proximè non contineat in se concursum supernaturalem, continet tamen remotè, quatenus cõiunctus cum causa supernaturali potest illum attingere. Pro cuius explicatione,

253. NOTA, in quolibet ente naturali productiuo dari vim aliquam intrinsecam innatam actiuam, quæ si coniungatur cum concursu naturali sibi debito determinatur ad concursum & effectum naturalem, si verò coniungatur cum concursu supernaturali sibi indebito, determinatur ad concursum & effectum supernaturalem. Nam sicut inter ens naturale & supernaturale est aliqua conuenientia in ratione entis, quatenus vtrumque participat veram rationem entis: ita in virtute actiua naturali, & supernaturali est aliqua conuenientia in ratione actiuitatis, vnde potest effectus supernaturalis aliquid accipere à virtute naturali, nempe ipsam communem & genericam rationem entis. Nam sicut in hac conueniunt ens naturale & supernaturale, ita effectus supernaturalis illam accipere potest ab ente, & virtute actiua naturali. Atque in hoc sensu dicitur virtus naturalis remotè, & inchoatè continere effectum, seu concursum supernaturalem, non quòd aliquid supernaturalitatis contineat, sed quia continendo rationem entis, quæ communis est naturali & supernaturali, illam communicando effectui supernaturali, dicitur aliquo modo genericè & remotè illum continere.

254. Neque dicas rationem entis in virtute naturali esse contractam tantùm ad ens naturale, sicut rationem entis in virtute supernaturali esse contractam tantùm ad ens supernaturale, ac proinde non posse virtutem naturalem communicare effectui supernaturali communem rationem entis, præcisam à naturali, & supernaturali; quia hęc ratio communis sic pręcisa nec datur in virtute actiua, nec in effectu qui producitur. Nam licet hęc ratio, vt sic præcisa non detur, sed semper à parte rei coniuncta sit, vel cum differentia naturalitatis in ente naturali, vel cum differentia supernaturalitatis in ente supernaturali; coniungi tamen potest cum virtute supernaturali in ordine ad eundem effectum, & vtraque inadæquatè agere, virtus quidem naturalis secundùm solam rationem entis, virtus verò supernaturalis secundùm rationem supernaturalitatis, & sic poterit effectus supernaturalis ab vtraque virtute aliquid accipere, & effectiuè pendere.

255. Quæ doctrina confirmari potest primò in instrumento naturali, cuius concursus seorsim spectatus, est accidentalis, coniunctus verò cum concursu substantiæ causæ principalis, est substantialis, non alia ratione, nisi quia accidens habet aliquid, quod potest influere & communicare effectui substantiali, genericam nimirum rationem entis: & quia vnus est influxus vtriusque, sicut vnus est effectus vtriusque totus influxus substantialis reipsa tribuitur accidenti; quamuis reduplicatiuè vt substantialis, sit à substantia, vt entitatiuus ab accidente.

256. Confirmari potest secundò in ipso lumine gloriæ inhęrente: negari enim non potest, ad eandem visionem concurrere intellectum & lumen totamque visionem non solùm esse à lumine, sed etiam ab intellectu. Quæro ergo quo pacto ab intellectu naturali procedat visio supernaturalis? nec sat est respondere, illam procedere ab intellectu informato lumine: nam sicut in eodem principio adæquatè sumpto est distinguere & innatam vim intellectus per quam vitaliter se mouet ad actum vitæ intellectiuæ, & supernaturalem virtutem luminis, quæ complet inchoatam vim productiuam intellectus: ita & in actu visionis aliquid respondens intellectui, aliquid lumini: hoc autem aliud esse non potest, quàm ratio generica intellectionis respectu intellectus, ratio verò specifica supernaturalitatis respectu luminis: quæ, quia ambæ rationes possunt in eodem effectu simul conuenire, ambæ causæ possunt in eundem actum influere, non quidem distincto influxu, sed eodem indiuisibili, sicut est ipse effectus: atque adeo totus influxus, sicut totus effectus tribuitur intellectui coniuncto lumini, totus lumini coniuncto intellectui; tametsi reduplicatiuè secundùm rationem intellectionis, non quidem naturalis, cùm ea non attingatur influxu commensurato virtuti naturali, sed genericè, vt intellectio est, pręscindens à naturalitate, & supernaturalitate, sit ab intellectu; secundùm rationem verò supernaturalitatis à lumine. Vnde concedendum est, quòd totus actus sit supernaturalis, quia ratio intellectionis & supernaturalitatis non distinguuntur in actu, & vt supernaturalis specificatiuè procedit ab vtroque efficienter. Nego tamen per hæc debere vtrumque supponi in actu primo supernaturale, sed sat erit si alterutrum tantùm supponatur supernaturale, vt constat de accidente, & substantia in productione substantiæ.

257. AD quartum, Duplex distinguenda est ratio *sub Qua*, altera in actu, & hęc in visione beata supernaturalis est, siue illa sit à lumine inhærente, siue à virtute assistente: altera in potentia, & hęc in intellectu nequit esse intrinsecè supernaturalis, sed obedientialis, quia non est per intrinsecam specificationem & ordinem ad obiectum supernaturale, sed per extrinsecam dumtaxat connotationem, iuxta ea quæ de potentia obediențiali dicturi sumus.

258. Cæterùm distinctio illa de lumine permanente, & fluente cum eorum doctrina non cohæret: quia, cùm visio beata sit

permanens,

permanens, conseruari non potest, nisi à lumine permanente: nam fluens cùm transeat non potest effectum permanentem conseruare, sed solùm primò producere. Vel certè si potest visio beata absque lumine conseruari, poterit & absque lumine produci, cùm non minùs sit necessarius influxus causæ ad conseruandum, quàm ad producendum: nisi dicant (quod in hac sententia debet cohærenter dici) visionem patriæ, quia permanens est, produci, aut saltem conseruari non posse nisi à lumine permanente: visionem verò viæ, qualem in sententia multorum habuerunt Paulus, & Moyses, quia fluens est, posse à fluente lumine produci & conseruari.

## SECTIO XIII.

### *An lumen gloriæ in ratione doni accidentalis sit omnium maximum?*

259. DIXI *in ratione doni accidentalis*, vt excluderem vnionem hypostaticam, quæ est donum substantiale, & omnium maximum, quod Deus ad extra communicare potest, quia per hoc Deus substantialiter se communicat creaturæ, faciendo illam substantialiter Deum.

*Gonzalez.* 260. PRIMA sententia est Gonzalez disp. 27. sect. 1. & 2. affirmantis. Fundamentum est, quia lumen gloriæ non solùm de facto excedit omne donum supernaturale accidentale, à Deo creaturæ communicatum, sed etiam de possibili, cùm non sit altius donum creaturæ communicabile. Prima pars antecedentis probatur, nam si quod donum foret lumine perfectius, esset gratia, vel charitas: at his longè perfectius est lumen, & quòd sit perfectius charitate probat: quoniam actus ad quem ordinatur lumẽ, est perfectior actu, ad quem ordinatur charitas; nam visio beata, ad quam ordinatur lumen, est essentialis & suprema felicitas creaturæ intellectualis, iuxta illud Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum.* *Ioan. 17.* Quòd autem sit perfectius gratia, probat ex eo, quia lumen est principium proximè effectiuum gloriæ, quæ est *gratia consummata:* gratia verò, & reliqua dona remotè tantùm ordinãtur ad gloriam, vt media ad finem, & vt dispositio ad vltimam formam. Vnde S. Thomas 2. 2. quæst. 24. art. 3. ad secundum, gratiam appellat *inchoationem gloriæ*, & quæst. 27. de veritate art. 5. ad 6. ait, gratiam patriæ discriminari à gratia viæ, ob diuersam perfectionis mensuram. *S. Thomas.*

261. Secunda pars antecedentis, nempe quòd nec de possibili produci possit donum accidentale perfectius lumine, ostenditur: tum quia de facto illud communicatum fuisset humanitati Christi Domini, cui merito vnionis personalis cum Deo debitum est omne donum creatum. Tum quia omnis habitus specificatur ab actu, sed non est possibilis altior ac perfectior actus visione clara Dei: ergo nec habitus perfectior lumine. Minor probatur, quoniam actus specificatur ex obiecto & modo tendendi ad illud: sed nec dari potest obiectum perfectius Deo in seipso visibili; nec modus tendendi altior, quàm clarè & intuitiuè ad Deum tendere: ergo.

262. SECVNDA sententia est Nauarreti controuersia 39. §. *Secundò*, Granadi tom. 2. tractatu de Diuina potentia & eius obiecto disp. 9. sec. 4. affirmantium de facto, & negantium de possibili. Prima pars sententiæ constat ex fundamento præcedentis opinionis. Secunda verò probatur, nam Deus in seipso visibilis, est obiectum infinitæ intelligibilitatis; ergo terminare potest visiones distinctæ speciei: Igitur possibilis est visio perfectioris speciei; & consequenter lumen, quod ab actu visionis specificatur. Confir. Nam visio Dei est diuersæ rationis à quacumque visione creata, etiamsi sit eiusdem obiecti: ergo sub eodem altissimo modo, quo Deus videt seipsum, multiplicabiles sunt infiniti modi videndi Deum, vnus alio specie perfectior. Quod etiam Granadus docet de gratia & vnione hypostatica. *Nauarret.* *Granadus.*

263. TERTIA sententia docet, de facto dari habitum perfectiorem lumine. Nam primò habitus gratiæ est perfectior lumine, vt mox constabit. Secundò, Etiam charitas est perfectior lumine, tum quia Aug. vlt. de Trin. c. 18. nullum Dei donum, ait, esse excellentius charitate: & Paulus primæ ad Corinth. 13. *Maior*, inquit, *horum est charitas.* Tum ratione, quia ille habitus est perfectior, qui perfectiùs & formaliùs attingit summum bonum: at perfectiùs & formaliùs summum bonum attingit charitas, quia hæc attingit secundùm modum, quo obiectum est in se; lumen verò secundùm modum, quo est in cognoscente: Deus autem perfectiori modo est in seipso, quàm in intellectu beati. Tum quia charitas attingit summum bonum, quà summum bonum est formaliter; lumen verò, quà summum verum est formaliter. Confir. nam visio ordinatur ad Deum per actum charitatis; Deus enim à beato diligitur amore amicitiæ, visio verò, quà beatitudo nostra est, amore concupiscentiæ: igitur perfectior est actus charitatis; Nam is actus est perfectior, qui habet rationem finis, & vltimò intenti: talis est actus charitatis, non autem visionis, quia hæc ordinatur ad charitatem, non autem charitas ad visionem. *Augustin.* *1. Cor. 13.*

264. DICO 1. Lumen gloriæ est perfectius charitate in ratione entis: charitas verò est perfectior lumine in ratione moris. Prima pars assertionis probatur, quia in ratione entis perfectior est cognitio, quàm amor, quia per cognitionem primò acquirimus obiectum, illudque intentionaliter possidemus: per amorem verò solùm tendimus ad obiectum, iam acquisitum & possessum per ipsum actum cognitionis. Vnde beatitudo nostra formalis principaliùs consistit in ipsa visione. Dices: Etiam per amorem tendimus ad possi-

dendum obiectum sub ratione boni, sub qua per cognitionem illud non possidemus. Sed contrà, quia hæc non est possessio & acquisitio obiecti simpliciter, sed secundùm quid: tũ enim simpliciter acquirimus & possidemus aliquid, cùm primò illud capimus & possidemus, non autem cùm iam acquisito & possesso vtimur ac fruimur: intellectu autem quasi manu primò obiectum capimus & possidemus; voluntate autem tantùm acquisito vtimur ac fruimur. Secunda pars assertionis constat, nam charitas, non lumen est in patria principium obsequendi & gratificandi Deo: igitur in ratione moris charitas est perfectior lumine.

265. Dico 2. Gratia est simpliciter perfectior lumine, licet lumen sit perfectius secundùm quid gratiâ. Primum probo, nam gratia est participatio Diuinæ naturæ, quatenus illa est fundamentum omnium diuinarum perfectionum: lumen verò est participatio solius cognitionis Diuinæ: ergo simpliciter perfectior est gratia, quàm lumen; quia pefectior est effectus, qui perfectiùs suam causam participat. Antecedens autem ostendo, tum quia per gratiam efficimur consortes & comparticipes Diuinæ naturę; per quam regeneramur in nouam creaturam: vnde per eam filij Dei nominamur & sumus: filius autem dicitur, qui eandem, vel penè eandem naturam parentis imitatur. Et quamuis etiam per visionem beatam efficiamur filij Dei, non tamen efficimur filij Dei participantes naturam Diuinã secundùm esse reale, & vt fundamentum est omnium operationum Diuinarum, sed tantùm secundùm esse intentionale, & vt principium est cognoscendi Deum. Tum quia gratia quasi altera natura, à Diuina participata & exemplata, exigit, tanquam proprietates sibi debitas, omnes habitus supernaturales, inter quos est ipsum lumen gloriæ, vt per eos, tanquam per potentias proportionatas operetur omnes operationes Dei proprias, & à creatura participabiles. Vnde habenti gratiam debiti sunt omnes habitus Theologici, nec non morales infusi. Dices: etiam lumen est adæquata participatio naturę diuinæ, cùm sit principium elicitiuum cognitionis totius esse Dei, secundùm omnia, quæ formaliter continentur in ipso. Sed contrà; nam hoc est solùm participare adæquatè naturam diuinam secundùm esse intelligibile & obiectiuum; non autem secundùm esse reale, & in ordine ad alias operationes diuinas.

266. Explico secundum: nam lumen supponit gratiam & reliquos habitus infusos, cum ipsa visione Dei naturaliter compossibiles, & est proximum principium effectiuum supremæ ac perfectissimæ operationis, quam creatura rationalis participare potest: ergo saltem secundùm quid lumen est perfectius gratia, quæ non supponit, sed potiùs exigit omnes habitus supernaturales, pro varietate status diuersos, nam alios exigit in Patria, alios in via. Præterea gratia non est immediatè operatiua, sed mediãtibus habitibus infusis, tanquàm proprietatibus & potentijs sibi debitis.

267. *Obijcies*, Cum gratia non pugnat peccatum veniale, pugnat autem cum visione beata: ergo simpliciter perfectior est visio beata, & consequenter lumen, quàm gratia. Consequentia patet, nam perfectior est forma, quæ subiectum reddit sanctius, & in operando rectius. Confir. quia visio beata in modo repræsentandi obiectum est in ordine actus puri, in quo non est gratia. Respon. Nego consequentiam. Nam ad hoc sufficit, vt visio sit tantùm perfectior secundùm quid: ex eo enim quòd visio est per modum actus, gratia verò per modum habitus, pugnat cum visione peccatum veniale, non pugnat autem cum gratia. Cum hoc tamen stare potest, quod gratia sit perfectior in esse, quàm visio, nam hæc maior repugnantia oriri potest, non ex perfectiore esse, quod habet visio, sed ex maiore contrarietate & oppositione, quàm habet vnus actus respectu alterius; vt actus intemperantiæ magis pugnat cum actu opposito temperantiæ, quàm cum ipsius habitu & potentia operantis, cùm tamen perfectior sit habitus & potentia ipsa operantis, quàm actus temperantiæ. Ad Confir. distinguo antecedens, est enim visio beata in ordine actus puri terminatiuè & intentionaliter, non autem subiectiuè, & realiter, in quo tantùm procedit comparatio cum gratia.

268. Dico 3. Non est possibilis habitus specificè perfectior lumine gloriæ. Assertio non est de habitu simpliciter, cùm iam probatum sit habitum gratiæ esse simpliciter perfectiorem quolibet habitu possibili, sed de habitu operatiuo, cuiusmodi non est habitus gratiæ. Assertionis sic explicatę fundamentum est: quia vbi non est possibile principium specificæ diuersitatis, non est possibilis specifica diuersitas: atqui respectu luminis gloriæ non est possibile principium specificæ diuersitatis: igitur. Minorem ostendo, nam omne principium specificum luminis aut sumitur ex obiecto, aut ex modo tendendi ad obiectum: at neque possibile est obiectum perfectius Deo, clarè in seipso visibili; neque altior atque eleuatior modus tendendi ad ipsum, per modum actus puri nullo interueniente medio creato tanquam ratione in qua: ergo.

269. Confirmatur, quia si hic modus esset possibilis de facto, vt prima sententia aiebat, communicatus fuisset humanitati Christi. Nec obstat quòd illi non sit communicatus habitus luminis aut charitatis intensiuè perfectior: quia cùm tales habitus nequeant communicari quoad intensionem infiniti, debuerunt quoad intensionem à Deo determinari: modus verò ille altior tendendi ad Deum, cùm esset finitus, communicari potuisset Christo. Hæc sententia est Caiet. 3. p. quæst. 10. art. 4. §. *Ad hoc dicitur*, in fine, Suarez libr. 2. de attributis diuinis cap. 19. & lib. 3. cap. 9. num. 26. & iuxta illam conciliantur præcedentes sententiæ. Nam prima *Caietanus.* *Suarez.*

quatenus

quatenus affirmat lumen esse perfectius gratia, intelligenda est de perfectione secundùm quid, iuxta secundam nostram assertionem: nec plus probant illius argumenta. Dicitur autem gloria, *gratia consummata*, quia præter gratiam, quam cõnaturaliter supponit, addit præstantissimum ipsius fructum; vnde non est perfectior vt condiuisa ab illa, sed vt includens illam: sicut dicitur natura consummata, quando est in sua vltima & præstantissima perfectione: dicitur autem gratia ordinari ad gloriam, non vt dispositio ad formam, velut medium ad finem, sed vt semen ad fructum, & vt natura ad præstantissimam operationem. Nec S. Thom. est contra nos; appellat enim gratiam *inchoationem gloriæ*, quia continet illam, vt fructum in semine, & comparata ad illam dicitur imperfecta, quia caret potissimo effectu, quem hìc ratione status habere non potest.

S. *Thomas.* 273. *Obijcies*, quia S. Tho. 3. parte quæst. 10. ar. 4. ad 2. affirmat, altiorem ac sublimiorem gradum diuinæ visionis per Dei potentiam dari posse. Respon. cum Caietano *Caietanus.* S. Thomam explicandum esse de altiori ac sublimori gradu, non specifico, sed intensiuo prouenient non ex diuersitate intellectuum, vt Caiet. putat, sed intensioris & intensioris luminis.

271. Ad fundamentum secundæ sententiæ, pro secunda parte, nego consequentiam: nam cùm omnis specifica diuersitas actus oriri debeat vel ex obiecto, vel ex modo tendendi diuerso: si erga Deum, in seipso visibilem, nequit assignari modus tendendi altior, non videtur talis specifica diuersitas visionum possibilis. Ad confirmationem nego pariter consequentiam, nam visio, quam Deus de seipso habet, est longè diuersæ rationis, cùm tendat ad obiectum modo comprehensiuo & increato: Cæterùm, quia omnis visio infrà visionem Dei ad Deum tendit modo limitato & creato, differt essentialiter à visione Dei, & conuenit cum quacunque alia visione creata.

272. Ad fundamentum tertiæ sententiæ, quatenus probat, charitatem esse perfectiorem lumine, concedendum tantùm est de perfectione in genere moris, de qua locuti sunt Patres. Ad rationem nego, charitatem perfectiùs attingere summum bonum, quàm attingat lumen, & ad primam probationem dico, tam charitatem, quàm lumen attingere Deum, vt est in se: lumen primo apprehendendo ac possidendo, charitatem fruendo. Ad secundam esto charitas Deum attingat sub ratione summi boni, lumen verò sub ratione summi veri, quia tamen hoc attingit primo apprehendendo ac possidendo, perfectius est charitate. Ad confirmationem: Resp. id tantùm probare de maiore perfectione in genere moris & amicitiæ, non autem in genere entis.

## SECTIO XIV.

### *An beati inæqualiter videant Deum?*

273. PRIMA sententia, seu potiùs error fuit Iouiniani, quem sequuntur Lutherani, affirmantis omnes beatos æqualiter Deum visuros: quamuis ex diuerso moueantur fundamento; ille, quia putabat, opera iustorum in hac vita non valere ad promerendum maius præmium glorię, sed solùm ad continuandum idem præmium, quod acceperunt. Fundabat autem hunc suum errorem in parabola illa de denario diurno, Matt. 20. *Matth. 20.* in qua idem denarius, qui præmium essentiale significat, æquè primis ac nouissimis in vinea laborantibus soluitur. Hi verò id asserunt, quia opinantur omnem nostram iustitiam ab extrinseca imputatione meritorum Christi in nos deriuari: Christus autem æquè pro omnibus meruit: igitur æquè omnes futuri sunt beati. Hanc sententiam probabilem censet Dur. in 4. dist. 49. q. 2 num. 27. *Iouinian. Lutheran. Durandus.*

274. SECVNDA sententia est Paludani in 4. dist. 4. q. 1. asserentis, omnes beatos esse inæquales in beatitudine essentiali. Fundamentũ ipsius est: quia omnes Angeli eò sunt in gloria sublimiores, quò sunt natura perfectiores: omnes autem Angeli sunt diuersæ naturę: ergo & in gloria impares. Sed homines electi sunt ad restaurandas sedes Angelorum: igitur etiam homines futuri sunt tam inter se, quàm cum Angelis in gloria inęquales. *Paludanus.*

275. TERTIA sententia est communis Scholasticorum affirmãtium, nec omnes beatos esse æquales, nec omnes in gloria inæquales. Quæ vera est: & sanè quoad priorem partem definita est in Concilio Florentino in decreto de Purgatorio, vbi statuitur, beatos *intueri clarè ipsum Deum Trinum & vnũ, sicuti est, pro meritorum tamen diuersitate alium alio perfectius.* Et colligitur apertè ex sacra Scrip. Ioannis 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Quem locum non rectè Iouinianus explicat de Ecclesia militante: nam apertè Christus loquitur de loco, quem erat suis discipulis propria morte in cœlis prępraraturus: Matt. 16. *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui, & tunc reddet vnicuique secundùm opera eius:* & primę Corinth. 3. *Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* *Concilium Florentin.* *Ioan. 14.* *Matth. 16.* *1. Cor. 3.*

276. Probatur eadem sententia ratione, quia Deus non minùs est iustus in retribuendo, quàm in puniendo: sed in puniendo seruat æqualitatem pœnæ ad culpam, iuxta illud Apocal. 18. *quantum glorificauit se, & in delicijs fuit tantum date illi tormentum & luctum:* ergo etiam in retribuendo seruat æqualitatem præmij ad meritum; hoc enim poscit ratio distributiuę iustitiæ, & lex bene institutæ Reip. vt quantitas præmij respon- *Apoc. 18.*

deat

deat quantitati meritorum. Posterior sententiæ pars constat in paruulis baptizatis, qui ex hac vita decedunt ante vsum rationis. Certum enim est, eos æqualem in baptismo gratiam suscipere, quidquid Paludanus contendat, cùm omnes æqualiter dispositi ad illum accedant: sed gratiæ baptismali respondet gloria, non quidem vt præmium, vt in Adultis, sed vt hæreditas, solo Christi labore parta: non igitur omnes beati impares sunt in gloria.

*Paludanus.*

*Iouinianus.*

277. Ad fundamentum Iouiniani ductum ex parabola de denario diurno, æqualiter omnibus operarijs, quamuis diuersa hora in vinea conductis, soluto, Resp. vel nomine eiusdem denarij intelligi beatitudinem obiectiuam, quæ eadem manifestatur omnibus; vel certè eandem beatitudinem formalem, non quidem quoad perfectionem intensiuam, quæ varia est in varijs, iuxta meritorum varietatem, sed, vt Augustinus explicat, quoad perfectionem extensiuam durationis, secundùm quam eadem respondet omnibus. Quæ responsio si non satisfacit obmurmurationi operariorum de pari præmio in paribus laboribus soluto, eò quòd hæc æqualitatem beatitudinis formalis potiùs, quàm obiectiuæ, & intensiuæ magis, quàm extensiuæ significare videatur: dicito, in ea parabola solui præmium, impar quidem laboribus, non autem meritis, quia potuerunt, qui nouissima hora ætatis in vineam Dei vocati sunt, vberiore gratia & auxilio efficaciore compensare diuturnos labores eorum, qui in prima hora ætatis vocati sunt. Quia verò totum hoc fundatur in gratia, & liberalitate Dei, vberiora auxilia conferentis nouissimis, quàm primis, ideò Christus in ea parabola operarijs obmurmurantibus noluit pro ratione afferre æqualitatem meritorum, sed beneplacitum suę voluntatis, à qua originaliter pendet, vt qui nouissima hora vocati sunt, imparibus laboribus, paribus tamen meritis, ad par præmium contendant.

*Augustin.*

*Lutheran.*

*Tridentinum.*

278. Ad fundamentum Lutheri, nego maiorem, quippe quæ damnata est à Tridendentino sess. 6. can. 11.

*Paludanus.*

279. Ad fundamentum Paludani, nego vltimam consequentiam, quia potuerunt homines eligi ad restaurandas sedes Angelorum, absque eò, quòd futuri essent illis in gloria æquales: quippe qui eorum sedes restaurare debebant; iuxta mensuram propriorum meritorum, quæ, quia in multis futura essent æqualia, per æqualem etiam gloriam eas restaurarent.

## SECTIO XV.

### *An hæc gloriæ diuersitas in beatis sit tantùm indiuidualis, an etiam specifica?*

*Maior.*

280. PRIMA sententia est Maioris in 4. distinct. 49. quæst. 11. opinantis, visiones elicitas à diuersis specie intellectibus, esse specie diuersas, quod probabile censet Medina in 1.2. quæst. 5. art. 4. ad primum argumentum de visione causata à lumine permanente, qualis est visio patriæ, & à lumine fluente, qualis fuit visio Pauli in raptu. Fundamentum est, quia visio non solùm specificatur ab obiecto, sed etiam à principio: sed intellectus hominis & Angeli sunt diuersæ speciei; ergo & visio ab illis elicita. Maior constat, nam diuersa est notitia Angeli & hominis respectu eiusdem obiecti. Minor patet, quia intellectus Angeli & hominis sunt proprietates fluentes à diuersis essentijs, habentes modum cognoscendi lõgè diuersum. Nec obstat, quòd visio Dei sit supernaturalis, nam etiam assensus fidei est supernaturalis, & tamen diuersus specie est in Angelo & homine. Confirmatur, nam diuersa obiecta creata repręsentat in verbo visio vnius, atque alterius beati: ergo etiam ex parte obiecti visio vnius differt specie à visione alterius.

*Medina.*

*Durandus.*

*Marsilius.*

*Mayronus.*

*Sotus.*

*Scotus.*

281. SECVNDA sententia est Durandi in 3. dist. 14. quæst. 1. num. 8. Marsilij qu. 10. art. 2. dubio incidente post secundam conclusionem, Mayroni in 2. dist. 3. q. 1. Soti in 4. dist. 49. quæst. 3. art. 2. §. *His non obstantibus*, & omnium recentiorum affirmantium, visiones beatas esse eiusdem speciei in omnibus beatis. In qua re dubius est Scotus in 2. dist. 1. q. vltima, *Ad primum*, licet eam supponere videatur in 4. dist. 50. q. 6. initio. Quæ sententia vera est, & amplectenda. Fundamentum est, quia nullum potest assignari principium, quod specificet vnam visionem ab alia. Non diuersitas luminum, quia, vt probatum est sect. 13. hæc luminum diuersitas implicat; cùm nec fingi possit obiectum perfectius, quàm Deus in seipso immediatè visibilis; nec modus ad ipsum tendendi altior, quàm per modum actus puri in seipso attingibilis. Non diuersitas potentiarum; quia potentiæ ad visionem beatam non concurrunt secundùm specificam differentiã, sed secundùm genericã conuenientiam, quatenus intellectiuæ sunt formaliter, vt infrà: potest autem idem effectus produci à principijs diuersis non quà diuersa sunt formaliter, sed quà conueniunt in vna ratione communi. Non diuersitas creaturarum, quę per diuersas visiones simul cùm Deo obiecto Primario repręsentantur; quia illæ solùm repręsentantur vt obiecta secundaria, & termini materiales, quo pacto non possunt visionem specificare.

282. Con-

Durandus. 282. Confirm. nam, vt rectè Dur. visio beata animæ Christi Domini excedit in perfectione visiones omnium Angelorum: non posset autem eas excedere, si foret inferioris speciei, quia nulla species inferior, quantumuis in suo gradu intensa attingere potest perfectionem superioris speciei; quia quilibet gradus speciei superioris est physicè incompensabilis quocunque gradu speciei inferioris. Nec satisfacit Maior dicens, posse specificam perfectionem visionis Angelicæ communicari intellectui humano: quia cùm visio, vtpotè vitalis, debeat actiuè procedere ab intrinseco principio videntis, non poterit specifica perfectio, proueniens ex specifica natura intellectus superioris communicari intellectui inferiori.

Maior.

283. Ad fundamentum primæ sententiæ, concedit primò Scotus visionem Angeli differre specie à visione hominis subiectiuè, non obiectiuè. 2. Negat, potentias actiuè se habere ad visionem beatam, sed tantùm receptiuè: receptiua autem non distinguunt formas, quas recipiunt. Mayronus negat, potentias Angeli & hominis differre specie. Ego verò nego maiorem, quando principium, non vt diuersum formaliter, sed vt idem est cum alio, ad actum concurrit: potrò intellectus Angelicus & humanus, non vt diuersi sunt formaliter, sed vt ijdem in ratione communi & vniuoca intelligendi ad actum visionis concurrunt: proinde visiones non sortiuntur ab ipsis specificam differentiam, sed tantùm genericam cõuenientiam intellectionis vt sic. Vnde concedo, intellectum Angelicum, & humanum habere diuersum modum intelligendi, quando intelligunt, vt diuersi formaliter; nego autem, quando intelligunt, vt conuenientes in vna ratione formali intelligendi: quomòdo se habent respectu visionis Dei. Cuius signum est, quia neuter intellectus per visionem beatam intelligit secundùm suum proprium modum intelligendi, sed secundùm modum proprium Dei, qui est intelligere per modum actus puri, absque vllo discursu, & compositione vel potentialitate. Nec est eadem ratio de assensu fidei, quia hic seruat proprium modũ cognoscendi in vtroque intellectu Angelico & humano. Ad Confirmationem constat ex dictis.

Scotus.

Mayronus.

## SECTIO XVI.

### *An ex perfectiore intellectu oriatur perfectior visio Dei?*

Alensis. Scotus. 284. PRIMA sententia est Alexandri Alensis 1. p. q. 7. memb. 2. Scoti in 3. dist. 13. q. 3. & 4. *ad tertiam quæstionem*, & in 4. dist. 50. q. 6. §. *Respondeo*, conclusione 5. Rich. in 4. dist. 49. art. 2. q. 8. & ar. 3. q. 2. Dur. in 3. dist. 14. q. 1. num. 12. Caiet. 3. p. q. 10. art. 4. ad secundum Supplementi in 4. dist. 49. quæst. 5. art. 2. propositione 4. Olchot relati à supplem. q. 1. ar. 3. dub. 2. Maioris q. 10. ad septimum. Molinæ 1. p. q. 12. ar. 6. disp. 2. affirmantium: quod probabile putat secundùm principia Philosophiæ, licet non secundùm principia Theologiæ Becanus tract. 1. c. 9. q. 10. Fundamentum est, quia perfectior causa perfectiorem producit effectum: sed nobilor intellectus cum æquali lumine gloriæ est perfectior causa; ego perfectiorem elicit visionem. Maior constat. Minor probatur, quia perfectior causa consurgit ex perfectiore concausa: intellectus est concausa visionis beatæ: ergo ex intellectu perfectiore perfectior consurgit causa visionis. Maior patet, nam sicut ex perfectiore lumine perfectior consurgit causa, ita ex perfectiore intellectu.

Richardus. Durandus. Caietanus. Supplementum. Olchot. Maior. Molina. Becanus.

285. Confirmatur 1. intellectus perfectior magis influit in actum: sed maior influxus intensiorem efficit actum, quia maiori influxui, maior, seu intensior respondet in actu perfectio. Confirmatur 2. quia cum æquali habitu fidei, & charitatis, & maiore conatu potentiæ intensiorem elicimus actum fidei, & charitatis in via: ergo & in Patria.

286. SECVNDA sententia est Soti in 4. dist. 49. q. 3. art. 2. Palatij disput. 1. Ferrar. 3. contra Gent. c. 58. §. *sed circa*, Mediuæ in p. 2. q. 3. art. 2. ad quintum. Bannez in 1. p. quæst. 12. art. 6. Zumel disp. 1. Valent. puncto 4. Vasquez disp. 47. cap. 7. Suarez lib. 2. de Diuinis attributis, cap. 21. Arrub. disp. 22. Gonzalez disp. 29. sect. 2. Fasoli dubita. 3. Negantium, sed totam inæqualitatem visionis oriri ex lumine magis, aut minùs intenso. Quæ probabilior est & sequenda: eamque apertè docet S. Thomas 1. p. q. 12. ar. 6. & 3. contra Gent. cap. 58. vbi inæqualitatem videndi Deum refert ad diuersam participationem luminis gloriæ: *Intellectus*, inquit, *plus participans de lumine gloriæ, perfectius Deum videbit*. Nec contrarium docet 3. p. q. 10. ar. 4. ad secundum. vbi, cùm dicit, gradus in visione Diuinæ essentiæ magis attendi secundùm ordinem gratiæ, quàm secundùm ordinem naturæ, (quod fuit Caietano occasio declinandi in oppositam sententiam,) particula, *magis*, explicanda est, non comparatiuè, sed aduersatiuè, vt idem sic ac *potius*.

Sotus. Palatius. Ferrarienſ. Medina. Bannez. Valentia. Vasquez. Suarez. Gonzalez. Arrubal. Faſolus. S. Thomas.

287. Difficultas est in assignanda ratione. Ego omissis rationibus aliorum hanc assigno à priori. Intellectus beatorum ad visionem non concurrunt vt specificè, & indiuiduali-ter diuersi, sed vt genericè conuenientes: igitur inæqualitas visionum, quæ in diuersis intellectibus reperitur, desumi non potest ex inæqualitate intellectuum ad visionem concurrentium. Consequentia constat, quia inæqualitas effectuum desumenda est ex inæqualitate causæ formaliter, non materialiter sumptæ: ergo si causa non influit vt diuersa formaliter, non potest ex ipsius diuersitate sumi diuersitas in effectu, quia non potest diuersus effectus oriri à causa, nisi per influxum diuersum: non est autem influxus diuer-

sus,

sus, vbi causa non influit vt diuersa formaliter. Antecedens probo. Causa secundùm eam rationem influit in effectum, secundùm quam illum sibi assimilat: intellectus beatorum non assimilant sibi visionem Dei, nisi secundùm genericam rationem intellectionis: igitur secundùm eam tantùm rationem influunt. Maior patet, quia causa præsertim efficiens influit in effectum, communicando aliquid sui: ergo nec potest in illum influere, quin aliquo modo sibi assimilet; nec potest illum sibi assimilare, nisi secundùm eam rationem, quàm influendo communicat. Minor probatur, nam visio Dei tria dicit, & rationem intellectionis, & rationem supernaturalitatis, & rationem repræsentationis diuinæ essentiæ: postrema duo habet formaliter à lumine; primum ab intellectu: igitur ab intellectu non habet, nisi solam genericam rationem intellectionis. Igitur diuersi intellectus ad visionem non concurrunt vt diuersi formaliter, sed vt conuenientes in eadem generica ratione intellectiui.

288. Explico ampliùs rationem: Intellectus humanus & Angelicus non concurrunt ad visionem beatam secundùm proprium modum intelligendi ipsorum, magis, vel minùs abstractè, aut magis, vel minùs vniuersaliter, sed iuxta modum intelligendi Dei proprium, ad instar actus puri emersi ab omni potentialitate, & sine vlla compositione & discursu: ergo non concurrunt, vt diuersi formaliter, sed vt conuenientes in eadem generica ratione intellectiui. Antecedens claret: consequentiam probo; quia diuersi intellectus non differunt inter se, nisi in modo intelligendi magis, aut minùs abstractè; magis aut minùs vniuersaliter; magis aut minùs compositè; & per discursum, aut sine discursu: ergo si ad visionem beatam non concurrunt secundùm hunc modum intelligendi diuersum, sed secundùm modum intelligendi Dei proprium, non concurrunt vt diuersi formaliter, sed potiùs vt formaliter conuenientes: proinde nequit ex diuersitate, siue specifica, siue indiuiduali ipsorum, desumi diuersitas & inæqualitas visionum, sed ex sola diuersitate luminum. Confirm. quia ab illa causa desumenda est inæqualitas claritatis actus, à qua desumitur claritas ipsa actus; nam eadem est causa rei & intensionis rei: sed tota claritas visionis Dei desumitur à lumine; cùm nequeat intellectus creatus naturali sua virtute clarè videre Deum: ergo & intensio eiusdem claritatis desumenda est ex lumine dumtaxat clariore & intensiore.

289. Dices. Perfectior ratio intellectionis est in visione elicita ab intellectu nobiliore, quàm ignobiliore. Resp. Negando assumptum. Etenim, cùm ratio intellectionis non attingatur ab intellectu nobiliore secundùm specificum modum intelligendi ipsius, sed secundùm rationem communem intellectionis, in qua vterque intellectus & nobilior, & ignobilior æquè, atque vniuocè conuenit, non potest perfectior esse ab vno, quàm ab alio intellectu; quoniam hæc maior aut minor perfectio intellectionis non attenditur penes genericum, sed penes specificum modum intelligendi.

290. Instabis. Si intellectus humanus ad visionem beatam non concurrit secùndùm rationem specificam; igitur non concurrit vt humanus, ac proinde non beatificatur vt humanus, quia non beatificatur, nisi vt actiuè concurrens ad visionem. Resp. Distinguendo primum consequens: non concurrit vt humanus specificatiuè, nego; reduplicatiuè, concedo: ergo non beatur vt humanus, nego simpliciter consequentiam: nam ad hoc sufficit, vt ad visionem concurrat, vt humanus specificatiuè: sicut qui putat, animam non concurrere immediatè ad visionem, sed solùm intellectum, adhuc debet dicere totam animam beari. Ratio, quia, vt totum suppositum dicatur operari, sufficit, vt per aliquam sui potentiam operetur: ergo, vt tota potentia dicatur operari, pariter sufficiet, vt per aliquam sui rationem operetur: præsertim, cùm in mea sententia, gradus genericus non distinguatur à specifico: atque adeò etiam genericus in reipsa est proprius hominis, vel Angeli, & solùm dicitur communis communitate non rei, sed rationis, quatenus ratione conuenit in gradu & perfectione intellectiui cum alio.

291. Secundò probatur hæc sententia ab absurdo: sequeretur enim ex opposita sententia, beatitudinem non dari iuxta proportionem meritorum; siquidem habentibus æqualia merita, & inæquales vires naturales, inæqualis responderet visio beata. Confirmatur, quia sequeretur, minuendum esse habitum charitatis in eo, qui per æqualia merita æqualem habitum charitatis acquisiuit in via, si nobiliorem haberet voluntatem, vt excessus perfectioris voluntatis compensetur diminutione ipsius habitus charitatis.

292. Respondent primò, nullum esse absurdum in visione Dei admittere aliquem gradum beatitudinis prouenientem ex naturali actiuitate potentiæ vltra illum, qui ex meritis debetur. Sed contrà, tum quia tota beatitudo datur filijs Dei ex meritis Christi, vt corona; ergo tota respondet meritis: tum quia, cùm iste gradus sit quoad substantiam supernaturalis, nequit prouenire à potentia naturali, nisi vt eleuata à lumine supernaturali.

293. Respondent 2. Solam visionem conferri iuxta proportionem meritorum; nam in ea consistit formalis beatitudo nostra: lumen verò, quod tantùm est medium ad beatitudinem nostram formalem, conferri iuxta conditionem potentiæ in ordine ad visionem causandam, vt nimirum plus luminis accipiat, qui cum æqualibus meritis hebetiorem, minùs verò qui nobiliorem habet intellectum. Sed contrà, tum quia hæc eadem compensatio facienda esset in habitu charitatis, vt intensiorem habitum recipiat, qui imperfectio-

rem,

rem, remissiorem verò qui cum æqualibus meritis perfectiorem habet voluntatem. Ex quo vlteriùs sequitur, remissiorem habere gratiam, qui remissiorem habet charitatem, nam hæc proportionem seruat cum gratia, tanquam passio cum proprio subiecto, ac proinde minùs sanctum & gratum fore Deo, etiam cum æqualibus meritis. Tum quia non solùm visio, sed lumen ipsum datur beatis in præmium; vt constat in via, in qua non tantùm auxilia, quæ per modum actualis illustrationis, sed etiam habitus ipsi, qui sunt per modum principij, in præmium meritorum infunduntur viatoribus.

*Scotus. Molina.* 294. Respondent 3. Scotus & Molina, Deum per immediatum concursum compensare inæqualitatem virium naturalium, efficaciùs concurrendo cum imperfectiore potentia, & æquali habitu ad actum visionis & amoris; minùs verò efficaciter cum nobiliore potentia, & æquali habitu, quantum sufficit, vt effectus in habentibus æqualia merita sit æqualis. Sic enim fiet, vt non modò visio, & amor, sed eorum principia tribuantur iuxta proportionem meritorũ. Sed contrà, nam vel maior ille concursus est commensuratus potentiæ ignobiliori, habenti æquale lumen, vel non. Si primum: ergo minor concursus, qui exhibetur potentiæ nobiliori, habenti æquale lumen, nõ est commensuratus ipsius virtuti, sed infrà ipsius exigentiam. Et tunc contrà est, quia tunc Deus non concurreret cum potentijs glorioſis iuxta connaturalem exigentiam ipsarum, vti concurrit cum reliquis causis secundis: quia cùm huiusmodi potentiæ agant in patria necessariò, requirunt concursum adæquatum toti actiuitati ipsarum. Si secundum, cùm maior iste concursus tribuatur in præmium meritorum ad compensandum perfectiorem influxum potentiæ nobilioris, maius erit præmium exhibitum potentiæ ignobiliori, quàm nobiliori; quia illud excedit hoc per concursum supernaturalem nobiliorem.

295. Ad fundamentum primæ sententiæ, distinguenda est maior, de causa formaliter, & materialiter sumpta: cæterùm intellectus nobilior cum æquali lumine gloriæ non est perfectior causa visionis formaliter, sed tantùm materialiter, quia non producit illam, vt formaliter perfectior, sicut lux non producit nobiliorem ignem, quàm calor, quia non producit illum vt perfectior formaliter, sed vt conuenit in eadem vi productiua ignis cum calore. Nec est eadem ratio de lumine; nam hoc est causa proxima tum claritatis, tum supernaturalitatis visionis: sicut nec de instrumento naturali, vel artificiali, nam hæc saltem materiam præparando conducunt ad meliorem, intensioremque effectum. Ad Confirmationem nego maiorem, cùm perfectior intellectus non concurrat, vt formaliter perfectior. Cuius ratio est, quia visio beata non requirit ab intellectu creato, nisi solam rationem intellectionis, quia hæc sola ratio sufficit, & compossibilis est cum visione beata, quæ per lumen gloriæ contrahitur ad visionem supernaturalem.

296. Ad secundum nego antecedens, nunquam enim potentia siue in patria, siue in via producere potest saltem connaturaliter actum supernaturalem intensiorem, quàm sit ipse habitus supernaturalis. Cæterùm, quia non semper potẽtia in hac vita operatur quantum potest cum habitu, cùm non operetur necessariò, sed liberè, sæpe ex maiore conatu potentiæ melior sequitur operatio, non tam ipsius potentiæ, quàm habitus, intensiùs concurrentis cum potentia, habitu meliùs vtente; quod non contingit in patria, in qua potentiæ operantur necessariò & secundùm vltimum posse habitus.

## SECTIO XVII.

### *An Beati videant omnia quæ formaliter sunt in Deo?*

297. DVplex perfectio est in Deo, altera necessaria, qua in suo esse diuino, siue absoluto naturæ, siue relatiuo personarum constituitur; altera libera, qua liberè vult has, vel illas creaturas, dicunturque libera decreta & consilia interna Dei, quibus Deus liberè se determinat ad hæc vel illa obiecta. In hac & sequente sectione de priore perfectione, in subsequente de posteriore, an, & quomodo hæc in Deo videantur, disputabimus.

*Ocham.* 298. PRIMA sententia est Ochami in 4. quæst. 13. articul. 1. negantis, beatos videre omnia attributa, quæ in Deo sunt formaliter. Fundamentum ipsius est, quia hæc sunt infinita, ad quæ videnda requiritur visio infinita: nam quò pluta in Deo videntur, eò perfectior requiritur visio: ergo ad videnda infinita, requiritur visio infinita. Confirmatur, nam ideo non videntur omnes Diuinæ Ideæ à beatis, quia sunt infinitæ: ergo nec omnia diuina attributa, quę pariter sunt infinita.

*Ferrarienſ. Albertin.* 299. SECVNDA sententia est Ferrarien. 3. contra Gent. cap. 56. *ad secundum*, Albertini tomo primo principiorum Coroll. 4. puncto 7. &. 8. negantium, Deum à beatis videri, aut videri posse secundùm omnes gradus virtuales perfectionis, secundùm quos potest magis, & magis ab intellectu creato penetrari. Fauent Alensis. 1. p. q. 7. membro *Alenſis.* 1. & 2. Rich. in 3. dist. 14. art. 1. q. 4. Ad *Richardus.* vltimum, vbi *aliquid*, inquit, *de eius profunditate latet omnem intellectum*, feruntque fuisse sententiam Victoriæ. Probatur 1. nam si *Victoria.* totus Deus, & quoad perfectiones extensiuas, & quoad gradus perfectionales intensiuos videretur à beatis, comprehenderetur, quia nihil ex parte obiecti lateret videntem. Sequelam probo, discurrendo per singula attributa: nam qui distinctè videret omni-

potentiam, & scientiam secundùm omnem modum, & gradum perfectionis, quo in Deo existunt, distinctè videret omnes creaturas, ad quas illæ terminantur: penetrata enim potentia, vel scientia secundùm omnem gradum perfectionis in Deo existentis, penetratur omnis respectus, quem dicunt ad sua obiecta; atque adeo distinctè viderentur obiecta ipsa, ad quæ huiusmodi respectus terminantur. Præterea qui distinctè penetraret immensitatem, & æternitatem, distinctè videret respectus ad infinita spatia, & tempora possibilia, ad quæ huiusmodi respectus terminantur. Qui penetraret eminentiam illam, qua Deus continet infinitas creaturas, distinctè cognosceret omnes creaturas. Probatur eadem sententia secundò à priori: nam Deus est infinitus in essendo: igitur implicat secundùm totum esse penetrari.

*S. Thomas.* 300. TERTIA sententia est S. Thomæ 1. p. q. 12. art. 7. ad secundum & tertium, & 3. contra Gent. c. 55. & q. 8. de ver. art. 2. *Soti in 4. dist. 49. q. 3. ar. 3. conclusione 1. Zumel 1. p. q. 12. ar. 7. disp. 1. Molinæ ar. 8. disp. 3. Vasquez disp. 48. Suarez lib. 2. de attributis c. 22. Arrub. disp. 24. Gonzalez disp. 32. Fasoli dub. 1. affirmantium, totum Deum quoad omnem modum, & gradum perfectionis, in ipso existentem, à quouis beato, videri; nec quicquam quod se tenet ex parte Dei, latere beatos: quod vt certum supponunt Scholastici in 4. dist. 49. & 50. ex illo primæ Ioan. 3. *Videbimus eum, sicuti est.* Ad quod alludens Florentinum in decreto de Purgatorio, docet, animas beatas *intueri clarè ipsum Deum Trinum & vnum, sicuti est*: visio autem clara Dei, *sicuti est*, exprimit omnem perfectionem in Deo existentem, alioqui non repræsentaret ipsum, *sicuti est.* Quæ sententia procul dubio verior est, & sequenda.

*Soto. Zumel. Molina. Vasquez. Suarez. Arrubal. Gonzalez. Fasolus.*

*1. Ioan. 3.*

*Concilium Florentin.*

301. Fundamentum est, quia quod in se simplex est, & vnum, atque adeò indiuisibile formaliter, implicat videri, quin totum, ac totaliter ex parte obiecti videatur: atqui Deus est omninò simplex, & vnus, atque adeò indiuisibilis formaliter; implicat igitur videri, quin totus, ac totaliter ex parte obiecti videatur. Minor cum consequentia patet. Maior probatur, quia quod est omninò simplex, & vnum, nullam distinctionem perfectionum in se habet, sed est vna formalis, & simplex perfectio: ergo implicat videri, vt est in se, quin totum, ac totaliter videatur. Consequentiam probo, nam si aliqua perfectio, vel modus in Deo existens non videretur, non tota Dei essentia videretur, cùm quicquid in Deo est, de essentia Dei sit.

*Vasquez.* 302. Confirmat Vasquez, quia si posset videri vnum attributum secundùm vnum gradum, & non secundùm alium, à fortiori posset vnum attributum videri sine alio; quia magis identificantur gradus cum attributo, quàm vnum attributum cum alio: quia magis intrinseci sunt gradus attributo, cùm omnes pertineant ad eandem rationem formalem homogeneam, & explicitam attributi, quàm vnum attributum alteri. Nec satisfacit Albertinus, ideo totum attributum, totamque eius virtualem intensionem etiamsi huiusmodi perfectionales gradus minùs distinguantur inter se, & ab attributo ipso, non posse à beatis videri, quia intensius requiritur lumen ad penetrandam virtualem ipsius diuisibilitatem, quàm ad videnda omnia attributa extensiuè: nam hæc videntur eodem lumine, quo videtur essentia ipsa. Non, inquam, satisfacit: nam ratio, cur omnia attributa videantur, visa essentia, est formalis identitas attributorum cum essentia: sed eadem, vel maior est identitas graduum cum quolibet attributo: ergo. Nec obstat, quòd quodlibet attributum ob sui plenitudinem dicatur diuisibile virtualiter: nam hæc virtualis diuisibilitas nullam ponit diuisibilitatem formalem in Deo, ad quem formaliter terminatur visio, sed tantùm connotatiuè in effectibus, quos potest producere, & in visione ipsa, qua potest clariùs & clariùs cognosci ex parte videntis.

*Albertinus.*

303. DICES. Potest Deus perfectiùs cum vno intellectu, quàm cum alio per suam vim determinatiuam ad sui visionem concurrere: igitur potest vnus intellectus perfectiùs alio ex parte rei visæ Deum cognoscere: eò quòd non potest cognitio obiectum exprimere, nisi secundùm eum gradum perfectionis, secundùm quem ab obiecto effectiuè determinatur. Resp. Negando consequentiam; & ad probationem, concedo antecedens, quando obiectum est diuisibile in se; secus quando obiectum est in se indiuisibile.

304. Ad fundamentum primæ sententiæ, nego attributa in Deo esse infinita extensiuè. Cuius ratio est, quia licet in Deo ratione cum fundamento in re distingui possint infinitæ perfectiones, vel per ordinem ad infinitas creaturas vt producibiles, vel per ordinem ad infinita obiecta vt expressibilia: quia tamen nomine attributi non venit quælibet perfectio diuina, ratione, & cum fundamento in re à cæteris distincta, sed sola perfectio in modo essendi ratione ab alijs distincta, ideò attributa in Deo non sunt infinita, sed finita extensiuè: quia perfectiones in modo essendi diuersæ, non possunt nisi finitæ in Deo per rationem distingui. Vnde omnes illæ infinitæ perfectiones, conceptæ per ordinem ad infinitas creaturas producibiles, non constituunt, nisi vnum atttibutum omnipotentiæ in Deo, quia omnes conueniunt in eodem modo essendi per virtutem productiuam: Item infinitæ illæ perfectiones, conceptę per ordinem ad infinita obiecta expressibilia, non constituunt nisi vnum attributum scientiæ, quia omnes conueniunt in eodem modo essendi per vitalem expressionem obiecti, & sic de cæteris.

305. Sed contrà, nam argumentum saltem vrget, de perfectionibus illis infinitis, in

ordine

ordine ad creaturas producibiles infinitas, & obiecta expressibilia infinita. Nam quò plures huiusmodi perfectiones cognoscuntur in Deo, eò visio Dei est perfectior: igitur visio, quæ infinitas cognoscit perfectiones, erit infinitè perfecta. Resp. negando assumptum: ad cuius probationem, concedendum est antecedens, quando perfectiones cognoscendę sunt distinctę; negandum verò, quando perfectiones cognoscendæ non sunt distinctę, sed vna potiùs simplex perfectio, fundamentum prębens intellectui imperfecto in ea distinguendi plures, & plures formalitates, per ordinem ad varios terminos possibiles. Dixi *intellectui imperfecto*, vt est intellectus viatoris, nam intellectus comprehensoris, quia videt illam, vt est in se, nullas in ea distinguit perfectiones per ordinem ad creaturas possibiles, sed vno intuitu videt totam perfectionem, vt est in se, simplicissimam: & solùm inæqualitas videndi illam se tenet ex parte modi cognoscendi clariùs, vel minùs clarè eandem perfectionem, vt fusiùs infrà.

306. Ex his patet ad probationem, prædictam calculationem non procedere in ijs, quæ in Deo sunt formaliter, nam ea non sunt plura, sed vnum, sed tantùm in ijs, quæ in Deo sunt eminenter, cuiusmodi sunt infinitę perfectiones possibiles exemplabiles à diuina essentia, in ordine ad quas concedo requiri visionem infinitam; Ad Confirmationem respondeo, non ideo ideas non videri omnes, quia sunt infinitæ fundamentaliter, sic enim tota ratio idealis in Deo videtur, sed quia sunt infinitæ terminatiuè: Vnde ad videndas omnes ideas, requiritur vt videatur scientia Dei cum ordine ad infinitos terminos.

307. Ad primum secundæ sententię nego sequelam, quoniam ad comprehensionem non sat est videre quidquid est in obiecto formaliter, sed eâ claritate, quâ postulat obiectum ipsum cgnosci. Ad probationem nego, ex cognitione attributi secundùm omnem gradum perfectionis in eo existentis, sequi distinctam notitiam eorum, ad quæ attributum ipsum virtualiter se extendit. Sed ad summum ex cognitione in claritate adęquata cognoscibilitati ipsius. Ratio verò est, quia ea, ad quæ attributum virtualiter se extendit non sunt formaliter in Deo: Vnde posset videri totum attributum, verbi gratia omnipotentiæ, nullo viso effectu distinctè, ad quem illa potest se extendere. Dixi *distinctè*, nam sub ratione entis possibilis totum obiectum omnipotentiæ abstractiuè, & in confuso cognoscitur; sicut & totum obiectum scientiæ sub ratione scibilis.

308. Ad secundum distinguo cōsequens: implicat penetrari totum esse Dei secundùm perfectionem formalem, nego; secundùm perfectionem eminentialem, concedo. Vrges, perfectio eminentialis est formaliter in Deo: ergo si non potest penetrari secundùm perfectionem eminentialem, nec poterit secundùm formalem. Sed distinguendum est antecedens: est formaliter in Deo perfectio eminentialis entitatiuè & fundamentaliter, concedo; terminatiuè, nego: Et quia perfectio eminentialis vtrumque esse includit, ideò simpliciter dicitur, quòd vt talis nequit penetrari.

309. Dices: In Deo non videntur distinctè omnes respectus ad creaturas possibiles, alioqui distinctè viderentur omnes creaturæ: ergo non videtur distinctè quidquid est in Deo formaliter, siquidem ij respectus sunt in Deo formaliter. Resp. Negando, in Deo esse vllum intrinsecum respectum ad creaturas, cùm sit omninò absolutus & independens à creaturis. Est igitur sola extrinseca connotatio creaturarum, quas non est necesse videri, visa essentia.

## SECTIO XVIII.

### *An de potentia absoluta videri possit essentia Diuina sine attributis vel vna persona sine alijs?*

310. Prima sententia affirmat. Est Scoti in 1. dist. 1. quæst. 2. §. *Quantum ad istum ar.* Lycheti ibidem, Mayroni quæst. 4. & Scotistarum communis. Fundamentum est formalis distinctio attributorum, & personalitatum ab essentia. Nam quæ sunt à parte rei distincta, possunt distinctis actibus intuitiuè cognosci: nam quæ habent distinctas quidditates, distinctas quoque habent intelligibilitates: igitur potest vnum independenter ab alio cognosci. *Scotus.* *Lychetus.* *Mayronus.*

311. Sed speciatim arguit Scotus primò. Pater priùs origine, quàm generet filium, perfectè intelligit suam essentiam: sed in eo priori essentia nondum est communicata Filio & Spiritui sancto: igitur potest intelligi essentia, non cointellectis personis. Consequentia constat, quia in illo priori intelligitur essentia, non cointellectis personis, nondum productis. Maiorem probat, tum quia quælibet persona intelligit intellectu, vt in seipsa existente, & non vt alteri communicato: ergo quælibet persona intelligit essentiam, vt in se existentem, & non vt alteri communicatam. Consequentia probatur, quia ad intellectionem non minùs requiritur intelligibile, quàm intellectus: sed perfectum intelligens non minùs requirit, vt habeat intelligibile in se, quod intelligat, quàm intellectum, quo intelligat. *Scotus.*

312. Secundò: Si Pater bearetur cognitione essentiæ, vt communicatæ Filio & Spiritui sancto; suam beatitudinem reciperet à Filio & Spiritu sancto: ergo non omnem perfectionem haberet Pater à se, vt est prior origine personis productis: vnde vlteriùs sequeretur, non omnem perfectionem absolutam esse priorem relatiuis, sed aliquam, nempe cognitionem essentiæ, vt communi-

catæ Filio & Spiritui sancto esse posteriorem relatiuis.

313. Tertiò: Per intellectionem Patris Filius producitur: igitur non potest per eam Filius intelligi. Quartò, omnis actus terminari potest ad obiectum primarium, à quo essentialiter pendet, & abstrahere à secundario, à quo non essentialiter pendet: essentia diuina est obiectum primarium beatitudinis, relationes sunt tantùm obiectum secundarium: igitur potest beatus tendere ad essentiam, abstrahendo à personis.

314. Quintò: Cognito intuitiuè vno relatiuo, non oportet intuitiuè cognoscere & alterum: siquidem dæmon intuitiuè cognoscit dependentiam creaturæ à Deo, non cognito intuitiuè Deo: ergo intuitiuè cognito Patre, non oportet intuitiuè cognoscere Filium. Confirm. quia Pater non est correlatiuum Spiritus sancti: ergo cognosci potest, non cognito Spiritu sancto.

315. Secvnda sententia affirmat, posse vnum attributum videri sine alio, & essentiam sine personis, & vnam personam absque reliquis, etiamsi nulla sit attributorum & personalitatum distinctio. Hãc docent Salas tom. 1 in 1. 2. q. 3. tract. 2. disp. 4. sect. 2. Granadus in 1. p. tomo 1. controuersia prima generali tract. 5. disp. 7. Hurtadus in sua Metaph. disp. 6. sect. 6. & alij recentiores. Pro qua olim putaui fuisse Gulielmum Rubionem in 1. d. 1. q. 6. art. 1. verùm hic auctor ibi tantùm loquitur de cognitione abstractiua, quam beati distincto actu formare possunt de Deo clarè viso, vt colligitur ex art. 2. ad finem, vbi negat, posse beato communicari cognitionem intuitiuam essentiæ, & non personarum.

*Salas.* *Granadus.* *Hurtadus.*

316. Probatur hæc sententia 1. Potest aliqua cognitio intelligentem certificare, quòd Deus sit vnus, & non certificare, quòd sit trinus; vel quòd sit sapiens, & non certificare, quòd sit omnipotens, esto hæc à parte rei non distinguantur: ergo potest cognosci, quòd Deus sit vnus, & non cognosci, quòd sit trinus; vel quòd sit sapiens, & non cognosci, quòd sit omnipotens. Antecedens probatur, tum quia sunt aliquæ propositiones, quæ verificantur de essentia, & non de personis, vt quòd essentia communicetur, persona non communicetur: aliæ contrà de personis, & nõ de essentia; vt quòd persona producat, & producatur; essentia nec producat, nec producatur. Sed nulla harum propositionum posset esse vera, nisi posset significari & intelligi essentia, non significatis & intellectis personis; aut significari & intelligi persona, non significata & intellecta essentia. Minor explicatur, quia cùm dicitur, essentia communicatur; si subiectum in hac propositione æquè primò significaretur, & conciperetur persona, & essentia, falsa esset propositio, quia persona non communicatur; vt igitur sit vera, debet concipi & significari essentia, & non persona: igitur possibilis est cognitio, per quam intelligenti constet, talem rem esse Deitatem, & non personam, & vice versa. Tũ quia non obstante omnimoda identitate inter colorem & albedinem, potest oculus certificari, quòd obiectum à longè visum sit coloratum, & non certificari, quòd sit album: ergo non obstante formali identitate attributorum, & personarum cum essentia, potest intellectus certificari, quòd Deus sit vnus vel sapiens, & non certificari, quòd sit trinus, vel bonus.

317. Secundò: Probatur eadem sententia. Deus communicatur ad intra, vt natura; non communicatur, vt persona; producitur vt persona, non producitur vt natura: ergo poterit videri vt natura, non videri vt persona; & è contra.

318. Tertiò: Filius terminat humanitatem assumptam, absque eo, quòd illam terminent reliquæ personæ: ergo poterit terminare visionem, absque eo, quòd illam terminent cæteræ personæ.

319. Quartò: Sequeretur, non posse videri substantiam creatam, quin in ea videretur potentia obedientialis, cum ipsa substantia identificata, ac proinde omnes effectus supernaturales, quorum talis potentia est capax.

320. Quintò; Et fortiùs. Sub ea ratione obiectum terminat visionem, sub qua illam originat: atqui potest Deus sub sola ratione Deitatis, & non personarum, vel attributorum visionem originare: ergo potest sub ratione solius Deitatis, & non personarum, vel attributorum visionem terminare. Maior constat, quoniam visio non minùs producitur ab obiecto, quàm ab intellectu, cùm non minùs sit obiecti expressio, quàm intellectus actio; exprimit autem obiectum quatenus ab illo originatur: ergo si potest secundùm vnam rationem ab obiecto produci, & non secundùm aliam, poterit terminari ad vnam, & non ad aliam. Minor probatur, nam potest Deus temperare concursum, & solùm cum intellectu influere, vt est vnus, & non vt est trinus, sicut temperat concursum influendo in effectũ secundùm vnam perfectionem, & non secundùm aliam: quia licet Deus sit indiuisibilis in se formaliter, est tamen diuisibilis effectiuè. Visio autem non fertur in obiectum, nisi secundùm eam rationem, secundùm quam formaliter ab obiecto producitur, nam secundùm eam tantùm obiectum exprimit & repræsentat.

321. Tertia sententia est Aureoli in 1. dist. 1. ar. 2. Bacconi q. 2. ar. 1. in ar. 3. Argent. q. 3. ar. 2. 3. & 4. Gabrielis q. 5. Caiet. 2. 2. q. 2. ar. 8. & 3. part. q. 3. art. 3. Dur. in 4. dist. 49. q. 3. n. 5. Soti q. 3. art. 3. concl. 2. Ocham in 1. dist. 1. q. 5. & omnium Thomistarum in 1. p. q. 12. art. 8. negantiũ. Colligitur ex S. Tho. 2. 2. q. 2. art. 8. ad 3. & 3. p. q. 3. art. 3. in quorum primo docet, Deum, prout intelligitur à beatis, non posse absque Trinitate personarum cognosci: in secundo impossibile esse, vt qui cognoscit Deum sicuti est, aliquid à Deo per intellectum circumscribat.

*Aureolus.* *Baconus.* *Argentinas.* *Gabriel.* *Caietanus.* *Durandus.* *Sotus.* *Ocham.* *S. Thomas.* *Thomista.*

322. Hæc

322. Hęc sententia, quia communis est, & magis fauet principijs fidei, sequenda nobis est. Difficultas non modica est in assignanda ratione, quæ illam efficaciter probet, & contrarias rationes, quæ oppositam sententiam probabilem reddunt, funditus euertat. Nam, vt constat rationibus prędcedentis sententiæ, non videtur sola identificatio attributorum, & personarum cum essentia satis esse ad hanc veritatem concludendam. Sit igitur,

323. PRIMA ratio communis. Visio intuitiua est visio rei, vt est in se; est enim visio rei existentis vt existentis: Sed Deus nullam in se dicit distinctionem attributorum, & personarum ab essentia: nam licet personæ distinguantur ad inuicem, sunt tamen idem in essentia: ergo non potest videri visione intuitiuâ, vt est in se, non visis omnibus, quæ formaliter sunt in ipso. Consequentia constat, alioqui non videretur Deus, vt est in se, sed aliter, atque est in se.

324. Sed contrà, nam si videretur Deus secundùm esse absolutum, & non secundùm esse relatiuum, videretur, vt est in se, licet non adæquatè: nam secundùm eam perfectionem, secundùm quam videretur, non videretur aliter atque est in se. Quod si videri, vt est in se, intelligat auctor, videri secundùm omnem perfectionem & absolutam, & relatiuam, negabit aduersarius, hoc esse necessarium ad visionem intuitiuam, sed sufficere, si videatur, vt est in se inadæquatè, secundùm vnam tantùm perfectionem. Contendere autem, hoc esse de ratione visionis intuitiuæ, vt tota res videatur, est contendere de eo, quod in controuersiam vertitur, & pro ratione assignare id ipsum, quod controuertitur, aut certè tenebitur auctor assignare implicantiam, quare nequeat dari visio repræsentans perfectionem absolutam in Deo, absque eo, quòd eadem visio repræsentet perfectionem relatiuam, quidquid sit, an talis visio sit dicenda intuitiua, nec ne.

*Suarez.* 325. SECVNDA ratio sit Patris Suarez lib. 2. de Diuinis attributis cap. 23. Nam aut visio, quâ videretur essentia absque personis, vel contrà, esset eadem numero visio cum visione, quâ nunc de facto beati Deum vident, aut diuersa. Primum implicat, quia implicat visionem immutatam in se aliquid, nunc non exprimere, quod anteà exprimebat; vel contrà: quia visio exprimit obiectum formaliter, atque adeò necessariò. Non secundum, quia vel foret diuersæ speciei, & hæc possibilis non est, quia possibile non est lumen gloriæ diuersæ speciei; aut diuersa numero; at hæc non sufficit ad tantam diuersitatem. Sed contrà; tum quia dici posset, quòd talis visio esset diuersa numero heterogeneè, intra eundem gradum specificum visionis beatæ. Tum, quia dici posset, quòd esset diuersæ speciei, non perfectæ, sed imperfectæ, reducibilis ad speciem perfectam visionis beatæ, eò quòd non repræsentaret omnia, quæ pertinent ad beatitudinem obiectiuam.

326 TERTIA ratio eiusdem auctoris: quia de essentia intuitiuæ cognitionis est, exprimere omnia, quæ formaliter sunt in obiecto. Sed contrà; nam huius rei quæritur ratio. Neque etiam concludit, quod addit, Deum manifestari beatis in genere causæ formalis obiectiuè, qui concursus diuidi, aut impediri nequit: Nam hæc obiectiua manifestatio proportionatur visioni; visio autem id tantùm obiectiuè manifestat, à quo formaliter producitur; posset autem ab obiecto formaliter produci secundùm vnam rationem, & non secundùm aliam; igitur posset idem obiectum manifestare secundùm vnam rationem & non secundùm aliam.

*Gonzalez.* 327. QVARTA ratio est Gonzalez Disp. 32. sect. 1. & 2. implicat rem videre clarè & quidditatiuè, vt est in se, & non videre clarè & quidditatiuè omnia prædicata essentialia, quæ ei actu & formaliter competunt: ergo implicat Dei essentiam clarè & quidditatiuè, sicuti est, cognoscere, non cognitis eius attributis & personis. Antecedens patet, quia nihil est aliud clarè & quidditatiuè essentiam aliquam cognoscere, quàm clarè & quidditatiuè attingere omnia prædicata essentialia, quæ ei actu, & formaliter competunt. Consequentia de attributis constat: nam ea sunt de essentiali cōceptu naturæ diuinæ. De personis verò probatur, quia licet personalitates non sint de essentia naturæ, est tamen de essentia ipsius communicabilitas ad personas: Sed hoc prædicatum nequit cognosci, non cognitis personis: ergo.

328. Sed contrà primò, quia hæc ratio supponit quod in cōtrouersiam vertitur: vertitur autem in controuersiam, an possit visio intuitiua inadæquatè rei essentiam attingere: sed hæc ratio supponit, quòd visio intuitiua debeat adæquatè rei essentiam attingere; supponit enim quòd debeat esse visio clara & quidditatiua rei, vt est in se adæquatè: igitur supponit, quod est probandum. Secundò hęc ratio non concludit de relationibus, quæ in eius sententia non sunt de essentia naturæ. Neque ex intuitiua cognitione naturæ, vt communicabilis personis, sequitur intuitiua, sed tantùm abstractiua cognitio personarum: sicut ex intuitiua cognitione fundamenti, nō sequitur nisi abstractiua cognitio termini, vt ex intuitiua cognitione creaturæ non sequitur, nisi abstractiua cognitio creatoris. Nec obstat, quòd relationes identificentur cum natura: nam ipse non probat, intuitiuam cognitionem relationum ex sola identificatione, sed ex essentiali inclusione earum cum natura: relationes autem non includuntur essentialiter in natura formaliter, sed terminatiuè: terminus autem non necessariò intuitiuè cognoscitur, cognito intuitiuè fundamento.

*Bacconus.* 329. QVINTA ratio est Bacconi ar. 2. quia obiectum naturaliter mouet potentiam vltimò dispositam; ergo mouet quantum potentia apta est ab ipso moueri: intellectus creatus per lumen gloriæ dispositus

aptus est à primo intelligibili moueri secundùm omnem perfectionem in ipso existentem: ergo. Confirmat, quia si posset beatus videre essentiam non visis personis, posset per talem visionem iudicare, quod Deus subsisteret in supposito absoluto, ac proinde posset beatus falsum iudicium ferre. Sed contrà, nam falsum est Deum naturaliter mouere potentiam in ratione obiecti: quia cùm talis motio fiat influxu effectiuo; omnis autem influxus effectiuus ad extra liberè à Deo procedat, non poterit esse naturalis; licet naturalis sit influxus terminatiuus, hîc tamen supponit effectiuum, cui proportionatur. Ad Confirmationem nego sequelam: nam esto per talem visionem beatus, non videret personas relatiuas, quia tamen nec videret personam absolutam, non posset iudicare, in Deo esse personam absolutam.

## *Ratio auctoris.*

330. DVPLEX ratio mihi occurrit, cur nequeat videri natura sine attributis, aut vna persona absque reliquis; altera ab absurdo & à posteriori: altera ex natura ipsa intelligibilitatis, & à priori. Prior talis est. Si posset vna perfectio in Deo videri absque alijs, sequeretur visionem, quâ de facto videtur, esse infinitam: consequens est falsum, vt omnes concedunt: ergo & antecedens. Sequelam probo: si posset Deus videri secundùm vnam perfectionem, & non secundùm omnes, intensior foret illa visio, quę in Deo plures cognosceret perfectiones, quàm quæ pauciores: ergo quæ cognosceret infinitas, infinitæ foret intensionis. Consequentia constat. Quia si quò plures repræsentaret perfectiones, eò visio deberet esse intensior; ergo quæ repræsentaret infinitas, deberet esse infinitè intensa. Ergo cùm de facto visio beata infinitas repræsentet perfectiones in Deo, de facto erit infinitè intensa. Neque dicas: perfectiones extensiuas in Deo esse finitas. Tum quia saltem hoc argumẽtum fieri potest de perfectionibus infinitis intensiuè quæ à singulis beatis videntur, vt infinitè perfectæ ex parte obiecti. hoc modo. Ad videndum, exempli gratia, sapiẽtiam Diuinam, vt duo ex parte obiecti, requiritur certa intensio visionis: ergo ad videndam illam infinitè perfectam ex parte obiecti requiretur infinita intensio visionis. Tum quia in hac sententia, non necessariò visa diuina essentia viderentur omnes perfectiones, quæ in diuina essentia ratione possunt distingui, per respectum ad infinitas perfectiones possibiles, ab eâdem diuina essentia exemplabiles & producibiles: atqui hæ sunt infinitæ extensiuè: ergo. Antecedens verò sic ostendo: Si videri posset vna perfectio sine alijs, non quælibet visio naturâ suâ repręsentaret totum Deum: ergo visio, quæ repręsentaret totum Deum, esset infinitè perfectior visione, quæ repræsentaret Deum secundùm finitam tantùm perfectionem. Consequentiam probo: nam ita se haberet visio repręsentans Deum secundùm finitam perfectionem, respectu visionis repræsentantis Deum secundùm infinitas perfectiones, sicut se habet perfectio finita respectu perfectionum infinitarum: igitur posito, quòd quælibet visio non necessariò repræsentaret infinitas perfectiones in Deo, ad eas repręsentandas opus foret infinitâ visione. Quod absurdum vitatur, si dicamus, per quamcunque visionem necessariò repręsentari totũ Deum, omnesque eius infinitas perfectiones; eò quòd necessitas videndi totum Deum, vt infinitum non nascitur ex infinita intensione visionis, sed ex natura ipsa obiecti, quod quia indiuisibile est, implicat quacumque visione videri, & non totum videri.

331. Posterior ratio à priori, ducta ex natura ipsa intelligibilitatis obiecti hæc est. Intelligibilitas, quam vnaquæque res habet ad mouendam potentiam intellectiuam ad intellectionem sui, immediatè fundatur in tota entitate rei: ergo implicat, si res est indiuisibilis, quòd possit mouere intellectum ad intellectionem, quæ non repræsentet ipsam secundùm totam suam entitatem, & intrinsecam perfectionem, quam habet. Consequentia constat, quia nulla potentia mouere potest, nisi secundùm modum sibi proprium: ergo si potentia motiua obiecti immediatè fundatur in tota entitate & intrinseca perfectione rei, modus proprius ipsius erit, mouere seu determinare intellectum ad totam entitatem, & intrinsecam perfectionem sui cognoscendam, alioqui non moueret secũdùm modum sibi proprium. Antecedens constat primò à posteriori, nam obiecta sensibilia, cùm nequeant ipsa ob diuisibilitatem sui, per quamlibet sui partem determinare potentiam ad visionem totius suæ entitatis, id præstant per species sui vicarias, quarum quęlibet minima pars, quia producta est ab omnibus partibus obiecti sensibilis, vim habet repręsentandi totum obiectum. Ergo à fortiori id præstabit obiectum ipsum, quando est indiuisibile. Secundò à priori ex intrinseco & primario fine talis potentiæ, qui est determinare intellectum ad sui repræsentationem, ne potentia cognoscitiua possit circa proprium obiectum falli: ad hoc autem necessaria fuit potentia productiua repræsentationis totius entitatis obiecti; quæ alia non est, quàm cognoscibilitas eiusdem obiecti, fundata in tota entitate obiecti.

332. Confirmatur 1. Nam ideò potentia generatiua viuentis fundatur in tota entitate viuentis, nec potest, nisi ad totum viuens communicandum concurrere, quia ex intrinseco & primario fine ordinatur ad totam naturam specificam viuentis realiter producendam. Ergo à fortiori, quia cognoscibilitas rei ordinatur ad totam naturam, etiam indiuidualem rei, intentionaliter producendam, fundari debet in tota

entitate

entitate rei; nec debet posse, nisi ad totius rei repræsentationem concurrere.

333. Confirmatur 2. Quia cognoscibilitas rei habet pro termino suæ specificationis seipsam; est enim virtus determinatiua potentiæ cognoscentis ad cognitionem suæ entitatis; ergo ipsius concursus essentialiter tendit ad repręsentandam propriam entitatem: sed finis talis repræsentationis est repræsentare totam entitatem rei cognoscibilis: ergo ad totam illam repræsentandam tendit, quando est indiuisibilis.

334. Confirmatur 3. Implicat non videri totum obiectum indiuisibile, quando illud immediatè in seipso videtur: sed implicat Deum videri, nisi in seipso; ergo & quin totus videatur. Minor constat ex suprà disputatis de specie diuinæ essentiæ. Maior probatur, quia quando obiectum videtur immediatè in seipso, & non in aliquo medio cognito, cognitionem immediatè terminat per suam entitatem: ergo impossibile est, si sit indiuisibile, quin totum videatur: quia quando obiectum terminat cognitionem immediatè per seipsum, non habet à quo possit limitari, quin totum seipsum manifestet cognoscenti: igitur impossibile est, quin totum videatur. Consequentia claret, quia nisi forma habeat à quo limitetur, nequit ipsa suum effectum formalem limitare, quia cùm ille non distinguatur à forma ipsa, implicat esse totam formam in subiecto vel potentia capaci, & non esse totum effectum formalem ipsius. Cùm igitur obiectum in seipso visum sit forma obiectiua potentiæ cognoscentis, immediatè per propriam entitatem, implicat ipsum limitare suam obiectiuam præsentiam, qui est effectus formalis ipsius, nisi ab aliquo limitetur. Antecedens ostendo, quia si quid illud limitaret, quo minùs se totum manifestaret cognoscenti, esset concursus ipse obiectiuus, limitatè procedens ab obiecto: atqui hic non est, quia, vt probatum est, hic necessariò procedere debet à potentia motiua obiecti, quæ fundatur in tota entitate rei.

335. Confirmatur 4. Quia intelligibilitas est adæquata passio rei intelligibilis: implicat autem, adæquatam passionem nō fluere à tota natura, cuius est passio: igitur implicat, intelligibilitatem non procedere à tota natura rei intelligibilis: Maior patet, quoniam intelligibilitas sequitur immediatè naturam entis, quod intimè imbibitur in omni ratione. Minor constat; nam adæquata passio est, quæ procedit à tota natura, cuius est passio, alioqui non esset adæquata passio, si ab vna tantùm ratione procederet.

336 *Obijcies* 1. Si potentia motiua obiecti fundatur in tota entitate intrinseca rei, sequitur visionem beatam non solùm obiectiuè originari ab essentia Dei, sed etiam à Diuinis relationibus: consequens est falsum; ergo & antecedens. Sequela patet, quia etiam Diuinæ relationes sunt intrinsecæ Deo, & necessariò etiam cum essentia videntur, quidquid autem videtur, debet obiectiuè originare visionem. Minor probatur, quia nullus effectus ad extra originatur à Diuinis relationibus, sed à sola essentia: tum quia relationes non sunt actiuæ: tum quia nullus effectus ad extra habet similitudinem cum diuinis relationibus, alioqui posset per illum Trinitas personarum cognosci: sed visio beata est quidam effectus ad extra: ergo. Resp. negando minorem: cuius probatio concedenda est de effectu causæ purè effectiuæ, neganda de effectu causæ obiectiuæ, cuiusmodi est visio beata. Cuius discriminis ratio est, quia effectus causæ obiectiuæ, cùm debeat repræsentare totam entitatem obiecti, ad quam exprimendam essentialiter ordinatur, debet à tota entitate obiecti originari, reliqui verò effectus, cùm non ordinentur ad entitatem causæ repræsentandam, non debent à tota entitate causæ indiuisibiliter originari. Vnde negandum est, in ordine ad claram visionem sui, Diuinas relationes non esse actiuas. Nam qua ratione sunt intelligibiles, sunt etiam motiuæ intellectus ad claram notitiam sui. Secundò esto diuinæ relationes non sint motiuæ ad intellectionem sui immediatè, possunt tamen esse motiuæ ad intellectionem sui mediatè per ipsam essentiam diuinam, quatenus est species intelligibilis, non tantùm sui ipsius, sed etiam diuinarum relationum.

337. *Obijcies* 2. Esto potentia motiua obiecti fundetur in tota entitate rei adhuc non implicat, illam limitari ad concurrendum inadæquatè cum potentia cognoscitiua ad visionem sui, sicut de facto limitatur ad concurrendum intensiuè. Confirm. quia omnis concursus ad extra est Deo liber, & attemperabilis iuxta ipsius beneplacitum. Resp. negando assumptum, quia cùm talis potentia indiuisibiliter fundetur in tota entitate obiecti, implicat ipsius concursum limitari ad entitatem obiecti repræsentandam. Quare implicat, Deum concurrere per potentiam obiectiuam, & non concurrere ad totam sui entitatem repręsentandam. Nec est eadem ratio de concursu intensiuo; nam hic potiùs se tenet ex parte cognoscentis, quàm ex parte obiecti cogniti: finis autem cognoscibilitatis obiecti non est, vt quouis modo à cognoscente cognoscatur, sed vt cognoscatur totum; & patet in ipsis speciebus visiuis, quarum quælibet vel minima pars repræsentat totum obiectum extensiuè, non autem totum intensiuè. Ad Confirmationem concedo, omnem concursum ad extra esse Deo absolutè liberum, posse tamen aliquem ex suppositione esse necessarium. Talis est concursus obiectiuus essentiæ diuinæ, qui, quoniam indiuisibiliter fundatur in tota Deitate, implicat illum limitari ad solam essentiam, vel relationes repræsentandas.

338. Ad fundamentum primæ sententiæ negatur assumptum. Ad primum verò Scoti, concessâ maiore, negatur minor: etenim sicut prioritas originis non infert prioritatem *Scotus.*

durationis, penes quàm tantùm cognitio prior aut posterior dicitur: ita ex eo, quòd Pater vt prior origine intelligit suam essentiam, non sequitur, quòd in aliquo priore *in quo*, illam intelligat non communicatam Filio: sed tantùm sequitur, quod illam intelligat, vt prior origine, hoc est, vt non habens illam ab alio; contrà verò Filius, & Spiritus sanctus intelligunt illam vt posteriores origine, hoc est, vt habentes illam ab alio: simul tamen æternitate illam intelligunt omnes, cuius ratio est, quia prioritas originis est tantùm prioritas à quo, siue independentiæ, quæ simul stare potest cum simultate durationis, & *in quo*: igitur potest æternus Parens vt prior origine, & independenter à Filio & Spiritu sancto intelligere suam essentiam, & nihilominùs simul duratione & æternitate illam intelligere cum Filio & Spiritu sancto; nam sicut in nullo signo, in quo Pater habet esse, *in quo* eodem signo idem esse non habeat Filius & Spiritus sanctus, licet Pater habeat à se, Filius verò & Spiritus sanctus ab alio: ita in nullo signo, in quo Pater intelligit suam essentiam, in quo eandem non intelligant Filius & Spiritus sanctus. Ad illam probationem, quòd sicut quælibet persona Diuina intelligit intellectu, vt in se existente, ita intelligit essentiam, vt in se existentem, negatur paritas. Ratio verò discriminis est, quia cùm intellectus sit principium vitale, non autem intelligibile, maiorem coniunctionem postulat cũ intelligente intellectus, quàm intelligibile, nam hoc intelligi potest etiam separatum ab ipso intelligente, cùm tamen nequeat intelligens intelligere per intellectum separatum à se. Concedo igitur, ad intellectionem vtrumque requiri, sed non eâdem coniunctione. Quamuis si intelligibile consideretur, non in ratione termini, sed in ratione principij mouentis intellectum ad intellectionem, omnes personæ Diuinæ in ratione obiecti mouentis sunt sufficienter coniunctæ cum intellectu Patris, pro quouis signo in quo, quia nullum est signum, in quo Pater non sit cum Filio, & Spiritu sancto, esto Pater sit à se, Filius verò, & Spiritus sanctus ab alio.

339. Ad secundum distinguo primum & secundum consequens: aliquam beatitudinem habet Pater à Filio originatiuè, nego; obiectiuè, concedo. Nam personæ productę, earumque processiones complent obiectum beatificum Patris. Distinguo etiam tertium consequens: etenim cognitio essentialis est prior relatione relatiuis in ratione cõstituentis essentiam, eò quòd essentia priùs ratione constituitur per absoluta, quàm per relatiua. Cæterùm possunt relatiua esse ratione priora cognitione in ratione obiecti: nihil enim obstat, in diuinis eandem perfectionem esse priorem, & posteriorem consideratam secundùm diuersam rationem.

340. Ad tertium nego consequentiam, nam potest Filius eâdem intellectione produci, & simul intelligi, vt infrà.

341. Ad quartum nego cum Caietano, personas non pertinere ad obiectum primarium beatitudinis. Secundò esto non pertineant, vt multi recentiores putant, adhuc nego, cognitionem intuitiuam abstrahere posse ab omni obiecto secundario, sed tantùm ab illo, quod ex natura rei distinguitur à primario. *Caietanus.*

342. Ad quintum nego consequentiam: etenim cur intuitiuè cognosci nequeat Pater, non cognito intuitiuè Filio, & Spiritu sancto non est, quia cognito intuitiuè vno relatiuo, intuitiuè cognosci debet & alterum, sed quia cùm tota Trinitas sit eadem formalis perfectio cum natura diuina, nequit natura cognosci, quin tota Trinitas personarum cognoscatur: & quia cognita intuitiuè persona Patris, necessariò cognoscitur intuitiuè natura & essentia ipsius; cum qua, quia identificantur formaliter reliquæ personæ, necessariò cognita intuitiuè persona Patris, cum ea intuitiuè cognoscuntur & reliquæ personæ. Ex quo patet ad Confirm.

343. Ad primum secundæ sententiæ, nego antecedens. Si sermo sit de cognitione intuitiua, ob rationem assignatam, & ad probationem, nego minorem: nam vt illæ propositiones possint à beatis formari, non est necesse, vt intelligatur essentia, non intellectis personis, aut contrà; sed sufficit, si cognoscatur Deus secundùm perfectionem absolutam, & respectiuam, & secundùm vnam videatur, & affirmetur vt communicabilis, & secundùm aliam videatur, & affirmetur vt incommunicabilis. Ad exemplum de obiecto visibili Resp. aliud esse, non videri totum obiectum secundùm omnes rationes indiuisibiliter identificatas; aliud propter remissum lumen, vel cognitionem non posse potentiam de singulis obiecti rationibus certò, ac distinctè iudicare. Primum est falsum, etiam in exemplo allato, quia oculus non percipit tantùm colorem in communi, cùm ille non sit obiectum visus, sed in specie, & in indiuiduo. Secundum concedimus contingere in visione corporea, ob defectum claritatis luminis, vel visionis: negamus tamen id cõtingere posse in visione beata, ob excellẽtiam luminis glorioſi, cuius vel remississimus gradus, ex eo quòd sit perfecta participatio luminis increati beatum distinctè certificat de omnibus perfectionibus diuinis.

344. Ad secundum & tertium nego consequentiam, nam omnis communicatio fit ad exigentiam subiecti, cui communicatur: sed nec Filius est capax paternitatis, nec natura humana plurium suppositorũ adæquatè suppositantium: ergo licet natura diuina sit eadem cum paternitate, & vna persona cum alijs in natura, non propterea communicatâ naturâ Filio, communicatur ei simul & paternitas: aut vnitâ personâ Verbi humanitati, vniuntur illi & reliquæ; cùm nec Filius sit capax paternitatis, nec humanitas reliquarum personarum, stante vnione ipsius ad Verbum adæquatè ipsam suppositans. At verò

intellectus

intellectus creatus est capax tam visionis essentiæ, quàm personarum: ergo non est, vnde possit limitari ad solam visionem essentiæ, vel personarum. Cuius ratio à priori est, quia ratio formalis, sub qua intellectus tendit ad Deum cognoscendum est intelligibilitas, quæ quia immediatè & proximè fundatur in ipsa ratione entis vt sic, totum Deum secundùm totam suam entitatem, & intrinsecas perfectiones manifestat beato. Contrà verò, quia ratio formalis, sub qua persona tendit ad communicandam naturam, est communicabilitas, quæ est proprietas solius naturæ; & ratio formalis, sub qua tendit ad producendam personam, est producibilitas, quæ est, solius personalitatis propria, ideò Pater communicando Filio naturam, non communicat illi personalitatem propriam: nec producendo illius personam, producit simul & naturam. Consimiliter, quia ratio formalis, sub qua Verbum Diuinum tendit ad suppositandam naturam creatam, est adæquata sustentatio talis naturæ, quâ præstitâ, natura non est capax vlterioris sustentationis, ideò potuit Verbum vniri hypostaticè naturæ humanæ, quin illi vnirentur reliquæ personæ.

345. Ad quartum concessâ sequelâ antecedentis, nego consequentiam; quoniam ad intuitiuè cognoscendam potentiam obedientialem, cum quolibet ente creato suapte naturâ operatiuo identificatam, non est necesse distinctè, & in particulari cognoscere aliquem effectum supernaturalem, cuius illa est capax: sed sufficit in confuso, & in communi cognoscere, posse in ea, & per eam à Deo effici, quidquid contradictionem non inuoluit. Nam ex vi cognitionis intuitiuę non cogimur distinctè cognoscere, nisi quæ formaliter, & intrinsecè sunt in re cognita: effectus autem supernaturales non sunt formaliter, & intrinsecè in potentia obedientiali, sed tantùm extrinsecè, & terminatiuè. Respondeo secundò, negando, eum, qui intuitiuè cognoscit creaturam, debere etiam cognoscere potentiam obedientialem, quia cùm hæc non consistat in aliquo intrinseco ordine, aut respectu, sed in sola extrinseca connotatione ad effectus supernaturales, excedentes propriam naturam, non potest cognitâ tantùm intrinsecâ entitate & naturali potentiâ creaturæ, cognosci potentia obedientialis ipsius; quia cum intrinseca entitate, & potentiâ naturali creaturæ, non necessariò cognoscitur connotatio ad extrinsecos effectus supernaturales, in qua connotatione completur formaliter potentia obedientialis creaturæ. Ad quintum constat ex dictis.

## SECTIO XIX.

### *An, & quo pacto Beati videant libera consilia & decreta in Deo?*

346. NIhil ferè de hac controuersia antiquiores Scholastici: pauca quædam recentiores. Lege Molinam 1. p. q. 12. artic. 8. disput. 5. memb. 5. Bannez, ibidem §. *His positis.* Zumel ibidem art. 7. quæst. 1. *ad argumenta ad primum.* Granadum tract. 6. disput. 1. sect. 7. Fasolum 1. p. q. 12. art. dubit. 3. obiect. 5. Suar. lib. 2. de Attrib. diuinis cap. 24. *Molina. Bannez. Zumel. Granadus. Fasolus. Suarez.*

347. Ratio verò dubitandi est, quoniam actus liber nullam perfectionem intrinsecam addit supra necessariam in Deo, siquidem Deus non vult per intrinsecam terminationem actus, sed per extrinsecam dumtaxat mutationem obiecti. Ergo aut omnes actus liberi necessariò in Deo cognoscuntur, cognitâ eius substantiâ & actu necessario, quo seipsum & creaturas possibiles diligit, aut nullo modo illi cognosci possunt in seipsis. Consequentia probatur, quia cùm in seipsis non distinguantur ab actu necessario, aut simul cognoscentur cum illo, aut nullo pacto cognosci poterunt in seipsis; quia vt possint in seipsis cognosci diuersâ cognitione, quâ cognoscitur actus necessarius, deberent aliquid superaddere actui necessario, alioqui si nihil addunt actui necessario, non poterunt videri diuersâ cognitione ab ea, quâ videtur actus ipse necessarius: ac proinde eo ipso, quo videtur actus necessarius, videbũtur etiã actus liberi; cùm ad videndos actus liberos in Deo, non sit opus videre aliquam perfectionem diuersam ab ipsa perfectione actus necessarij.

348. In contrarium autem est, quoniam multi ex his actibus videntur à beatis in verbo, cùm tamen non omnes videantur à quolibet beato. Primum constat, quoniam multa futura libera videntur à beatis in verbo; nequeunt autem hęc in verbo videri, nisi visis actibus liberis diuinæ voluntatis, à quibus hæc futura, tanquam à proxima causa liberè determinante pendent: quemadmodum nequeunt videri possibilia in eodem verbo, nisi visâ omnipotentiâ Dei, à qua tanquã à causa eminentiali productiua pendent. Secundum verò ostendo: quia cũ huiusmodi actus liberi in Deo sint connexi cũ effectibus futuris, si visa substantia, aut actu necessario diuinę voluntatis, necessariò etiam viderentur omnes actus liberi, cum ijsdem etiam viderentur omnia futura libera; cùm nequeat distinctè & in particulari videri actus liber diuinæ volũtatis, quin simul etiam videatur effectus futurus, cuius connotatione actus liber in Deo essentialiter constituitur. Vnde non est eadẽ ratio de potentia, quæ videri potest clarè & distinctè, nullo viso effectu in seipso: nã potẽtia diuina nõ constituitur formaliter per cõnotationem

tionem huius vel illius effectus in particulari, sed per connotationem omnium effectuum in communi: actus verò liber diuinæ voluntatis formaliter constituitur per connotationem huius, vel illius effectus in particulari. Cuius ratio est, quia potentia est principium vniuersale non magis huius, quàm illius effectus productiuum: actus verò liber diuinæ voluntatis est principium particulare liberè determinatiuum huius vel illius effectus in particulari: comparatur enim actus liber ad effectum futurum, sicut actio ad terminum: vnde sicut nequit cognosci distinctè actio, quin simul distinctè cognoscatur terminus; ita neque actus liber diuinæ voluntatis, quin simul cognoscatur effectus futurus, cuius est libera volitio. His positis vt certis, præsens controuersia tantùm est, de modo, quo huiusmodi actus liberi in Deo cognoscuntur.

349. Prima sententia docet, eos à beatis cognosci in seipsis per intrinsecam terminationem liberam, quam in seipsis habent ad obiecta contingentia, ratione diuersam à terminatione necessaria, quam ijdem actus habent ad obiecta necessaria, quæ libera terminatio actus, etsi cognosci nequeat sine cognitione obiecti, ad quod terminatur, re tamen ipsa aliqua perfectio cognoscitur per hanc liberam terminationem in actu libero, quæ non cognoscitur in actu ipso necessario. Fundamentum est, quia hęc libera terminatio in actu libero diuinæ voluntatis, est aliquid reale & intrinsecum, vtpotè vitale actui: atqui hæc libera terminatio potuit non esse in actu libero diuinæ voluntatis: igitur aliquid reale, ratione saltem distinctum cognoscitur in actu libero, quod non cognoscitur in actu necessario: atque adeò poterit in seipso cognosci, diuersâ cognitione, quâ cognoscitur actus ipse necessarius, cùm in se habeat aliquid, per quod possit diuersam cognitionem terminare. Hæc sententia sequitur ex opinione illorum, qui affirmant, actus liberos diuinæ voluntatis supra actum necessarium addere perfectionem realem intrinsecam, ratione saltem diuersam à perfectione actus necessarij, quæ potuit in Deo non esse: quam infrà cum suo fundamento impugnabimus.

350. Secvnda sententia affirmat, libera decreta Dei cognosci non posse à beatis, nisi à posteriori, cognitis nimirùm effectibus, quorum sunt libera decreta. Fundamentum tactum est in ratione dubitandi, quia cùm liberum decretum Dei nullam intrinsecam perfectionem addat actui necessario, impossibile est, illud videri in seipso, vt quid diuersum ab actu necessario: si enim non videtur, vt quid diuersum ab actu necessario, non poterit in seipso videri, vt formaliter liberum; quia vt formaliter liberum dicit aliquam formalitatem, quam non dicit vt formaliter necessarium: atque adeò si debet in seipso videri, vt formaliter liberum, debet in seipso videri cum aliqua perfectione, cum qua non videtur, vt formaliter necessarium.

351. Sed neque hæc sententia placet: nam eo modo, quo decretum diuinum constituitur in seipso liberum, poterit à beato cognosci: ergo non tantùm à posteriori, & per effectus futuros, sed etiam in seipso poterit à beato cognosci, nempe per illud idem, quo in seipso constituitur, quidquid illud sit.

352. Tertia sententia asserit, liberum decretum Dei posse in seipso à beatis cognosci, non tamen sine cognitione effectus, per cuius connotationem constituitur in ratione liberi formaliter. Pro explicatione huius sententiæ, quam veriorem puto,

353. Notandum, actum liberum in Deo formaliter distingui ab actu necessario, per connotationem productionis, vel negationis productionis liberè à se dependentis: idem quippe actus, quatenùs connotat productionem effectus, vel negationem productionis effectus, liberè à se dependentis, ex necessario fit liber: & sicut talem productionem, vel negationem productionis connotare potest absque vlla mutatione sui, per solam mutationem effectus; ita absque vlla mutatione sui poterit ex necessario fieri liber: & consequenter poterit cognosci vt liber, distinctus à necessario, absque eo, quòd aliqua perfectio intrinseca realis in eo cognoscatur, quæ non cognoscitur in actu necessario. Confirmatur, quia cùm hæc libera connotatio productionis, vel negationis productionis, non sit per respectum aliquem intrinsecum, sed per puram connotationem extrinsecam, fundatam in essentiali dependentia effectus creati à libera voluntate Dei, non potest mutare intrinsecè actum diuinæ voluntatis. Hoc posito, probatur hæc sententia, & simul explicatur modus, quo possit actus liber in Deo cognosci.

354. Potest Deus peculiari lumine determinare intellectum beati ad notitiam sui actus, quatenus est actuale principium liberum huius, vel illius effectus, & simul ad claram notitiam talis effectus, vt liberè dependentis à tali actu: igitur potest peculiari notitiâ manifestare beatis sua libera consilia, & decreta. Consequentia patet. Antecedens probo, quia licet ad cognoscendum actum liberum Dei in seipso subiectiuè, non sit necessarium diuersum lumen ab eo, quo idem actus cognoscitur, vt necessarius, quia vt sic non differt à necessario, est tamen necessariũ ad cognoscendũ illum terminatiuè, secũdùm essentialem connotationem effectus liberè à se dependentis; vt sic enim inuoluit aliquid, quod nõ inuoluit vt necessarius, nempe ipsam liberam productionem effectus, quam essentialiter connotat, vt liber formaliter est, atque adeò poterit vt liber cognosci cognitione diuersâ, quâ cognoscitur, vt necessarius: igitur non eo ipso, quo cognoscitur, vt necessarius, cognoscitur vt liber: quia vt liber debet cognosci secundùm aliquid, secundùm quod non cognoscitur vt necessarius.

355. *Objcies* 1. Actus liber diuinæ voluntatis supra necessarium non addit, nisi solam connotationem effectus futuri, liberè à se dependentis: ergo ad illum videndum, vt distinctum formaliter ab actu necessario, sufficit videre effectum ipsum futurum. Resp. Dupliciter posse effectum futurum videri, vel in seipso, & per ipsum velut à posteriori simul cognosci actum diuinæ voluntatis, tanquam proximam causam ipsius; vel vt terminum diuinę voluntatis, per cuius connotationem formaliter constituitur ipse actus liber diuinæ voluntatis. Primo modo suprà negauimus, effectus futuros videri à beatis, non autem secundo modo.

356. *Obijcies* 2. Multa sunt libera decreta in Deo, quibus nulla respondet productio ad extra, cuiusmodi sunt omnia decreta conditionata, quibus Deus promittit aliquid futurum, sub conditione, quâ non secuta nihil producit ad extra: hæc enim decreta realiter sunt in Deo, nulla tamen illis respondet productio ad extra, ob defectum conditionis non adimpletæ. Confir. quia decretum Dei non solùm est liberum in producendo hoc vel illo effectu, sed etiam in producendo effectu propter hunc vel illum finem, potest enim Deus propter varios fines eundem effectum producere: atqui hæc libertas diuini decreti propter hunc vel illum finem, nequit à beatis cognosci per connotationem alicuius productionis ad extra: tum quia nequit cognosci per connotationem productionis ipsiusmet effectus, qui propter talem peculiarem finem dicitur produci, cùm idem omninò effectus inuariatus quoad suam productionem, fieri potuisset propter alium finem. Tum quia sępe Deus finem, propter quem vnam rem producit, non manifestat per aliquam actionem extrinsecã, atque adeò nequit ille cognosci per connotationem alicuius productionis realis. Igitur ad cognoscendum liberũ decretum in Deo nõ semper erit necessarium, illud cognoscere cum connotatione alicuius productionis ad extra, à se liberè dependentis. Resp. negando, esse vllum liberum decretum actu existens in Deo, cui aliqua non respondeat realis productio, aut negatio realis productionis ad extra, vt infrà, cùm de voluntate Dei.

357. Ad prob. autem dicendum est, decreta conditionata, actu existentia in Deo, fundari in aliquo decreto absoluto de ipsa promissione rei sub conditione futuræ. Idem enim decretum, vt connotans promissionem liberè à se dependentem, est decretum absolutum & formale in Deo; vt verò connotans rem ipsam promissam sub conditione futuram, si conditio ponatur, est conditionatum & virtuale, vt fusiùs infrà. Ad Confirm. specialem finem, propter quem Deus solet rem aliquam producere, cognosci per ordinem ad mutationem alicuius rei, dependenter à qua, tanquam à fine & motiuo rem ipsam producit: vt specialis finis, propter quẽ Deus voluit Verbum incarnari, fuit remedium peccati, quo non existente, Verbum incarnatum non fuisset, atque adeò liberum decretum de incarnando Verbo propter talem finem connotat permissionem peccati, dependenter à quo Verbum fuit incarnatum: atque adeò nullum assignatur liberum decretum in Deo, cui aliqua realis mutatio ad extra non respondeat.

## SECTIO XX.

### *An Beati ex vi visionis Dei videant aliquas creaturas in Verbo?*

358. HActenus de obiecto primario visionis beatæ, qui est Deus, nunc de secundario, quæ sunt creaturæ secundùm proprium esse ipsarum, vt condistinctum ab ipso esse increato Dei. Dupliciter enim possunt creaturæ videri in Deo; vno modo secundùm esse eminentiale, quod habent in Deo, tanquam in causa eminentiali, & primo exemplari rerum omnium: quo pacto videre creaturas in Deo, est videre ipsam creatricem essentiam; quia hoc modo non differt esse creaturarum ab ipso esse increato Dei. Alio modo secundùm esse proprium creaturarum, vt condistinctum ab ipso esse increato Dei: quo modo creaturæ non sunt formaliter in Deo, sed tantùm virtute, quatenus possunt ab ipso secundùm tale esse causari. Atque in hoc sensu proponitur quæstio propter Patres, sæpe docentes à beatis videri creaturas *in Verbo*.

359. Dicuntur autem creaturæ videri *in Verbo*, non quòd in eo tantùm, vt distincto à reliquis personis, videantur, sed per appropriationem: quia nimirum sicut Verbum procedit per intellectionem Patris, ita opera supernaturalia ad extra, pertinentia ad intellectum, attribuuntur Verbo. Quemadmodum, quia Spiritus sanctus procedit per voluntatem, opera supernaturalia, spectantia ad voluntatem creatam, attribuuntur Spiritui sancto: sicut & opera diuinæ potentiæ ad extra tribuuntur soli Patri, eò quòd ipse per potentiam fœcundam ad intra est primum principium omnium diuinarum processionum. Quæstio igitur est, an eâdem visione, quâ videtur Dei essentia, simul videantur aliqua obiecta creata.

360. PRIMA sententia negat. Est Aureoli quodlib. 10. q. 4. Maioris in 3. dist. 14. q. 3. concl. 2. & in 4. dist. 49. q. 16. §. *Teneo igitur*, Ochami in 4. q. 13. art. 3. Gabrielis in 3 dist. 14. Notabile vltimo. Aliacensis in 1. q. 12. art. 3. §. *His præmissis*. Vasquez 1. p. disp. 50. c. 7. Fundamentum est, quia licet non repugnet, eâdem visione videri Deũ, & creaturas, saltem concomitanter cum Deo, tamen facilius saluantur reuelationes, quæ successu tẽporis fiunt beatis, si dicamus, has reuelationes fieri distinctâ notitiâ ab ipsa visione beata. Nam visio beata est inuariabilis, & quid-

*Aureolus. Maior. Ocham. Gabriel. Aliacensis. Vasquez.*

quid

quid repræsentat, totum à principio repræsentat: alioqui aut oporteret per nouas reuelationes variari ipsam visionem Dei, aut non omnia, quæ visio Dei repræsentat, statim à principio repræsentare, sed successiuè ad beneplacitum Dei: vtrumque autem est absurdum: igitur dicendum est, distinctis actibus videri Deum & creaturas.

*S. Thomas. Caietanus. Ferrariens. Bonauent. Richardus. Bacconus. Durandus. Capreolus. Argentinas. Sotus. Molina. Suarez. Arrubal.*

361. SECVNDA sententia affirmat, Est S. Thom. 1. p. q. 12. art. 8. & 9. & 3. contra Gent. cap. 60. Caietan. & Ferrar. ijsdem locis, Bonauent. in 3. dist. 14. art. 2. quæst. 1. Richardi art. 2. quęst. 2. Bacconi dist. 13. q. 2. art. 3. §. 2. Durandi dist. 14. q. 2. & in 4. dist. 49. Capreoli quæst. 6. Argentin. quæst. 2. art. 4. Soti quęst. 3. art. 3. concl. 4. Molinæ in primam part. q. 12. disp. 1. memb. 1. Suarez lib. 2. de attributis cap. 25. Arrubalis disp. 25. & omnium interpretum S. Thom. præcitato loco primæ partis. Quæ sententia verior est & sequenda. Nec contrarius est Scotus in 3. dist. 14. quæst. 2. §. *Sed ista via:* vbi docet, animam Christi per vnum actum videre verbum, & omnia relucentia in verbo habitualiter & in actu primo; in actu verò secundo, modò videre vnum, modò aliud obiectum creatum: etenim per actum primum exprimentem modò vnum, modò aliud obiectum secundarium, intelligit ibi Scotus ipsam visionem beatam, quæ sine vlla mutatione sui potest intellectui successiuè manifestare diuersa obiecta, per solam aduertentiam intellectus; putat enim, vt constat ex 1. dist. 1. quæst. 3. quamlibet cognitionem abstrahere posse ab obiecto secundario, non tamen à à primario, de quo infrà.

*Scotus.*

*Augustin.*

362. Primum fundamentum sumitur ex Augustino lib. 11. de Ciuit. Dei c. 7. & 29. & lib. 4. de Genesi ad litteram cap. 22. & 23. vbi duplicem distinguit in Angelis beatis notitiam, alteram creaturarum in Verbo, quam *matutinam* appellat, alteram creaturarum in propria natura, quam *vespertinam* vocat. Nec per notitiam creaturarum in verbo, intelligere potuit notitiam creaturarum, secundùm esse, quod habent in Deo, secundùm quod sunt ipse Deus & vita ipsa Dei, vt Aureolus & Vasquez interpretantur: tum quia est contra communem expositionem Scholasticorum, in secundo & quarto, præcipuè contra S. Thomam 1. p. quæst. 58. art. 6. & 7. & quęst. 8. de Veritate art. 16. & 17. Tum quia aduersatur verbis ipsius Augustini, qui citato cap. 7. de Ciuit. Dei sic scribit: *Cognitio creaturæ in seipsa decoloratior est, quàm cum in Dei sapientia cognoscitur, velut in arte, quâ facta est.* Idem repetit cap. 29. creaturam meliùs videri in Sapientia Dei, tanquam in arte, quâ facta est, quàm in seipsa; quia illic clariore, hîc obscuriore cognitione. Vnde illam appellat cognitionem *matutinam*, hanc *vespertinam*. At si de cognitione creaturarum solùm secundùm esse eminentiale, quod habent in Deo, loqueretur, impropriè dixisset, eam videri in arte Dei, quâ facta est: Nam creatura secundùm hoc esse non distinguitur ab ipsa arte, & Sapientia Dei. Vnde idem est, creaturam secundùm hoc esse videri in arte Dei, & artem Dei videri in ipsa arte Dei. Cùm igitur Augustinus distinguat artem Dei, in qua creatura videtur, ab ipsa creatura, quæ in arte videtur, de creatura loquitur, non secundùm esse eminentiale, per quod non distinguitur ab arte Dei, sed secundùm esse formale, per quod distinguitur ab ipsa arte Dei. Tum quia discrimen creaturæ in seipsa & in Deo visæ, non assignat ex parte obiecti visi, sed ex parte modi videndi, quia *in Deo*, inquit, *clariore, in se obscuriore cognitione videtur:* cùm tamen, si de esse eminentiali loqueretur, aptius discrimen assignaret ex parte obiecti, quia nimirum in Deo nobilius, in se verò ignobilius habet esse.

*Augustin.*

*S. Thomas.*

363. Apertiùs de triplici habitaculo c. vltimo docet, ex visione Dei trinam nasci scientiam, hominis videntis, Dei visi, & creaturarum, quæ videntur. *Sicut per speculum trina nobis*, inquit, *visio administratur, quia & nos ipsos, & speculum, & quidquid præsens adest, videmus: Sic per speculum diuinæ claritatis & ipsum Deum, vt est videbimus, & nos ipsos, & cæteros, vera & certa scientia cognoscemus.* Si autem hæc solùm viderentur secundùm esse eminentiale, quod habent in Deo, non posset de ijs trina scientia distingui; quia cùm hæc non distinguatur ratione actus; nam hic vnus est hominis videntis, & Dei visi, vt ab ipso Aug. supponitur: igitur distinguenda est ratione triplici sobiecti: atqui triplex obiectum distingui non posset, si hæc tantùm viderentur secundùm esse eminentiale, quod in Deo habent, nam hoc vnum est, & idem esse Dei & creaturarum. Cæterùm, si quando Aug. hanc notitiam *matutinam* appellat cognitionem creatoris, per eamque aliter creaturas videri, quàm in seipsis, id ab August. non dicitur ex eo, quòd putet, eam ad solum esse increatum Dei terminari, sed quia ad illud terminatur primariò, & in eo incommutabiliter videntur reliqua, quia videntur vt termini diuinæ omnipotentiæ, cum qua necessariam connexionem habent.

364. Secundum fundamentum sumitur ex illo communi modo loquendi Patrum, quo docent, creaturas videri *in Verbo:* etenim creaturas videre *in Verbo*, est eas videre *in Verbo*, tanquam in obiecto primariè cognito, proinde eadem cognitione, quâ videtur Verbum ipsum. Nec rectè aduersarij explicant causaliter, tum quia impropriè explicant Patres, tum propter ipsam particulam *IN*, quæ formalem non efficientem causam significat. Tum quia non saluant discrimen cognitionis *matutinæ* & *vespertinæ* ab Aug. assignatum; nam semper cognitio creaturæ visæ in propria natura est eiusdem rationis, siue causetur ab obiecto per propriam speciem, siue à Deo supplente speciem obiecti.

*Aureolus.*

365. Sed distinguit Aureolus art. 4. duplicem cognitionem creaturarum, alteram per proprias causas & principia, alteram origi-

natam

natam à Diuina essentia visa in se ipsa, vt causâ exemplari creaturarum; primam appellat vespertinam, secundam matutinam; quia per hanc non solùm cognoscitur quod quid est creaturæ, sed etiam propter quid ipsius creaturæ, quia cognoscitur illa, vt exemplata à prima causa, sicut notitia effectus per causam, est nobilior notitiâ eiusdem secundùm se. Sed contrà, nam tunc notitia effectus per causam est clarior, quando eâdem notitiâ cognoscitur effectus, & causa simul: at quando distinctâ notitiâ cognoscitur causa & effectus, non potest notitia effectus ex hoc capite præcisè, quòd supponat cognitionem causæ in eodem intellectu, esse clarior notitiâ effectus, quæ nullam causæ cognitionem supponit, nam cognitio effectus non variatur intrinsecè per cognitionem causæ, quem solùm connotat in eodem subiecto.

366. Tertium fundamentum sit, quia nulla est repugnantia, quin eâdem cognitione videatur Deus & creatura in ipso Deo: igitur de facto talis cognitio concedenda est beatis. Consequentia constat, quia visio beata est perfecta participatio visionis increatæ: ergo si talis cognitio non repugnat, non est deneganda beatis. Antecedens probo, nam Deus eâdem cognitione intuetur se ipsum & creaturas: igitur talis cognitio ex natura sua non repugnat. Nec afferri potest peculiaris ratio, propter quam potiùs repugnet in creatura, quàm in Deo.

367. DICES: repugnat cognitionem simul esse rationem, in qua videatur creatura, & rationem, quâ videatur Deus: ergo repugnat eadem cognitione videri Deum & creaturam simul. Consequentia constat, quia repugnat, aut Deum videri in cognitione, vt in ratione *in qua*, aut creaturas non existentes, vel absentes, tanquam ratione *qua*: nam quidquid est absens, & non existens, non potest per se ipsum terminare notitiam cognoscentis. Antecedens probatur, tum quia eadē cognitio simul esset directa respectu Dei, & reflexa respectu creaturæ: tum quia priùs terminaretur ad creaturas, quàm ad Deum. quia priùs terminaretur ad se ipsam, vt est expressa imago creaturarum, tum ad Deum, quem beatus cognosceret mediante eâdem cognitione, vt expressâ imagine creaturarū. Resp. negando antecedens cum Caiet. 1. p. q. 12. art. 2. §. *aduerte*, vbi negat in beatis verbum expressum de Deo, concedit autem de his, quæ videntur in Deo. Et ad primam probationem nego assumptum, nam eadem cognitio, vt exprimit creaturas, est intellectui directa imago creaturarum, vt autem est tendentia ad Deum, est directa notitia ducens intellectum ad ipsum Deum, in se ipso existentem cognoscendum. Nec repugnat eandem cognitionem esse naturalem imaginem, *in qua* videatur vnum, & simul viam, *qua* tendatur ad aliud: sicut eadem cognitio naturalis angeli est via, *qua* cognoscit propriam substantiam, & simul abstractiua imago, *in qua* cognoscit Deum.

*Caietanus.*

368. Ad posteriorem nego antecedens, nam priùs ratione beatus cognoscit Deum, quàm suam visionem, & consequenter prius ratione cognoscit Deum, quàm creaturas in sua visione expressas: quia Deum cognoscit directè, suam verò visionem quasi reflexè. Maior controuersia est de modo, quo creaturæ videantur in Deo: de quo sit,

## SECTIO XXI.

### *Quo pacto creaturæ videantur in verbo?*

369. PRo explicatione notandum: creaturas videri in verbo, est verbum aliquo modo esse medium videndi creaturas. Porrò medium videndi aliud est duplex, vnum formale, & est ipsa cognitio, qua, vel in qua videtur obiectum per illam expressum & repræsentatum; alterum obiectiuum, quod cognitum in se, est simul medium & ratio cognoscendi aliud, ob aliquam connexionem, quam habet cum illo; alioqui si nullam haberet cum illo connexionem, non potiùs diceretur videri in illo, quàm cum illo: sicuti videntur plura obiecta disparata per eandem speciem expressam ab angelo, aut plura obiecta visibilia per eandem visionem ab oculo corporeo, quæ solùm important simultaneitatem concomitantiæ; non connexionem aliquā causalem inter se. Cùm igitur quærimus, an creaturæ videantur in verbo, non quærimus, an verbū sit medium formale, quo, vel in quo videatur creaturæ; hoc enim est actus ipse creatus visionis glorioſę, quo informatus intellectus beati, tendit ad creaturas ipsas cognoscendas; sed, an sit medium obiectiuum, quod cognitum in se, sit simul ratio cognoscendi creaturas, non quidem in ipso verbo existentes, sed in se ipsis, secūdùm proprium esse, quod haberent, si extra verbum existerent: idque propter connexionem, quam habet cum creaturis, vel tanquam causa cum effectis, vel tanquam idea cum ideatis. Cæterùm dupliciter potest verbum increatum esse medium cognoscendi creaturas, vno modo proximè & immediatè, vt hoc ipso quòd cognoscitur in se, sit medium cognoscendi creaturas; alio modo remotè & radicaliter, vt non hoc ipso quòd cognoscitur in se, sit medium cognoscendi creaturas, sed hoc tantùm exigat connaturaliter, vt causa est, vel idea creaturarum.

370. Præterea cùm quęrimus, an verbum visum in se sit medium videndi creaturas, non quærimus, an verbū sit medium cognoscēdi creaturas abstractiuè, & sub ratione tantùm cōmuni & generica entis, sed intuitiuè & distinctè secundū proprias rationes & notas vniuscuiusq;. Præsens igitur controuersia in eo potissimū versatur, an verbum siue Diuina essentia, vt proximè visa in se vt causa, id est idea creaturarum, sit simul mediū ne-

cessariò ducens intellectum ad intuendas creaturas secũdùm proprium esse, quod participare possunt in se ipsis extra Deum.

371. PRIMA Sententia affirmat: est Bonaventuræ in tertio dist. 14. ar. 2. qu. 1. Richar. art. 2. q. 2. Durandi in 4. dist. 49. q. 6. Capreoli quæst. 6. Soti quæst. 3. a. 3. Ferrar. 3. contra Gent. cap. 56. Molinæ in 1. p. q. 12. art. 8. disp. 5. membro. 1. Bannez, Zumel, Gonsalez, Fasoli, ibidem, Suarez lib. 2. de attributis c. 25. Granadi tom. 1. controversia 1. tract. 6. disp. 1. sec. 5.

*Bonaventura*
*Richardus.*
*Durandus.*
*Capreolus.*
*Sotus.*
*Ferrariensis*
*Molina.*
*Bannez.*
*Zumel.*
*Gonzalez.*
*Fasolus.*
*Suarez.*
*Granadus.*
*S. Thomas.*

Probatur primò Auctoritate S. Doctoris 1. p. q. 12. ar. 8. & 3. contra Gent. c. 56. & q. 8. de veritat. ar. 4. & 5. & alibi affirmantis, creaturas videri in Deo, *vt effectus in causa*, sicut *conclusiones in principio*. Nam sicut qui perfectiùs cognoscit principium, plures cognoscit conclusiones ex eo deducibiles: ita qui altiùs penetrat causam, perfectiores videt effectus ab ea producibiles; & eadem 1. p. quæst. cit. art. 9. docet, creaturas videri à beatis, non per species ipsarum, sed per ipsam essentiam Dei, eorum intellectui vnitam, & q. 8. cit. de veritate a. 5. affirmat, creaturas videri per eandem speciem, qua Deus ipse videtur, sicut per eandem imaginem videtur imago & imaginatum.

372. Secundò. Deus cognoscit creaturas in se ipso vt in causa: ergo etiam beati. Consequentia patet, quia cognitio beatorum est exemplata à cognitione Diuina. Antecedens probatur, tum ex Dionysio cap. 7. de Diuinis nominibus, *per causam* inquit, *rerum omnium habet Deus in se omnium rerum anticipatam scientiam*. Tũ quia hic modus cognoscendi effectus per causam est perfectior, quia non solùm cognoscitur effectus, sed etiam connexio ipsa effectus cum causa.

*Dionysius.*

373. Tertiò. Implicat, intuitiuè cognoscere virtutem productiuam, non cognitis effectibus ab ea producibilibus: ergo implicat beatos intuitiuè cognoscere Dei omnipotentiam, non cognitis effectibus ab ea producibilibus. Antecedens probatur, quia implicat, videri rem in se ipsa, & non videri secundùm essentialem connexionem, quam habet cum suo termino: sed omnipotentia Dei essentialem connexionem habet cum creaturis possibilibus: igitur implicat, eam in se ipsa videri, non visis creaturis.

374. Quartò. Angelus intuendo essentiã alterius Angeli, in ea videt omnes proprietates ab ea fluentes, nec per aliam speciem videt essentiam, per aliam proprietates ab essentia fluentes: ergo & beati vidẽtes essentiam Dei, in ea vident creaturas ab ea producibiles; nec per aliam speciem vident essentiam, per aliam creaturas ab ea producibiles. Consequentia probatur, quoniam maiorem connexionem habẽt creaturæ cùm Deo, quàm quęuis creata proprietas cum propria natura.

375. Quintò. Beati cognoscunt creaturas vt effectus Dei: nequit autem effectus perfectè cognosci, nisi per suam causam, tanquam per rationem formalem cognoscendi: ergo. Maior constat, alioqui non cognoscerent beati dependentiam creaturarum à Deo. Minor probatur, nam sicut effectus non habet esse nisi per causam, ita nec perfectam cognoscibilitatem nisi per causam, tanquam per rationem formalem cognoscendi. Confirmatur, quia nequit conclusio, vt conclusio perfectè cognosci, nisi per suum principium, tanquam per rationem formalem cognoscendi: ergo nequit effectus, vt effectus perfectè cognosci, nisi per suam causam, tanquam per rationem formalem cognoscendi.

376. Sextò, quòd creaturę videantur in Diuina essentia, tanquam ideata in idea probant, tum auctoritate Augustini sæpè affirmantis, creaturas videri *in arte Dei*: ars autem Dei sunt ipsæ creaturarum ideæ. Tum ratione sic; Deus per suas ideas distinctè in se ipso exprimit omnes creaturas, secundùm proprias notas vniuscuiusque: ergo qui videt intuitiuè Deum, videt distinctè ipsius ideas, atque adeò creaturas in eis distinctè expressas. Antecedens patet, nam Deus per ideas cognoscit distinctè creaturas, vt infrà probabimus, cognoscit autem eas in se ipso exprimendo atque obiectiuè repræsentando. Consequentia verò probatur, quoniam idea essentialem connexionem habet cum ideato: igitur qui videt ideam, necessariò videt ideatum.

*Augustinus.*

377. SECVNDA Sententia negat, creaturas videri in Deo, vt in causa, vel idea proximè visa, sed tantùm remotè & radicaliter, eâdem tamen visione, qua videtur Deus, non autem eâdem indiuisibili motione & intelligibilitate, sed diuersa virtualiter. Quæ virtualis diuersitas in hoc consistit, vt quamuis respectu eiusdem numericę visionis eadem sit entitatiua & realis motio ad Deum, & creaturas, cùm vnica sit realis visio, qua beati intuentur Deum, & creaturas in Deo, potest tamen Deus respectu alterius visionis separare cognitionem sui à cognitione creaturarum, & tantùm mouere intellectum beati ad visionem sui, non mouendo illum ad visionem creaturarum. Hæc sententia asseritur à Valentia 1. p. q. 12. puncto 6. §. *Patet secundo*. Arrubal. disp. 25. cap. 3. & disput. 26. cap. 4. 5. & 6. & colligitur ex Aliacense in 1. quęst. 2. art. 3. §. *His præmissis*, asserente creaturas videri in verbo, quia verbum supplet vicem obiecti quoad efficaciam; quæ mihi probabilior est & amplectenda: duas autem habet partes; alteram negatiuam, nempe creaturas non videri in verbo, vt in causa, vel idea proximè visa, eâdem indiuisibili motione & intelligibilitate, qua videtur Deus ipse; alteram affirmatiuam, videri nimirum easdem creaturas in Deo eâdẽ entitatiua visione, non tamen eâdem indiuisibili ac formali motione & intelligibilitate, qua videtur Deus quod est, eas in verbo videri vt in causa radicaliter tantùm visa.

*Valentia.*
*Arrubal.*
*Aliacensis.*

378. Prior pars negatiua sententiæ probatur primò ex PP. & Scholasticis affirmantibus,

*Augustin. Concilium Senonense*

*Scotistæ.*

tibus, creaturas videri in Deo, tanquam in *speculo voluntario*, quem loquendi modum vsurpat Augustinus lib. de videndo Deo, Cōcilium Senonense, & Scholastici passim. Dicitur autē Deus *speculum voluntarium* respectu creaturarum, non, vt Scotistæ explicant, quia beati per eandēm visionem gloriosam inuariatam in se, modò possunt ad has, modò ad illas creaturas in verbo relucentes aduertere, cùm impossibile sit, eâdem visione inuariata ad noua, & noua obiecta aduertere, cùm idem omninò sit ad obiecta aduertere, & obiecta videre; sed dicitur *speculum voluntarium* respectu ipsius Dei, qui ita manifestare se potest mentibus beatorum, vt nullam certam ac determinatam creaturam illis simul cum sua essentia manifestet. Quod fieri nō posset, si eâdē indiuisibili motione, qua mouet mētes beatas ad vidēdum se ipsum, simul necessariò moueret ad videndas creaturas in se ipso.

379. Cæterum dicitur Deus *speculum creaturarum*, quia sicut speculū, præter sui, aliarum etiam rerum imagines imprimit in oculum videntis: ita Diuina essentia, præter speciem sui, supplet etiam species creaturarum in intellectu beatorum, cum hoc quadruplici discrimine; primò, quia speculum creatum imprimit species à rebus acceptas; Deus autem supplet species creaturarum, non quas à creaturis accipit, sed quas ipse eminenter continet. 2. Quia diuina essentia non necessariò, vt speculum creatum, sed liberè huius, vel illius creaturę speciem supplet, modo supra explicato. 3. Ex eo quod speculum creatum non habet intrinsecam cōnexionem cum obiectis, quorum species in se ipso recipit, non possunt propriè dici ea videri ex vi visionis speculi: creaturæ verò, quia connexionem habent cū Deo, tanquam effectus cum causa, propriè dicuntur videri ex vi visionis Dei, vt causæ eminentialis earum. 4. Species creaturarum non continentur in Deo formaliter, & distinctè secundùm propriam vniuscuiusque naturam, vti continentur species rerum sensibiliū in speculo materiali, sed eminenter, & vnitè in vna simplicissima formalitate, æquiualente infinitis speciebus creaturarum.

380. Secundò probatur eadem prior pars negatiua sententiæ ratione, hoc pacto. Ad hoc vt obiectum visum in se, sit medium proximè videndi aliud, debet illud formaliter in seipso continere: atqui Deus non formaliter, sed eminenter, vt per se patet, creaturas in se ipso continet: ergo non poterit in se ipso visus esse medium proximè videndi creaturas. Maiorem probo, nam ad hoc, vt obiectum visum in se sit mediū proximè videndi aliud, debet eâdem omninò motione & intelligibilitate, qua mouet potētiam cognoscitiuam ad cognoscendum se ipsum, mouere etiam ad cognoscendum aliud: nequit autem obiectum per eandem omnino motionem formalem mouere potentiam ad visionem sui, & alteriusà se, nisi illud alterum formaliter contineat in se: ergo. Maior constat, quia vt obiectum visum in se sit simul medium proximè videndi aliud, debet non posse mouere ad visionem sui, quin simul necessariò moueat ad visionem alterius; alioqui si posset mouere ad visionem sui, quin simul necessariò moueret ad visionem alterius, hoc ipso non foret medium proximè, sed tantùm remotè videndi aliud. Minor, in qua præsens controuersia versatur, probatur; quia obiectum non mouet ad intuitiuam cognitionem sui, nisi per concursum obiectiuum proprium, assimilatiuum obiecti vt est in se: sed concursus obiectiuus proprius, assimilatiuus Diuinæ essentię, vt sic formaliter non est assimilatiuus creaturarum, secundùm proprium & formale esse earum: ergo non est idem indiuisibilis concursus obiectiuus, quo intellectus beati intelligibiliter mouetur in Deum, & creaturas, sed diuersus ratione est, quo mouetur in Deum, & in creaturas. Maior elucet, cùm nulla intuitiua cognitio fiat, nisi per proprium concursum assimilatiuum obiecti, vt est in se. Minorem ostendo: nam eius rei, & perfectionis tantùm est concursus obiectiuus proximè assimilatiuus, à qua originatur: sed concursus obiectiuus assimilatiuus Diuinæ essentiæ, non originatur ab esse formali creaturarum, sed tantùm ab esse eminentiali earum: igitur non poterit esse assimilatiuus creaturarum secundùm esse formale, sed tantùm eminentiale earum. Minor patet. Maior probatur, quia id tantùm concursus obiectiuus proximè repræsentat, à quo accipit esse: cùm per suum esse obiectum repręsentet. Confirmatur, quia si per impossibile visio beata originaretur ab vna perfectione Diuina, & non ab alijs, vnam tantùm repręsentaret, & non alias.

381. Tertiò ex oppositā sententia, sequeretur, non posse videri Deum, non visa aliqua creatura in Deo. Consequens est contra ipsosmet aduersarios, fatentes posse videri Deum, nulla visa creatura in Deo. Sequelam probo, quoniam impossibile est, videri Deum, non visa eius omnipotentia: atqui implicat per aduersarios, videri causam vt causam, non viso aliquo effectu in causa: igitur implicat, videri omnipotentiam, non viso aliquo effectu omnipotentiæ. Consequentia claret, quoniam Deus est causa creaturarum per suam omnipotentiam. Maior probatur, quia implicat videri Deum, non visa omni intrinseca perfectione Dei: sed omnipotentia est perfectio intrinseca Dei: ergo implicat videri Deum, non visa eius omnipotentia.

382. Respondent, implicare videri omnipotentiam Dei, non visis creaturis abstractiuè sub ratione entis possibilis, non autem intuitiuè & distinctè sub ratione talis, vel talis entis, quia ad hoc non sufficit quæuis cognitio causæ, sed requiritur notitia sub certa quadam intensione, quâ penetretur causa cum connexione ad talem effectum: sicut quæuis cognitio principij sufficit ad cognoscendum confusè conclusiones ex eo de-

ducibiles: ad distinctè verò cognoscendam hanc, vel illam conclusionem requiritur cognitio sub certa aliqua intensione.

383. Sed contrà, nam si eadem est intelligibilis motio ad cognoscendam causam & effectum in causa, implicat Deum mouere intellectum beatorum ad intuitiuam notitiam sui, vt causæ creaturarum, & simul non mouere ad intuitiuam notitiam creaturarum, vt effectuum in causa. Quemadmodum quia vna & eadem est indiuisibilis motio, qua Deus intellectum beati mouet ad intuitiuam cognitionem suæ essentiæ, & personarum simul, implicat mouere illum ad visionem suæ essentiæ, quin simul etiam moueat ad visionem personarum: cùm non minùs per aduersarios intelligibilis motio essentiæ, vt causæ creaturarum habeat necessariam connexionem cum creaturis, tanquam cum effectibus, quàm intelligibilis motio eiusdem essentiæ necessariam connexionem habeat cum personis, tanquam cum proprijs terminis, & suppositis. Cuius ratio est, quia quando intelligibilis motio tendit indiuisibiliter ad vtrumque obiectum, ita vt vna non sit separabilis ab alia, tunc eâdem omninò cognitione, qua cognoscitur vnum, cognoscitur & alterum; alioqui si vnum cognosci possit intuitiuè, aliud abstractiuè, motio, quæ esset ad vnum, non esset formaliter ad aliud: cùm implicet, vt vna & eadem sit indiuisibilis motio ad vtrumque, & tamen ad vnum tendat intuitiuè, ad alterum verò abstractiuè: cùm notitia intuitiua, & abstractiua differant penes proprium, & improprium concursum obiectiuum: implicat autem, vt vnus & idem sit concursus obiectiuus causæ, & effectus, & tamen respectu causæ sit intuitiuus, respectu verò effectus abstractiuus: nam hoc ipso ille idem concursus obiectiuus, qui esset ad causam, non esset ad effectum.

384. Neque illa maior intensio, quam aduersarij requirunt ad penetrandâ perfectiùs causam, ad hoc vt in illa videatur intuitiuè effectus, ipsorum intentũ probat; tum quia per illam maiorem intensionem non cognoscitur aliqua maior cõnexio causę cum effectu, quæ non cognoscebatur antea per remissiorem cognitionem; cùm quidquid se teneat ex parte obiecti, totũ cognoscatur per quamcumq; remississimam cognitionẽ: sed tantùm addat intensiorem modum cognoscendi ex parte potentiæ. Tum quia ea ipsa cognitio, quę sufficit ad cognoscendam essentiam Diuinam vt causam sufficiet ad cognoscendas creaturas, vt effectus in ea eminenter contẽtos. Nam si eadẽ est indiuisibilis motio ad causam & effectum in causa contentum, eadem illa motio quæ sufficit ad cognoscendam causam vt causam, erit sufficiens ad cognoscendum effectum in tali causa contentum. Neque exemplum adductum de principio in ordine ad conclusiones, quidquam probat: nam ideò non quæuis cognitio principij sufficit ad cognoscendam quamlibet cõclusionem ex eo deducibilem, quia non per quamcunque cognitionem cognoscitur omnis cõnexio, quam principium habet ad suas conclusiones, quia illud non cognoscitur intuitiuè, & per propriam speciem, sicut cognoscitur Diuina essentia, vt causa creaturarum à beatis.

385. Posterior verò pars affirmatiua sentẽtię, nempè creaturas videri in Verbo, vt in causa radicaliter & remotè visa, eâdem tamen visione, qua videtur Verbum ipsum, licet non eadẽ indiuisibili motione, sed diuersa virtualiter, qua Verbũ ipsum videtur, probatur hoc modo. Quælibet res postulat videri sicuti est, cùm omnis visio eò tendat, vt rem repręsentet sicuti est in se: sed Deus vt causa eminentialis creaturarum essentialem connexionem habet cum creaturis, tanquam cum terminis suę omnipotentiæ: ergo non solùm postulat videri secundùm suum esse eminentiale intrinsecum causæ, sed etiam secundũ esse formale extrinsecum effectuum: nam etiam hoc esse aliquo modo pertinet ad esse Diuinũ, saltem vt terminus extrinsecus ipsius omnipotentiæ. Ergo vt perfectiùs videatur ipsum esse eminentiale Diuinę omnipotentiæ, etsi nõ essentialiter, saltem connaturaliter postulat videri cum effectibus, tanquã cum suis extrinsecis terminis. Videntur autẽ huiusmodi effectus eadem visione, qua Verbum, quia potest Deus tali concursu obiectiuo determinare intellectũ beati ad visionem glorioſam, vt simul illũ moueat ad visionẽ sui, & creaturarũ; atque adeò verè & propriè illę dicantur videri in Verbo, vt in obiecto, non quidẽ proximè, sed radicaliter viso; siquidem ipsum Verbum Diuinum, visibile vt causa, connaturaliter postulat simul videri cum suis effectibus, propter connexionem, quam habet ad illos.

386. Quare dici possunt creaturæ videri in Verbo, vt in obiecto intelligibili mouẽte, & supplente concursum obiectiuum earum; siue in obiecto primariè cognito: cùm enim Deus, sicut in sua entitate, ita & in sua intelligibilitate eminenter contineat esse creaturarum, mouendo intellectum beati per suam intelligibilitatem ad visionem suæ essentiæ, per eandem simul, non quidem necessariò, sed liberè ad exigentiam tamen obiecti primarij, mouet ad visionem creaturarum, atque adeò verè ipsæ creaturæ dicentur videri in Verbo, vt in obiecto intelligibili mouente & supplẽte obiectiuum cõcursum ipsarum. Iuxta hanc sententiam conciliari potest vtraque prędcedens opinio, & multi ex citatis auctoribus, vt prior tantùm affirmet de visione creaturarum in verbo radicaliter: posterior solùm neget de visione earundem in verbo proximè.

387. Ex dictis deducitur 1. quo pacto in hac nostra sententia, Deus sit speculum volũtarium creaturarum respectu intellectus beatorum: quia nimirum manifestando illis suam essentiam, non necessariò, sed liberè manifestat simul cum sua essentia creaturas.

388. 2. Qua ratione etiam in nostra sententia creaturæ videantur in Deo, tanquam

effectus

effectus in causa; nec tantùm vt in medio causali, sed etiam intelligendi formali, iuxta PP. axioma. Saluatur primum. Quia verè creaturę per visionem beatam videntur connexę cum Deo, tanquam effectus cùm sua causa; licet non proximè ex vi visionis ipsius Dei, sed radicaliter, modo suprà explicato. Saluatur secundum, quia ad hoc, vt vnum sit mediũ formale, & non tantùm causale videndi aliud, nõ est necesse, vt visum sit medium videndi in se ipso aliud; nã neque hoc modo videntur per aduersarios creaturæ in Deo; alioqui deberẽt creaturę formaliter existere in Deo, vt Deus visus esset medium in se ipso videndi creaturas: quia hoc non solùm importat medium mouendi, sed etiam terminãdi visionem creaturarum, vt autem Deus sit medium obiectiuè terminandi visionem creaturarum in se ipso, oporteret continere formaliter creaturas in se ipso: sed sufficit, vt vnum dicatur medium formale videndi aliud, vt propter connexionem in ratione intelligibilitatis, fundatam in entitate cum illo, sit medium mouendi potentiam eâdem quidem visione, licet non eâdem indiuisibili motione, ad visionem sui, & alterius simul; quia cùm nõ possit esse medium terminandi, vt probatũ est, alioqui deberet illud formaliter cõtinere, relinquitur, vt sit medium mouendi: cùm nullum aliud medium intelligibile, in quo aliud videatur, assignari possit, nisi aut terminatiuum, aut motiuum. Quod iterum subdiuiditur in proximum, & radicale: sed neque proximum est absolutè necessarium ad talem modũ loquendi saluandum, quia hic rectè saluari potest, si moueat eâdem visione ad notitiam sui & alterius à se, propter connexionem in eâdem intelligibilitate: nam hanc connexionem in ratione intelligibilitatis formaliter importat medium intelligendi: sicut medium terminandi importat connexionem in ratione formalis entitatis. Vnde obiectum, quod non habet connexionem cum formali entitate alterius, non potest esse medium formale terminandi notitiam alterius.

*Saluatur in hac sententia Patrum axioma.*

389. Cęterùm vt sit medium formale intelligibiliter mouendi potentiam ad aliud cognoscendum, non est necesse, vt in ratione intelligibilitatis conueniat formaliter cum intelligibilitate alterius, sed sat est, si conueniat eminenter. Cuius ratio est, quia intelligibilitas non concurrit formaliter, sed effectiuè ad mouendam potentiam: contrà verò terminabilitas obiectiua, non effectiuè, sed formaliter concurrit ad notitiam terminandam. Quo fit, vt medium formale obiectiuum terminandi aliud, debeat formaliter continere illud; medium verò formale obiectiuum mouendi intelligibiliter ad cognoscendum aliud, non debeat continere formaliter, sed sufficit, si contineat illud tantùm eminenter. Cæterùm dicitur vnum medium formale obiectiuum videndi aliud, quatenus intelligibiliter mouet ad cognitionem illius, propter formalem connexionem in eadem ratione formali intelligibilitatis cum illo.

390. Concludo igitur, Deum non esse medium formale videndi creaturas subiectiuum respectu intellectus beati; hoc enim præstat visio ipsa beata, qua tanquam medio formali quo tendit ad videndum Deum in se ipso existentem; sed obiectiuum, non terminatiuum; nam hoc requirit formalem continentiam creaturarum, sed motiuum, non proximum; quia Deus mouendo intelligibiliter intellectus beatorum ad visionem sui, non necessariò mouet ad visionem creaturarum, sed radicale & remotum; quia licet non necessariò, & essentialiter, tamen liberè & connaturaliter, ad exigentiam obiecti primarij, simul mouet ad visionem creaturarum. Ex quo etiam patet, Deum esse obiectum primarium visionis beatæ, creaturas verò obiectum secundarium, quoniam ad visionem sui mouet principaliter, priùs ratione, & independenter à creaturis; ad visionem verò creaturarum minùs principaliter, posteriùs ratione, & dependenter à primario.

391. *Dices*, ideo beatus videt creaturas in suo verbo creato, quia in eo intentionaliter exprimuntur: at non minùs illæ intentionaliter exprimuntur in ipso verbo increato; ergo si eas videt in suo verbo, quia in eo intentionaliter exprimuntur, eas etiam videbit in verbo increato, in quo etiam intentionaliter exprimuntur. Respond. Distinguendo maiorem, ideò beatus videt creaturas in suo verbo præcisè, quia in eo intentionaliter exprimuntur, nego; quia in eo exprimuntur, tanquam in imagine propria, & à se vitaliter producta, concedo. Vnde ad minorem, concedo in Deo exprimi intentionaliter omnes creaturas, sed non tanquam in imagine propria, & vitali ipsius beati, sed tantùm Dei. Imago autem vitalis non exprimit imaginatum, nisi potentiæ, cuius est propria & vitalis imago. Quia igitur cognitio Diuina est propria, & vitalis imago solius intellectus increati, illi tantùm, & non intellectui creato suum imaginatum exprimit, & obiectiuè repræsentat.

392. Ad primum argumentum oppositæ sententiæ ab auctoritate S. Thomę ductum Resp. illum explicandum esse de causa remota & radicali. Neque exemplum de principio est ad rem, vt patet ex paulò ante dictis: affertur autem à S. Thoma solùm ad probandum, quòd sicut ex perfectiore cognitione principij, noua cognoscitur conclusio: ita ex perfectiore cognitione Dei noua videtur creatura; an autem proximè, an verò remotè, non definit. Cùm autẽ excludit species creaturarum à visione beatifica, excludit proprias & formales, nõ eminentiales & causales, quę est ipsa Diuina essentia, quæ non solùm est causa eminentialis creaturarum, sed etiam virtualis species & intelligibilis similitudo earum, quatenus supplere potest in mentibus beatorum obiectiuum concursum earum: in quo sensu verum est, quod ipse docet quæst. 8. de ver. per eandem speciem videri Diuinam essentiam, & creaturas,

*S. Thomas.*

nam eadem Diuina essentia est species sui, & creaturarum, virtualiter tantùm diuersa. Et in hoc etiam sensu Diuina essentia assimilatur imagini, quæ cognita mouet in cognitionem imaginati, essentialiter quidem abstractiuè, connaturaliter tantùm intuitiuè.

393. Ad secundum negandum est, Deum proximè creaturas cognoscere in se ipso, vt in causa, sed vt in specie expressa earum; quo pacto illas distinctè & dearticulatè repræsentat quoad omnes proprietates, & singulares naturas earum. Et ad vtramq; probationē concedo, Deum cognoscere creaturas, vt essentialiter connexas cum sua omnipotentia, tamquam effectus cum sua causa, atq; adeo de illis habere scientiam per causam: nego tamen, hanc scientiam proximè habere per suam essentiam, vt causam, sed vt speciem expressam & intelligibilem similitudinem earum.

394. Ad tertium concedo antecedens de cognitione abstractiua, nego de intuitiua: nō enim intuitiua cognitio causæ æquiuocæ necessariò infert intuitiuam cognitionem effectus, cùm nec effectus æquiuocus formaliter contineatur in causa, nec ipsa intuitiua cognitio causæ sit ipsa intuitiua cognitio effectus, alioqui omnis intuitiua cognitio causę esset intuitiua cognitio effectus, quod falsum est, etiam per aduersarios concedentes, posse beatos videre omnipotentiam Dei, nulla creatura in particulari, & intuitiuè visa, sed tantùm in communi, & abstractiuè. Ad probationem verò antecedentis, concessa maiore, & minore propositione, neganda est consequentia; nam ex eo, quòd visa re in se ipsa, debeat videri eius connexio, vel ordo intrinsecus ad terminum, non sequitur, quòd intuitiuè etiam debeat videri eius extrinsecus terminus, cùm sit distincta cognitio intuitiua vnius, & alterius: proinde poterit esse intuitiua cognitio vnius & non alterius.

395. Ad quartum nego, angelum per eandem speciem essentiæ formaliter videre naturam & proprietates, sed per eandem vt virtute continentem species proprietatum. Pari modo beati per eandem quidem speciem essentiæ Diuinæ vident creaturas, sed vt virtute continentem species creaturarum.

396. Ad quintum neganda est minor, intellecta de ratione formali cognoscendi proxima; concedenda de ratione formali cognoscendi remota & radicali: iuxta quam distinctionem intelligenda est probatio minoris, cum sua confirmatione, si sermo sit de cognitione intuitiua, secus si de abstractiua: nam abstractiuè tam effectus in causa, quàm conclusio in principio proximè cognoscitur, cùm nulla cognitio causę abstrahere possit ab abstractiua cognitione effectus; cùm ipsa cognitio causæ, vt causæ, sit etiam abstractiua cognitio effectus.

397. Ad sextum, quo probatur, creaturas videri à beatis in essentia Diuina, tanquam ideata in idea, eodem modo negandum est, eas videri in Diuinis ideis proximè & immediatè, sed tantùm remotè & mediatè. Etenim cùm Diuinæ ideæ non repręsentent proximè & immediatè ideata, nisi intellectui, cuius sunt propriæ ideę, cùm non sint repræsentatiuæ ideatorum, nisi per modum vitalium imaginum, vitales autem imagines non repræsentant proximè imaginata, nisi intellectui, cuius sunt vitales imagines, non possunt beatis esse proxima media videndi creaturas, cùm nequeant esse vitales imagines ipsorum: sunt autem ijs saltem media remota videndi creaturas, non quidem motiua, quia ideæ non mouent intelligibiliter alienum intellectum ad cognitionē sui, cùm sint ipsę actuales cognitiones rerum, quarum adęquatum munus est, determinare formaliter proprium intellectum ad vitalem perceptionem obiectorum; sed terminatiua; non proxima & immediata; quia in illis non continētur formaliter creaturæ, secundùm esse reale & naturale ipsarum, sed solùm secundùm esse intelligibile & intentionale, quod est contineri secundùm aliud esse, quàm ipsæ habeant in se; sed sunt tantùm media terminatiua remota, quatenus intellectus beati proximè determinatus per visionem beatā ad ipsas ideas Diuinas & creaturas cognoscendas, simul cognoscit intuitiuè ideas & ideata; quod est illa tantum cognoscere concomitanter in ratione mouēdi, licet cum aliqua connexione in ratione terminandi. Iuxta hanc responsionem intelligenda est auctoritas August. & ratio adducta. Etenim licet ideæ distinctæ exprimant ideata, hoc tamen non præstant, nisi intellectui, cuius sunt propriæ ideæ; quia non exprimunt illa per proprium esse naturale eorum, sed per esse intentionale, diuersum ab esse naturali ipsorum. Vnde alienum intellectum non terminant, nisi secundùm esse intentionale subiectiuum, non secundùm esse naturale ideatorum, quod tantùm obiectiuè exprimunt proprio intellectui, cui tantùm comparantur vt vitales imagines, quę præter sui, imaginatorum etiam esse repræsentant, & exprimunt. *August. inn.*

## SECTIO XXII.

### *An omnes creaturæ in Deo videri possint?*

399. PRIMA sententia affirmat, omnes creaturas tam possibiles, quàm existentes actu videri in Deo ab anima Christi, non tamen eâdem claritate, qua Deus ipse videt. est Magistri in 3. dist. 14. Hugonis de Sancto Victore tom. 3. de Sapientia Christi, Altisiodorensis lib. 3. tract. 1. c. 5. Alens. 3. p. q. 13. memb. vltimo. Alberti in 3. dist. 14. art. 1. Bacconi q. 2. a. 4. §. 2. Granadi tom. 1. tract. 6. disp. 1. sec. 6. vbi affirmat de facto infinita possibilia videri ab anima Christi. *Magister. Hugo de S. Vict. Altisiodorē Alensis. Albert. Baconus. Granadus.*

400. SECVNDA Sententia affirmat, videri

omnia

omnia non actu, sed habitu; idque de facto concedit animę Christi, quę videns Verbum, in eo tanquam in speculo successiuè videre potest quidquid videt Verbum ipsum, semper tamen actu finita: est Bonauent. in 3. dist. 14. q. 3. a. 2. Scoti q. 2. §. *sed si ista.* Aureoli q. 1. in fine. Gab. q. vnica art. 1. concl. 3. Marsilij q. 10. art. 2. p. 2. concl. 3. Palatij disp. 1. Rubionis q. 2 qui etiam concedit, animam Christi actu cognoscere posse infinita. Fundamentum vtriusque Sententiæ est, quoniam ad Coloss. 2. *in Christo sunt omnes thesauri Sapientiæ & Scientiæ absconditi:* non essent autem in Christo omnes thesauri sapientię & scientiæ, si ei communicata non esset omnis scientia Dei. Et Ioan. 3. Non est Christo datus spiritus ad mensuram; ergo nec scientia. Quòd autem semper videat actu finita patet, quia virtus finita, qualis est potentia intellectiua animę Christi, non potest se extendere ad infinita actu.

*Bonauētura Scotus. Aureolus. Gabriel. Marsilius. Palatius. Rubio.*

*ad Coloss. 2*

*Ioan. 3.*

401. Tertia Sententia est Durandi in 3. dist. 14. q. 2. & in 4 dist. 49. q. 3. nu. 15. asserentis, à quouis beato necessariò videri omnes creaturas possibiles, non autem existentes. Fundamentum ipsius est, quia diuina essentia est naturalis causa omnium creaturarum quoad earum quidditates & essentias, non autem quoad existentias: ergo ea visa necessariò videntur omnes creaturæ quoad earum quidditates. Antecedens constat, quoniam Deus est causa creaturarum, quoad earum essentias per suam omnipotentiam; est autem earum causa quoad existentias per voluntatem; nam sicut potentia respicit producibile, ita actio productum: sed non est in Dei libertate habere, vel non habere potentiam: est autem in Dei libertate habere, vel non habere actionem: igitur videns Deum, necessariò videt quidquid est ab ipso naturaliter producibile, non autem quidquid est liberè productum. Consequentia probatur, quia qui videt causam necessariò videt vim productiuam causæ; hæc autem distinctè videri non potest, non viso distinctè eius termino: atqui terminus diuinę omnipotentiæ est omne producibile: igitur visa Dei omnipotentia, necessariò videntur omnes creaturæ quoad earum quidditatem & possibilitatem.

*Durandus.*

402. Quarta Sententia docet, à nullo intellectu creato videri posse omnes creaturas possibiles, posse tamen omnes futuras. Est S. Thomæ 3. p. qu. 10. art. 2. & 3. contra Gent. c. 56. & quæst. 8. de verit. art. 4. Caiet. ibidem Ferr. 3. contra Gent. ca. 60. Paludan. in 3. dist. 14. q. 1. in fine, Capr. q. 2. art. 1. & in 4. disp. 49. q. 6. art. 1 Soti q. 3. a. 3. conclus. 1. Argentinæ in 3. dist. 14. q. 1: art. 3. & in 4. dist. 49. qu. 1. artic. 4. Gonsalez in prima parte q. 12. disputat. 21. num. 21. & omnium Thomistarum, tum 1. p. tum 3. p. quæstione decima, articulo secundo. Fundamentum prioris assertionis est, quoniam cognitio omnium possibilium in Verbo necessariò infert comprehensionem verbi: implicat autem, verbum comprehendi: igitur & omnes creaturas videri in verbo. Fundamentum posterioris assertionis est, quoniam cognitio futurorum nullam secum affert repugnantiam; nam licet sint infinita, omnia tamen continentur intra principium finitum, nempe intra ipsam potentiam intellectiuam & volitiuam creaturæ, à qua successiuè eliciendę sunt infinitę cogitationes & volitiones per totam æternitatem: vnde qui tales potentias comprehendit, comprehendit omnes actus, quos illę sunt eliciturę: ad cōprehendendas autem huiusmodi potentias sufficit lumen, & cognitio finita; ergo & ad comprehendendos earum actus.

*S. Thomas. Caietanus. Paludanus. Capreolus. Soto. Argentinas. Gonzalez.*

403. Qvinta Sententia est Richardi in 3. distinct. 14. articulo secundo, quęstione tertia negantis, ab vllo intellectu creato actu videri posse omnes creaturas siue possibiles, siue futuras: quæ quoad actualem cognitionem asseritur etiam ab auctoribus secundæ sententiæ, pręter Rubionem. Fundamentum est idem, quod secundę sententię, nempe nullam potentiam finitam posse se extendere ad actu infinita, siue illa sint infinita possibilia, siue futura. His sententijs recitatis,

*Richardus.*

*Rubio.*

404. Dico Primo. Implicat, actu videri omnes Creaturas possibiles in verbo. Probatur primò nequeunt videri actu omnes creaturæ possibiles in verbo, nisi cognitione actu infinita: implicat cognitio creata actu infinita: ergo & visio omnium creaturarum possibilium in verbo. Minorem suppono ex Philosophia, ex qua suppono omne infinitum creatum categorematicum implicare. Maiorem probo; nam intuitiua cognitio omnium possibilium distinctè exprimeret in se ipsa naturas infinitas perfectiores & perfectiores absque vllo termino: ergo esset infinita. Antecedens patet, quia creaturæ possibiles sunt infinitæ, non solùm quoad numericam distinctionem, sed etiam quo ad specificam perfectionem.

405. Nec refert, quòd sint tantùm infinitæ syncategorematicè; nam sicut rectè arguimus ex effectibus syncategorematicè infinitis potentiam categorematicè infinitam: ita ex obiectis syncategorematicè infinitis, cognitionem categorematicè infinitam: quia sicut nequit potentia finita producere effectus syncategorematicè infinitos; ita nec cognitio finita exprimere obiecta syncategorematicè infinita. Consequentiam verò probo, quia talis cognitio haberet in esse intentionali, quidquid haberet obiectum ipsum in esse possibili: atqui obiectum in esse possibili habet perfectionem infinitam; ergo & cognitio in esse intentionali. Maior probatur, quia cùm ea cognitio substituatur loco obiecti non existentis; (possibilia enim secundùm esse creatum, quod possūt participare, non existunt neque in se, vt per se patet, neque in Deo, in quo tantùm continentur eminentialiter secundùm esse increatum Dei) deberet intentio-

tentionaliter exprimere totam perfectionem obiecti, alioqui non posset intellectus obiectum distinctè & intuitiuè cognoscere, quia nequit intellectus obiectum distinctè & intuitiuè cognoscere, nisi illud habeat intimè præsens, vel in esse reali, vel in esse intentionali: cùm autem possibilia non sint intellectui præsentia secundùm esse reale, sieri debent præsentia secundum esse intentionale.

406. Neque ex eo, quod hoc esse infinitum cognitionis sit intentionale non arguit infinitam perfectionem in ipsa cognitione: nam hoc esse intentionale est reale ipsi cognitioni, non minùs quàm quodlibet esse est reale rei cuius est esse, solùm enim dicitur intentionale, quia substituitur loco rei, secundùm aliud esse, secundùm quod aptum est terminare intentionem potentiæ. Quo fit, vt qua proportione crescit obiectum repræsentabile in esse reali, crescere debeat cognitio repræsentatiua in esse intentionali, velut si obiectum crescit infinitè in esse reali, infinitè crescat oportet cognitio in esse intentionali; eò quòd esse reale obiecti exprimi debeat per esse intentionale cognitionis. Non est autem necesse, vt crescat in eadem perfectione cum obiecto, nam sæpè obiectum repræsentatum est substantia, cognitio verò repræsentans; accidens; sed sat est, vt crescat proportionaliter in suo genere: Sicut crescente producibili crescit productiuum, vtrumque in suo ordine. Nec dici potest, ea omnia exprimi sub vnica ratione entis, sub qua omnia possibilia sunt finita: nam debent exprimi distinctè & dearticulatè singula iuxta propriàs naturas ac notas, quo pacto sunt infinita.

407. Nec eadem est ratio de cognitione, qua videmus Deum; quia hæc non est ratio, in qua exprimitur essentia Dei, sed tantùm, quâ vitaliter tendimus ad ipsum Deum in se ipso extra nostrum intellectum existentem: vnde non debet esse infinita, quia non debet exprimere obiectum infinitum in se, sed tantùm ducere intellectum ad obiectum infinitum in se ipso existens.

Atque hæc ratio non solùm probat, implicare cognitionem omnium possibilium in Verbo, sed etiam extra Verbum: Nam hęc ratio implicantiam concludit ex infinitate cognitionis simpliciter, quę sequitur ex intuitiua notitia omnium possibilium siue in, siue extra verbum.

408. Secundò probatur assertio, nam ex cognitione omnium possibilium cum proportionali penetratione causæ sequitur comprehensio diuinæ essentiæ: implicat autem comprehensio diuinæ essentiæ: igitur implicat cognitio omnium possibilium in Verbo cum proportionali penetratione causæ. Minorem suppono ex infra probandis: Maiorem ostendo, tum à posteriori, nam ex cognitione infinita extensiuè omnium possibilium cum proportionali penetratione causæ sequitur cognitio infinita intensiuè ipsius causæ: Sed cognitio infinita intensiuè causæ creaturarum possibilium, est ipsa comprehensio Dei. ergo. Minor supponit dari non posse perfectiorem cognitionem infinitâ quoad intensionem, cùm infinita intensio claudat in se omnem cognitionis claritatem: atque adeò, si ex cognitione omnium possibilium in Verbo sequitur cognitio Verbi infinita quoad claritatem, sequitur comprehensio ipsius Verbi. Maiorem probo, nam quodlibet possibile visum in Verbo intendit determinatè visionem Verbi: ergo omnia possibilia visa in Verbo intendunt infinitè visionem Verbi. Consequentia elucet, quoniam possibilia sunt absque termino infinita, & calculatio fit in gradibus eiusdem rationis, cùm respectu obiecti primarij dari non possint visiones diuersæ rationis, eò quòd omnes specificentur ab eodem obiecto, & modo tendendi perfectissimo, per modum actus puri in se ipso immediatè visibilis. Antecedens probatur, quia sicut quodlibet possibile est determinatæ naturæ, & perfectionis essentialis, ita postulat determinatum gradum visionis, vt exprimatur: sed quilibet gradus visionis obiecti secundarij repræsentat intensiùs & clariùs obiectum primarium, quia videtur cum connexione ad primarium, tanquam effectus ad causam. Ergo,

409. Tum à priori hoc pacto. Cognito toto producibili cum adæquata connexione ad suum productiuum, comprehenditur productiuum: ergo cognitis omnibus possibilibus cum adæquata connexione ad omnipotentiam Dei, comprehenditur ipsa omnipotentia Dei: sed implicat, comprehendi omnipotentiam Dei, non comprehensa tota substantia: ergo ex cognitione omnium possibilium in verbo sequitur adęquata comprehensio verbi. Prior consequentia patet, quoniam adæquatum productiuum creaturarum possibilium est ipsa omnipotentia Dei. Antecedens probo, quia qui cognoscit totum producibile, omnemque modum producibilitatis cum adæquata connexione ad suum productiuum, cognoscit illud cum adæquata virtute, quam re ipsa supponit in causa; sed totum producibile creaturarum, cum omni modo producibilitatis earum supponit in Deo actum purum infinitum in omni genere perfectionis: ergo qui distinctè cognoscit omnes creaturas possibiles in Deo, cum omni modo, quo illæ sunt producibiles, adæquatè cognoscit virtutem productiuam Dei. Maior probatur, nam sicut totum producibile adæquat totum productiuum, cùm totum esse productiuum sit ad suum producibile, ita qui cognoscit totum producibile cum adæquata connexione ad suum productiuum, cognoscit adæquatè productiuum. Minorem ostendo, nam totum esse possibile creaturarum includit omnem gradum perfectionis absque

termi-

termino ; includit enim infinitum gradum entis, substantiæ, spiritus, vitæ, sapientiæ, potentiæ, bonitatis, iustitiæ, reliquarumque perfectionum, & præterea ex modo, quo hęc omnia sunt à Deo producibilia per creationem, supponunt in Deo perfectionem actus puri: igitur totum producibile creaturarum cum omni modo producibilitatis supponit in Deo actum purum infinitum in omni genere perfectionis. Antecedens constat, consequentia probatur, quia omnes gradus producibiles supponi debent in productiuo: ergo si omnes gradus perfectionis sunt producibiles absque termino, omnes supponi debent actu infiniti, & per modum actus puri in Deo producente.

410. Nec recurri potest ad virtutem altioris ordinis, quę finita producere posset infinita inferioris ordinis: nam tunc recurri potest, quando tota perfectio effectus producibilis contineri potest eminenter in causa: at non tota perfectio creaturarum possibilium contineri potest eminenter in Deo, nam perfectio substantiæ, spiritus, vitæ intellectiuæ, & cætera eiusmodi nequeunt in Deo contineri eminenter, sed formaliter, eò quòd non datur perfectior modus continendi has perfectiones, quàm formaliter.

411. Quòd autem comprehensa omnipotentia Dei, comprehendatur tota substantia Dei, sic demõstro, primò, quia impossibile est, comprehẽdi vnũ attributum in Deo, quin totus Deus cõprehendatur: ergo impossibile est, comprehendi omnipotentiam Dei, quin totus Deus comprehendatur. Antecedens probo, quia sicut implicat, cognoscere vnum attributum, quin totus Deus cognoscatur, ita implicat, comprehendere vnum attributum, quin totus Deus cõprehendatur: quia sicut se habet cognitio vnius attributi ad cognitionem totius Deitatis, ita comprehensio vnius attributi ad comprehensionem totius deitatis. Cuius ratio est, quia implicat, cognosci vnam perfectionem in Deo, quin æquali intensione & claritate cætera cognoscantur, eò quòd nequeat intelligibilitas Dei mouere intellectum creatum ad vnam perfectionem cognoscendã, quin æqualiter moueat ad omnes. Et hoc ideò, quia intelligibilitas obiecti essentialiter fundatur in tota entitate rei. Secundò, quia tota substantia Dei non dicit maiorem perfectionem in ipso Deo, quàm dicat ipsa omnipotentia Dei: ergo qui comprehendit omnipotentiam Dei, comprehendit totam substãtiam Dei. Consequentia patet. Antecedens probo, nam ex probatis omnipotentia Dei, vt sit productiua totius entis creati possibilis, debet esse actus purus infinitus in omni genere perfectionis. Atqui nequit excogitari perfectio maior actu puro infinito in omni genere perfectionis: igitur qui comprehendit omnipotentiam Dei, de necessitate comprehendit totam substantiam Dei, cùm nulla maior perfectio cognoscenda sit in ipsa substantia Dei, quæ non sit cognita in ipsa omnipotentia Dei, visa cum adæquata connexione ad totum producibile, & ad omnem modum producibilitatis: ergo ex cognitione omnium possibilium in Verbo sequitur comprehensio omnipotentiæ, atque adeò totius substantiæ Dei.

412. Confirmatur, quia qui cognoscit vnũ creabile cum connexione ad potentiam creatiuam Dei, debet adæquatè cognoscere actũ purum, vt causam talis creabilis: ergo qui cognoscit infinita creabilia perfectiora & perfectiora cum eadem connexione ad omnipotẽtiam Dei, debet cũ omnibus possibilibus adęquatè cognoscere virtutem causatiuã omniũ possibiliũ: Sed talis cognitio est comprehensio: ergo. Antecedens patet, quia sicut qui intuetur effectum in causa, debet necessariò intueri causam vt principium talis effectus: ita qui comprehendit effectum in causa, debet comprehendere causam, vt principium talis effectus; hoc est debet cognoscere illam intensione & claritate exigita ab ipsa causa, vt principio talis effectus. Consequentia verò probatur, quia sicut qui comprehendit vnũ effectum in causa, debet simul cum effectu comprehendere causam, vt principium talis effectus: ita qui cõprehendit infinitos effectus in causa, debet simul cũ infinitis effectibus comprehendere causam vt principiũ infinitorum effectuũ: Sed Deus non potest esse principiũ infinitorum effectuũ creabilium perfectiorũ & perfectiorum, nisi vt actus purus infinitè perfectus; quia sicut se habet creatio ad actum purum, ita infinita creabilia ad infinitatem actus puri. Ergo ex tali cognitione necessariò sequitur penetratio totius actus puri, secundùm adęquatam intelligibilitatem ipsius; atque adeo comprehensio Dei. Nam comprehensio obiecti est, quæ in claritate adæquat intelligibilitatem ipsius obiecti: illa autem cognitio adęquat in claritate intelligibilitatem obiecti, quę per connexionem ad omnes effectus, quos potest causa producere, adæquatè cognoscit illam.

413. Aliam rationem assignant alij, cur nequeant cognosci omnia possibilia: quia nimirum implicat eadẽ cognitione, qua cognoscũtur res possibiles, cognosci cognitionẽ ipsam, qua possibilia ipsa cognoscuntur; atque adeo nequeunt omnia possibilia cognosci, quia saltem nequit cognosci ipsa cognitio, quâ deberent possibilia ipsa cognosci. Antecedens probant, quia nequit id, quod est posterius ratione possibile, cognosci per id, quod est ratione prius possibile: sed posterior ratio est possibilis cognitio, quâ cognoscenda est cognitio ipsa possibilium, quam ipsamet cognitio possibilium, cùm illa sit reflexa, hęc directa: prior autem possibilis est cognitio directa, quàm reflexa: quia directa præsupponitur ad reflexã. Maior probatur, quia obiectum essentialiter supponitur ad cognitionem; prius enim possibile est obiectum, quàm possibilis sit actio, quæ circa illud versari possit.

414. Sed contrà, quia falsum est antecedẽs: ad cuius probationem, neganda est maior:

eten im

etenim licet ordine possibilitatis prior sit cognitio directa, quàm reflexa, sicut ordine existentiæ prius existit directa, quàm reflexa; ac proinde nequeat directa cognoscere reflexam existentem, quia vt illam cognosceret vt existentem, deberet ordine naturæ præsupponere illam existentem, atque adeo priùs natura existeret reflexa, quàm directa, quod implicat, cùm reflexa ordine naturæ essentialiter supponat directam, tamquam obiectum, circa quod versari debeat: tamen non repugnat, directam existentem cognoscere reflexam vt possibilem: quia vt sic reflexa præsupponitur ad directam existentem. Vnde posset intellectus creatus comprehendendo ac penetrando perfectè se ipsum, cognoscere nõ solùm propriam substantiam, & intellectum iam existentes, sed etiam infinitas cognitiones reflexas possibiles, quas posset successiuè elicere, si aliunde non implicaret: ergo ex hoc capite nõ implicat, cognosci omnia possibilia.

415. *Obijcies* primò. Deus est productiuus creaturarum per potentiam, vt virtualiter distinctam à reliquis attributis: ergo vt productiuus non includit formaliter reliquas perfectiones: igitur comprehensa omnipotentia, non debet necessariò comprehendi tota essentia, quę constituitur ex reliquis etiam attributis. Resp. primò negando antecedens, est enim Deus productiuus infinitarũ creaturarum, vt actus purus infinitus in omni genere perfectionis; ac proinde vt virtute includens omnes perfectiones: nam id totum formaliter & virtualiter dicit productiuum, quod essentialiter supponit producibile; nam omne, quod supponit producibile, formaliter & explicitè, requiritur in productiuo: sed totum ens creatum producibile essentialiter supponit actum purum infinitum in omni genere perfectionis; dicitur autem potentia Dei attributum virtute distinctum à reliquis, non quatenus est conceptibilis, vt cõtentiua omnium possibilium, sed quatenus est ratio proximè exequens suos effectus; sic enim omnes perfectiones diuinæ, necessariæ ad productionem totius entis possibilis, concipiuntur sub vnica ratione formali potentiæ executricis. Ex cognitione autem intuitiua creaturarum in Verbo non solùm cognoscitur potentia Dei, vt formaliter executiua, sed etiam vt virtualiter contentiua earundem; est autem virtualiter contentiua creaturarum, vt actus purus infinitus in omni genere perfectionis.

416. Secundò distinguendum est primum consequens: non includit omnipotentia reliquas perfectiones formaliter, nego; nõ includit virtualiter, concedo. Ad comprehendenda autem reliqua attributa simul cũ ipsa omnipotentia Dei in se ipsa comprehensa, sufficit si illa includantur in omnipotentia Dei formaliter, etiamsi non includantur virtualiter. Ratio est, quia sicut virtualis distinctio vnius attributi ab alio non impedit, quo minùs, si intuitiuè cognoscatur vnum, intuitiuè etiam cognoscatur alterum; ita nec impediet, quo minùs si comprehendatur vnum, comprehendatur & alterum. Cuius ratio est, quia virtualis distinctio solùm impedit explicitam cognitionem alterius in ordine ad cognitionem abstractiuã, non autẽ in ordine ad cognitionem intuitiuam, quæ ad rem fertur, prout est in se.

417. *Obijcies* secundò, per cognitionem omnium possibilium in Verbo nõ videretur perfectiùs Deus, quàm de facto videatur, à quolibet beato, cùm nulla maior perfectio videretur in Deo per cognitionem omnium possibilium, quæ de facto à quolibet beato non videatur; sed de facto à nullo beato comprehenditur: ergo nec per cognitionem omnium possibilium comprehenderetur. Resp. Distinguendo Maiorẽ: non videretur Deus perfectiùs ex parte obiecti, concedo: non videretur perfectiùs ex parte modi cognoscendi, nego: Nam hoc ipso, quod penetraretur vt causa omnium possibilũ, videretur ea claritate & intentione, quã exigit obiectum ipsum: quia verò comprehensio non consistit tantùm in cognitione extensiua omnium perfectionũ, quæ sunt in obiecto, sed etiã in cognitione intensiua, & in claritate adæquata intelligibilitati ipsius obiecti, ideò talis cognitio esset comprehensio, esto nullam nouam perfectionem manifestaret ex parte obiecti.

418. *Obijcies* tertiò. Adhuc Deus visus in ordine ad omnes creaturas possibiles, est perfectiùs visibilis in se ipso: ergo visio omnium possibilium in Verbo non infert formaliter comprehensionem Dei. Consequentia constat, quia comprehensio est adæquata cognitio obiecti, qua maior ab obiecto exigi non possit. Antecedens probo, quia sicut Deus productione omnium possibilium non adæquatur in esse; ita neque visione eorumdem adæquatur in cognosci. Respond. Nego antecedens: & ad probationem concedo, possibilia secundùm esse, quod dicunt in se, non adæquare ipsum esse Dei; quia illud est creatum, hoc increatum; nego tamen non adæquare Deũ secundùm illud esse, quod necessariò supponunt in causa, quia vt sic inuoluunt totum esse Dei: cũ enim possibilia nullam dicant limitationẽ, neque in obiectis producibilibus; neque in modo producendi, non possunt contineri, nisi in causa, quæ sit actus purus infinitè perfectus: & quia illa cognita in Deo, necessariò cognoscuntur cum connexione ad tale esse causatiuum, repugnat cognosci omnia, & non cognosci adæquatè Deum, vt causatiuum earum.

419. *Obijcies* quartò. cognitio, quæ non sufficit ad penetrandas omnes perfectiones obiecti, non sufficiet ad comprehensionem obiecti: sed cognitio omnium possibilium in verbo non sufficit ad penetrandam potentiã generatiuam ad intra, triplicem hypostasim relatiuam, & reliquas perfectiones incommunicabiles ad extra: ergo cognitio omnium possibilium in verbo non sufficit ad comprehensionẽ Dei. Minor probatur, nam ex vi cognitionis effectus in causa, id tantùm per se

cognoscitur

cognoscitur de causa, quod effectus ipse supponit formaliter in causa, quoniam id tantùm cognoscitur de causa, quod effectus cognitus formaliter indicat de causa: sed possibilia nullã perfectionem ex supradictis per se supponunt formaliter in Deo. Confirmatur. Nã etiamsi Deus non esset productiuus ad intra, subsistens in tribus personis & incommunicabilis ad extra, adhuc esset productiuus creaturarum, quia nulla ex his perfectionibus per se requiritur ad potentiam productiuam creaturarum.

420. Respondetur. Negando minorem, quoniam per eandem perfectionem Deus est productiuus infinitarum creaturarũ ad extra, & diuinarum personarum ad intra. Est enim productiuus infinitarum creaturarũ ad extra, vt actus purus infinitus in omni genere perfectionis: sed per eandem perfectionẽ actus puri infiniti in omni genere perfectionis, est productiuus diuinarum personarum ad intra, & incõmunicabilis ad extra: igitur cognitio, quę sufficit ad comprehendendum Deũ, vt productiuum infinitarum creaturarũ ad extra, erit sufficiẽs ad comprehendendum eundẽ, vt productiuum ad intra, & incommunicabilem ad extra. Cõsequentia cõstat, quia si perfectio est eadẽ formaliter, nec est maior in ordine ad vnum terminum, quàm in ordine ad alium, eadem claritas & intensio cognitionis, quę sufficit ad comprehendendam illam in ordine ad vnum, sufficiet ad comprehendendam eãdem in ordine ad alium. Antecedens probo, nam Deus est productiuus infinitarum creaturarum ad extra, vt actus purus illimitatus in gradu substantiæ, vitæ intellectiuæ, sapientiæ &c. Sed vt illimitatus in eodem gradu substantiæ, vitæ intellectiuę, sapientiæ &c. Est productiuus ad intra, & incommunicabilis ad extra, cùm nequeat alia maior perfectio, quàm hæc excogitari: ergò.

421. Ad probationem minoris, neganda est Minor: etenim quemadmodum omnia possibilia per se & formaliter supponunt actum purum infinitum in omni genere perfectionis absolutę; ita per se supponunt incommunicabilitatem ad extra, & potẽtiam productiuam ad intra, quæ radicatur in ipsa natura absoluta. Perfectiones verò relatiuæ, etsi per se non supponantur à potentia productiua creaturarum, tamen cognitio, quæ sufficit ad comprehendendam naturam cũ omnibus suis perfectionibus absolutis, erit sufficiens ad comprehendendas perfectiones relatiuas; tum quia hæ formaliter includuntur in illa; non potest autem in Deo comprehendendi vna perfectio, quin simul comprehendantur reliquæ in ea formaliter inclusæ. Tum quia cognitio, quæ sufficit ad comprehendendam perfectionem maiorem, sufficiet ad comprehendendam perfectionem minorem, in maiore formaliter inclusam: atqui natura cum suis perfectionibus absolutis in Deo est perfectio maior, quàm sunt ipsæ perfectiones relatiuæ: igitur cognitio, quæ sufficit ad comprehendendam naturam cum omnibus suis perfectionibus absolutis, erit sufficiens ad comprehendendas relationes, in natura diuina formaliter inclusas.

422. Ad Confirmationem, vel hypothesis supponit, in eo casu Deum non esse productiuum ad intra, & incommunicabilem ad extra defectu alicuius perfectionis absolutę, & defectu eiusdem perfectionis, neque erit productiuus infinitarum creaturarum ad extra, quia per eandem perfectionem actus puri, infiniti in omni genere perfectionis est productiuus infinitarum creaturarum ad extra, & diuinarum personarum ad intra, & incommunicabilis ad extra: si defectu perfectionis relatiuæ, adhuc tunc maneret comprehensio naturæ absolutę, quę sat esset ad comprehendendas relationes si essent. Lege Sanctum Thomam quæstione secunda, de potentia, articulo sexto, vbi docet, potentiam generatiuam ad intra, & creatiuam ad extra non differre in se, sed tantùm penes diuersos respectus ad diuersos terminos. *S Thomas.*

423. *Obijcies* quintò. Comprehensio non solùm debet exprimere omnes perfectiones obiecti, sed ea claritate & intensione, qua exigit: sed beatus videns in verbo omnia possibilia, tametsi exprimeret omnes perfectiones Dei, non tamen exprimeret ea claritate, qua exigit obiectum, nam adhuc Deus exigeret videri claritate increata, qua se ipsum intuetur. Respondetur. Negando minorem, quia cùm eas exprimeret claritate infinita, non posset eas clariùs exprimere, quia in claritate infinita clauditur omnis claritas possibilis. Ad probationem nego, Deum à se ipso videri clariore cognitione, quàm infinita. Nec ratio increati facit ad comprehensionem, nisi faciat ad maiorem claritatem; ad maiorem autem claritatem supra infinitam facere non potest, quoniam ad infinitam claritatem maior addi non potest, alioquì illa non esset infinita, vt ex Philosophia suppono.

424. *Obijcies* sextò. Cognitio comprehensiua exprimit obiectum sub omni habitudine ad terminum: sed cognitio possibilium in verbo non exprimeret Deum, nisi sub habitudine ad creaturas, non autem sub habitudine ad diuinas personas. Resp. Negando minorem, repugnat quippe Deum exprimi, vt adęquatam causam omnium creaturarum, & simul etiam non exprimi, vt adęquatum principium diuinarum personarum, & consequenter sub omni habitudine. Nam habitudo, quam Deus dicit ad increatas personas fundatur in eadem perfectione actus puri, quę adæquatè comprehenditur per cognitionem omnium possibilium in verbo, vt si quis comprehenderet virtutem equiuocam causæ in ordine ad omnes suos effectus, comprehenderet etiam vniuocam virtutem in ordine ad vniuocam communicationem sui, quia per eandem omninò virtutem causa est æquiuocè productiua omnium suorum effectuum, &

vniuocè

vniuocè communicatiua sui. Licet igitur ex cognitione omnium possibilium in verbo, formaliter tantùm sequeretur adæquata cognitio Dei, vt causæ creaturarum, per se tamen consequenter sequeretur etiam cognitio Dei, vt principij diuinarũ personarum, quia vtraque habitudo fundatur in eadem indiuisibili perfectione actus puri, infiniti in omni genere perfectionis, quæ ex cognitione omnium possibilium in verbo adæquatè cognosceretur, Adde, quòd, vt sæpe diximus, implicat, Deum in se ipso comprehendi secundùm vnam perfectionem, & non secundùm aliam; cùm vna essentialiter includatur in alia: vnde sicut non potest vna cognosci sine alia, ita nec comprehendi sine alia.

425. *Obijcies* septimò. Id tantùm penetratur de principio, quod formaliter cognoscitur ex vi termini; id autem tantùm cognoscitur ex vi termini, quod per se supponit terminus: sed possibilia per se tantùm supponunt potentiam creatiuam in Deo: igitur hæc tantùm penetratur ex vi cognitionis omnium possibilium. Confirmatur: quia id tantùm per se cognoscitur ex vi termini, sine quo ipse terminus cognosci non potest: atqui sine sola potentia creatiua cognosci nequeunt creabilia: igitur absque illa tantùm hæc cognosci non possunt. Respondetur maiorem tantùm esse veram de cognitione extra verbum, in qua id tantùm relucet de causa, quod per se manifestat effectus; quia cùm tota ratio cognoscendi principium sit effectus, non potest plus de principio cognosci, quàm effectus ipse ostendit; non autem esse veram de cognitione in verbo; in qua, quia proxima ratio cognoscendi principium non est effectus, sed cognitio ipsa principij essentialiter originata à tota entitate rei, implicat de principio intuitiuè cognoscere vnam rationem, non cognitis reliquis in eodem principio essentialiter inclusis. Eodem modo respondendum est ad Confirmat. nam creabilia solùm cognosci possunt absque alijs attributis & perfectionibus diuinis extra verbum, non autem in verbo, in quo radicalis saltem causa videndi est ipsum verbum.

426. Dico 2. Implicat etiam habitu videri omnia possibilia in verbo. Fundamentũ est, quia vel hic habitus esset ipsa visio Dei, quæ modò has, modò illas creaturas successiuè repræsentaret beato, posita tantùm noua aduertentia ex parte beati, vt sentiunt Scotus, & Rubio; vel principium aliquod, quod per modum actus primi esset proximè, & completè determinatiuum potentiæ ad intelligenda singula possibilia: vtroque modo implicat: ergo. Implicat primo modo: quoniam implicat, visionem actu informare potentiam, & non reddere illam actu videntem omnia, quæ per eam repræsentantur. Nã visio essentialiter postulat influxum potentię vitalis cùm sit actualis motio ipsius ad obiectum percipiendum: ergo implicat vt sit actualis visio omnium possibilium, & non omnia actu videri à potentia: quoniam, vt sit actualis visio omnium, essentialiter postulat vitalem motionem ipsius potentiæ ad omnia: igitur implicat, non videri omnia; cùm idem omnino sit, videre omnia, & vitaliter moueri ad omnia. Vnde falsum est intellectum per nouam aduertentiam modò hoc, modò illud obiectum videre in ipsa visione expressum; cùm nec aduertentia mutari possit, non mutata visione; nec visio conseruari sine adęquata aduertentia potentiæ, est enim aduertentia ipsamet actualis, vitalisque motio potentię ad obiectum, quam motionem essentialiter postulat visio.

427. Implicat secundo modo, quia tale principium necessariò foret infinitum, nam virtute contineret infinita obiecta, quorum species, & obiectiuum influxum suppleret. Nec recurri potest ad virtutem finitam altioris ordinis; nam hęc respectu omnium possibilium implicat, quia non datur ordo creatus, qui sit supra omnia possibilia, cùm omne creatum claudatur intra obiectum possibiliũ, extra quod non datur altior ordo, præter diuinum. Explico: nam talis ordo non excederet supernaturalem creatum: atqui hic continetur sub obiecto possibilium intra quæ continentur etiam effectus supernaturales: igitur non potest dari ordo creatus superior omnibus possibilibus: ergo nec virtus finita superioris ordinis, eminenter continens infinita ordinis inferioris.

428. Dices. Potest intellectus finitus successiuè intelligere infinita possibilia; ergo & habitus, qui sit determinatiuus ad eadem infinita successiuè intelligenda. Resp. negando consequentiam, quoniam intellectus est, potens intelligere infinita per modum causæ remotę, & vniuersalis; habitus verò per modum causæ proximæ & particularis. Quarum hoc est discrimen, quod illa non debet continere effectum, nisi tantùm sub ratione generica intelligendi, quę eadem est respectu omnium intelligibilium; hæc sub ratione specifica obiecti intelligibilis, quæ propterea continere debet specificos concursus omnium obiectorum: quæ si sint infinita, infinitam supponunt perfectionem in principio proximè determinante; quippe cùm determinare debeat ad singulas rationes specificas obiectorum, non ad aliquam tantùm communem rationem entis.

429. Dico tertiò. Implicat cognitio actu exprimens infinita indiuidua dearticulatè & distinctè siue in, siue extra verbum. Est Bonauent. Rich. Scoti, Gabrielis locis supracit. Fundamentum est, quia nequit species exprimere infinita, quin ipsa sit etiam infinita: implicat autẽ species infinita, vt ex Philosophia suppono: ergo & species actu exprimẽs infinita. Maiorem probo, quia species expressa debet actu continere in suo esse intentionali, quidquid obiectum continet in suo esse naturali: ergo si obiectum in suo esse naturali est infinitum, etiã species in suo esse intẽtionali erit infinita. Antecedens cõstat, quo-

niam

*Scotus. Rubio.*

*Bonauent. Richardus. Scotus. Gabriel.*

niam species expressa substituitur loco obiecti, vnde debet illud continere quoad totum esse; alioqui in eo, in quo illud non contineret, non exprimeret cognoscenti. Consequentia verò probatur, quoniam totum esse naturale obiecti supponitur adæquatè expressum in ipso esse intentionali speciei: igitur si illud est infinitum, etiam hoc erit infinitum.

430. Confir. Si infinita individua actu simul existerent omnia secundùm esse naturale, essent actu infinita secundùm esse naturale: ergo si actu simul existerent omnia secundùm esse intentionale, essent actu infinita secundùm esse intentionale: sed actu simul existerent omnia secundùm esse intentionale in specie expressa distinctè exprimente singula secundùm proprias notas individuales vniuscuiusque. Antecedēs patet. Consequentia probatur, quia esse intentionale speciei adæquatè responderet esse naturali obiecti.

431. *Objicies.* Hæc sententia derogat prærogatiuæ Christi: igitur non est admittenda. Antecedens probo, quia ad Christum tanquam ad Iudicem omnium, & saluatorem animarum spectat, cognoscere omnes cogitationes tam beatorum, quam damnatorum in æternum futuras, in ipso Verbo: atqui hæ sunt infinitæ, cum careant termino: ergo. Resp. negando Antecedens: ad cuius probationem, distinguendum est de cogitationibus quoad speciem, vel quoad numerum: & quidem cogitationes (idē dicito de volitionibus) quoad speciem omnes in verbo cognosci à Christo, eâdē cognitione, qua cognoscitur Deus ipse; quia omnes istę finitę sunt: cogitationes verò, volitionesq; quoad numerum vsque ad diem Iudicij extituras omnes pariter in verbo cognosci à Christo, quia omnes istæ finitę sunt, & actu iudicari debent à Christo; proinde actu omnes cognosci debēt, antequam iudicentur, vt sua cuique pœna vel præmium assignetur: reliquas autem in æternum futuras habitu tātùm simul omnes cognosci per scientiam infusam; actu verò quas & quot Christus ipse voluerit, semper tamen finitas.

432. Dico 4. Non implicat, infinita individua cognosci posse habitu. Est communis cōtra Richardum. Fundamentum est, quia habitus non infinitatur ex continentia infinitorum individuorum, sicut infinitatur actus: igitur poterit continere infinita individua. Consequentia constat, nam ratio, cur implicaret esset ipsius infinitas, quę ex continentia infinitorum individuorum sequeretur: ergo si hæc non sequitur, non est cur implicet. Antecedens probo, quoniam habitus non debet continere actus, ad quos inclinat, secundùm perfectionem numericam, sed solùm secundùm perfectionem specificam: hæc autem respectu omnium individuorum sub eadem specie contentorum est vna & eadem: ergo habitus non infinitatur ex continentia infinitorum individuorum. Maior probatur, quia habitus non debet continere actus, nisi per modum potentię proximè completæ tantùm quoad rationem specificam, vti continent reliquæ causę secundæ suos effectus ad quorum individuationem, vt ex Philosophia suppono proximè complentur per generalem concursum primæ causæ. Actus verò, quia individuā perfectionē obiecti continere debet per modum formę, ipsum formaliter constituentis, non autem per modum principij naturaliter tantùm exigentis, non poterit non infinitari ex infinita continentia infinitorum individuorum distinctè expressorum. Hinc infertur discrimen inter habitum continentem actus specificè & individualiter: nam ille continere debet specificam perfectionē actus proximè & formaliter; hic individuam perfectionē eiusdē actus remotè tantùm & in potentia. Quo fit, vt si actus infiniti proximè sub habitu contēti, sint specie diuersi, habitus ipse infinitus sit oportet: secus si actus sub habitu contenti, sint tantùm individualiter distincti.

433. Ad fundamentum primæ & secundæ sententiæ. Resp. Primum locum intelligi de sapientia & scientia increata, quæ competit Christo per communicationem idiomatum, constat ex ratione, quam Paulus subdit, *quia, inquit, in ipso inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter*: Secundum verò de Spiritu sancto dato Christo substantialiter; is enim non est datus Christo ad mensuram, sed secundùm plenitudinem Diuinitatis, inhabitantis in Christo substantialiter. *Ad Coloss. 2*

434. Ad fundamentum secundę, nego consequentiam, quoniam Deus non est causa vniuoca, sed æquiuoca creaturarum; Vnde ea visa non est ratio videndi creaturas. Ad Confirm. nego Minorem, potest enim distincte videri causa, abstractiuè tantū viso termino. Ad fundamēntum quartæ quoad posteriorem partem assertionis, quę tantùm est contra nos, patet ex dictis; Nam ipsa intentionalis infinitas, quàm necessariò aduehit cognitio ipsa distinctè exprimēs infinita individua, est sufficiens repugnantia ad illam negandam. Ad probat. esto omnes actus in æternum futuri in causa tantùm spectati sint finiti, quia tamen, vt intuitiuè videantur, debēt singuli in se in se ipsis distinctè exprimi secundùm proprias individuationes vniuscuiusque, nequeunt omnes repręsentari cognitione finita.

*Richardus*

## SECTIO XXII.

### *Quæ creaturas ex vi visionis Dei de facto videant Beati in Verbo?*

435. Hactenus disputatū est, quid de possibili à beatis videri possit in Verbo, nunc quid de facto videant ex vi visionis eiusdem Verbi. Præcipua difficultas, est de futuris, quæ pertinere dicūtur ad statum vniuscuiusque beati: sunt autem hęc omnia illa, quę connexionem aliquam habent cum ipso statu beati, vel quia immediatè pertinent ad ipsum, vtpote quorum fidem habuit in via; vel quia pertinent ad eos, quorum beatus ipse curam gessit in vita, aut qui eius implorāt auxilium.

436. Prima sententia Capreoli in quarto, Dist. 49. quæst. 6. artic. 1. in fine, Sotiquęst. 3. art. 3. concl. 10. Ferrariensis 3. contra Gentes. *Capreolus Sotus. Ferrarien.*

Caietanus. Molina. Gonsalez. Suarez.

tes c.59. §. *sed remanet.* Caiet.2.2.qu.83.art.4. *Ad secundum.* Molinæ 1.p.qu.12.ar.8.Disp.5. membr. 6 & D.6. Gonsalez Disp. 33.sect.1. Suar.lib.2.de attributis c. 28. affirmantium,à quouis beato in Verbo videri omnia futura, quę ad ipsius statum quoquo modo pertinēt: & hoc vel in ipso beatitudinis exordio, vel successu temporis, vti res ipsæ quæ ad beatos spectant, successiuè existunt, vt Ferrar. Molina,& Gonsalez D. 31.nu.20. opinatur, sine vlla tamen mutatione obiecti primarij,per solam variationem obiecti secundarij.

S. Thomas.

437. Probant primò Auctoritate S. Th. 2. 2. q.83.ar.4.ad secundum & 3.p.q.10.a.2.& q.8 de Veritate a.4.ad 12.in quorum I.docet, beatos cognoscere in verbo petitiones nostras ad eos corde,aut voce directas, in secundo omnia quæ ad ipsos pertinent;in tertio angelos in Verbo cognoscere omnia, quæ ipsorum officio committuntur.

Conc. Senonense.

438. Secundò, Auctoritate Concilij Senonensis asserentis, quidquid beatorum interest in speculo Diuinitatis illucescere. Tertiò, ratione, quia ad consumatam beatitudinem spectat, non solùm videre Deum, sed in ipso ea omnia,quæ ad statū vniuscuiusque spectāt.

Durandus. Caiet. Aureolus. Vasquez.

439. Secunda sententia est Duran. in 3. Dist.14.q.2.& in 4.Dist.49.q.3.nu.18.Caiet. 3.p.q.10.a.2.Aureoli quodlibeto 10.a.3. Vas. 1.p. D.50.c.9 & omnium,qui putāt, nullam creaturam videri eadem visione, qua videtur Verbum,negantium vllum futurum videri in Verbo formaliter, sed tantùm causaliter per distinctam cognitionē.Fundamentum Caiet. est,quia sequeretur, interdum plura futura videri ab eo, qui pauciora haberet merita, si nimirum plura ad ipsius statū pertinerent,quàm ad statum alterius,maiora habentis merita:sed quò plures videntur creaturę in Deo, eò perfectiùs videtur Deus,quia quò plures effectus videntur in causa,eò perfectiùs videtur causa: ergo perfectiùs videret Deum, qui pauciora haberet merita: ergo visio beata non corresponderet meritis.

440. Dico 1.Eò plura possibilia vident beati in Verbo, quò perfectiùs vident Verbum. Fundamentum est,quia possibilia sunt termini necessariò connexi cum Diuina omnipotentia: sed quò perfectiùs videtur potentia,eò saltem connaturaliter plures videntur effectus eiusdem potentiæ: igitur quò perfectiùs videtur Deus, eò plura possibilia videntur in Deo. Confir. quia possibilia non sunt de ijs, quæ possunt per orationes sanctorum aliter se habere; ergo non spectant ad peculiarem statum beatorum,sed ad essentialem & communem rationem beatitudinis.

441. Dico 2. Non omnes beati vident in Verbo formaliter omnia futura, quæ ad eorum statum pertinent, sed aliqua solùm vidēt causaliter per peculiares reuelationes extra Verbum.Fundamentum est,quia multa futura pertinent ad statum beatorum, quæ ab ipsis non cognoscuntur: igitur non omnia,quæ ad ipsorum statum pertinent,videntur in Verbo. Consequentia constat, quia si viderentur in Verbo, deberent omnia simul in principio ipso beatitudinis videri, cùm non possit beatitudo successiuè variari circa obiectum secundarium, quin varietur circa primarium: quia cùm non videatur secundarium,nisi cum connexione ad primarium, tanquam effectus cum causa non possunt successiuè videri secūdaria, nisi successiuè videndo perfectiùs & in-& intensiùs primarium.Absurdum autem est, variari visionē beatam circa obiectum primarium, cùm illa sit quædam participatio beatitudinis increatæ, quę mensuratur æternitate. Anteced. probo. I. ex Danielis 10. vbi, vt ex prophetę verbis colligitur,ignorabat angelus Persarum, quæ Persis suæ curę commissis, ex Diuina dispositione ventura essent, cùm tamen hęc ad officium angeli custodis maximè pertineant. *Dan. 10.*

442. Secundo de die iudicij Matth. 24.*nemo scit, neque angeli Dei,* cùm tamen hunc scire pertineat ad statum cuiusque beati Pontificis, cui demandata est cura totius Ecclesiæ militantis. Tertiò,si preces fusæ vel fundendę viderentur à beatis initio beatitudinis,iam nunc viderentur preces,quas fusuri sunt iusti in die iudicij ad superandas persecutiones Antichristi.Quartò,ex Dion. de Cæl. Hier.c.7. Angeli inferiores illuminantur à superioribus, & sanè etiam in ijs,quę ad eorum officium pertinent,vt communiter docent Theologi:igitur non omnia, quæ ad singulorum statum spectant,beati inspiciunt in Verbo. *Matth. 14* *Dionysius.*

443. Dico 3. Omnia, quæ hîc habitu fidei credimus,videbimus formaliter in verbo,vno excepto die iudicij. Indicat hoc Paulus 1. Cor.13. *Videmus* inquit, *nūc per speculū in enigmate,tunc autem facie ad faciem;*nec non Aug. 20.de Ciuit.Dei c.21. *Sed quid,* inquit,*nisi Deū, & omnia illa,quæ nūc non videmus,credentes autem pro modulo capacitatis humanæ,*Supple, videbimus;De his etiā explicatur Greg.4. Dial. c.33.*Quid est,*inquit,*quod non videant qui vidētem omnia vident?* non enim loquitur de omnibus scibilibus,sed de his tantùm, quæ scienda sunt:quem locum explicat S. Thomas 1. p.q. 12.a.8.ad 1.quantùm ad sufficientiā obiecti. *1. Cor. 13.* *S. Augustin.* *Gregor.* *S. Thomas.*

444.Fundamentum est,quia præmiū, quoad fieri potest,respōdere debet merito, & hęreditas adoptioni: sed habitus fidei datur hîc aut tanquam meritum adultis, aut per se annexus adoptioni,vt paruulis: ergo visio beata, quæ vel est præmium adultis, vel hæreditas paruulis, proportionari debet fidei, vt videlicet ad ea omnia exprimenda se extendat visio in patria, ad quæ credenda se extendebat fides in via.

445.Confirmatur, nam hæc præcipuè cupiunt videre beati in verbo quorum obscurā notitiā habuerūt in via.Hinc sequitur, quemlibet beatum contemplari in verbo totum hunc mundum, quoad præcipuas partes ipsius, & peculiarem ordinem vniuersi; quod docet S. Thom. 1. p. qu. 12. art. 8. ad quartum & 3.cōtra Gent.c.59. nam vnum ex creditis est hoc vniuersum quoad corporeas, & incorporeas substantias à summo opifice Deo *S. Thomas.*

certo

certo tempore conditum.

446. Dico 4. Vnusquisque beatus in diuina essentia videt quidquid spectat ad ordinem & seriem suæ prædestinationis; vi cuius vnusquisque videt & charitatem, qua Deus ab æterno ductus ipsum prædestinauit, & modum, quem in tempore tenuit ad illum vocandum iustificandumque; & media omnia tam naturalia, quàm supernaturalia, quæ in singulis occasionibus à principio ad finem vsque, ad hunc effectum consequendum, adhibuit, illum excitando, ad fidem vocando, iustificando, ad bonum promouendo, à malo præseruando, impedimenta tollendo, occasiones præparando, suam demum ipsius felicitatem & gloriam, qui est terminus & finis prædestinationis, in Deo ipso videbit, iuxta gradum & perfectionem, quam Deus ab æterno prædefiniuit. Fundamentum est, quia totum hoc per se exigitur à pio desiderio sanctorum, & veluti integrans vnum obiectum beatitudinis, quatenus perfectiùs cognoscitur increata illa bonitas, quæ tam magnificè se gessit cum suis creaturis: quamuis *S. Thomas.* non sit necesse, vt S. Thomas 3. contra Gentes cap. 59. in fine adnotauit, vt in Verbo prædestinationem aliorum cognoscamus.

447. Ad primum argumentum primę sen- *Caietanus.* tentiæ respondet Caietanus citatus in 3. p. S. Thomę, intelligendum esse de visione Verbi causaliter, non formaliter, quia ex visione Verbi causatur notitia eorum, quæ ad statum vniuscuiusque beati spectant: est enim iure connaturalitatis debitum, vt videns Deum, simul videat ea, quæ cum statu ipsius sunt aliquo modo connexa. Quod autem non omnia videantur in Verbo formaliter, constat ex assertione secunda, vnde primus & tertius locus intelligitur causaliter, alioqui non posset S. Thomas negare, preces, quas fusuri sunt Iusti in die Iudicij, nunc videri à beatis in Verbo, & consequenter ipsum diem Iudicij, contra expressam Christi auctoritatem. Secundus verò intelligitur formaliter solùm quantum ad ea, quę spectant ad seriem propriæ prædestinationis, & notitiam mysteriorum fidei.

448. Ad secundum in primis citatum Cõcilium Prouinciale tantùm est, & nondum confirmatum auctoritate Pontificis, vt testa- *Vasquez ad Concilium.* tur Vasquez Disput. 50. cap. 5. in fine. Secundò explicari potest causaliter, quia sicut speculum per species, quas ab obiectis impressas recipit, ostendere potest alia distincta à se: ita Deus per virtutem producendi creaturas, quam habet à se, manifestare potest omnia beatis, non tamen necessariò, vt speculum, sed liberè; quod propterea speculum voluntarium nuncupatur. Atque ex his patet etiam ad rationem.

## SECTIO XXIV.

### *Vnde oriatur vt hæ potiùs creaturæ, quàm aliæ in Deo videantur?*

449. Nota quęstionem hanc, non esse de causa formali, nam hæc est talis visio numero, quæ ita repræsentat has creaturas, vt ex sua indiuidua ratione nequeat repræsentare alias; nec de causa morali, quę sunt merita & status vniuscuiusque beati; nec de physica efficiente remota, quę est voluntas Dei, decernentis hæc potiùs, quàm illa obiecta beato manifestare; sed de physica efficiente proxima, quæ duplex esse potest, aut lumen gloriæ, aut Diuina essentia, vt suppletiua est per seipsam immediatè speciei impressæ creaturarum.

450. Prima sententia id proximè refert in voluntatem Dei, modò has, modò illas creaturas beato manifestantis: est Bonauent. *Fonauent. Scotus.* in tertio dist. 14. articulo 2. quæst. 3. Scoti quęst. 2. §. *Sed ista.* Fundamentum est, quia Diuina essentia vnitur intellectui beatorum vt speculum voluntarium: ergo quòd hæc vel illa obiecta per visionem beatis manifestentur, proximè prouenit ex Dei essentia, hæc potiùs quàm illa beatis manifestare volentis.

451. Secunda sententia id reducit ad lumen gloriæ magis aut minùs intensum: Est *Richardus. Capreolus. Aureolus. Caietan. Bannez. Zumel. Molina. Valentia. Vasquez. S. Thomas.* Richardi in 3. dist. 14. articulo 2. q. 3. Capreoli in 4. dist. 49. quæst. 6. art. 3. *ad obiecta Aureoli §. dicitur* 7. Caiet. 3. p. q. 10. art. 2. Bannez & Zumel 1. p. q. 12. ar. 8. Molinæ Disp. 5. memb. 1. Valentiæ puncto 6. Vasquez Disp. 50. c. 9. Probatur primò auctoritate S. Doctoris 1. p. q. 12. ar. 8. docentis, eò plures effectus in Deo videri, quò perfectiùs ipsius essentia videtur: & ad tertium, *multitudo*, inquit, *cognitorum in Deo consequitur modum videndi ipsum magis vel minus perfectum.* Secundò, ratione, quia quò lumen gloriæ est intensius, vel remissius, eò magis vel minùs perfectè repræsentat obiectum primarium: sed quò magis vel minùs perfectè repręsentat obiectum primarium, eò plura vel pauciora repræsentat obiecta secundaria: ergo repræsentatio plurium vel pauciorum creaturarum in Deo oritur ex intensiore, vel remissiore lumine glorię.

452. Tertia sentẽtia id tribuit lumini indiuidualiter diuerso: putat enim hæc sentẽtia, intra eamdem speciem luminis dari plura indiuidualiter diuersa, quorum vnum sit exigitiuum vnius, & non alterius creaturę: est Sua- *Suarez.* rez lib. 2. de attributis diuinis c. 26. & 3. p. to. 1. Disp. 26. sect. 3, §. *Ex his ergo*, Granad. *Granadus. Gonsalez.* 1. p. tomo 1. tractat. 5. Disp. 12. Gonsalez 1. p. Disp. 31. num. 17. qui id solùm affirmat de creaturis existentibus, nam de possibilibus sentit cum auctoribus primæ sententiæ. Probatur primò, quia hæc diuersa indiuiduatio luminum non implicat, & meliùs saluat præsentem difficultatem: ergo est asserenda.

Secundò quoniam hanc diuersitatem indiuidualem cogimur admittere in alijs qualitatibus, vt duæ species repræsentantes duo indiuidua plus differunt, quàm duę species eiusdem indiuidui: & charitas, quæ est in me, magis inclinat ad amorem mei & meorum, quàm charitas, quę est in te: & è contra: igitur & lumen, quod est in Petro, magis inclinat ad notitiam eorum, quæ spectant ad Petrum, quàm quæ spectant ad alios.

453. QVARTA sententia id proximè refert ad concursum diuinę essentię supplentis vicem speciei creatę, & nullo modo ad lumen. Est Arrubalis 1. p. Disput. 26. Machin. Disput. 19. sectione 5. Fundamentum est, quia lumen est habitus, habitus autem extenditur ad omnia obiecta materialia, in quibus reperitur ratio obiecti formalis specificantis habitum: sed in qualibet creatura in Deo visa est ratio obiecti formalis specificantis lumen: ergo lumen extendi potest ad quamlibet creaturam in Deo visibilem. Maior constat. Minor assumpta patet, quia ratio obiecti formalis adæquatur habitui: ergo extenditur ad omnia, ad quæ extenditur habitus ipse. Minor subsumpta probatur, quia ratio formalis specificans lumen gloriæ est diuina essentia, vt exemplar creaturarum: quælibet autem creatura visibilis in Deo est est quædam participatio ipsius: ergo quælibet creatura participat rationem formalem obiecti specificantis lumen.

*Arrubal. Machin.*

## *Sententia Auctoris.*

454. PROXIMA causa, ex qua oritur expressio huius, aut illius creaturæ, non est diuina essentia vnita intellectui beatorum vt speculum voluntarium; neque vt species expressa, aut impressa creaturarum, neque vt est liberum decretum harum, vel illarum creaturarum; sed est ipsum lumen glorię, quatenus est quædam participatio intelligibilis similitudinis, quam Deus habet de creaturis. Fundamentum prioris est, quia nequit variari visio circa obiectum secundarium, quin varietur circa primarium; absurdum autem est, variari circa obiectum primarium, alioqui visio diuinę essentię non esset stabilis & firma, eadem inuariata perseuerans per totam æternitatem: ergo. Maiorem probo, quia obiectum secundarium nequit exprimi visione beata, nisi connexum cum primario, tanquam effectus cum causa: ergo nequit cognosci, nisi dependenter à cognitione primarij, tanquam causæ vi eiusdem visionis cognitæ: igitur nequit variari visio circa obiectum secundarium, quin varietur circa primarium. Antecedens patet, nam hoc est formaliter videre creaturas in Verbo, videre illas vi eiusmodi visionis, qua videtur Verbum, cum eo tanquam cum causa connexas. Prior Consequentia elucet. Posterior probatur, quia si vi eiusdem visionis, quâ videtur obiectum secundarium, videtur etiam primarium, nequit variari visio circa secundarium, quin varietur circa primarium. Confirmatur, quia visio creaturarum in Verbo, & quilibet gradus ipsius originatur à lumine gloriæ: sed lumen gloriæ non tendit in secundarium, nisi dependenter à primario, tanquam à medio formali, & ratione saltem remotè cognoscendi secundarium. Ergo nec visio ipsa, aut quiuis gradus ipsius exprimere poterit secundarium, nisi dependenter à primario: quia nequit actus aliter ad obiectum tendere, quàm tendat eius habitus.

455. Nec satisfacit Molina dicens, hanc variationem in obiecto secundario fieri posse peculiari influxu Dei, variante visionem circa secundarium, & non circa primarium. Quia aut vi talis influxus creatura, quæ de nouo cognoscitur, videtur in Verbo; & sic vi talis influxus magis cognoscitur Verbum; & consequenter augetur cognitio ipsa Verbi: aut non videtur in Verbo, & sic non cognoscitur visione beatifica. *Molina.*

456. Nec dici potest, quòd licet creatura, quæ vi talis influxus de nouo cognoscitur, non cognoscatur in Verbo, adhuc tamen illam videri in Verbo, quatenus videtur eâdem visione concomitanter, quâ videtur Verbum. Quia aut hoc significat, videri distincta cognitione, coniuncta tamen in eodē intellectu cum cognitione Verbi; & hoc non sat est, vt dicatur videri in verbo, alioqui omnia, quæ beati vident extra Verbum, dicerentur videri in Verbo: aut eâdem cognitione, qua videtur Verbum per peculiarem tamen gradum visionis à Deo productum, identificatum cum eadem visione Verbi, quo tantùm repræsentetur noua creatura, absque vlla variatione visionis Verbi. Et neque hoc dici potest, tum quia cùm hic gradus sit longè diuersæ naturę ac speciei à cęteris gradibus visionis beatæ, non erit aptus integrare simul cum illis vnam numero qualitatem; vnde potiùs manebit in intellectu beati, vt distincta cognitio, à cognitione beata: tum quia esto posset cum visione beata identificari, adhuc dici non posset quòd creatura, quę vi talis gradus identificati, cum visione beata videretur, videri in Verbo plusquā dici possint in Verbo videri reliquæ, quæ ab eodē intellectu beato videntur extra Verbū, nam perinde est, illam videri per cognitionem distinctā, ac per cognitionē identificatam, dum non videatur connexa cum Verbo, tanquam effectus cum causa intuitiuè cognita: nam ex hoc accipit creatura nouam perfectionem obiectiuam, quam non habet visa sine tali connexione; ac proinde non habet vt sic visa id, per quod formaliter distinguitur à cognitione extra Verbum. Nec sufficit quòd videatur connexa cum Verbo vi alterius gradus eiusdem visionis: sicut nec sufficit, quòd videatur connexa cum Verbo vi alterius cognitionis omnino distinctæ: quoniam perinde est. Quod sic probo, nam siue talis cognitio sit partialiter siue totaliter distincta, non communicat creaturæ hoc modo

cogni-

cognitæ obiectiuam claritatem, quæ est connexio ipsius cum diuina essentia tanquam cum causa vi eiusdem gradus cognitæ; merito cuius ab Augustino dicitur cognosci cognitione matutina. *Augustin.*

457. DICES, Potest visio beata variari circa obiectum primarium, quin varietur circa secundarium: ergo poterit variari circa secundarium, quin varietur circa primarium. Consequentia probatur, quia non minùs vno eodemque indiuisibili actu repræsentatur vnum, quàm aliud: igitur non est maior ratio, quin possit variari circa vnum, quàm circa aliud. Antecedens ostendo, quia potest visio glorioſa intendi & remitti circa obiectum primarium, quin intendatur, remittatur, aut extendatur circa secundarium; potest enim visio exprimens duas creaturas in Verbo augeri, vel remitti circa Verbum, absque eo, quod augeatur, remittatur aut extẽdatur circa creaturas. Assumptum probo, nam potest videri obiectum primarium, nullo viso obiecto secundario: igitur poterit clariùs videri primarium absque eo, quòd clariùs aut extensiùs videatur secundarium: quia si cognitio primarij est independens à cognitione obiecti secundarij, etiam clarior cognitio primarij erit independens à clariore cognitione secũdarij.

458. Resp. Negando Consequentiam: etenim cùm in mea sententia diuina essentia in se ipsa visa, non sit proxima & formalis, sed tantùm remota & radicalis causa videndi creaturas, poterit ipsa videri, quin vlla in ea videatur creatura, & consequenter etiam clariùs & intensiùs, quin clariùs & intensiùs, extensiùsve videantur creaturæ, vt rectè probat argumentum: & ampliùs sic explico. Nam intensior cognitio circa idem obiectum, est productio nouę cognitionis circa illud, nisi quòd non appellatur noua cognitio, quia supponit aliam circa idem obiectum, cum qua integrat vnam: sicut intensio lucis, est productio nouæ lucis, ex eo autem tantùm non appellatur noua lux, quia supponit aliam cum qua integrat vnam lucem maiorem, alioqui si ea ipsa intensior cognitio, quæ producta est secundo loco, producta fuisset primo, esset noua cognitio. Igitur si prima cognitio potuit tendere ad Verbum, absque eo, quòd tenderet ad creaturas, poterit & secunda, cùm secunda non differat à prima, nisi sola posterioritate naturę, aut durationis: nam eadem, quæ est secunda potuit esse prima, & contrà.

459. Idem argumentum ab oppositio, probat, non posse intendi, aut remitti cognitionem obiecti secundarij; quin intendatur aut remittatur cognitio obiecti primarij: quia sicut nullum obiectum secundarium videri potest in Verbo, nisi dependenter à cognitione Verbi, ita nec intensiùs, aut remissiùs videri, nisi dependenter ab intensione, aut remissione cognitionis Verbi. Et ratio discriminis est, quoniam visio creaturæ cognitæ in Verbo pendet essentialiter à visione Verbi: visio autem Verbi non nisi tantùm connaturaliter pendet à visione creaturarum: & hoc ideo, quia in visione glorioſa creaturę non videntur in se, sed in Verbo, tanquam in causa & medio priùs viso. Causa autem etiam intuitiuè visa abstrahere potest ab intuitiua notitia effectus: effectus autem, vt visibilis in causa, abstrahere non potest à visione causæ; cùm hoc ipsum formaliter importet effectus visibilis in causa. Confirmatur: quia Diuina essentia est medium, à quo formaliter specificatur cognitio creaturarum in Verbo; creaturæ autem sunt tantùm obiectum materiale connexum cum formali: sed implicat, esse cognitionem sine suo medio formali actu cognito: non implicat autem cognitio sine obiecto materiali connexo cum formali: igitur non implicat cognitio Verbi sine cognitione creaturarum, implicat autem cognitio creaturarum in Verbo sine cognitione ipsius Verbi actu cogniti vi eiusdem cognitionis, qua cognoscuntur creatuæ in Verbo. Ex his patet ad probationem Consequentiæ, nam licet eodem indiuisibili actu repræsentetur obiectum primarium & secundarium, tamen secundarium repræsentatur cum essentiali connexione ad primarium, primarium verò non nisi cum naturali connexione ad secundarium.

461. Cæterùm, quod est valde notandum, cùm dicitur remitti posse visionem circa obiectum primarium, non remissa circa secundarium, non est intelligendum de remissione illius gradus visionis, qui ex indiuidua sua ratione tendit ad vtrumque obiectum, quia sicut ille per eumdem indiuisibilem respectum respicit vtrumque, ita remitti nequit circa vnum, quin necessariò remittatur circa aliud: sed intelligendum est de remissione illius dumtaxat gradus intensionis, qui in eadem visione elicici potest circa obiectum primarium independenter à secundario: quia sicut ille non respicit secundarium, & distinguitur à reliquis gradibus; ita remitti potest, absque eo, quòd remittantur reliqui gradus, qui se extendunt ad obiectum secundarium.

462. Instabis, Verbum est ratio videndi creaturas: ergo implicat intensiùs videri verbum, quin simul intensiùs videantur creaturę, cùm tota ratio videndi creaturas sit Verbum in seipso visum. Resp. Distinguendo antecedens. Verbum est ratio videndi creaturas proxima & formalis, nego; remota & radicalis, concedo. Proxima enim & formalis ratio videndi creaturas est ipsamet visio creaturarum, quæ non implicat, vt sit remissior circa creaturas, intensior verò circa Verbum. Ad probationem, nego Verbum esse totam rationem videndi creaturas, sed tantùm remotam & radicalem.

453. Secundum, Nempe quod proxima cauta videndi has vel illas creaturas, non sit Diuina essentia vnita intellectui beatorum vt species expressa creaturarum, probatur; quoniam species expressa non repræsentat obiecta, quæ exprimit, nisi intellectui, cuius est expressa species & vitalis imago: atqui

atqui species expressa increata non potest vniri intellectui beatorum, vt species expressa & vitalis imago ipsius, sed tantùm vt obiectum extrinsecum: obiectum autem, vt extrinsecè vnitum potentiæ, non manifestat illi nisi seipsum, & ea quæ in seipso formaliter continet. Cùm igitur creaturæ non contineantur formaliter, sed tantùm eminentialiter & intentionaliter in specie expressa increata, non poterit beato esse proxima ratio videndi creaturas. At adde quod etiamsi in ea beatus cernere posset creaturas, adhuc illa non posset esse proxima causa, hæc potiùs quàm illa obiecta videndi: quia cùm in ea exprimantur omnia, non esset maior ratio cur hæc potiùs quàm alia beatus videret: Vnde oporteret assignare aliam causam, quæ proximius determinaret intellectum beati ad hæc potiùs, quàm ad illa obiecta videndi.

464. Tertium. Quod neque sit diuina essentia, vt species impressa creaturarum, sic ostendo. Diuina essentia non est immediata & proxima causa determinādi intellectum beatum ad notitiam sui: ergo multò minùs est proxima & immediata causa determinandi eundem ad notitiam creaturarum. Consequentia patet, quia Deus non determinat ad notitiam creaturarum, nisi prædeterminando ad notitiam sui, tanquam ad obiectum primarium: igitur si non est proxima causa determinandi ad notitiam sui, neque erit proxima causa determinandi ad notitiam creaturarum, ad quarum notitiam determinat mediante notitia sui, tanquam medij formalis specificantis ipsam notitiam creaturarum. Antecedens probo, quia lumen gloriæ non solùm est participatio luminis increati tenentis se ex parte intellectus, sed etiam diuinæ essentiæ tenentis se ex parte obiecti: ergo non solùm complet intellectum beati per modum potentiæ, sed etiam proximè determinat illum per modum obiecti: ergo non diuina essentia, sed lumen erit proxima & immediata causa determinandi intellectum beati ad visionem sui atque adeo ad visionem creaturarum.

465 Quartum, quòd neque sit liberum decretum Dei, constat primò, quia liberum decretum Dei non est causa possibilium; hæc enim præsupponuntur ad liberum decretum Dei, virtute omnipotentiæ diuinæ, vi cuius necessariò, & antecedenter ad liberam voluntatem Dei res dicuntur possibiles, ergo saltem proxima causa videndi possibilia non potest esse liberum decretum Dei. Secundò nec potest esse proxima causa videndi futura, tum quia illa non continet in se formaliter: tum quia non foret maior ratio, cur hæc potiùs manifestaret, quàm illa. Vnde necessariò recurrendum esset ad aliam causam, quæ proximiùs intellectum beati determinaret ad hæc potiùs futura cognoscenda, quàm ad alia.

466. Quintum quod proxima & immediata causa videndi has potiùs creaturas, quàm illas sit ipsum lumen glorię, probatur, quoniam lumen glorię, vt ex dictis constat, non solùm est participatio intellectus diuini, vt cognoscitiui, sed etiam essentiæ diuinæ, vt intelligibilis sui, tanquam obiecti primarij, & creaturarum, tamquam obiecti secundarij. Vnde quà participatio est intellectus diuini, complet intellectum beati per modum potentiæ, eumque proximè habilem reddit, vt possit vlterius obiectiuè determinari ad visionem Dei, & creaturarum in Deo: quà participatio est Diuinę essentię vt est obiectum intelligibile, & primariò determinatiuum ad sui cognitionem, proximè potentiam beati determinat ad visionem Dei, & simul reddit illam connaturaliter exigentem determinationem creaturarum in Verbo: quà tandem participatio est intelligibilis atque eminentialis speciei creaturarum, vltimò intellectum beati determinat ad has, vel illas creaturas in Verbo intuendas: nam vt sic est intelligibilis atque eminentialis species harum vel illarum creaturarum in Verbo videndarum. Totum hoc constat ex dictis de lumine gloriæ: quia nimirum possibile est lumen, quod omnes istas perfectiones participet: ergo connaturaliùs ponitur: ergo de facto est ponendum, in antecedente nulla est repugnantia: prior Consequentia est euidens: nam illud lumen est cōnaturalius, quod potentiam beati proximè determinat ad omnia ea, ad quæ beatus eget determinatione. Posterior verò probatur, quoniam Deus, quæ eius est perfectissima prouidentia, semper id facit, quod magis conducit ad connaturaliorem modum operandi creaturæ. Pro maiore declaratione præsentis difficultatis, & faciliori solutione oppositorum argumentorum sit,

## SECTIO XXV.

### *An quodlibet lumen gloriæ inclinet intellectum beati ad quascumque creaturas in Deo cognoscendas?*

467. PRIMA sententia affirmat. Est Arrubalis & Machin. supra cit. Fundamentum est, quia quilibet habitus inclinat ad omnia obiecta materialia contenta sub formali; sed omnes creaturę sunt obiecta materialia contenta sub diuina essentia tamquam sub obiecto formali: ergo lumen glorię inclinat ad cognoscendas omnes creaturas in diuina essentia tamquam obiecta materialia sub formali. Maior constat primò in reliquis habitibus supernaturalibus: etenim habitus fidei inclinat ad credenda omnia reuelata propter auctoritatem Dei, tanquam propter rationem formalem; spes ad speranda omnia sperabilia propter promissionem Diuinam; charitas ad diligenda omnia bona creata propter bonitatem Increatam, & sic de reliquis. Secundò quia in quolibet obiecto

*Arrubal. Machin.*

materialis

materiali reperitur ratio obiecti formalis: sed in quocunque reperitur ratio obiecti formalis ad illud per se inclinat habitus, quia habitus ad totum illud inclinat per se, à quo specificatur; specificatur autem à tota ratione formali adæquata, igitur per se inclinat ad omne, quod participat rationem formalem. Minor verò probatur, quia obiectum formale luminis gloriæ est diuina essentia, vt exemplar & causa creaturarū: omnes autem creaturę sunt participationes & effectus diuinæ essentiæ: igitur omnes creaturæ sunt obiecta materialia, participantes diuinam essentiam vt obiectum formale luminis.

468. SECVNDA sententit negat, quæ communior est: magna tamen eget explicatione; multū enim interest de quo lumine disputetur, an de eo, quod de facto est, an de eo quod possibile est: & an spectata tantùm intrinseca natura luminis, an etiam vt subest potentiæ Dei? Pro quorum omnium explicatione,

469. DICO 1. Nullum de facto lumen inclinat vel ad alias creaturas, quàm quarum de facto est repræsentatiuum, vel ad intensiùs remissiùsve Deum cognoscendum, quàm de facto sit ipsum intensum. Fundamentum est, quia lumen glorioſum non minùs est necessaria causa respectu repræsentationis creaturarum, quarum est intelligibilis species, quàm respectu cognitionis Dei, cuius est intellectualis participatio: igitur nec inclinat ad alias creaturas quàm quas de facto repræsentat, nec ad intensiùs remissiùsve Deum cognoscendum, quàm de facto cognoscit. Antecedens patet, quia lumen nec est principium liberum in se, nec ad operandum pendet à principio libero, sed est causa merè necessaria in operando, anteuertens omnem liberum consensum beati. Cuius ratio est, quia cùm lumen gloriæ sit proximum principium nostrę beatitudinis, qui est actus necessarius, necessariò enim appetimus beatitudinem, ipsum etiam principium debuit esse necessarium & independens à libertate creaturæ. Consequentia verò probatur, quia quando causa necessaria non pendet in sui applicatione ab aliquo principio libero, agit secundùm vltimum posse suæ virtutis; cùm non sit maior ratio, cur potiùs ad tantam, & non ad maiorem, aut minorem intensionem se applicet: ergo nullam relinquit in subiecto indifferentiam, vel ad alias repræsentationes creaturarum, vel ad maiorem claritatem circa Deum: omnis quippe indifferentia, cùm sit potentia ad vlteriorem actum, supponit virtutem operatiuam nondum vltimò explicatam. Confirmatur: quia implicat, formam relinquere subiectum indifferens ad vlteriorem effectum formalem: ergo & lumen gloriæ ad vlteriorem actum perfectiorem. Consequentia patet, quia non minùs lumen glorię est determinatum ad suum actum producendum, quàm forma ad suum effectum formalem præstandum.

470. Maior difficultas est, an quodlibet lumen gloriæ non solùm de facto sit determinatum ad talem creaturarum repræsentationem, & ad talem tantamque claritatis intensionem, sed etiam ad hanc numero creaturarum & Dei visionem, ita vt neque sit indifferens ad aliam numero visionem eiusdem speciei & perfectionis eliciendam: & quidem si proposita quæstio intelligatur de determinatione extrinseca, quia nimirum Deus præter hunc numero concursum, quo cum lumine influit ad hanc numero visionem, nullum alium obtulit ad alias numero visiones eliciendas, res est facilis, quia cùm quælibet causa secunda determinetur ad hunc numero effectum, per hunc numero Dei concursum, vt ex Philosophia suppono, hoc ipso, quo Deus determinat hunc numero concursum, & omnem alium negat, censetur causa ab extrinseco determinata ad hunc numero effectum. At maior difficultas est, de determinatione intrinseca: cuius dubitandi ratio est, quia non apparet, qua ratione possit lumen gloriæ ab intrinseco aliquo principio, seu differentia determinari ad hanc potiùs numero visionem, quàm ad aliam eiusdem omnino perfectionis & claritatis. Nam dupliciter potest aliquod principium, ad hunc numero effectum ab intrinseco determinari, vno modo propter infinitatem termini producendi, quo pacto principium generatiuum in Patre, ob infinitatem termini producendi, non potest nisi vnum numero Verbum gignere: sicut nec principium spiratiuum, nisi vnum numero amorem: infinitas enim termini producti postulat, vt tota perfectio, quæ produci posset dispersa in pluribus, producatur in vno. Verùm hic modus repugnat creaturæ, quæ suapte natura limitata est & finita. Alio modo determinari posset per aliquam differentiam intrinsecam, per quam principium ipsum exigeret hunc potiùs numero concursum, quàm alium: & in hoc est cardo præsentis difficultatis, quia cùm omnes numerici concursus sint tantùm diuersi homogeneè, non videtur assignabilis differentia, quæ potiùs hunc exigat numero concursum, quàm alium: siquidem exigentia huius præ alio supponit aliquam diuersitatem inter hunc & alium; alioqui non esset maior ratio, cur potiùs exigeret hunc, quàm alium. His tamen non obstantibus,

471. DICO 2. Non repugnat lumen ab intrinseco determinatum ad hanc numero visionem, & consequenter tale de facto ponendum est. Primum probo, quia non repugnat talem differentiam indiuidualem dari, quæ hunc potiùs numero concursum exigat, quàm alium: ergò non repugnat lumen ab intrinseco determinatum ad hanc numero visionem. Consequentia clarer. Antecedens ostendo, quia sicut datur differentia specifica exigens hunc specie concursum, & differentia heterogenea indiuidualis exigens hunc numero heterogeneum concursum: ita non repugnat differentia homogenea exigens hunc numero homogeneum concursum. Cuius ratio à priori est, quia tales concursus non sunt ita ho-

mogenei, vt non habeant aliquam differentiam inter se, alioqui non essent duo, sed vnus numero concursus replicatus: vbi enim est aliqua distinctio, aliquam differentiam intercedere oportet, cùm omnis distinctio fundetur in aliqua diuersitate.

472. Secundum facilè probatur, quia tale lumen est connaturalius principium visionis beatæ; igitur vt tale de facto est ponendum. Consequentia constat; quia respectu talis visionis debemus connaturaliora principia ponere; tum quia est perfecta participatio visionis increatæ: tum quia est suprema & perfectissima felicitas creaturæ rationalis. Antecedens probo, quia illud est connaturalius principium, quod est magis determinatiuum potentię ad actum eliciendum; nam quod est magis determinatiuum, est magis perfectiuum & completiuum potentiæ in ordine ad actum, quia quantò minùs relinquit de indifferentia & indeterminatione, tantò magis ponit de perfectione & complemento: sed lumen ab intrinseco determinatum ad vnam numero visionem eliciendam est magis determinatiuum potentiæ; quia non solùm determinat illam ad talem actum in specie, sed etiam ad talem actum in indiuiduo. Atque ex his patet ad rationem dubitandi.

473. Dico 3. Possibile est lumen, quod sit plurium creaturarum repræsentatiuum in Verbo, & minùs cognoscitiuum Verbi; necnon lumen, quod sit pauciorum creaturarum repræsentatiuum in Verbo, & magis cognoscitiuũ Verbi: non est tamen possibile lumen, quod sit intensiùs cognoscitiuum creaturarum, quàm Verbi. Fundamentum primæ assertionis est, quia potest lumen quatenus est species intelligibilis creaturarum, plures creaturas in Verbo repręsentare remissiùs, quàm lumen pauciores in eodem Verbo creaturas repræsentans; igitur possibile est lumen, quod plures creaturas repræsentet in Verbo, & minùs intensè Verbum cognoscat: & è contra. Consequentia constat, quia intensio cognitionis circa Verbum non crescit formaliter ex cognitione extensiua creaturarum, sed solùm ex cognitione intensiua earumdem; crescit enim ex multiplicatione graduum cognitionis creaturarum, eò quòd nequeũt tales gradus multiplicari circa obiectum secundarium, quin multiplicentur circa primarium, cùm quilibet gradus obiecti secundarij sit etiam obiecti primarij tanquam obiecti formalis, à quo specificatur: implicat autem, dari aliquem gradum cognitionis, qui non sit specificatus à suo obiecto formali, non minùs quàm implicet, dari rem absque propria essentia, cùm specificatio ab obiecto formali sit essentialis actui, & singulis gradibus ipsius. Igitur si plures creaturę videri possunt cum paucioribus gradibus intensionis, & contra pauciores cum pluribus intensionis gradibus, poterit lumen repręsentare plures creaturas in Verbo, & minùs intensè Verbum. Confirmatur, quia in nostra sententia creaturæ non videntur in Verbo, vt in obiecto viso, tanquam in ratione proxima videndi, atque adeo quò intensius videtur Verbum, eò plures necessariò videntur creaturæ in ipso Verbo; sed tanquam in ratione remota, proximè autem tanquam in specie impressa intelligibili repræsentantur per lumen, vt est quędam participatio speciei creaturarum: atqui potest Deus producere lumen, quod sit participatio speciei creaturarum: maior quoad extensionem, minor verò quoad intensionem; igitur possibile est lumen, quod sit plurium creaturarum repręsentatiuum, & minùs cognoscitiuum Verbi, quàm aliud, quod sit plurium creaturarum repręsentatiuum.

474. Secunda pars assertionis constat, quia cùm quilibet gradus cognitionis obiecti secundarij essentialiter sit repræsentatiuus obiecti primarij, implicat intensiùs cognosci obiectum secundarium, quàm primarium.

475. Dico quartò. Implicat lumen, quod inclinet ad videndas plures & plures creaturas in Verbo, absque vlla limitatione, tam ex parte obiecti, quàm ex parte modi cognoscendi obiectum; non tamen cum limitatione ex parte modi cognoscendi obiectum. Explico. Dupliciter cognosci possunt plura & plura obiecta in Deo, vno modo sine vllo termino, tam extensiuo ex parte cognoscendorum, quàm intensiuo ex parte cognitionis, vt non modò in infinitum crescant obiecta cognoscenda, sed modus ipse claritatis in cognoscendo: alio modo absque limitatione ex parte cognoscendorum, cum limitatione tamen in modo cognoscendi, vt quantò plura lumen obiecta repræsentat, tantò ad eadem cognoscenda tendat remissiùs. Primum aio implicare, non autem secundum.

476. Fundamentum prioris assertionis est, quia tale lumen necessariò esset infinitum: quia vel illud ponitur vt cognoscitiuum Dei, & simul repræsentatiuum creaturarum, & tunc non solùm esset infinitum, quà cognoscitiuum Dei, sed etiam quà repręsentatiuum creaturarum: vel solùm ponitur vt cognoscitiuum Dei; & tunc saltem sequitur, fore infinitum vt cognoscitiuum Dei. Quod sic ostendo: quia quò plures hoc modo cognoscuntur creaturæ in Deo, eò clariùs & intensiùs cognoscitur ipse Deus: ergo si daretur lumen inclinans ad cognoscendas plures & plures creaturas in Deo, illud necessariò foret infinitum. Antecedens patet ex dictis. Consequentia probatur, quia tale lumen producere posset intensiorem & intensiorem sine termino actum circa Deum; igitur esset actu infinitum; quia cùm non posset esse infinitum Syncategorematicè, quippe quod actu contineret omnem intensionem possibilem; finitum autem esse non posset, alioqui deueniri posset ad actum finitum, quo intensior à tali lumine produci non posset, necessariò esset infinitum categorematicè.

477. Fundamentum posterioris assertionis est, quia non implicat lumen participati-

uum

uum tantùm intellectiuitatis Diuinæ, & nullius repræsentationis creaturarum, quod quàtò ab extrinseco determinaretur ad plures creaturas in verbo cognoscendas, tantò proportionaliter limitaretur ad easdem remissiùs in verbo ipso cognoscendas: sed tale lumen non excederet intensionem finitam; ergo non implicat. Minor probatur, quia quantò crescceret cognitio creaturarum extensiuè, tantò proportionaliter decresceret intensiuè: ergo nunquam excederet intensionem finitam. Consequentia constat, quia cognitio circa obiectum primarium non intenditur formaliter ex precisa extensione obiecti secundarij, sed tantùm ex intensione: ergo si ex maiore & maiore extensione obiecti secundarij, non crescceret intensio circa obiectum ipsum secundarium, neque crescceret circa primarium.

478. Ex Dictis colligo, respectu futurorum de facto dari lumen perfectius extensiuè, imperfectius verò intensiuè, non autem respectu possibilium: Primum constat, nam sæpe minùs beatus plura debet in verbo cognoscere quoad seriem suæ prædestinationis, quàm alter magis beatus: ergo tunc minùs beatus debet habere lumen perfectius extensiuè, imperfectius verò intensiuè, quàm alter magis beatus, qui in eodem verbo pauciora videre debet quoad seriem propriè prædestinationis. Præterea omnes ratione status videre debent in Verbo Mysterium Incarnationis, & Eucharistiæ, & reliqua obiecta fidei, nec non species omnes Vniuersi: at non omnes hæc ipsa videbunt eâdem intensione & claritate, sed beatiores clariùs, minùs verò beati remissiùs; cùm enim hæc omnia videantur eâdem cognitione, qua Verbum, beatiores clariùs videntes Verbum, clariùs etiam videbunt hæc omnia in Verbo.

479. Secundum probo, quoniam cognitio possibilium non est debita beato ratione peculiaris status, sed ratione ipsius beatitudinis essentialis: sed quæ debentur ratione beatitudinis essentialis, quò plura videntur in Verbo, eò clariùs videtur Verbum; & è contra: ergo respectu possibilium non datur de facto lumen perfectius extensiuè, imperfectius verò intensiuè. Maior patet, nam ea tantùm sunt debita ratione status, quæ pendent, à libera voluntate Dei, vel vt operata in bonum ipsius beati, vel vt operanda in bonum aliorum: hæc autem sunt tantùm futura. Minor probatur, nam quæ debentur ratione beatitudinis essentialis, debentur ratione ipsius visionis beatificæ. Hæc autem connaturaliter postulat, vt quò clariùs videtur Verbum, eò plura videantur possibilia in Verbo. Igitur respectus possibilium non datur lumen perfectius extensiuè, imperfectius verò intensiuè. Consequentia constat, quia ista semper videntur iuxta proportionem luminis circa Verbum: Vnde non videntur plura aut pauciora, quàm intensio ipsa luminis circa Verbum postulat. Minor patet, quoniam possibilia solùm videntur ex vi visionis causæ saltem radicaliter: quæ autem videntur ex vi visionis causæ mensura videndorum est ipsa cognitio causæ, quæ quò clariùs aut remissiùs videtur, eò cum pluribus, aut paucioribus effectibus videri postulat.

480. *Obijcies* 1. Quodcumque lumen aptum ad videndum Deum, est etiam aptum ad videnda quæcunque possibilia in Deo: igitur ad videnda plura possibilia in Deo non est necesse videre clariùs Deum. Antecedens probatur, quia maius est videre Deum, quàm quæcumque possibilia. Secundò sequeretur, quemlibet beatum videre in qualibet serie creaturarum possibiliũ infinitas species creaturarum inferiores sub illa contentas. Sequelam probo, quia, si quò clariùs videtur Verbum, eò gradatim plura videntur possibilia: igitur vi visionis videntur omnes species possibiles, quę inter vltimam & supremam visam intercedunt; atqui hæ sunt infinitæ: ergo.

481. Resp. ad primum negando antecedens, nam licet plus sit videre Deum, quàm quascumque creaturas in se, non tamen in ipso Deo; quia in Deo videntur cum connexione ad ipsius omnipotentiam. Ad secundum nego sequelam: ad cuius probationem, nego Minorem; omnes enim creaturæ contentæ sub aliqua determinata specie sunt finitę, quia tanta est perfectio earum collectiuè sumptarum, quanta est distantia inter supremam creaturam, quæ videtur, & ipsum nihilum, quæ finita est, quia hæc mensuratur ex ipsa positiua perfectione rei producibilis.

482. Ad fundamentum oppositæ sententiæ distinguenda est Maior: quilibet habitus inclinat ad omnia obiecta materialia contenta sub formali, vt attingibilia sub certo gradu intensionis non excedente habitum, concedo; vt attingibilia sub quolibet gradu intensionis, habitum excedente, nego: quia non minùs habitus finitus limitatur sub certo gradu intensionis, quàm sub certa ratione formali ad suum obiectum attingendum, cùm non minùs sit principium actus secundùm certum gradum intensionis, à quo indiuiduatur, quàm secundùm certum gradum speciei, à quo specificatur: ergo licut excedere non valet rationem formalem, à qua specificatur, ita nec gradum intensionis, à quo indiuiduatur. Vnde distinguenda est etiam Minor: omnes distributiuè aut sub certo gradu intensionis non excedente gradum luminis, sunt obiectum materiale attingibile à lumine, concedo; omnes collectiuè, aut secundùm quemcunque gradum intensionis, sunt obiectum materiale attingibile à lumine finito, nego. Pro cuius explicatione,

483. Notandum, creaturas dupliciter videri posse in Deo, vno modo comprehensiuè secundùm adæquatam intelligibilitatem ipsarum; secundò intuitiuè tantùm, & non secundùm adæquatam intelligibilitatem ipsarum. Vt videantur primo modo, non quælibet creatura, aut series creaturarum videri potest per quemcunque gradum lu-

minis,

minis, sed requiritur certus gradus commensuratus intelligibilitati, & connexioni ipsarum cum Deo tanquam cum causa: quod sic patet, quia quò creatura, aut series creaturarum est perfectior, eò altiorem gradum perfectionis, cum cuius connexione videtur, supponit in Deo; atque adeo perfectius intentiusve lumen requirit. Vt autem videantur secundo modo, non requiritur certus gradus luminis, cùm possit eadem creatura, aut series creaturarum remissiùs & remissiùs in Deo videri. Poterunt igitur omnes creaturę non comprehensiuè, sed tantùm intuitiuè, non collectiuè, sed tantùm distributiuè sub quolibet lumine in Deo videri: quia vt sic non determinant sibi certum gradum luminis: non autem comprehensiuè, ob rationem assignatam: neque etiam collectiuè, quia ad collectiuè omnes quocumque modo videndas requiritur lumen infinitum, cùm nequeant infinita videri, nisi lumine & cognitione infinita. Cæterùm de facto quælibet creatura, aut series creaturarum possibilium videtur in Deo comprehensiuè per cognitionem adæquatam intelligibilitati, & connexioni ipsarum cum virtute, quam supponunt in causa: quia hic modus cognoscendi est perfectior, & similior modo, quo Deus eadem videt in seipso.

484. Prior probatio intelligenda est iuxta doctrinam traditam, quod omnes habitus inclinant ad omnia obiecta materialia contenta sub formali, sub certo intensionis gradu, non excedente gradum ipsius habitus, cùm nullus habitus inclinare possit ad intensiorem gradum, quàm ipse contineat in se: alioqui posset effectus excedere perfectionem causæ. Posterioris neganda est minor: nam in omnibus possibilibus collectiuè sumptis reperitur ratio formalis luminis, & tamen ad ea collectiuè sumpta inclinare non potest lumen finitum. Vt igitur habitus inclinare possit ad obiectum materiale coniunctum cum formali, supponi debet attingibile sub certo gradu intensionis, habitum non excedente. Vnde falsum est habitum per se inclinare ad rationem formalem, nullo habito respectu intensionis. Cùm igitur obiectum formale luminis glorioſi non sit diuina essentia vt exemplar creaturarum, sub quolibet claritatis gradu attingibilis, sed sub certo & finito, non quælibet creatura, aut creaturarum series quocunque modo in Deo visibilis, erit materiale obiectum attingibile à lumine. Atque ex his patet ad prędsentem controuersiam.

485. Ad argumenta præcedentis sectionis. Ad Fundamentum primæ, dici Deum *speculum voluntarium* intellectui beato, non quia per hanc numero visionem modò hæc, modò illa obiecta manifestet; quia nec Deus facere potest, vt forma non statim tribuat suum effectum formalem subiecto capaci; nec sola extrinseca voluntas Dei efficere potest, vt quæ antea non tribuebat suum effectum formalem, modò tribuat: sed dicitur *speculum voluntarium*, quia liberè antecedenter se manifestat per visionem huius vel illius creaturę.

486. Ratio secundæ sententię, simul cum auctoritate sancti Thomæ solùm probat de lumine in ordine ad creaturas possibiles, vt de facto est, non autem in ordine ad futuras, & vt à Deo fieri posset.

387. Tertiam sententiam cum suis probationibus admittimus, non eo quidem fundamento, quo illam aduersarij defendunt, nempe, quia lumen, quatenus se tenet ex parte potentiæ est heterogeneum, sic enim non oporteret, illud ponere heterogeneum, vt constat de cęteris habitibus, cuius ratio est, quia lumen, vt est complementum potentiæ specificatur tantùm ab obiecto formali, quod est homogeneum: sed alio fundamento illam admittimus, nempe quia in nostra sententia lumen est simul species intelligibilis creaturarum, quas repræsentat: ratione cuius repræsentationis vnum est heterogeneè diuersum ab alio, sicut species vnius obiecti à specie alterius, indiuidualiter tantùm diuersi: exemplum de charitate non est ad rem: nam id prouenit, non ex diuersa indiuiduatione habitus, sed ex ipsa charitate secundum se, quæ quia practicè inclinat ad obiecta, vt consequibilia, ad ea priùs ac potiùs inclinat, quæ sunt magis debita: lumen verò, quia ad obiecta inclinat speculatiuè, cognoscendo tantùm naturas ipsorum, ad ea priùs, ac potiùs inclinat, quę sunt in se perfectiora, & causa aliorum, non autem quæ sunt conuenientiora: nam hic finis, cùm sit practicus, non intenditur ab habitu speculatiuo.

488. Ad Fundamentum quartæ constat ex dictis, in quo nimirum sensu sit concedendum, in quo verò negandum.

## SECTIO XXVI.

### *An Deus ab homine in hac vita videri possit sicuti est?*

489. Ratio dubitandi est ipsa auctoritas Dei, desideranti enim Moysi videre in hac vita Deum, Exodi 33. Respondit Deus: *Non videbit me homo, & viuet.* Vbi Glossa, *quamdiu*, inquit, *hìc mortaliter viuitur, per quasdam imagines Deus videri potest, sed per ipsam naturæ suæ speciem non potest.* Impossibile igitur est, Deum in hac vita ab homine videri. Confirmatur, nam visio Dei est cognitio omnium abstractissima, cùm sit de obiecto immaterialissimo: sed quò abstractior est cognitio, eò abstractiorem postulat intellectum: ergo abstractissima cognitio abstractissimum postulat intellectum. Igitur visio Dei non compatitur secum in eodem subiecto notitiam sensus vel alterius operationis materialis; ac

*Exodi 33.*

*Glo ſſa.*

proinde

proinde nequit esse in homine in hac vita existente, in qua nequit omni omninò operatione materiali & sensitiua carere.

490. Constans tamen est ac certa sententia, de potentia, absoluta nullam esse repugnantiam, quin Deus in seipso ab homine in hac vita existente videri possit; tametsi id repugnet de lege ordinaria. Prior pars assertionis eum habet certitudinis gradum, quem habet communis illa Theologorum sententia, quòd Christus simul fuerit viator & comprehensor. Nam si potuit Christus, vt homo viuens hanc vitam passibilem & mortalem videre Deum: poterit & quiuis purus homo: cùm natura humana in Christo non sit alterius rationis, aut maioris capacitatis, quàm si natura cuiuscunque puri hominis: neque enim vnio hypostatica illam ab intrinseco mutauit, aut maiorem illi contulit capacitatem, quàm ex seipsa haberet, sed solùm illi addidit quandam congruitatem, cur talis visio, & omne aliud creatum donum cum ipso officio Redemptoris non pugnans, ei debitum fuerit, etiam in hac mortali vita existenti. Porrò sententia illa de Christo viatore & comprehensore simul, est adeo certa, vt oppositam Pater Suarez 3. part. quęstione nona, articulo quarto, disputatione vigesima quinta, sect. 1. putet erroneam, hæresique proximam.

*Suarez. Censura oppositæ sententiæ.*

491. Ratio autem assertionis est, quia clara visio Dei nullam habet cum hac mortali vita essentialem repugnantiam, quo minùs de potentia absoluta possit cum illâ coniungi. Assumptum probo: nam duplex vita considerari potest in homine viatore, vna substantialis & in actu primo, quæ consistit in ipsa vnione & substantiali informatione animę ad corpus corruptibile; altera accidentalis, & in actu secundo, quæ formaliter consistit in operationibus vitæ vegetatiuæ, sensitiuæ, & intellectiuę cum neutra vita essentialiter pugnat clara visio Dei: non cum prima, nam actus videndi Deum, & informandi corpus non sunt essentialiter oppositi, tum quia reperiuntur in beatis: tum quia sunt actus perfectiui in ordine ad diuersas perfectiones, nam vnus perficit hominem substantialiter, & in ordine ad esse naturale: alter accidentaliter, & in ordine ad esse supernaturale. Vnde sicut esse naturale potiùs supponitur, & perficitur à perfectione supernaturalis: ita vita naturalis hominis, quæ formaliter consistit in vnione substantiali animæ ad corpus, supponitur, & perficitur à visione Dei.

492. Neque essentialiter repugnat cum secunda vita actuali: nam triplex est hęc vita actualis in homine mortali vegetatiua, sensitiua, & intellectualis, consistens in actuali operatione vitæ vegetantis, sentientis, & intelligentis, atqui non pugnant cum actuali operatione vitę intelligentis, tum quia talem operationem secum compatitur in Angelis beatis, qui intuendo Deum non impediuntur ab actibus intellectualibus circà alia obiecta: tum quia tales actus non sunt oppositi, sed maximè subordinati. Neque pugnant cùm actibus vitæ vegetantis, cùm sint actus diuersarum potentiarum, & ad diuersas perfectiones tendentes. Neque demum cum actibus vitę sentientis: quia licet repugnet, vt visio Dei originetur à cognitione sensitiua, cùm sit de obiecto immateriali, & omnino independente à sensibus, non tamen repugnat, vt simul intellectus videat Deum, & sensus feratur in sensibilia: tum quia hoc necessariò concedendum est Christo, qui à visione Dei numquam cessauit, & tamen cum illa continuò exercuit operationes sensuum. Tum quia cùm sint actus diuersarum potentiarum, respectu diuersorum obiectorum, non pugnant simul in eodem subiecto, saltem supernaturaliter, & de potentia absoluta, quidquid sit naturaliter, & de potentia ordinaria, propter limitationē subiecti.

493. Posterior pars assertionis probatur primò, quia visio diuinæ essentię est suprema fœlicitas, & essentiale prędmium creaturę rationalis: de ratione autem supremæ fœlicitatis & prædmij est, vt non conferatur, nisi post huius vitæ ærumnas, & deuictos certaminis labores: sed homo quamdiu in hac vita viuit, semper est in via ęrumnarum, & inter certaminis ac pugnę labores: ergo naturaliter, & de lege ordinaria non debetur illi visio diuinæ essentię. Secundò, quamdiu homo in hac vita viuit, naturale est ei omnia intelligere per conuersionem ad phantasmata: atqui diuina essentia intelligi nequit per conuersionem ad phantasmata. Minor est euidens, nam ea tantùm intelligi possunt per conuersionem ad phantasmata, quorum notitia aliquo modo pendet à phantasmatibus. Maior probatur, quia naturale est homini in hac vita degenti ad intelligibilia assurgere per sensibilia, ab illis species intelligibilium abstrahendo: ergò.

494. AD rationem dubitandi respondet Augustin. lib. 12. de Genesi ad litteram cap. 27. illud à Deo dictum esse, non quod sit necessarium, vt qui Deum videt, omninò moriatur vitę isti, sed vt *quodammodo moriatur, quia* debet ita *à carnalibus sensibus alienari, vt meritò*, inquit, *nesciat, sicut Apostolus ait, vtrum in corpore, an extra corpus sit, cùm in illam rapitur & subuehitur visionem.* 2. Responderi potest, Deum locutum fuisse iuxta legem ordinariam: quo pacto loquitur etiam Paulus 1. ad Tim. vlt. *Deum nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Eadem responsio applicanda est glosię.

*Augustin.*

*Prima ad Timotheum*

495. AD Confirmationem Respond. ex ea tantùm sequi, visionem Dei, nullam secum compati cognitionem sensitiuam causaliter non autem concomitāter: nam ex eò, quòd visio Dei sit cognitio omnium abstractissima, abstractissimum postulabit intellectum, à nullis phantasmatibus in cognoscendo Deo dependentem, non autem quòd non possit aliquam sensitiuam notitiam concomitanter habere: hoc enim abstractioni visionis Dei nihil derogat.

496. Hæc de potentia absoluta. Maior controuersia inter Patres & Scholasticos est, an de facto cum aliquo in hac communi & ordinaria lege dispensatum aliquando sit, vt adhuc in hac mortali vita viuens speciali priuilegio fuerit à Deo eleuatus ad claram sui visionem, saltem ad tempus, & transeunter. Affirmant S. Doctor de Paulo & Moyse 2.2. q.175. art. 3. in corpore & ad 1. & de veritate q.10. art. vlt. & q.13. art.2. & alibi. Dur. in 4. dist.49. q. 6. num. 5. Sotus quæst. secunda, artic. 4. circa finem, Ferrar. 3. contra gentes cap.47. §. *quantum ad secundum* in fine: Idem supponere videtur de Paulo Scotus in 2. dist. 3. qu. 9. §. *secundo modo*, & alij Scholastici moti auctoritate August. lib. duodecimo, supra Genesim ad literam cap.27. & epist.112. ad Paulinam de videndo Deo c.12. vbi id apertè asserit propter illa Verba Domini Numeror. 12. *An non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei & palam; & non per ænigmata & figuras Dominum videt.* Putat enim August. gloriam Domini, quam Moyses à Domino videre petierat, Exodi 33. hic illi fuisse manifestatam.

S. Thomas
Durandus.
Sotus.
Ferrarien.
Scotus.
August.
Num. 12.
Exod. 33.

497. Alij hoc priuilegium extendunt ad Adamum propter illa verba Geneseos 2. *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam:* existimant enim, hunc soporem fuisse ex clara visione Dei.

Gen. 2.

498. Alij id docent de Iob, propter illa verba, Iob 42. *Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te.* Et fundamentum habet in Aug. lib. 22. de ciu. Dei c.29. *& fortasse*, inquit, *ista virtus magna cernendi data fuerit ad horam etiam in isto mortali corpore oculis Sancti viri Iob, quando ait ad Deum in obauditu auris obaudiebam prius, nũc autẽ oculus meus videt te.*

Iob 42.
August.

499. Alij idem testantur de Petro & Ioanne Euangelista: de illo quidem, quãdo à Christo responsum accepit. Matt. 16 *Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in Cœlis est*; quem locum expendens Aug. cit. ep. ad Paul. c. 11. *Quamuis*, inquit, *illa reuelatio, vtrũ per fidem tantæ rei creditæ, an per visionem conspectæ, facta in eius mente fuerit, nõ mihi videtur elucere:* de isto autẽ, quãdo in cœna recubuit supra pectus Domini. Quod etiam fundamentũ habet in Amb. li. 7. in Luc. & Origene hom. 2. in diuersos.

Matt. 16.
August.
Ambros.
Origenes.

500. Alij idem censent de Isaia & Ezechiele, eò quòd ille c.6. suę prophetię dixerit; *Video Dominum*; hic c.3 testetur, se vidisse *gloriã Domini*, & c.8. *visionem Dei.* Alij idipsum sentiunt de S. Benedicto, quando dicitur totum mundum vidisse sub vno solis radio collectum. Lege Greg. l.2. dialogor. c. 35.

Greg.

501. Alij id affirmant de S. Hieronymo. Et à fortiori id affirmarent de B. V. eò quòd nullum priuilegium sit alicui puro homini factum, quod B.V. concessum non sit.

502. Negant verò vniuersaliter de omnibus. Molina 1. p. q. 12. a. 11. D. 2. Vasq. d. 55. cap. 2. Gammac. 1. p. qu. 12. c. 10. Granad. tr. 7. d. 1. Suar. l. 2. de attrib. diu. c. 30. & alij multi. Excipiunt tamen B.V. Suar. & Vàs. d. 56. c. 2. de qua etiam Henriq. in sum. l. 3. c. 11. affirmat, non semel in hac vita eleuatã fuisse ad intuẽdam in raptu diuinam essentiam. Hæc sententia mihi probabilior est & sequenda, quã multorum Patrum auctoritate confirmat Vas. nobis sufficit tum auctoritas scripturæ Ioa. 1. *Deũ nemo vidit vnquam, Vnigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarrauit:* vbi priuilegium hoc videndi in hac vita diuinam essentiam tribuit soli Christo. Et Paulus 1. ad Tim. 6. *Deum nemo hominum vidit, sed nec videre potest:* intellige de potentia ordinata in hac vita. Et Euaristus Papa in 1. ep. decret. circa finem: *Quam*, inquit, *nempe lucem inaccessibilem, nullus modo nostrum in hoc mortali corpore constitutus potest aliquatenus contueri, sed dum apparuerit, tunc vere illum videbit, sicuti est, qui eius conspectibus fuerit dignus coaptari; & non sicut Moyses, cæteriq; prophetæ per ænigmata & figuram.* Cùm igitur neque Moysen aut vllum alium Prophetam ab hac ordinaria lege excipiat, neque nos illos excipere debemus.

Henriquez.
Molina.
Vasquez.
Gammacheus.
Granadus.
Suarez.
Ioan. 1.
1. ad Tim. 6.
Euaristus.

503. Fundamentũ huius sententię de Moyse quidem & reliquis Prophetis Christi aduẽtum præcedentibus, est, quia non decuit, vt tale priuilegium videndi diuinam essentiam vlli mortali ante Christum concederetur: quod insinuauit Ioannes Euang. supra citatus, dum hoc priuilegium videtur concedere soli Christo. Etenim decuit, vt qui inter homines primus Dei essentiã videret, esset Christus Dominus: propterea enim SS. Patres detinebãtur in lymbo, quia non decebat quenquam illorũ priùs Deum videre, quàm ipse Christus vidisset: qui tanquam caput & redemptor omniũ debuit primus hanc paradisi ianuam, peccato protoparentis occlusam nobis referare; priùs illam tibi aperiendo, tanquam proprius dominus, ac naturalis hæres. Non enim decebat, vt priùs hęc hęreditas adiretur à filijs adoptiuis, quàm à Filio naturali, per quem debebant adoptiui æterno patri reconciliari.

Ioannes.

504. Ex hoc fundamento apertè sequitur, nunquam B. V. vidisse diuinam essentiam ante Verbi Incarnationem; pium tamen est credere, illam vidisse post Verbi Incarnationem: quod mihi satis probabile est post Christi resurrectionem, quando ad eam videndam eleuati fuerunt omnes SS. Patres, qui in lymbo detinebantur. Decuit enim, vt ipsa prima post filium, hanc gloriæ hæreditatem adiret.

505. Fundamentum oppositæ sententiæ, quoniãtotum nititur auctoritate Aug. S. Th. & aliorum Scholasticorũ: Augustino opponimus Euaristum Papam, aliosque Patres, quos legere est apud Recentiores; S. Th. verò alijsq; Scholasticis, alios Doctores, qui ex professo hanc controuersiam tractarunt.

August.
S. Thom.
Euaristus.

506. AD locum verò scripturæ Respond. Ex eo non conuinci Moysem diuinam essentiam vidisse, sed tantùm ad quoddam familiaritatis genus supra cæteros prophetas à Deo eleuatum fuisse, ad quod exprimẽdum Deus vsus est illo modo loquendi: præsertim cũ desideranti Moysi Dei gloriã videre responsum sit, nemo videbit me & viuet. Multò minùs

Explicatur Scriptura.

allata

allata testimonia vel Scripturæ, vel Patrum de cæteris Sanctis conuincunt; solùm enim probant peculiarem quemdam modum cognoscendi Deum, semper tamen intra modum abstractiuum & ænigmaticum, proprium hominum in hac vita degentium, vt ipsemet Pontifex Euaristus docuit.

# DISPVTATIO X.

## De Incomprehensibilitate Dei.

POST attributum cognoscibilitatis sequitur attributum incõprehensibilitatis, quod multi inuoluunt in ipso attributo cognoscibilitatis, quatenus idem Deus, qui intuitiuè à creatura videri potest, adæquatè & comprehensiuè cognosci non potest. Nos claritatis gratia hæc duo attributa, saltem inadæquatè in Deo distinguimus: cùm aliud formaliter sit, ipsum intuitiuè tantùm cognoscere, & comprehendere. Disputamus autem hîc de Comprehensione, non vt importat optatæ rei consecutionem, quo pacto omnes Beati dicuntur comprehensores, quoniam assecuti sunt, quod tantopere optarunt; sed vt dicit adæquatam obiecti cognitionem. Quoniam verò proposita controuersia tota pendet ex natura ipsa comprehensionis, antequam disputemus, an Deus sit à creatura incomprehensibilis, disputandum erit de natura ipsa comprehensionis.

### SECTIO I.

### *In quo sita sit formalis ratio comprehensionis?*

*Ocham. Gabriel.*

1. PRIMA sententia Ochami in 4. q. 13. art. 1. & Gabriel in 3. dist. 14. art. 3. dub. 2. opinantium, comprehensionem esse cognitionem omnium perfectissimam, quæ de obiecto haberi potest: quo pacto nulla creatura ab alio comprehendi potest, quàm à solo Deo; quia sola cognitio Dei est omnium perfectissima. Verùm hæc exploditur ab omnibus, eo quòd mensura perfectæ cognitionis non est desumenda ex perfectione cognoscentis, sed cognoscibilis, vt nimirum tam perfecta sit cognitio in repræsentando, quàm perfectum est ipsum obiectum repræsentabile. Cuius ratio à priori est, quia cognitio non debet in repræsentando adæquari cognoscenti, sed cognoscibili; est enim cognoscibilis, non cognoscentis expressio. Tanta igitur debet esse cognitionis perfectio, quanta est obiecti cognoscibilitas, vt illius comprehensio esse ac dici possit.

*Bannez.*

2. SECVNDA sententia est Bannez 1. p. quæstione duodecima, articulo 8. §. *contra.* Zumel disputatione prima. Vasq. disp. 53. c. 4. Granadi tom. 1. tract. 5. disputat. 13. Fasoli, Suar. lib. 2. de Attributis diuinis cap. 29. & 3 p. Disput. 26. sec. 1. affirmantium, ad comprehensionem sufficere cognitionem extensiuam omnium, quæ vel formaliter, vel eminenter sunt in obiecto, vt hinc facilè deducant, non posse Deum ab intellectu creato comprehendi, quia licet videantur omnia; quæ formaliter sunt in ipso, non tamen videntur aut videri possunt omnia, quæ fieri possunt ab ipso; & consequenter licet videatur totus formaliter, non tamen videtur, aut videri potest totus eminenter, quod est videri totum, non autem totaliter. Probatur primò. Ex Augustin. epist. 112. cap. 8. vbi docet, ad comprehensionem tantùm requiri, vt nihil rei visæ lateat videntem. Confirmatur, quia tunc locatum comprehenditur à superficie corporis locantis, quando totum locatum continetur intra superficiem ipsius locantis: ergo tunc res comprehenditur cognitione, quando tota rei entitas & perfectio continetur intra notitiam ipsius cognoscentis.

*Zumel. Vasquez. Granadus. Fasolus. Suarez.*

*Augustin.*

3. Secundò probatur eadem sententia auctoritate Sancti Thomæ 1. p. quæst. duodecima, articulo octauo, & 3. p. q. 10. articulo secundo, & quæstione octaua, de veritate articulo quarto. In quibus locis probat, ideo beatos non videre omnia, quæ sunt in Deo eminenter, quia alioqui comprehenderent Deum. Quæ illatio, vt concludat, supponere debet, comprehensionem esse solam cognitionem extensiuam eorum, quæ formaliter & eminenter continentur in Deo; alioqui si requireretur præterea certa aliqua perfectio & intensio cognitionis, possent omnia in Deo videri & adhuc non comprehendi, quia posset non videri cum ea claritate & intensione, qua obiectum ipsum postulat videri.

*S. Thomas.*

4. Tertiò probatur à priori: nam comprehendere obiectum est ipsum cognoscere quantum cognoscibile est ex parte obiecti, non autem quantum cognoscibile est ex parte cognoscentis: Sed tunc obiectum cognoscitur quantum cognoscibile est ex parte obiecti, quando omnia, quæ sunt in obiecto formaliter & eminenter, cognoscuntur: ergo ad comprehensionem sufficit extensiua cognitio eorum omnium, quæ quoquo modo

sunt in obiecto. Maior constat, nam comprehensio adæquari debet cognoscibili, non cognoscenti. Minor probatur, quia tunc obiectum cognoscitur quantum cognoscibile est ex parte obiecti, quando tota ipsius intelligibilitas adæquatur actu ipso intelligentis: tunc autem tota intelligibilitas obiecti adæquatur actu ipso intelligentis, quando tota ipsius entitas tam formalis, quàm eminentialis cognoscitur; nam intelligibilitas adæquatè consequitur entitatem, nec potest obiectum plus habere de intelligibilitate quàm de entitate; ergo si totum cognoscitur quoad entitatem, totum etiam cognoscetur quoad intelligibilitatem.

*Richardus.* *Scotus.* *Durandus.* *Bassonus.* *Aureolus.* *Sotus.* *Capreolus.* *Ferrariens.* *Molina.* *Arrubal.* *S. Thomas.*

5. TERTIA sententia est Richardi in tertio distinct. 14. articulo primo, quæstione quarta. Scoti quæstione secunda §. *in prima quæst. ad secundam probationem*, Durandi quæstione prima, num. decimo, Bassoli quæstione secunda in fine, Aureoli quodlibeto 10. articulo primo, Soti in quarto distinct. 49. quæstione tertia, articulo primo ad secundum, Capreoli quæstione sexta, articulo tertio ad obiecta Aureoli, Ferrariens. tertio, contra Gent. cap. quinquagesimo quinto, §. vltimo, Molinæ 1. p. quæstione duodecima, articulo septimo & octauo, disputatione secunda ad primum, Arrubalis disputatione vigesima tertia asserentium, cognitionem comprehensiuam non solùm debere adæquari obiecto extensiuè, quoad omnia, quæ in ipso sunt formaliter & virtute, sed etiam intensiuè, quoad claritatem ab ipsa obiecti intelligibilitate exigitam.

6. Quæ sententia verior est, & procul dubio Sancti Thomæ, qui ad comprehensionem non solùm requirit adæquationem extensiuam, sed etiam intensiuam in claritate obiecto commensuratam, vt 1. p. quæstione duodecima articulo septimo ad tertium explicat, ideò beatos non comprehendere Deum, quia licet totum Deum videant, non tamen vident totaliter; *non quod totus*, inquit, *modus obiecti non cadat sub cognitione, sed quia modus obiecti non est modus cognoscentis*, quia licet videant Deum infinitum, non tamen ipsum vident infinitè. & 3. p. quæstione decima, articulo secundo ad tertium. *Quantitas*, inquit, *scientiæ non solùm attenditur secundùm numerum scibilium, sed etiam secundum claritatem cognitionis:* & quæstione octaua, de ver. articulo secundo ad secundum. *Tunc*, inquit, *dicitur aliquis alterum videre totaliter, quando ipsius visio habet modum totalem: & hoc est, quando ita perfectus est modus visionis ipsius videntis, sicut est modus visibilitatis ipsius rei*, vt si quis opinione cognoscat, quod cognoscibile est demonstratione: & ad vltimum, *Ipsa*, inquit, *immensitas Dei videbitur, sed non videbitur immense, videbitur enim totus modus, & non totaliter.* Vnde semper totalitatem visionis, ad comprehensionem requisitam, explicat ex parte actus, vt nihil aliud sit, obiectum totaliter videri, quàm videri eo claritatis gradu, quo visibile est obiectum.

7. Fundamentum huius sententiæ est, quia comprehensio non est qualiscumque cognitio, sed cognitio adæquans totam cognoscibilitatem obiecti: sed obiectum non solùm est adæquabile extensiuè, sed etiam intensiuè: ergo cognitio adæquata tantùm extensiuè, non est obiecti comprehensio. Maior patet, quia obiecti comprehensio est cognitio omnium perfectissima, quam obiectum ipsum exigit. Minor probatur, nam quodlibet obiectum, etiam indiuisibile, est natura sua determinatiuum potentiæ ad certum gradum claritatis, propriæ cognoscibilitati commensuratum, vt inductione constat tam in sensibilibus, quàm intelligibilibus; omnia enim obiecta non solùm habent vel per se, vel speciem sui determinare potentiam ad simplicem notitiam, qua ipsorum naturæ simpliciter cognoscantur, sed etiam ad notitiam, cum certa claritate & intensione, propriæ cognoscibilitati commensurata. Cuius ratio à priori est, quia obiectum non terminat cognitionem, nisi ad illam concurrat obiectum ipsum per propriam virtutem determinatiuam, commensuratam propriæ cognoscibilitati. Vnde cognitio, quæ adæquatur virtuti determinatiuæ obiecti, adæquatur etiam cognoscibilitati eiusdem: nam eatenus obiectum dicitur cognoscibile, quatenus est determinatiuum potentiæ ad cognitionem sui; mensura enim virtutis determinatiuæ obiecti, est ipsa cognoscibilitas obiecti, quia finis & terminus virtutis determinatiuæ ipsius obiecti, est adæquata cognitio sui: cuius signum est, quia species, quæ est proximum determinatiuum potentiæ ad cognitionem obiecti à quouis obiecto creato, etiam intellectuali & libero, producitur necessariò, quia quod necessariò producitur, adæquatè producitur, quia secundùm adæquatum posse virtutis producitur: igitur cognitio, quæ solùm extensiuè, & non etiam intensiuè, & in claritate adæquat cognoscibilitatem obiecti, non est obiecti comprehensio.

8. Confirmatur, nam ita se habet claritas in actu cognitionis, sicut feruor in actu amoris: at non dicitur amor adæquatus obiecto amabili, qui solùm adæquatur illi extensiuè, & non intensiuè: ergo nec cognitio erit adæquata obiecto cognoscibili, quæ tantùm adæquatur illi extensiuè, & non intensiuè. Maior patet, quia non minus actus cognitionis, quàm amoris determinatur ad certam intensionem ab ipsa virtute obiecti. Minor probatur nam posset Angelus superior diligere inferiorem quoad omnia, quæ in ipso videt extensiuè, non autem intensiuè: cùm enim hic actus amoris Angeli superioris erga inferiorem sit liber, poterit attemperari, quoad intensionem feruoris, atque adeò non ferri in illum iuxta amabilitatem ipsius. Quod autem talis amor non esset adæquatus amabilitati obiecti, constat; quia, vt suppono, talis amor non attingeret

intensionem

intensionem feruoris, quo Angelus inferior diligit seipsum: sed amor, quo Angelus inferior diligit seipsum, est adæquatus amabilitati ipsius: igitur amor, quo Angelus superior diligit inferiorem, non est adæquatus amabilitati ipsius Angeli inferioris.

9. Sed contrà, nam aduersarius contendit, non posse dari cognitionem adæquatam extensiuè, quin eadem sit etiam adæquata intensiuè, eò quòd tota intensio & claritas cognitionis ordinatur ad obiectum perfectiùs penetrandum: ergo vbi hoc fuerit penetratum extensiuè, quoad omnem entitatem & perfectionem absolutam, & respectiuam, non erit intensior cognitio necessaria: igitur frustra præter cognitionem extensiuam requiritur intensiua, quia hæc non datur, vt distincta ab extensiua, sicut nec adæquata intensiuè distincta ab adæquata extensiuè.

10. Respond. 1. Esto non detur cognitio adæquata extensiuè, quin eadem sit etiam adæquata intensiuè, adhuc tamen ad explicandam naturam comprehensionis rectè dicimus, illam formaliter & præcisè non consistere in sola extensione obiectiua, sed etiam in intensione & claritate subiectiua, quæ exigitur ab obiecto ipso.

11. Secundò nego, dari non posse cognitionem adæquatam extensiuè, inadæquatam verò intensiuè: Nam potest obiectum per virtutem determinatiuam suam inadæquatè intensiuè concurrere cum potentia ad cognitionem totius suæ entitatis & perfectionis extensiuæ; igitur dabilis est cognitio adæquata extensiuè, inadæquata verò intensiuè. Consequentia constat, quia talis cognitio exprimeret omnem perfectionem extensiuam obiecti, cùm esset producta ab omni perfectione extensiua illius; & tamen non cum eâdem claritate & intensione, quæ exigitur ab obiecto; quia non esset producta per adæquatum concursum intensiuum totius virtutis determinatiuæ obiecti. Antecedens probo, quia potest obiectum, saltem diuina virtute, non concurrere, quantum potest intensiuè, cum potentia ad cognitionem totius suæ entitatis & perfectionis extensiuè: nam licet obiectum sit indiuisibile intensiuè formaliter, vt est substantia spiritualis, est tamen diuisibile virtualiter, quatenus potest intensiùs & intensiùs cum potentia concurrere, ad clariorem & clariorem notitiam, circa eamdem indiuisibilem entitatem sui; quæ, quia in se formaliter indiuisibilis est, per quamlibet cognitionem intuitiuam tota videtur: quia verò eadem est virtualiter diuisibilis, per virtutem determinatiuam in ordine ad actum intensiorem & intensiorem, commensuratum propriæ cognoscibilitati, non videtur totaliter nisi per cognitionem intensiuè adæquatam virtuti determinatiuæ obiecti. Quo fit, vt quamuis obiectum sit indiuisibile quoad entitatem, diuisibile tamen sit quoad cognoscibilitatem; quoniam hæc non attenditur absolutè in se, sed respectiuè in ordine ad cognitionem, per quam exprimi potest clariùs & clariùs, iuxta concursum virtutis determinatiuæ obiecti, & virtutis cognoscitiuæ subiecti. Confirmatur, quia posset obiectum concurrere adæquatè extensiuè, & intensiuè in ratione obiecti cum potentia, inadæquatè concurrente in ratione potentiæ: sed tunc sequeretur cognitio adæquata extensiuè, quia omnia viderentur in obiecto, adæquatè concurrente in ratione obiecti; inadæquata verò intensiuè ex parte potentiæ. Igitur non repugnat cognitio adæquata extensiuè, inadæquata verò intensiuè.

12. Ad argumentum igitur in forma, nego antecedens: ad cuius probationem dico, totam intensionem, & claritatem cognitionis ordinari ad perfectiùs penetrandum obiectum, vel quoad extensionem, vel quoad virtualem intensionem, & diuisibilitatem ipsius obiecti. Vnde nego paritatem, quod sicut non datur cognitio adæquata intensiuè, distincta à cognitione adæquata extensiuè; ita nec cognitio adæquata extensiuè, distincta à cognitione adæquata intensiuè, quia cognitio adæquata intensiuè includit essentialiter adæquationem extensiuam: nam cognitio adæquata intensiuè, est cognitio producta à potentia adæquatè determinata à tota virtute motiua obiecti, & lumine eiusdem ordinis, & rationis: cognitio verò adæquata extensiuè non includit formaliter adæquationem intensiuam, quia vel illa produci potest à tota virtute obiecti adæquata extensiuè, inadæquata verò intensiuè; vel à potentia inadæquatè concurrente in ratione potentiæ.

13. Vel certè distinguenda est duplex extensio in obiecto, altera intrinseca, & constitutiua ipsius, altera extrinseca, & terminatiua tantùm: adæquatio prioris extensionis, est essentialiter connexa cum adæquata cognitione intensiua eiusdem, non autem adæquatio posterioris extensionis; possum enim comprehendere totam entitatem, & perfectionem intrinsecam obiecti, non comprehensis terminis, ad quos virtus ipsa intrinseca obiecti se extendit: at non possum comprehendere totam perfectionem obiecti, non comprehensâ totâ perfectione constitutiuâ ipsius. Cuius ratio est, quoniam ad perfectam comprehensionem rei sufficit, si adæquatè cognoscatur tota entitas, & perfectio intrinseca ipsius, alioquin si ad comprehensionem rei, præter comprehensionem intrinsecæ entitatis, & perfectionis ipsius, necessaria etiam foret comprehensio extrinseca cuiuscunque termini, cum quo res ipsa connexionem habet, nulla creatura posset aliam comprehendere: consequens est falsum; nam omnes concedunt, Angelum superiorem comprehendere inferiorem, & quamlibet rem sublunarem naturalem. Sequelam probo, tum quia omnis creatura essentialem connexionem

habet cum omnipotentia Dei, tanquàm effectus cum sua causa: implicat autem, omnipotentiam Dei naturali cognitione intuitiua cognosci, nedum comprehendi. Tum quia, cùm intellectus Angelicus posset infinitos actus specie diuersos, per ordinem ad infinita obiecta specie diuersa, quæ successiuè intelligere posset, elicere, nullus Angelus posset talem intellectum comprehendere, nisi comprehensis infinitis actibus, & obiectis specie diuersis, ad quæ intellectus Angelicus potest se extendere: similiter nec posset materia prima comprehendi, nisi comprehensis infinitis formis, ad quas dicit ordinem. Ad perfectam igitur comprehensionem rei non est necessaria comprehensio extrinseci termini, ad quem res ordinatur, sed sufficit comprehensio solius entitatis, & perfectionis intrinsecæ, cum sola notitia abstractiua termini sub aliqua ratione communi, sub qua res ipsa terminatur.

14. *Obijcies* 1. Implicat obiectum determinare potentiam ad clariorem notitiam sui, quin illam determinet ad perfectionem aliquam, vel modum in ipso obiecto de nouo cognoscendum. Assumptum probo, tum quia sicut implicat, cognoscere de nouo obiectum, & non cognoscere aliquam perfectionem nouam in ipso obiecto: ita cognoscere clariùs, & perfectiùs idem obiectum, & non cognoscere nouam aliquam perfectionem, vel modum in eodem obiecto: tum quia nouo gradui cognitionis respondere debet nouus gradus, vel perfectio ex parte obiecti, cùm totum esse cognitionis sit ad manifestandum obiectum.

15. Resp. Distinguendo antecedens, implicat obiectum determinare potentiam ad clariorem notitiam sui, quin illam determinet ad nouam perfectionem, vel modum anteà non cognitum, nego; ad eandem perfectionem vel modum clariùs cognoscendum, concedo. Vnde ad priorem probationem, nego consequentiam, quia quando primò cognoscitur obiectum, nullo modo supponitur anteà cognitum, atque adeò implicat, illud de nouo cognoscere, & nullam perfectionem de nouo in illo videre; at quando supponitur iam cognitum, non implicat, idem secundùm eandem perfectionem clariùs cognoscere. Ad posteriorem verò dico, sat esse, si nouo gradui cognitionis respondeat eadem perfectio, idemque gradus perfectionis clariùs cognitus: nam sicut datur maior, & minor claritas subiectiua ex parte actus, ita maior, & minor claritas obiectiua ex parte obiecti. Eadem igitur perfectio secundùm maiorem claritatem obiectiuam respondet clariori cognitioni subiectiuæ. Quod explicari potest exemplo amoris, quo aliquod obiectum diligimus, & non secundùm adæquatam diligibilitatem ipsius: nihil tunc est in obiecto, quod non diligamus, non tamen dicimur illud adæquatè diligere, quia non diligimus, illud actu, quoad intensionem proportionato diligibilitati obiecti. Vnde quando intensiore actu ad illud idem ferimur, nihil tali actui respondet ex parte obiecti, quod antea non fuerat dilectum, respondet tamen idem obiectum, secundùm maiorem diligibilitatem obiectiuam ipsius.

16. *Obijcies* 2. Si ad comprehensionem præter extensiuam repræsentationem omniũ, quæ sunt in obiecto, necessaria esset intensiua perfectio in claritate, non posset statui certa claritas, & intensio, quæ necessaria esset in actu comprehendente obiectum, cùm illa nõ solùm proueniat ab obiecto, sed etiam à potentia ipsa cognoscitiua: idem enim obiectum per eandem speciem adæquatam sui comparatum ad diuersas potentias magis, aut minùs perfectè, clariore, aut minùs clarâ cognitione postulat repræsentari. Respondeo. Non quamcunque claritatem actus naturaliter exigi ab obiecto, sed eam dumtaxat, quæ per adæquatam speciem sui, & lumen eiusdem perfectionis, & ordinis deriuatur in actum: vnde omnis alia claritas, & perfectio, quæ prouenit à lumine altioris ordinis, non exigitur connaturaliter ab obiecto: quia obiectum sicut non exigit repræsentari per speciem perfectioris entitatis; ita nec per lumen altioris ordinis: nam species & lumen sese mutuò respiciunt in ordine ad idem obiectum, tanquam principia eiusdem actus, expressiui eiusdem obiecti.

17. Ad argumenta secundæ sententiæ, ad auctoritatem Augustini respondet S. Thom. 1. parte quæst. 12. art. 7. ad 2. comprehensionem esse, cùm res ita videtur, vt nihil ipsius lateat videntem, neque quoad entitatem, neque quoad modum cognoscibilitatis; qui modus licet se teneat ex parte actus, exigitur tamen ab obiecto ob sui virtualem diuisibilitatem. Vnde idem August. 12. de Ciuit. Dei cap. 18. comprehensionem definit, quâ *scientis comprehensione finitur*, quod est, vt S. Thomas præcitato loco explicat, *quando ad finem in modo rem cognoscendi peruenitur*. *Augustin.* *S. Thomas.*

18. Ad Confirmationem distinguo consequens: nam si tota entitas & perfectio rei cognoscibilis dicat etiam modum ipsius cognoscibilitatis, concedo totum; si solam entitatem, & perfectione extensiuam, nego consequentiam: & disparitas est, quia ad comprehensionem intellectualem, non solùm spectat intellectualis, continentia obiecti, sed etiam modus ipse continentiæ magis, aut minùs clarus; nam hæ sunt per se differentiæ cognitionis; ad materialem verò comprehensionem solùm pertinet adæquata continentia corporis locati à corpore locante.

19. Ad auctoritatem S. Thomæ respondeo, eius discursum tantùm procedere à posteriori, non à priori; quia, vt suprà ostendimus, ex cognitione omnium possibilium in Verbo rectè infertur intensiua, & adæquata cognitio Dei. *S. Thomas.*

20. Ad

20. Ad rationem, distinguenda est maior: etenim si ly *ex parte cognoscentis*, dicat modum qui ab obiecto exigitur, neganda est maior; nam comprehensio includit hunc modum, quia *tunc*, vt S. Thomas docet, *res videtur totaliter, quando modus obiecti fit modus ipsius cognoscentis*, hoc est, vt quæstione 8. de veritate articulo 2. ad 2. explicat, *quando visio* per comparationem ad rem visam *habet modum* videndi *totalem*. Si ly *ex parte cognoscentis*, dicat modū qui ab obiecto non exigitur, concedenda est maior, sed neganda minor, eiusq; probatio: nec propterea, quòd res videtur tota quoad entitatem, & tamen intelligibiliter non comprehendatur, sequitur, quòd res plus habeat de intelligibilitate, quàm de entitate; nam intelligibilitas rei non sequitur ad eius entitatem quomodocunque, sed vt determinatiua est potentiæ ad modum cognitionis, propriæ virtuti commensuratum: Ergo licet videatur tota entitas; quia tamen non videtur cognitione adæquante totam vim determinatiuam ipsius, non videtur totaliter; proinde nec intelligibiliter comprehenditur.

## SECTIO II.

### *An possit Deus comprehendi ab intellectu creato?*

21. RATIO dubitandi est, quia sicut naturæ humanæ vnitum est Verbum quoad totum esse personale, ita vniri poterit quoad totum esse intelligibile, maius quippe est, vniri Deum creaturæ quoad esse personale, quàm quoad esse intelligibile: quia illud fit per vnionem substantialem, & facit in recto Deum; hoc per vnionem accidentalem.

22. Constans tamen est omnium Patrum, & Scholasticorum sententia, Deum à nullo intellectu creato comprehendi posse. Controuersia tantùm est in assignanda ratione, quæ tota pendet ex prædeclarata natura comprehensionis.

*Nominales.* 23. Nominales eam rationem assignant, quia nulla creata cognitio possibilis est, quæ adæquet cognitionem, quam Deus habet de seipso: igitur possibilis non est comprehensio creata Dei. Antecedens patet. Consequentiam probant, quia comprehensio est cognitio omnium perfectissima, quæ de obiecto haberi potest. Verùm si hæc ratio supponit, comprehensionem esse perfectissimam cognitionem, quæ simpliciter de obiecto haberi potest, refutata manet ex dictis; si perfectissimam, quæ ab obiecto exigitur, non explicat, cur ea tantùm, quam Deus habet de seipso, sit omnium perfectissima quæ ab obiecto exigitur.

24. Auctores verò secundæ sententiæ precedente sectione citati, hanc rationem ex ipsorum principijs reddunt. Comprehensio est adæquata cognitio omnium, quæ formaliter, & eminenter sunt in obiecto: impossibilis est autem cognitio creata omnium, quæ formaliter, & eminenter sunt in Deo: igitur impossibilis est Dei creata comprehensio. Verùm hæc ratio falso nititur fundamento, vt ex dictis constat, & in subiecta materia sic ampliùs explico. Ex distincta cognitione possibilium, quæ eminenter sunt in Deo, nulla noua perfectio intrinseca videtur in ipso Deo, quæ sine tali cognitione non videretur: ergo si aliunde ad cognitionem comprehensiuam non requiritur cognitionis intensio obiecto proportionata, impertinens est possibilium cognitio ad Dei comprehensionem. Antecedens aduersarij non negant; alioqui sine cognitione possibilium tota Dei substantia non videretur. Cuius ratio est, quia possibilia sunt tantùm extrinseci termini diuinæ potentiæ, ad quos nullum dicit respectum realem; vnde nulla noua perfectio extensiua intrinseca cognoscitur in Deo ex eorum distincta notitia. Consequentia verò probatur, quia cùm per quamlibet intuitiuam notitiam videatur omnis perfectio, & formalis, & eminentialis in Deo, si aliunde ad comprehensionem non requiritur certa claritas, & intensio obiecto proportionata, non est, cur in eorum doctrina talis cognitio non sit comprehensio.

25. At dicunt, ideò talis cognitio non est comprehensio, quia licet videatur tota entitas, & perfectio Dei, quia tamen ex vi eiusdem cognitionis non videntur distinctè omnia, quæ ab ipso emanant vel emanare possunt, non dicitur comprehensio. Sed contrà, nam hoc est, quod contendimus, nempe distinctam cognitionem eorum, quæ à Deo emanant, vel emanare possunt, non pertinere ad comprehensionem ipsius Dei; nam neque hæc obiecta sunt intrinseca Deo, neque ex eorum distincta notitia cognoscitur aliqua noua perfectio in Deo, quæ sine illa non cognosceretur; comprehensio namque est tantùm eorum, quæ intrinseca sunt, & substantialia obiecto: alioqui, vt præcedente sectione inferebamus, nulla res creata, quantumuis minima comprehendi posset ab Angelo, quod est contra communem sententiam Theologorum.

26. Confirmo hoc ipsum ad hominem contra Vasquez, qui disputatione 143. cap. 4. & 5. contendit, Verbum diuinum procedere ex sola cognitione essentiæ, non autem creaturarum possibilium, cùm tamen ipsemet doceat, Verbum procedere ex cognitione comprehensiua Dei: igitur in eius sententia cognitio possibilium non facit ad comprehensionem Dei; alioqui non posset ex eorum notitia non procedere; cùm necessariò debeat procedere ex notitia comprehensiua Dei. Confirmatur: quoniam si cognitio possibilium requireretur ad meliùs cognoscendum Deum extensiuè tantùm, *Vasquez.*

non autem intensiuè, sequeretur, quòd si omnia possibilia cognoscerentur distinctâ cognitione ab ea, quâ cognoscitur Deus ipse, vt iam concedit Vasquez disputatione 50. cap. 7. vel si per impossibile ex distincta cognitione omnium possibilium in Verbo non sequeretur intensior cognitio Dei, adhuc ab intellectu creato comprehenderetur Deus, vel per duplicem cognitionem Dei, & possibilium, vt in primo casu, vel per eandem auctam tantùm extensiuè circa possibilia, vt in secundo. *Vasquez.*

27. Ego ex iactis principijs de natura comprehensionis hanc assigno rationem, cur Deus sit incomprehensibilis à creatura. Comprehensio est cognitio omnium perfectissima, quam postulat obiectum: sed Deus postulat cognitionem in claritate infinitam: implicat cognitio creata in claritate infinita: igitur implicat creata comprehensio Dei. Maior patet ex dictis. Minor subsumpta constat ex ratione infiniti vt sic, & ex ratione talis infiniti. Minorem assumptam probo, tum quia Deus vt obiectum intelligibile nòn minorem postulat cognitionem, quàm ipsemet de seipso habet: sed hæc est infinitæ claritatis, & incommunicabilis creaturæ: maiorem ostendo, nam Deus non est magis intellectiuus, quàm intelligibilis, quippe cùm eius intellectiuitas sit commensurata ipsius intelligibilitati, cùm vtraque adæquatè consequatur ipsius naturam, imò sit ipsamet Dei natura: ergo cognitio, quam Deus vt intelligibilis postulat, non est in claritatè minor, quàm ipse de seipso habet. Tum à priori sic, cognitio, quam vnaquæque natura intellectualis de seipsa postulat, est cognitio commensurata propriæ intelligibilitati, adæquatè procedens ex virtute determinatiua, & intellectiua sui: igitur cognitio, quam Deus de seipso postulat, est cognitio commensurata propriæ intelligibilitati, adæquata virtuti determinatiuæ, & intellectiuæ suimet ipsius: hæc autem, vt patet, est infinita, & incommunicabilis creaturæ, adæquatur enim infinitæ intelligibilitati, & intellectiuitati Dei: vt autem queat vna natura adæquatè intelligere aliam, debet esse tantæ intellectiuitatis, quantæ intelligibilitatis est alia. Lege Scotum in 3. dist. 14. quæst. 2. ad primum. *Scotus.*

28. DICES: Ex hac ratione tantùm sequitur, non posse creaturæ Dei comprehensionem communicari vt causæ principali, non autem vt causæ instrumentali, sicut potest Angelo inferiori instrumentaliter communicari comprehensio Angeli superioris, licet non posset principaliter. Sed contrà, nam cognitio est caussa formalis principalis in repræsentando obiecto: implicat autem cognitioni creatæ communicari eam claritatem, quæ formaliter requiritur ad comprehendendum Deum: non implicat autem Angelo inferiori communicari claritatem, quæ formaliter requiritur ad comprehendendum Angelum superiorem; quia hæc finita est, & potest à Deo efficienter suppleri; illa verò deberet esse infinita: implicat autem cognitio creata infinita; igitur.

29. Ad rationem dubitandi, ratio discriminis est, quia esse personale communicatur formaliter, proinde totum communicatur: esse verò intelligibile communicatur effectiuè: implicat autem, vt Deus se totum effectiuè secundùm esse intelligibile communicet creaturæ, quia implicat effectus creatus infinitus: non implicat verò vt se totum communicet creaturæ formaliter, quia hoc esse non est distinctum ab ipso Deo. Ad probationem, esto communicatio secundùm totum esse personale sit maior, non tamen repugnat, sicut communicatio secundùm totum esse intelligibile. Quoniam hæc fieri debet, mediâ intellectione creatâ infinitâ, quæ implicat; illa, mediâ vnione finitâ, quia vnio non postulat, vt in essendo adæquetur termino vnibili, sicut comprehensio in repræsentando obiecto intelligibili.

30. Sed adhuc controuersum est inter Doctores, an sit de fide, Deum à nullo intellectu creato comprehendi posse. Negat Vasquez disputatione 52. cap. 2. solumque ait, esse certum auctoritate Scholasticorum, cuius oppositum tantùm putat esse temerarium. Primò, quia in assignanda natura comprehensionis variant Theologi: nequit autem ad fidem spectare, quod à Catholicis ad litem vocatur. Secundò, quia etiam Deus dicitur in Scripturis, & Concilijs ineffabilis, cùm tamen certum sit, à beatis mentis lingua effari, atque exprimi posse, vt in se est; nam qua ratione illum cognoscunt, mentis verbo exprimunt, atque eloquuntur. *Vasquez.*

31. Affirmant verò Scotus in 4. distinctione 49. quæstione 3. articulo 1. conclusione 1. Molina, Bannez, Zumel, Gonzalez, Arrubal, Fasolus, in prima parte quæstione 12. articulo 7. Suarez libro 2. de Attributis diuinis capite 5. & 3. parte disputatione 26. sectione 1. Medina ibidem quæstione 10. artic. 1. Cabrera disputatione 2. Quæ sententia verior est, vt constat ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. relato capite *Firmiter* de Summa Trinitate, & Fide Catholica, vbi eodem modo definitur, Deum esse Incomprehensibilem, atque Vnum, Æternum, Immensum, Immutabilem, Omnipotentem: atqui de Fide est, Deum esse vnum, æternum, &c. ergo & Incomprehensibilem. *Scotus. Molina. Bannez. Zumel. Gonzalez. Arrubal. Fasolus. Suarez. Medina. Cabrera. Concilium Lateran.*

32. Ad primum argumentum Vasquez nego, non posse aliquid certò ab Ecclesia definiri, de cuius natura controuertitur inter Scholasticos; definitur enim à Concilio Tridentino, Sacramentalem conuersionem panis & vini, in corpus, & sanguinem Christi Domini, esse transsubstantiationem, de cuius tamen natura disputatur *Vasquez. Concilium Tridentin.*

inter

inter Theologos. Item definitur, Deum esse immensum, æternum, omnipotentem; cùm tamen controuersum sit, quid de ratione immensitatis, æternitatis, & omnipotentiæ sit. Cuius ratio est, quia potest aliquid ab Ecclesia definiri solùm, an sit, non autem, quid sit. Ad argumentum in forma, nego variare Theologos, an Deus sit incomprehensibilis, quod tantùm pertinet ad dogma fidei, sed tantùm, quid Dei comprehensio sit, quod ad fidem non spectat.

33. Ad secundum respondeo, eodem modo Concilia definire, Deum esse ineffabilem, quo definiunt, esse incomprehensibilem: at sicut non definiunt esse incomprehensibilem, prout incomprehensibilitas negat omnem claram visionem de Deo, sed prout tantùm negat adæquatam: ita definiunt, esse ineffabilem; non prout ineffabilitas negat omne verbum mentale, aut vocale de Deo, sed prout tantùm negat verbum adæquatè exprimens. Effabilitas enim, vel ineffabilitas rei immediatè oritur ex cognitione eiusdem rei: igitur quâ ratione res est cognoscibilis, est etiam effabilis vel ineffabilis: cùm igitur Deus clarè cognoscatur à beatis, clarè etiam effatur ab illis; quia tamen non cognoscitur adæquatè, nequit ab illis adæquatè effari; in quo sensu à Concilio Lateranensi definitur, Deum esse ineffabilem.

# DISPVTATIO XI.

## SECTIO VNICA.

### *An Deus sit nominabilis nomine significante ipsum sicuti est?*

1. QVÆSTIO supponit, Deum aliquo modo nominari posse, quod præter experientiam, ratio ipsa confirmat: nam quo pacto Deum concipimus, ita & illum nominare possumus, quia nomen sequitur conceptionem rei: est enim nomen signum rei conceptæ. Hoc ergo supposito, vlteriùs quærimus, an nominari possit, nomine significante, *sicuti est*, distinctè & quidditatiuè. Quæstio autem est tam de viatoribus, quàm de comprehensoribus.

2. PRIMA sententia negat, Deum ab vllo viatore, aut comprehensore, quin neque ab ipso Deo nominari posse, nomine significante ipsum, *sicuti est*: est Bannez 1. parte quæst. 13. art. 1. concl. 2. Zumel ibidem quæst. vnic. concl. 4. Suarez lib. 2. de attributis Diuinis cap. 31. num. 18. Probatur, nam Deus capite *Firmiter* de summa Trinitate, & Fide Catholica, definitur *ineffabilis*; quod etiam colligitur ex Scriptura Prouerb. 30. & patribus, passim asserentibus, Deum nullo nomine exprimi posse.

*Bannez. Zumel.*

*Suarez.*

*Concilium Lateran.*

*Prouerb. 30.*

3. Secundò: Probatur ratione, quia nomen ad hoc imponitur, vt audiens vi illius deueniat in notitiam rei significatæ: atqui nullum est nomen, vi cuius audiens deuenire possit in notitiam Dei, vt est in se: igitur nullum est nomen, quod Deum significare possit, vt est in se. Maior probatur, quia nomen est symbolum, quo vtimur ad rem medio nostro conceptu alteri significandam: ergo intrinsecus finis ipsius est, alteri significare rem, vt à nobis conceptam, & significando audientem ducere in notitiam rei conceptæ. Minorem ostendo, quia nomen ducit audientem in notitiam rei significatæ, medio conceptu loquentis per nomen importato: sed conceptus loquentis per nomen importatus nequit ducere audientem ad intuitiuam notitiam rei à loquente conceptæ. Nam vel iste conceptus est abstractiuus, & nequit esse ratio cognoscendi rem intuitiuè, vel est intuitiuus, & nec iste potest esse audienti ratio intuitiuè cognoscendi rem, à loquente conceptam, tum quia nomen non manifestat audienti conceptum loquentis physicè & intuitiuè, sed moraliter, & abstractiuè; quia non manifestat illum, vt signum naturale, intrinsecam connexionem habens cum re significata; sed vt signum ad placitum, extrinsecam dumtaxat connexionem habens, ex mera voluntate instituentis, cum re ipsa significata. Tum quia non posset vi talis conceptus, intuitiuè cogniti, audiens intuitiuè cognoscere rem, à loquente conceptam, nisi talis conceptus esset idem cum re concepta, qualis est conceptus, quem Deus habet de seipso. Cuius ratio est, quia conceptus intuitiuus non continet obiectum realiter, sed intentionaliter; vnde non potest esse ratio videndi illud intuitiuè, nisi intellectui, ad quem comparatur vt species expressa, & vitalis imago. Atqui conceptus loquentis non est species expressa, & vitalis imago intellectus audientis, sed loquentis: nequit igitur, etiam vt intuitiuè cognitus esse audienti ratio intuitiuè cognoscendi rem à loquente conceptam. Ergo nequit clara visio, quam de Deo beatus habet, etiam vt apertè manifestata, esse alteri ratio intuitiuè cognoscendi Deum.

*Henricus. S. Thomas. Caietanus. Ferrariens. Capreolus. Richardus. Palatius.*

4. SECVNDA sententia docet, posse quidem Deum nominari nomine significante ipsum, *sicuti est*, à Beatis, vel à Deo, non tamen à viatoribus. Est Henrici in summa art. 13. quæstione 9. S. Thomæ 1. parte. quæst. 13. art. 1. & 1. contra Gent. c. 31. Caietan. & Ferrarien. locis præcit. Capreol. in 1. dist. 22. quæst. 1. art. 1. Richard. art. 1. quæst. 1. Palatij ibidem, & aliorum. Fundamentum est, quia potest vnusquisque rem nominare, sicut intelligit: non potest autem nominare distinctiùs, quàm ipse intelligat: possunt igitur Deus, & Beati, distinctè Deum intelligentes, distinctè ipsum nominare, sicuti est; non autem viatores, Deum distinctè non intelligentes. Consequentia constat. Prior pars antecedentis patet, nam quidquid concipimus intellectu, exprimere possumus voce; cùm hæc sit instrumentum intellectus, & signum interioris verbi. Posterior probatur, quia nemo potest alteri tribuere, quod ipse non habet: ergo qui distinctè rem non concipit, non poterit illam alteri distinctè nominare; quia distincta nominatio supponit distinctam conceptionem: cùm nihil aliud sit distincta nominatio, quàm impositio nominis ad rem distincta conceptione significandam: vox enim non significat rem, nisi mediâ conceptione.

*Scotus. Rubio. Ocham. Gabriel. Molina. Vasquez.*

5. TERTIA sententia asserit, non tantùm beatos, sed etiam viatores posse imponere nomen, quod Deum significet *sicuti est*, esto viatores Deum non intelligant, vt est in se. Est Scoti in 1. dist. 22. quæst. vnica. §. *His præmissis.* Rubionis quæst. 1. art. 2. Ochami, Gabrielis ibidem, Molinæ 1. p. quæst. 13. artic. 1. disp. 2. Vasquez ibidem disp. 57. cap. 2. Fundamentum est, quoniam mensura significationis nominum non est desumenda ex eo, qui nomen imponit, sed ex eo, qui nomen audit: ergo non solùm possunt beati sibi mutuò, sed etiam viatores beatis nomina imponere, quæ Deum significent, *sicuti est*. Consequentia constat, quia licet nequeant viatores intelligere Deum quidditatiuè, ac proinde nequeat ipsis imponi nomen, Deum quidditatiuè significans, possunt tamen illum quidditatiuè intelligere beati: igitur potest ipsis à viatoribus imponi nomen, Deum quidditatiuè significans. Antecedens probatur, quia nomen non ordinatur ad exprimendum conceptum loquenti, sed audienti: ergo eius significatio non ordinatur ad imponentem, sed ad audientem. Confirmatur: nam de facto multa sunt nomina imposita ad significandas distinctas rerum quidditates, quas nos distinctè non cognoscimus. His positis,

6. DICO 1. Non repugnat Nomen, Deũ quidditatiuè significans. Fundamentum est, quia ad hoc, vt nomen quidditatiuè rem significet, nil aliud requirit, quàm vt imponatur ab eo, qui rem quidditatiuè cognoscit, cum tacito, vel expresso consensu eorum, qui eandem rem quidditatiuè etiam cognoscere possunt: sed beati cognoscunt Deum quidditatiuè; ergo saltem illi ex mutuo consensu possunt sibi nomen imponere, quod Deum quidditatiuè significet. Minor cum consequentia est nota. Maior, in qua est difficultas, probatur: quoniam vis Nominis non consistit, vt virtute aliquâ intrinsecâ audientem ducat in notitiam rei significatæ, sed tantùm vt significatione extrinsecâ, orta ex institutione imponentis, audientes moraliter excitet ad rem significatam quidditatiuè cognoscendam: sed quodlibet nomen à beatis impositum ad Deum quidditatiuè significandum excitare eos moraliter potest ad Deũ quidditatiuè cognoscendum, seu potiùs ad reflectendum supra idem significatum, à se quidditatiuè cognitum. Maior videtur per se nota, cùm nomen ex impositione nullam accipiat intrinsecam vim, ratione cuius debeat audientem ducere in notitiam rei significatæ, nisi tantùm denominationem extrinsecam, desumptam ex voluntate imponentis, à qua habet, vt sit signum moraliter excitatiuum ad notitiam rei significatæ.

7. Confirmatur, quia nomen non debet suâ significatione complere, sed supponere completam potentiam eliciendi notitiam rei significatæ; ergò non debet illam ducere in notitiam rei significatæ per intrinsecam virtutem, sed tantùm per extrinsecam denominationem imponentis, vt signum ad placitum, sicut ramus viridis ducit in notitiam rei venalis. Consequentia constat, quia si nomen non debet esse, nisi tantùm extrinsecum signum excitatiuum, supponens totam potentiam concipiendi rem significatam in audiente, non est, vnde illi repugnet significatio Diuinæ quidditatis. Antecedens probo, quia nomen eodem modo se habet respectu audientis post, atque ante impositam significationem, quoad intrinsecam virtutem: sed ante nullam habebat intrinsecam vim mouendi potentiam: ergo neque pòst.

8. DICES: Post impositam significationem includit conceptũ imponentis, quo mediante ducit intellectum audientis in notitiam rei significatæ: & quia nullus conceptus imponentis ducere potest in notitiam quidditatiuam Dei, nullum nomen imponi potest ad significandam quidditatem Dei. Sed contrà, quia conceptus imponentis importatus per nomen, non est, quo mediante audiens duci debeat in notitiam rei significatæ: tum quia si deberet audiens medio conceptu imponentis deuenire in notitiam rei significatæ, nunquam posset deuenire in notitiam intuitiuam rei, cùm nullus conceptus imponentis, per nomen significatus, ducere possit intellectum audientis in intuitiuam notitiam rei, per conceptum significatæ, vt ex dictis constat. Tum quia conceptus imponentis, per nomen significatus non concurrit physicè cùm intellectu audientis ad notitiam rei significatæ, sed tantùm moraliter; quia si physicè concurreret, vel concurreret vt principium effectiuum, vel vt medium cognitum; non vt principium

effectiuum,

effectiuum, quia conceptus vnius non est principium effectiuum respectu intellectus alterius, cùm huiusmodi actus immanentes non habeant vim agendi extra proprium subiectum: neque vt medium cognitum, quia nihil potest esse cognitum, nisi physicè influat cum potentia ad cognitionem sui; nam cognitum est effectus formalis cognitionis, cognitio autem originatur à cognoscente, & cognito, teste Augustino 9. de Trin. in fine. Igitur cùm tota vis nominis sit tantùm moralis signum rei significatæ, quo extrinsecè tantùm excitatur intellectus ad notitiam rei significatæ in seipso gignendam, non est, vnde illi significatio diuinæ quidditatis repugnet.

*Augustin.*

9. Dico 2. Repugnat, viatorem imponere nomen, quod sit expressiuum quidditatis Dei alijs viatoribus, non autem comprehensoribus. Prior pars constat, quia cùm nomina sint symbola, quibus vtimur ad exprimendas res, medijs animi conceptibus, nequeunt imponi ad exprimendas eas res, quas percipere non valent ij, qui debent nominibus vti, alioqui frustraneum esset, ijs talia nomina imponere. Cùm igitur nequeat viatores Deum quidditatiuè cognoscere, nequit ijs tale nomen imponi. Ex quo sequitur, neque Deum, aut beatos posse tale nomen viatoribus imponere, contra Scotum aientem, esse aliqua nomina in Scriptura, quæ Deum quidditatiuè significant, vt est nomen illud vulgatum, *Iehoua*, seu *qui est*, quod Græcè, ex eo quod quatuor litteris Hebraicis constat, *Tetragrammaton* dicitur.

*Scotus.*

10. Posterior pars probatur; nam esto nequeat qui nomen imponit rem significatam perfectè percipere, potest tamen illud alijs imponere, qui rem significatam perfectè cõcipere valent: ergo etiamsi nequeant viatores Deum quidditatiuè cognoscere, possunt tamen nomen Deum quidditatiuè significans imponere beatis, qui Deum intuitiuè cognoscunt. Antecedens probo, tũ quia potest quis imponere nomina rebus, quas tantùm abstractiuè cognouit ijs, qui illas intuitiuè norunt: potest enim quis imponere nomina ijs, qui res viderunt, etiamsi ipse non viderit, sed tantùm audierit. Tum quia, & est ratio à priori, nomina non alio modo significant res, ad quas exprimendas imponuntur, quàm excitando audientem ad notitiam tum rei significatæ, tũ conceptus imponentis consignificati in seipso gignendam: atqui nomina audientem nõ excitant medio conceptu, sed media voluntate imponentis: ergo etiamsi imponens non habeat quidditatiuum conceptum rei significatæ, modò habeat voluntatem nomẽ imponendi, poterit tale nomen excitare audientem ad quidditatiuum cõceptum rei significatæ formandum, si ille habeat completam potentiam ad talem conceptum in seipso formandum. Maior ab omnibus conceditur. Minor, in qua tantùm est difficultas, probatur; quia nomen non alio modo excitat audientem, quàm vt signum rememoratiuum voluntatis institutoris, reuocando illam in memoriam audientis. Qua excitatione posita solus intellectus audientis gignit in seipso notitiam tam rei significatę, quàm conceptus consignificati, abstractiuè, vel intuitiuè iuxta speciem, quam de re significata audiens habet.

11. Confirmatur: Nam eatenus non posset viator imponere nomẽ expressiuum quidditatis Dei beatis, quatenus deberet nomen à viatore impositum, per ipsum conceptum viatoris nomen imponentis, esse beatis medium seu mensura cognoscendi Deum in seipso: atqui medium seu mensura cognoscendi rem significatam, non est conceptus ipse imponentis, sed mensura physica est sola potentia cognoscentis, quæ in audiente præsupponitur ad rem ipsam significatam cognoscendam: mensura verò moralis est sola voluntas imponentis nomen ad talem rem significandam. Quæ voluntas per nomen importata excitat moraliter audientem ad gignendam in seipso notitiam rei significatæ, & simul conceptus consignificati. Quòd autem conceptus imponentis non sit ratio cognoscendi rem significatam, ex eo patet, quia nũquam conceptus imponentis potest esse ratio cognoscendi rem intuitiuè, ad quam significandam imponitur: cùm tamen in omnium sententia multa sint nomina imposita ad significãda res intuitiuè, cuiusmodi sunt illa, quarum nos viatores intuitiuam notitiam habemus. Hæc enim nomina imposita sunt ad significãdas res intuitiuè, cùm tamen eas intuitiuè non cognoscamus vi nominis, aut conceptus importati per nomen, cùm ille non possit nisi in abstractiuam notitiam ducere, sed virtute ipsius cognoscentis. Igitur conceptus imponentis non potest esse ratio, & mensura cognoscendi rem significatam.

12. Ex dictis deducitur 1. posse aliquem imponere nomen ad distinctiùs significandum, quàm ipsemet nomen imponens intelligat; non quidem sibi, sed alijs, qui ex propriâ virtute nominis significatum distinctiùs percipere valent, nam ad hoc sufficit voluntas imponentis, acceptata ab audientibus, potentibus rẽ significatam distinctiùs percipere. Cùm enim tota vis percipiendi significatum nominis supponatur in audiente, & nomen ad nihil aliud deseruiat, quàm ad excitandam mentem audientis, vt rem significatam percipiat iuxta voluntatem imponentis, poterit quis imponere nomen ad distinctiùs significandum, quàm ipsemet intelligat.

13. Dices. Ergo etiam poterit nomen imponere qui nullo modo rem cognoscit. Sed negatur consequentia: nam cuius nulla præcessit cognitio, nulla subsequi potest voluntas: at cuius aliqua saltem confusa præcessit cognitio, poterit subsequi voluntas distinctè rem cognoscendi, aut alteri significandi, vt patet, cùm ex cognitione confusa voluntas mouetur ad distinctam notitiam acquirendam.

14. Deducitur 2. Nullum nomen imponi posse Deo. Fundamentum est, quia nomen debet esse signũ excitatiuum respectu illius,

cui im-

cui imponitur ad rem significandam percipiendam, aut saltem per nouam reflexionem illam eandem cognoscendi: quod addo propter beatos, qui Deum semper actu vident, vnde audito nomine, Deus, quidditatem exprimente, non eliciunt nouam visionem Dei, sed nouam dumtaxat reflexionem, quâ cognoscant, nomen Deus significare illum eundem, quem ipsi semper actu vident. Atqui respectu Dei nullum potest esse signum excitatiuum, neque ad nouum actum, neque ad nouam reflexionem: igitur nullum illi imponi potest nomen.

15. Deducitur 3. Non posse imponi nomen, quod Deum comprehensiuè exprimat. Fundamentum est, quia quando implicat qui possit nominis significatum percipere, implicat, & ipsum nomen: atqui implicat qui possit vi nominis Deum comprehensiuè cognoscere: ergo implicat nomen, quod Deum comprehensiuè exprimat. Minor patet, quia qui deberet vi nominis Deum comprehensiuè cognoscere, esset creatura, cùm Deus nequeat vi nominis seipsum cognoscere. Implicat autem, creaturam Deum comprehensiuè cognoscere: ergo. Maior verò probatur, quia nomen essentialiter est alicui significatiuum: igitur implicante perceptiuo significationem nominis, implicabit significatio ipsa nominis.

16. Deducitur 4. Omnia nomina, quæ tribuuntur Deo, imperfectè tantùm, & confusè significare naturam diuinam. Ratio, quia omnia nomina sunt imposita ad significandum viatoribus; sed viatores nequeunt intelligere Deum, nisi imperfectè, & confusè: igitur omnia nomina imposita Deo ad significandum viatoribus, imperfectè, & confusè significant naturam diuinam. Consequentia patet, quia cùm nomina sint symbola rerum, proportionari debent ijs, qui illis vtuntur. Ex triplici autem perfectione solent viatores Deum nominare, ex perfectione causalitatis, ex remotione alicuius imperfectionis, ex perfectione eminentiæ. Priora sunt connotatiua, vt *Creator, Gubernator, Dominus*, &c. Posteriora sunt composita ex duplici conceptu, positiuo imperfectionem includente, & negatiuo imperfectionem excludente, vt *Infinitas, Immensitas, Illimitatio*, &c. Postrema sumpta sunt ex creaturis, & applicata Deo per conuenientiam in reipsa significata, vt *Sapiens, Bonus, Iustus*, & his similia. Nullum autem ex prædictis nominibus attingit Deum secundùm proprium conceptum ipsius. Fundamentum, quia proprius conceptus rei attingi non potest, nisi vel immediatè per propriam speciem, aut concursum obiectiuum, vel mediatè per adæquatum effectum, & proprietatem ipsius: atqui nullo ex his modis possumus Deum in hac vita cognoscere: ergo semper illum cognoscimus per alienum conceptum: ac proindè omnia nomina; quæ ad significandum viatoribus imponuntur, Deum significant per alienum conceptum.

17. Ad primum primæ Resp. Deum dici ineffabilem eodem modo, quo dicitur inuisibilis; quia effabilitas vel ineffabilitas sequitur cognoscibilitatem, vel incognoscibilitatem rei; vnde quâ ratione res est cognoscibilis, est effabilis, quâ verò ratione est incognoscibilis, ineffabilis est. Atqui Deus non est inuisibilis simpliciter, sed aut naturæ viribus, aut adæquatè & comprehensiuè: ergo nec dicetur ineffabilis simpliciter, sed aut naturæ viribus, aut comprehensiuè. Nam cæterùm ex Aug. lib. 1. de doctrina Christiana cap. 6. *Pugna verborum est, dum ineffabilis dicitur ille, qui dicitur: Quoniam si, illud,* inquit, *est ineffabile, quod dici non potest, non est ineffabile, quod vel ineffabile dici potest.* *Augustin.*

18. Ad secundum distinguenda est maior: ad hoc imponitur nomen, vt vi sua physicè audientem ducat in notitiam rei significatæ, nego; vt tantùm moraliter & excitatiuè, concedo: hoc autem non repugnat nomini, vt ducere possit in notitiam quidditatiuam Dei, vt ex dictis constat.

19. Ad fundamentum secundæ distinguenda est posterior pars antecedentis: non potest quis nominare rem distinctiùs, quàm intelligat, conceptu, concedo; intentione, nego. Etenim conceptu nequit rem nominare, nisi quantum illam intelligit, quia nominatio per conceptum, est ipsa impositio nominis ad rem significandam mediante conceptu: potest tamen illam distinctiùs nominare, quàm intelligat, non sibi, sed alteri per intentionem; quia hæc non solùm se extendit ad significandam rem, vt cognitam ab imponente, sed vt cognoscibilem ab audiente. Neque hoc est dare quod non habet; siquidem imponens per voluntatem habet, vt possit imponere nomen ad distinctiùs significandum, quàm ipsemet intelligat: nam hoc non est aliud, quàm imponere pro immediato signo, distinctè alteri significante, ipsammet voluntatem imponentis.

# DISPVTATIO XII.

## De Scientia Dei.

1. HACTENVS disputatum est de veritate Dei, quæ est secunda proprietas entis, in ordine ad Deum, vt est obiectum, & terminus cognitionis creatæ: supereſt de eadem disputandum in ordine ad eundem Deum, vt obiectum, & terminus est suæ ipsius cognitionis. Supponimus autem in hac disputatione, Deum esse intellectiuum, tum quia hæc perfectio est simpliciter simplex cum nulla alia maiore vel æquali pugnans: tum quia talis perfectio reperitur in creaturis, in quibus illam Deus producere non posset, nisi haberet in seipso; non potest autem illam altiori modo habere, quàm formaliter: igitur. Tum quia, vt optimè probat S. Tho. 1. p. q. 14. art. 1. quælibet substantia spiritualis, ex eo quòd immaterialis est, intellectiua est: Deus autem substantia spiritualis est: ergo intellectiua substantia est.

*S. Thomas.*

2. Hoc igitur supposito, vlteriùs indagamus, quæ & qualis scientia in Deo sit. Est autem scientia in Deo duplex, sui, & aliorum à se. Hæc diuiditur in scientiam simplicis intelligentiæ, visionis, & conditionatæ seu mediæ. Prima versatur circa possibilia; & dicitur simplicis intelligentiæ, quia totum fundamentum cognoscendi illa, est ipsa increata intelligentia Dei, nullum supponens reale fundamentum in rebus ipsis. Secunda versatur circa res futuras, quæ aliquando extituræ sunt extra suas causas; & dicitur visionis, metaphora sumpta à visione corporea, quod sicut hæc obiectum supponit extra se, illudque repræsentat, vt est in se: ita hæc scientia in Deo obiectum supponit extra Deum, illudque repræsentat, vt est in se. Tertia versatur circa futura conditionalia, à quibus denominatur conditionalis. Sunt autem hæc futura conditionalia, quæ nunquam habitura sunt existentiam, haberent autem, si certa conditio, in ordine ad quam dicuntur conditionalia, poneretur.

*Quotuplex scientia in Deo.*

3. PRIMA est necessaria, quoniam habet obiectum necessarium independens à libera voluntate Dei: Secunda est libera, quia habet obiectum liberum dependens à libera voluntate Dei: Tertia dicitur media, quia participat necessitatem vnius, quatenus non potuit hæc scientia in Deo non esse, & libertatem alterius, quatenus ita de facto repræsentat vnum obiectum, vt potuerit aliud obiectum repręsentare, si ad aliud voluntas creata sub conditione fuisset se determinatura, sicut potuisset ex sua libertate se ad aliud determinare. De quibus omnibus nobis singillatim disputandum.

*Qualis scientia in Deo.*

## SECTIO I.

### *An, & quo modo Deus seipsum cognoscat?*

4. DICO 1. Deus seipsum cognoscit. Est de Fide ex innumeris scripturæ locis, in quibus Deo tribuitur scientia rerum omniũ: Esther 14. *Domine, qui habes omnium scientiam:* Ecclesiast. 39. *Non est quidquam absconditum ab oculis eius.* Ratio naturalis est. Deus est intellectiuus; ergo maximè suiipsius. Cõsequẽtia probatur: omnis intellectus habere debet aliquod intelligibile, quod primò respiciat vt adæquatũ specificatiuum sui; atqui hoc aliud esse non potest, quàm propria essentia. Maior constat, quia intellectus essentialiter est per ordinem ad intelligibile, sicut quæuis potentia est per ordinem ad suum terminũ. Minor probatur, nam sola essentia, ex qua talis intellectus fluit, est adæquatum intelligibile talis intellectus; quod sic ostendo. Adęquatum intelligibile non debet excedere, vel excedi in ipsa ratione intelligibilitatis à proprio intellectiuo; alioqui, quatenus excederet, non specificaret illud sub eo gradu intelligibilitatis, quo illud excederet, quia non compararetur, vt terminus attingibilis ab ipso: quatenus verò excederetur, supponeret in illo aliquẽ gradũ intellectiuitatis aliunde, quàm ab ipso specificatum; vnde non ipsum, sed illud, in ordine ad quod supponeretur tale intellectiuũ adæquatè specificatum, foret proprium specificatiuũ ipsius. Atqui sola propria essentia neque excedit, neque exceditur in ratione intelligibilitatis à proprio intellectiuo: Quod sic probo, quando intellectiuitas, & intelligibilitas radicantur in eadem essentia, neutra excedit alteram, cùm vtraque fluat vt naturalis, & adęquata proprietas ab eodem principio. Igitur sola propria essentia est adæquatum specificatiuum intellectus. Ergo sola essentia diuina est adæquatum specificatiuum intellectus diuini; igitur illam maximè Deus intelligit. Est igitur Deus suiipsius maximè intellectiuus, quod erat probandum.

*Esther 14.* *Eccles. 39.*

5. DICO 2. Deus necessariò seipsum intelligit. Fundamentum est: nam alioqui Deus esset mutabilis; siquidem posset à cognitione sui cessare, quæ est intrinseca, & realis perfectio ipsius. Nec est eadem ratio de scientia futurorum, quæ potuit in Deo non esse, absque vlla mutatione ipsius: nam hæc requirit existentiam obiecti futuri, quæ potuit nõ esse absque intrinseca mutatione Dei. At scientia de Deo non requirit, nisi existentiam ipsius Dei, quæ, quia necessaria est, semper obiectum est de se actu intelligibile; vnde si actu non intelligeretur, non esset defectus

obiecti

obiecti intelligibilis, sed intellectus intelligentis.

6. Secundò probatur eadem assertio, quia per notitiam sui Deus gignit in seipso Verbum, quod est ens necessarium, & æquè Deus, ac Deus ipse: ergo & ipsa notitia, quâ Verbum gignitur. Consequentia patet, quoniam via non minorem habet necessitatem, quàm habeat terminus ipse, qui mediante tali via accipit esse. 3. Cognitio, quam Deus de seipso habet, nõ distinguitur ab ipso Deo, alioqui esset accidens distinctum à Deo, & componens vnum per accidens cum Deo. Atqui implicat, Deũ cessare posse à suo proprio esse; ergo & à cognitione sui ipsius.

7. Dico 3. Deus cognoscit seipsum, vt obiectum primarium, reliqua verò vt obiecta secundaria. Fundamentum est, quia, vt probatum est, omnis natura intellectualis debet habere aliquod obiectum, quod primariò respiciat: atqui hoc, vt similiter probatum est, aliud esse non potest, quàm propria substantia: igitur propria substantia est primarium obiectum diuinæ cognitionis, mediante quo cætera respicit secundariò. Confirmatur, nam obiectum primarium est illud, quod est prima origo cognitionis naturæ intellectualis, & radix cognitionis cæterorum. Atqui prima origo cognitionis naturæ intellectualis, & radix cognitionis cæterorum, est propria substantia. Maior constat, nam illud est obiectum primarium, quod primo terminat actum cognoscentis, & quo mediante eundem actum reliqua terminant. Minor probatur, nam quod primò terminat actum cognoscentis est, quod primò mouet cognoscentem ad talem actum; sed quod primò mouet naturam intellectricem ad actum cognitionis est propria substantia, quę est primum, & adæquatum mouens ipsius: reliqua autem mouent, vt aliquo modo contenta in ipsa propria substantia naturæ cognoscentis; atqui primum mouens Deum ad cognoscendum, est suamet essentia, reliqua verò, vt aliquo modo contenta in sua essentia: ergo.

8. Dico 4. Cognitio, qua Deus seipsum cognoscit, est perfectè comprehensiua, non solùm propriæ naturæ, sed etiam suimet ipsius. Fundamentum prioris assertionis est, quoniam illa cognitio est perfectè comprehensiua obiecti, quæ adæquat cognoscibilitatem obiecti: talis est cognitio Dei respectu sui ipsius. Minor hęc probatur, quia cognitio Dei procedit, nostro modo intelligendi, ex adæquata intelligibilitate naturæ diuinæ, cùm nulla sit ratio limitans naturam diuinam, quò minùs determinet intellectum suum ad adæquatam cognitionem sui. Cùm enim natura diuina sit obiectum intelligibile necessarium, intellectus verò diuinus sit virtus intellectiua necessaria, capax totius intelligibilitatis diuinæ, non est ratio, cur cognitio diuina, modo nostro intelligendi, non procedat vt adæquata intelligibilitati naturæ diuinæ: atque adeò vt perfectè comprehensiua illius.

9. Fundamentum posterioris assertionis est, quoniam diuina cognitio est perfectè immaterialis: ergo non solùm est comprehensiua naturæ diuinæ, sed etiam sui ipsius. Consequentia constat, quia sola materialitas obstat, quò minùs cognitio sit sui ipsius reflexiua: igitur diuina, quæ est immaterialis, erit sui ipsius reflexiua: & quia est perfectè immaterialis, erit adæquatè reflexiua: & quia est infinitè immaterialis, erit vna, & eadem absque vlla distinctione cognitionis directæ, & reflexæ, sui ipsius reflexiua: imò absque virtuali distinctione adæquata, erit infinitè reflexiua sui ipsius æquiualens infinitis cognitionibus reflexiuis, per ipsummet primum conceptum, quo talis cognitio adæquatè concipitur in seipsa. Explico. Dupliciter potest diuina cognitio à nobis concipi, vno modo adæquatè secundùm totam perfectionem, quam cognitio diuina, intra totam latitudinem cognitionis includit; alio modo inadęquatè, etiam intra latitudinem cognitionis. Primo modo concepta petit concipi infinitè reflexa, atque adeò vt virtualiter æquiualens infinitis cognitionibus reflexiuis. Nam sicut vnumquodque attributum petit concipi cum tota illa perfectione, quam intra lineam suæ propriæ perfectionis includit: ita cognitio diuina cum tota perfectione, quam intra lineam cognitionis includit: atqui virtualis reflexio æquiualens infinitis cognitionibus reflexiuis spectat ad eandem lineam cognitionis: igitur debet in illa concipi, si adæquatè concipiatur. Conceptâ verò secundo modo, non est necesse concipere illam, vt æquiualentem infinitis cognitionibus reflexiuis, quia vt sic non concipitur adæquatè, secundùm totam latitudinem linealem cognitionis, sed inadæquatè, secundùm partialem tantùm. Hinc patet, quo pacto in huiusmodi formalitatibus desumptis per ordinem ad infinitas cognitiones reflexiuas, non sit necesse abire in infinitum: quia nimirum omnes illæ formalitates concipiendæ sunt, vt virtualiter inclusæ essentialiter in ipso primo conceptu cognitionis diuinæ.

## SECTIO II.

### *Quo pacto Deus cognoscat creaturas possibiles?*

10. Svppono, Deum cognoscere creaturas secundùm esse participatum earum; quia cùm sit agens liberum, debet distinctè præcognoscere effectum, quem producit; vt enim possit effectum producere debet illum per voluntatem determinare: vt autem possit voluntas effectum producendum determinare, debet illum distinctè prę-cognoscere, cùm nequeat in incognitum ferri. Cognoscit igitur Deus distinctè omnes creaturas secundùm esse participatum earum,

rum, cùm nulla sit, quam producere non possit. Est autem difficultas, quo pacto Deus cognoscat creaturas possibiles. Et ratio difficultatis est, quoniam nec illæ sunt in Deo secundùm esse proprium; nec in seipsis, cùm antequam producantur nihil in seipsis sint; repugnat autem Deum cognoscere cognitione propriâ, & intuitiuâ, quòd nullo modo est, neque in se, neque in alio. Cognitio enim propria, & intuitiua est, quàm obiectum per seipsum immediatè terminat: non potest autem obiectum per seipsum immediatè terminare, quando nullo modo est. Nec sufficit, quod obiectum sit possibile, quia cognitio in actu, postulat obiectum in actu: quod autem solùm potest esse, actu non est: ergo non sufficit ad cognitionem in actu, qualis est diuina. Propter quod varij excogitati sunt dicendi modi.

*Henricus.* 11. Primus est Henrici quodlibeto 8. q. 1. & 9. circa finem, & quodlibeto 9. q. 1. §. *Ex consideratione*, & quodlibeto 11. q. 13. circa finem, ponentis essentias creatas ab æterno, ratione præcedentes actum diuinæ cognitionis, ad quas tanquam ad obiecta secundaria intuitus Dei ab æterno terminabatur. Fundamentum ipsius est, quia sicut per voluntatem Dei imperantem res fiunt extra Deum in esse existentiæ, ita per intellectum cognoscentem seipsum vt exemplar rerum omnium, res fiunt extra Deum in esse essentiæ: atqui Deus ab æterno seipsum intellexit, vt exemplar rerum omnium: ergo res ab æterno habuerunt esse essentiæ ex vi æternæ cognitionis Dei.

12. Sed contrà, tum quia Deus ab æterno non solùm intellexit creaturas secundùm esse essentiæ, sed etiam secundùm esse existentiæ, & cuiuscunque proprietatis consequentis essentiam; nam eas cognouit secundùm omne esse, quod illæ aptæ essent habere in seipsis: ergo non solùm debuerunt præcedere actum æternum diuinæ cognitionis secundùm esse essentiæ, sed etiam secundùm esse existentiæ, & omnium proprietatum consequentium essentiam. Tum quia huiusmodi essentiæ ab aduersarijs ponuntur, vt exemplaria rerum producendarum, ad instar quarum debent res, quæ fiunt, efformari: at non minùs ipsæ rerum essentiæ debent supponere suum exemplar, ad instar cuius debent exemplari, quàm res ipsæ ad extra producendæ. Aut igitur dabitur processus in infinitum; aut certè, si ipsę rerum essentiæ non egent exemplari distincto ab ipsa essentia Dei, nec illo egebunt res ad extra producendæ. Tum quia, vt imaginatio cognoscat obiectum imaginatum, non necessariò supponit illud extra ipsam imaginationem, nam potest Deus annihilare obiectum imaginatum, existente nihilominus obiecto imaginato intra ipsam imaginationem: ergo, vt intellectus cognoscat obiectum intelligibile, non debet necessariò supponere illud extra se. Lege Richardum in 1. d. 35. ar. 1. q. 4. Scotum d. 36. §. *Contra istã.*

*Richardus. Scotus. Henricus.*

13. Ad fundamentum Henrici, Respondeo, negando paritatem, nam Deus in ordine ad communicandum se ad extra est agens liberum: possunt igitur res per ipsius voluntatem, quæ libera est, produci; non autem per intellectum, qui necessarius est.

*Thomistæ.* 14. Secundus modus est Thomistarum asserentium, Deum videre creaturas in sua essentia, vt in earum causa. Fundamentum est, qui videt perfectè causam, videt omnes effectus ab ipsa producibiles: ergo Deus videndo perfectè suam essentiam, vt causam creaturarum, distinctè videt omnes effectus ab ipsa producibiles. Antecedens probant, quia virtus causæ vt sic essentialem habitudinem, & connexionem habet ad suos effectus. Igitur implicat, videre perfectè causam, non visis omnibus effectibus ab ipsa producibilibus.

15. Sed contrà, nam vel Deus videt creaturas, sistendo tantùm in cognitione suæ essentiæ, vel vlteriùs tendendo ad ipsum esse creaturarum. Non primo modo, quia cùm in sua essentia non sint creaturæ formaliter, sed tantùm eminenter, non possunt in eâ tantùm visâ, ipsæ formaliter videri secundùm esse proprium, quia nihil potest secundùm proprium esse videri, nisi secundùm proprium esse terminet actum videntis: non potest autem secundùm proprium esse terminare actum videntis, quod solùm videtur secundùm eminens esse alterius. Si secundo modo, iam redit difficultas, quid sit illud esse creatum, ad quod protenditur cognitio Dei, cùm creatura possibilis nihil sit in se; cognitio autem Dei, cùm terminatur ad creaturas possibiles, terminatur ad aliquod esse reale.

16. Ad fundamentum Thomistarum, nego antecedens, loquendo de cognitione distinctâ, & intuitiuâ; quia cùm esse causæ sit distinctum ab esse effectus, non sequitur ex cognitione causæ, cognitio intuitiua effectus, quia obiectum non terminat distinctè, & intuitiuè cognitionem, nisi secundùm illud esse, quod continet in se formaliter. Ad probationem, nego consequentiam de cognitione intuitiuâ, concedo de abstractiuâ.

17. Tertius modus affirmat, Deum cognoscere creaturas possibiles, nihil aliud esse, quàm eas sibi fingere, seu proponere in esse obiectiuo, quod ex parte Dei dicit cognitionem exprimentem; ex parte verò obiecti dicit ipsas creaturas, non secundùm esse reale ipsarum, sed secundùm esse rationis à Deo fictum, secundùm quod esse obiectiuè terminant cognitionem Dei. Est Mayroni in 1. dist. 38. q. 1. §. *Quartum*, & indicat Bannez 1. p. q. 15. art. 1. *Mayronus. Bannez.*

18. Sed cõtrà, tum quia hic modus est imperfectus & indignus Deo: tum quia, cũ Deus cognoscit creaturas possibiles, cognitio diuina non terminatur formaliter ad ens rationis, sed ad aliquod ens reale, sicut reale est obiectũ ipsum, quod cognoscit: tũ quia hoc esse obiectiuum rationis non esset distinctũ ab ipsa cognitione diuina; atqui absurdum est, admittere in cognitione diuina ens rationis.

## Modus Authoris.

19. QVartus & verior modus est, Deum cognoscere creaturas possibiles in sua cognitione, tanquam in specie distinctè exprimente omnia, secundùm proprium esse singulorum, quod habet diuina cognitio, quatenus proximè determinatur à propriâ essentiâ, non vt causâ, sed vt specie intelligibili creaturarum. Explico: dupliciter intelligi potest, quòd diuina cognitio exprimat creaturas, vno modo vt ratio *Quâ*; alio modo vt ratio *in Quâ*, iuxta varias sententias de verbo mentis, & specie expressâ. In primo sensu asseritur à Vasquez d. 60. c. 3. sed in hoc sensu non soluitur difficultas. Nam quæro, quid sit illud quod ex parte creaturarum possibilium terminat intuitum Dei? non ipsæ creaturæ possibiles secundùm esse naturale, quia non sunt; non secundùm aliquod esse reale obiectiuum distinctum à Deo, vt impugnatum est: Igitur intelligenda est in secundo sensu, vt non modò diuina cognitio sit ratio *Quâ*, sed etiam *in Quâ* Deus distinctè videat creaturas: & hoc ideò immediatè & proximè, quia cognitio diuina determinatur à propriâ essentiâ, vt à specie intelligibili sui & creaturarum; à propriâ quidem essentiâ per seipsam, atque adeò immediatiùs, & primariò; à creaturis verò mediâ specie earum, quæ Deo competit, vt causâ est ipsarum; atque adeò mediatè & secundariò, & cum essentiali connexione ad obiectum primarium, priùs ratione cognoscendum. *Vasquez.*

20. Tria sunt mihi probanda: primum quòd Deus creaturas immediatè cognoscat in sua notitia, tanquam in specie, & Verbo distinctè exprimente omnia: Sumo *Verbum*, non vt dicit respectum ad dicentem, quo pacto notionaliter dicitur de Deo, & competit soli filio; sed vt dicit solam repræsentationem & expressionem vitalem obiecti, quo modo essentialiter prædicatur de Deo, & commune est omnibus diuinis personis. Secundum est, quòd cognoscere obiectum hoc modo, non est cognitionem terminari ad aliquod esse, quod obiectum ipsum habeat extra cognoscentem, sed formaliter est terminari ad intrinsecum verbum mentis, vt est expressiuum creaturarũ intelligibiliter. Tertium, quòd hoc habet diuina cognitio, vt determinata à diuina essentia proximè vt à specie, non vt à causa creaturarum, licet non possit Deus esse species, & similitudo creaturarum, nisi simul sit causa earundem.

21. Probatur prima pars nostræ assertionis hoc pacto. Vt res perfectè cognoscatur in verbo sufficit, vt notitia cognoscentis procedat ex perfecta similitudine rei cognoscendæ: sed notitia Dei procedit, nostro modo intelligendi, ex perfectissima similitudine omnium creaturarum possibilium; igitur in ea, tanquam in verbo perfectè cognoscuntur omnes creaturæ possibiles. Maior patet primò inductione tum in nobis respectu obiectorum, quorum perfectas habemus similitudines; nam in eorum notitia tanquam in Verbo perfectè cognoscimus res ipsas: tum in Angelis, in quibus, quia existunt perfectæ similitudines rerum, in earum notitia, tanquam in specie expressa, & verbo intelligibili perfectè res ipsas cognoscunt.

22. Secundò à priori, quoniam perfecta similitudo obiecti per omnia succedit loco obiecti; ergo præcipuè in terminando actum cognoscentis, nam hoc est præcipuum munus obiecti: sicut enim species impressa succedit loco obiecti in mouendo potentiam ad cognitionem exprimendã; ita species expressa in terminando actum cognoscentis. Minor est S. Thomæ 1. p. q. 14. art. 5. & primo contra Gent. cap. 53. vbi docet, in Deo esse similitudines omnium rerum, tametsi in eo non sint res ipsæ secundùm esse naturale, quia similitudo intelligibilis non oportet, vt præhabeat esse naturale obiecti, similitudo enim intelligibilis substantiæ non oportet, vt sit substantia. Cuius ratio est, quia similitudo intelligibilis non debet præhabere obiectum, nisi secundùm illud esse, secundùm quod proportionatur potentiæ; hoc autem non est esse naturale, sed intentionale obiecti: ergo licet in Deo non sint creaturæ secundùm esse naturale, sunt tamen secundùm esse intelligibile, & intentionale. Confirmatur: quia quod est perfectio in creaturis, imperfectionem excludens concedendum est Deo: atqui videre creaturas in Verbo, à se producto perfectio est in creaturis, imperfectionem excludens; igitur tribuendum est Deo. *S. Thomas.*

23. Secvnda pars assertionis, in qua maior est difficultas, probatur primò ex Patribus, qui non solùm docent, Deum in suo Verbo intelligere seipsum, & creaturas, sed creaturas in suo verbo non esse aliud ab ipso Deo. Anselmus in Monologio c. 33. proponens quæstionem, quâ ratione possit Deus suam essentiam, & creaturas eodem verbo intelligere: *Quia*, inquit, *ipsa est summa sapientia, & ratio, in qua sunt omnia, quæ facta sunt, quemadmodum opus, quod fit secundùm aliquam artem, non solùm quando fit, verum & antequam fiat, & postquam dissoluitur, semper est in ipsâ arte, non aliud, quàm quod est ars:* & c. 34. & 35. affirmat, omnem creatam substantiam in Verbo, & scientiam Creatoris esse ipsam *creatricem essentiam:* quod explicat exemplo scientiæ nostræ, in quâ res aliter sunt, quàm in seipsis; in se quidem per suas essentias, in scientiâ verò per earum similitudines. Vbi non solùm docet, creaturas in esse causatiuo, & virtuali, sed etiam in esse intelligibili, & intentionali esse ipsam creatricem essentiam. *Anselmus.*

24. Augustinus 6. de Trinit. cap. vlt. apertè docet, Deum in suo Verbo, tanquam in arte *plenâ omnium rationum viuentium incommutabilium* noscere omnia, quæ per ipsam fecit: & lib. 83. quæstionum quæst. 46. ideas creaturarum in Deo ex parte ipsorum obiectorũ definiens, *Augustin.*

fiuiens, ait, esse *rationes stabiles, atque incommutabiles, non formatas, ac per hoc æternas, quæ in diuinâ intelligentiâ continentur; quarum participatione fit, quidquid fit*; ad quas Deus respicit, cùm aliquid extra se producit; *& quarum visione anima beatissima fit.* Quæ prædicata nequeunt, nisi Deo competere: tum quia per Augustinum 5. Confess. cap. 4. anima non beatur visione creaturarum, sed Dei: at hîc docet, animam beatissimam fieri visione harum rationum: ergo non sunt quid creatum, sed increatum: tum quia docet, *Sacrilegum esse opinari*, Deum extra se aliquid intuitum fuisse, cùm hunc mundum condidit: intuitus autem fuisset, si hæ rationes, ad instar quarum creaturas condidit, distinctæ forent ab ipso Deo, cùm nihil creatum in Deo esse possit. Tum quia nihil fit participatione sui, quidquid enim participatur, ab alio, necesse est, participari: at si hæ rationes, ad quas Deus, ad extra operando, respicit, essent ab ipso distinctæ, aliæ profectò non essent, quàm ipsæ creaturæ producendæ, proinde idem fieret participatione sui. Idem docet tract. 5. in Ioannem, vbi affirmat, omnia, quæ facta sunt, in Deo vitam esse: *Quid est*, inquit, *hoc? facta est terra, sed ipsa terra quâ facta est, non est vita, est autem in ipsâ Sapientiâ spiritualiter ratio quædam, qua facta est, hæc vita est. Arca in opere non est vita; arca in arte vita est, quia viuit vita artificis, vbi sunt ista omnia, antequam proferantur. Terram vides, est in arte terra: Cœlum vides, est in arte cœlum*; *sed foris opera sunt, in arte vita sunt.* Quid pro nostra sententia expressius, cùm nihil à Deo distinctum viuere possit vitâ Dei? Dionysius de Diuin. Nomin. cap. 5. ideas Diuinas appellat *exemplaria*, & *rationes effectrices rerum.*

*Dionysius.*

25. Secundò probatur hic quartus noster modus ratione; & prima ratio sit à paritate verbi creati, in quo immediatè cognoscitur obiectum, etiamsi extra cognoscentem nullum habeat esse: at hoc perfectionem importat; igitur concedendum est Deo.

26. Secvnda ratio à priori. Verbum procedens ex perfecta similitudine obiecti continet in seipso intelligibiliter obiectum: verbum autem increatum procedit ex perfectâ similitudine omnium creaturarum; ergo in seipso continet intelligibiter omnes creaturas. Minor constat, quia Verbum increatum procedit ex diuinâ essentiâ, tanquam ex perfectissima similitudine omnium creaturarum, vt suprà probatum est. Maiorem probo, quia verbum est intrinsecus, & adæquatus terminus intellectionis, procedentis ex virtuali similitudine obiecti; ergo est ipsum obiectum in esse intelligibili expressum. Antecedens patet. Consequentia probatur, quia sicut virtualis similitudo obiecti est ipsum obiectum in actu primo intelligibile; ita verbum, cùm sit ipsa actualis, & expressa similitudo obiecti, est ipsum obiectum intelligibiliter expressum. Ergo creaturæ possibiles, vt à Deo intellectæ, non sunt aliquid ab ipso increato Verbo distinctum, sed sunt ipsum Verbum, vt est actualis, atque intelligibilis imago earum, in quâ omnia obiectiuè relucent secundùm proprium esse naturale vniuscuiusque, tametsi in Deo secundùm esse naturale subiectiuè non contineantur. Sicut cælum ab angelo intellectum, non est quid distinctum ab ipso verbo angelico, sed est ipsummet verbum, vt est intelligibilis imago cæli, in qua tanquam in propriâ imagine intelligibiliter relucet cælum, secundùm proprium esse cæli, tametsi in eo, cælum secundùm esse naturale realiter non contineatur.

27. Nec dici potest, tam Verbum creatum, quàm increatum terminari ad obiectum, non quod actu est, sed quod esse potest: tum quia obiectum fit actu præsens intelligibiliter secundùm esse reale, nam actu terminat notitiam intelligentis, secundùm aliquod esse reale, actu relucens & apparens in prospectu intelligentis: hoc autem nequit esse illud esse, quod obiectum habere potest virtute potentiæ creatiuæ; quia illud, cùm nondum actu sit, actu apparere non potest intelligenti: quia nequit actu realiter apparere, quod actu non est. Tum quia, cùm Verbum sit perfecta similitudo obiecti, eo posito, statim ponitur obiectum intelligibiliter, tanquam effectus formalis ipsius: sicut, quia imago Cæsaris est perfecta similitudo Cæsaris, eâ positâ, statim ponitur Cæsar in esse imaginato & repræsentato.

28. Tertia ratio sit, quia vt obiectum cognoscatur à potentiâ, sufficit, vt fiat præsens potentiæ modo exigito, & proportionato potentiæ: vt autem obiectum cognoscatur ab intellectu, sufficit, vt illi fiat præsens secundùm esse intelligibile, & intentionale: ergo vt creaturæ cognoscantur ab intellectu diuino, sufficit, vt fiant illi præsentes secundùm esse intelligibile, & intentionale. Fit autem secundùm hoc esse obiectum præsens intellectui formaliter per ipsius Verbum, vt est obiecti expressiuum. Maior patet. Minor assumpta probatur, nam etiamsi obiectum fiat præsens intellectui secundùm esse naturale, nisi fiat præsens secundùm esse intelligibile, & intentionale, non cognoscitur ab intellectu. Cuius ratio est, quia intellectus est potentia vitalis immanens, quæ vt operetur, requirit terminum intra se vitaliter expressum: igitur, vt obiectum cognoscat, requirit illud intra se vitaliter expressum. Exprimitur autem vitaliter obiectum intra potentiam intelligentis per ipsum verbum intelligentis, procedens ex adæquata similitudine obiecti.

29. Qvarta ratio sit, quia, vt ex Philosopho 3. de anima text. 37. docet S. Thomas 1. parte quæst. 14. art. 1. in hoc distinguitur cognoscens à non cognoscente, quod cognoscens non solùm est suum esse, sed etiam esse aliorum. Vnde dicitur anima esse quodammodo omnia. Igitur perfectissimum cognoscens, qualis est Deus, non solùm est suum esse, sed etiam aliarum rerum: & sicut

*Aristoteles. S. Thomas.*

Deus est omnia eminenter, & causaliter, ita est omnia intelligibiliter, & intentionaliter.

30. Hanc sententiam procul dubio docuit Scotus in 1. dist. 35. §. *Potest dici*, & d. 36. cùm docuit, creaturas ab æterno fuisse quasi causatas ab intellectu diuino in esse intelligibili; ad quas tanquam ad obiectum secundarium intuitus Dei terminatur. Docet enim intuitum Dei primò terminatum fuisse ad suam essentiam, tanquam ad obiectum primarium; secundò ad creaturas in seipso expressas, & in esse intelligibili & obiectiuo productas, tanquam ad obiectum secundarium: quod esse creaturarum in esse intelligibili comparatum ad Deum, est ipse Deus vt species expressa, & intentionalis similitudo creaturarum; comparatum verò ad creaturas dicitur à Scoto esse diminutum creaturarum, quia nimirum non est esse naturale earum, sed tantùm similitudo intentionalis ipsarum. Quod explicat exemplo imaginis artificialis, quæ comparata ad imaginem, est ipsa imago vt similitudo est imaginati: comparata verò ad imaginatum, non est naturale esse ipsius, sed similitudo dumtaxat artificialis: ita illum explicat Fauentinus in primo dist. 35. à numero 15.

31. Eandem colligo ex S. Thoma 1. p. quæst. 14. art. 5. asserente, Deum cognoscere alia à se, non in ipsis, sed in seipso, *in quantum*, inquit, *sua essentia continet similitudinem aliorum ab ipso*. Quòd verò intelligat similitudinem non solùm *Quâ*, sed etiam *in Quâ*, constat ex 1. contra Gent. cap. 53. vbi docet, Deum per vnam intentionem intellectam, quæ est ipsius Verbum, intelligere seipsum, & creaturas: porrò de ratione Verbi, vt ibidem testatur, & Ferrar. explicat, est, vt sit immediatus terminus intellectionis, in eoque, tanquam in ratione *in Qua*, proximè cognoscatur obiectum, quod propterea vocat intellectionem intellectam: & eadem 1. p. q. 18. art. 4. docet, idem esse in Deo *intelligere*, & *quod intelligitur*. Vnde colligit, omnia in Deo intellecta esse ipsam vitam Dei, his verbis: *vnde, cùm omnia, quæ facta sunt à Deo, sint in ipso vt intellecta, sequitur, quòd omnia sunt in ipso vita Diuina*: & ad primum docet, res esse in Deo secundùm proprias rationes, sicut in cognoscente, & vt sic non sunt aliud ab essentia diuina. Et q. 4. de verit. art. 8. ait, similitudinem intellectam in Deo, esse vitam. Est autem similitudo intellecta ipsum verbum, vt exprimens obiectum. Item *similitudo creaturæ in Deo, est quodammodo ipsa creatura per modum illum, quo*, inquit, *dicitur, quòd anima est quodammodo omnia*. Vnde concludit, quòd *similitudo creaturæ in Verbo, est creaturæ vita, & productiua, & motiua creaturæ in propriâ naturâ existentis*. Et q. 2. de verit. art. 3. ad tertium docet, domum in arte non distingui ab arte, & idem esse *ferri in similitudinem rei, & in rem*. Ex quo colligit idem esse Deum ferri in creaturas, & in seipsum continentem species creaturarum. Quòd si quando docet, creaturas esse quid distinctum à Deo cognoscente, intelligitur secundùm esse naturale.

31. Eandem sententiam docet Ferrar. loco præcitato, vbi cum S. Thoma affirmat Deum creaturas videre in suo Verbo: explicans autem naturam Verbi in vniuersum docet, esse id, in quo immediatè & proximè videtur obiectum, quod idolum appellat, in quo res ad extra inspicitur, & per quod res ad extra fit actu præsens intellectui in esse obiectiuo, quod esse obiectiuum ait, non competere rei ad extra, sed intra potentiam existenti.

33. Eadem colligitur ex Caietan. q. 15. art. 1. §. *quoad primum*, vbi impugnans opinionem Scoti, ait, esse obiectiuum creaturarum in diuina mente non esse aliud, quàm ipsum esse Dei: *esse*, inquit, *obiectiuum rerum respectu intellectus diuini, non est esse relatiuum, sed absolutum realissimum, scilicet esse Dei*: & q. 34. ar. 3. §. *Ad imaginationem*, docet, Verbum diuinum non distingui ab ijs, à quibus procedit vt cognitis: docet autem ibidem, Verbum procedere nō solùm ex cognitione Dei, sed etiam creaturarum possibilium. Lege S. Thomam 4. contra Gent. cap. 13.

34. Eandem sententiam tradit Capreol. in p. dist. 35. q. 2. Ad argumenta contra secundam conclusionem ad primum, his verbis: *ex quo patet, quòd esse, quod habet creatura intellecta à Deo in Deo, vel diuinum esse: illud enim esse non est, nisi esse Verbi, vel similitudinis creaturæ*: similitudo autem creaturæ in Creatore ex S. Thom. q. 4. de verit. art. 8. est esse Creatoris, vt ibidem Capreol. testatur. & *Ad secundum. Cùm enim*, inquit, *dico, Creatura habet esse intellectum, vel prospectum vel intuitum à Deo, non ex hoc pono, creaturam habere aliud esse obiectiuum distinctum ab esse diuino, sed dico esse diuinæ essentiæ cum respectu ad rem, cuius est similitudo*: qui respectus ex Caiet. 1. p. q. 34. art. 3. §. *circa prædicta*, non est realis, sed rationis. Et *Ad argumenta secundo loco inducta*, docet, diuinam essentiam esse Deo speculum naturale, quatenus est species, similitudo, & imago rerum, in qua res ipsæ cernuntur. & *Ad argumenta tertio loco inducta*, docet, rationes illas, ad quas Deus operando respicit, non esse creaturas, sed diuinam essentiam, licet in illis iutueatur creaturas. Vnde *ad tertium* negat, illas esse obiecta secundaria diuinæ intuitionis, sed primaria, in quibus tamen relucent creaturæ, quæ sunt obiecta secundaria.

35. Eadem sententia deducitur ex Aureolo in 1. d. 35. p. 2. ar. 1. & 2. Vbi docet, id quod immediatè terminat intuitum Dei, cùm creaturas cognoscit, non esse creaturas secundùm se, sed Deitatem eminenter, & æquipollenter, distinctè tamen & dearticulatè continentem omnes creaturas, nempe in esse intelligibili, & intentionali. Quod expressiùs declarat. ar. 2. ad 4. instantiam exemplo imaginis specularis: sicut enim qui videt propriâ imagine rei, dicitur videre rem ipsam, in propriâ imagine expressâ, quia res relucet in suâ imagine secundùm proprium esse, quod habet in se: ita Deus videndo creaturas in sua cognitione, quę respectu diuini intellectus est

vitalis,

*Scotus.* *Fauentin.* *S. Thomas.* *Ferrarienſ.* *Ferrarienſ.* *Caietanus.* *S. Thomas.* *Capreolus.* *Caietanus.* *Aureolus.*

vitalis, & eminentialis imago omnium creaturarum, videt eas secundùm esse proprium, secundùm quod in diuinâ cognitione relucent, tanquam imaginata in imagine.

36. *Obijcies* 1. Deus cognoscit creaturam secundùm esse creatum; Verbum diuinum non est creatura: Igitur Verbum diuinum nō est, in quo Deus proximè cognoscit creaturam. Resp. distinguendo minorem; Verbum diuinum non est creatura naturaliter & subiectiuè, concedo; non est creatura intelligibiliter, & obiectiuè, nego. Sicut verbum Angelicum non est res materialis subiectiuè, & naturaliter; est tamen res materialis intelligibiliter, & obiectiuè. Cuius ratio est, quia imago est ipsum imaginatum repræsentatiuè, non autem naturaliter, & subiectiuè, vnde potest aliquo modo imaginatum de imagine prædicari; dicitur enim statua Cæsaris Cæsar: cùm enim Verbum sit intelligibilis imago obiecti, est aliquo modo ipsum obiectum, non secundùm esse naturale, sed intelligibile & intentionale. Quocirca Augustinus tract. primo in Ioan. de arte diuinâ prædicat terram, cœlum, & omnes creaturas, semper tamen cum addito secundùm esse intelligibile & obiectiuum, ne detur occasio errandi. Quam doctrinam admittit etiam S. Thomas q. 4. de verit. art. 8.

*Augustin.*

*S. Thomas.*

37. *Obijcies* 2. Si Verbum diuinum esset intelligibiliter creatura, posset absolutè dici, creatura est Deus, & Deus est creatura; omnesque creaturas ab æterno extitisse in Deo, quæ fuit hæresis Wicleffi. Resp. Negando sequelam: sicut Verbum Angelicum potest cum addito dici materia, seu corpus intelligibiliter, non autem absolutè; quia absolutè importat modum essendi subiectiuum. Vnde S. Thomas quæst. 4. de verit. art. 6. docet, creaturas veritate rei veriùs esse in Verbo Diuino, quàm in seipsis; veritate autem prædicationis, veriùs esse in seipsis, quàm in Verbo; veriùs enim natura leonis dicitur de leone, quàm de Verbo diuino: quia veritas prædicationis attendit ad modum essendi formalem, & subiectiuum. Ob eandem rationem non potest creatura dici Deus, etiamsi creatura secundùm esse intelligibile, & intentionale sit ipse Deus. Hæresis autem Wicleffi fuit, quod omnes creaturæ essent in Deo, & ipsemet Deus secundùm esse naturale earum.

*Vvicleffus.*

*S. Thomas.*

38. *Obijcies* 3. In Verbo non est creatura secundùm esse naturale: ergo cognoscendo Deus creaturam in Verbo, non cognoscit illam secundùm esse naturale. Resp. Negando consequentiam: etenim vt obiectum cognoscatur secundùm proprium esse naturale ipsius, non est necesse, vt in Verbo contineatur secundùm esse naturale, sed sufficit, vt contineatur secundùm esse intentionale; constat in verbo Angelico, in quo obiectum materiale non continetur naturaliter, sed intentionaliter, in quo tamen cognoscitur ab Angelo secundum esse materiale ipsius. Cuius ratio est, quia cognitum non debet esse in cognoscente secundùm naturam cogniti, sed secundùm naturam ipsius cognoscentis.

39. *Obijcies* 4. Deus intelligit plura: sed in Deo non sunt plura: ergo quod terminat intellectionem diuinam, non est aliquid intra Deum, sed extra Deum. Consequentia probatur, quoniam intra Deum non est pluralitas, nisi personarum. Resp. Distinguendo minorem: non est in Deo pluralitas subiectiuè, siue secundùm esse naturale, concedo: non est pluralitas obiectiuè, siue secundùm esse intelligibile, & intentionale, nego: sicut in Verbo Angelico est pluralitas obiectiua absque pluralitate subiectiua.

40. INSTABIS. Ergo saltem in Deo sunt multa obiectiuè: atqui hæc multa obiectiuè non possunt esse entia increata; ergo creata. Resp. Esse entia creata quoad esse intelligibile & obiectiuum; increata quoad ad esse naturale & cōstituiuum. Nam hoc est, quod S. Thomas dixit de verit. quæst. 4. ar. 8. quod similitudo creaturæ in Deo, est quodammodo ipsa creatura per modum, quo anima dicitur quodammodo omnia. Lege S. Thomam primo contra Gent. cap. 53.

*S. Thomas.*

41. *Obijcies* 5. Cognitio diuina repræsentat creaturas secundùm illud esse, quod haberent in se condistinctum à Deo, si existerent: atqui tale esse non est increatum: ergo. Resp. Distinguendo minorem: tale esse non est increatum naturaliter & subiectiuè, nego; intelligibiliter & obiectiuè, concedo. Nam tale esse, quatenus est species expressa omniū, non solùm habet, vt sit Deus naturaliter & subiectiuè, sed reliqua omnia intelligibiliter & obiectiuè: & licet reliqua omnia cognoscat Deus, vt distincta à se intelligibiliter, non tamen cognoscit illa vt distincta à se naturaliter & subiectiuè.

42. *Obijcies* 6. Cognitio in actu præsupponit obiectum in actu: ergo, vt possibilia cognoscantur actu, debent præsupponi in actu: ergo secundùm aliquod esse extra Deum. Resp. Distinguendo antecedens: debet præsupponi in actu secundùm esse intentionale, concedo; secundùm esse naturale, nego. Atqui possibilia præsupponuntur in actu ad cognitionem diuinam secundùm esse intentionale per speciem intelligibilem in ipso Deo, non autem secundùm esse naturale extra Deum.

43. *Obijcies* 7. Si cognitio diuina formaliter intelligibiliter exprimeret creaturas, beatus videndo illam, videret etiam creaturas. Respond. Negando sequelam: ratio, quia cognitio non repræsentat intuitiuè obiectum, quod exprimit, nisi intellectui, cuius est vitalis imago. Cuius ratio est, quia sicut cognitio in ratione vitalis imaginis essentialiter pendet ab intellectu, in quo est; ita in præbendo effectu vitalis repræsentationis essentialiter pendet ab intellectu, in quo est; quia nec est apta obiectum vitaliter repræsentare, nisi vt vitaliter expressa ab intellectu; nec potest ab alio intellectu vitaliter exprimi, quàm à proprio: atque adeò

non nisi proprio potest obiectum vitaliter repræsentare.

44. *Objcies* 8. Non potest Diuina essentia, vt causa creaturarum esse Deo ratio videndi creaturas: ergo neque vt species expressa earundem: nam vtraque est ratio eminentialis, & non formalis earum. Resp. Nego consequentiam: ratio discriminis est, quia obiectum non repræsentat formaliter, nisi quod continet naturaliter: verbum autem repræsentat etiam id, quod continet intentionaliter. Cuius ratio est, quia verbum procedit vt imago expressa obiecti per similitudinem intelligibilem ipsius: non sic autem obiectum, quod solùm se manifestat intellectui secundùm esse, quod in seipso continet naturaliter.

45. Dices; si diuina essentia visa vt species expressa creaturarum, est Deo ratio videndi creaturas; ergo etiam visa, vt species impressa earundem, erit Deo ratio videndi creaturas. Resp. Negando consequentiam. Etenim vt diuina essentia sit ratio videndi creaturas, non habet, nisi vt vitalis imago, non vt obiectum, & terminus intellectus diuini: at siue videatur vt causa, siue vt species impressa creaturarum, solùm videtur, vt obiectum & terminus intellectionis diuinæ. Cuius ratio est, quia tunc imago præbet potentiæ suum effectum formalem repræsentationis, quando in ea recipitur per modum imaginis: tunc autem imago intelligibilis recipitur in intellectu per modum imaginis, quando recipitur per modum vitalis tendentiæ ad obiectum, cuius est imago: ergo diuina essentia solùm visa, vt species expressa creaturarum, est Deo ratio videndi formaliter creaturas. Ob hanc rationem, vt suprà dictum est, diuina essentia visa à beato, vt species expressa creaturarum, non est illi ratio videndi formaliter & intuitiuè creaturas, quia non recipitur in illo, vt vitalis imago, sed solùm vt obiectum, & extrinsecus terminus visionis beatæ.

46. *Obijcies* 9. Non solùm Deus cognoscit bona, sed etiam mala, & peccata: implicat autem malum, & peccatum esse Deum & vitam Dei: ergo. Resp. cum S. Thoma 1. p. q. 18. art. 4. ad quartum, mala non esse in Deo immediatè, & per se, sed per oppositas rationes bonorum: cùm enim malum sit priuatio boni, & nulla priuatio intelligi possit immediatè per seipsam, cùm ex se nullam habeat intelligibilitatem, necessariò intelligi debet per oppositam rationem boni: ac proinde mala non habent propriâ rationem, & ideam, in Deo: nam ea tantùm habent propriam rationem, & ideam, & viuunt vita Dei, quæ immediatè cognoscuntur à Deo.

47. Tertia pars assertionis, nempè quod verbum diuinum exprimat creaturas, non vt nostro modo concipiendi, procedit ab essentia diuinâ proximè vt à causâ creaturarum, sed vt à specie, & similitudine intelligibili earum, licet non possit esse species earum, nisi sit etiam causa, probatur; quia verbum non procedit ab obiecto formaliter, vt causa est cogniti secundùm esse naturale, sed vt causa est cogniti secundùm esse intentionale: ergo Verbum diuinum non exprimit creaturas, vt procedit determinatum ab essentiâ, quatenus est causa creaturarum secundùm esse naturale, sed quatenus est causa earum secundùm esse intentionale: est autem causa earum secundùm esse intentionale proximè & formaliter, quatenus est species & similitudo earum. Antecedens probo, nam Verbum non recipit ab obiecto esse naturale, sed solùm esse intelligibile cogniti: igitur non procedit ab illo, vt à causâ secundùm esse naturale, sed solùm vt à causâ secundùm esse intentionale. Minor probatur, Nam, si Deus non esset causa creaturarum secundùm esse naturale, esset autem species, & similitudo earum, adhuc posset eas intelligere: contrà verò, etiamsi esset causa creaturarum secundùm esse naturale, & non esset species earum, non posset eas intelligere: vt constat in Angelo, qui non est causa suiipsius secundùm esse naturale, est tamen causa suiipsius secundùm esse intentionale: contrà verò est causa suorum effectuum secundùm esse naturale, non est autem per seipsum, sine specie superaddita, causa eorumdem secundùm esse intelligibile, & intentionale. Cuius ratio est, quia sicut esse naturale differt ab esse intelligibili, & intentionale eiusdem rei, ita principium vnius formaliter differt à principio alterius. Igitur essentia diuina non concurrit ad esse intelligibile creaturarum, vt causa earum secundùm esse naturale formaliter, sed vt causa earum secundùm esse intentionale; ac proinde vt species intelligibilis earum; licet non vt species adæquata, sed vt excedens, quia Deus non solùm est species creaturarum, sed etiam sui. Quoniam verò in Deo eadem essentia, quæ est species sui, est etiam species creaturarum; & eatenus est species creaturarum, quatenus primariò est species sui, non determinat intellectum diuinum ad expressionem creaturarum, quin primariò determinet ad expressionem sui. Quo fit, vt non possit cognoscere creaturas, quin cognoscat seipsum; neque creaturas cognoscit, nisi in seipso, vt in obiecto primariè cognito.

48. Hanc deduco ex S. Thom. 1. p. q. 14. art. 5. & primo contra Gentes c. 53. vbi docet, Deum cognoscere creaturas in sua essentia, quatenus est similitudo, & species earum: & q. 2. de veritate art. 3. ad 6. ait, Deum creaturas cognoscere per assimilationem earum. Vnde, cùm docet, Deum in seipso creaturas cognoscere, tanquam in causa, intelligitur remotè, & radicaliter, quia esse speciem creaturarum conuenit Deo, quatenus est causa earum. S. *Thomas.*

49. Ex dictis deducitur 1. Quo pacto diuina cognitio non mutetur, dum cognoscit aliquas creaturas existentes, quas poterat non cognoscere, quia nimirum nil cognoscit in creaturis existentibus, quod non cognoscerat

uerat in ijsdem, vt possibilibus: nam quidquid reale est in re existente, totum fuit possibile, ac proinde cognitum sub esse possibili. Vnde cognitio possibilis, & futuri in Deo, solùm differunt penes connotata, quia nimirum cognitio possibilis, præter obiectum, verbo expressum, nil connotat ad extra; cognitio verò futuri connotat obiectum, verbo expressum, in seipso existens extra verbum.

50. Deducitur 2. Qua ratione Deus habeat in seipso exemplaria, atque ideas rerum effectrices, per quas independenter à rebus constituatur opifex rerum; Etenim habet Deus ideas, & exemplaria rerum, non per cognitionem ipsarum rerum, quæ producendæ sunt; alioqui, cùm Deus sit idealis causa rerum per ipsarum rerum idealem conceptum, esset causa idealis rerum per res ipsas producendas conceptas: ac proinde effectus non distingueretur à suâ causâ; sed est causa idealis per ipsas rationes intelligibiles, *Augustin.* quas Aug. appellat æternas, & incommutabiles, ex quarum participatione fit, quidquid fit: & quia istæ rationes intelligibiles rerum, sunt ipsum Verbum diuinum, in seipso intelligibiliter exprimens res singulas secundùm proprium esse earum, ideò est Deus causa idealis, atque exẽplaris rerum omnium per aliquid distinctum à rebus ipsis producendis. Et quoniam has rationes habet Deus in seipso, non constituitur causa idealis rerum dependenter à rebus. Ex quibus soluitur illa quæstio, an Deus sit causa rerum per scientiam visionis, an simplicis intelligentiæ. Etenim cùm sit causa rerum, non per res ipsas producendas, mente conceptas, sed per rationes æternas, & increatas in diuino Verbo expressas, non poterit esse causa rerum per scientiam visionis, sed simplicis intelligentiæ.

51. Deducitur 3. Quo pacto Deus cognoscat creaturas in sua essentia, vt in obiecto primariè cognito, quia creaturæ non exprimuntur in diuino Verbo, nisi vt participationes diuinæ essentiæ, & vt exemplabiles, & producibiles ab illa; atque adeò vt supponentes essentiam Dei, tanquam obiectum formale, & primarium, priùs ratione cognitum. Omne quippe obiectum materiale secundarium supponit formale, & primarium, à quo potentia immediatè mouetur, & sub quo tendit ad materiale.

52. Deducitur 4. Quâ ratione Verbum præstet vtrumque munus, & cognitionis, & cogniti; & non reflexè, sed directè. Nam quatenus se tenet ex parte intellectus, vt forma & actus vitalis ipsius, præstat munus cognitionis, reddens illum formaliter intelligentem: quatenus se tenet ex parte obiecti, vt expressa & formalis similitudo illius, præstat munus obiecti cogniti, quia vt sic continet in seipso obiectum secundùm esse intelligibile, & intentionale. Et quia Verbum, quâ actus vitalis, & notitia est intellectus, non terminatur ad aliud obiectum, quàm ad illud, quod intra seipsum expressum habet, ideò non reflexè, sed directè illud cognoscit; quia reflexè cognoscere supponit directè cognoscere, atque adeò supponit notitiam terminatam ad aliquod obiectum.

## SECTIO III.

### *An Deus prænoscat futura contingentia?*

53. DVPLEX est futurum contingens, alterum à casu, quod ex occursu plurium causarum naturalium sese mutuò impedientium prouenire solet; alterum à proposito, quod ab agente, quatenus libero proficiscitur. Primum est simpliciter necessarium, & certò cognoscibile in suis causis, in quibus habet determinatum esse: nam licet illud sit contingens respectu vnius causæ, quæ impeditur ex occursu aliarum causarum, ne suum effectum, ad quem est ab intrinseco determinata, producat; respectu tamen omnium causarum concurrentium, & occurrentium est simpliciter necessarium, & certò cognoscibile à quocunque intellectu habente vim cognoscendi totam seriem causarum, ad talem effectum concurrentium. Secundum est propriè contingens, quod ita producitur, vt possit ex vi causę quoad omnia in actu primo inuariatæ non produci. De quo tantùm futuro est præsens instituta controuersia: in qua

54. Errauit Cicero libr. de Diuinatione, *Cicero.* vt notauit Augustin. 5. de Ciuit. cap. 9. negans *Augustin.* Deo præscientiam futurorum, eò quòd cum libertate humani arbitrij eam minimè cohærere posse existimauit, *atque ita dum vult*, inquit Augustin. *facere liberos, facit sacrilegos.* Eundem errorem tribuit Aureolus Senecæ *Seneca.* in 1. dist. 38. art. 1. Fundamentum erroris *Aureolus.* fuit, quia quod Deus præsciuit, non potest non euenire, alioqui posset Deus falli: quod autem non potest nõ euenire, necessariò euenit, quia non possumus impedire, quin, quod Deus ab æterno venturum præsciuit, eueniat; alioqui possemus efficere, vt diuina scientia fallatur. Igitur ex præscientia futurorum tollitur arbitrij libertas.

55. Catholica verò sententia est, Deum omnia futura contingentia certò prænoscere: quod ita proprium Dei iudicauit præcitato loco Augustinus, vt apertissimam insaniam *Augustin.* dixerit esse, *confiteri Deum esse, & præscium futurorum negare.* Quod vt certum signum diuinitatis adducit Isaias cap. 41. *Dicite*, inquit, *Isaias c. 41.* *quæ ventura sunt nobis, & dicemus, Dij estis vos.* Vnde meritò Hieronymus lib. 3. aduersus *Hieronym.* Pelagianos docet, eum, qui à Deo præscientiam tollit, diuinitatem tollere.

56. Constat hæc veritas primò ex prædictione futurorum, quæ multo tempore, antequam euenerint, prædicta sunt eo modo & ordine, quo euenerũt: quod fieri non potuisset, nisi ea certò à Deo præcognita fuissent.

*Tertullian.* Vnde eleganter Tertullianus lib. 2. aduersus Marcionem non longè ab initio: *De præscientia verò, inquit, quid dicam, quæ tantos habet testes, quantos fecit Prophetas?* tollit igitur Prophetiam, & omnem infallibilem futuræ rei prædictionem, qui certam de rebus futuris scientiam Deo negat.

57. Secundò à priori. Quidquid est cognoscibile, nequit infinitã Dei cognitionem subterfugere: futura contingentia sunt cognoscibilia: igitur nequeunt infinitam Dei cognitionem subterfugere. Maior cum consequentia elucet, alioqui diuina cognitio non esset, quâ perfectior excogitari non posset. Minor constabit ex dicendis.

58. Maior controuersia est inter Catholicos de modo seu medio, in quo ea Deus certò prænoscat. Ratio verò dubitandi est, quoniam futura libera, antequam sint, nullum habent esse, neque in se, cùm nondum existant; neque in causis, quippe cùm in ijs non magis habeant esse, quàm nõ esse: quod autem nullo modo est, certò sciri non potest, cùm fundamentum omnis scibilitatis sit esse. Propter quod Ochamus in 1. dist. 38. litera L. Ariminensis ibidem quæst. 2. art. 2. §. *Dico ergo*, & Bellarminus lib. 4 de Gratia & libero arbitrio c. 15. putant modum, quo Deus hæc futura prænoscit, esse in hac vita incomprehensibilem, & inexplicabilem.

*Ocham.* *Ariminens.* *Bellarm.*

59. Sex autem possunt esse modi, quibus Deus huiusmodi futura libera prænoscere potest. Primus est in ipsa coëxistentia futurorum in æternitate Dei. Secundus in ipsa futuritione effectus, & veritate determinata, quam futura contingentia habent in sua futuritione, antequam sint, ex suppositione quod erunt. Tertius in ipsis causis liberis proximè ad operandum completis, cum omnibus ad agendum prærequisitis. Quartus in suamet essentia, vel idæis. Quintus in decreto suæ liberæ voluntatis. Sextus in ipsa præsentialitate, quam futura habent in seipsis, dum actu existunt in propria duratione extra suas causas. Singulos modos examinabimus, vt tandem quid singuli veritatis habeant eluceat.

## SECTIO IV.

### *An Deus futura contingentia prænoscat ex reali eorum præsentia in æternitate?*

60. DVPLICITER dici possunt res creatæ diuinæ æternitati præsentes, vno modo obiectiuè, quia nimirùm præsentes sunt diuinæ cognitioni; alio modo realiter per realem ipsarum coëxistentiam ad æternitatem Dei. Præsens controuersia non est de prima, sed de secunda præsentia, nam primam indagamus ex secũda: indagamus enim, an ex reali præsentiâ futurorum in æternitate ea Deus certò cognoscat. Igitur controuersia non est de præsentia obiectiua; alioqui inutiliter quæreretur, an Deus certò cognosceret futura ex obiectiua præsentia ipsorum in mente diuina: esset enim quærere, an Deus certò cognoscat futura ex eo, quòd certò cognoscat futura: idem quippe est ea certò cognoscere, & obiectiuè in sua mente habere. Dicuntur autem res creatæ præsentes æternitati, quatenus illi coexistunt, & vt ab extrinseca & excedente mensura mensurantur: est enim æternitas solius esse diuini intrinseca, & adæquata mensura, nam sicut solus Deus habet esse omninò necessarium, & inuariabile, ita solùm esse ipsius mensuratur, vt ab intrinseca, & adæquata mensura æternitate; quæ est indiuisibilis tota simul, & ab intrinseco indefectibilis duratio: reliqua verò entia creata solùm extrinsecè, & excedenter mensurantur æternitate, quatenus illi inadæquatè coëxistunt in aliqua certa mensura temporis. Quæstio igitur est an Deus futura certò prænoscat ex reali ipsorum præsentia, seu coëxistentia ad suam æternitatem.

61. PRIMA sententia affirmat: Est Richardi in p. d. 39. art. 1. q. 1. Capreoli d. 36. ar. 2. & d. 38. q. 1, art. 2. Ferrar. 1. contra Gent. cap. 66. §. *Secundum dubium.* Caietan. Bannez 1. p. q. 14. art. 13. Zumel ibidem disp. 1. Gonzalez disp. 43. sect. 3. Probat Gonzalez primò, quoniam Patres docent, omnia esse Deo præsentia, vnde negant in Deo præscientiam, & solùm concedunt scientiam, quia præscientia dicit respectum ad futurum, scientia verò ad præsens.

*Richardus.* *Capreolus.* *Ferrariens.* *Caietanus.* *Bannez.* *Zumel.* *Gonzalez.*

62. Secundò: Æternitas est mensura infinita, & indiuisibilis, sine successione continens omne tempus præsens, præteritum, & futurum: igitur omnia, quæ sunt nobis futura, sunt illi actu realiter præsentia; consequentia probatur, alioqui non contineret indiuisibiliter, & sine successione omnes temporis differentias, nam aliquando esset realiter præsens alicui rei temporali, cui non fuisset realiter præsens ab æterno. Confirmatur, Æternitas est tota simul & simpliciter infinita in genere durationis; ergo semper, & ab æterno actu continet omnes differentias durationum: ergo implicat, vt in tempore incipiat actu continere, quod ab æterno non continebat: alioqui aliquid illi actu accresceret, pertinens ad propriam rationem durationis.

63. Tertiò: Non potest dari præteritum, & futurum in ordine ad aliquam durationem, nisi talis duratio in se habeat partes præteritas, & futuras: ergo cùm æternitas sit vnum nunc omninò indiuisibile, repugnat dari præteritum, & futurum per ordinem ad illam.

64. Quartò: Deus ratione suæ immensitatis non potest non continere actu præsentialiter omnes differentias loci: ergo nec ratione suæ æternitatis omnes differentias temporis, Antecedens patet, aliàs Deus non esset immensus. Consequentia probatur, nam ita

comparatur

comparatur æternitas ad omnes differentias durationum, sicut immensitas ad omnes differentias loci.

65. Quintò: Ita se habet indiuisibile continens ad partes quantitatis permanentis; sicut indiuisibilis duratio ad partes successiuas: sed extensio partium permanentium non impedit, quò minùs omnes partes simultaneam habeant præsentiam ad indiuisibile continens; ergo nec diuisibilitas successiua durationis impediet, quò minùs omnes partes præteriti, & futuri simultaneam habeant præsentiam ad indiuisibilem durationem continentem; sed hæc est æternitas, ergo. Minor assumpta constat; nam anima rationalis continet omnes partes corporis, & Angelus omnes partes loci, quem occupat: & tamen extensio partium corporis, aut loci non impedit, quò minùs & illæ ad animam, & hę ad Angelum simultaneam habeant præsentiam.

66. Sextò: Quidquid existit in æternitate, existit in tota æternitate: ergo ab opposito consequentis, quod non existit in tota æternitate, non existit in æternitate: sicut si hæc hora esset tota dies, quod non esset in hac hora, non esset in hac die. Confirmatur, nam aliàs aliqua essent præterita, aliqua futura æternitati, quod repugnat æternitati, quia æternitas est tota simul: ergo quod est futurum, & præteritum æternitati, est futurum & præteritum toti æternitati: sed quod est futurum, & præteritum toti æternitati, est extra totam æternitatem: sicut quod est præteritum, vel futurum ad totum hunc diem, est extra totum hunc diem.

*S. Thomas.* 67. Septimò: Probat exemplo S. Thomæ 1. contra Gentes cap. 66. sicut centrum, quod est extra circumferentiam, directam oppositionem habet ad quodlibet punctum circumferentiæ, licet nullum punctum circumferentiæ simul coëxistat alteri puncto eiusdem circumferentiæ: ita quidquid geritur in tempore, coëxistit æterno, quasi præsens eidem; etsi respectu alterius partis temporis sit præteritum, & futurum. Confirmatur, si concipiatur aliquod punctum circumferentiæ moueri circa ipsam circumferẽtiam, tale punctum mouebitur semper vt præsens centro; licet in ordine ad puncta ipsa circumferentiæ vni comparetur vt præsens, alteri vt præteritum, alij vt futurum. Ergo pari modo creaturæ existentes in æternitate, semper erunt præsentes æternitati, licet in ordine ad se aliæ comparentur vt futuræ, aliæ vt præteritæ.

*Capreolus. Caietanus. Ferrarienſ.* 68. Aliter hanc præsentiam creaturarum in æternitate explicant Capreolus, Caietanus, & Ferrarienſ. locis præcit. Distinguunt enim duplex *Nunc*, alterum æternitatis, alterum temporis: cæterùm cùm dicitur, omnes creaturæ sunt præsentes æternitati, non est intelligendum, quòd sint omnes præsentes eidem *Nunc* temporis, cùm aliæ sint præsentes vni, aliæ alij *Nunc* temporis; sed eidem *Nunc* æternitatis, quod vnum est inuariabiliter existens in omnibus nunc temporis, mensurans res omnes successiuè existentes in varijs nunc temporis. Quare idem est dicere secundùm hanc sententiam, res creatę coëxistunt simul æternitati, ac dicere res creatæ mensurantur æternitate, quæ non habet præteritum & futurum, sed est *Nunc* quoddam indiuisibile præsens. Vnde simultaneam coëxistentiam rerum non ponit ex parte ipsarum rerum in ordine ad tempus nostrum, sed ex parte ipsarum rerum in ordine ad indiuisibilem durationem æternitatis, cui ita res omnes successiuè coëxistunt, vt nullam supponant successionem in ipsa æternitate. Quæ explicatio coincidit cum sententia communi, vt mox patebit, tantùm in modo loquendi ab illa discrepans.

69. Secvnda igitur sententia cõmunior Scholasticorum in 1. dist. 38. & 39. negat res creatas coëxistere Deo in mensura æternitatis in sensu à prima sententia expositò: & cõsequenter etiam negat ex eorum præsentia in æternitate potuisse Deum ab æterno futura libera certò prænoscere. Pro explicatione propositæ controuersiæ,

70. Dico 1. Implicat realis præsentia futurorum in æternitatate. Fundamentum est, quia repugnat, creaturam actu semper coëxistere Deo realiter in æternitate absque reali coëxistẽtia ipsius: sed futura non habuerunt realem existentiam ab æterno; igitur non potuerunt ab æterno actu realiter Deo coëxistere. Consequentia deducitur in forma syllogistica. Minor est de fide. Maiorem probo, nam creaturam actu realiter coëxistere Deo, siue præsentẽ esse Deo præsentiâ physicâ reali, supponit realem existentiam creaturæ: ergo creaturam actu realiter coëxistere Deo ab æterno, supponit existentiam creaturę fuisse ab æterno. Antecedens probatur, quia creatura non coëxistit realiter Deo per existentiam, & durationem ipsius Dei, sed per existentiam, & durationem propriam, nam sicut non existit, & durat existentiâ & duratione Dei: ita nec coëxistit, eique præsens est per existentiam, & durationem ipsius Dei. Consequentiam ostendo, nam creaturam coëxistere Deo ab æterno, dicit simultaneam existentiam Dei, & creaturæ ab æterno; igitur creaturam coëxistere Deo ab æterno, supponit existentiam creaturæ ab æterno. Confirmatur, nequit creatura esse præsens immensitati Dei, nisi præsupponatur existens in propria duratione; ergo nequit esse præsens Deo ab æterno, nisi præsupponatur in seipsa existens ab æterno.

71. Probatur secundò destruendo contrarium fundamentum, nam falsum est, æternitatem actu simul continere omnes inferiores durationes. Nam dupliciter concipi potest, quòd æternitas actu simul contineat omnes inferiores durationes, vno modo concepta æternitas cum tota sua virtuali diuisibilitate ad tempus, cui coëxistit, & in hoc sensu continet quidem omnes creaturas successiuè existentes, singulas tamen pro sua

dumtaxat

dumtaxat duratione: quod in hac sententia dici non potest, nam hæc asserit, quòd creaturæ antequam existant in seipsis, semper actu coëxistunt Deo ab ipsa æternitate. Alio modo intelligi potest, quòd æternitas secundùm se considerata actu simul in seipsa contineat omnes inferiores durationes, ita vt quando illi in tempore coëxistit aliqua creatura, non censeatur ex tali coëxistentia de nouo continere aliquid, quod antèà non continebat: qui sensus est proprius huius opinionis iuxta recentiorum Thomistarum explicationem, quem sic impugno. Nam vel ista continentia inferiorum durationum est formalis in ipsa æternitate, vel eminentialis; eminentialis non sat est, nam hæc continentia eò asseritur, vt in ea cognoscantur futura, quæ extitura sunt in propria duratione: at hęc eminentialis continentia non sufficit ad cognoscenda futura, nam hanc virtualem continentiam habet æternitas etiam ad ea, quæ nunquam sunt futura: quia sicut Deus eminenter continet in esse omnes creaturas possibiles, ita in duratione omnes durationes possibiles. Adde, quòd secundùm hanc eminentialem continentiam non magis futura, quàm possibilia dici possent Deo ab æterno coëxistere; igitur necessaria est coëxistentia formalis; at hæc necessariò inuoluit formalem existentiam vtriusque extremi ab æterno.

72. Tertiò: Probatur ex duplici absurdo, nam primò sequeretur, quòd Angelus certò cognosceret futuras actiones liberas; saltem externas, quæ intra ipsius æuum continentur, antequam in seipsis existerent. Sequela probatur, nam ideò futura sunt præsentia Deo in æternitate, quia æternitas est duratio indiuisibilis, tota simul coëxistens rebus futuris: sed etiam æuum Angelicum est duratio indiuisibilis, tota simul coëxistens rebus futuris: ergo sicut futura sunt præsentia Deo in ęternitate; ita & Angelis in suo ęuo: & sicut talis præsentia est Deo sufficiens ratio cognoscendi futura, ita & Angelo.

73. Respondent primò aduersarij, nullum esse absurdum, Angelum cognoscere futura præsentia in suo æuo, quia tunc cognosceret illa vt præsentia, non vt futura. Sed contrà, nam omnes Patres negant quamcunque cognitionem futurorum Angelo, cùm sit propria Dei.

74. Respondent secundò: non satis esse præsentiam futurorum in æuo substantiæ, sed necessariam esse in æuo ipsius intellectionis Angelicæ: atqui intellectio Angelica non mensuratur æuo, sed instanti discreto. Sed contrà, tum quia datur aliqua intellectio in Angelo, quæ mensuratur æuo, qualis est, quâ seipsum intelligit. Tum quia posset pręcognoscere saltem ea futura, quæ coëxistunt intra instans discretum ipsius intellectionis. Nec refert, quòd talis intellectio liberè duret, quia non requiritur vt intellectio necessariò duret, vt possit obiectum determinatum quoad esse repræsentare.

75. Respondent tertiò: Æuum Angeli esse quidem indiuisibilem durationem, non tamen continere sub se tempus, eiusque differentias, sicut continet æternitas, propter suam infinitatem & illimitationem in ratione durationis. Sed contrà, nam ideò æternitas continet sub se tempus, eiusque differentias, quia est duratio indiuisibilis tota simul existens: at etiam æuum Angelicum est duratio indiuisibilis tota simul existens: ergo.

76. Secundò sequeretur, quòd quilibet beatus cognosceret omnia futura libera, & consequenter diem iudicij: at hoc est proprium Christi. Sequela probatur, nam visio beata mensuratur æternitate participata, quia mensuratur duratione indiuisibili necessariâ, & inuariabili, sicut ipsa visio increata Dei, cuius est perfectissima participatio: ergo omnia futura sunt præsentia beatis in ipsa æternitate visionis, ac proinde omnia cognoscerentur à beatis.

77. Dico 2. Etiamsi talis præsentia rerum in æternitate ab auctoribus explicata esset possibilis, adhuc non posset Deo esse prima ratio cognoscendi futura. Fundamentum est, quia priùs ratione intelligitur res extitura in propria mensura durationis, quàm in aliena æternitatis: sed res vt extitura in mensura propriæ durationis, statim fit intelligibilis à Deo: ergo adhuc posità reali præsentiâ futurorum in æternitate, non esset Deo prima ratio cognoscendi futura. Maior patet, nam ideò res fit Deo præsens ab æterno, quia extitura est in tempore. Minor probatur, nam statim ac res extitura est in mensura propriæ durationis fit intra sphæram diuinæ cognitionis: ergo priùs ratione quàm res intelligatur præsens in æternitate, cognoscitur præsens in propria duratione.

78. Ad primum argumentum primæ sententiæ respondeo, vel Patres loqui tantùm de pręsentia obiectiua; vel de subiectiua, sumptâ tamen æternitate secundùm totam suam virtualem diuisibilitatem, vt sic enim includit omne tempus cui coëxistit; & consequenter omnia in tępore existentia, vnumquodque pro sua duratione. Sumptâ verò æternitate inadæquatè secundùm virtualem extensionem ad certum tempus, non sunt illi omnia præsentia, sed partim præsentia, partim futura.

79. Ad secundum: ad hoc, vt æternitas sit infinita, sufficit, vt possit omnes durationes sine vlla sui mutatione actu continere: sicut vt immensitas sit infinita, sufficit, vt possit sine vlla sui mutatione omnia loca possibilia continere. Ad confirmationem nego primam consequentiam: ad cuius probationem nego, ex coëxistentia ad res temporales aliquid æternitati accrescere spectans ad intrinsecam rationem durationis, sed ad extrinsecam dumtaxat connotationem termini: sicut nihil accrescit diuinæ immensitati ex noua coëxistentia ad locum realem, de nouo productum, nisi extrinseca connotatio termini.

80. Ad

80. Ad tertium distinguo antecedens: non potest dari præteritum, & futurum in ordine ad durationem indiuisibilem, vt pars intrinsecè componens: concedo; vt terminus extrinsecè connotatus, nego: vt constat in æuo Angeli, quod indiuisibile est, & tamen possunt illi aliqua comparari vt præterita, aliqua vt futura, tanquam termini extrinsecè connotati. Cuius ratio est, quoniam, vt aliquid dicatur præteritum, vel futurum respectu alterius, sufficit, vt non semper illud existat, existente altero: sicut è contra, vt aliquid dicatur præsens, vel coëxistens alteri, non sufficit, vt alterum tantùm existat, sed oportet, vt vtrumque simul existat.

81. Ad quartum: Ex eo tantùm sequi, Deum ratione suæ æternitatis actu continere omnes durationes temporales actu existentes, non autem futuras, & non existentes: sicut ratione immensitatis actu continet omnes differentias loci actu existentes, non autem non existentes, & possibiles tantùm. Vnde retorqueo argumentum: nam sicut ratione immensitatis non continet differentias futuras loci, ita nec ratione æternitatis differentias futuras temporis.

82. Ad quintum primò nego maiorem, quia partes quantitatis permanentis possunt simul existere, atque adeò simul coëxistere indiuisibili continenti; partes verò quantitatis successiuæ sicut non possunt simul existere, ita nec simul coëxistere indiuisibili durationi, quiâ dum illi coëxistit vna, non coëxistit altera: ad simultaneam autè coëxistentiam contentorum cum continente necessaria est simultanea coëxistentia ipsorum contentorum.

83. Secundò: Nego Minorem, loquendo de coëxistentia locali partium permanentium; sic enim partes quantitatis permanentis non habent simultaneam coëxistentiam ad indiuisibile continens, quia vna nō coëxistit continenti in eadem parte loci, in qua coëxistit altera, & in hoc est paritas, quod sicut extensio partium permanentium impedit simultaneam coëxistentiam localem ad indiuisibile continens, ita extensio partium successiuarum impedit simultaneam coëxistentiam duratiuam ad indiuisibilem mensuram.

84. Ad sextum distinguo antecedens, quidquid existit in æternitate, existit in tota æternitate formaliter tantùm indiuisibili, cōcedo; existit in tota æternitate virtualiter diuisibili, nego: vt autem omnes res creatæ actu simul coëxisterent Deo in æternitate, oporteret, vt quidquid existeret in æternitate, existeret in tota æternitate, vt virtualiter diuisibili. Ad Confir. distinguo minorem: repugnat æternitati prēteritum, & futurum intrinsecè, concedo; extrinsecè, & connotatiuè, nego. Ad probationem distinguo consequens, quòd est prēteritum, aut futurū æternitati adæquatè sumptę, secundùm suam virtualem diuisibilitatem, est prēteritum aut futurum toti æternitati, concedo consequens; quod est prēteritum aut futurum æternitati inadæquatè sumptæ, secundùm suam virtualem diuisibilitatem, est præteritum aut futurum toti æternitati, nego consequens: sicut quod est præteritum, aut futurum ad totum diem adæquatè sumptum, est extra totum diem, non autem quod est præteritum, aut futurum ad diem inadæquatè sumptum.

85. Ad septimum exemplum cum sua cōfirmatione illud tantùm probat, quod, quando creaturæ existunt, semper existant præsentes æternitati, non autem quando nō existunt: eò quòd præsentia vel coëxistentia duorum requirit existentiam vtriusque. Vnde retorqueo argumentum; nam ideò punctus, qui mouetur in circumferentia, semper coëxistit centro, quia semper existit in seipso; si autem concipiatur, peracto certo motu in circumferentia, punctū corrumpi, nō amplius coëxisteret centro. Quia igitur temporalia, peracto certo motu temporis, desinunt in seipsis existere, desinunt etiam coëxistere æternitati.

## SECTIO V.

### *An Deus futura certò cognoscat in eorum futuritione?*

IN triplici statu potest res considerari, in statu prēsentialitatis, quando res est; in statu præteritionis, quando non est, sed fuit; & in statu futuritionis, quando non est, sed erit. Controuersia nunc est, an res in statu futuritionis, quando non est, sed erit, sit certò cognoscibilis. Potest autem res in hoc statu dupliciter considerari, vel in ordine ad esse, quod habet in causis, & sic coincidit hęc quæstio cum subsequente; vel in ordine ad esse, quod habebit extra causas, & sic pertinet ad præsentem controuersiam. Est igitur præsens controuersia, an res, quæ futura est, in statu futuritionis, antequam sit, habeat aliquid, per quod sit certò cognoscibilis ab intellectu diuino, ita vt priùs ratione Deus rem futuram cognoscat in sua futuritione, quàm in sua præsentialitate, imò per ipsam futuritionem certò cognoscat rei præsentialitatem.

87. PRIMA sententia affirmat. Est Scoti in 1. dist. 39. §. *Viso*, & dist. 45. *Ad argumenta*, Richardi dist. 38. art. 1. q. 5. ad primum. Bonauent. art. 2. q. 1. Mayroni quæstione 4. Rubionis quęst. 1. conclusione 4. §. *Ex prædictis*, Gabrielis art. 1. Notabili 7. & art. 2. conclusione 1. Ariminens. quæst. 1. artic. 2. & multorum recentiorum. Fundamentum est, futura contingentia, antequam existant, habent in seipsis determinatam veritatem: ergo secundùm illam sunt certò cognoscibilia. Consequentia constat. Antecedens probant primò Scotistæ, voluntas diuina decernendo futura, illa producit in esse volito: ergo ea determinat ad esse futurum:

*Scotus. Bonauent. Mayronus. Rubio. Gabriel. Ariminens.*

ergo

ergo in tali esse futuritionis possunt certò cognosci. Posterior consequentia patet. Prior probatur, quia determinare rem ad esse futurum, non est aliud, quàm eam producere in esse volito. Antecedens ostenditur, nam sicut intellectus cognoscendo res, eas producit in esse cognito: ita voluntas eas volendo, producit in esse volito.

*Thomistæ.* 88. Secundò, probant recentiores Thomistæ. Posito decreto Dei, res futura fit determinate futura; ergo certè cognoscibilis.

89. Tertiò, probant alij hoc pacto. Ex suppositione, quòd res erit, nunc est determinatè futura; ergo determinatè vera; ergo determinata, ac proinde certò cognoscibilis. Posterior consequentia constat, nam determinata, ac certa veritas infert determinatam, *Aristoteles.* ac certam cognoscibilitatem. Prior est Aristotelis 1. de Interpret. cap. vltimo. Antecedens probatur, nam ex suppositione, quòd res est vel fuit, determinatè nunc est, vel fuit: ergo ex suppositione, quòd erit, determinatè nunc futura est. Consequentia patet, nam tam factâ suppositione de præsenti, res necessariò est, quàm factâ suppositione de futuro, res necessariò erit, quia omnis suppositio determinat rem ad esse, in quo à suppositione ponitur.

90. Confirmatur primò: nam hæc propositio: Petrus peccabit, aut verificabitur, aut non verificabitur: si verificabitur; ergo nunc propositio est vera determinatè, quia pro nunc est conformis suo significato futuro: si non verificabitur; ergo nunc est determinatè falsa, quia pro nunc est difformis suo significato. Consequentia constat, quia veritas, vel falsitas propositionis, est conformitas, vel difformitas significationis cum re significata, vt significatâ: ergo ea propositio de futuro contingente est vera, cui correspondebit significatum, vt ab ipsa significatur; ea verò falsa, cui non correspondebit significatum, vt ab ipsa significatur.

91. Confirmatur secundò ex duabus contradictorijs, necessariò altera est vera, altera falsa: sed hæ sunt contradictoriæ; Petrus peccabit, Petrus non peccabit: ergo necessariò altera est vera, altera falsa: vera, quæ nunc conformatur significato futuro; falsa, quæ nunc difformatur significato futuro. Minor cum consequentia constat. Maior patet, quia cùm inter contradictoria non detur medium, omnis disiunctiua erit vera, & necessaria; omnis coniuncta falsa, & impossibilis, vt hæc; Petrus peccabit, vel non peccabit, est vera & necessaria: hæc alia; Petrus peccabit, & non peccabit, falsa & impossibilis; igitur altera ex his est determinatè vera, altera determinatè falsa.

92. Confirmatur tertiò: nam omnes propositiones Propheticæ enunciantes futura, erant determinatè veræ, antequam futura ipsa euenirent: igitur antequam res futura in seipsa existat, est determinatè vera in sua futuritione.

93. Secvnda sententia negat. Est S. Thomæ 1. p. quæst. 14. artic. 13. & 1. contra Gentes cap. 76. & de verit. q. 2. artic. 12. & in 1. dist. 38. quæst. 1. artic. 5. Caietan. loc. cit. primæ partis. §. *Quoad secundum.* Ferrar. 1. contra gent. loc. præcit. §. *Sed tamen.* Aureoli in prim. dist. 38. art. 3. Baccon. d. 40. art. 2. §. 4. Argentinæ art. 3. ad 4. contra primam conclusionem. Catharini opusc. de veritate enunciationum. Molinæ 1. p. qu. 14. artic. 13. disp. 17. §. *Veruntamen.* Gonzalez disp. 43. sect. 2. Fundamentum est oppositum præcedenti sententiæ, quoniam de futuris cõtingentibus non est determinata veritas. *S. Thomas. Caietanus. Ferrariens. Aureolus. Baccon. Argentinas. Catharin. Molina. Gonzalez.*

94. Probant primò ex Philosopho 1. Periherm. ca. vlt. vbi negat in propositionibus contradictorijs de futuris contingentibus alteram partem esse determinatè veram, alteram determinatè falsam; sed alterutram indeterminatè, nempe hanc, vel illam, alioqui tolleretur contingentia in rebus. *Aristoteles.*

95. Secundò: Omnis determinatio veritatis fundari debet in aliqua determinatione entitatis; nam veritas est passio entitatis, ex eo enim, quòd res est, vel non est, vera, vel falsa dicitur: sed futurum contingens, antequam existat, nullam habet entitatem, neque in se, cùm nondum sit, neque in causa, quia in illa non magis habet esse, quàm non esse: igitur non potest fundare veritatem,

96. Tertiò: si res, antequam existeret in se, esset determinatè futura, cùm non sit maior ratio, cur sit determinatè futura in vno tempore, quàm in alio, in vno signo rationis, quàm in alio, esset determinatè futura ab æterno in signo rationis, in quo Deus cognoscit seipsum, & possibilia ante vllum liberum decretum suæ voluntatis: vnde res esset determinatè futura, antequam esset futura, quia res sunt futuræ ex libero decreto Dei.

97. Contouersiæ decisio pendet ex declaratione, quo pacto futurum contingens in statu futuritionis, antequam in seipso existat, dicatur veritatem continere. Pro quo nota, dupliciter considerari futurum in statu futuritionis; vno modo nullâ factâ suppositione rei futuræ, solùm considerando futurum secundùm id, quod duratione præcedit existentiam rei futuræ: alio modo factâ suppositione existentiæ ipsius rei futuræ; nam priùs ratione intelligitur futurum secundùm id, quod duratione præcedit ipsum esse rei futuræ, quàm includere suppositionem ipsius esse rei futuræ. Hoc adnotato,

98. Dico 1. Futurum contingens, nulla facta suppositione rei futuræ, nullam habet veritatem, neque falsitatem, sed abstrahit ab vtraque, & consequenter vt sic non est certò cognoscibile. Est aperta sententia S. Thomæ vbique docentis, futurum, vt futurum nulli certæ cognitioni subdi posse; nec vllam certam veritatem in se continere: est etiam Capreoli in 1. dist. 38. quæst. 1. artic. 2. *Ad argumenta contra septimam conclusionem.* Fundamentum est, quia futurum nullâ factâ suppositione, nullum connotat determinatum *S. Thomas. Capreolus.*

esse

esse in se, sed solùm esse indeterminatum in causa; ergo nullam potest certam fundare veritatem. Consequentia patet, quia sicut veritas fundatur in entitate; ita certa, ac determinata veritas in certa ac determinata entitate: futurum autem contingens ante suppositionem nullam connotat certam entitatem; ergo nullam continet certam veritatem. Antecedens probo, quia futurum, nullâ factâ suppositione, abstrahit ab esse determinato, vel non esse determinato rei futuræ. Dices esse, & non esse sunt contradictoria: ergo nequit futurum abstrahere ab vtroque. Respond. non posse abstrahere positivè, concedo; non posse abstrahere præcisivè, nego: Quia neutrum possum positivè & determinate considerare.

99. Dico 2. Facta suppositione, quòd res per propositionem enunciata sit habitura existentiam in aliquâ differentiâ temporis, propositio sit determinatè vera, non tamen potest ipsa esse prima ratio cognoscendi rem futuram, sed supponitur res futura certò cognoscibilis in se ipsa: Est Capreoli loco præcitato *ad 6. & ad ea tertio loco à Gregorio inducta.* Prima pars probatur, nam, facta tali suppositione, propositio non manet amplius indifferens, sed determinatur ex suppositione ad significandam rem futuram determinatè: sicut, facta suppositione de præsenti, quòd res existat propositio enuntians illam existere, fit determinatè vera: ergo, facta suppositione de futuro, quòd res enuntiata sit extitura, propositio enuncians illam futuram, fit determinatè vera. Confirm. quia tunc propositio est determinatè vera, quando illi determinatè correspondet obiectum: sed facta suppositione, propositioni enuncianti futurum, determinatè correspondet obiectum futurum, quia suppositio determinat illud ad vnum, & tollit indifferentiam ad oppositum.

*Capreolus.*

100. Probatur secunda pars, nam suppositio priùs ratione supponit, rem futuram in se ipsa existere in certa differentia temporis, quàm determinet propositionem de futuro ad veritatem enunciationis: igitur priùs ratione res futura est cognoscibilis in se, quàm in propositione illam enuntiante. Consequentia patet, quia res in eo signo rationis est certò cognoscibilis, quo est in se ipsa determinata: sed res futura priùs ratione est in se ipsa determinata, quàm vt extrinsecè denominet, & determinet propositionem enuntiantem illam futuram. Antecedens probo. Nam suppositio determinat propositionem de futuro ad veritatem enuntiationis per ipsum esse rei ex suppositione determinatum in se ipso: ergo priùs ratione supponit illud determinatum in se. Antecedens constat, nam eatenus propositio enuntians futurum est vera determinatè, quatenus supponit illud in aliqua differentia temporis in suo esse, & præsentialitate determinatum: Vnde ante hanc determinationem propositio enuncians futurum est indifferens, & indeterminata ad vtrumlibet. Nec obstat, quòd propositio enuncians futurum, duratione præcedat existentiam rei futuræ; quia licet præcedat duratione, subsequitur tamen natura, & causalitate, ac proinde cognoscibilitate: nam veritas propositionis duratione præcedentis existentiam rei futuræ, causatur in genere causæ formalis obiectiuę ab ipsa existentia rei futuræ: sicut cognitio diuina, quamuis æternitate præcedat obiectum futurum, ratione subsequitur rem ipsam futuram.

101. Confir. Nam valet hæc causalis: ideo propositio de futuro est determinatè vera, quia res ex suppositione est determinatè extitura, non contrà: ideo res est determinatè extitura, quia propositio illam enuncians, est determinatè vera: igitur priùs ratione res futura supponitur in se ipsa extitura, quàm propositio per ordinem ad illam sit determinatè vera. Item valet hæc alia causalis: ideo Deus cognoscit propositionem de futuro esse veram, quia cognoscit rem futuram existentem in sua præsentialitate, non contrà, ideo res est determinatè extitura in sua præsentialitate, quia Deus cognoscit illam determinatè extituram.

102. Prima sententia intelligitur iuxta primam partem huius secundæ assertionis, quam probat tertium argumentum cum suis confirmationibus: Nam facta suppositione, & non antè, altera pars fit determinatè vera, altera determinatè falsa. Primum verò, & secundum argumentum supponunt falsa principia, alibi impugnanda.

103. Secvnda verò sententia explicatur iuxta primam assertionem, vt apertè supponit fundamentũ Aristotelis, nam tunc tolleretur contingentia futurorũ, quando ante vllam suppositionem propositio illam enuncians esset determinatè vera, quia tunc determinatio antecederet, non subsequeretur determinationem causæ. Ad tertium verò negatur sequela: cuius maior ratio est, quia non in quolibet signo æternitatis concepto res supponitur determinatè futura: nam priùs supponitur possibilis, quàm futura sub conditione; & hæc priùs, quàm futura absolutè.

*Aristotel.*

## SECTIO VI.

### *An Deus futura libera certò cognoscat in suis causis proximis?*

104. Causa proximè horum effectuum est voluntas creata cum omnibus ad operandum prærequisitis, nam de ijs tantùm futuris hîc agimus, quæ pendent à voluntate creata.

105. Prima sententia affirmat: est Durã. in 1. dist. 38. q. 3. num. 9. Argent. dist. 39. a. 2 & dist. 40. a. 3. ad sextum; Molinæ 1. p. q. 14. a. 13. d. 14. concl. 1. Bannez suprà citati con. 3. Bellar. l. 4. de gratia & lib. arbit. c. 15. ad finem. Aluarez l. 2. de auxilijs disp. 12. & à fortiori sequitur ex sententia eorum:

*Durandus. Argentinas. Molina. Bannez. Bellarmin. Aluarez.*

qui docent prædeterminationem Physicam. *Augustin.* Probatur 1. hæc sententia ex August. l. 11. Confess. c. 18. *Cùm ergo*, inquit, *videri dicuntur futura, non ipsa quæ nondum sunt, sed eorum causæ, vel signa forsitan videntur, quæ iam sunt.*

106. Secundò. Deus perfectè comprehendit voluntatem creatam, eiusque innatam propensionem, & quidquid eam potest, hîc, & nunc semotis impedimentis allicere, & inclinare: ergo potest in ea hîc, & nunc cum omnibus ijs, quæ illam possunt ad actum determinare, certò scire, ad quam partem sit se inclinatura. Confirmatur, quia potest Angelus probabilissima coniectura id deducere: ergo & Deus infallibiliter cognoscere, cū Deus in obiecto penetrando infinitè excedat intellectum Angelicum.

107. Tertiò. Posito iudicio practico de prosequutione obiecti, & omnibus ijs, quæ possunt hîc & nunc voluntatem creatam inclinare ad actum, infallibile est, illam inclinaturam: igitur potest in ea infallibiliter cognosci actus futurus. Quartò. Potest Deus adeo congruā cogitationem infundere intellectui humano, vt omninò infallibile sit, illum consensurum: ergo saltem in ea potest Deus infallibiliter cognoscere consensum futurum. Antecedens probatur, quia potest Deus infundere cognitionem de obiecto honesto, adeo efficacem in suadendo, & contemperatam ingenio humano, vt moraliter sit impossibile, illam respuere.

108. Secunda Sententia negat. Est S. Tho. 1. p. quæst. 14. artic. 13. & quæst. 57. a. 3. & 86. artic. 4. & 2. 2. q. 171. art. 6. & 1. contra Gentes cap. 67. & de Veritate q 2. art. 12. & in primo dist. 38. q. 1. a. 1. Aureoli in 1. dist. 38. a. 1. propositione 1. Capreoli, a. 1. concl. 1. & a. 2. *ad primum contra primam conclusionem*, Ferr. loco præcitato *ad primum & §. Aduerte*: Caiet. 1. p. loco præcitato initio & in responsione ad 1. Zum. d. 7. §. *sed supposito*, Valent. Puncto 5. §. *Unde habeat certitudinem diuina cognitio futurorum* assertione 2. Sua. l. 1. opusculorum c. 3. Less. de gratia efficaci c. 22. nu. 7. Becani 1. p. c. 10. q. 7. Albert. Corollario 1. ex principio 4. Philosophico puncto 2. Arrubalis d. 42. c. 2. quæ vera est & sequenda. Fundamentum est, quia causa libera, quantumcunq; in actu primo completa, & ad operandum proximè disposita, semper est essentialiter indifferens & cum potentia ad oppositam partem: ergo implicat, in ea quantumcunque disposita infallibiliter infallibilitate, cui non possit subesse falsum, cognosci effectum futurum. Antecedens probo, nam quousque voluntas liberè non se determinat per actum, semper manet indifferens ad actum, & non actum, alioqui destrueretur eius libertas; si aliquid præuium ad actum ita illam determinaret ad vnum, vt non posset ad oppositum. Etenim formalis libertas voluntatis in eo consistit, vt dum elicit actum possit non elicere.

*S. Thomas. Aureolus. Capreolus. Ferrarien. Caietan. Zumel. Valentia. Suarez. Becannus. Albert. Arrubal. Lessius.*

109. Respondet Bannez, manere liberam in sensu diuiso, non autem in sensu composito, quia posita antecedente motione Dei, non est amplius in eius potestate facere oppositum: saluatur tamen eius libertas, quia, diuidendo à motione, potest facere oppositum. Sed contrà, nam vel in sensu composito intelligit componendo cum ipsa motione in actu primo, & sic perit libertas creata: quia habere, vel non habere talem motionem, non est in potestate creaturæ, cùm illa necessariò prærequiratur ad omnem actum voluntatis: ergo, si neque ea posita, est in potestate eiusdem cohibere actum, perit libertas. Vnde Caiet. loco præcit. ad primum contra Scotum docet, quod contingentia causę secundæ saluanda est, etiamsi prima moueat secundam necessariò, quia motio causæ primę modificatur in secunda, secundùm modum ipsius causæ secundæ, *& quoniam priùs natura*, inquit, *modificatur, quam impellat ad mouendum, motio illa iam modificata ad causam contingentem, mouebit secundam nō necessario, sed contingenter*: supponit igitur, quod adhuc cōponendo cū ipsa motione causæ primę, saluatur contingentia, & libertas causę secundæ. Vel in sensu cōposito intelligit, componendo cum ipsa motione actuali, & cooperatione creaturæ, quo pacto includit ipsam formalem determinationē creaturæ: at in ea effectū cognoscere, non est in causa cognoscere, sed in se ipso: nā cooperatio creaturæ est ipsissimus effectus creaturę. Nec rectè Mach. disp. 32. sect. 1. dict. 2. hoc limitat ad solos effectus supernaturales, ad quos prœuenimur efficaci auxilio Dei: nā eadem est ratio de omnibus, cùm etiā effectus supernaturales vt sint meritorij, debeant liberè fieri à voluntate creata.

*Caietan. Soius.*

*Machin.*

110. Probatur verò consequentia primi enthymematis. Non potest esse maior infallibilitas in cognitione, quàm sit in obiecto ipso; ergo si obiectum contingens nō habet in causa proximè disposita tantam infallibilitatem, cui non possit subesse falsum, nec eam habebit cognitio, quia licet diuina cognitio non sumat formalem certitudinem ab obiecto, supponit tamen in eo obiectiuam certitudinem, vt conditionem sine qua non.

*Bannez.*

111. Resp. Molina disp. 16. §. *In quo ergo*, Infallibilitatem scientiæ diuinæ circa futurum contingens in causa præuisum, non prouenire formaliter ex obiecto ipso, quod secundùm se incertum est, & fallax, sed ex altitudine, & infinitate cognoscentis, qui ex se certo, & infallibiliter cognoscit, quod de se certum, & infallibile non est. Sed contrà, quia sicut implicat cognosci, quod ex se cognoscibile non est: ita cognosci vt certum, quod ex se certum non est. Antecedens constat, tum quia cognoscibilitas non fit, sed supponitur à scientia, est enim scientia obiecti intuitio, quę supponit in obiecto cognoscibilitatem, tum quia sicut implicat, produci quod de se producibile non est: ita implicat, cognosci quod de se cognoscibile non est, consequentia verò probatur, quia non minùs scientia supponit certitudinem, quàm cognoscibilitatem in obiecto, nam licet formalem certitudinem habeat scientia diuina ex se,

*Molina.*

obie-

obiectiuam tamen supponit in obiecto.

112. DICES, scientia Dei est causa rerum; ergo & cognoscibilitatis earum. Respon. distinguendo antecedens: est causa rerum scientia visionis, de qua disputamus, nego; nam hæc consequitur ad res in mente diuina iam causatas, estque pura intuitio earum: est causa rerum scientia simplicis intelligentiæ; & rursus distinguo, proximè, nego; remotè, concedo: nam proxima causa est potentia, & voluntas, illa exequendo, hæc determinando, scientia exemplariter & idealiter dirigendo, quæ comparata cum potentia, & voluntate remotè concurrit ad productionem effectus.

*Augustin.* 113. Ad primum argumentum oppositæ sententiæ. Respond. Augustinum loqui de scientia futurorum, non Dei, sed nostra: qui quoniam futura præsentia non habemus, ea in eorum causis, quæ nobis præsentes sunt, prædicimus, vt futurum ortum solis ex præsente aurora, quod est exemplum ipsius.

*Capreolus Durandus.* 114. Ad secundum nego consequentiam, nam vt rectè Capreolus ad primum Durandi, vt nequeat effectus futurus in causa libera certò cognosci, satis est intrinseca libertas, quæ adhuc positis omnibus, quæ possunt hîc & nunc illam ad actum inclinare, se ipsam potest ex innata sua indifferentia, & libertate ab intrinseco impedire. Vnde nunquam poterit esse certus effectus certitudine excludente omne dubium, quousque per liberam determinationem causæ fiat extra dominium causæ. Ad Confirmationem nego consequentiam; cùm enim infallibilitas obiectiua sit conditio essentialiter requisita ad infallibilitatem formalem, in ea præsupponenda conueniunt scientia diuina, & angelica, quamuis in alijs differant.

115. Ad tertium & quartum distinguo de infallibilitate morali, & logicâ, de morali, concedo; sed hæc non est satis ad infallibilitatem diuinæ scientiæ, cuius oppositum debet implicare contradictionem: de logicâ, nego; nam quibuscumque positis semper potest voluntas ex innatâ sua libertate repugnare. Solùm ad illud de iudicio practico, dico, quòd interdum supponit efficacem voluntatem finis, ad quem consequendum vnicum tantùm est medium; & tunc in ipsa efficaci voluntate finis, quam præsupponit iudicium practicum, certò cognosci electionem futuram, non tam vi iudicij practici, quod ad omnem actum voluntatis prærequiritur, quàm vi efficacis intentionis necessariam connexionem habentis cum tali medio ad finem consequendum, nam stante vno actu voluntatis, potest in eo certò cognosci alius futurus, qui necessariam connexionem habeat cum ipso: tunc enim actus futurus non cognoscitur in causa, vt libera, sed vt necessaria, & determinata ad vnum ex vi præsentis actus:

## SECTIO VII.

### *An Deus futura contingentia certò cognoscat in sua essentia, vel Ideis?*

*Bonauentura Durand. Capreol. Scotus. Caietanus. Zumel.* 116. PRIMA Sententia affirmat: est Bonauent. in p. Dist. 35. quæst. 3. & 5. ad obiecta, Durandi. quæst. 3. numero 14. & Dist. 38. quæst. 3. numero 18. Capreoli artic. 2. *Ad primum Scoti.* Caietan. 1. p. quæst. 14. artic. 13. *§. contra secundam.* Zumel Disp. 8. Conclusione 5. & 6. Fundamentum Caietani est, quia Diuina essentia, cùm sit perfectissima similitudo, & intelligibilis species omnium rerum; non solùm est Deo ratio cognoscendi distinctè res omnes vt ratio *Qua*, sed etiam vt obiectum, & ratio *in Qua*: ergo non solùm in sua essentia, & Ideis cognoscit possibilia, sed etiam futura. Antecedens probat, aliàs diuina essentia, vt obiectum non adæquaret se ipsam, vt speciem intelligibilē, quod est impossibile, quia vt obiectum est adæquatus terminus cognitionis & speciei intelligibilis: cùm igitur Ideæ sint ipsa diuina essentia, vt est obiectiua ratio rerum, consequens est, quod etiam se extendant ad repræsentandas veritates contingentes.

*Capreolus.* 117. Fundamentum Capreoli est. Diuina essentia est Deo perfectissima ratio distinctè repræsentandi omnia, non solùm quantùm ad prædicata essentialia, & connexionem necessariam terminorum, sed etiam quant m ad omnia prædicata accidentalia, siue intrinseca, siue extrinseca, quæ secundùm quamcumque dispositionem loci, & temporis possunt rebus ipsis conuenire: quod docuit Sanctus Thomas quæst. 2. *S. Thomas.* de veritat. artic. 7. ergo non solùm repræsentat possibilia, sed etiam futura, alioqui non repræsentaret res secundùm omnem dispositionem possibilem, nam inter alias dispositiones, quę potest vnicuique rei conuenire, est futuritio, siue exercita existentia in aliquâ certâ duratione. Confirmatur, nam Deus est causa futurorum: ergo ea cognoscit, antequam decernat producere: ergo præscit illa in sua essentia, cùm ante decretum non possit aliud assignari medium, in quo illa certò cognoscat. Prior consequentia probatur, quia cognitio operis faciendi præcedit voluntatem, vt ratio directiua ipsius.

*Zumel.* 118. Ijsdem ferè argumentis mouetur Zumel: quia scilicet diuina essentia est repræsentatiua omnis veritatis: igitur non solùm in ea repræsentatur veritas rerum naturalium, sed etiam contingentium, tam absolutarum, quàm conditionatarum: vnde in ea docet videri futura libera conditionalia.

*Scotus. Aureolus. Arimin. fit.* 119. SECVNDA Sententia negat. Est Scoti in p. Dist. 39. §. *Iuxta istas*, Aureoli Dist. 38. art. 1. Propositione tertia. Mayroni quæst.

Ariminen. Gabriel. Suarez.

1. §. *quartum*, Ariminensis, quæst. 2. art. 2. Gabrielis art. 2. conclusione 2. Suarez in opusc. libro 1. de scientia Dei cap. 4. Probatur primò quia, cùm Idea repræsentet ante decretum diuinæ voluntatis non liberè, sed naturaliter repręsentat Ideata: sed scientia futurorum non est naturalis, sed libera, quippe quæ potuit simpliciter non esse. Secundò, Ideæ sol m repræsentant connexiones necessarias rerum, non autem contingentes: sed per connexiones necessarias non possunt cognosci contingentes: igitur per Ideas non possunt cognosci futura libera. Minor patet, quia complexio contingens non est nata cognosci ex necessariâ, alioqui non esset contingens, sed necessaria. Maior probatur, quia ideæ repræsentant independenter ab actu diuinæ voluntatis; ergo non possunt repręsentare complexiones contingentes: quia complexio contingens est quæ potest esse, & non esse: nihil autem potest esse, & non esse, nisi dependenter à voluntate Dei. Pro explicatione prędentis difficultatis,

120. Dico 1. Deus non cognoscit futura libera in suâ essentiâ proximè visâ vt causâ. Fundamentum est duplex; primum, quia futura libera non continentur in essentiâ formaliter, sed eminenter: quę autem solùm continentur eminenter in causa, nō possunt, visa causa, formaliter videri, secundùm proprium esse condistinctum ab esse causæ, vt ex suprà disputatis constat. Secundum est, quoniam proxima causa futurorum non est essentia, sed voluntas Dei: nequeunt autem futura cognosci ante determinationem Diuinæ voluntatis. Maior constat, quoniam futura sunt liberè futura: sola autem voluntas est proxima causa effectus liberè futuri; ergo. Quòd autem futura nequeant cognosci ante determinationem Diuinæ voluntatis, probatur; quia futura non sunt cognoscibilia, nisi vt determinata ad esse futuri, nam antequam determinentur ad esse futuri, non differunt à possibilibus: determinantur autem ad esse futuri à libera voluntate Dei; nam ab eo determinantur ad esse futuri, à quo determinantur ad esse existentiæ; determinantur autem ad esse existentię à libera voluntate Dei, cùm proximum principium producendi ad extra sit Dei voluntas, vt suo loco ostendemus.

121. Dico 2. Deus nō cognoscit futura libera in suis ideis independēter à quocunque alio, saltem vt à conditione necessariò prędentis. Fundamentum est, quia idea per se spectata indifferens est ad repræsentandum potius rem futuram quàm possibilem; igitur non potest per se spectata esse ratio proxima cognoscendi futura. Cōsequentia patet. Antecedens probo, quia licet idea exprimat totam entitatem rei futuræ, cùm nihil entitatis sit in re futura, quod non exprimatur, & repræsentetur in eadem re vt possibili; non tamen ex se apta est repræsentare rem vt futuram, quia repræsentare rem vt futuram, non solùm dicit repręsentare rem secundùm omnem perfectionem signatam, quam res habere posset, sed etiam secundùm eam perfectionem exercitam, quam re ipsa habitura est in aliqua differentia temporis; ratione cuius exercitæ perfectionis discriminatur res futura à possibili, & consequenter cognitio rei futuræ à cognitione rei possibilis, quæ supra expressionem totius perfectionis rei futuræ cōnotat exercitam perfectionem eiusdem rei pro aliqua temporis differentia.

122. Dico 3. Idea est Deo ratio cognoscendi futura, posita determinatione ipsorum ad esse futuri. Fundamentum est, quia idea Diuina est actualis, & intelligibilis similitudo rei, secundùm omnes complexiones, tam essentiales, & necessarias, quàm accidentales, & contingentes, quas res ipsa sub quocūque statu posita habere posset; repręsentat enim res singulares, & indiuiduas sub omni dispositione possibili, sub quâ res illę esse possunt, quia repræsentat eas perfectissimo modo, & sub omni perfectione, quam in se ipsis participare possunt. Igitur posita tantùm determinatione ipsorum ad esse futuri, Deus in se ipso tanquam in specie expressa, & idea perfectissimè exprimente omnia, cognoscit futura. Consequentia probatur, nam hæc ipsa futura cum eadem existentia, & accidentibus omnibus, atque dispositionibus, quas in se ipsis habitura sunt vt futura, distinctè, & dearticulatè exprimebantur in eadem essentia Diuina, vt specie expressa rerū omnium, sub esse possibili. Igitur, posita tantùm eorum determinatione ad esse futuri, statim cognoscuntur in eadem idea, & specie expressa dearticulatè exprimente omnia, & singula secundùm proprium esse vniuscuiusque: non secus ac si oculus meus haberet speciem expressam Antichristi, nunc non existentis, secundùm ea omnia delineamenta, & accidentia, quæ habiturus esset Antichristus in sua propria existentia, & duratione, si perseuerante eadem visione in oculo meo, poneretur Antichristus in rerum natura existens ante oculos meos, cum eadem figura, & delineamētis, cum quibus fuit expressus in mea visione, ego in eadem visione inuariata viderem Antichristum prędentem, eodem modo quo videbam antea, quando erat absens & futurus. Lege Scotum in 1. dist. 39. Scotus.

123. Ex his ambæ Sententiæ conciliantur, nam prima solùm probat tertiam conclusionem, Secunda verò primam & secundam. Cæterum falsum est, quod secunda docet, ideas repræsentare tantùm connexiones essentiales terminorum, quia, vt probatum est, repræsentant etiam accidentales, & contingentes, non tamen contingenter, & variabiliter; sed inuariabiliter, & necessariò, quia non repræsentant illas vt exercitas, sed vt exercibiles, & sub statu possibilitatis, quæ statim transeunt in statum futuritionis, posito libero decreto Dei, de quo instituenda est sequens sectio.

SECTIO

## SECTIO VIII.

### *An Deus futura libera prænoscat in decreto suæ Voluntatis?*

124. Sicut duplex est effectus contingens, alter dependēs à sola voluntate Dei, alter etiam à voluntate creatâ; ita duplex est decretum in Deo, alterum quo decreuit ex se aliquid ad extra producere; alterum, quo decreuit producere dependenter etiam à voluntate creatâ. Quod adhuc est duplex, alterum prædefiniens, & antecedens causalitate; alterum concomitans tantùm liberum actum futurum voluntatis creatæ. De singulis est controuersia, an Deus in suo decreto futura prænoscat.

125. Prima Sententia negat, Deum in vllo suo decreto certò præcognoscere futura, nisi tantùm remotè, quatenus eo posito res ipsa futura sit determinatè vera, & certò cognoscibilis in se ipsa. Est Vasquez 1. p. d. 66. c. 2. & Arrubalis d. 43. c. 2. Fundamentum est, quia decretum liberum Dei non addit supra essentiam Dei, nisi respectum rationis ad effectum futurum: Deus autem nequit cognoscere huiusmodi respectum rationis, qui obiectiuè tantùm est in intellectu creato: & esto illum cognoscat, nequit illi esse ratio & medium cognoscendi rem futuram, quia talis respectus consurgit in Deo ex re ipsa futura, tanquam ex proximo fundamento: nequit autem respectus posterior esse medium cognoscendi fundamentum ipsum, quod est prius, & causa ipsius respectus.

*Vasquez. Arrubal.*

126. Secvnda Sententia affirmat, omnes effectus futuros Deum prœcognoscere in determinatione suæ voluntatis. Est Scoti in p. Dist. 39 *§ Viso*, Rich. Dist. 38. a. 1. q. 5. Mayroni q. 1. *§. quartum*, Rubionis q. 2. art. 3. Durand. q. 3. num. 9. Caiet. 1. p. q. 14 art. 13. §. *Contra secundum* in fine, Asturicensis relectione de Christi gratia q. 6. *Conc.* 4. pag. 671. Bannez 1. p. loco præcit. Zumel ibidem Disp. 7. Gonsalez, Disp. 44. sect. 2. Aluarez lib. 2. de auxilijs Disp. 10. & 11. Fundamentum est, quia quidquid est futurum, dependenter à voluntate Dei vel prædefiniente; vel permittente est futurum: sed voluntas Dei est infallibilis & frustrari non potest; ergo in ea certò prœcognoscit omnes effectus futuros, siue bonos, siue malos, siue à se tantùm, siue à creata etiam voluntate dependentes.

*Scotus. Richardus. Mayronus. Rubio. Durandus. Caietanus. Asturicen. Bannez. Zumel. Gonzalez. Aluarez.*

127. Probant 2. recentiores Thomistæ hoc pacto. Omne decretum efficax Dei de effectu futuro dependente à voluntate creata, necessariam connexionem habet cum medio, quo talis effectus infallibiliter sit exequendus; ergo in eo Deus certò prænoscit effectum futurum. Antecedens patet, nā voluntas creata, præter principium extrinsecum prædeterminans, requirit principium, seu medium intrinsecum, quo se ipsa ad actum prædefinitum liberè ab intrinseco determinet. Consequentiam verò probant, quia cùm hoc medium sit ad exequendum actum à Deo prædefinitum, debet esse ex naturâ suâ tale, vt eo posito, infallibiliter ponendus sit effectus; alioqui frustrari posset decretum Dei, quod implicat: ergo in eo infallibiliter præscit effectum futurum. Confirmant auctoritate S. Doctoris 1. p. quæst. 14. artic. 13. 1. contra Gent. cap. 66. & 68. & 2. 2. quæst. 171. art. 6. ad secundum, docentis, Deum non solùm futura cognoscere in se ipsis, sed etiam in suis causis.

*Thomistæ.*

*S. Thomas.*

128. Dico primò futura, quæ solū pendent ex voluntate Dei, Deus certò cognoscit in suo decreto. Fundamentum est, quia quę pendent ex solâ voluntate Dei impediri non possunt, & alioqui Dei voluntas de se efficax est, & immutabilis: igitur in eâ ab æterno Deus certò cognouit quidquid in tempore producendum decreuit. Assertio hæc ex parte est contra Mayronum supra citatum, affirmantem, Decretum Dei esse mutabile, atque adeo scientiam, quam Deus habet in suo decreto de effectibus futuris, esse conditionatè, non absolutè infallibilem, stante nimirum decreto suæ voluntatis, quod tamen mutare posset ex innata sua libertate. Quod etiā innuit Rubio q. 1. cùm docet, posse Deum aliter in tempore agere, quàm ab æterno decreuit. Verùm hæc decretorum variabilitas apertè repugnat Dei immutabilitati, & constantiæ, quę nequit à proposito semel cōcepto desistere, cùm oppositum moralem saltem arguat mutabilitatem. Vnde,

*Mayronus.*

*Rubio.*

129. Ad fundamentum primæ sententiæ, nego liberum decretum Dei formaliter cōstitui per respectum rationis cōsequentē rem futuram; nàm cùm illud sit causa rei futurę, nequit formaliter constitui per respectū consequentem rem futurā, cùm nulla causa in ratione causæ constituatur per rationem consequentem suum effectum. Constituitur autem decretum Diuinum per actum ipsum necessariū, vt connotantem effectum à se liberè pēdentem: Vnde licet cognosci non possit sine effectu, quem essentialiter connotat, non tamen cognoscitur vt consequens effectum, sed ad summum vt concomitans effectum, vt fusiùs infrà, cùm de voluntate Dei.

130. Dico 2. Reliquos effectus futuros dependentes à voluntate creata, non potest Deus infallibiliter cognoscere in decreto suo tanquam in ratione proxima cognoscendi. Dixi, *in ratione proxima cognoscendi*; quia ratione scientię medię, quæ ad decretum prę-supponitur, est decretum, remota ratio cognoscendi tales effectus. Hęc sententia est prępipuorum Theologorum nostræ Societatis; ex antiquioribus eam docet Aureol. in 1. Dist. 38. a. 1. propositione 1. Ariminensis q. 2. art. 1. Bacconus Dist. 40. art. 2. §. 5. Inclinat Ferrarien. 1. contra Gent. c. 67. §. *Ad verbum*. Et colligitur ex S. Tho. 1. p. loco prœcitato, &

*Theologi Societatis Iesu. Aureolus. Ariminēsis Bacconus. Ferrarien S. Thomas.*

primo contra gentes c. 66. & de veritate q. 2. art. 12. & in 1. dist. 28. q. 1. art. 5. Vbi nunquã causam certitudinis Diuinę cognitionis ex parte obiecti assignat ęternum decretum, sed coëxistentiam futurorum in æternitate, in qua videntur in seipsis secundùm illud esse, quod habitura sunt extra suas causas, quin docet, futurum antequam fiat, non esse determinatè verum, quia nullam habet causam determinatam, & ideo vt futurum certo cognosci non posse, sed vt præsens. Si autem agnouisset S. Doctor tale decretum in Deo, illud profectò assignasset; nec dixisset futurum, antequam fiat, non esse determinatè verum, & certò cognoscibile, cùm illud sit determinatè verum, & certò cognoscibile in ipso decreto Dei, in quo haberet determinatum esse, & certam cognoscibilitatem.

131. Fundamentum est, quia vel decretum Dei est antecedens & prædefinitiuum actus; vel concomitans, & permissiuum tantùm. Si primo modo, vt in eo, velut in causa Deus infallibiliter præcognoscat actum prædefinitum, debet esse causa infallibilis talis actus; non potest autem esse causa infallibilis actus prædefiniti, nisi contineat medium, quo voluntas creata sit illum infallibiliter eliciturа: repugnat autem, voluntatem creatam infallibiliter eliciturам actum infallibilitate requisita ad scientiam Dei, absque præiudicio propriæ libertatis: ergo. Maior patet, quia si decretum Dei non esset causa infallibilis actus prædefiniti, posset oppositum contingere, ac proinde falli scientia Dei. Minor assumpta constat; quia Diuina voluntas est immediata causa nostrorum actuum medio concursu, vel principio aliquo nobis inhærente: ergo, vt sit causa infallibilis actus prædefiniti, continere debet medium, quo talis actus sit à voluntate creata infallibiliter eliciendus. Minorem subsumptam probo; quoniam infallibilitas, quam ex parte obiecti postulat scientia, & decretum absolutum Dei, debet esse talis, vt oppositum implicet contradictionem, sicut contradictionem implicat; vt scientia Dei fallatur, vel absolutum decretum ipsius frustretur. Vt autem hæc infallibilitas sit eiusmodi, debet medium, quo actus prædefinitus est exequendus, esse tale, vt eo posito contradictionem implicet oppositum; alioqui, si possibile esset oppositum, possibile esset, diuinam scientiam, diuinumque decretum falli: hoc autem tollit libertatem, quę essentialiter est potentia ab intrinseco indifferens ad vtrumlibet.

132. Neque Dicas, posse voluntatem creatam oppositum facere eius, quod prædefinitum est, infallibiliter tamen nunquam esse oppositum facturam: atqui hoc sufficit, vt in tali medio Deus infallibiliter præcognoscat liberum consensum futurum, quia ad infallibilitatem scientiæ, satis est, quod infallibiliter nunquam sit futurum oppositum.

133. Sed contrà; nam cùm tale medium non tollat à voluntate liberam potentiam ad resistendum, ponatur, quòd voluntas ad experiendam suam libertatem actu resistat, hoc enim metaphysicè non implicat, neque ex parte medij, siquidem non determinat volũtatem ad vnum; neque ex parte voluntatis; nam adhuc eo posito, manet cum plena potestate ad resistendum: in hoc autem casu falleretur Deus, eiusque Decretum: siquidem Deus certò cognosceret ex vi medij prędefiniti consensum futurum, cùm tamen ex vi libertatis creatæ futurum esset oppositum. Et, vt clariùs eluceat absurdum, fingatur Deus more nostro non præuidisse ab æterno determinationem voluntatis creatæ in se, sed tantùm in suo decreto, & medio prædefinito; nam in hac sententia perinde est, cùm ponat Deum priùs ratione illam infallibiliter præuidisse in suo decreto, posteriùs verò ratione in se ipsa, atque in sua existentia & duratione. Quæro igitur, non in eo casu Deus certò cognosceret consensum futurum in suo decreto & medio prædefinito, an non? si non; igitur tale medium non esset de se sufficiens ad certò cognoscendum consensum futurum: si ita; contrà est, quia iam supponitur ex vi libertatis creatæ futurum oppositum. Dicere autem, quod hoc medium ex natura sua sit tale, quod infallibiliter & in nullo vnquam casu componat cum oppositio dissensu, etiãsi possit antecedenter componere, non cohæret cum natura talis medij, quod debet antecedenter relinquere potentiam indifferentem ad vtrumlibet, alioqui si determinaret voluntatem ad vnum, non relinqueret illam liberam. Nec recurri potest ad infallibilitatem consequentem ex suppositione ipsius consensus futuri, quia talis infallibilitas in hac opinione locum non habet, quæ certitudinem diuinæ scientiæ futurorum contingentium assignat ex parte medij, vt causæ antecedentis effectum ipsum futurum; alioqui contra suppositum non assignaret certitudinem scientiæ futurorum in causa, sed in se ipsis. Vnde quamuis nequeat Deus certè cognoscere tale medium, quin simul cognoscat effectum ab eo futurum, ratio tamen certò cognoscendi effectum, est medium ipsum cognitum in se; adeò vt, si per impossibile, Deus non videret effectum futurum in se ipso, illum certò pręsciret in tali medio, tanquam in causa sufficiente, hoc enim est contineri infallibiliter in causa. Confirmatur, quia vt medium sit infallibile, non potest aliunde oriri, nisi vel ex natura ipsius medij, habentis ex se infallibilem cõnexionem cum effectu, vel ex præuisione scientiæ diuinæ. Secundum non admittit hæc sententia: primum tollit libertatem, quia nequit medium ex se ipso habere infallibilem connexionem cum effectu, adeò vt oppositum implicet contradictionem, nisi determinando voluntatem ad vnum, & tollendo potentiam ad oppositum; alioqui si admitteret potentiam ad oppositum, non posset esse infallibile.

135. Si verò decretum sit permissiuum, non est causalitate antecedens liberum consensum creaturæ, sed solùm concomitans:

igitur

igitur non potest in eo, tãquam in causa certò cognoscere liberum consensum creaturæ; quia in eo antecedenter considerato non magis continetur futurus consensus, quàm futurus dissensus; quia antecedenter consideratus non magis determinat voluntatem ad vnum, quàm ad oppositum: vt autem est concomitans, formaliter dicit liberam determinationem creaturæ, nam vt sic formaliter dicit concursum concomitantem ipsum liberum consensum creaturæ: vnde potiùs cognoscit liberum consensum in se ipso, & in propria determinatione voluntatis creatę, quàm increatæ.

136. Ad Fundamentum oppositæ sentẽtię, distinguenda est Minor: etenim voluntas Dei est infallibilis ratione medij, de se infallibilem connexionem habentis cum consensu futuro, & nego; est infallibilis ratione scientiæ mediæ, antecedentis decretum Dei, & concedo.

137. Ad secundum distinguo antecedens: debet decretum Dei habere connexionem cum medio, infallibilem connexionem habente ex natura sua cum actu prædefinito, & nego; ex suppositione actus, præuisi sub conditione futuri, & concedo: ergo in eo Deus certo cognoscit futura ex vi medij prę-cisè, & nego; ex vi consensus præuisi sub conditione futuri, & concedo. Ad confirmationem, nego S. Thomam vsquam docere, futurum contingens à Deo certò cognosci in causis, quin oppositum vbique inculcat, non posse in causis certò, sed tantùm coniecturaliter cognosci: atque ita Doctorem sanctum intelligunt Capreolus & Ferrarien sis. Vnus locus est 1. contra Gentes c. 67. vbi videtur oppositum docere: *Sicut*, inquit, *ex causa necessaria sequitur effectus certitudinaliter, ita ex causa contingenti completa, si non impediatur.* Verùm hunc locum explicat Ferrarien sis de causa contingente, non libera, sed naturali, quæ nata est ex occursu causarum impediri.

*S. Thomas.*

*Capreolus. Ferrarien.*

## SECTIO IX.

### *An Deus futura libera cognoscat in se ipsis.*

138. HIc est postremus modus cognoscẽdi futura in se ipsis, & in sua propria præsentialitate, & duratione existentia: etenim cognitio diuina, vtpote perfectissima, circa obiectum præsens & existens, non solùm est medium *in Quo* tale obiectum perfectè exprimatur, atque adeò cernatur; sed etiã medium *Quo* immediatè tendit ad ipsum obiectum in se ipso existens intuendum; atque adeò posita existentia rei extra causas, non solùm Deus cognoscit illam intentionaliter expressam in suo Verbo, in quo antea expressa erat sub esse possibili, sed etiam in sua propria existentia & entitate, quam antea res ipsa non habebat. Ratio autem dubitandi, an Deus ab æterno cognouerit futura in se ipsis, pro ea duratione, in qua erant extitura, hęc est. Quoniam futura non fiunt determinatè cognoscibilia in seipsis, nisi in tempore pro ea duratione, in qua fiunt extra suas causas; igitur non potuerunt ab æterno cognosci, quia non possunt certò cognosci, nisi quando determinantur ad vnum; determinantur autem ad vnum in tempore; igitur in tota æternitate antecedente hoc tempus, sicut non habent determinatum esse, ita nec determinatam cognoscibilitatem.

139. Dicendum tamen est, Deum ab æterno certò cognouisse futura in seipsis pro ea duratione, qua extitura erant extra suas causas, ea repræsentando vt existentia pro vno tempore, futura verò, vel præterita pro alio. Tria sunt hîc probanda. Primum, futura contingentia à Deo cognosci in se ipsis. Secundum, ea repræsentari vt existentia pro vno tempore, futura vero, vel prętérita pro alio. Tertium, hoc totum fuisse à Deo cognitum ab æterno.

140. Primum probo hoc pacto. Tunc futurum fit certò cognoscibile, quando fit determinatum ad vnum: fit autem futurum contingens determinatum ad vnum, quando fit extra suas causas; ergo tunc fit certò cognoscibile. Minor constat; nam quamdiu non est extra suas causas, manet in causis indifferens ad vtrumlibet. Maior probatur, nam quamdiu futurum non transit à statu contingentiæ ad statum necessitatis, non est certò cognoscibile, quia certitudo formalis supponit certitudinem obiectiuam. Porrò tunc futurum transit à statu contingentię ad statum necessitatis, quando sublata indifferentia causę determinatur ad vnum; quod fit quando futurum recipit esse à causa; quia tunc subtrahitur à potestate causę, per quam erat indifferens ad vtrumlibet.

141. Secuudum sic explico. Diuina cognitio, vtpote infinita similitudo rerum, vnũquodque repręsentat secundùm omnem dispositionem intrinsecam, & extrinsecam; essentialem & accidentalem: futura non solùm habent rationem prędentis, dum existunt, sed etiam futuri & præteriti, dum non existunt, ergo non solùm repræsentat illa, vt existentia in sua prędentialitate, quando sunt; sed etiam vt futura & prętérita pro reliquis temporibus, in quibus non sunt. Quo fit, vt in ordine ad cognitionem diuinam nulla sit variatio, nam ipsam rerum variationem repræsentat inuariabiliter, dum repræsentat eandem rem pro vno tempore existentem, pro alio futuram, pro reliquo prætéritam, fundantem pro diuersis temporibus, diuersa enunciabilia: nam pro vno tempore verum fuit dicere, *Christus nascitur*, pro alio falsum, quę tota variatio sumpta ex diuersa dispositione, & respectu, quem res habent ad inuicem; obiectiuè, inuariabiliter fuit in mente diuina ab ipsa æternitate. Lege Ferrar. 1. contra Gent. c. 67. §. *Sed occurrit.* *Ferrarien sis.*

142. Tertium, in quo est maior difficultas, sic ostendo. Quotiescunque potentia habet obiectum intra sphæram suæ cognitionis, potest illud cognoscere: intellectus diuinus ab æterno habuit intra sphęram suæ cognitionis futura contingentia: igitur ab æterno potuit illa cognoscere; igitur actu illa ab æterno cognouit. Posterior consequentia patet; nam potentia intellectiua in Deo est potentia necessaria, quæ suppositа cognoscibilitate obiecti, statim illud repræsentat. Maior constat. Minorem probo. Cognitio diuina mensuratur ęternitate; ergo ab ęterno habuit intra sphęram suę virtutis quicquid erat extiturum intra ambitum æternitatis. Antecedens patet; Quia cognitio Dei non distinguitur ab esse Dei, cùm in actu puro idem sit esse, & operari: sed esse Dei mensuratur æternitate; ergo & ipsius cognitio. Consequentia probatur ex definitione æterni: æternum est, quod inuariatum in se quoad omnia, totum simul, semper, & indiuisibiliter existit: igitur si cognitio Dei est ęterna, debet inuariata in se quoad omnia semper, tota, simul, indiuisibiliter existere; at non semper inuariata in se quoad omnia tota, simul, indiuisibiliter existeret, si quicquid extiturum est in toto ambitu æternitatis, ab ęterno simul non repræsentasset. Minor constat, quoniam, si ab æterno cognitio diuina non repręsentasset Petrum nunc existentem, variata esset in tempore in ratione repręsentationis, quia in tempore repræsentaret, vt existentem, quem ab æterno non repręsentasset vt existentem, proinde ęterna non esset. Vnde contra Patres, Deus aliter cognosceret futura, quàm prędentia, quia illa abstractiuè, hęc cognosceret intuitiuè, & in se ipsis: in quo sensu negant Patres, in Deo esse præscientiam; quia hęc importat anteceſſionem ad scientiam intuitiuam futurorum, quę in Deo nō est. Quia semper futura cognouit vt existentia in sua propria prędentialitate. Confirmatur. Nam infinitus intellectus cum infinito lumine, qualis est diuinus, non requirit, vt obiectum existat tunc, quando actu cognoscitur; quia non requirit illud, vt causam suæ cognitionis, sed vt purum terminum, & conditionem: vnde sufficit, vt illud sit aliquando extiturum.

S Thomas. 143. Atque hic est discursus S. Thomæ, cùm ex præsentia rerum in æternitate, probat certam scientiam futurorum in Deo ab æterno: nunquam enim S. Thomas ex prędentia rerum ab æterno, probauit scientiam futurorum ab æterno, sed ex præsentia rerum in æternitate simpliciter, & ex æternitate diuinæ cognitionis deducit scientiam futurorum ab æterno. Constat primò ex discursu articuli 13. quæstionis 14. primæ partis, præcipuè ex illis verbis, *Eius intuitu fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua præsentialitate*: sunt autem res in sua prędentialitate, quando actu existunt extra proprias causas. Idem docuerat art. 1. & 1. contra Gentes c. 67. & 2. 2. q. 171. art. 6. ad 2. Secundò ex exemplis, quibus id confirmat. Primum est q. 2. de veritate art. 12. eius, qui ex aliqua specula vno intuitu videt omnes transeuntes. Etenim sicut visio corporea duo postulat, vt transeuntes repręsentet, & vt transeuntes existant, & vt existant intra sphæram videntis; ita vt aliqua scientia, futura repræsentet, duo requirit, & vt futura aliquando existant, & vt existant intra sphæram cognoscentis: atqui hoc ipso, quod futura habitura sunt existentiam intra æternitatem, existunt intra sphæram diuinę cognitionis, quæ cùm sit ęterna, fertur in omne tempus, & res sub quacunque differentia temporis existentes; & per consequens quicquid habiturum est existentiam intra æternitatem, cadit sub sphęram diuinæ cognitionis.

S. Thomas. S. Thomas. 144. Secundum exemplum est centri respectu punctorum circumferentiæ, 1. contra Gentes cap. 66. nam, vt cētrum directam oppositionem habeat ad omnia puncta circumferentiæ, non est necesse, vt quodlibet punctum circumferentiæ existat in tota, sed in aliqua parte circumferentiæ: ergo vt cognitio Dei actu simul respiciat omnes creaturas existentes in circumferentia æternitatis, non est necesse, vt vnaquæque actu semper in ea existat, sed sufficit, vt aliquando existat.

S Thomas. Ægidius. Heruæus. Hispalensis. Syluester. 145. Tertiò constat. Quoniam in hoc sensu S. Thomam explicarunt Ægidius eius auditor, in castigatorio aduersus corruptorem S. Thomæ, in obseruationibus in hunc articulum: Heruæus in 1. distin. 38. Hispalensis, & Syluester in defensorio doctrinæ S. Thomæ. Nec propterea inutilem repetitionem admittimus in eius discursu: non enim dicimus, ipsum probare scientiam futurorum ex obiectiua præsentia eorundem in mente diuina; quo pacto probatio non esset diuersa ab ipsa conclusione probanda; sed ex præsentia futurorum aliquando in ęternitate, & ex æternitate diuinæ cognitionis, probare futurorū scientiam ab æterno in Deo; quomodo probatio est diuersa à conclusione, quæ probatur: probatur enim obiectiua præsentia futurorum in mente diuina, ex reali præsentia eorundem futurorum, non in tota æternitate, sed in aliqua parte virtuali æternitatis.

146. Dices. Ergo omnia, quæ existunt intra æuum intellectionis angelicæ, certò cognoscuntur ab Angelo: nam ita se habet cognitio æterna ad ea, quæ existunt intra æternitatem, qua mensuratur cognitio diuina; sicut cognitio æuiterna ad ea, quæ existunt intra æuum, quo mensuratur cognitio æuiterna Angeli. Respondeo negando consequentiam, eiusque probationem: etenim ratio, cur ea, quæ existunt intra æternitatem, necessariò cognoscantur à Deo ab æterno, ea est; quia cognitio diuina in repræsentando non pendet ab obiecto causaliter, sed tantùm terminatiuè: at cognitio angelica non solùm ab obiecto pendet terminatiuè, sed etiam causaliter: & quia obiectum non est aptum causare cognitionem, nisi vt existens, nequit ab Angelo cognosci, priusquam actu existat: & licet Angelus habeat speciem obiecti non existen-

tis;

tis;tamen habet illam dependenter ab obiecto existente; quia suppletur à Deo cum ea dependentia, quam talis species haberet ab obiecto, si ab illo esset producenda, vt in secundo tomo de Angelis dicturi sumus.

## SECTIO X.

### *An cum infallibili scientia futurorum stet creati arbitrij libertas.*

147. RAtio dubitandi est;quia quod est à Deo præscitum, non potest non fore,cùm scientia Dei sit infallibilis, & frustrari non possit : sed quod non potest non fore,necessariò erit:igitur si Deus ab æterno præsciuit omnes nostras operationes,illæ necessariò erunt;alioqui si aliter, quàm præuisæ sunt,euenire possent, Dei scientia falli posset. Confirmatur. Quia in nostra potestate non est efficere,vt Deus aliter sciat,quàm scit,quia cùm scientia Dei sit æterna, omnem præuenit arbitrij libertatem,& ea posita,non est in nostra libertate illam mutare. Ergo præscientia futurorum destruit arbitrij libertatem. Hoc argumentum, mirum,quantum Scholasticorum ingenia torqueat ; ad quod soluendum varię excogitatæ sunt rationes,quas legite apud recentiores.

148. Cæterùm Catholica Sententia est, futurorum præscientiam nullo pacto arbitrij libertatem lædere. Quæ veritas definita est in concilio Constantiensi contra Wicleffum sess.8.vbi inter 45.ipsius errores,dânat hunc, qui est ordine vigesimus septimus nempe, *omnia de necessitate absoluta euenire.* Hanc autem sic probo ; ea tantùm necessitas tollit libertatem, quæ per modum causę determinantis ad vnum antecedit effectum futurum, non autem quæ per modum signi infallibilis subsequitur effectum ipsum futurum: scientia futurorum in Deo non antecedit per modum causæ determinantis voluntatem creatam ad vnum, sed tantùm per modum signi infallibilis subsequitur effectus ipsos futuros: ergo scientia futurorum in Deo non lædit arbitrij libertatem. Maior est Anselmi lib. de concordia præscientiæ & prædestinationis,& probatur. Ea tantùm necessitas tollit libertatem,quę tollit indifferētiam causę ad vtrumlibet,in qua libertas formaliter consistit:atqui ea tantùm necessitas tollit indifferentiam ad vtrumlibet, quæ per modum causæ antecedentis determinat voluntatem ad vnum,non autem quæ per modum signi infallibilis subsequitur liberam determinationem causæ. Minor hæc patet: quia necessitas,quæ tantùm consequitur per modum signi infallibilis, supponit rem esse virtute suarum causarum, nihil influens in illam: est enim signum, teste Boëtio lib.5.de consolatione prosa 4. quod non efficit, quod signat, sed tantùm quid sit, ostendit. Minor primi Syllogismi probatur. Nam scientia Dei,quâ certo nouit futura, nō est causa, sed pura intuitio futurorum : ergo non antecedit libertatem per modum causæ determinantis ad vnum. Consequentia patet. Antecedens probo. Quia scientia Dei priùs ratione, quàm repręsentet rem futuram, supponit illam futuram ex vi suarum causarum: in quo sensu dicere solent Patres, non ideò res sunt futuræ,quia Deus nouit illas;sed contrà,ideo Deus nouit illas, quia erant futuræ.

*Concilium Constanſ. Wicleffus.*

*Anſelm.*

*Boetius.*

149. Confirmatur. Ita se habet cognitio Dei respectu futuri consensus liberi mei,sicut visio mea respectu sessionis Pauli: sed visio mea respectu sessionis præsentis Pauli nō lædit libertatem Pauli : ergo nec cognitio Dei liberi consensus futuri mei lædit libertatem meam. Quòd autem cognitio Dei præcedat ęternitate consensum meum, non imponit mihi maiorem necessitatem, quàm imponeret, si illum tantùm videret in tempore: atqui si illum videret tantùm in tempore, nullam mihi inferret necessitatem ; igitur nec modò mihi aliquam infert ; esto illum ab æterno præuiderit. Minor cum consequentia elucet. Maiorem probo. Ideò,si illum in tempore tantùm videret, necessitatem mihi non imponeret; quia nihil in illum influeret;atqui etiamsi cognitio diuina sit ab æterno, nihil influit in consensum meum præsentem, quē ab æterno præuidit. Maior patet, nam ea tantum ratione posset mihi necessitatem imponere,si in consensum meum antecedenter influeret per modum causæ determinantis ad vnum. Minorem ostendo. Quia etsi cognitio diuina sit æterna,non est tamen causa, sed tātùm signum consensus futuri ; quia priùs ratione quàm illum ab æterno præuiderit, supponebat illum futurum in se. Pro cuius explicatione,

150. Duplex notitia in Deo consideranda est circa futura libera,altera visionis, quæ consequitur effectum ipsum futurum,supponendo priùs illum futurum in se,quàm illum repręsentet: Altera approbationis, & causa effectus futuri. De priore notitia nulla est difficultas ; quia sicut illa supponit effectum prius futurum in se virtute causę proximæ; ita nullam infert vim causæ proximæ: de posteriore tantum potest esse difficultas, quia, cùm sit causa consensus futuri, si per eam Deus cognosceret nostrum consensum futurum, vim aliquam inferret libertati. Sed neque ex tali notitia sequitur vlla vis, aut lęsio nostrę libertatis. Ratio, quia hæc eadem notitia approbationis, quâ Deus cognoscit nostrum consensum futurum,& quâ est causa ipsius, vt absolutè futuri, supponit aliam notitiam priorem, qua Deus nouit eundem liberum consensum sub cōditione futurum, dependenter à libera voluntate ipsius creaturæ,quę notitia non differt à conditionata, nisi per decretum absolutum, quod superaddit de præbendo eo concursu ad consensum futurum creaturę,quo per eandem notitiam præuidit voluntatem creatam liberè se sub conditione determinaturam ad consensum.

Vnde

Vnde prima radix cognoscendi liberum consensum futurum, est ipsemet consensus sub conditione futurus virtute causę proximæ, liberè se ad illum determinantis, suppositis omnibus ad agendum sub conditione prærequisitis.

151. Ad rationem dubitandi, distinguo maiorem: quod est præscitum à Deo, non potest non fore, potestate consequente, concedo; potestate antecedente, nego. Explico: sicut duplex est necessitas ex Anselmo præcitato, Antecedens, quæ per modum causæ determinat ad vnum; & consequens, quæ supponit rem esse: ita duplex est potestas, altera Antecedens, qua simpliciter possumus producere, vel non producere effectum, quousque illum actu non produxerimus: altera consequens, qua nulla facta suppositione liberæ determinationis nostrę voluntatis, non solùm antecedenter, sed etiam consequenter sumus indifferentes ad vtrumlibet faciendū. Quæ suppositio duplex est, altera de pręterito, ex suppositione quòd actu iam nos determinauerimus ad vnum; altera de futuro, ex suppositione, quod liberè nos simus determinaturi ad vnum. Prior suppositio non solùm tollit potestatem consequentem, sed etiam antecedentem: nam posito quòd actum produximus, non est ampliùs in nostra potestate, illum non producere, quia actus tamdiu manet in nostra potestate, quamdiu manet in nostra libera virtute productiua. Posterior verò, sicut non tollit liberam virtutem productiuam causæ, ita nec antecedentem potestatem, quæ in tali virtute fundatur: tollit tamen potestatem consequentem, quia supposito, quod futurus est actus ex libera determinatione nostræ voluntatis, implicat, illum non fore. Vnde licet in nobis maneat potestas antecedens ad producendum, vel nō producendum, quia hęc ex tali suppositione non mutatur intrinsecè, & antecedenter, nō tamen manet potestas consequens ad non ponendum actu, quod semel ex suppositione ponitur futurum, alioqui maneret in nobis potestas ad contradictoria actu simul ponenda: hęc tamen necessitas, quia est ex suppositione libera nostræ determinationis futuræ, non magis officit libertati, quàm suppositio de pręterito: etenim ea tantū suppositio officit libertati, quę est independens à nostra voluntate, & causa actus.

*Anselm.*

152. Igitur ad argumentum in forma, nego Maiorem de potestate antecedente; cōcedo de potestate consequente, quæ fundatur in suppositione liberæ nostrę determinationis. Ad probationem concedo, Dei scientiam frustrari non posse, non ex aliqua necessitate antecedente, quę sola tollit libertatem; sed ex necessitate consequente, quę non lædit libertatem, sed supponit. Vnde scientia Dei de futuris contingentibus dici consueuit necessaria necessitate consequentiæ; quia ex ea necessariò infertur futuritio effectus, tanquam à posteriori, & signo infallibili; non autem necessaria necessitate consequentis; quia non est antecedens & causa consensus futuri.

153. Ad confirmationem, distinguo Antecedens: non est in nostra potestate, vt quod Deus scit in sensu composito, non sciat, concedo Antecedens, sic enim inuoluit suppositionem futuram nostrę voluntatis, qua posita non minùs non est in nostra potestate consequente, eam tollere, quàm in nostra potestate sit, tollere scientiam, quam Deus habet de illa, quia hęc necessariò consequitur ad illam. Est autem in nostra potestate, vt quod Deus scit, potuerit in sensu diuiso non scire. Etenim non minùs in nostra potestate est, vt quod Deus ab æterno sciuit, aliter ex eadem æternitate sciuerit, quàm in nostra potestate sit, vt quod ponitur ex suppositione futurum, aliud poni potuerit ex suppositione futurum. Iam quod hoc potiùs ponatur, quàm aliud ex suppositione futurum, pēdet ex libera nostra voluntate, quæ ad hoc potiùs, quàm ad aliud liberè se sit applicatura. Vnde absolutè dici non potest, in nobis esse potestatem frustrandi scientiam Dei, quia potestas frustrandi scientiam Dei, est posse facere, vt quod Deus de facto sciuit, aliter eueniat, quàm ab æterno sciuit, quod contradictionem inuoluit. Nam quamuis in nobis sit potestas, vt quod de facto Deus sciuit, potuerit non scire; non est tamen potestas, vt ex suppositione quod sciuit, possit aliter scire.

154. *Obijcies* 1. Posita necessitate consequente ex suppositione effectus futuri, adhuc in nostra voluntate manet potestas antecedens non ponendi effectum: igitur in voluntate nostra est potestas frustrandi scientiam Dei. Respondeo nego consequentiam: etenim potestas frustrandi scientiam Dei, non est potestas antecedens, sed consequens, quę, facta suppositione futuritionis, non manet in nostra voluntate. Maior probatur, nam potestas frustrandi scientiam Dei, est potestas actu tollendi eius obiectum: hæc autem non est potestas antecedens, quę solùm potest, non autem actu est sublatura effectum ipsum futurum. Maior constat, quia scientia Dei non fundatur in effectu, prout est in causa, sed prout est in se ipso extra causam.

155. *Obijcies* 2. Si in nobis esset potestas antecedens faciendi, vt quod Deus ab æterno sciuit, aliter sciuerit, esset potentia ad præteritum, quod implicat. Respondeo concedendo esse potentiam ad præteritum, quando præteritum pendet ex futuro; secus quando præteritum à futuro non pendet: quia verò scientia æterna Dei, quoad extrinsecam terminationem pendet à libera futuritione effectus, potest ad illam esse potentia, non quidem in sensu composito, sed in sensu diuiso, modo prædeclarato.

SECTIO

# SECTIO XI.

## *An Deus certò cognoscat futura conditionata libera.*

156. HÆc est celeberrima inter Theologos nostræ ætatis controuersia, in qua fundatur operosa illa sæpius agitata, & nondum planè explicata quæstio, de diuinæ gratiæ efficacitatis cum humani arbitrij libertate concordia: ex qua rursus pendet totius nostræ iustificationis, ac diuinę prædestinationis negotium. Vt autem punctum controuersię aperiamus, difficultas non est de futuris conditionatis, quę naturaliter sequuntur ex eorum antecedente conditione, nam hæc sunt certò cognoscibilia ex vi illationis, & necessariæ connexionis consequentis cum Antecedente, vt si homo currit, mouetur, sed de futuris conditionatis, quæ ex vi Antecedentis conditionis possunt sequi, & non sequi, cuiusmodi sunt omnia futura libera, quæ positis quibuscunque conditionibus ex vi solius libertatis causę, possunt sequi, & non sequi.

157. PRIMA Sententia docet, Deum de his futuris non habere scientiam formalem, sed tantùm virtualem: est Nauareti, apud Gonsalez disp. 44. n. 11. Fundamentum est, quia hæc scientia inuoluit imperfectionem, igitur non est ponenda in Deo formaliter, sed tantùm virtualiter. Antecedens probatur, tum quia aliàs Deus dependeret à conditione ponenda, vt suum conferret auxilium. Tum quia illud iudicium, quod ex se est practicũ, & non sortitur effectum, est imperfectum: talis est cognitio conditionata: ergo. Vnde quãdo Deus hęc futura prædicit, prædictio non refertur ad futura in se ipsis, aliàs non esset infallibilis, quia hæc nunquam erunt; sed ad res alias secundùm proportionem cõsimiles, quæ infallibiliter eueniunt positis ijsdem conditionibus.

158. SECVNDA Sententia negat, omnem scientiam conditionalem esse certam & infallibilem in Deo, sed tantùm probabilem, & coniecturalem: est Cabrerę 3. p. qu. 1. art. 3 disp. 1. §. 22. dicto 2. & 3. Nazarij 1. p. q. 14. art. 13. controuersia 1. docentis, Futura conditionalia ante decretum Dei habere moralem tantùm ac probabilem certitudinem, fundatam in præsenti dispositione causę liberę; & vt sic ea sępe cognosci à Deo, & in Sacris literis prædici, vt sunt Prophetiæ, quę non sortiuntur effectum, quem prædicunt, qualis est illa Ionę 3. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur.* Post Decretum verò Dei eandem scientiam docet, habere certitudinem infallibilem ex vi decreti diuini antecedentis omnem determinationem creaturæ. Scientiam conditionalium primo modo acceptam, ait pertinere ad scientiam simplicis intelligentiæ; Secundo verò modo, ad scientiam liberam, quæ subdiuiditur in scientiam visionis futurorum absolutorum & conditionalium.

159. Probatur hæc Sententia 1. Quia hæc futura non cognoscuntur in se ipsis, cùm in se ipsis nunquam illa futura sint; igitur nequeunt cognosci, nisi ex vi illationis: at non omnia possunt ex vi illationis infallibiliter cognosci; quia non omnia infallibiliter consequuntur ex vi antecedentis conditionis: igitur non omnis scientia conditionalium in Deo certa est & infallibilis. Confirmatur nam veritas propositionis conditionalis consistit in bonitate consequentiæ: ergo ea tantùm est vera, cuius consequens infallibilem connexionem habet cum antecedente: at non omnia futura libera infallibilem connexionem habent cum antecedentibus causis & conditionibus. Antecedens probo; quia propositio conditionalis nihil ponit in esse, sed solum enunciat consecutionem vnius ab alio. Vnde teste S. Thoma Opusc. 48. omnis conditionalis vera est necessaria, & omnis falsa impossibilis: igitur tota eius veritas consistit in bonitate consequentiæ. Minorem ostendo, quia futura libera, adhuc positis omnibus ad agendum prærequisitis, ex intrinseca libertate causę possunt non euenire.

160. Secundò probatur eadem sententia. Quia semper hæc futura in scripturis prædicantur cum particula dubitatiua *Forte*. Tertiò. Quoniam hanc scientiam negant Prosper Epist. ad Augustinum ante librum de prædestinatione Sanctorum, & Augustinus ipse cit. lib. cap. 14. vterque enim contra Massilienses negat Deum vel damnare paruulos sine Baptismo decedentes, propter peccata, quæ patraturi fuissent si superuixissent, vel saluos facere eos, qui cum Baptismo decedunt, propter bona opera sub conditione præuisa: quia nimirum hęc futura non sunt futura: *Deus autem*, inquit Augustinus, *hoc præscimit quod futurum erat, non quod futurum non erat.*

161. TERTIA sententia affirmat, hanc scientiam esse in Deo certam & infallibilem, formalem & non tantùm virtualem. Hanc sententiam adeo certam indicat Zumel 1. p. q. 14. art. 13. dub. 8. Concl. 1. vt oppositum non sentiat tutum. Eandem vnanimi consensu tradunt Patres Societatis Iesu, quorum primus inuentor fuit Fonseca lib. 6. Metaph. cap. 2. q. 4. sect. 8. 9. & 10. vt ipsemet ibidem testatur, quem postea secuti sunt alij eiusdem Societatis Doctores: Molina 1. p. q. citata disp. 17. initio, & lib. 4. de gratia & libero arbitrio cap. 15. in fine. Valentia puncto 5. §. *Sequitur nunc secunda quæstio ad secundum*, Vasquez disp. 67. Suarez lib. 2. de scientia Dei, & tomo 1. de gratia, prologomeno 2. Henriquez de fine hominis cap. 4. Lessius Opusc. de gratia cap. 19 Arrubal disp. 44. cap. 3. Albertinus Principio 4. Philosophico Corollario 3. Becanus 1. p. cap. 10. q. 5. & insigniores Thomistæ, qui quamuis discrepent in modo, conueniunt tamen in certitudine & infallibilitate huius scientiæ. Sotus lib. 3. Summularum cap. 8. lect. 3. Zumel suprà citatus,

*Nauarret. Gonzalez.* — *S. Thomas.* — *Prosper. Augustin.* — *Zumel.* — *Cabrera. Nazarius.* — *Fonseca.* — *Molina.* — *Valentia. Vasquez. Suarez.* — *Henriquez.* — *Arrubal. Albertinus. Becanus.* — *Ionæ 3.* — *Sotus. Zumel.*

Aluarez. Gonsalez. Machin. S. Thomas. Augustinus.

tatus, Aluarez lib. 2. de Auxilijs disp. 7. Gonsalez disp. 44. sect. 2. Machin. disp. 33. sect. 2. & colligitur ex S. Thoma 3. p. q. 1. art. 5. ad 2. & art. 6. in quorum primo cum Augustino docet, non omnibus ijs, quos Deus præuidit credituros, si apud eos facta fuissent miracula, subuenire voluisse. In secundo verò asserit, eo tempore Deum carnem sumere voluisse, quo suum beneficium gratum futurum sciuit. Vterque locus apertè supponit scientiam conditionatam tum eorum, qui crediturì essent, si apud eos miracula facta fuissent; tum eorum, quibus beneficium incarnationis gratum futurum nō fuisset. Colligitur etiam

Scotus.

ex Scoto in 1. dist. 41. §. *Sed contra istud*; vbi cùm sibi obiecisset, merita, aut demerita sub conditione præuisa, esse causam, cur vnus puer moriatur cum Baptismo, alius sine Baptismo: non negat Deum hæc merita, aut demerita sub conditione futura præuidere, sed solùm negat Deum propter talia merita moueri ad prædestinandos homines: ergo admittit eo loco scientiam conditionalium in Deo.

1. Reg. 23.

162. Dico 1. Deus cognoscit futura conditionalia. Conclusio simpliciter asserta est de fide, cùm sit apertè reuelata in scripturis 1. Regum 23. consulente Dauide Dominum, an eo manente Ceilæ, descensurus esset Saul ad ipsum capiendum; & an Ceilitæ ipsum traditurì essent in manus Saulis. Respondit Dominus: *descendet, tradent*, quæ futura non habuerunt esse, quia nec Saul descendit, nec Ceilitę Dauidem tradiderunt, ipso fugiente; habitura autem fuissent, si Dauid Ceilę mansisset. Cognouit igitur Deus descensum Saulis in Ceilam, & traditionem Ceilitarum sub conditione, si Dauid Ceilæ mansisset. Matth. 11. & Lucę 10. *Si in Tyro & Sidone*, inquit Christus, *facta essent virtutes, quæ facta sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Vbi Christus prædicit futuram pœnitentiam Tyriorum & Sidoniorum sub conditione, si apud eos facta fuissent miracula, quæ facta sunt apud Corozaitas & Bethsaitas: ergo cognouit pœnitentiam Tyriorum & Sidoniorum sub conditione futuram. Consequentia patet, quia nequit effectus prędici, nisi præcognoscatur. Eandem sententiam probo ex Augustino, primò ex Epist. 49. q. 2. circa finem, vbi docet, tunc atque ijs apparere voluisse Christum, quando & quos sciebat credituros esse in eum, & non alijs hominibus ac temporibus, quando, & quos, si non omnes, saltem multos futuros esse prę-sciebat, qui in ipsum non crederent. Hoc autem necessariò supponit in Deo scientiam quâ prę-uidit eos, qui credituri non essent, si Christus eis apparuisset. Neque hunc locum retractat in lib. de prædestinat. Sanctorum, & bono perseuerant. cap. 9. sed solùm docet non fuisse ab ipso eo loco definitum, an qui præuisi sunt in Christum credituri, si eis Christus apparuisset, credituri fuissent ex se ipsis, an ex dono Dei: *quid enim est verius*, inquit, *quam præscisse Christum, qui & quando, & quibus locis in eum fuerant credituri? sed virum prædicato sibi Christo à se ipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi, tunc necessarium non putaui.* Vbi de nouo confirmat quod de hac scientia docuerat; quod vlteriùs approbat exemplo Tyriorum li. de bono perseuer. 2. eodem cap. de bono perseuer. docet, Deū non iudicare mortuos de peccatis, quæ præsciuit eos perpetraturos, si superuixissent. Supponit ergo Deum habere scientiam de peccatis, quæ mortui perpetraturi essent, si superuixissent. Tertiò lib. de corrept. & gratia cap. 8. *Respondeant*, inquit, *si possunt, cur illos Deus, cùm fideliter & piè viuerent, non tunc de vita huius periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum: vtrum hoc in potestate non habuit, an eorum mala futura nescuit? nempe nihil horum nisi peruersissimè atque insanissimè dicitur.* Quo quid clarius pro scientia conditionata?

163. Quartò lib. 1. ad Simplic. qu. 2. circa medium, vbi vocationem congruam explicat per ordinem ad scientiam conditionatam, quâ Deus nouit quando, & quomodo scit congruere, vt vocantem non respuat: *Sed interest*, inquit initio quęstionis, *quibus articulis temporum gratia infundatur*: hoc autem supponit in Deo scientiam; quæ nouit vno tempore congruere, quod eidem alio tempore non congruit, vt possit eo tempore vocare, quo nouit congruere, vt vocantem non respuat. Nec intelligi potest de scientia absoluta; nam hæc sequitur, non antecedit propositum congruè vocandi; Augustinus autem apertè supponit hanc scientiam antecedere propositum congruè vocandi, quia ad hunc finem illam admittit vt deseruiat proposito congruè vocandi.

164. Euidenter etiam hæc scientia colligitur ex communi illa admiratione Patrum, quâ altissima Dei consilia suspiciunt, qui cùm præuiderit tot homines, atque Angelos peccaturos, nihilominus voluerit illos condere. Hæc Patrum admiratio necessariò supponit in Deo scientiam conditionatam, quâ antequam homines vel Angelos creare vellet, præuidit peccaturos; alioqui non possent admirari, cur cùm Deus præuiderit illos peccaturos, nihilominus creare voluerit; nisi ante decretum de eorum creatione pręcesserit scientia de eorum peccatis: quę, cùm absoluta esse non possit, siquidem hæc consequitur, non antecedit decretum de creatione, necessariò erit conditionata.

165. Ratione vltimò hæc sententia probatur. Nam scire quid vnaquęque creatura liberè operatura sit in quauis occasione posita, maxima perfectio est, & confert ad exactam prouidentiam, quam Deus habet de suis creaturis; igitur non est talis perfectio Deo neganda.

166. Dico 2. Deus cognoscit omnia futura conditionata, quæ ab omnibus & singulis creaturis rationalibus, tam existentibus, quàm possibilibus sub quauis occasione constitutis, futura essent. Assertio hæc est contra

Henri-

Henriquez, qui docet, hanc scientiam non oportere extendi, ad omnia futura conditionata, non modò quæ futura essent à creaturis possibilibus, sed quę futura essent à creaturis existentibus. Fundamentum ipsius est, quia Deus non cognoscit hęc futura, nisi in ipso præsupponatur liberum decretum earum cõditionum, ex quibus tale futurum infallibiliter sequeretur: at Deus actu libero non prædeterminat omnes causas ad omnes effectus sub conditione futuros, quia cùm hic actus non conferat ad prouidentiam creaturarum, esset otiosus in Deo.

167. Nostra tamen assertio probatur primò. Quoniam maior perfectio in Deo est, scire omnia, quàm aliqua ex futuris conditionatis: ergo ita dicendũ est. Consequentia elucet, nam semper in Deo cõcedenda est maior perfectio, quæ excogitari potest. Antecedẽs probo; nã qua ratione in Deo ponitur scientia aliquorum conditionaliũ, quia dicit perfectionem; eadem ratione ponenda erit sciẽtia omnium conditionalium, quia maiorẽ dicit perfectionẽ. Secundò potest in Deo esse scientia omnium conditionalium; ergo de facto est. Antecedens ostendo, nam potest per aduersarios Deus habere actum prędefinitiuũ circa omnia conditionalia, quo posito omnia conditionalia fiũt actu scibilia. Cõsequentia verò probatur; nã ex eo, quòd Deus potuit habere decretum conditionatum de pœnitentia Tyriorum ex suppositione, quòd apud eos factæ fuissent virtutes, quę factæ sunt apud Iudęos, de facto illud habuit, quia facit ad maiorẽ amplitudinem scientiæ diuinę: ergo, quia potuit habere decretum conditionatum circa omnia futura conditionalia, de facto illud habuit, quia facit ad maiorem amplitudinem eiusdẽ scientiæ diuinæ, qua non solùm cognoscit, quid possibile sit; sed etiam, quid de facto futurum esset, quauis conditione posita.

168. Confirmatur. Si Deus non cognosceret futuram pœnitentiam conditionatam Tyriorum, de facto careret aliqua scientia, quam posset habere: igitur quemadmodũ ne careat scientia pœnitentię, Tyriorum, quam posset habere, de facto ponitur in Deo decretũ conditionatum, ex quo talis scientia pendet: ita ne careat scientia omnium conditionalium, quã Deus similiter habere posset, ponendum est aliud decretum conditionatum, ex quo sciẽtia omnium conditionalium pendet; nec tale decretum erit otiosum, quia confert ad maiorem perfectionem, & amplitudinem scientiæ diuinæ.

169. Dices. Hinc sequeretur, Deũ non liberè, sed necessariò habere decretum conditionatum circa omnia conditionalia. Sequela probatur; quia sicut nõ potest Deus nõ habere talem scientiã, ita nec decretum, ex quo scibilitas ipsius obiecti pẽdet. Resp. ea sententia posita, quæ affirmat futura conditionalia fieri cognoscibilia dependenter à decreto, actu existente in Deo, concedenda est Sequela, quam cohærenter concedit Gonsalez. In sententia verò nostra, absolutè neganda est Sequela, cùm aliunde possint illa fieri cognoscibilia, vt infrà ostendemus.

*Gonsalez.*

170. Vrgebis. Deus non necessariò habet decretum absolutum circa omnes creaturas; ergo nec conditionatum circa easdem. Consequentia probatur, quia nõ minùs ex decreto absoluto futura absoluta fiũt determinatè cognoscibilia, quã in prædicta sentẽtia ex decreto conditionato futura conditionata fiunt determinatè cognoscibilia. Resp. negando Consequentiam: & ratio discriminis est; quia futurum absolutum non addit intellectui diuino nouam rationem cognoscendi supra futurum conditionatũ; nam id quod cognoscit sub cõditione futurum, purificata conditione, cognoscit absolutè futurum: futurum verò conditionatũ, addit nouam rationem cognoscendi supra possibile; quia addit determinationẽ ad vnum, quam non dicit possibile, quia possibile est indifferens ad vtrumq;. Vnde ad probationem consequentię distinguo consequẽs: ex decreto absoluto fiunt futura absoluta, determinatè cognoscibilia secũdum nouam rationem cognoscendi, & nego; fiunt determinatè cognoscibilia, secundũ eandem rationẽ, extrinsecè tantùm diuersam, per solam connotationẽ rei in se ipsa existentis, & concedo.

171. Vnde ad fundamentum Henriquez Resp. negando Maiorem: & ea concessa, negãda est minor, eiusq; probatio; nam tale decretum, vt probatum est, conferret ad maiorẽ perfectionem, & amplitudinẽ scientię diuinę.

172. Dico 3. scientia conditionalium non est virtualiter, sed formaliter in Deo. Fundamentum est; quia scientia conditionalium, nõ est virtualis, sed formalis expressio obiecti; ergo non est virtualiter, sed formaliter in Deo. Consequentia constat, quia scientia dicitur formalis, aut virtualis ex formali aut virtuali expressione sui obiecti. Antecedẽs probo; quia hæc scientia repræsentat futura conditionalia immediatè in se ipsis; cũ in se ipsis immediatè sint cognoscibilia: igitur non est virtualis, sed formalis expressio sui obiecti. Confirmatur; quia cognitio virtualis non est cognitio obiecti in se ipso, sed in alio sicut amor virtualis nõ est amor rei in se ipsa, sed in alio: ergo si scientia conditionata effet tantùm virtualis in Deo, non esset cognitio conditionalium in se ipsis: ergo in se ipsis manerent ignota Deo: ergo cùm Deus reuelat futurum conditionatũ, non reuelat illud in se; quia non reuelat illud, nisi prout cognoscit, cùm reuelatio sit manifestatio conceptus interni.

173. Dices. Potest Deus amare res virtualiter: ergo poterit eas cognoscere virtualiter. Resp. negando consequentiã. Ratio discriminis est, quia Deus liberè amat res, at nõ liberè eas cognoscit: vnde potest eas virtualiter amare, quia potest eas amare tantũ in alio formaliter dilecto, vt media, in fine, vel finẽ in medijs; non potest autem rem in se ipsa cognoscibilẽ in alio tantùm cognoscere: quia Deus necessariò cognoscit rem secundum omnem cognoscibilitatem, qua cognoscibilis est.

174. Dico 4. Hæc scientia est in Deo certa & in-

& infallibilis, non modò ex parte cognoscẽtis, sed etiam ex parte rei cognitæ. Fundamentũ est. Quia futura conditionata habẽt in se certã & determinatam veritatem, vt infrà ostendã; ergo sunt certò & infallibiliter cognoscibilia ab intellectu diuino. Secundò probatur cadẽ assertio ab absurdo; tum quia maxima esset imperfectio admittere in scientia diuina aliquam incertitudinem & fallibilitatem etiam ex parte obiecti; nam fieri posset, vt obiectum aliter esset in se, atque à Deo cognoscitur & enunciatur. Tum quia ex hac sententia sequeretur, Deum non habere medium infallibile ad omne decretum quod circa creaturas condere posset. Sequelam probo; nam vt possit Deus condere decretum absolutum de reliqua dependente à libertate creata, oportet vt habeat medium infallibile, quo suum decretũ salua libertate creaturæ infallibiliter sit exequendũ; quod in hac sententia dici non potest, in qua supponitur Deum non habere ante suum decretum infallibilem scientiã de quacunq; re, dependẽte à libertate creata. Nec dici potest, effectũ prædici secundùm præsentem inclinationem causæ: tum quia sæpe Deus prædicit effectus futuros contra præsentem inclinationem causæ, vt fuit pœnitentia Tyriorũ, qui, vt notat in hunc locum Hieronymus, erãt vitio Idololatriæ dediti, ac proinde spectata præsenti dispositione causę, potiùs prædici debebat futurus dissensus, quã consensus Tyriorum in actum pœnitentiæ. Tum quia aliquando huiusmodi futura prædicuntur cum particula, *Certissime*, 3. Reg. 11. verisimile autẽ non est, Deum vti nota certissima in re incerta & dubia Tum quia interdũ effectus, qui prędicitur, nullam connexionem habet cum causis secundis, 4. Reg. 13. *Si percussisses*, inquit Elisæus Ioas Regi Israel, *quinquies, aut sexies, sine septies, percussisses Syriam vsq; ad cõsumptionem*, vbi quinta, vel sexta, aut septima percussio terræ, nullam connexionem habebat cum deuastatione Syriæ.

*Hieronym.*

3. *Reg.* 11.

4. *Reg.* 13.

175. Ad fundamentum primæ sententię nego Antecedens: ad cuius priorem probationẽ distinguo Antecedens: dependeret à conditione liberè ponenda, vt à causa motiua conferendi auxilium, & nego; vt à pura conditione obiectiua, vt tale auxiliũ posset à Deo prædefiniri, vt medium infallibile prædestinationis, & concedo. Ad posteriorem probationẽ, primo nego Minorem, est enim scientia conditionata purè speculatiua, ratione præcedens omnem actum practicum in Deo. Secundò, nego Maiorem, nam Deus habet practicum iudiciũ de omnibus agibilibus, & tamen nulla est imperfectio quod illa non producat, cuius ratio est, quia vel practicum iudicium præcedit actum voluntatis, & sic natura sua non petit sortiri effectum, nisi dependenter à voluntate: vel supponit voluntatem, & hæc aut est absoluta, & tale iudicium semper sortitur effectum; aut conditionata, & hæc non semper sortitur effectum, non defectu efficacitatis diuinæ voluntatis, sed libertatis, quæ effectum decernit cum tali conditione.

176. Ad primum argumentum secundæ sententię, nego antecedens; vt enim aliquid possit à Deo cognosci, non est necesse vt sit absolutè futurum, vt infrà probabo. Ad cõfirmationem dico, dupliciter enunciari posse veritatem horum futurorum: primò per modum propositionis hypotheticæ, & sic eorum veritas consistit in bonitate Consequentiæ, & illationis formalis. Vnde ea propositio dicitur vera, cuius consequens necessariò infertur ex antecedente; ea verò falsa, cuius consequens non necessariò infertur ex antecedente. Secũdò per modum propositionis categoricæ, cuius veritas non attenditur penes formalem illationem consequentis ex antecedente, sed penes connexionem, quam consequens de facto habet cum antecedẽte: quo pacto ea propositio dicitur vera, quę conformatur suo significato; ea verò falsa, quæ suo significato non conformatur. Porrò futura conditionata non cognoscuntur à Deo ex vi illationis consequentis ab antecedente, sed in se ipsis; atque adeo cognoscuntur quidem cum connexione consequentis cum antecedente, non tamen ex vi talis connexionis, sed ex vi proprij esse, quod de facto habitura essent extra causas, si conditiones, à quibus pendent, ponerentur.

177. Ad secundum, nego particulam, *Fortè*, semper esse notam dubitantis, sed vel libertatis & contingentię, qua res liberè fieret, si conditio poneretur, vt notat Hyeronymus in Ierem. 26. vel increpantis, vt testatur Augustinus Tract. 27. in Ioãnem, vel consuetę cuiusdam locutionis, vt aduertit Ambrosius lib. 2. de pœnitentia cap. 5. quod inde probat, quia interdum talis nota ponitur in rebus certissimis, vt Ioannis 8. *Si me sciretis*, inquit Christus Apostolis, *& Patrem meum forsitan sciretis.*

*Hyeronim.*

*Augustinus.*

*Ambrosius.*

178. Ad tertium, cùm iam certum sit de mente Augustini, vt suprà probatum est, atque adeò & Prosperi profitentis Augustini doctrinam, dicendum est, hos authores non negasse scientiam conditionatorum simpliciter: sed in sensu duntaxat, quo illa vtebantur Massilienses, nempe quatenus illa deseruiret Deo ad præmiandum, vel puniendũ eos, qui ex hac vita decedebant, ob merita, vel demerita sub conditione præuisa; atque in hoc sensu docet Augustinus, Deum non præscire, nisi quod futurum est, nempe scientia visionis: tum quia hæc sola deseruit ad meritum, vel demeritum; ad præmiandum bonos, vel puniendum malos: tum quia hæc tantùm dici potest pręscientia, quoniam præscientia, vt nomen ipsum indicat, anteceſſionem importat ad rem scitam: cùm autem futura conditionata, nunquam sint habitura esse, nequit scientia de illis in Scholastico rigore nuncupari præscientia, quia pręscientia importat respectum anteceſſionis ad rem aliquando futuram.

*Augustin. Prosper. Massilienses*

*Augustin.*

SECTIO

## SECTIO XII.

### *An futura conditionata Deus cognoscat ante vllum decretum suæ voluntatis?*

179 HIc est cardo præsentis controuersiæ inter nos, & recentiores Thomistas, quòd ipsi contendunt, futura cõditionata cognosci non posse ante liberum decretum Dei, in ipso existens. Distinguunt autem duplex decretum in Deo, Alterum absolutum tam ex parte actus, quàm ex parte obiecti, quale est omne decretum, quo Deus decernit res absolutè futuras; Alterum, absolutum quidem ex parte actus, conditionatum verò ex parte obiecti, propter aliquam conditionem inclusam ex parte obiecti: vt decretum de concurrendo ad actum pœnitentiæ cum Tyrijs, est absolutum ex parte actus, quia Deus actu habet in se tale decretum; conditionatum verò ex parte obiecti, quia ex parte obiecti includit conditionem, re ipsa nunquam ponendam, nempe si apud eos facta essent miracula, quæ facta sunt apud Iudæos. Docent igitur, nullum futurum conditionatum cognosci posse, nisi præsuppositio in Deo decreto prędefiniente tale futurum, sub aliqua conditione inclusa ex parte obiecti. Nos contrà contendimus, hæc futura cognosci ante vllum decretum prædefinitiuum actu positum in Deo, quamuis non sine respectu ad decretum, quod in Deo esset, si talis conditio, respectu cuius res dicitur conditionatè futura, poneretur.

180. Probant igitur Thomistæ suam sententiam 1. ex Augustin. multis in locis 1. ex præcitata Epistola Prosperi ad August. in fine, in qua interrogatus à Prosper. an scientia conditionata subniteretur electioni Dei, an contrà, electio Dei subniteretur scientię cõditionatæ, vt Massilienses volebant: Respondet de prędest. Sanctorum cap. 10. decretum prædestinationis præcedere scientiam futurorum: *Prædestinatione quippe Deus ea*, inquit, *præsciuit, quæ fuerat ipse facturus*. Et lib. de bono perseuerant. cap. 17. *hæc Dei dona*, inquit, *si nulla est prædestinatio, non præsciuntur a Deo*. Secundò lib. 1. de anima & eius origine negat, Deum futura conditionata cognoscere his verbis: *quid quod ipsa exinanitur præscientia, si quod præscitur non erit? quomodo enim rectè dicitur præsciri futurum, quod non est futurum?* atqui non negat ea prędsciri post decretum, vt docet de prædestin. Sanctorum, & de bono perseuerant. cap. 9. igitur ea tantùm negat præsciri ante decretum. Tertiò ibidem monet, id quod alibi à se dictum fuit, Christum prędidisse, qui essent in ipsum crediturí, dictum esse sine præiudicio latentis consilij Dei: at nullum esset latens consilium Dei, si id præsciret ante decretum suæ voluntatis; quia tunc, cur vnus crederet, alter non crederet, non reduceretur in aliquod latens consilium Dei, sed in nostrum velle, & nolle: vnde non esset hæc quæstiò, secundùm Apostoli admirationem imperscrutabilis. Quartò lib. de correptione & gratia cap. 12. docet, media, quę Deus præparat, vt suam adimpleat promissionem, non habere efficaciam ex nostro consensu, vt à Deo præuiso; sed ex proposito suæ voluntatis, quod ex se potens est facere, quod promittit.

*Augustin. Prosper.*

*Massilienses.*

181. Secundò probant hanc sententiam ex absurdis, quæ ex contraria sententia sequuntur. Primum est, quia posita conditionata scientia ante decretum, tolleretur specialis prouidentia Dei circa hominum gubernationem ad finem supernaturalem consequendũ. Sequela probatur, nã si Deus præsciuit, quòd si Petrus vocatus cum solis auxilijs communibus gratię saluaretur, posset hic de facto, saluari cum solis auxilijs communibus gratię: atque adeo ad salutem cum effectu consequendam necessaria non esset specialis prouidentia intra eundem ordinem gratiæ. Minor probatur, quia quod sufficit, vt aliquid sit futurum sub conditione, sufficit etiam, vt sit futurum absolutè, si conditio ponatur: igitur si sola auxilia communia sufficiunt, vt aliquis præuideatur salutem consecuturus sub conditione, eadem etiam sufficient, vt idem prędeatur salutem cum effectu consecuturus, si conditio ponatur; cùm non alia sit causa effectus absolutè, & sub conditione futuri. Cõfirmatur. Nam salus ęterna pendet à diuina prędestinatione, vt à causa per se requisita: implicat igitur, præuideri salutem ęternam, etiam sub conditione futuram sine prædestinatione prędsuppositia, quia implicat videri effectum, sub conditione futurum, sine causa per se requisita ad illum causandum.

182. Secundum absurdum est, quia admissa tali scientia, sequitur, bonum vsum nostræ voluntatis sub conditione præuisum, esse Deo rationẽ motiuã, vt vnum eligat præ alio. Sequela probatur, tũ quia posito, quòd Petrus sub conditione prędsus est Deo motiuum, vt illum eligat ad fidem, ita vt illi vim inferret, si non eligeret. Tum quia, vt deducit August. lib. de prædest. Sanctorum cap. 18. Si Deus ante decretum suũ cognouit, qui essent in ipsum crediturí, qui verò non, non posset aut credituros non eligere, aut non credituros eligere.

*Augustin.*

183. Tertiò sequeretur, vocationem congruam, in quantum huiusmodi non antecedere vt causam, liberum consensum nostrum, quo Deo vocanti respondemus; hoc autem dici non potest: ergo. Sequela cõstat, alioqui ad eam cognoscendã non esset necessaria scięntia media. Minor probatur, quia vocatio congrua est necessaria, vt Deo vocanti respõdeamus, sed gratia prędueniens, quæ necessaria est, vt Deo vocanti respondeamus, antecedit cõsensum nostrum sub conditione futurum: ergo gratia congrua vt sic prędsupponitur ad consensum sub conditione futurum. Maior cum Consequentia patet. Minor probatur, nam eadem est causa futuri conditionati, &

futuri absoluti: sed causa consensus absolutè futuri est gratia congrua, quatenus congrua; ergo etiam futuri conditionati. Minor est Augustin. lib. 1. ad Simplicianum q. 2. *Hæc*, inquit, *vocatio ita est effectrix bonæ voluntatis, vt omnis eam vocatus sequatur.*

Augustin.

184. Quartò sequeretur, priùs aliquid esse futurum, quàm possibile: hoc autem implicat, ergo. Sequela probatur, nam vocatio cõgrua priùs est futura per ordinem ad consensum sub conditione præuisum, quàm fuerit possibilis; alioqui, si priùs esset possibilis, quã futura, Deus in illa vt possibili per scientiam simplicis intelligentiæ infallibiliter cognosceret consensum liberum. Vnde necessaria nõ esset scientia media, quia hæc eatenus necessaria est, quatenus non potest Deus cognoscere infallibiliter consensum liberum in aliquo medio possibili. Minor probatur, nam futurum, ideo est futurum, quia est possibile: ergo priùs aliquid est possibile, quàm futurũ.

185. Quintò sequeretur, Deum cœco modo concurrere ad actus nostros liberos, absque intentione illorum in particulari, hoc autem repugnat perfectioni diuinæ. Sequela probatur. Quia Deus concurrit per voluntatem, qua paratus est concurrere, si creatura voluerit concurrere, ergo concurrit ignorando id, ad quod determinatè concurrit. Consequentia probatur. Quia ante hanc voluntatẽ non præsupponitur effectus in particulari cognitus, nam hic cognoscitur per ipsam scientiam mediam, quæ supponit voluntatem concurrendi: igitur per hanc voluntatem concurrit ignorando effectum, ad quem daturus est suum concursum.

186. Sextò, hæc sententia noua est, & ad conciliandam congruitatem diuinæ gratiæ, cum vsu nostræ libertatis, minimè necessaria: tum quia nulla Concilia, vel Patres ea vsi sunt ad explicandam concordiam liberi arbitrij, cum efficacitate diuinæ gratiæ, cùm tamen rectè illam, sine tali scientia contra Hæreticos explicant. Tum quia non est vera concordia duorum, quæ destruit alteram illorum: sed per hanc scientiam destruitur congruitas gratiæ præuenientis, & causalitas diuinæ prædestinationis. Minor probatur, quia antecedenter ad congruitatem gratiæ & diuinam prædestinationem, „nostri consensus supernaturales sunt determinatè futuri; nam ideo per scientiam cognoscuntur, quia sunt determinatè futuri: sed antecedenter ad hanc scientiam nulla gratia est congrua, nulla prædestinatio in Deo existens: ergo.

187. Tertiò, probant aduersarij suam sententiam ex falsis principijs, quæ nostra sententia supponit. Nam primò supponit cõuersionem supernaturalem fieri posse sine speciali gratia, etiam in genere moris: quod dici non potest. Maior constat, nam in hac nostra sententia nulla admittitur gratia specialis, nisi præsuppositia scientia media, & tamen per ipsam scientiam mediam præuidetur, exempli causa, Petrus conuertendus sub conditione: igitur fieri posset conuersio supernaturalis sine speciali gratia, si nimirum crearetur Petrus cum eo auxilio, cum quo per scientiam mediam prœuisus est sub conditione conuertendus.

188. Supponit secundò, quòd nos electuri essemus Christum per fidem, etiamsi Christus non elegisset nos, contra illud Ioan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Antecedens probatur, nam scientia media est necessaria, vt Deus eligat nos ad fidem; sed scientia media supponit nos credituros, si tali vel tali tempore vocemur: ergo antequam Christus eligat nos, nos supponimur elegisse Christum.

Ioan. 15.

189. Supponit tertiò, Deum non concurrere ad actus supernaturales liberos, voluntate absoluta, sed conditionata, qua paratus est concurrere, si creatura ipsa concurrit: hoc autem dici non potest, alioqui talis voluntas esset in Deo ab intrinseco necessaria; nec posset oppositam voluntatem habere, quia implicat Deum non concurrere, si creatura ipsa concurrat. Nec dici potest, talis voluntas necessaria ex suppositione, quòd creaturam ipsam producat: tum quia adhuc, nulla producta creatura, talis voluntas, qua Deus paratus est concurrere cum creatura sub quauis conditione posita, esset necessaria ex obiecto; siquidem implicat, Deum non concurrere cum creatura, si ipsa concurreret. Tum, quia, etiam producta creatura, Deus habet liberam voluntatem non concurrendi cum illa. Confirmatur, quia non aliter Deus concurreret cum Petro consentiente, quàm cum Iuda dissentiente; ex quo vlteriùs sequitur, quòd sicut in Iuda non operatur, nisi quandam sufficientiam, qua posset, si vellet, liberè consentire, nõ autem cõsensum ipsum; ita & in Petro. Prior Sequela probatur, nã cętera clarent: Deus æqualiter vtrique, quantum est ex se, per volũtatem conditionatam prœparauit concursum, quo concurreret, si illi vellent consentire: igitur non aliter concurrit, cum vno consentiẽte, quàm cum altero dissentiente. Consequentia probatur: nam vel Deus aliter concurreret cum vno, quàm cum alio antecedenter ad liberum cõsensum vel concomitanter vel subsequenter. Si primùm, Deus non voluntate conditionata, sed absoluta cõcurrit cum vno, qua non concurrit cum alio. Si secundum, tale discrimen non esset in ratione causę, nam quę se habent concomitanter, non se habent vt causa & causatum, idem à fortiori sequitur, si dicatur tertium.

190. Supponit quartò, voluntatem diuinam non determinari à se ipsa, sed à creatura ad concurrendum cum ipsa creatura: hoc autem nequit dici: ergo. Sequela patet, quia volũtas diuina expectat creatam, vt cum illa concurrat. Minor probatur, tũ quia, si hoc esset, neque de potentia absoluta, posset Deus suspẽdere actualem concursum, nam ab actuali determinatione creaturæ, sumitur actualis determinatio Dei ad concurrendum: igitur non pendet ex voluntate Dei, quod sub-

trahat

trahat suum concursum; sed ex voluntate creaturę, qua inchoante consensum, impossibile est, Deum non concurrere. Vnde prima radix determinationis diuinę voluntatis esset ab ipsa determinatione voluntatis creatę. Tũ quia implicat, vt effectus causæ sit eidem causæ conditio ad causandum requisita: sed determinatio voluntatis creatę, est effectus diuinæ; igitur non potest illi esse conditio requisita ad concurrendum cum voluntate creata, cùm omnis conditio præsupponi debeat ad suum effectum.

191. Supponit quintò, quòd Deus salua arbitrij libertate saluare non posset, nisi quem præuideret consensurum, hoc autem dici nõ potest; alioqui multi essent, quos Deus saluare non posset, etiamsi vellet, contra Augustin. in Enchiridio cap. 95. *Quis*, inquit, *ita decipiat, vt dicat Deum quem voluerit, quando, & vbi voluerit, non posse saluare?*

*Augustin.*

192. Supponit sextò, quòd prima radix, quòd vnus discernatur ab alio, sit ex nobis, contra Apostolum 1. ad Corinthios 1. *Qui gloriatur in Domino glorietur*. Maior probatur. Nã scientia media supponit, quòd quo auxilio vnus non consentit, consentiat alter. Neque dicas, hanc primam radicem esse à Deo, qui sua libera voluntate mihi præparat auxilium, quo prœuidit me consensurum, non autem auxilium, quo prœuidit me non consensurum: tum quia saltem loquendo de modo concurrendi Dei, quem scientia media præsupponit, si ille poneretur in esse dicẽdum esset, quòd eo auxilio creatura esset consensura, cum quo præuisa est per scientiam conditionatam consensura; atque adeò non in Deo, sed in se ipsa deberet gloriari, quod etiam repugnat, quia repugnat, vt in actibus supernaturalibus ita creatura operetur, vt in se ipsa & non in Domino possit gloriari. Tum quia si Deus mihi præparat auxilium cõgruum, ideo mihi prœparat, vt consentiam: igitur talis voluntas est absoluta, & efficax, cùm sit ex intẽtione finis: sed talis voluntas est antecedens, & causa consensus; ergo non stat cum voluntate conditionata, quæ expectat liberam determinationem nostram, quam scientia media necessariò supponit.

*1. ad Cor. 1.*

193. Supponit septimò, quòd ex parte Dei nil amplius requiratur, ad hoc vt homo actu operetur, & vt possit bonum operari: hoc autem est falsum: ergo. Maior constat, alioqui antecedenter ad nostrum consensum sub cõditione prœuisum certò cognosceretur effectus futurus. Minor est contra Patres Concilij Mileuitani, asserentes, necessariam esse orationem, quæ tamen necessaria non esset, si nihil tribueretur vni, quod non tribuatur alteri. Neque dicas, necessariam esse orationẽ, vt Deus vocet ea vocatione, qua prœuidit nos responsuros: tum quia hîc loquimur de oratione, vt medio ex diuina prouidentia ordinato, vt ex ea possit pendere aliquando conuersio huius, vel illius creaturæ: qua Dei prouidentia posita non esset, neque sub conditione futura conuersio vnius, sine oratione alterius. Tùm quia, si in præscientia non esset dependentia nostri futuri consensus ab oratione, neque ea esset re ipsa in consecutione; nam eadem est dependentia à medio requisito in præscientia, & in executione; aliàs præscientia esset falsa.

194. Supponit Octauò, quę Deus promittit circa conuersionem gentium, adimplere non posse ex facultate suę omnipotentiæ, sed ex præscientia nostri futuri consensus: & consequẽter, vt Deus sua promissa adimpleat, non in Dei, sed in nostra esse potestate: hoc autem admitti non potest. Maior probatur, nam nisi Deus prœuidisset, quibus auxilijs homines essent conuertendi, non potuisset ex tota sua omnipotentia, & virtute auxiliorum gratiæ, talem promissionem adimplere. Minor est Augustini de prædestinatione Sanctorum cap. 10.

195. Quartò probant ratione, hoc pacto. Nullus effectus transire potest à statu purè possibilis, ad statum futuri, etiam sub conditione, nisi per aliquam determinationem actu existentem in Deo: ergo nullus effectus cognosci potest, vt futurus, ante actuale decretum Dei. Consequentia patet, nam ante decretum, nullus effectus habet esse futurum; ergo nec cognoscibilitatem futuri. Antecedẽs probatur, quia diuina voluntas ex se indifferens est, ad fore, vel non fore; ergo manente diuina voluntate sub hac indifferentia, effectus non magis habet rationem futuri, quàm non futuri.

196. Confirmatur primò, quia nullus effectus potest esse futurus, nisi virtute alicuius causæ; ergo maximè virtute causę primæ, vi cuius omnis causa secunda est operatiua, & sine qua nulla causa secunda operari potest: secluſa autem determinatione diuinæ voluntatis, nullus effectus potest esse futurus vi causæ primæ, quia causa prima non operatur ad extra, nisi per determinationem suę voluntatis.

197. Confirmatur secundò. Aliter causa prima comparatur ad futurum conditionatũ, quàm ad purum possibile; igitur per maiorem aliquam determinationem: hæc autem alia esse non potest, quàm decretum Dei, quo futurum formaliter differt à possibili, & quo voluntas ipsa diuina, ex indifferente ad fore & non fore, fit formaliter determinata ad fore.

198. Confirmatur tertiò. Quia non potest explicari, quid sit hoc esse, quod futurũ conditionatum habet ante decretum Dei, ratione cuius possit fundare distinctam veritatem à possibili, & actu terminare distinctam scientiam in Deo. Nam cùm hoc nunquam sit extiturum extra causas, non videtur explicabile, in quo illud cognosci possit, si non cognoscatur in ipso decreto Dei.

199. Ex hac doctrina aduersariorum duo inferuntur. Primum, Deum habere actualia decreta circa omnia futura conditionata: secundum, non dari in Deo scientiam, quę sit media inter scientiam simplicis intelligentię, & visionis. Primum probant. Quia diuinus intel-

intellectus debet esse determinatus circa omnia futura conditionata; magna enim esset imperfectio in Deo, si suspensus maneret circa aliqua: nequit autem diuinus intellectus esse determinatus circa omnia, quin etiam voluntas diuina sit determinata circa omnia, quia Deus non cognoscit illa, nisi in determinatione suæ voluntatis. Secundum facilè ex eorum principijs deducitur, quia cùm hæc futura Deus cognoscat, post decretum absolutum ex parte actus conditionatum tantùm ex parte obiecti; non poterit ea videre, nisi scientia visionis, quæ est eorum, quæ supponunt decretum in Deo.

200. SECVNDA verò sententia nostra docet, futura conditionata à Deo cognosci ante vllum decretum suæ voluntatis actu positum. Probatur primò, tum ijs scripturæ testimonijs, quibus prædicuntur futura conditionata peccaminosa; nam hæc nequeunt præuideri in decreto prædefinitiuo, aut permissiuo, vt infrà: tum ijs scripturæ authoritatibus, quibus dicitur, Deus rapere iustos ex hac vita, ne malitia mutet intellectū eorum Sapient. 4. breuiare dies propter electos. Matt. 24. Marci 13. ex quibus sic argumentor. Ideo Deus rapit iustos, quia præuidet, quòd si superuiuerēt peccarent; quia igitur vult, ne peccent, ante tempus eos rapit ex hac vita. Igitur peccata, in quæ eos præuidet sub conditione casuros, non præuidet ex vi decreti, sed scientiæ antecedentis ad decretum. Consequentiam probo, quia si ea præuideret ex vi decreti, cùm hoc Deus liberè cōdat, potuisset illud non condere, & cōsequenter non oportuisset, iustos ante tempus rapere; nam rapere iustū ante tempus, ne peccet, indicat quòd peccatum sit præuisum futurum ex sola voluntate creaturæ, atque adeo antecedenter ad decretum actu existens in Deo; non autem vi decreti dependentis ex libera voluntate Dei: nā talis modus loquendi sacræ Scripturæ indicat, Deum hoc facere, quasi aliena, non propria voluntate compulsum; alioqui cur potius vellet, ante tempus iustum rapere cum iactura meritorum, quæ iustus diu viuens acquirere posset, & non potiùs, quod congruentius est, liberum decretum de permissione peccati nō condere? lege Augustinum lib. de perseuerantia cap. 9.

201. Tum ex præcitato loco Matth. 11. *Si in Tyro* &c. in quo loco Christus exprobrat incredulitatem Iudæorum, exemplo Tyriorum, qui cum ijsdem signis & miraculis conuersi fuissent: sed hoc non potuit præuidere in aliquo decreto; nam si quod fuisset, certè fuisset de dando eodem auxilio interno ad credendum, quod de facto dedit Iudæis: atqui ex vi talis decreti nō potuisset Deus prœuidere conuersionem, sed potius incredulitatem Tyriorum, sicut in eo de facto prœuidit incredulitatem Iudęorum. Nec satisfaciunt aduersarij dicentes Deum habuisse decretum de dando vberiore auxilio Tyrijs, quàm Iudæis, ex suppositione, quòd apud eos facta essent signa: nam tunc facilè potuissent Iudęi Christo exprobranti obijcere, defectum vberioris auxilij, quod accepturi fuissent Tyrij, præ quibus ipsi de incredulitate reprehenderentur.

202. Secundò probatur nostra sententia ex Augustino, tum primò ad Simplicianum q. 2. initio, vbi congruitatem vocationis explicat per ordinem ad temporis circumstantias. *Sed interest*, inquit, *quibus articulis temporum gratia infundatur.* Quod dixit in ordine ad cōsensum, quem gratia in anima causat; hoc autem supponit scientiam, qua independenter à decreto actu existente gratia præuisa est, potiùs vno quàm alio tempore operatura; hoc autem sic probo. Nam gratia congrua per aduersarios non videtur potiùs operatura vno tempore, quàm alio, quia hoc habet ex natura sua independenter à quocunque extrinseco. Vnde vt videatur congrua voluntati creatæ, non est obseruanda vna potiùs circumstantia temporis, quàm alia; cùm illa omni tempore data per aduersarios faciat infallibiliter facere: cùm tamen Augustinus clamet, multùm interesse ad gratiæ congruitatem, quibus temporis articulis illa infundatur. Tum de bono Perseu. cap. 14. vbi inuestigans rationem, cur Tyrij credidissent, si eadem signa, quæ Iudæi viderunt, ipsi quoque vidissent, nullum assignat decretum ex parte Dei, sed solùm conditionem ex parte eorum, qui crediturí fuissent. Nam etsi ad decretum Prædestinationis referat, quod non sint eis talia signa concessa; tamen quod ij visi sint præ Iudęis crediturí, non refert ad Decretum Dei, sed ad conditionem ipsorum, qui crediturí fuissent: *Ex quo*, inquit, *apparet habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant.*

203. Tertiò ex reliquis Patribus, dum admirantes iudicia Dei, quęrunt, cur Deus Angelos, vel homines, quos prœuidit peccaturos, condidit? in qua quęstione scientia peccatorum præsupponitur, non subsequitur decretum Dei; alioqui non facerent vim in ipsa præscientia peccati, quam supponunt præcessisse decretum de creatione, sed potiùs in ipso decreto de permissione peccati consequente decretum creationis. Audi Bernardum Serm. 54. in Cantica ad finem: *Subtrahitur*, inquit, *interdum gratia, non pro superbia, quæ iam est, sed quæ futura est, nisi subtrahatur.* Cognoscit igitur Deus superbiam, quæ futura esset, si gratia daretur: at non cognoscit illam ex aliquo decreto in ipso existente, nam si quod esset, esset decretum de superbia, quam Deus permitteret, si daret gratiam: at hoc esse non potest, quia dum subtrahit gratiam, ne subrepat superbia, non potest ex se, antecedenter ad voluntatem creatam, habere decretum permittendi superbiam, dum subtrahit gratiam, ne subrepat superbia.

204. Quartò argumentor ad hominē contra aduersarios; nam ipsi admittunt gratiam efficacem ex se talem, quæ infallibiliter infert effectum: igitur potest Deus independenter

à de-

*Sap. 4.* *Matth. 24.* *Marci 13.*

*Augustin.*

*Matth. 11.*

*Augustin.*

*Augustin.*

*Bernardus.*

à decreto in se existente, certò cognoscere consensum infallibiliter futurum, ex vi talis gratię, si daretur. Consequentiam probo, nam ad hoc sat est, cognoscere medium ex se infallibile, obiectiuè tantùm coniunctum cum voluntate creata, neque hoc est tantùm cognoscere consensum possibiliter futurum, sed etiam sub conditione futurum: nam sub alio statu cognoscitur consensus ex vi medij in se tantùm cogniti, ac cogniti vt connexi cum aliqua voluntate sub conditione obiectiuè tantùm præuisa, ex vi talis medij operatura. Neque ad hoc necessarium est decretum Dei actu existens, sicut nec est necessarium decretum Dei actu existens ad cognoscendam veritatem huius conditionalis, si Petrus curreret, moueretur: sufficit enim infallibilis illatio consequentis ex antecedente, sub obiectiua tantùm connexione cursus cum Petro; nam eodem modo infallibiliter infertur consensus ex gratia efficaci per aduersarios, sicut motus ex cursu Petri.

205. Quintò probatur nostra sententia ex absurdis, quæ ex opposita sententia sequuntur. Nam primò sequitur. Lædi libertatem creatam. Sequelam probo. Nam creata libertas in hoc essentialiter consistit, vt positis omnibus ad agendum requisitis, possit agere, & non agere: Sed posito decreto Dei sine præuia scientia effectus sub conditione futuri, non est in potestate creaturæ, talem effectum agere, vel non agere, ergo. Maior est ipsa definitio libertatis. Minorem ostendo, quia decretum Dei, cùm sit infallibile, debet infallibiliter habere effectum, vnde habere debet medium, cum quo creatura sit infallibiliter consensura: hoc autem per aduersarios non est medium infallibile ex præscientia consensus præcogniti, sub conditione futuri; igitur erit infallibile ex se: implicat autem esse infallibile ex se, infallibilitate quã exigit decretũ Dei, & non lædere libertatem creatam. Omnia patent, præter subsumptam Minorem, quam sic probo. Infallibilitas, quam exigit decretum Dei, est talis, vt contradictionem implicet oppositum: ergo etiam medium, quod assumitur ad tale decretum exequendum, debet esse tale, vt contradictionem implicet oppositum: hoc autem non cohęret cũ libertate creata. Antecedens concedunt aduersarij. Consequentia elucet, non tantam infallibilitatem habere debet medium, quo exequendum est decretum, quantam habet decretum ipsum, quod in tali medio fundatur. Minorem explico, quia vel hoc medium est tale, quo posito voluntas creata posset oppositum, vel non posset: Si secundum, iam destruitur libertas; Si primum, Deus non posset ex vi talis medij esse certus de consensu sub conditione futuro, certitudine, qua implicet oppositum, quia adhuc eo posito, posset creata voluntas oppositum facere.

206. Sequitur secundò, Deum ex se prædefinire peccata contra Concilium Arausicanum Can. 25. Sequela probatur, nã Deus non solùm in suo decreto certò cognoscit actus nostros bonos, sed etiam malos, non potest autem certò cognoscere actus malos, nisi illos efficaciter prædefiniat. Respondent primò Deum non prædefinire formale, sed tantùm materiale peccati. Sed contrà. Quia qui vult materiale peccati, indirectè & interpretatiuè vult etiam malitiam inseparabiliter cõnexam cum materiali peccati. Nec alio modo dicitur peccare creatura, nisi quia vult talem actionem in indiuiduo, cum qua inseparabiliter connexa est malitia peccati, esto directè nolit malitiam ipsam peccati.

*Concilium Arausicanũ*

207. Respondent secundò, Deum non prædefinire, sed tantùm permittere peccatum, negando auxilium efficax ad bonum, in cuius negatione infallibiliter cognoscit oppositum malum, quia infallibile est creaturam deficere, nisi efficaciter ad bonum prædeterminetur. Sed contrà, tum quia negato auxilio efficaci, non negatur sufficiens, vi cuius posset creatura vitare quodlibet peccatum, alioqui non saluaretur libertas in peccando: igitur in sola negatione auxilij efficacis non potest infallibiliter prœuideri peccatum. Tum quia talis responsio non cohæret cum suis principijs: supponit enim hæc Sententia nullum actum posse facere creaturam, nisi ad illum efficaciter à Deo prædeterminetur; in hoc enim aduersarij fundant, cur nequeant futura conditionata præuideri ante decretum, quia nimirum ante decretum nulla prœcedit efficax prædeterminatio Dei ad hunc, vel illum effectum: quo posito implicat videri peccatum in sola negatione auxilij efficacis. Nam vel est peccatum commissionis, vel omissionis; Si commissionis, cùm hoc cõsistat in actu positiuo, ad quem per aduersarios est necessaria positiua prædeterminatio Dei, cognosci non potest in sola negatione auxilij efficacis: si omissionis, cùm hoc consistat in priuatione actus debiti, cognosci non potest in sola negatione auxilij efficacis, quia hæc est à solo Deo, independenter à voluntate creata; atque adeo vt sic non potest habere rationem peccati, & consequenter neque in illa vt sic cognosci potest peccatum.

208. Sequitur tertiò, non saluari auxilium sufficiens: nam vt hoc sit sufficiens, debet quantum est de se reddere subiectum proximè, & moraliter potens ad operandum, præhabendo in se, quidquid per se requiritur ad actum secundum, ita vt negatio actus secundi non proueniat ex defectu alicuius perfectionis, per se requisitæ ad illum; sed ex sola libertate creaturæ, nolentis actu consentire, cum tamen posset, si vellet, ex vi talis gratiæ. Cuius ratio est, quia libertas formaliter consistit in potentia proxima, & non tantùm in remota agendi. Sequela probatur, nam gratia efficax in hac sententia physicè differt à sufficiente, defectu cuius physicę perfectionis, repugnat, gratiam sufficientem habere suum effectum.

209. Sextò probatur eadem sententia ex falsis principijs, quibus opposita sententia nititur. Nam primò supponit dari actuale de-

cretum in Deo absque vlla mutatione ad extra: hoc autem implicat, vt infrà in disp. de voluntate Dei ostendam.

210. Supponit secundò, dari in Deo efficax decretum de effectu, & simul efficax decretum de negatione causæ, siue conditionis, ex qua talis effectus pendet: At hoc est superuacaneum & inane: ergo. Maior constat; nam ponit in Deo efficax decretum de pœnitentia Tyriorum, & simul efficax decretum de negatione signorum, ex quibus tanquam ex præuia causa, vel conditione pendebat pœnitentia Tyriorum. Minorem probo, nam quando effectus, & causa pendent ab eodem agente, vt erat pœnitentia Tyriorum, & manifestatio signorum; vtraque enim pendebat à Deo prædefiniente, frustra tunc agens habet efficacem voluntatem de vno, si habet efficacem voluntatem de alio: ad quid enim efficax decretum de pœnitentia, si efficaciter nolebat dare signa, ex quibus tanquam ex causa vel conditione pendebat pœnitentia Tyriorum? ad minimum enim tale decretum esset otiosum & inane. Quin vlteriùs sequitur, per huiusmodi decreta apertè sibi Deum contradicere. Nam per vnum vellet efficaciter effectum, cùm ad illum offerat efficax auxilium: per aliud nollet efficaciter effectum, cùm efficaciter neget conditiones ad effectum necessariò requisitas. Dices. Deseruire ad cognoscenda futura conditionata. Sed contrà; quia non est cum eiusmodi imperfectionibus hęc scientia in Deo ponenda; sicut nec ea ponitur cum imperfectione incertitudinis, & fallibilitatis.

211. Septimò probatur nostra sententia ratione. Deus certò cognoscit sub conditione, quid re ipsa futurum esset purificata conditione: sed purificata conditione necessariò futurum esset aliquid determinatè: ergo Deus cognoscit aliquid sub conditione determinatè. Minor patet, nam purificata conditione vel esset consensus, vel dissensus determinatè: Maior probatur, nam Deus infinito suo lumine penetrat totum id, quod esset, licet nunquam futurum sit, quia vt rem cognoscat, non prærequirit, vt illa existat, sed tantùm vt habeat aliquam determinationem; sed posito, quòd creatura re ipsa se determinaret ad consensum, si conditio poneretur, talis cõsensus habet aliquam determinationem, quã non habebat antea, nam habet determinationem ex suppositione, quam antea non habebat, atque adeo habet aliquam cognoscibilitatem, quæ ad talem determinationem consequitur, quam antea non habebat.

212. Confirmatur 1. nam sicut Deus cognoscit futurum, antequam in se ipso existat: ita cognoscere potest futurum sub conditione, antequam purificetur conditio, quia purificatio cõditionis, supponit id, quod erat futurum sub conditione: ergo illud poterat cognosci ante purificatam conditionem. Neque hoc est cognoscere futurum in causa, sed in se ipso, non quidem absolutè, sed sub conditione, quia cognoscitur effectus ipse, ad quem causa re ipsa sese determinaret, si poneretur conditio. Neque ad hoc requiritur decretum Dei actu existens, sed sufficit decretum conditionatum tam ex parte actus, quàm ex parte obiecti: nam vt cognoscatur effectus sub conditione futurus, sufficit cognoscere id, quod causa ipsa faceret, si hîc & nunc, cum his vel illis auxilijs & circumstantijs applicetur ad operandum: ad hoc autem non est necessarium decretum actu existens, sed tantùm sub conditione pręuisum.

213. Confirmatur 2. quia non minùs liber consensus creaturæ pendet ex voluntate creaturæ, quàm ex auxilio Dei: sed ad cognoscendum liberum consensum ex vi voluntatis creatæ sub conditione futurum, sufficit tantùm mente concipere voluntatem creatam, cum tali auxilio, hîc & nunc sub conditione ad operandum applicatam: ergo ad cognoscendum eundem ex vi auxilij diuini, sufficit mente concipere tale auxilium sub conditione oblatum creaturę. Consequentia cõstat à paritate rationis. Minorem euidenter deduco ex doctrina aduersariorum: nam potest Deus habere decretum de concurrendo ad actum pœnitentiæ cum Petro ex suppositione, quod illum crearet, & tamen non habere decretum illum creandi. Tunc autem cognosceret Deus pœnitentiam Petri sub conditione futuram, ex vi ipsius voluntatis Petri, obiectiuè tantùm sub conditione cognitæ vt operaturę ex vi talis auxilij prædefiniti, absque vllo decreto actu existente, sed tantùm sub conditione pręuiso de voluntate Petri, cùm Deus nullum supponatur habere actuale decretum de creatione voluntatis Petri. Idem Deus habet decretum de concurrendo concursu concomitante, cum voluntate mea ad cõtritionem, ex suppositione, quod mihi daret gratiam pręuenientem congruam: at non minùs contritio pendet ex gratia præueniente, quàm ex concomitante: sed potest illam sub conditione futuram cognoscere, sine actuali decreto, quoad gratiam pręuenientem; igitur eandem cognoscere poterit sine actuali decreto quoad gratiam concomitantem.

214. Ratio verò à priori est, quia cùm effectus non debeat præuideri, vt absolutè futurus, sed tantùm sub conditione futurus, non requirit causas, vel conditiones, à quibus pendet, actu positas, sed tantùm sub conditione ponendas: nam ea ratione effectus requirit causas, vel conditiones, qua ratione est ipse futurus, non est autem futurus absolutè, sed sub conditione; igitur non requirit causas, vel conditiones actu positas, sed tantùm sub conditione ponendas; atque adeo poterit ante vllum decretum actu in Deo positum præuideri, non quidem absolutè, sed sub conditione duntaxat futurus: sub qua conditione, sicut habet determinatam entitatem, ita & determinatam veritatem, atque cognoscibilitatem.

Corol-

## Corollaria Doctrinæ.

215. EX dictis deducitur primò, quo pacto hęc scientia iure appellanda sit media inter scientiam simplicis intelligentiæ & scientiam visionis, naturalem, & liberam; nam scientia simplicis intelligentiæ est circa possibilia, estque necessaria tam ex parte subiecti, quàm ex parte obiecti, vnde scientia naturalis dicitur. Scientia verò visionis est circa existentia, estque libera tam ex parte subiecti, quàm ex parte obiecti, quia sicut potuerunt creaturę simpliciter non existere, ita potuit Deus talem scientiam non habere. Scientia verò conditionalium est media inter scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis, quia nec est circa purè possibilia, nec circa absolutè futura, sed circa futura sub cõditione: nec est purè naturalis, nec purè libera, sed mixta, seu media inter vtramque; nempe naturalis ex parte subiecti, quia non potuit Deus ea carere, cùm non pendeat ex aliquo decreto libero, sed antecedat omne decretum liberum: libera verò obiectiuè, quia sicut Deus habet scientiam conditionatam de pœnitentia Tyriorum, ita habere potuit scientiã conditionatam de impœnitentia eorundem, si Tyrij, vti prœuisi sunt sub conditione pœnitentiam acturi, prœuisi fuissent sub conditione pœnitentiam non acturi, quippe qui potuerunt cum eodem auxilio interno, & externo, cum quo de facto prœuisi sunt ex vi propriæ libertatis pœnitentiam acturi, prœuideri pœnitentiam non acturi. Quare dici potest scientia conditionata necessaria ex parte obiecti disiunctim; quoniam ex duobus obiectis, alterutrum indeterminatè necessariò repræsentare debet, exempli gratia, assensum vel dissensum sub conditione futurum: libera verò disiunctiuè, quia liberè repræsentat hoc vel illud obiectum determinatè, exempli causa, consensum vel dissensum sub conditione determinatè futurum.

216. Deducitur secundò, qua ratione hæc scientia deseruiat Deo ad saluandam cũ infallibilitate sui decreti libertatem nostræ voluntatis; quia cùm per hanc scientiam Deus ante omne suum liberum decretum certò cognoscat, quid vnaquæque creatura cum hoc vel illo auxilio sub quauis occasione constituta liberè operatura sit, decernendo deinde medium, cum quo certo prœuidit, creaturam liberè consensuram, optimè saluat & infallibilitatem sui decreti, & libertatem nostræ voluntatis. Saluat infallibilitatem sui decreti: quia ex suppositione, quòd creatura sit cum tali auxilio liberè sub conditione consensura, repugnat fore oppositum, nam hoc inuoluit necessitatem ex suppositione. Saluat nostram libertatem: nam hæc intrinsecè includitur in ipsa suppositione sub conditione prœuisa, quia cùm sit suppositio consequens liberum vsum nostrę voluntatis, non destruit, sed conseruat, & supponit libertatem.

217. Deducitur tertiò, nullum effectum creatum prœuideri posse sub conditione futurum, nisi dependenter ab aliquo decreto Dei, obiectiuè saltem existente in mente diuina, atque adeo nullum effectum creatum prœuideri posse ante omne decretum Dei. Fundamentum, quia omnis effectus creatus, essentialiter pendet à voluntate increata; igitur prœuideri nequit ante omne decretum, Dei, saltem obiectiuè existens in mente diuina. Dices. Scientia conditionata præcedit omnem actum diuinæ voluntatis: igitur obiectum ipsius præcedit omne decretum Dei. Respond, distinguendo Antecedens: scientia conditionata præcedit omnem actum diuinæ voluntatis absolutum, & quoad existentiam positum, concedo; conditionatum, & sub hypothesi obiectiuè existẽtem, nego: priùs enim supponitur actus diuinæ voluntatis obiectiuè, & sub hypothesi offerens creaturę, quæ necessaria sunt ad consensum, quàm prœuideatur ipse consensus sub cõditione futurus.

## Ad primum caput argumentorum ex Augustino.

218. PRo solutione notandum, Augustinum his locis disputare contra Massilienses, qui non solùm contendebant, Deum homines vel ad gloriam eligere, vel ad pœnam destinare, ex meritis, vel demeritis sub conditione prœuisis, sed etiam merita ipsa fundari in sola voluntate humana, quibus homo dignum se præbet gratię, & prędestinationi diuinæ, vt constat lib. de bono perseu. à capite vndecimo: contra quos docet Augustinus, electionem ad gloriam non subniti scientiæ meritorum sub conditione prœuisorum, sed potiùs scientiam meritorum subniti electioni, siue absolutè & actuali, respectu eorum qui de facto saluantur, siue purè conditionali, respectu eorum, qui prœuisi fuerunt sub conditione pœnitentiam acturi: siquidem nulla prœuideri possunt merita, neque sub conditione futura, nisi dependenter ab electione gratuita, vel absolutè, vel sub conditione gratiam offerente, nam merita, & gratuita electio sibi mutuo correspondent: ita vt meritis absolutis respondeat electio absoluta, meritis verò conditionatis, electio conditionata: atque ita intelliguntur verba illa Augustini. *Prædestinatione Deus ea præsciuit, quę fuerat ipse facturus*, hoc est, quę sub conditione præsciuit, non præsciuit futura ex sola voluntate hominum, sed dependenter à suamet electione, & decreto purè conditionato, quia quæ sub conditione præsciuit, erant ea ipsa, quæ fuisset ipse facturus, sed quæ Deus est ipse facturus, pendent ab electione ipsius, siue actu posita, siue sub conditione ponenda: atque hæc ipsa gratuita electio, ab Augustino dicitur latens consilium, sine cuius præiudicio à se dictum fuit, Christum prœuidisse, qui essent in ipsum crediturі non excludendo

*Augustinus. Massilienses*

*Augustin.*

dendo ab hac prœuisione suam gratuitam electionem, quæ necessariò includitur in ipso obiecto sub conditione prœuiso, vt causa ipsius. Vnde cur vnus credat, alter non credat, non reducitur ad humanum velle, vel nolle, vt aduersarius inferebat, sed ad ipsam electionem Dei absolutam, vel conditionatam, tanquam ad primam radicem. Ex his patet ad primum, secundum, & tertium testimonium Augustini. Ad quartum dico, gratiam efficacem non pendere à consensu prœuiso, vt à ratione dante efficaciam, sed vt à termino essentialiter connotato.

## *Ad secundum caput ex absurdis.*

219. AD primum nego Sequelam; quin maximè confert hęc scientia ad perfectam prouidentiam, quam Deus habet de creaturis rationalibus, vt eas possit ad salutem dirigere modo libero, & consentaneo ipsarum naturę. Ad probationem verò, distinguendum est de auxilio, ante, vel postquam prœuisum est effectum habiturum; concedo, enim quòd antequam illud prœuisum sit per scientiam conditionatam effectum habiturum, non habeat rationem doni specialis, nã hoc habet, quatenus prœuisum est efficax: cùm igitur hoc non habeat ex sola intrinseca sua natura, sed ex connotatione liberi consensus creaturæ, tunc, & non ante habebit rationem doni specialis: sicut centum data Petro, antequam sint prœuisa illum à morte liberatura, non habent rationem doni specialis, habent autem postquam prœuisa sunt illum à morte liberatura. Quare non est eadem ratio de effectu sub conditione, & absolutè futuro; quoniam ad illum non est opus auxilio, & prouidentia speciali, quia cùm hæc sit practica ratio agendorum, non est nisi circa absolutè futura, quæ supponunt prœuisionem certorum mediorum ad finem conducentium. Vnde ad Minorem, concedo, quod id, quod sufficit, vt sit futurum sub conditione, sufficit etiam vt sit futurum absolutè, si conditio ponatur, quoad rationem physicam, non autem quoad rationem moralem: nam ad effectum absolutè futurum, præcedit voluntas Dei de dando medio cum certa prœuisione consensus futuri, quæ tamen non præcedit effectum sub conditione futurum, & ideo ad illum præcedit specialis prouidentia, non autem ad hunc. Esto igitur sit eadem physica causa consensus sub conditione, & absolutè futuri, non est tamen eadem moralis, nam moralis causa effectus absolutè futuri, est specialis voluntas Dei dandi auxilium cum certa intentione, & prœuisione effectus, quæ non est respectu effectus conditionatè futuri.

220. Ad Confirmationem distinguendum est Antecedens de salute absolutè, & conditionatè futura, & de prædestinatione, vt dicit certam ordinationem mediorum ad finem consequendum, & vt dicit solam voluntatem conditionatam: hoc posito, concedo, quòd salus absolutè futura per se pendeat à prædestinatione primo modo accepta; nego autem, quòd eadem sub conditione tantùm futura pendeat à prædestinatione primo modo, sed tantùm secundo modo sumpta. Ad probationem verò nego, eandem causam requiri ad salutem absolutè, & sub conditione futuram: nam ad primam, cùm sit effectus per se intentus, requiritur certa prœuisio mediorum, quæ non requiritur ad secũdam, cùm non sit effectus per se intentus, sed tantùm prœuisus.

221. Ad secundum nego Sequelam: & ad primam probationem nego Antecedens: quia cùm consensus non sit prœuisus sub conditione futurus viribus naturæ, sed gratiæ, nulla infertur vis creaturæ, si gratia ad talem consensum requisita negetur. Ad secundam verò probationem distinguo primam partem: non potest Deus ex vi eiusdem auxilij, quo te prœuidit non crediturum, te ad fidem eligere, concedo; potest tamen vel ex vi aliorum auxiliorum, quibus te prœuidit consensurum, vel ex vi eiusdem sub alijs circumstantijs, & occasionibus oblati; sicut dicere tenentur aduersarij, quòd Deus non possit hominem ad fidem eligere per solum auxilium sufficiens. Nego verò secundam partem probationis: nec aliquid contra nos citato loco docet Augustinus, solùm enim cap. 19. contra Pelagianos deducit, nos elegisse Christum, non autem electos fuisse à Christo, si Deus ex fide viribus naturæ elicita nos elegisset. *Augustin.*

222. Ad tertium concessa maiore, neganda est Minor: ad cuius probationem distinguo Maiorem: est necessaria gratia congrua, vt congrua ad consensum absolutè futurum, concedo; ad consensum sub conditione futurum, nego: ratio discriminis est: quia cùm gratia non sit congrua ex intrinseca natura sua, hoc enim repugnat libertati creatę, sed ex connotatione liberi consensus, non potest supponi infallibiliter congrua ante consensum sub conditione futurum. Repugnat igitur, vt præcedat gratia infallibiliter cõgrua effectum sub conditione futurum, quia ad illum nondum supponitur liber consensus creaturæ, non autem ad effectum absolutè futurum; quoniam ad hunc præsupponitur consensus sub conditione futurus, connotatione cuius gratia fit formaliter, & infallibiliter congrua, saltem inchoatiuè. Ad probationem verò maioris dico, eandem esse causam effectus absolutè, & sub conditione futuri quoad vires intrinsecas, non autem quoad infallibilitatem, & connotationem extrinsecam; eadem quippe gratia, quę est causa consensus sub conditione futuri quoad vires intrinsecas, est causa consensus absolutè futuri, vt tamen præcedit consensum sub conditione futurum, non est formaliter, & infallibiliter efficax, non defectu virtutis intrinsecæ, sed connotationis extrinsecæ; vt verò præcedit consensum absolutè futurum, est formaliter, & infallibiliter efficax, non ratione nouæ virtu-

tis

tis intrinsecę, sed nouę connotationis extrinsecæ, quam ante suppositionem consensus conditionati non includebat. Augustinus ibi citatus loquitur de gratia efficaci in ordine ad effectum absolutè futurum.

223. Ad quartum, nego Sequelam: ad probationem nego assumptum. Etenim priùs quàm vocatio sortiatur habitudinem ad consensum sub conditione futurum, per quam habitudinem inchoat suam congruitatem, est possibilis. Nam priùs quàm cum illo sub conditione coniungatur, potuit coniungi: ergo fuit congrua priùs vt possibilis, quàm vt futura sub conditione. Nego tamen in illa congrua tantùm vt possibili cognosci posse infallibiliter consensum liberum. Ratio est, quia hæc possibilitas cōgruitatis non ponit in vocatione infallibilem habitudinem ad consensum, sed tantùm possibilitatem ad illam: consensus autem non potest infallibiliter cognosci in sola possibilitate ad habitudinem, sed in ipsa habitudine ad effectum formaliter.

224. Ad quintum, nego Sequelam: ad cuius probationem distinguo antecedens: cōcurrit Deus ad voluntatem indeterminatā ad vtrumque confusè, & indistinctè, nego; clarè, & distinctè, concedo. Etenim licet Deus antecedenter non determinet concursum ad vnum, quia hoc esset tollere libertatem quoad specificationem: ad vtrumque tamen suum concursum offert distinctè. Neque ad hoc est necesse, vt præsupponatur altera tantùm pars determinatè futura, nam hæc cognoscitur post liberam determinationem creaturæ; sed sufficit, vt præsupponatur vtraque pars possibilis, ad quam Deus offert suum concursum, distinctè cognoscendo vtrumque scientiâ simplicis intelligentiæ. Neque idem modus est concurrendi ex parte Dei ad effectum conditionatum, & absolutum; quoniam ad absolutum concurrit cum præuisione, & intentione effectus determinatè, quia concurrit, vt actu sequatur effectus; ad conditionatum verò non concurrit, vt effectus actu sequatur, sed tantùm vt præuideatur: vnde ad hunc nulla præcedit voluntas in Deo per modum intentionis, cùm talis effectus non ordinetur ad executionem, sed tantùm ad cognitionem.

225. Ad sextum nego, hanc esse doctrinam re, sed vocabulo tantùm nouam, quam ex Augustino & Sacra Scriptura euidenter deduximus. Ex quo patet ad priorem probationem: nam ea re ipsa vsi sunt Patres & Concilia. Ad posteriorem verò probationem nego Minorem: & ad eius probationem, nego supernaturales nostros consensus esse sub conditione determinatè futuros, antecedenter ad gratiam congruam: & ad eius probationē, nego, antecedenter ad scientiam conditionatam nullam gratiā esse congruam, saltem inchoatiuè & incompletè, per habitudinem ad effectum sub conditione determinatè futurum: in cuius rei explicatione distinguenda sunt hæc signa rationis. Primum quo sub conditione præuidetur voluntas creata in actu primo sufficienter constituta, cum omnibus prærequisitis ad consensum supernaturalem eliciendum. Secundum in quo eadem voluntas sub conditione liberè se determinat cum auxilio gratiæ ad consensum potiùs, quàm ad dissensum. Tertium, in quo fit quædam suppositio talis consensus sub conditione futuri, per quam suppositionem consensus ipse sub conditione futurus, fit determinatè futurus, ac proinde obiectum infallibilis scientiæ diuinæ: scientia enim, cùm sit pura contemplatio sui obiecti, supponere debet illud completè constitutum: Igitur scientia infallibilis, qualis est diuina, supponere debet obiectum infallibile: Igitur ante scientiam conditionatam, supponitur consensus sub conditione determinatè futurus, quia consensus sub conditione determinatè futurus includit habitudinem gratiæ ad ipsum consensum infallibiliter futurum: in qua habitudine gratia inchoat suam congruitatem: ac proinde falsum est, quòd nostri consensus sint sub conditione determinatè futuri, antecedenter ad gratiam congruam, nam ipsa determinata futuritio includit infallibilem habitudinem causæ ad talem effectum determinatè futurum. Quamuis si nostri consensus non considerentur vt determinatè futuri, sed tantùm vt futuri, vt sic non procedunt à gratia vt formaliter congrua, quia hanc denominationem accipit gratia ex habitudine ad effectum sub cōditione futurum, vnde priùs supponere debet consensum futurum, quàm denominari congrua, per habitudinem ad illum, sed dicuntur procedere à gratia materialiter tantùm congrua.

226. Distinguendum etiam est de prædestinatione obiectiua, & subiectiua: sunt nostri consensus supernaturales determinatè futuri antecedenter ad prædestinationem Dei obiectiuam, & nego: quia illa prærequiritur vt causa ad omnem effectum supernaturalem: sunt determinatè futuri antecedenter ad prędestinationem Dei subiectiuam, & concedo, Ad minorem autem negandum est, quòd antecedenter ad scientiam mediam gratia non sit congrua infallibiliter obiectiuè, ex ipsamet suppositione consensus sub conditione futuri, quia, vt dictum est, obiectum præcedit scientiam mediam, hæc enim non facit, sed supponit suum obiectum, factum iam congruum ex habitudine ad effectum sub conditione futurum.

*Augustin.*

*Ad tertium caput ex falsis suppositis.*

227. AD primum, nego Maiorem; ad cuius probationem nego consequentiam. Etenim hoc ipso, quod Petrus crearetur cum auxilio, cum quo præuisus est sub conditione conuertendus, crearetur cum gratia speciali, quia crearetur cum gratia, quæ facta est specialis per ipsam connotationem consensus futuri: sicut si darentur Petro centum, quibus præuisus est à morte liberandus, hoc ipso esset illi gratia specialis, esto illa centum ante talem præuisionem non haberent rationem doni specialis, sed communis. Nam sicut donum habet rationem doni potissimum ex affectu, quo datur, & ex fine & effectu, ad quem datur; ita induit rationem specialis doni ex peculiari affectu, quo datur, & ex speciali fine & effectu, ad quem datur.

228. Ad secundum nego Maiorem: ad cuius probationem distinguo Minorem; supponit nos credituros viribus naturæ, nego; viribus, gratiæ concedo: hoc autem non est, nos electuros Christum; nam eligere nos Christum, est in ipsum credere absque ipsius gratia, vt docuit Augustinus de Prædest. Sanctorum capite 19. at nos, etiam sub conditione, supponimur credituri, cum gratia & ex gratia Christi sub conditione nobis oblata. *Augustin.*

229. Ad tertium nego Minorem: ad cuius probationem dico, talem voluntatem esse in Deo necessariam, non quidem subiectiuè, quia cùm sit libera potest subiectiuè in Deo non esse; sed obiectiuè, quia non potest Deus non habere scientiam conditionatam, ad cuius obiecti veritatem prærequiritur voluntas Dei, sub conditione concurrens ad ipsum obiectum scibile. Vnde retorqueo argumentum: nam aduersarij non solùm ponunt talem voluntatem in Deo necessariam obiectiuè, sed etiam subiectiuè, eò quòd putent illam necessariam, vt Deus cognoscere possit futura conditionalia. Ad confirmationem distinguo Antecedens: non aliter Deus concurrit cum Petro, quàm cum Iuda decreto conditionato antecedente scientiam mediam, concedo; decreto absoluto subsequente scientiam mediam, nego: nam decreto absoluto cum Petro concurrit auxilio congruo, quo non concurrit cum Iuda. Vnde neganda est Sequela: nam in Petro operatur ipsum consensum per gratiam congruam, quem non operatur in Iuda per gratiam sufficientem. Ad probationem consequentiæ dico, Deum ad effectus supernaturales absolutè futuros concurrere decreto efficaci antecedente, quia cùm tale decretum supponat scientiam consensus sub conditione futuri, nullam infert voluntati creatæ necessitatem.

230. Ad quartum, distinguenda est maior de determinatione diuinæ voluntatis, vel ad offerendum suum concursum, quo pacto determinatur à se ipsa; nam à se ipsa liberè applicatur antecedenter ad offerendum suum concursum creaturæ; vel ad concurrendum actu concursu concomitante; quo modo non repugnat, voluntatem diuinam determinari à creata, nam hoc ipsum est à Deo volitum, & aliunde est necessarium ad saluandum liberum vsum creaturæ, & permissionem peccati in Deo. Vnde ad primam probationem Minoris, respondeo, posito priori decreto de concurrendo cum creatura ad omnem eius actum, non esse amplius in potestate Dei cohibere concursum, quia hîc includitur in priore decreto, quo posito Deus non potest ratione suæ immutabilitatis non exequi, quod ipse decreuit. Quare prima radix determinationis diuinæ voluntatis ad operandum cum creatura simpliciter, est ab ipsa voluntate diuina; ad operandum verò hunc potiùs actum in specie, quàm alium, est ab ipsa voluntate creata, quę diuinam indifferenter suum concursum offerentem determinat ad vnam potiùs actionem, quàm ad aliam. Ad secundam nego, determinationem voluntatis creatę esse Deo conditionem requisitam ad concurrendum antecedenter, quo pacto repugnat, sed solùm concomitanter, ex eo quòd Deus non decreuit concurrere, nisi ipsa voluerit concurrere.

231. Ad quintum concedo, Deum, salua creati arbitrij libertate, saluare non posse, nisi quem viderit liberè consensurum: nego tamen, Deum aliquem præuidisse cum nullo medio ex infinitis, quæ Deus potest producere, liberè consensurum; atque adeò simpliciter negandum est, esse aliquem, quem Deus saluare non possit.

232. Ad sextum nego Maiorem: tum quia quoad discretionem vnius ab alio absolutè futuram, prima radix est voluntas Dei prę parantis auxilium congruum; quoad discretionem verò conditionatam, non est liberum arbitrium solum, sed ipsum simul cum auxilio gratiæ, tum præuenientis, & allicientis, tum comitantis & adiuuantis. Ad primam replicam, hoc ipso quòd Deus crearet hominem cum auxilio, cum quo prę uisus est consensurus, prima radix futurę discretionis esset Deus; nam illa gratia, cum qua præuisus est consensurus, non est illi debita, cum sit extra ordinem naturæ. Ad secundam, magnum est discrimen inter voluntatem absolutam præparantem auxilium congruum post scientiam mediam in ordine ad consensum futurum, & conditionatam antecedentem scientiam mediam, nam prior potest esse efficax, & absoluta antecedenter ad consensum absolutè futuram, propter consensum præuisum sub conditione futurum:

Poste-

Posterior verò cùm nondum supponat medium congruum per infallibilem habitudinem ad consensum liberum, non potest esse absoluta, ne se exponat periculo frustrandi; sed conditionata, si nimirum creata consenserit.

233. Ad septimum distinguenda est Maior de eo, quod requiritur ad actum per modum principij, & de eo quod requiritur per modum concursus; nam ad actu operari, requiritur actualis concursus, qui non requiritur ad posse operari: vera autem est de eo, quod requiritur per modum principij, quia hoc non debet esse physicè diuersum in eo, qui consentit, & in eo, qui dissentit: alioqui non saluaretur in dissentiente potentia sufficiens ad consentiendum. Quare neganda est Minor: nam semper oratio est necessaria ad impetrandam gratiam: tum quia hæc est indebita naturæ, & Deus plerumque statuit, illam dare dependenter ab oratione: tum quia est necessaria oratio ad impetrandam gratiam congruam. Et ad primam replicam, nego orationem esse medium, ex diuina prouidentia ordinatum ad impetrandam conuersionem sub cõditione futuram, quoniam diuina prouidentia nõ se extendit ad ea, quę non præsupponuntur cognita; ante scientiam autem conditionatam nondum præsupponuntur cognita media cõgrua ad effectus futuros sub conditione. Ad secundum verò nego assumptum: & ad probationem dico, id esse verum de requisito per se vt causa ad effectum: oratio verò vnius non est medium per se requisitum, vt causa ad consensum alterius sed solùm ex ordinatione diuina, quam Deus habere potest post, & non ante scientiam mediam.

234. Ad octauum, distinguo maiorem: non potest, quæ Deus promisit, adimplere ex sola facultate suæ omnipotentiæ absque præscientia nostri liberi consensus, concedo: nam posito, quòd velit adimplere illa, salua libertate creati arbitrij, necessaria est præscientia nostri liberi consensus; non potest adimplere nisi ex sola præscientia nostri cõsensus, nego: cùm non sola præscientia sit causa, sed etiam voluntas, & potentia ipsa exequens. Neque hinc sequitur in nostra tantùm potestate esse, vt ea Deus adimpleat, licet non sine nostra libertate, quæ solùm requiritur vt obiectiua cõditio, sine qua Deus, quæ promisit, liberè ex parte nostra adimplere non posset, in quo sensu loquitur præcitatus Augustinus. *Augustin.*

## *Ad Rationes.*

235. Ad rationem, concedo antecedens de transitu puri possibilis ad futurum absolutum, non autem ad futurum conditionatum: nam prior transitus est subiectiuus, ponens subiectiuam mutationem in re ipsa, quæ ex possibili transit in futuram per exercitam existentiam, qui transitus fieri nequit sine decreto actu existente in Deo: posterior verò est tantùm obiectiuus, ponens solam obiectiuam mutationem in re, quæ ex possibili transit in futuram sub conditione: quæ mutatio fieri potest per solũ obiectiuũ transitum sub conditione tantùm ponendũ: nam talem transitum supponit effectus in causis, qualem habet ipse in se; transeunt autem causæ à statu possibilis ad statum futuri sub conditione quando non solùm concipiuntur potentes efficere, sed etiam vt de facto effecturæ sub conditione. Ad probationem prioris consequentiæ respondeo, futura conditionata esse extra statũ possibilem obiectiuè, non autem subiectiuè, & ideo non requirunt, nisi variationem causarum obiectiuè. Ad probationem antecedentis distinguo consequens: manente diuinâ voluntate indifferente subiectiuè, & obiectiuè & concedo: manente indifferente subiectiuè, determinata verò obiectiuè & nego.

236 Ad primam confirmationem, distinguenda est Minor de determinatione diuinæ voluntatis, obiectiua, vel subiectiua. Ad secundam dico comparari diuinam voluntatem ad futurum conditionatum, per determinationem obiectiuam, per quam non comparatur ad futurum possibile. Ad tertiam respondeo, esse conditionatum, positum esse in cohærentia consequentis cum antecedente, aut ex vi formalis illationis, vt in necessarijs; aut ex suppositione causæ liberæ ponentis consequens ad positionem antecedentis, vt in contingentibus; hoc autem diuersum quid est in conditionatis contingentibus ab esse possibili, quia possibile non dicit vnam partem determinatè, sed vtramque indifferenter. Vnde futurum conditionatum eo modo, quo supponit determinatum esse sub conditione, habet determinatam veritatem atque cognoscibilitatem.

# SECTIO XIII.

## *An Deus ante suum decretum certò cognoscat futura conditionalia disparata?*

237. Sunt futura conditionalia disparata, quorum conditiones nullo pacto sunt causa veritatis, & existentiæ consequentis in propositione conditionali importati, sed habent se ad illud merè concomitanter, vt in hac propositione: *Si Petrus est niger, Paulus currit*; nigredo Petri nullo pacto conducit ad cursum Pauli. De his controuertitur, an Deus ea certò cognoscat ante decretum actuale, quo tales actiones actu ordinet ad veritatem & existentiam consequentis.

238. PRIMA sententia affirmat. Fundamentum est, quia quidquid potest dependere à decreto Dei actu existente, priùs ratione dependere potest à decreto Dei sub conditione futuro: sed huiusmodi conditionalia possunt dependere à decreto Dei actu existente: ergo & à decreto Dei sub conditione futuro: igitur cognosci possunt ante decretum Dei actu existens. Vltima consequentia constat, quia omne futurum conditionatum sumit determinatam veritatem per ordinẽ ad decretum Dei conditionatum: ergo si hæc dependere possunt à decreto Dei conditionato, possunt per ordinem ad tale decretum accipere determinatam veritatem.

*Vasquez. Arrubal.*

239. SECVNDA sententia negat: est Vasquez. 1. p. disp. 67. num. 26. Arrubalis disp. 45. cap. 4. Fundamentum est; quia conditionalia, quæ constant ex rebus disparatis, nullam important connexionem antecedentis cum existentia & veritate consequentis: sed veritas horum conditionalium consistit in huiusmodi connexione; ergo. Maior constat. Minor probatur, nam veritas propositionis conditionalis consistit in formali illatione consequentis ab antecedente, quæ exprimitur per particulam, *Si*, quæ propterea non solùm dicitur propositio, sed etiam consequentia & illatio, quia in illatione formaliter consistit ipsius veritas; vt, *si homo currit, mouetur.* Quia igitur conditiones disparatæ nullam ex natura sua important connexionem cum veritate consequentis, non possunt ante decretum Dei, actu illas ordinantis ad veritatem & existentiam consequentis, esse determinatè veræ.

240. Pro explicatione nota, in propositione conditionali duo posse considerari, & veritatem extremorum, quæ ad formalem veritatem conditionalis se habent materialiter, cùm possit veritas propositionis conditionalis saluari in materia impossibili; & formalem illationem consequentis ab antecedente, quæ importatur per particulam, *Si*, quæ æquiualet particulæ, *Ergo*. Vnde conditionalia disparata, in quibus non est necessaria connexio, in ijs non affirmatur illatio consequentis ab antecedente, sed tantùm cognoscũtur per modum Categoricæ propositionis, quę significatur per verbum aliquod principale, vt, *si Petrus crearetur, conuerteretur*: id, quod in hac propositione significatur, est conuersio Petri sub tali hypothesi futura. Vnde particula, *Si*, non significat in hac propositione illationem, sed effectum sub tali hypothesi futurum. Hoc adnotato,

*Suarez. Albertini.*

241. DICO 1. Conditionalia disparata, quoad materialem veritatem extremorum certò cognoscuntur à Deo, ante decretum actu existens, per ordinem tantùm ad decretum conditionatũ obiectiuum: est Suarez in opusculis lib. 2. de scientia conditionata cap. 6. num. 4. Albertini Corollario 3. Theologo ex principio 4. Philosophico. Fundamẽtum est, quoniam hæc considerata quoad veritatem materialem extremorum, non differunt à reliquis futuris conditionatis: at illa cognoscuntur ante decretum actuale Dei, ergo & hæc. Maiorem explico, nam hæc conditionalis, *Si Petrus curreret, Paulus legeret*, considerata tantùm quoad veritatem materialem extremorum, & quoad solam concomitantiam vnius veritatis cum alia in ratione durationis, æquialet huic Categoricæ *dum Petrus curreret, Paulus legeret*: sed hæc certò cognoscitur ante decretum: ergo. Minor constat; nam ad cognoscendam hanc, sufficit cognoscere cursum Petri, & lectionem Pauli sub conditione futuram, per ordinem ad eandem durationem temporis.

242. DICO 2. Possunt eadẽ conditionalia disparata certò cognosci, etiá quoad veritatẽ formalem ante decretũ, licet talis veritas non sit expressibilis in propositione conditionali, per particulam, *Si*, nisi supposito actuali decreto Dei. Prior pars assertionis probatur; quia non minùs Deus cognoscit per ordinem ad suum decretum cõditionatum, quod si ordinaret talem conditionem, quæ ex natura sua ordinata non est ad existentiam alterius rei disparatæ, resultaret veritas formalis, & illatiua in propositione conditionali, quam per ordinem ad idem decretum cognoscat, quòd si concurreret cum hac, vel illa creatura, resultaret talis veritas materialis in eadem propositione: nam sicut in esse futuro absoluto vtraque pendet à decreto absoluto Dei, ita in esse futuro conditionato, à decreto conditionato Dei.

243. Posterior verò pars assertionis probatur: nam veritas formalis & illatiua, vt possit actu exprimi in propositione conditionali, necessariò supponit infallibilem connexionem conditionis antecedentis cum consequente, vel ex natura sua, vel ex actuali decreto & ordinatione Dei: sed conditio disparata nullam habet connexionem ex natura sua cum existentia consequentis: ergo suponitur illam habere ex actuali decreto & ordinatione Dei: atque adeo veritas formalis, vt actu expressibilis in propositione conditionali supponit actuale decretum Dei, cùm implicet aliquid esse actu, & non dependere ab actuali voluntate Dei. Maiorem explico; nam in illa conditionali, *Si percussisses quinquies &c.* supponitur, quintam percussionem terræ esse actu ordinatam, vt conditionem prærequisitam ex decreto Dei ad Syriæ per ipsam promissio. em Dei, actu factam; alioqui non posset dici, *si percussisses quinquies &c.* sed potiùs, *si Deus promisisset, vt ad quintam, vel sextam percussionem terræ Syria deuastaretur.* Confirmatur, nam statim ac Deus reuelat, quòd si poneretur vnũ, sequeretur aliud, habet actuale decretum, absolutum quidem respectu promissionis, conditionatum verò respectu effectus dependentis à tali conditione. Ex his conci-

liantur

liantur ambæ sententiæ, nam prima solùm probat priorem partem, secunda verò posteriorem nostræ sententiæ.

## SECTIO XIV.

### *An Deus scientia conditionata cognoscat sua decreta conditionalia.*

244. DVPLEX decretum conditionatum distinguitur in Deo; Alterum, quod solâ ratione præcedit decretum ipsum absolutum actu existens in Deo: nam cùm priùs ratione Deus cognoscat rem creatam sub conditione futuram, quàm absolutè futuram: priùs etiam ratione præcedit voluntas ipsius, vt causa rei creatæ sub conditione futuræ, quàm vt causa eiusdem rei vt absolutè futuræ: Alterum, quod nunquam de facto existit in Deo: existeret autem, si certa aliqua conditio poneretur. Nunc de posteriore, sequenti sectione de priore dicemus.

*Molina.* 245. PRIMA sententia est Molinæ 1. part. quæst. 19. art. 45. disput. 17. negantis. Fundamentum ipsius est: quoniam ad cognoscendum, quid vnaquæque voluntas, sub quauis hypothesi est determinatè operatura, non sufficit talem voluntatem comprehendere, sed oportet illam supercomprehendere, per infinitum excessum cognitionis supercomprehendentis ad voluntatem supercomprehensam; sed hunc infinitum excessum supercomprehensionis ad rem supercomprehensam non habet diuina cognitio respectu suæ voluntatis, sed tantùm respectu voluntatis creatæ: igitur Deus non habet scientiam conditionatam suorum decretorum. Minor patet; quia intellectus increatus non excedit in cognoscendo voluntatem increatam. Maior probatur; nam alioqui posset Angelus comprehendendo suam voluntatem cognoscere liberum suum decretum futurum. Ex qua doctrina deducit, nullius conditionalis scientiam communicabilem esse creaturæ, quia nulla creatura potest per infinitum excessum supercomprehendere voluntatem creatam.

*Fonseca.* *Suarez.* *Arrubal.* 246. SECVNDA sententia est Fonsecæ lib. 6. Metaph. cap. 2. q. 4. sect. 10. *§. sed quæret aliquis*, Suarez lib. 2. de scientia Dei cap. 8. Arrubalis 1. part. disp. 47. ca. 7. affirmantium. *Quæ sententia vera est & amplectenda.* Quam sic probo, triplex decretum conditionatum in Deo distingui potest; Primum fundatum in decreto absoluto, de promissione facta sub conditione: vt, promitto tibi gloriam, si te ad illam disposueris. Secundum necessariò concomitans effectum liberum creatum sub conditione futurum. Tertium pendens ex sola & mera sua voluntate sub hac vel illa hypothesi rerum constituta: atqui omnia hæc decreta cognoscit Deus: ergo. Minorem quoad priora duo à nemine puto negari posse: nam primum cognoscit Deus ipso decreto absoluto de promissione facta, in qua necessariò inuoluetur aliud decretum conditionatum de præstanda re promissa si conditio admipleatur. Secundum cognoscit in ipso effectu creato præuiso sub conditione futuro; nam qui cognoscit effectum, cognoscit necessariò causas, à quibus talis effectus essentialiter dependet, inter quas est decretum conditionatum Dei, complens causam secundam in actu primo ad operandum. Sola igitur difficultas superest de tertio; hoc autem certò à Deo cognosci ostendo, primò à paritate secundi; nam eadem est ratio cognoscendi secundum ac tertium; ergo si cognoscit secundum, cognoscit & tertium. Antecedens probo; quia secundum non cognoscit in alio decreto actu existente in Deo, vt cognoscit primum. Neque illud cognoscit in ipso effectu sub conditione futuro, vt consequens ipsum effectum, sed vt antecedens, quia cognoscit illud vt causam talis effectus; igitur priùs ratione, quàm cognoscat effectum creatum futurum ex vi causæ creatæ, cognoscit suum decretum conditionatum, vi cuius causa creata sit potens producere suum effectum: ergo similiter cognoscere poterit decretum conditionatum ex sola sua voluntate dependens. Consequentia constat, quia non minùs decretum sub conditione offerens auxilium, quod sit causa consensus creati sub conditione futuri, est dependens à sola voluntate Dei, quàm quodlibet aliud decretum ipsius. Confirmatur, nam decretum conditionatum & absolutum, in hoc non differunt: atqui absolutum; quo de facto Deus offert auxilia gratiæ ad supernaturalem consensum, pendet ex sola voluntate Dei; ergo & conditionatum: nam quod est absolutum, priùs ratione fuit conditionatum.

247. Secundò, quia non minùs Deus, quàm creatura, si liberè se determinasset, ad vnam tantùm partem re ipsa se determinasset: igitur facta tali suppositione, non minùs est determinatè verum, ac proinde certò cognoscibile, quod tale decretum Dei esset sub conditione futurum, quàm ipse liber consensus creaturæ. Confirmatur, nam hoc non est ex natura sua incognoscibile, cùm sit extra sphæram puri nihili; non minùs quàm consensus ipse creatus sub conditione futurus; ergo non fugit intellectum increatum, intra cuius sphæram est omne verum, & quidquid ab intrinseco non repugnat cognosci. Neque ad hoc requiritur infinitus excessus

sus cognoscentis supra cognitum, sed sat erit vis infinita intellectus cognoscentis, etiamsi non excedat, sed tantùm adæquet rem ipsam cognitam. Nam hoc ipso, quòd vis cognoscitiua est infinita, est quâ maior excogitari non potest, proinde necessariò se extendit ad omne id, quod ab intrinseco non repugnat cognosci: alioqui excogitari posset maior vis cognoscitiua, quæ ferri posset ad tale cognoscibile, & in Deo non esset; quod ex terminis ipsis repugnat. Præterea cùm omne verum essentialiter constituatur per ordinem ad aliquem intellectum potentem cognoscere, repugnat dicere, decretum conditionatum Dei esse verum, & non per respectum ad intellectum diuinum potentem illud cognoscere, alioqui esset verum sine suo essentiali respectu. Quod autem illud sit verum, constat à paritate consensus creati sub conditione futuri.

248. Ad fundamentum primæ sententiæ, nego Maiorem: ad cuius probationem, nego paritatem: nam licet vis cognoscitiua Angeli sit comprehensiua sui, non est tamen infinita, proinde non omne verum habet intra suam sphæram. Vnde falsum est, nullius futuri conditionalis scientiam communicari posse creaturæ; nam probabile est, vt in Tomo 6. de Incarnatione doceo, multorum conditionalium scientiam communicatam esse animæ Christi, cùm talis scientia spectet ad perfectum munus Iudicis ac Mediatoris. Ratio verò est, quia licet scientia omnium conditionalium nequeat communicari creaturæ, hæc enim includit cognitionem omnium possibilium, quæ nulli creaturæ communicabilis est; communicari tamen poterit aliquorum, non quidem connaturaliter, cùm hic modus cognoscendi sit proprius Dei, & requirat in intellectu connaturaliter cognoscente vim cognoscendi infinitam, sed supernaturaliter.

## SECTIO XV.

### *An Deus sua decreta absoluta priùs ratione cognoscat, vt ponenda, quàm vt actu posita?*

*Molina.* *Vasquez.* *Arrubal.* *Moncæus.*

249. PRIMA sententia est Molinæ 1. part. quæst. 14. artic. 13. disp. 17. Vasquez disput. 65. num. 25. Arrubalis disput. 47. cap. 4. & Moncæi disput. 3. capit. 17. negantium. Fundamentum Molinæ est, quia sequeretur, tolli libertatem in Deo. Etenim si priùs ratione, quàm se ipsum determinaret Deus, cognosceret suam futuram determinationem, illam naturaliter cognosceret; nec posset oppositum cognoscere: stante autem tali scientia, non posset Deus oppositum velle, alioqui falleretur eius scientia: igitur tolleretur eius libertas.

*Vasquez.*

250. FVNDAMENTVM Vasquez. Liberum decretum Dei supra nudam essentiam eiusdem non addit, nisi purum respectum rationis ad res futuras; igitur non potest in priori signo rationis certò cognosci decretum futurum. Consequentia probatur; quia nihil habet diuina essentia in eo signo, per quod tale decretum cognosci possit, nam respectus rationis, quem liberum decretum superaddit essentiæ, in eo signo intelligi non potest, cùm in eo signo nondum intelligantur creaturæ vt futuræ, sed tantùm vt possibiles: respectus autem nequit sine termino cognosci. Confirmatur; quia Deus non distinguit instantia rationis, quibus vnum priùs ratione concipiat, quàm aliud, hoc enim prouenit ex imperfecto modo nostro concipiendi; ergo in eius intellectu ipsius decretum non habet rationem futuri in posteriori signo rationis, nam, vt habeat rationem futuri, debet ipse instantia rationis distinguere.

*Arrubal.*

251. FVNDAMENTVM Arrubalis. Nulla est veritas voluntatis diuinæ vt absolutè futuræ, quæ prior sit veritate eiusdem, vt actu præsentis in æternitate: ergo nulla in Deo est cognitio prior voluntatis, vt absolutè futuræ, quàm eiusdem in æternitate præsentis. Antecedens probat; nam duobus tantùm modis dicitur aliquid prius, causalitate & vniuersalitate; at neque ratio futuri est causa, vt aliquid sit præsens, nec voluntas futura est vniuersalior, & latiùs patens, quàm eadem vt in æternitate præsens: igitur nullo modo voluntas diuina est prior vt futura se ipsâ, vt præsente in æternitate.

*Fonseca.* *Suarez.* *Verior sententia.*

252. SECVNDA sententia, est Fonsecæ, & Suarez vbi suprà, affirmantium. Quæ sententia vera est & nobis amplectenda. Fundamentum est. Quia cognoscere Deum vnum priùs ratione, quàm aliud, est vnum cognoscere independenter ab alio, aliud verò dependenter ab hoc: sed Deus ab æterno cognouit suum liberum decretum, vt ponendum, independenter ab eodem, vt actu posito: ergo priùs ratione cognouit illud vt ponendum, quàm vt actu positum. Maior est certa; nam ideò dicitur Deus priùs ratione velle finem, quàm media, quia finem vult independenter à medijs, media verò dependenter à fine: vnde adhuc non volito hoc, vel illo medio in particulari, volitus esset finis: ergo pariter ideo dicitur Deus vnum priùs ratione cognoscere, quàm aliud, quia vnum cognoscit independenter ab alio, aliud verò dependenter ab hoc. Minor probatur; nam

etsi libe-

etsi liberum decretum Dei nunquam in æternitate, vt ponendum præcesserit se ipsum, vt actu positum, sed semper fuit actu positum, ac proinde nunquam fuit cognitum, vt ponendum, quin simul etiam fuerit cognitum, vt actu positum; quia tamen vt ponendum est independens à seipso, vt actu posito: contrà verò vt actu positum est dependens à seipso, vt ponendo; nam etiamsi non fuisset positum in ipsa æternitate, sed in tempore, vt multi Scotistæ opinantur, adhuc fuisset in æternitate cognitum, vt ponendum, & nondum vt actu positum; rectè dicitur, vt ponendum esse prius se ipso, vt actu posito; ac proinde priùs ratione à Deo cognitum, vt ponendum, quàm vt actu positum; non quidem positiuè, quia vt positiuè potuerit in æternitate cognosci, vt ponendum, debuisset in æternitate præcedere, vt ponendum: sicut in ea præcedunt futura creata, quæ propterea in ipsa æternitate à Deo cognoscuntur, vt positiuè futura; sed tantùm negatiuè; quia nimirum vt potuerit Deus cognoscere suum decretum liberum ab ipsa æternitate, non fuit necessum, vt illud in ipsa æternitate extiterit; nam etiamsi in æternitate non extitisset, sed in tempore, vt reliqua decreta & effectus creati, adhuc illud ab æterno cognouisset, vt suo tempore ponendum. Quia, vt Deus obiectum cognoscat, solùm requirit ex parte obiecti rationem aliquam veri & intelligibilis, quæ ex parte obiecti statim ponitur, quàm primùm illud transit ex indifferentia ad determinationem aliquam.

253. CONFIRMATVR, nam priùs ratione, quàm voluntas diuina intelligatur absoluta, intelligitur conditionata; ergo priùs ratione intelligitur ponenda, quàm actu posita. Consequentia probatur; nam voluntas diuina cognoscitur ponenda, vt est sub conditione, cognoscitur actu posita, purificata conditione; igitur priùs ratione cognoscitur sub conditione ponenda, quàm actu posita. Antecedens ostendo, priùs ratione cognoscitur effectus creatus sub conditione futurus, quàm absolutè futurus: ergo priùs etiam ratione cognoscitur voluntas diuina sub conditione ponenda, quàm actu posita. Antecedens patet. Consequentiam probo; quia sub nullo signo intelligi potest effectus creatus sub conditione futurus, quin sub eodem intelligatur voluntas Dei sub conditione etiam futura, quia sub nullo signo intelligi potest effectus creatus sine dependentia à voluntate increata.

254. *Obiycies* Primò. Quod ab æterno non fuit, ab æterno cognosci non potuit: sed ab æterno non fuit decretum diuinum vt ponendum, sed semper actu positum; ergo ab æterno cognosci non potuit vt ponendum. Respondeo distinguendo minorem: non fuit ab æterno ponendum positiuè, concedo; negatiuè, nego: hoc autem sufficit, vt potuerit ab æterno priùs ratione cognosci vt ponendum, quàm vt actu positum. Dicitur autem positiuè ponendum id, quod pro ea duratione, pro qua cognoscitur ponendum, nondum est actu positum, sed positiuè excludit actualem positionem; vt futura creata, fuerunt ab æterno positiuè ponenda, quia pro æternitate, pro qua fuerunt cognita vt ponenda, nondum erant actu posita, sed positiuè in æternitate excludebant actualem positionem. Dicitur verò negatiuè ponendum id, quod licet in ea duratione in qua cognoscitur sit actu positum, vt tamen pro ea duratione potuerit simpliciter cognosci, non erat necessarium, vt esset actu positum; nam etiamsi non fuisset pro ea duratione actu positum, potuisset cognosci: eò quòd eius cognitio ab æterno non pendebat ab actuali positione æterna ipsius. Quod autem hoc sufficiat, vt dicatur priùs ratione cognosci vt ponendum, quàm vt actu positum, constat de eodem decreto diuino cognito in eadem æternitate priùs ratione vt possibili, & conditionatè futuro, quàm vt actu posito; esto vt possibile, & conditionatè futurum non præcesserit in eadem æternitate se ipsum, vt actu positum: sed sat est, vt ad illud cognoscendum, vt possibile, vel sub conditione futurum non fuerit necessum, vt actu existeret.

255. *Obiycies* secundò. Sequeretur, Deum in quolibet signo rationis cognoscere suum decretum, vt ponendum, cùm non sit maior ratio de vno signo, quàm de alio. Respondeo negando sequelam: cuius maior ratio est; quoniam hæc signa concipienda sunt in Deo ordinatè, vt quod præsupponitur ad aliud; non debeat concipi posterius illo, & è conuerso; sed decretum Dei, vt ponendum, præsupponit seipsum, vt possibile, & cum eo omnia necessaria in Deo. Igitur non in quouis signo rationis potest liberum decretum Dei concipi, vt ponendum, sed tantùm in eo, in quo cætera necessaria in Deo præsupponuntur cognita.

256. *Obiycies* tertiò. Futurum vt futurum negat existentiam rei pro ea duratione, in qua dicitur futura: at in nullo signo æternitatis potest decretum absolutum Dei concipi cum negatione existentiæ; ergo in nullo signo æternitatis concipi potest vt futurum. Respondeo, transeat totum. Neque enim cùm docemus, priùs ratione cognosci à Deo suum decretum, vt futurum, docere volumus, illud à Deo cognosci sine actuali existentia in æternitate: sed solùm docere volumus, illud cognosci cum independentia ab actuali existentia in æternitate, modo supra expo-

sito, quia nimirum non est necessarium, vt illud actu existat ab æterno, vt possit ab æterno cognosci; nam etiamsi existeret in tempore, cognosceretur ab æterno, vti cognoscuntur decreta creata. Vnde quamuis futurum propriè consistat in posterioritate durationis, tamen hîc sumimus futurum, vt dicit solam posterioritatem rationis, & ideo in titulo Sectionis consultò abstinuimus à nomine *futuri*.

257. *Obycies* quartò. Sequeretur, creaturas esse futuras ante decretum Dei actu existens, nam essent futuræ per decretum Dei ponendum. Respondeo negando sequelam; solum enim sequitur, per decretum Dei ponendum creaturas fieri fore futuras, non autem formaliter futuras, quòd nullum est absurdum. Fiunt autem formaliter futuræ per ipsum decretum actu positum.

*Molina.* 258. Ad fundamentum Molinæ nego sequelam: ad cuius probationem distinguo maiorem: repræsentat cognitio diuina liberum decretum ponendum naturaliter, facta suppositione liberæ determinationis voluntatis diuinæ, & concedo; nõ facta suppositione liberæ determinationis voluntatis diuinæ, & nego. Similiter non potuit oppositum repræsentari, facta tali suppositione, concedo; simpliciter & absolutè, nego; quia sicut in potestate Dei fuit, decretum non ponere, ita in potestate eiusdem fuit, decretum non cognoscere. Vnde stante tali scientia, concedo, quod non sit in libertate Dei illud non ponere, nam hoc inuoluit necessitatem suppositionis liberæ determinationis ipsius. Sicut stante in Christo intuitiua cognitione suorum operum, non poterat, in sensu composito ea non exercere, simpliciter tamen fuit liber ad ea exercenda, quia talis intuitio non erat causa, vt ita operaretur, sed signum tãtùm præsupponens liberam determinationem futuram Christi.

*Vasquez.* 259. Ad Fundamentum Vasquez nego consequentiam: nam quidquid sit illud, quo liberum decretum Dei formaliter constituitur, potest certò cognosci vt ponendum priùs ratione, quàm actu positum, modo prædeclarato. Concedo autem, in eo signo, in quo intelligitur decretum ponẽdum, non intelligi creaturas vt futuras, intelligi tamen, vt fore futuras, per ordinem ad quas intelligitur decretum Dei vt ponendum. Ad confirmationẽ, ad hoc vt dicatur Deus concipere vnum priùs alio, non oportet, vt ipse distinguat instantia rationis, in quibus concipiat vnum, non concepto alio; sed sufficit, vt concipiat vnum cum independentia ab alio, esto vtrumque simul concipiat: quod est valde notandum in huiusmodi signis prioritatis, & posterioritatis in Deo conceptis. Quia igitur decretũ Dei vt ponibile, est independens à se ipso, vt ponendo; & hoc, vt à Deo cognoscatur est indepẽdens à se ipso, vt in æternitate posito, nam etiamsi non poneretur in æternitate, sed in tempore, adhuc cognosceretur ab æterno; dicitur illud prius ratione cognosci, vt ponibile, quàm vt ponendum; & hoc priùs ratione, quàm vt actu positum.

*Arrubal.* 260. Ad Fundamentum Arrubalis nego antecedens: ad cuius probationem, nego illis duobus tantùm modis dici posse vnum prius alio, sed quocunq; alio modo potest vnũ esse independens ab alio, dici potest prius alio. Reducitur autem hæc prioritas ad eam, quæ iuxta Aristotelis doctrinam cap. *de priori*, dicitur Prioritas secundùm subsistendi consequentiam, secũdùm quam ab vno ad alterum non conuertitur consequentia: nam licet valeat consequẽtia: decretum diuinum est actu positum: ergo fuit ponibile: haud tamen cõuertitur subsistendi consequentia: fuit ponibile; ergo est actu positum. Id enim à quo non conuertitur consequentia est prius eo, à quo conuertitur consequentia, vt ibidem Aristoteles docet.

## SECTIO XVI.

### *An, & quomodo Deus cognoscat negationes & priuationes?*

261. Certum est, Deum cognoscere negationes & priuationes omnes, tam physicas, quàm morales; imò & quæcunque entia, quæ à quolibet intellectu fingi excogitariq́ue possunt. Fundamentum est, nam hæc omnia sunt aliquo modo cognoscibilia, siquidem cognoscuntur à nobis; igitur actu cognoscuntur à Deo. Nam quidquid est cognoscibile, actu cognoscitur à Deo, cùm Deus non supponat, nisi cognoscibilitatem obiecti, vt illud actu statim cognoscat, nam totam rationem cognoscendi habet à se. Sola igitur controuerha superest de modo, quo illas Deus cognoscat, an immediatè in se ipsis, an verò per formam aliquam positiuam, qua cognita, cognoscantur omnes negationes & priuationes in ea fundatæ.

262. Prima Sententia affirmat. Deum negationes priuationesq́ue immediatè cognoscere in se ipsis. Fundamentum est; quia hic modus cognoscẽdi est nobilior, nobilior quippe modus cognoscendi est, cognoscere obiectum immediatè per se ipsum, quàm mediante alio, vt per se patet. Confirmatur, quia nequit forma positiua esse ratio cognoscendi negationem, cùm forma positiua & negatiua habeãt oppositas cognoscibilitates: igitur nequit vna esse ratio cognoscendi aliam.

263. Secunda Sententia affirmat, eas cognoscere per formam positiuam. Sed adhuc controuersum est, an eas cognoscat per formam positiuam creatam, an increatam. Multi censent, eas cognoscere per formam positiuam increatam, nempe per ipsam in-

creatam

creatam bonitatem Dei, qua cognita cognoscitur omnis negatio. Fundamentum est; quia bonitas increata, ob sui eminentiam & infinitatem, continet omnem bonitatem creatam: ergo in ea cognoscitur omnis bonitas creata; atque adeo omnis recessus à bonitate, siue creata siue increata; ac proinde omnis priuatio & negatio, cùm omnis priuatio & negatio sit recessus ab aliqua bonitate.

264. Pro explicatione, dupliciter potest vnum esse ratio cognoscendi aliud: primò vt ratio mediatè cognoscendi; secundò vt fundamentum prius cognitum. Hoc adnotato,

265. Dico primò. Ratio immediatè cognoscendi negationes & priuationes, non est forma aliqua positiua. Fundamentum est; quia ratio immediatè cognoscendi negationes & priuationes, non potest esse contradictoriè opposita ipsi negationi & priuationi; sed forma positiua, est contradictoriè opposita negationi & priuationi: ergo. Minor constat, nam homo, exempli gratia, cõtradictoriè opponitur negationi hominis, & forma ignis priuationi ignis. Maior probatur, quia ratio immediatè cognoscendi est, quæ immediatè exprimit obiectum ipsum: nulla autẽ forma immediatè exprimere potest suum oppositum, nam immediatè exprimere aliquid, est illud immediatè obijcere intellectui: nulla autem forma potest immediatè obijcere intellectui contradictorium sui. Nam id obijcit immediatè intellectui, quod immediatè continet: ergo sicut forma non continet contradictorium sui, ita non potest illud immediatè intellectui obijcere, atque exprimere.

264. Dico secundò. Implicat Deum cognoscere negationem & priuationem, nõ cognita priùs forma positiua, cuius est negatio & priuatio. Fundamentum est; quia forma est specificatiuũ negationis & priuationis; specificatiuum, inquam, non constitutiuum, sed remouibile, quia nimirum est terminus qui essentialiter importatur, vt remouibile à negatione. Nequit autem intelligi specificatũ, nisi præintelligatur forma specificãs. Igitur nequit intelligi negatio, nisi præintelligatur forma, cuius est negatio. Vnde commune Philosophorum proloquium est, *priuationem non cognosci, nisi per habitum.*

*Philospho. in axioma.*

266. Confirmatur, quia negatio vel priuatio determinatur ad hanc specie, vel numero negationem aut priuationem per hanc specie, aut numero formam: ergo nequit cognosci hæc specie, aut numero negatio, vel priuatio, nisi præcognita hac specie, vel numero forma, cuius est negatio, aut priuatio. Vnde ad cognoscendam negationem, vna tantùm forma est præcognoscenda, ea nimirum, cuius est negatio: ad cognoscendam verò priuationem, præter formam, cuius est priuatio, præcognoscendum est etiam subiectum, in quo talis priuatio est, cum aptitudine ad oppositam formam recipiendam.

267. Dico tertiò. Hæc forma, quæ immediatè præcognoscenda est ad negationes, & priuationes rerum intelligendas, non est bonitas increata, sed creata, ea nimirum, quę immediatè per negationem, priuationemq; remouetur. Fundamentum est: quoniam ea bonitas ad negationem, priuationemq; intelligendam est immediatè præcognoscenda, quæ immediatè per negationem, priuationemque remouetur, sed bonitas, quæ immediatè per negationem visus, exempli causa, remouetur, non est bonitas increata, sed bonitas ipsa creata visus: igitur hæc tantũ est immediatè præcognoscenda. Minor cum consequentia constat. Maior probatur, quoniam vt negatio vel priuatio intelligatur, sufficit, vt pręcognoscatur forma, cuius est negatio, vel priuatio. Dixi, *quæ immediatè præcognoscenda est*: quoniam non inficior, bonitatem increatam mediatè esse præcognoscendam ad negationes, priuationesque intelligendas. Nam sicut priùs cognoscenda est bonitas increata, quàm creata, sicut obiectum primarium quàm secundarium; ita mediatè priùs cognoscenda est bonitas increata, quàm quæuis negatio, aut priuatio bonitatis creatæ.

268. Dices. Saltem priuatio moralis, quam inuoluit peccatum, non potest cognosci, nisi immediatè præcognoscatur bonitas ipsa increata, cuius est priuatiua. Respondeo negando assumptum: etenim peccatum non est priuatiuum bonitatis increatæ, tanquam formæ oppositę, sed solùm tanquam obiecti; immediatè enim peccatũ solùm est priuatiuum, tanquam formæ oppositæ, bonitatis creatæ, mediatè verò, & per modum obiecti etiam bonitatis increatæ. Quia quod priuat visione, priuat etiam obiecto ipso viso: quare Deus vt obiectum visum consequenter tantùm cognoscitur ad cognitionem visionis beatæ, qua peccatum priuat.

269. Dico quartò. Non omnes negationes, aut priuationes cognoscit Deus scientia Visionis, sed aliquas scientia Visionis, aliquas scientia simplicis intelligentiæ. Pro explicatione, duplex in Deo, cum fundamento in re, distinguenda est scientia; altera simplicis intelligentiæ, altera Visionis: per illam cognoscit possibilia: & dicitur simplicis intelligentiæ, quia præter internã notitiam, nullum illi respondet obiectum ad extra. Per hanc intuetur actu existentia; & dicitur Visionis, quia præter cognitionem internam, respondet illi obiectum ad extra, analogia sumpta à visione corporea, quæ præter actum internum, habet etiam obiectũ externũ. Hoc posito, probatur assertio: nam sicut entia alia sunt possibilia, alia existentia: ita negationes & priuationes, aliæ sunt possibiles, aliæ existentes: ergo sicut entia, quæ tantùm sunt possibilia cognoscuntur scientiâ simplicis intelligentiæ; existentia

verò scientia Visionis: ita negationes priuationesque, quæ tantùm sunt possibiles, cognoscuntur à Deo scientia simplicis intelligentiæ; quæ verò sunt existentes, scientia Visionis. Eodem quippe modo philosophandum est de negationibus, & priuationibus, ac de entibus ipsis positiuis, nam quoad hoc est eadem vtrorumque ratio.

270. Cæterùm duplex genus negationum notandum est, aliud earum, quæ fundantur in rebus possibilibus nunquam extituris; aliud earum, quæ comitantur res ipsas existentes. Priores cognoscit Deus scientia Visionis: quia sicut res possibiles nunquam extituræ sunt; ita negatio talis existentiæ semper suo modo existet, ac proinde talis negatio cognoscitur scientia Visionis. Posteriores verò, si considerentur in ordine ad subiectum, in quo sunt, cognoscuntur scientia Visionis; si in ordine ad terminum existentem, quem à subiecto remouent, cognoscuntur scientia simplicis intelligentiæ. Velut negatio lapidis in homine, si consideretur in ordine ad hominem, in quo concipitur, tanquam in subiecto, cognoscitur scientia Visionis, quoniam in homine talis negatio actu, suo modo existit; si in ordine ad lapidem, qui de homine negatur, scientia simplicis intelligentiæ; quia in ordine ad lapidem talis negatio non existit, sed potuit existere.

271. Dices. Hinc sequeretur, æquè latè patere obiectum Visionis, & simplicis intelligentiæ, nam obiectum Visionis sunt omnes negationes rerum possibilium; obiectum verò simplicis intelligentiæ, sunt res ipsæ possibiles. Confirmatur, quia nequeunt cognosci negationes possibilium, quin cognoscantur possibilia ipsa: ergo eadem possibilia erunt obiectum vtriusque scientiæ, simplicis intelligentiæ, & Visionis. Respondeo. Concedo sequelam, si comparatio fiat inter obiectum negatiuum scientiæ Visionis, & positiuum scientiæ simplicis intelligentiæ; nego autem sequelam, si comparatio fiat inter obiectum positiuum vtriusque scientiæ: quia sicut plura sunt, quæ Deus facere potest, & nunquam est facturus, quàm quæ fecit, vel facturus est: ita latiùs patet obiectum positiuum simplicis intelligentiæ, quàm obiectum positiuum Visionis. Et quoniam huius tantùm obiecti habetur ratio, ideo simpliciter dicendum est, latiùs patere obiectum simplicis intelligentiæ, quàm Visionis. Ad confirmationem, concedo possibilia esse obiectum vtriusque scientiæ, diuerso tamen modo; simplicis quidem intelligentiæ, per se & directè; Visionis verò tantum indirectè.

272. Ex dictis sequitur primò, per quam scientiam Deus cognoscat entia rationis ab homine ficta, vel fictibilia. Etenim quæ fingi possunt, nunquam tamen ab homine fingentur, cognoscit Deus scientia simplicis intelligentiæ; quæ verò actu fingentur, scientia Visionis.

273. Sequitur secundò, vt obiectum sit cognoscibile scientia Visionis, non esse necessarium, vt ita existat, vt possit non existere, sed sufficit, vt existat, etiamsi nequeat non existere: vt Deus cognoscit seipsum scientia Visionis, cùm tamen nequeat ipse non existere. Contrà verò, vt obiectum sit cognoscibile scientia simplicis intelligentiæ, non est necessarium, vt ita non existat, vt possit existere, sed sufficit, vt non existat, etiamsi non possit existere. Vt negatio Dei, ita non existit, vt implicet existere, quæ tamen cognoscitur scientia simplicis intelligentiæ; cognoscit enim Deus, implicare contradictionem, sui negationem existere.

274 Ad Fundamentum primæ sententiæ, nego assumptum; cùm enim talis modus in negationibus implicet, nequit esse modus cognoscendi nobilior, quia hic supponit possibilitatem talis modi cognoscendi. Ad confirmationem concedo, formam positiuam non esse rationem immediatè cognoscendi sui negationem; nego autem non esse fundamentum, seu terminum priùs cognitum.

275. Ad Fundamentum secundæ sententiæ, distinguo consequens; cognoscitur in bonitate increata omnis bonitas creata mediatè, concedo; immediatè nego: immediatè enim sola cognoscitur bonitas increata, qua cognita cognoscitur & bonitas ipsa creata, vt effectus, & obiectum secundarium; atque adeò & negatio, priuatioque ipsa bonitatis creatæ mediatè tantùm cognoscitur in bonitate increata.

# SECTIO XVII.

## *An, quomodo, & quæ scientia Dei sit causa rerum?*

275. TRIA quærimus, primum, an scientia Dei sit causa rerum; secundum, quomodo sit causa rerum; tertium quæ scientia Dei sit causa rerum.

276 DICO primò. Scientia Dei est causa rerum, non effectiua, sed directiua. Prima pars assertionis certa est apud omnes: cuius ratio fundamentalis est. Quia scientia Dei se habet respectu rerum, sicut ars artificis respectu artificiatorum: sed ars artificis est causa artificiatorum: ergo & scientia Dei est causa rerum. Minor constat; quoniam ars complet potentiam artificis in ordine ad opus artificiatum producendum. Maior probatur; quia sicut artifex producit artificiata directus ab arte præmonstrante modum effingendi opus; ita Deus producit res directus à scientia, præmonstrante modum effingendi res.

*Capreolus.* *Zumel.* 277. SECVNDA pars assertionis est contra Capreolum in 1. dist. 35. q. 2. circa finem, *ad argumenta contra octauam conclusionem*, & Zumel. 1. p. q. 14. art. 8. disp. vnica. cõclusione 3. asserentes, scientiam Dei esse causam effectricem rerum. Sed contrà est. Nam scientia causat tantùm dirigendo, non efficiendo, vt rectè Durandus in 1. dist. 38. q. 1. *Durandus.* Assumptum probo; quia scientia causat præmonstrando tantùm modum efformãdi res, & in hoc completur tota eius causalitas. Antecedens ostendo; quia in artifice creato ars non concurrit ad artificiatum, nisi tãtum dirigendo, non efficiendo immediatè ipsum opus, cuius effectionem immediatè attingit sola potentia executiua; ergo neq. in Deo: quoniam de diuinis philosophari debemus per analogiam ad creata. Est igitur scientia causa operis, dirigendo tantùm potentiam executricem ad opus exequendũ, iuxta modũ & normam ab ipsa præscriptam. Vnde dicitur complementũ potentiæ actiuæ, non quidem in ratione coagẽtis, sed dirigentis; pertinetque ad illam, vt complementum, non eiusdem, sed diuersæ rationis. Nec refert, *Aristotel.* quod Aristoteles 6. Ethic. 4. artem definit *habitum cum vera ratione effectiuum*. Nam dupliciter explicari potest; primò quòd sit effectiuus mediante potentiâ executiuâ. quam dirigit: Secundò, quod ibi definiat artem, vt est principium completum operis; quo pacto, præter scientiam dirigentem, includit etiam potentiam exequentem.

278. DICO secundò. Scientia Dei non est causa rerum formaliter per adiunctum actum voluntatis, licet non valeat actu causare, nisi determinata per voluntatem, est *Capreolus.* Capreoli suprà citati, qui in hoc sensu explicat S. Thomam, dum 1. p. q. 14. artic. 8. *S. Thomas.* docet, scientiam Dei esse causam rerum per voluntatem adiunctam. Fundamentum est, quoniam scientia est causa operis, dictando modum efformandi opus, eoque voluntatem dirigendo ad opus ipsum exequendum; igitur vim causandi mutuare non potest à voluntate. Antecedens admittitur ab omnibus. Consequentia verò probatur, nam practicum dictamen de modo effingendi opus, ratione præcedit voluntatem; ergo non potest ab illa formaliter, vim mutuare, cùm nullum prius, vt sic, vim suam accipere possit à posteriori. Quod autem nequeat actu causare, nisi determinata per voluntatem, constat: quoniam ad actu causandum requiritur executio operis; scientia enim suam causalitatem exercet in opus, dirigendo potentiam executricem ad illud exequendum, sicut ab ipsa præscribitur: atqui potentia executrix non exequitur opus, nisi determinata per voluntatem, cuius est omnes potentias executrices imperio suo mouere ad opus exequendum. Cæterùm quo ordine se habeant omnes istę causalitates ad opus producendum, nempe scientiæ vt dirigentis, voluntatis vt determinantis, potentiæ vt exequentis, explicabimus infrà, cùm de potentia Dei.

279. DICO tertiò. Non omnis scientia in Deo existens est causa rerum, sed quæ liberum decretum præcedit de opere faciendo, per modum practici dictaminis. Triplex in Deo de creaturis distinguitur scientia, simplicis intelligentiæ, Visionis, & Conditionata. Prima præcedit liberum decretum Dei, estq; omnino necessaria. Secunda subsequitur liberum decretum Dei, estq; omnino libera. Tertia antecedit omne decretum absolutum, non tamen conditionatum, estque partim libera, partim necessaria. Primò certum est, Scientiam Visionis non esse causam rerum, quia hæc supponit res obiectiuè futuras, easque subsequitur, vt pura contemplatio earum. Secundò certum etiam est, non omnem scientiam simplicis intelligentiæ esse causam rerum, cùm multa per hanc sciẽtiam cognoscantur, quę non sunt factibilia, cuiusmodi sunt impossibilia: ars autem, teste Philosopho 6. Ethi. 4. esse debet de *Aristoteles.* ijs, quæ ab artifice liberè fieri possunt. Vnde etiam excluditur notitia, quam Deus habet de suis increatis processionibus, cùm illę non liberè sed necessariò, producantur; ac proinde cadere non possunt, sub obiectum practicæ scientiæ, sed tantùm speculatiuę, contra Scotum q. 4. prologi. §. *si obiciatur.* *Scotus.* Tertiò certum est, non omnem scientiam simplicis intelligentiæ, etiam rerum possibilium, esse causam earum; nam quæ circa illas speculatiuè versatur, contemplando tantùm earum naturas, & proprietates, practica non est; atque adeo nec causa rerum esse potest. Fit enim scientia formaliter practica per ordinem ad praxim, quo ordine caret speculatiua scientia, quæ in sola veritate rei

sistit.

sistit. Porrò scientia, quæ practica non est, causa esse non potest, quoniam causa dicitur per ordinem ad effectum causandum, scientia autem speculatiua nullum habet ordinem ad effectum causandum, quia hic non habetur, nisi per ordinem ad praxim; sed tantùm habet ordinem ad obiectum contemplandum.

280. Super est igitur, vt sola scientia simplicis intelligentiæ, quæ versatur circa res contingenter producibiles, sit causa rerum practico modo de illis dictando. Non est autem necesse, vt talis scientia, practica practicè dictet de opere faciendo, hoc est vt actu dirigat voluntatem ad opus ipsum fabricandum, sed sufficit, si tantùm practicè, hoc est, si tantùm proponat voluntati practicum modum fabricandi opus, esto ad illud actu voluntatem non dirigat. Nam scientia non dicitur causa, quia actu causat, sed quia potest causare; potest autem causare non per actualem, sed per virtualem directionem, quam habet scientia hoc ipso, quòd practicè proponit modum fabricandi opus.

281. Sola difficultas superest de scientia conditionata, an sit causa rerum. Ad quam respondeo cum distinctione: nam si scientia conditionata comparetur ad effectum sub conditione futurum, non est causa illius, quia vt sic non præcedit, sed subsequitur illum: causa autem debet præcedere suum effectum, vt circa illum suam causalitatem exercere possit. Maior patet; quoniam scientia conditionata non supponit, sed subsequitur effectum conditionatum; priùs enim supponitur, effectus sub conditione futurus, quàm cognoscatur, cùm nihil cognosci possit, nisi quod supponitur esse. Si verò comparetur ad effectum absolutè futurum, vt sic, est causa illius, quia vt sic præcedit illum; priùs enim cognoscitur effectus sub conditione futurus, quàm absolutè futurus. Et præterea dirigit voluntatem diuinam ad executionem operis, præmonstrando modum, quo talis effectus sub conditione futurus, fieri possit absolutè futurus.

282. Ex tradita doctrina intelligitur primò celebris illa diuisio scientiæ diuinæ, in simplicem, & approbationis seu beneplaciti. Simplex scientia dicitur, quæ circa res versatur, earum tantum naturas contemplando; Approbationis verò quæ circa res versatur, illas approbando per productionem, & in illis sibi complacendo per conseruationem. De hac scientia intelligitur illud Geneseos 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, scilicet approbando illa per productionem, & complacendo sibi in illis per conseruationem. *Genes. 1.*

283. Intelligitur secundò communis illa distinctio Patrum, nempe, quod *ideo aliqua futura sunt, quia Deus nouit illa*: alia contrà; *ideo Deus nouit illa, quia futura sunt*. Prior intelligitur de scientia Approbationis, quæ est causa rerum: de hac enim valet dicere, ideo res sunt futuræ, quia Deus nouit illas, approbando per decretũ suæ voluntatis. Vnde Augustinus 15. de Trinitate. cap. 13. *Vniuersas*, inquit, *creaturas & spirituales, & corporales, non quia sunt, ideo nouit: sed ideo sunt, quia nouit*. Posterior autẽ intelligitur de scientia Visionis, quæ est purè contemplatiua: de qua valet dicere, ideo Deus nouit illas, quia futuræ sunt, non contrà; quia videlicet obiectum supponitur ad notitiam: contrà verò effectus subsequitur ad causam. De hac scientia dixit Origenes in Epistolam ad Romanos: *Non propterea aliquid erit, quia id scit Deus futurum; sed quia futurum est, ideo scitur à Deo antequam fiat.* *Doctrina Patrum.* *Augustin.* *Origenes.*

284. Postremò colligitur, quo pacto scientia diuina sit causa negationum, & priuationum: indirectè scilicet, & consequenter. Quia eadem scientia, quæ practicè dictat de re creanda, aut forma inducenda, consequenter etiam dictat de opposita negatione, aut priuatione destruenda. Non est autem scientia Dei, causa priuationis moralis, seu mali culpę; quia licet Deus perfectè sciat malum culpæ, & modum quo à creatura illud committi possit, talis tamen scientia in Deo practica non est, sed speculatiua. Sicut & scientia, quam Deus habet de entibus chymæricis ab homine fictilibus. Cuius ratio est; quoniam vt in aliquo supposito scientia sit practica, & causa rerum, requirit, vt in eo habere possit effectum; alioqui, si in eo suum effectum habere non possit, neque causæ rationem habere poterit, quia hæc formaliter constituitur per ordinem ad effectum saltem possibilem. Nec satis est, quod Deus simul cum creatura causet peccatum, quia non causat illud sub ratione peccati, vt in materia de peccatis suppono, sed tantum sub ratione entis.

## SECTIO XVIII.

### *An scientia Dei sit variabilis?*

285. Potissima ratio dubitandi est, quoniam scientia Dei posset nõ repræsentare aliqua obiecta quæ de facto repræsentat; & vice versa, posset aliqua obiecta repræsentare, quæ de facto non repræsentat: ergo est variabilis. Antecedens constat tam de scientia conditionata, quam de scientia absoluta. Nam scientia conditionata, quæ de facto repręsĕrat intellectui diuino pœnitentiam Tyriorum sub conditione futuram, si apud eos miracula & virtutes Christi factæ fuissent, potuisset eandem Tyriorum pœnitentiam sub conditione futuram non repręsentare, si de facto Tyrij pręuisi fuissent sub conditione pœnitentiam non acturi, vti prævideri potuissent, si adhuc non obstantibus miraculis Christi sub conditione apud eos factis, ad oppositum pro sua libertate se determinassent. Et scientia absoluta,

quæ

quæ de facto ab æterno Deo repræsentauit mundum futurum, potuisset eundem mundum futurum ab æterno non representare, si mundus futurus non fuisset, vti potuit futurus non esse, si Deus illum ab æterno pro sua libertate non futurum decreuisset. Et è contra, aliqua scientia de aliquo effectu tam conditionatè, quàm absolutè futuro in Deo non est, quæ potuisset esse, si talis effectus positus fuisset, vti poni potuit ex Dei, vel creaturę libera voluntate. Consequentia verò probatur: nam tam scientia de pœnitentia Tyriorum sub conditione, quàm de mundo absolutè futuro, est perfectio intrinseca & increata in ipso Deo. Sed hæc potuit in Deo non esse: ergo aliqua perfectio intrinseca & increata in Deo est, quæ potuit non esse. Et è contra, aliqua perfectio intrinseca, & increata expressiua alicuius effectus futuri potuit in Deo esse, quæ de facto non est: Igitur scientia Dei variabilis est. Maior probatur: tum quia omnis scientia est vitalis expressio obiecti: omnis autem vitalis expressio obiecti est intrinseca perfectio intelligentis: Igitur omnis scientia est intrinseca perfectio intelligentis; tum quia omnis scientia vitaliter certificat intelligentem de veritate obiecti. Atqui omnis vitalis certificatio de veritate obiecti est intrinseca perfectio intelligentis. Cùm igitur aliqua scientia in Deo sit, quæ potuit non esse: & è contrà aliqua non sit, quæ potuit esse, aliqua intrinseca & vitalis perfectio in Deo est, quæ potuit non esse: & è contra aliqua intrinseca & vitalis perfectio in Deo non est, quæ potuit esse.

286. Certa tamen & constans omnium Scholasticorum sententia est, scientiam Dei quo ad intrinsecam perfectionem, quam in recto dicit, esse inuariabilem; nec potuisse quoad intrinsecam vllam perfectionem aut defeciisse, aut profeciisse: ne contra Apostolum Iacobum aliquam transmutationem, aut vicissitudinis obumbrationem admittamus in Deo. Huius veritatis fundamentum est, quoniam quicquid in Deo est, necessarium est, cùm sit ipsum esse per essentiam, à nullo dependens, neque ab ipsomet Deo, qui suas intrinsecas perfectiones non liberè, sed necessariò continet, ea prorsus necessitate, qua ipse est: alioqui posset Deus in se ipso admittere accidentia Physica, cum quibus componeret vnum accidentale. Ex quo vlteriùs sequeretur, Deum non esse actum purum, nam hic omnem omnino potentialitatem excludit ad vlteriorem perfectionem in se ipso recipiendam. Vnde contra Patres, non quicquid esset in Deo, esset *Deus*, siquidem aliquid esset in Deo, quod potuisset non esse, cùm tamen de ratione Dei, & cuiuscumque perfectionis diuinæ sit, non posse non esse.

B. Gregor. 287. Confirmatur, quoniam, vt B. Gregorius lib. 15. Moralium cap. 4 docet, omnis mutatio est quædam mortis imitatio: *Id enim*, inquit, *quod mutat, quasi ab eo quod erat interficit, vt desinat esse, quod fuit, & incipiat esse, quod non fuit.* A Deo autem longè abest omnis mortis imitatio, cùm sit ipsissima ac purissima vita totius mortis, ac mortis imitationis expers.

288. Dices. Potest aliquid intra Deũ produci, & tamen cum Deo ipso identificari: Esto igitur *Deus*, intra se producat aliquem actum scientiæ, potest tamen statim ille productus identificari cum Deo; Non igitur recte sequitur, talem actum fore accidens, & distinctum à Deo, & compositurum vnum accidentale cum Deo. Antecedens constat, nam tam generatio passiua *Verbi*, quàm spiratio passiua Spiritus Sancti producitur à Deo, & tamen vtraq; producta statim identificatur cum ipso Deo. Ergo pari modo posset aliquis actus scientiæ produci à Deo, & productus statim identificari cum ipsa essentia Dei.

289. Resp. Negando antecedens: implicat enim vel ex ipsis terminis, vti infrà disp. 23. sectione 2. fusiùs probabitur, vt aliquid realiter producatur ab aliquo, & simul cum illo re ipsa identificetur. Nam quod realiter producitur, debet realiter egredi à principio producente: quod autem re ipsa cum alio identificatur, nequit ab eo realiter egredi, cùm nequeat idem realiter egredi à se ipso. Sed quod semel vt distinctum realiter egreditur ab alio, non potest re ipsa identificari cum eo: sicut è contra, quod semel re ipsa identificatur cum alio, nequit realiter ab eo distingui.

290. At, inquies, potest aliquid distingui ab alio in fieri, & simul cum eo identificari in facto esse. Sed contrà, tum quia inintelligibile est, vt aliquid pro vna duratione realiter distinguatur ab aliquo, & pro alia re ipsa identificetur cum eodem: sicut è contra inintelligibile est, vt aliquid pro vna duratione identificetur cum aliquo, & in alia realiter distinguatur ab eodem: Nam hoc ipso vnum mutaretur in essentiam alterius. Tum quia semper productum retinet relationem producti erga suum producens: ergo implicat, vt quod est ab alio semel realiter productum, identificetur cum illo, quemadmodum verbum diuinum semel à Patre productum, & Spiritus sanctus ab vtroque realiter procedens, semper manent realiter distincti à suis principijs producentibus. Tum quia implicat, vt idem absque vlla mutatione transeat in contradictorium sui: Atqui realiter distingui, & non realiter distingui ab aliquo sunt contradictoria: ergo implicat vnum transire in aliud absque vlla mutatione. Transiret autem in contradictorium sui absque mutatione, si quod in fieri distinguitur ab aliquo, in facto esse identificetur cum eodem. Neque dicas mutationem esse ipsam cessationem actionis, per quam res ab alio producitur: quia cùm vi actionis res accipiat esse, implicat, cessante actione, rem

ne, rem permanere, ne dum permanere identificatam cum alio.

291. Ad probationem autem Antecedentis, negandum est, tam passiuam generationem Verbi, quàm passiuam processionem Spiritus S. re ipsa identificari cum principio producente, sed semper manere ab eo realiter distinctas. Est autem principium formaliter productiuum generationis Verbi diuini, non essentia, cum qua realiter identificatur: sed paternitas, à qua realiter distinguitur. Sicut principium formaliter productiuum processionis Spiritus S. nō est essentia, aut voluntas, cum qua identificatur, sed Pater & Filius, secundùm virtutem spiratiuam, secundùm quam realiter distinguuntur à processione Spiritus Sancti.

292. Instabis. Non implicat, vt eadem indiuisibilis entitas, communicetur & non communicetur, producatur & non producatur: ergo neque implicabit, vt eadem res in fieri distinguatur à principio producente, & in facto esse identificetur cum eodem. Antecedens constat de essentia diuina, quæ simplicissima in se communicatur vt absoluta, non communicatur vt respectiua; producitur secundùm personalitatem Verbi & Spiritus S. non producitur secundùm naturam absolutam.

293. Resp. Negando consequentiam. Ratio, quia non repugnat, cum eadem simplicissima entitate identificari plures perfectiones, quæ relatiuè opponantur inter se, & non cum ipsa entitate: Posita autem identificatione plurium perfectionum inter se oppositarum in eadem entitate, necessariò sequitur, vt tales perfectiones vti manent distinctæ inter se & oppositæ, & non cum ipsa cōmuni entitate, ita maneant incommunicabiles inter se, communicabiles verò ipsi communi entitati; producibiles ipsæ, non producibili ipsa communi entitate: cuius etsi nullum in rebus creatis exemplum habeamus, à priori tamen, & in entitate infinita nulla apparet contradictio. At verò manifesta apparet contradictio quod idem secundùm idem simul distinguatur, & identificatur cum eodem: distinguatur, quatenus ab eo producitur; identificetur, quatenus à parte rei fit vnum cum eo; nam quid magis implicans, quàm idem secundùm idem distingui & non distingui, identificari & non identificari cum eodem? Vel quod semel distinguitur ab aliquo, cum eodem identificetur? aut quod semel identificatum est cum aliquo, distinguatur ab illo?

294. Tota igitur difficultas est in soluenda ratione dubitandi initio posita. Aliqui ita illam soluunt, vt verbis tantùm, re autem ipsa intrinsecam variationem ponere videantur in ipsa scientia Dei. Dicunt enim, ipsam scientiam Dei, posito effectu sub conditione vel absolutè futuro, vitaliter exprimere ac repræsentare illum absque vlla mutatione sui: Adeo vt ipsa vitalis expressio ac repræsentario effectus sub conditione vel absolutè futuri, quæ in Deo potuit non esse, sit intrinseca, & increata perfectio condistincta ab ipso effectu vel connotatione effectus sub conditione vel absolutè futuri, & ipsa vitali expressione eiusdem effectus vt possibilis. Hoc autem aliunde non probant, nisi quia scientia Dei ob suam infinitam eminentiam potest vitaliter exprimere ac repræsentare aliquod obiectum, quod potuit vitaliter non exprimere ac repræsentare absque vlla intrinseca variatione sui: vti etiam de volitione libera Dei theologantur, vt infrà videbimus.

295. Sed contrà, nam iuxta hanc sententiam hæc vitalis expressio, & repræsentatio effectus futuri in Deo est aliqua perfectio seu formalitas intrinseca, ratione saltem distincta à scientia eiusdem effectus vt possibilis: sed hæc potuit in Deo non esse: ergo aliqua perfectio increata seu formalitas in Deo est, quæ potuit non esse, contra ea, quæ suprà ostendimus, nihil posse in Deo esse, quod potuerit non esse; quod non solùm probat de perfectionibus distinctis, sed de quacumque formalitate reali intrinseca Deo. Cæterùm dicere, quòd hoc fieri possit absque vlla intrinseca mutatione & variatione scientiæ diuinæ, ob infinitam suam eminentiam, est pugnantia loqui. Nam ex vna parte ponitur intrinseca & vitalis perfectio ratione diuersa ab ipsa scientia obiecti possibilis, quæ potuit in Deo non esse: Ex alia parte ponitur, id totum fieri absque intrinseca variatione eiusdem scientiæ diuinę: ergo pugnantia asseruntur: cùm apertè pugnet, posse id, quod est intrinseca perfectio intelligentis, desinere esse, & id fieri absq; vlla intrinseca mutatione eiusdem. Nam quæ maior mutatio, quàm quod de facto est realis in Deo, potuerit realis perfectio in Deo non esse? & è contra, quod de facto realis perfectio in Deo non est, realis perfectio in Deo esse potuerit? Quòd autem hæc intrinseca perfectio vitaliter exprimens effectum futurum potuerit in Deo non esse, patet: quia potuit effectus ipse fututus non esse; ergo & ipsa vitalis expressio futuri effectus, quæ per aduersarios est perfectio intrinseca, ratione saltem inadæquatè diuersa ab ipsa expressione effectus possibilis.

296. Nos cohærentes ad nostra principia, quæ infrà tradituri sumus, cùm de libera volitione Dei disputationem instituemus, ad rationem dubitandi respondemus, negando consequentiam. Ad cuius probationem distinguenda est Maior: expressio & vitalis repræsentatio effectus futuri est perfectio Dei ratione distincta ab ipsa expressione & repræsentatione eiusdem vt possibilis, per aliquam intrinsecam & vitalem formalitatem, & nego; per extrinsecam tantùm connotationem effectus in se ipso existentis, & concedo. Eadem igitur scientia simplicis notitiæ, quæ intrinsecè & vitaliter exprimit omnia obiecta possibilia, omnesque combi-

nationes

nationes obiectorum possibiles, accedente sola connotatione obiecti existentis in se, inuariata quo ad omnia intrinseca, fit & dicitur scientia visionis. Quare scientia visionis, eademque ratio est de scientia media, non addit super scientiam simplicis notitiæ, nisi solam connotationem extrinsecam effectus absolutè vel sub conditione futuri. Quemadmodũ libera volitio in Deo supra volitionem simplicis complacentiæ necessariò terminatæ ad creaturas possibiles, non addit, nisi solam extrinsecam connotationem effectus liberè à se dependentis: nam quicquid requiritur in ratione intrinsecæ & vitalis tendentiæ ad effectum existentem, præsupponitur in eadem diuina voluntate necessariò terminata per modum simplicis complacentiæ & affectus ad eundem effectum possibilem, solùmque illi deerat extrinseca connotatio effectus liberè à se producti, vel producendi, defectu cuius non poterat denominari amor & complacentia efficax, quæ supra simplicem addit solam liberam productionem effectus, à se dependentis. Ita quicquid ad intrinsecam & vitalem expressionem effectus futuri requiritur, præsupponitur in ipsa scientia simplicis notitiæ, quæ dearticulatè exprimit quicquid perfectionis est, vel esse posset, per quamcumque combinationem possibilem in ipso effectu futuro, tantumque illi deerat connotatio eiusdem effectus in se ipso existentis.

297. Duo quippe in scientia visionis Dei distinguenda sunt, vitalis expressio effectus futuri, & extrinseca terminatio eiusdem scientiæ ad effectum in se ipso existentem. Prima est perfectio intrinseca & inuariabilis, quam Deus necessariò habet, quatenus est perfectissima species omnium & singularum rerum possibilium, omniumque combinationum, quas obiecta creata in quacunque dispositione posita habere possunt. Secunda, est extrinseca connotatio, seu terminatio eiusdem scientiæ ad effectum futurum, ad quem, posita futuritione, statim diuinus intellectus terminatur per modum vitalis intuitus, absque nouo respectu reali intrinseco, ne ratione quidem distincto ab intuitu, quo idem intellectus diuinus terminabatur ad eundem vt possibilem. Nam omnis nouus respectus realis scientiæ in obiectum est ad exprimendum aliquid in obiecto, quod antea non exprimebatur. Atqui nihil exprimendum est in effectu futuro, quod non fuerat expressum in eodem vt possibili: Igitur nullus nouus respectus realis accedit scientiæ diuinæ ad effectũ futurum, qui non fuerit ad eundem vt possibilem. Maior patet: nam scientia est propter exprimendum obiectum: ergo si nihil noui est in obiecto exprimendum, nullus nouus respectus realis accedit scientiæ ad obiectum.

298. Minor, in qua tantùm est difficultas, probatur. Nam quicquid siue intrinsecum, siue extrinsecum est, vel esse potest in effectu futuro, priùs fuit in eodem vt possibili, cùm nil possit esse futurum, quin fuerit possibile: vnde ipsamet futuritio effectus priùs fuit possibilis, quàm exercitè futura. Igitur nihil est in effectu futuro exprimendum, quod expressum non sit per scientiam simplicis intelligentiæ necessariò terminatam ad eundem vt possibilem. Solùm enim futuritio effectus ponit effectum extra causas in se ipso existentem: quæ futuritio effectus, cùm nil ponat in effectu, quod non fuerit possibile, non poterit diuinam scientiam intrinsecè mutare, sed illam tantùm extrinsecè terminabit per modum extrinseci termini: quò pacto terminaret visionem corpoream de Antichristo futuro ipsa exercita existentia Antichristi præsentis, & in se ipso existentis. Etenim si Deus produceret in meo oculo speciem expressam Antichristi futuri cum omnibus coloribus & delineamentis, quę habiturus est Antichristus in se ipso existens, eaque perseueraret vsque ad ipsam exercitam existentiam Antichristi præsentis talis exercita Antichristi existentia nil variaret de mea intrinseca visione, quam de eodem Antichristo antea habebam: Quia nil poneret visibile in obiecto, quod non fuisset antea expressum per speciem, à Deo infusam. Solùm autem exercita existentia Antichristi præsentis extrinsecè terminaret vitalem intuitum mei oculi, qui antea terminabatur ad eãdem vt intentionaliter expressam per visionem à Deo productam. Pari modo nec intrinsecè variaretur eadem corporea visio, si adhuc ea perseuerante corrumperetur obiectum. Nam eodem modo oculus haberet illud intra se per visionem intentionaliter expressam, atque habebat antea, dum illud erat realiter præsens; solùm variaretur extrinseca terminatio visionis ad obiectum in se ipso existens.

299. Vnum hîc aduerto discrimen, quòd fortè oculus habens speciem expressam obiecti possibilis non aduerteret præsentiam illius, si illud postea fieret præsens: sicut nec absentiam eiſdem si ex præsenti fieret absens, perseuerante eadem visione vt ante: cùm tamen intellectus diuinus perfectissimè aduertat obiectum ex possibili factum esse præsens & actu in se ipso existens. Verùm hæc aduertentia in Deo cùm sit per modum vitalis intuitus terminati in obiectum in se ipso existens, non addit nouum respectum realem intrinsecum in ipsa scientia Dei ratione diuersum ab ipso intuitu vitali terminato ad idem obiectum vt possibile, sed extrinsecam duntaxat connotationem eiusdem obiecti in se ipso existentis.

300. Ex his soluitur alia probatio eiusdem consequentiæ: quo nimirum pacto possit diuinus intellectus reddi certus de effectu futuro absque nouo respectu, vel formalitate reali intrinseca distincta ab ipsa scientia de eodem effectu possibili: quia videlicet hæc certitudo non est, nisi per modum vitalis intuitus terminati ad obiectum in se ipso existens, de quo cùm nil noui debeat intellectus diuinus in se ipso exprimere, quod in se expressum non prę habeat, nulla accessio fit scientiæ diuinę ex huiusmodi certitudine,

sed noua tantùm connotatio obiecti in se ipso existentis.

301. Vrgebis. Omnis certitudo est perfectio intrinseca scientis: sed aliqua certitudo potuit in Deo non esse: ergo aliqua perfectio intrinseca potuit à Deo abesse. Minor cõstat de certitudine obiecti futuri, quæ potuit in Deo non esse, sed potiùs opposita certitudo de effectu nõ futuro. Maior elucet, quoniam certitudo est perfectio scientis, qua redditur vitaliter certus de veritate obiecti.

302. Resp. concessa Maiore, distinguẽda est Minor: potuit aliqua obiecti certitudo à Deo abesse ratione alicuius intrinsecæ perfectionis, nego; ratione extrinsecæ terminationis, obiectique connotationis, concedo. Etenim cùm scientia diuina necessaria non extẽdatur ad obiecta futura per modum nouæ expressionis vitalis, cùm illa intellectus diuinus perfectissimè expressa prẽhabeat in ipsa sciẽtia simplicis notitiæ; sed per modum puræ intuitionis, intuendo tantum illa in se ipsis existẽtia, poterit absque noua accessione alicuius perfectionis intrinsecæ, sola extrinseca termination connotatione quẽ obiecti in se ipso existentis, vitaliter certificare intellectum diuinum de ipsa futuritione obiecti. Cuius ratio est, quia scientia non variatur intrinsecè, nisi ad variationem intentionalis atque vitalis expressionis obiecti: Atqui hæc in scientia diuina nõ variatur, vt suprà probatum est, cũ nil in futuro effectu expressibile sit, quod de eodem vt possibile expressum non fuerit.

303. Hanc nostram rationem colligo ex Augustino. August. lib. 15. de Trinit. cap. 13. vbi docet, nil scientiæ diuinę accedere ex futuris rebus, cùm eas perfectè nouerit ante earum futuritionem: sic enim ibidem scribit. *Vniuersas autem creaturas suas & spirituales & corporales non quia sunt, nouit, sed ideo sunt, quia nouit: non enim nescuit quæ fuerat creaturus. Quia ergo sciuit, creauit, non quia creauit, sciuit: nec aliter ea sciuit creata, quàm creanda. Non enim eius sapientia aliquid accessit ex eis, sed illis existentibus, sicut oportebat, & quando oportebat, illa mansit vt erat.* Hæc Augustinus.

304. Ex dictis à fortiori sequitur, non variari intrinsecè scientiam diuinam circa ipsa futura, quę modò dicitur repræsentare vt futura, modò vt præsentia, modò vt præterita. Eundem quippe Adamum, quem ab æterno dicebatur repræsentare vt futurum, in tempore dicitur repræsentasse vt præsentem, nunc verò vt præteritum: omnes namque istę denominationes desumuntur per connotationem ad diuersa tempora, respectu quorum eadem res dicitur vel futura, vel præsens, vel præterita. Velut in tota præcedente æternitate dicebatur Adamus futurus, in tempore verò, in quo est creatus, præsens, in toto autem tempore subsequente ipsius mortem, dicitur præteritus. Cęterùm scientia diuina ex ipsa ęternitate repręsentauit illum vt existentem in sua propria duratione cum respectu ad omne tempus, præteritum, prędens, & futurũ. Quo fit, vt scientia diuina nunquam desinat eandem rem repręsentare vt futuram, vt præsentem, & vt præteritam per ordinem ad diuersa tempora, quibus dicitur futura, prędens, & præterita. Proinde etiam nunc scientia diuina repræsentat Adamum vt futurum, non quidem respectu temporis præsentis, in quo illum repræsentat vt præteritum, sed respectu præcedentis æternitatis, per ordinem ad quam dicitur futurus. Quare sicut Deus æterno suo intuitu comprehendit totam æternitatem, eamque semper actu repræsentat, nec vnquam illam desinit repræsentare: ita semper actu repræsentat res omnes, quæ in eadem ęternitate coëxistunt cum respectu ad tempus præcedens, præsens, & subsequens earum existentiam. Quo fit, vt nunquam Deus dici possit, desinere à repræsentãdo obiecto vt futuro, vel præsente: Quia licet res ipsa desinat pro vno tempore esse futura, vel præsens, haud tamen desinit, quin pro alio tempore fuerit futura, aut prędens: Et quia Deus semper repræsentat rem cum huiusmodi triplici respectu & connotatione temporis prędcedentis, in quo dicebatur futura, coëxistentis, in quo dicebatur præsens, & subsequentis, in quo dicitur præterita, ideo etiamsi res ipsa respectu vnius temporis desinat esse futura vel præsens, haud tamen desinit Deus illam repręsentare vt futuram vel præsentem respectu illius temporis, in quo fuit futura vel prędens: sicut enim ab æterno repræsentauit Adamum vt præteritum per ordinem ad tempus subsequens mortem ipsius. Ita è contra nunc repræsentat eundem, vt futurum per ordinem ad tempus ipsius existentiam antecedens. Nam ex eo quòd Adamus pro hoc tempore desijt esse futurus, non desijt, quin aliquando futurus fuerit: neque ex eo quòd res desinit esse futura, Deus desinit illam cognoscere vt futuram per connotationem illius temporis, quo fuit futura. Vnde Augustinus libro 11. de Ciuitate cap. 21. Augustin. *Non enim* inquit *more nostro ille, vel quod futurum est prospicit, vel quod præsens est, aspicit, vel quod præteritum est, respicit: sed alio modo quodam à nostrarum cogitationum consuetudine longè latèq; diuerso. Ille quippe non ex hoc in illud cogitatione mutata, sed omnino incommutabiliter videt: ita vt illa quidem, quæ temporaliter fiunt, & futura nondum sint, & præsentia iam sint, & præterita iam non sint, ipse verò hæc omnia stabili ac sempiterna præsentia comprehendat.* Eadem ratione cùm dicitur diuina præscientia mutari in simplicem scientiam seu visionem rei præsentis, non est mutatio, nisi quo ad extrinsecam denominationem per ordinem ad diuersa tempora, per ordinem ad quæ eadem res repræsentatur. Eadem quippe scientia diuina vt repræsentat rem futuram, seu per respectum ad tempus antecedens existentiam ipsius, dicitur prędscientia: Eadem vt repręsentat rem præsentem, seu per respectum ad tempus prędens, cui res ipsa coëxistit, dicitur scientia seu visio.

Ex

S. Thomas.

305. Ex his soluitur alia quęstio, quam proponit S. Thomas prima parte quæstione 14. articulo 15. ad tertium. An Deus desinat scire aliquam enunciationem, quam priùs sciuit. Cui quęstioni respondet ipse citato loco affirmatiuè: & rationem assignat, quia sicut eadem enunciatio transire potest de vera in falsam: vt ante Christi natiuitatem, hæc enunciatio, *Christus nascetur*, erat vera; post eius verò natiuitatem, cœpit esse falsa; ita eadem enunciatio transire potest de scibili in nescibilem: nam quod est verum, est scibile: quod est falsum, est nescibile. Igitur potuit Deus scire desinere aliquam enunciationem vt veram, quam priùs vt veram sciebat, non variatione ipsius scientiæ, sed obiecti sciti. Nec est eadem ratio, vt in

Caietanus.

prælitatum locum aduertit Caietanus, de re, & enunciatione, quoniam res non potest eadem perseuerans mutari de vera in falsam: nam si res mutatur de esse in non esse, vel contrà, non manet eadem, ideoque nequit, vna eademque res inuariata in se modò esse scibilis, modò nescibilis. At enunciatio eadem inuariata manens mutari potest de vera in falsam, & de falsa in veram, variato tantùm ipsius significato.

306. Verùm cohærenter ad nostra præiacta principia dicendum est, nunquam Deum desinere scire aliquam enunciationem vt veram, quam priùs sciuit vt veram, sed semper illam scire vt veram per ordinem ad vnum tẽpus, eandemq; scire vt falsam, seu non scire vt veram per ordinem ad aliud tempus, vti de rebus ipsis suprà dictum est; nam eodem modo enunciatio, quæ semel respectu vnius temporis fuit vera, manet respectu eiusdem temporis semper vera, & consequenter respectu illius temporis semper à scientia diuina repræsentatur vt vera, esto respectu alterius temporis sit falsa, & à diuina scientia respectu talis temporis semper repræsentetur vt falsa.

307. *Obijcies* primò. Si scientia visionis rei futuræ nullam superaddit perfectionem intrinsecam scientiæ simplicis intelligentię, sequitur, quòd etiamsi Deus nesciat rem futuram, nulla careat perfectione. Potuit igitur Deus absque detrimento suæ scientiæ non scire res, quæ aliquando sunt futuræ.

308. Resp. negando sequelam: nam esto scientia visionis nullam superaddat perfectionem scientię simplicis intelligentiæ, supponit tamen illam ita perfectam, vt statim ac ponitur noua veritas, necessariò eam repręsentet, absque nouo accremento sui, cùm præhabeat in se quicquid requiritur ad quamcunque nouam veritatem repræsentandam. Argueretur igitur imperfectio seu finitas & limitatio in scientia diuina, si posita noua veritate, non statim ad illam se extenderet, esto nullam de nouo perfectionem acciperet, ex tali repręsentatione. Cuius à priori ratio ea est: quoniam scientia diuina non sumit à rebus, sed ex se ipsa habet, quatenus est infinita species omnium creaturarum, & combinationum possibiliũ, vt positis omnibus ad sciendum requisitis, statim repræsentet quamcunque veritatem de nouo positam, cùm de ratione scientiæ sit necessariò in verùm ferri. Vnde si aliquod verum esset, ad quod scientia diuina non ferretur, id necessariò accideret ex defectu alicuius perfectionis intrinsecę ipsius scientię, nempe luminis, speciei, vel actus, cùm ex parte obiecti non requiratur nisi sola veritatis positio.

309. *Obijcies* 2. Deus scit aliqua, quæ possunt de facto non esse: ergo saltem non omnia, quæ ipsius scientia repræsentat, repræsentat infallibiliter. Antecedens probatur, quia Deus scit futurum peccatum Antichristi, quod potest de facto non esse futurum, cùm semper maneat in Antichristo libertas ad peccandum, donec actu ponat actum peccaminosum extra suas causas.

310. Respond. cum distinctione antecedentis: possunt defacto non esse futura, quę pendent à libera voluntate creaturæ, potestate antecedente, & in sensu disiuncto, concedo: possunt non esse futura potestate consequenti, & in sensu composito, nego. Nam facta semel suppositione, quòd res sit futura, non potest non esse futura: non minùs quàm facta semel suppositione, quòd res sit præsens, non potest non esse præsens, & consequenter nec potest à Deo non sciri. Cęterùm quia scientia Dei non tollit, nec mutat intrinsecam potentiam, quam intellectualis creatura habet ad omnes suas liberas actiones, cum infallibilitate scientiæ diuinæ fundatæ in huiusmodi suppositione rei futuræ, semper manet libera, & & antecedens potestas ad oppositum faciendum, donec ipsa creatura liberè se determinet ad id, ad quod ex suppositione ponitur se determinatura.

311. Hinc etiam constat, cur Deus, in nostra præsertim sententia, necessariò sciat omnia futura conditionata: quoniam in nostra sententia antecedenter ad quodcunque liberum decretum diuinum actu positum in Deo datur veritas futurorum conditionalium fundata in suppositione huiusmodi futurorum, qua suppositione facta diuina scientia necessariò illa repræsentat. Dixi, *in nostra præsertim sententia:* nam in sententia eorum, qui dicunt, huiusmodi futura conditionalia pendere ex libero decreto diuino actu in Deo posito, non sequitur, vt omnia futura conditionalia, quę esse possunt, à Deo sciantur, sed tantùm ea, de quibus Deus habet liberum decretum: quod suprà impugnatum est: quia cum maxima perfectio in Deo sit, scire, quid vnaquęque creatura in quacunque dispositione posita liberè operatura sit, non potest hęc Deo negari; nam quamuis ipsa repræsentatio futuri conditionati non addat nouam perfectionem scientiæ simplicis notitię, supponit tamen illam ita perfectam, vt absque vlla sui mutatione necessariò se extendat ad huiusmodi futura con-

ditionalia. Nec est eadem ratio de scientia absolutè futurorum, quæ sine vlla imperfectione potuit in Deo non esse: nam si hæc scientia poneretur in Deo necessaria, præiudicaret maiori perfectioni diuinę, quæ est libertas in producendis, vel non producendis creaturis; cui perfectioni non obstat, si ponatur scientia futurorum conditionalium necessaria in Deo: quoniam vt hæc à Deo cognoscantur, necesse non est, vt illa Deus ad extra producat, sed sufficit, vt de illis tantùm habeat conditionatum decretum, siue obiectiuè, siue subiectiuè iuxta varias sententias, quo posito statim de illis resultat determinata veritas, à Deo cognoscibilis: Fateor iuxta illam sententiam, quę asserit, huiusmodi futura conditionalia à Deo non cognosci, nisi posito libero decreto in Deo actu & subiectiuè, responderi posse, etiam talem scientiam præiudicaturam diuinę libertati de condendo nouo decreto intra Deum, si ea ponatur necessaria. Verùm quia nos iudicamus, maiorem fore perfectionem in Deo habere notitiam omnium futurorum, quæ à quauis intellectuali creatura in quacunque dispositione posita producenda forent, quàm esset libertas ipsa de condendis decretis, quæ ad veritatem huiusmodi conditionalium necessaria esset, ideo absolutè pronũciamus, etiamsi hæc futura conditionalia cognoscenda essent per decretum intra Deum actu positum, eorum scientiam necessariò ponendam esse in Deo, cùm maior perfectio Dei sit notitia omnium conditionalium, quàm libertas talia decreta intra se condendi: quia cùm per huiusmodi decreta nil debeat Deus ad extra producere, sed tantùm maneant intra ipsum Deum, nulli videntur perfectioni diuinæ præiudicare, si necessariò in Deo ponantur ad ampliorem de creaturis notitiam habendam. Cæterùm an aliunde huiusmodi decreta in Deo repugnent, constat ex sectione 12.

312. *Obijcies* 3. Nulla concipi potest inter duo extrema realis variatio, nisi aliquo saltem extremo realiter variato. Sed inter scientiam Dei conditionatam, & ipsius obiectum concipitur realis variatio, nulla reali mutatione facta in obiecto; ergo debet realis variatio fieri in ipsa scientia: & consequenter scientia conditionata Dei erit intrinsecè variabilis. Maior patet: quia nequeunt eadem extrema eodem modo permanentia nouam denominationem realem causare, cùm omnis realis denominatio fundari debeat in aliqua forma reali intrinseca, vel extrinseca. Minor probatur: nam eadem scientia conditionalis de pœnitentia Tyriorum sub conditione futura potuit esse scientia de oppositа impœnitentia sub conditione futura, nulla reali mutatione facta in ipso obiecto, cùm obiectum conditionatum in se ipso non mutetur, sed semper maneat sub suo non esse.

313. Respond. distinguendo Minorem; nulla fit in obiecto conditionali realis mutatio subiectiua, concedo: Nulla fit realis mutatio obiectiua, nego. Quæ mutatio sufficit ad nouam denominationem realem, per quam eadem scientia inuariata intrinsecè fieri possit scientia contradictoriorum. Vnde concedendum est, obiectum conditionatum, vt tale semper manere sub non esse absoluto, variari tamen posse sub esse conditionato & obiectiuo: quia quod habuit esse sub conditione ex suppositione liberę determinationis creaturæ, habere potuit non esse sub conditione, ex suppositione liberæ determinationis eiusdem.

314 *Obijcies* 4. Videmur suprà supponere, scientiam Dei de creaturis possibilibus addere aliquam perfectionem intrinsecam & necessariam ipsi scientiæ Dei de suamet essentia. Hoc autem falsum est, tum quia creaturæ possibiles sunt tantùm obiectum secundariũ, & materiale scientiæ diuinę, cùm scientia totam suam intrinsecam perfectionem desumat ex motiuo formali & obiecto primario, quod in scientia diuina est sola increata essentia: tum quia eadem ratio est de creaturis possibilibus ac futuris: ergo sicut ad futuras extenditur absque intrinseca perfectione, sola connotatione obiecti futuri: Ita & ad possibiles absque intrinseca & vitali perfectione, sola cõnotatione obiecti possibilis. Tum quia alioqui Deus penderet à creaturis. Etenim cũ scientia Dei sit ipsum esse Dei, si scientia Dei de creaturis possibilibus superadderet aliquam perfectionem intrinsecam ipsi scientię, quam Deus de se ipso habet, esse Dei penderet à creaturis possibilibus.

315. Vasq. prima parte q. 14. in expositione articuli 15. & disp. 143. cap. 6. Didacus Alarcon tractatu 2. de scientia Dei disp. 1. cap. 3. cum alijs recentioribus existimant, scientiam Dei de creaturis possibilibus nullam superaddere perfectionem intrinsecam ipsi scientiæ, quam Deus habet de se ipso, sed addere extrinsecam dũtaxat terminationem, non secus ac scientia ipsa visionis de creaturis futuris nullam superaddit intrinsecam perfectionem scientiæ, quam idem Deus de se ipso habet. Ex quo infert, quòd quemadmodum sublata futuritione creaturarum, nihil perfectionis intrinsecæ decedit ex scientia diuina: ita sublata possibilitate creaturarum, nil perfectionis intrinsecæ demitur ex eadem scientia diuina. *Vasquez. Didacus Alarcon.*

316. Oppositа tamen sententia, quæ asserit, scientiam creaturarum possibilium intrinsecam perfectionem superaddere ipsi scientiæ, quam Deus de se ipso habet, & probabilior est, & nostris principijs conformior: Eamque expressè docuit Augustinus libro 83. quæstionum q. 46. vbi definiens, quid sint ideæ in mente diuina, ita scribit: *Sunt ideę principales formæ quædam, vel rationes verę, stabiles atque immutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt, & per hoc æternæ, ac semper eodem modo sese habentes, quæ in diuina intelligentia continentur. Et cum ipsæ neque oriantur, neque intereant, secundùm eas tamen*

*formari*

*formari dicitur omne quod oriri & interire potest, & omne quod oritur & interit.* Et paulò pòst: *Has autem rationes vti arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente creatoris? non enim extra se quidquam positum intuebatur vt secundum id constitueret, quod constituebat: nam hoc opinari sacrilegum est. Quod si hę* (concludit) *rerum omnium creandarum, creatarumve rationes in diuina mente continentur, neque in diuina mente quidquam nisi æternum atque incommutabile potest esse: Atque has rerum rationes principales appellat ideas Plato; non solùm sunt ideæ, sed ipsæ veræ sunt, quia æternæ sunt, & eiusmodi atque incommutabiles manent, quarum participatione fit, vt sit quidquid est, quoquo modo est; & quarum visione anima rationalis fit beatissima.* Plato.

Sunt igitur in sententia Augustini ideæ rationes quædam æternæ atque increatæ in diuina mente existentes, ad quas Deus respiciebat, dum creaturas extra se ab ipsa ęternitate condere decernebat. Atqui hę rationes æternæ atque incommutabiles perfectionem in Deo dicunt ratione diuersam ab ipsa cognitione, quam Deus habet de sua increata essentia: ergo cognitio creaturarum possibilium perfectionem intrinsecam superaddit Deo ratione diuersam ab ipsa perfectione, quam solius increatæ essentiæ cognitio importat. Igitur sublata possibilitate creaturarum, ac proinde earum cognitio à Deo, aliqua perfectio intrinseca decederet è Deo. Maior, vt vidimus, est Augustini. Augustinus. Minor probatur: nam istę rationes æternæ & incommutabiles in Deo, quarum visione anima rationalis beatur, sunt ipsę creaturę intentionaliter atque intelligibiliter in diuina mente expressæ: sed has non exprimit sola præcisa cognitio diuinæ essentiæ, quod vel inde patet; quoniam si creaturæ non essent possibiles, adhuc maneret cognitio diuinæ essentiæ exprimens ipsam essentiam, absque expressione creaturarum: ergo expressio creaturarum ratione diuersa est ab ipsa expressione essentię diuinæ: siquidem in ea hypothesi esset tota expressio diuinæ essentię absque expressione creaturarum.

317. Video aduersarios huic argumento responsuros, sublata possibilitate creaturarum, nihil perfectionis intrinsecæ sublatum iri ex ipsa scientia Dei, sed tantùm connotatum extrinsecum. Contendunt enim scientiam creaturarum possibilium in Deo non esse aliud, quàm ipsam cognitionem diuinæ essentiæ connotata tantùm possibilitate creaturarum, qua sublata maneret tota intrinseca perfectio scientiæ diuinæ. Sed videant isti Authores, an hac solutione satisfaciant Authoritati Augustini, de qua nunc tantùm certamus. Augustin. Contendit enim sanctissimus hic Doctor, rationes istas, quas Plato ideas appellabat, esse aliquid increatum in Deo, siquidem, vt ipse ait, earum visione anima rationalis fit beatissima: non fit autem beatissima visione creaturarum secundùm esse earum proprium, sed secundùm esse intentionale & intelligibile in diuina mente expressum, quo pacto sunt ipsamet increata essentia, vt est species intelligibilis creaturarum. Nec dici potest, has rationes esse ipsam cognitionem diuinę essentię, connotata tantùm possibilitate creaturarum: nam Augustinus contendit, animam rationalem non tantùm beari visione cognitionis Dei, quatenus perfectio subiectiua est in Deo, sed ipsarum etiam rationum, & obiectorum, quæ diuina cognitione exprimuntur, quæ sunt ipsę creaturæ secundùm esse intentionale & intelligibile in Deo expressum. Porrò si huiusmodi rationes diuina cognitione expressæ nil aliud essent, quàm ipsę creaturæ cōnotatę secundùm illud esse naturale & creatum, quod extra Deum habent, non posset anima rationalis earum visione beari.

318. Eadem sententia apertè sequitur ex doctrina S. Thomę. Docet enim S. Doctor, Deum intelligere creaturas secundùm proprias rationes ipsarum, easque expressas intelligere in suo Verbo, tanquam in ratione in qua, vt ex varijs testimonijs ipsius fusè à nobis probatum est disp. 9. sect. 3. Cuius opinionis fuisse Doctorē S expresè fatetur ipsemet Vasq. 1. p. disp. 72. cap. 2. nu. 11. Ex his igitur S. Thomę principijs, quibus nixi citato loco cum eodem negauimus speciem impressam & expressam diuinæ essentiæ, sic deducitur nostra sententia: Deus intelligit creaturas possibiles expressas in suo Verbo tanquam ratione in qua: ergo creaturæ vt in diuina cognitione expressæ sunt aliquid intrinsecum in Deo ratione diuersum ab ipsa essentia & cognitione Dei. Antecedens iam supponitur esse S. Thomæ. Consequentia probatur: quia si verbum diuinum non est tantùm ratio, qua Deus intuetur creaturas, sed etiam ratio, in qua eas intentionaliter expressas intuetur, debet eas in se ipso secundùm esse intelligibile atque intentionale continere: quia cùm nec illæ contineantur in Deo formaliter secundùm esse naturale, quod à Deo condistinctum habent, neque sola continentia eminentialis seu causalis sufficiat ad eas in se ipso secundùm proprium esse intuendas, alius modus non supereſt, vt eas in se ipso secundùm proprium esse, quod à Deo condistinctum habent, intueatur, quàm continentiæ intentionalis: quæ in eo consistit, vt Deus creaturas exprimat in suo verbo secundùm illud idem esse, quod à Deo distinctum habent. Est enim Verbum mentis naturalis imago obiecti, in qua delineatur natura ipsa & proprietates obiecti, quæ teste Aureolo, ponit in prospectu ipsius intellectus obiectū, quod in se ipso intelligibiliter atque intentionaliter delineatum atque expressum habet: Atqui huiusmodi intentionali intelligibiliq́ue expressione creaturarū careret Deus, sublata possibilitate creaturarum: ergo cognitio creaturarum possibilium intrinsecam perfectionem superaddit ipsi scientiæ, quam Deus de se ipso habet. S. Thomas. Vasquez. S. Thomas.

319. Tandem probatur hæc sententia à priori: quoniam exprimere in se intelligibi-

liter creaturas, non est tantùm eas extrinsecè connotare, sed eas intra se ipsum intentionaliter expressas habere: igitur expressio creaturarum est perfectio intrinseca in Deo. Antecedens probatur: tũ quia habere in se creaturas per speciem intelligibilem impressam, non est illas extrinsecè tantùm connotare, sed eas intra se ipsum realiter continere per similitudinem intelligibilem virtualem, quæ intrinseca est Deo; ergo habere in se easdem per speciem intelligibilem expressam, non est illas extrinsecè tantùm connotare, sed eas intra se ipsum realiter continere per similitudinem intelligibilem formalem, quę pari modo intrinseca est Deo. Tum ex proprio modo operandi intellectus, qui est, trahere ad se obiectum per vitalem atque intentionalem similitudinem illius.

320. Confirmatur primò. Aliqua perfectio intrinseca decederet è Deo, si sublata possibilitate creaturarum, tolleretur species intelligibilis impressa illarum: ergo aliqua etiã perfectio intrinseca decederet è Deo, si sublata possibilitate creaturarum, tolleretur species expressa earundem. Consequentia constat: tum quia non minùs intrinseca perfectio Dei est species expressa, quàm impressa creaturarum: tum quia sublata specie expressa creaturarum, tolleretur impressa earundem, quæ tota ordinatur ad expressam. Antecedens verò probatur: nam species intelligibilis impressa creaturarum non est pura connotatio extrinseca obiecti, sed virtus & perfectio intrinseca, vim habens assimilandi creaturas in esse intelligibili & intentionali, intra ipsum Deum intelligentem.

321. Confirmatur 2. Cognitio, qua Deus se ipsum cognoscit, quaquè se ipsum in suo increato Verbo intentionaliter exprimit, est perfectio intrinseca ratione diuersa ab ipsa essentia & intellectu diuino, qua si careret, aliqua perfectione intrinseca careret; ergo etiam cognitio, qua Deus creaturas possibiles cognoscit, quaque intentionaliter in suo Verbo exprimit, est perfectio ratione diuersa ab eodem intellectu & cognitione, qua Deus se ipsum suamque essentiam cognoscit; qua si careret, aliqua perfectione intrinseca careret. Antecedens à nemine sanæ mentis Theologo negandum puto. Consequentiam autem probo. Nam si vera est aduersariorum ratio; qua probant, cognitionem creaturarum possibilium nil perfectionis intrinsecę superaddere cognitioni diuinæ, qua se ipsum cognoscit, cò quòd scientia Dei nihil aliud est, inquiunt, quàm perfectio & actus diuinæ essentiæ, connotata cognoscibilitate obiecti, eadem ratio probat, scientiam, qua Deus se ipsum suamque essentiam cognoscit, nil aliud esse, quam suum ipsius intellectum, connotata cognoscibilitate suæ essentiæ. Vnde nullam perfectionem intrinsecam superadderet Deo ipsa cognitio, qua se ipsum suamque essentiam cognoscit. Ex quo vlteriùs sequitur, nulla intrinseca perfectione cariturum Deum, si sui ipsius, suæque essentiæ cognitione careret.

322. At obijciunt aduersarij contra hanc sententiam primò. Deus per eandem indiuisibilem rationem immensitatis, qua coëxistit vni loco, coëxistit omnibus & infinitis: & per eandem indiuisibilem æternitatem, qua coëxistit vni tempori, coëxistit omni atque infinito tempori: ergo per eandem indiuisibilem cognitionẽ, qna se ipsum suamque essentiam cognoscit, cognoscit creaturas omnes, earum tantùm possibilitate connotata.

323. Respon. negando consequentiam. Etenim ratio immensitatis, & æternitatis, præter perfectionem intrinsecam in Deo existentem, importat solam connotationem extrinsecam, loci, ac temporis sibi coëxistentis. Vnde poterit eadem perfectio diuina intrinseca inuariata in se coëxistere pluribus spatijs ac temporibus: quia non debet illa intra se exprimere, sed tantùm extrinsecè connotare. Cognitio verò non dicit solam extrinsecam connotationem obiecti, sed vitalem intentionalemque expressionem ipsius intra intellectum cognoscentis. Et confirmatur: nam etiam in creaturis concipi potest res diutius & diutius durare absque intrinseca mutatione rei durantis, sola extrinseca connotatione tẽporis sibi coëxistentis; & in aliquorum sententia potest idem Angelus intra suam sphæram modò maius, modò minus spatium occupare absque vlla intrinseca mutatione sui, sola extrinseca connotatione loci. Nequit autem idem intellectus creatus de vno in aliud obiectum discurrere absque intrinseca mutatione suæ cognitionis.

324. Obijciunt 2. non minor perfectio intrinseca Deo est potentia producendi creaturas, quàm cognitio easdem exprimens ac repræsentãs. Atqui sublata possibilitate creaturarum, nihil de intrinseca perfectione decederet Deo: ergo earundem creaturarum possibilitate sublata nihil de intrinseca perfectione demeretur Deo.

325. Resp. primò negando Minorem; nam sublata possibilitate creaturarum, tolleretur virtus producendi creaturas à Deo, non propter dependentiam Dei à creaturis, sed propter dependentiam creaturarum à Deo. Resp. 2. negando consequentiam, cuius discriminis ratio est: quoniam potentia ad extra productiua in Deo per se tendit ad communicandum esse alteri, fundaturque in ipsa essentia Dei. Vnde posita impossibilitate creaturę producibilis, maneret eadem virtus quoad intrinsecam suam perfectionem, mutata sola denominatione potentiæ quoad extrinsecum connotatũ creaturæ producibilis, manente eadẽ quoad suum principalẽ effectum formalem constituendi essentiam diuinam. Cognitio verò tendit ad exprimendum vitaliter obiectum intra ipsum cognoscentem. Vnde sublata possibilitate obiecti, tollitur vitalis expressio ipsius intra cognoscentem: nec manere potest propter alium effectum, cùm nullum alium effectum cognitio habeat, quàm exprimere vitaliter obiectum intra ipsum cognoscentem. Secus est

de

de potentia, quæ si fundatur immediatè in ipsa substantia agentis, vti fundatur potentia diuina, sublata possibilitate effectus, manere poterit quoad totam suam intrinsecam perfectionem propter constitutionem ipsius naturæ agentis.

326. DICES. Sublata possibilitate creaturarum, Deus non posceret illas vitaliter intra se exprimere: ergo nulla careret perfectione sibi debita. Resp. Transeat totum: nego tamen in ea hypothesi futurum Deum cum ijs omnibus perfectionibus, cum quibus nunc est. Quemadmodum si ponatur Deus ex hypothesi ad intra non productiuus, non posceret personarum Trinitatem: qua tamen carere, esset aliqua intrinseca perfectione carere: ac proinde alterius perfectionis futurus esset Deus tunc, atque est nunc.

327. Ex his respondetur ad omnes instantias in quarta obiectione allatas. Ad primam negandum est, totam perfectionem scientiæ desumi ex motiuo formali & obiecto primario, sed etiam ex obiecto materiali & termino secundario. Nam licet specificatio scientiæ desumatur ex motiuo formali & obiecto primario, indiuiduatio tamen desumitur etiam ex obiecto materiali & termino secundario. Ratio est, quia scientia non solùm exprimit intentionaliter intra intellectum cognoscentis obiectum formale & primarium, sed etiam quodcunque materiale & secundarium: ac proinde non tantum intrinsecam suam perfectionem desumit ex obiecto formali & primario, sed etiam ex materiali & secundario; quamuis ex illo desumat speciem, ex hoc indiuiduationem tantùm.

328. Ad secundam negatur Antecedens: nam in obiecto futuro nihil remanet intentionaliter exprimendum, quod non supponatur intentionaliter expressum per cognitionem de eodem obiecto vt possibili, vti suprà ostensum est. At in creaturis possibilibus est aliquid intentionaliter exprimendum, quod non supponitur intentionaliter expressum per solam cognitionem diuinæ essentię, nempe proprium esse naturale creaturarum, quod in diuina essentia formaliter non continetur.

329. Ad tertiam negatur sequela: nam licet cognitio creaturarum sit perfectio intrinseca Dei, illam tamen Deus à creaturis non emendicat, sed habet à se, ex eo quòd est species intelligibilis earum. Vnde sicut ex eo quòd est species intelligibilis impressa creaturarum, qua careret, implicantibus creaturis, non dicitur dependere à creaturis: ita ex eo quòd sit species expressa earundem, qua careret, implicantibus creaturis, non dicitur dependere à creaturis: eò quòd huiusmodi perfectionem non desumit à creaturis, sed habet ex se.

## SECTIO XIX.

### *An scientia diuina repræsentet infinita categorematicè?*

330. PRæsens quæstio intelligitur de obiectis secundarijs, tam possibilibus, quàm futuris, an ea in mente diuina sint infinita categorematicè, an syncategorematicè. Et sanè absque vlla controuersia inter nostros Scholasticos est, quæ Deus à se distincta cognoscit, esse infinita, ac sine certo termino, contra quosdam antiquos Philosophos, qui asserebant, quę Deus cognoscit, esse finita, eò quòd infinitum vt infinitum cognoscibile non est. Cuius erroris fuisse videtur Aristoteles, qui primo Physicorum textu 35. & 2. Metaph. in fine, ait, infinitum vt infinitum esse ignotum.

331. Verùm prædictos Philosophos hac vnica ratione confutat Augustinus 12. de Ciuitate cap. 18. Omnes numeri sunt infiniti: omnes numeros cognoscit Deus: cognoscit igitur Deus infinita. Maiorem probat Augustinus: quoniam quocunque numero dato semper dabilis est alius & alius in infinitum sine fine: ergo numeri sunt infiniti. Minorem à nemine ait negari posse, nisi à dementissimo: quam ratione, & authoritate confirmat: Ratione, quia cùm non sit assignabilis certus numerus, vltra quem increatus intellectus non se extendat, dicendum est, illum ad omnes possibiles numeros se extendere: Authoritate, quoniam, vt canitur in Psalmo 146. *Sapientiæ eius non est numerus. infinitas itaque numeri*, vt ipsemet citato loco infert, *quamuis infinitorum numerorum nullus sit numerus, non est tamen incomprehensibilis ei, cuius intelligentia non est numerus.* Cuius ratiocinationis vis in eo sita est: quòd sicut scientia diuina in cognoscendo est simpliciter infinita: ita nullus est numerus possibilis, quem ipsa actu non cognoscat: alioqui si esset aliquis numerus, vel multitudo numerorum possibilis, quam scientia diuina actu non cognosceret, non esset infinita simpliciter, quippe cùm non haberet eam perfectionem, quę ad cognoscendum vlteriorem numerum necessaria foret.

*Augustin.*

*Augustin.*

332. Quoniam verò ijdem Philosophi, vt de Aristotele certũ est, putabant, mundum productum esse ab æterno, ne cogerentur concedere, Deum per ęternitatem à parte antè produxisse infinita, quæ ipsemet Deus non cognosceret, finxerunt, vt ibidem 17. cap. notauit Augustinus, Deum semper eadem repetendo, quæ antea produxerat, reproduxisse. *Quoniam si non eadem, inquiebant, repetantur, nõ possunt infinita diuersitate variata vlla eius scientia, vel præscientia comprehendi.* Non procul ab hoc errore fuerunt Wicleffus, & Ioannes Hus, qui vt in Concilio Constantiensi sectione 15. refertur, inter alia falsa dogmata, quæ docebant, vnum erat hoc: *Non potest Deus mundum maiorare vel mino-*

*Augustin.*

*VVicleffn.. Ioan Hus.*

*minorare: sed animas vsque ad certum numerum creare & non vltra.*

333. Vterque error hoc vnico argumento euincitur. Potentia Dei ad extra productiua pro termino habet, quicquid non implicat. Non implicant plures & plures creaturæ tam numero, quàm specie diuersæ in infinitum producibiles: ergo ad omnes illas se extendit potentia Dei: ergo non tantùm ad finitas. Minor constat, cùm nulla hactenus allata sit, nec afferri possit implicantia, cur nequeant plures & plures numero ac specie distinctæ creaturæ in infinitum produci. Maior probatur: nam potentia Dei ad extra productiua immediatè fundatur in ipsa essentia increata Dei, quæ vti nullum habet in essendo limitem, ita nullum in producendo terminum.

334. Confirmatur. Tot sunt creaturæ producibiles quot sunt exempiabiles ab essentia diuina: atqui hæ sunt sine termino infinitæ: ergo infinitæ sunt creaturæ à Deo producibiles. Maior claret, cùm omnes creaturę sint quædam participationes & imitationes diuini esse, sicut omnis effectus est quædam participatio & imitatio suæ causæ: ergo tot sunt creaturæ producibiles, quot participare & imitari possunt essentiam diuinam. Minor probatur: nam participabilitas & exemplabilitas creaturæ fundatur in ipso esse diuino: ergo si ipsum est infinitum & illimitatum, etiam creaturæ ab ipso participabiles & exemplabiles erunt sine termino infinitę. Nam eò vsque diuina essentia participari, atque exemplari potest à creaturis, quousque ipsius perfectio non exhauritur. Atqui à nulla creatura, aut multitudine creaturarum exhauribilis est increata perfectio diuinæ essentiæ, cùm omnis creatura, multitudoque creaturarum infinitè distet ab increata & infinita essentia Dei: ergo

335. Sola igitur inter Catholicos controuersia est: An quæ Deus cognoscit, sint infinita categorematicè, an syncategorematicè. *Durandus* Durandus in primo distinctione 39. q. 2. per totam, & Marsilius dist. 38. art. 3. contendunt, creaturas tam possibiles, quàm in tota æternitate futuras, esse infinitas tantùm syncategorematicè. *Valentia. Suarez. Tanerus.* Quibus assentiunt Suarez tertia parte disp. 26. sect. vltima, Valētia prima parte disp. 1. q. 14. puncto sexto, Tanerus disp. 2. q. 2. dubio 4. assertione 6. alijque recentiores. Potissimum huius sententiæ fundamentum est: quoniam Deus non cognoscit creaturas, nisi quatenus sunt ad existendum possibiles. Atqui non sunt ad existendum possibiles, nisi infinitæ syncategorematicè: ergo non cognoscit Deus creaturas, nisi infinitas syncategorematicè. Minor supponitur, cùm nec ex possibilibus existere possint actu infinitæ, sed semper finitæ in infinitum, nec ex futuris per totam æternitatem extituris aliquando existant, vel existere possint infinitę actu, sed semper finitę in infinitum. Maior probatur: quoniam vt cognitio sit vera debet conformari & adæquari suo obiecto: ergo si obiectum est infinitum syncategorematicum, nequit à Deo cognosci vt infinitum categorematicum: alioqui diuina cognitio non conformaretur suo obiecto.

336. Contra verò Richardus in primo distin. 36. art. 2. q. 5. Molina, Bannez prima parte q. 14. art. 12. Vasq. disp. 63. Arrubal disp. 37. cap. 2. Ruiz de scientia Dei disp. 20. sect. 3. Alarcon tract. 2. de scientia Dei, disp. 3. cap. 3. alijque recentiores putant, quæ Deus cognoscit scientia simplicis intelligentiæ & visionis, esse infinita categorematicè. Cui sententię plurimum fauent Bonauentura in primo dist. 35. q. 5. & distinct. 39. arti. 1. q. 3. S. Tho. prima parte q. 14. art. 12. primo contra gentes cap. 69 & q. 2. de veritate arti. 9. Caietanus & Ferrarienſis locis præcitatis, qui absolutè docent, Deum cognoscere actu infinita, esto non sint possibilia, aut futura, nisi finita in infinitum.

*Richard. Molina. Bannez. Arrubal. Ruiz. Alarcon.*

*Bonau. S. Thomas.*

*Caietan. Ferrarien.*

337. Pro explicatione notandum, hanc difficultatem non solùm premere eos, qui vt impossibile negant omne infinitum categorematicum producibile extra Deum, sed etiam qui illud concedunt. Nā esto illud concedant in ipsis creaturis possibilibus, proinde circa illas nullam habeant difficultatem concedendi infinita categorematicè in mente diuina, vti illa concedunt existere posse extra Deum. Adhuc tamen manet difficultas ab omnibus soluenda tum de effectibus æternùm futuris, tum de partibus continui in infinitum diuisibilibus. Nam nec beatorum, ac damnatorum cogitationes per totam æternitatem futurę, nec diuisiones continui possunt esse actu & categorematicè infinitæ, sed semper finitæ in infinitum. De his igitur restat difficultas ab Authoribus vtriusque sententiæ soluenda, An cogitationes æternùm futuræ, diuisionesque continui sint categorematicè an syncategorematicè infinitę in mente diuina. Pro cuius difficilis ac molestę controuersię solutione,

338. Dicendum est, omnia, quę in se ipsis, & secundùm realem existentiam sunt infinita tantùm syncategorematicè, in mente diuina esse infinita categorematicè. Ratio assertionis desumenda est ex natura ipsa infiniti categorematici & syncategorematici, quam cum Aristotele 3. Physicorum admittunt omnes Philosophi ac Theologi. Est autem infinitum syncategorematicum, quod nūquam est totum simul actu, sed partim actu, partim potentia, ita vt quod actu simul est, semper finitum est, quod autem in potentia est, infinitum est ac sine termino. Vt quotcunque cogitationes in ipsa æternitate existentes, semper sunt finitæ: contrà verò quæ remanent per totam æternitatem futuræ, infinitæ sunt & absque termino. Item quotcunque diuisiones continui assignantur, semper actu sunt finitæ, quę verò remanent assignabiles, semper sunt potentia infinitæ. Infinitum autem categorematicū est illud, quod totum simul actu est, & in eo quod infinitum est, termino ac fine caret.

*Aristot.*

339. Hac

339. Hac igitur vtriusque infiniti definitione posita, euidenter probatur nostra assertio. Nam quæ in se ipsis secundùm realem existentiam siue possibilem, siue futuram, sunt tantùm potentia infinita, in mente diuina sunt omnia actu simul cognita & expressa: ergo quæ in se ipsis, & secundùm realem existentiam sunt infinita syncategorematicè & in potentia, in mente diuina sunt infinita categorematicè & actu. Antecedens patet: nam licet quoad ipsam realem existentiam nunquam tota multitudo cogitationum æternùm futurarum, ac diuisionum continui possit esse actu re ipsa posita extra omnem potentialitatem, cùm nequeant existere tot, quin plures & plures sine fine cogitationes, & continui diuisiones: eadem tamen & tam cogitationum, & diuisionum multitudo tota simul comprehenditur & concluditur intra cognitionem diuinam, vt nulla maneat non actu à Deo cognita, sed potentiâ cognoscibilis. Consequentia verò euidenter deducitur ex definitione infiniti categorematici, cuius quidditas est, vt actu simul totum positum sit absque fine & termino. Atqui in mente diuina omnes cogitationes æternùm futuræ, omnesque continui diuisiones actu simul omnes positæ sunt secundùm esse intentionale & intelligibile absque vllo termino & fine, cùm singulę & omnes equè actu cognitæ à Deo sint. Igitur in mente diuina sunt actu & categorematicè infinitæ.

340. Confirmatur primò: nam quæ in mente diuina obiectiuè existunt, non sunt finita, nec infinita syncategorematicè: ergo infinita categorematicè. Consequentia constat ab adæquata partium enumeratione. Antecedens quoad primam partem per se patet: alioqui nou cognosceret Deus infinita, sed finita, contra ea, quæ suprà demonstrata sunt. Quoad secundam verò partem probatur. Quoniam quæ obiectiuè sunt in mente diuina, nullam habent admistam potentialitatem sed omnia in esse intelligibili sunt actu posita & expressa: ergo non possunt esse infinita syncategorematicè, cuius essentia est, vt nunquam sint actu simul omnia posita; sed semper supersint alia & alia sine termino ponenda, quæ autem obiectiuè in mente diuina sunt, omnia simul sunt actu cognita ac vitaliter expressa, nec supersunt alia & alia regnoscenda atque exprimenda.

341. Confirmatur 2. Si omnia ea, quæ actu simul obiectiuè existunt in mente diuina secundum esse intentionale, existerent actu simul subiectiuè secundum esse naturale, essent infinita categorematicè: ergo etiam vt obiectiuè existunt in mente diuina secundum esse intentionale, sunt infinita categorematicè. Antecedens concedunt Aduersarij. Consequentia probatur: nam ideo si omnia actu simul existerent in se secundùm esse naturale, essent infinita categorematè, & non sincategorematicè, quia secundùm esse naturale essent actu omnia simul absque termino. Atqui in mente diuina secundùm esse intentionale sunt omnia actu simul absque termino: ergo etiam in mente diuina secundùm esse intentionale sunt infinita categorematicè, & non syncategorematicè.

342. Confirmatur 3. Conuellendo potissimum fundamẽtum aduersariorum: nam ideo ipsi dicunt, quæ Deus cognoscit, esse infinita syncategorematicè, quia non potest Deus aliter res cognoscere, quàm res ipsæ possibiles sunt: non sunt autem res possibiles, nisi infinitæ syncategorematicè: nequeunt igitur à Deo cognosci infinitæ categorematicè, alioqui diuina cognitio destrueret suum obiectum, aliter illud repræsentando, atque est in se. Conuellitur autem hoc fundamentum per distinctionem Minoris propositionis: Non sunt res possibiles nisi infinitę syncategorematicè quoad realem existentiam & in se ipsis, & verum est: non sunt possibiles nisi infinitæ syncategorematicè quoad existentiam intentionalem & obiectiuam in mente diuina, & falsum est. Et ne videamur petere principiũ, huius rei rationem assignamus: quoniam aliter res sunt in mente diuina, ac esse possunt in se ipsis: nec propterea diuina cognitio aliter eas repræsentat, atque ipsæ repræsentabiles sunt: possunt igitur in mente diuina esse infinitæ syncategorematicè, esto in se ipsis categorematicè infinitæ esse non possint. Maior constat: quoniam in diuina mente res sunt omnes simul actu, & nullo modo in potentia secundùm esse intentionale & obiectiuum, cùm secundùm esse intentionale & obiectiuum omnes sint expressæ & repræsentatæ, nullaque remaneat exprimenda & repræsentanda: Igitur in mente diuina possunt esse infinitæ categorematicè, esto in se ipsis secundùm existentiam realem infinitæ categorematicè esse nequeant. Consequentia probatur: quoniam secundùm hãc intentionalem obiectiuam existentiam nullam retinent potentialitatem ad vlteriorem intentionalem existentiam obiectiuam, cùm secundum hanc sint omnes actu simul præsentes diuinę menti: igitur secundùm hanc intentionalem obiectiuam existentiam non possunt esse infinitæ syncategorematicè, cùm hæc infinitas essentialiter includat potentialitatem ad vlteriorem terminum nondum actu positum, sed ponendum.

343. Confirmatur. Etenim non solùm in hoc statu obiectiuo & intentionali, sed in quocunque alio res depurentur à potentialitate ad vlteriorem terminum, erunt infinitæ categorematicè. Sic omnes cogitationes æternùm futuræ in ratione futuri sunt infinitæ categorematicè: quoniam in ratione futuri nullam dicunt potentialitatem ad vlteriorem terminum futurum, cùm in ratione futuri accipiantur omnes simul collectiuè, nulla excluſa, esto in ratione actualis existentiæ nequeant esse nisi infinitę syncategorematicè, quoniam vt in

esse

esse futuri sint omnes simul, exclusa omni potentialitate ad vlteriorem terminum futurum necesse non est, vt omnes simul aliquando exiterint vel extiturae sint, sed sufficit vt nulla sit, quae non sit extitura. Sic omnes partes continui consideratae in esse diuisibili, non autem in esse actualis diuisionis, sunt categorematicè infinitę; quia in esse diuisibili sumuntur collectiuè omnes absque termino ad vlteriorem diuisibilitatem. Sic creaturae possibiles in ratione possibilis sunt infinitae categorematicè, quia secundùm esse possibile accipiuntur omnes collectiuè, exclusa omni potentialitate ad vlteriorem creaturam possibilem: alioqui si vltra totam collectionem omnium creaturarum possibilium adhuc remanerent aliae vlteriùs possibiles, nō fuisset sumpta tota collectio creaturarum possibilium contra suppositum. Ergo potiori ratione omnes creaturę in mente diuina expressae & comprehensae sunt actu infinitę categorematicè, cùm in eo statu nullam dicant potentialitatem ad vlteriorem existentiam intentionalem obiectiuam.

344. Quòd autem ex hoc, quòd quae in se secundùm existentiam realem sunt infinita syncategorematicè, à scientia diuina repraesententur infinita categorematicè, non sequatur, Deum aliter res cognoscere, atque in se cognoscibiles sunt, sic demonstro. Nam hoc non prouenit ex eo, quòd Deus aliter cognoscat res, quàm in se sunt, cùm illas cognoscat & in sua cognitione exprimat cum essentiali potentialitate, quam dicunt ad vlteriorem & vlteriorem existentiam realem: sed ex eo quòd omnes creaturas cum sua essentiali potentialitate quam haberet ad vlteriorem & vlteriorem existentiam realem actu simul sua cognitione comprehendat atque exprimat. Quo fit, vt quamuis in obiecto repraesentato includatur potentialitas ad vlteriorem & vlteriorem existentiam realem accipiendam: quia tamen totum obiectum cum sua potentialitate actu simul exprimitur & repraesentatur diuinae menti, in ratione repraesentati non sit infinitum syncategorematicè, cùm in ratione repraesentati actu exprimatur totum obiectum, eiusque potentialitas, quam per ordinem ad suam realem existentiam importat.

345. Quae ratio vt clariùs percipiatur; distinguendum est duplex esse creaturarum futurarum, vel possibilium. Alterum, quòd ipsae habiturae sunt in se, vel habere possunt extra Deum. Alterum, quòd habent in ipso Deo, in quo obiectiuè existunt intentionaliter expressae. Quoad hoc secundum esse sunt categorematicè infinitae: quia quoad hoc esse, sunt omnes simul actu in diuina mente expressae absque termino & potentialitate ad vlteriorem existentiam obiectiuam. Quoad primum verò esse, adhuc bifariam considerari possunt, vel vt actu simul omnes terminant diuinam cognitionem, vel vt in se ipsis extiturae sunt, aut existere possunt. Primo modo consideratae adhuc sunt infinitae categorematicè, quia actu simul omnes terminant diuinam cognitionem, nec in ratione terminandi diuinam cognitionem vllam retinent potentialitatem. Consideratae autem secundo modo sunt infinitae syncategorematicè, quia vt sic includunt potentialitatem ad vlteriorem & vlteriorem existentiam realem nunquam totam in actum redigendam. Quo fit vt nec Deus aliter cognoscat creaturas, quàm ipsae cognoscibiles sunt, cùm eas cognoscat & sibi repraesentet cum ea potentialitate, quam ipsę essentialiter important, & nihilominus illę actu omnes simul à Deo cognitae sint infinitae categorematicè: quia nimirum ipsamet potentialitas, quam creaturę per ordinem ad realem existentiam dicunt, actu tota simul exprimitur, & quasi exhauritur atque comprehenditur à diuina cognitione.

346. Haec eadem ratio illustratur exemplo. Etenim omnes partes motus dicunt essentialem successionem inter se, quarum vna existente, non existunt reliquae, cùm tamen in potentia cognoscentis sint omnes simul obiectiuè existentes, quia omnes simul actu terminant notitiam cognoscentis: nec propterea aliter cognoscuntur, atque ipsae cognoscibiles sunt: quia nimirum licet omnes actu simul terminent notitiam cognoscentis, eò quòd dum vna pars actu terminat notitiam cognoscentis, omnes actu simul terminant; non tamen illae repręsentantur cum simultanea coëxistentia in ordine ad esse, quod extra cognoscentem habent, sed cum essentiali successione vnius partis post aliam: Quamuis haec ipsa successio, quam partes ipsę dicunt in esse reali, tota simul actu exprimatur & repraesentetur notitia cognoscentis: Ad eum modum, quo in imagine actu simul & permanenter repręsentatur auis volatus. Nec propterea dicetur falsa imago vel aliter repraesentare auis volatum, quam repraesentabilis est: cùm proprium imaginis siue naturalis, vti est omnis cognitio respectu sui obiecti, siue artificialis sit, simul actu repraesentare suum imaginatum, etiamsi imaginatum ipsum sit successiuum & potentiale, cùm ipsa successio & potentialitas actu simul & permanenter debeat per imaginem, & in imagine repraesentari.

347. Ex dictis infertur, scientiam diuinam de creaturis possibilibus, futurisque cogitationibus, atque continui diuisionibus, non modò esse categorematicè infinitam subiectiuè, secundùm esse, quod habet in Deo, quatenus cognitio diuina est; sed etiam obiectiuè, secundum terminos & obiecta, quae intentionaliter exprimit, quatenus species expressa & verbum creaturarum est. Ratio, quia non solùm est actu tota simul absque termino perfectionis intensiuae, sed etiam est actu

tota

tota simul absque termino perfectionis extensiuæ, cùm actu simul repræsentet infinita obiecta absque termino, contra nonnullos, qui argumento pressi recurrunt ad infinitatẽ subiectiuam scientiæ diuinæ, concedentes eam esse infinitam categorematicè subiectiuè, negantes verò eam esse infinitã categorematicè obiectiuè; eò quòd, inquiunt, obiectũ non est nisi syncategorematicè infinitum. Verùm hi non distinguunt obiectum secundùm se, & in ordine ad realem existẽtiam, & prout exprimitur ac repręsentatur in scientia diuina. Esto igitur obiectum secundùm se, & per ordinem ad existentiam realem sit infinitum syncategorematicè, eò quòd secundùm existentiam realem nunquam obiectorum multitudo potest esse tota actu extra suas causas, vti tota actu simul est in scientia diuina, ac propterea, vt repræsentatur in scientia diuina, est infinita categorematicè. Quin rectè contra Aduersarios retorqueri potest argumentum; qui vltrò concedunt, si multitudo creaturarum possibilium, aut futurarum cogitationum, vel diuisionum continui, quas Deus per suam scientiam exprimit, poneretur actu simul tota extra suas causas, illam fore infinitam categorematicè, quia esset actu tota simul absque termino & potentialitate ad vlteriorem terminum. Cur enim pari modo illam non concedunt infinitam categorematicè, prout actu tota simul absque termino & potentialitate ad vlteriorem existentiam obiectiuam repræsentatur in scientia diuina?

*Durandus.* 348. Ex his abundè patet ad fundamentum Durandi, eiusque asseclarum. Sicut ad illud, ad quod idem Durandus, vt argumenti vim effugiat, recurrit, scilicet Deum non cognoscere infinitam multitudinem creaturarum vt quoddam totum illud comprehendens, cùm hoc possibile non sit, sed per partes, *in quantum*, inquit, *intelligitur, quod quacunque parte accepta remanet potentia ad vlteriorem accipiendam.* Concludit igitur, quòd Deum intelligere infinitum sine termino, non sit, quòd intra se claudat quicquid est possibile illius rei, sed quia intelligit aliquid, quod potest vlteriùs & vlteriùs procedere. Contra hanc Durandi fugam est, quia nihil possibile, aut futurum remanet, quod diuina cognitione comprehensum non sit, ac proinde non tantùm Deus infinitum cognoscit per partes, secundùm quas vlteriùs & vlteriùs existere potest, sed secundùm se totum, cùm nihil, quod possibile est maneat à Deo incomprehensum: Ac proinde licet possibile non sit, vt infinitum existat totum in se in esse reali, possibile tamen est, vt existat totum secundùm esse intentionale in diuina cognitione expressum & repręsentatum. Idque breuioribus verbis expressis Augustinus 12. de Ciuitate cap. 18. supra citato. *Si quicquid*, inquit, *scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur: profectò & omnis infinitas quodam ineffabili modo Deo finita est, quia scientia eius ipsi incomprehensibilis non est.* Maluit igitur Augustinus concedere,

*Augustin.*

omne infinitum comprehensione Dei quodammodo finiri, quàm negare, quod negat Durandus, totum infinitum concludi intra cognitionem Dei.

349. *Obijcies* 1. Si Deus videret diuisiones continui infinitas categorematicè, videret cõtinuum in omnem sui partem diuisum, quod est impossibile, vt ex Philosophia cum Aristotele, & communi Philosophorum Theologorumq; consensu suppono. Sequela probatur: quia si videret infinitas categorematicè diuisiones, videret omnes continui partes diuisas, alioqui si non videret omnes continui partes diuisas, non videret omnes diuisiones possibiles, quod de scientia diuina, quę distinctissimè exprimit quicquid est possibile, nefas est suspicari.

*Aristoteles.*

350. Resp. negando sequelam, eiusq; probationem. Cæterum negandum est, Deum nõ videre omnes possibiles continui diuisiones. Nec inde propterea sequitur, videre omnes continui partes diuisas, quia cùm hoc possibile non sit, à Deo visibile non est. Sunt igitur in diuina mente omnes diuisiones cõtinui categorematicè infinitæ absque termino, in qua tamen infinita multitudine nullam videt assignabilem partem in alias nõ diuisibilẽ: proinde nullam videt continui partem in omnẽ sui partem diuisam, sed semper in alias & alias diuisibilem. Nec propterea non videt omnes possibiles continui diuisiones, sed tantùm sequitur, videre omnes absq; vltima. Quod etiã de cogitationibus æternũ futuris debent omnes concedere. Nam eas omnes actu simul cognoscit Deus scientia visionis, cũ tamen impossibile sit, vt omnes actu habituræ sint existentiam, vt de eis aliquando dici possit, quòd omnes habuerint existentiam, sicut dici potest de eisdem in mente diuina expressis, quod omnes habeant existẽtiam intentionalẽ.

351. Dices. Si non omnes habituræ sunt existentiam, ergo non omnes sunt futuræ, nã eatenus sunt futuræ, quatenus aliquando habiturę sunt existentiam. Resp. negando consequentiam: nam eo modo habituræ sunt existentiam omnes, quo futurę sunt omnes: Sunt autem futuræ omnes sine termino: ergo habituræ sunt existentiam omnes sine termino: proinde nũquã de eis verificari poterit, quòd habuerint existentiam omnes: nam hoc ipso esset dicere, quòd nõ remanerent aliæ & aliæ extituræ. Ad probationem autem consequentiæ Resp. ad hoc vt dicantur omnes futuræ, sat esse, vt nulla sit assignabilis, quæ non sit existentiam habitura. Vel melius, & in idem recidit: eatenus sunt futuræ omnes, quatenus habiturę sunt existentiam sine termino, quod est in existendo nunquam peruenirí posse ad vltimam, proinde nunquam dici posse extituras omnes.

352. *Obijcies* 2. Si Deus scientia simplicis intelligentiæ cognoscit creaturas possibiles categorematicè infinitas: ergo posset eas omnes producere: ergo posset producere omne producibile. Posterior consequentia patet, quia si potest produ-

cere

ducere omnes quas cognoscit; ergo producere potest omne producibile, cum non sit producibile, nisi quod Deus cognoscit, cũ Deus sit agens productiuus per intellectum: Igitur si potest producere quicquid cognoscit, poterit producere quicquid est producibile. Prior verò consequentia probatur: quia nulla assignari potest implicantia de infinito producto, quæ assignari non possit de infinito cognito. Porrò duplex potissima implicantia de infinito producto assignatur; Altera, quia sequeretur, infinitum productum habere terminum, quod est contra naturam infiniti categorematici, quod termino caret: Altera, quia exhauriretur tam diuina essentia in excẽplandis alijs & alijs creaturis perfectioribus & perfectioribus in infinitum, quàm diuina potentia in producendis nouis & nouis sine termino creaturis. Vtraque implicantia reperitur in infinito à Deo cognito. Nam & de illo dici potest, quòd terminum habeat, vltra quem non sint aliæ & alię creaturæ possibiles, & quòd per illud cognoscatur diuina virtus tam in exemplando, quàm in producendo adęquata & exhausta à tota multitudine creaturarum possibilium.

353. Hoc argumento triumphant qui putant, possibile esse infinitum categorematicũ extra Deum, imò & totum producibile: cùm non sit maior ratio de toto producibili in diuina mente expresso, atque à parte rei producto. Verùm; quoniam hęc opinio de possibilitate infiniti extra Deum mihi semper in Philosophia displicuit, vt fusè ad tertium librum Physicorum probaui, conandum nobis est, aliquam discriminis rationem afferre, cur illud in mente diuina non implicet, implicet autem re ipsa.

354. Et primò hoc constat à posteriori, quę ratio sufficere deberet, si aliam à priori non haberemus. Constat enim multa esse categorematicè infinita in mente diuina, quæ re ipsâ nequeunt nisi syncategorematicè esse infinita: patet tam de diuisionibus continui, quàm de cogitationibus æternùm futuris. Etenim tam diuisiones continui, quàm cogitationes æternùm futuræ sunt in mente diuina categorematicè infinitæ. Cum tamen nec illę, nec istæ esse possint re ipsa categorematicè infinitę. Igitur à posteriori constat, aliquam implicantiam esse in infinito categorematico extra Deum producto, quæ non est in eodem in diuina mente expresso. Maior fusè probata est suprà. Minorem euidenter ostendo. Implicat, re ipsa poni omnes diuisiones continui, omnesque cogitationes ęternùm futuras à parte rei existentes: ergo implicat tam diuisiones continui, quàm cogitationes æternùm futuras re ipsa posse esse categorematicè infinitas, cùm tamen non implicet easdem in mente diuina esse categorematicè infinitas. Antecedens demonstro: Nam si re ipsa ponerentur omnes diuisiones continui, ponerentur omnes partes continui re ipsa diuisæ, quod implicat, vt ex communi Philosophorum Theologorumque consensu suppono. Item si ponerentur omnes cogitationes æternùm futuræ à parte rei existentes, valeret aliquando dicere, vltra illas non esse alias futuras, cùm iam supponerentur extitisse omnes. Sicut quia in esse obiectiuo & intentionali cogitationes æternùm futurę existunt omnes in mente diuina, valet de illis dicere, vltra eas non esse alias assignabiles vt cognoscibiles ab intellectu diuino. Consequens autem implicat, nam hinc sequeretur, infinitum syncategorematicum, cuiusmodi sunt cogitationes æternùm futuræ, aliquando totum in actu poni, totumque pertransiri. Consequentia primi Enthymematis probatur: nam si nec omnes continui diuisiones poni possunt à parte rei, nec omnes cogitationes æternùm futuræ re ipsa existentes, sequitur, quòd tam diuisiones, quæ remanent ponendæ, quàm cogitationes, quæ remanẽt futurę, sint infinitę, quę verò sunt positæ, finitę, cùm hoc sit de quidditate infiniti syncatẽgorematici, vt semper actu habeat finita, potentia verò infinita.

355. Nec dici potest, tam quæ actu ponuntur, quàm quę potentiâ restant ponenda, esse infinita: quoniam hinc manifestè sequeretur, infinitum in actu positum claudi terminis, prima nempe cogitatione, quæ incœpit & vltima, qua terminatur infinitum cogitationum re ipsa existentium, cum Deus distinguat cogitationes re ipsa existentes à non existentibus, sed extituris: cumque distinctissimè videat primam cogitationem, quæ immediatè sequitur post omnes præcedentes re ipsa extra causas actu positas, clarissimè videt illam vt terminum omnium præcedentium cogitationum, quæ extiterunt, proinde omnes illas videt actu clausas inter duas cogitationes ordine sibi succedentes, nempe inter primam, quæ primò incepit, & vltimam, quæ immediatè sequitur post omnes præcedentes re ipsa extra causas actu positas. Neque hîc recurri potest ad cogitationem indeterminatam, quia omnes & singulæ sunt determinatæ naturæ & entitatis, omnesque sunt clausę primâ & vltimâ. Patet igitur ratione poterunt creaturæ possibiles secundum esse obiectiuũ & intentionale in mente diuina esse infinitę syncategorematicè, tametsi nequeant esse infinitę categorematicè extra Deum secundùm esse reale subiectiuum.

356. Secundò probatur hoc ipsum discrimen à priori. Quoniam in esse possibili creaturę sumi possunt omnes, nequeunt autem sumi omnes in esse existentię actualis: ergo in esse possibili possunt esse infinitæ, nequeunt autem esse infinitæ in esse existentiæ actualis. Maior patet: quoniam in esse possibili omnes creaturæ nullâ omnino excluså, comprehenduntur intra potentiam & cognitionem diuinam. Minor probatur, quoniam in esse actualis existentię non tot poni possunt, quin plures & plures absque termino: nam quacũque multitudine creaturarum, vel quauis creatura perfectissima producta, semper producibiles sunt aut plures & plures aut perfectiores & perfectiores absque termino.

Nam

Nam quacunque multitudine creaturarum, tut quauis perfectissima creatura producta, semper remanent in Deo infiniti alij modi ac perfectiones, quibus participabilis est à creaturis, cùm impossibile sit, infinitam virtutem Dei exhauriri à quauis creatura, vel multitudine creaturarum, cùm semper inter creaturas participantes & Deum participabilem mediet infinita distantia. Consequentia verò probatur: quoniam vel infinitum includit quidquid intra illud genus supponitur possibile, quod cùm totum in actu poni non possit, neque infinitum in actu poni potest: vel saltem sequitur, non posse in actu poni totum id, quod possibile simpliciter est contra eos, qui contendunt posse Deum producere totum producibile. Confirmatur: nam possunt cogitationes æternùm futuræ in esse futuritionis sumi omnes, non possunt autem sumi omnes in esse actualis existentiæ: sicut & partes continui in ratione diuisibilitatis sumi possunt omnes, non autem in ratione actualis diuisionis: ergo & creaturæ in esse possibili sumi possunt omnes, etiamsi in esse actualis existentiæ nequeant sumi omnes.

357. Sed contra hunc nostrum discursum est Aduersariorum Achilles. Nam ideo nequeunt omnes creaturæ possibiles poni in actu existentiæ, quia quacunque multitudine creaturarum actu posita, semper restant aliæ & aliæ à diuina essentia exemplabiles ac participabiles. Atqui hæc eadem implicantia reperitur in creaturis in statu possibilitatis. Nam etiam omnes creaturæ in statu possibilitatis infinitè distant à Deo, inter quem & creaturas omnes possibiles mediat infinita perfectio, secundùm quam Deus semper est magis & magis participabilis. Ergo neutrobiq; sumi possunt omnes, vel certè si sumi possunt omnes in statu possibilitatis, sumi etiam poterunt omnes in statu actualis existentiæ.

358. Huius argumentationis neganda est Minor. Ad cuius probationem distinguendum est Antecedens. Omnes creaturæ in statu possibilitatis infinitè distant à Deo vel per aliquam certam & determinatam creaturam omnium perfectissimam, vel per aliquam determinatam multitudinem creaturarum, & nego: infinitè distant à Deo per species perfectiores & perfectiores in infinitum absque aliqua vltima ac suprema, perque numerosiorem & numerosiorem multitudinem creaturarum absque termino, & concedo. Quo fit, vt Deus nec in tota multitudine creaturum possibilium videat vnam omnium perfectissimam, nec vnam tantùm multitudinem, absque alia & alia fine termino: cùm nec illa, nec ista sit in multitudine possibilium. Quemadmodum in tota multitudine partium continui nec videt vnam omnium minimam, nec aliquam multitudinem ita numerosam, vt non videat aliam & aliam numerosiorem; cùm nec illa, nec ista possibilis sit. At eo ipso, quòd omnes creaturæ ponerentur in actu existentiæ, determinarentur vel ad vnam omnium perfectissimam, vel ad tantam multitudinem, qua numerosior dari non posset: proinde adæquaretur infinita virtus ac perfectio exemplabilis ac participabilis Dei, quemadmodum hoc ipso, quòd omnes partes continui ponerentur in actu diuisionis, determinarentur & ad vnam omnium minimam, & ad certam multitudinem, qua numerosior dari non posset: proinde adæquaretur infinita diuisibilitas continui: quod implicat cùm infinita diuisibilitas continui sit inexhauribilis. At non minùs est inexhauribilis infinita perfectio Dei.

359. Sed adhuc vrget Aduersarius. Etiam inter Deum & totam multitudinem creaturarum possibilium mediat infinita perfectio, quæ adhuc participabilis est à creaturis: ergo neque creaturæ in statu possibilitatis sunt tot, quin plures esse possint. Resp. creaturas in statu possibilitatis non videri à Deo cum tota sua potentialitate expleta, quam dicunt ad realem existentiam, sed semper eas videri cum potentialitate ad illam, cùm talis potentialitas sit illis essentialis: ac proinde creaturas nunquam videri cum determinata distantia ex parte ipsarum à Deo, cùm hæc possibilis non sit, eo ipso quòd possibilis non est vltima creatura omnium perfectissima, vel multitudo omnium numerosissima. In statu verò actualis existentiæ, cùm tota potentialitas ad existendum tollatur per ipsam actualem existentiam, non possunt ampliùs videri cum potentialitate ad vlteriorem perfectionem diuinam participandam, ac proinde cum indeterminata distantia ex parte ipsarum à Deo; sed cum expleta actualitate, ac proinde cum determinata distantia ex parte ipsarum à Deo.

160. Illustratur exemplo continui, cuius quæcunq; partes videntur in statu possibilis diuisionis, videntur cum essentiali potentialitate ad vlteriores & vlteriores diuisiones possibiles, & nunquam cum tota potentialitate expleta ad omnes partes diuisibiles: in statu verò actualis diuisionis quæcunque partes videntur, videntur cum potentialitate expleta ad diuisionem.

361. Neque hinc sequitur, quòd creaturæ secundùm esse intentionale & obiectiuum in mente diuina non sint actu omnes, atque adeo infinitæ categorematicè, vt suprà probatum est: quia licet per ordinem ad existentiam realem nunquam videantur actu omnes, eò quòd impossibile sit, vt per ordinem ad existentiam realem sint actu existentes omnes: sicut impossibile est, vt vel partes continui sint diuisæ omnes, vel cogitationes æternùm futuræ sint actu existentes omnes: sunt tamen in mente diuina omnes, quia nulla est, quæ actu non terminet cognitionem diuinam, totaque illa potentialitas, quam creaturæ

dicunt ad propriam existentiam realem, actu exprimitur & repræsentatur in scientia diuina.

362. At obijciunt alij contendentes possibilem esse creaturam omnium perfectissimam, nec non creaturam omnium imperfectissimam, qua nec illa perfectior, nec ista imperfectior dari possit, hoc pacto. Non omnes creaturæ, quæ sunt in tota collectione possibilium excenduntur à creaturis: ergo necesse est, vt sit aliqua, quæ non excedatur: hæc ergo erit omnium perfectissima. Vtraque consequentia supponitur euidens. Antecedens probant: quoniam implicat, vt omnes creaturæ excedantur à creaturis, daretur enim in ea collectione mutuus excessus secundùm perfectionem, qui repugnat.

363. Confirmant primò. Implicat omnes creaturas produci à creaturis, nisi detur mutua productio: ergo implicat, vt omnes creaturæ excedantur à creaturis, nisi detur mutuus excessus inter eas. Ergo sicut ne detur mutua productio inter creaturas, necessariò deueniendum est ad vnum primum Ens omnium perfectissimum, à quo improducto producantur omnes: ita ne detur mutuus excessus inter creaturas, necessariò deueniendum est ad vnam, quæ ita reliquas excedat, vt ipsa à nulla excedatur. Vtraque consequentia probatur, nam euidentiùs repugnat mutuus excessus secundùm perfectionem, quàm mutua causalitas, cùm mutuus excessus euidentiùs inferat contradictoria: nam excedens dicit habere maiorem perfectionem excesso; & excessum minorem excedente: ergo si idem excederet & excederetur, idem haberet maiorem perfectionem, qua excelleret, & non haberet maiorem perfectionem, qua excederetur.

364. Confirmant secundò. In tota collectione specierum possibilium ab homine inclusiuè non omnes species exceduntur: ergo aliqua est quæ non exceditur: ergo illa erit omnium maxima & suprema. Antecedens probatur: nam si omnes excederentur, sequeretur plures fore excessas excedentibus, & simul non plures fore excessas excedentibus, quæ sunt manifestè contradictoria. Sequelam probant: nam per te omnes species perfectiores homine exceduntur & excedunt: homo tantùm exceditur & non excedit, cùm homo tantùm in ea collectione sit omnium infimus: ergo excessæ sunt vnâ ampliùs excedentibus. Rursus sequitur, non esse plures: quia quælibet species excessa debet habere excedentem, à qua immediatè excedatur: ergo vt omnes excedantur, tot debent esse excedentes, quot excessæ, & non plures: ergo sunt tot & non sunt tot.

365. Confirmant tertiò. In tota collectione creaturarum possibilium est summa propinquitas secundùm perfectionem cum Deo, quæ in creaturis esse potest: sed hæc non reperitur in omnibus, nec in duabus aut tribus speciebus, cùm omnes species sint inæqualis perfectionis; ergo in vna. Datur ergo vna secundum perfectionem Deo summè propinqua. Maior patet: quia supra totam collectionem non est possibilis creatura Deo propinquior. Minor elucet. Consequentia probatur, quia si hæc summa propinquitas non reperitur in omnibus, neque in duabus vel tribus: ergo necessariò erit in vna.

366. Confirmant quartò. Deus cognoscit omnes creaturas perfectiores homine, quæ illum excedunt: ergo vel in tota hac serie creaturarum excedentium & excessarum cognitio diuina sistit in aliqua, supra quam non progreditur ad aliam perfectiorem cognoscendam, cùm tamen verè sit, quod de diuina cognitione dici non potest: vel certè cognoscit vnam, vltra quam non progreditur, & hæc est omnium perfectissima.

367. Confirmant quintò. Deus producere potest creaturam summè perfectam, quam potest. Producat, vel illa erit omnium perfectissima, & habetur intentum; vel non; & iam Deus poterit aliam perfectiorem producere, adeoque quam produxit, non fuit summè perfecta, quam producere poterat. Antecedens, ex quo reliqua euidenter deducuntur, supponitur tanquam propositio identica per se nota.

368. Verùm hi Authores non aduerterunt, hæc eadem argumenta, quæ tanquam validissima tela contorquent contra negantes creaturam omnium perfectissimam, nec non omnium imperfectissimam, repellenda esse etiam ab ipsis tum in infinitate partium continui, quam cum communi sententia admittere debent, tum in infinitate cogitationum æternùm futurarum. Nam sumo eandem formam argumentandi, quam ipsi adhibent ad probandam possibilem esse vnam creaturam omnium perfectissimam, & aliam omnium imperfectissimam, eamque applico ad probandum possibilem esse vnam cogitationem in tota collectione cogitationum æternùm futurarum secundùm intentionem omnium maximam, vnamque partem continui in tota collectione diuisionum possibilium omnium minimam. Suppono autem, quod Aduersarij mihi non negabunt, posse Deum cum Beatorum, vel damnatorum intellectu producere cogitationes intensiores & intensiores per totam æternitatem futuras. Quo posito sic contra ipsos retorqueo argumentum.

369. Non omnes cogitationes, quæ sunt in tota collectione æternùm futuras exceduntur secundùm perfectionem intensiuam à cogitationibus æternùm futuris: ergo necesse est, vt sit aliqua, quæ secundùm perfectionem intensiuam non excedatur: ergo datur in tota collectione cogitationum æternùm futurarum vna omnium intensissima. Antecedens constat eadem

lem forma arguendi: quoniam implicat mutuus excessus secundùm perfectionem intensiuam, non minùs quàm secundùm perfectionem specificam. Pari modo applicari possunt reliqua argumenta.

370. Eadem argumentandi forma ostendo possibilem esse minimam partem continui, qua minor non sit dabilis, in tota collectione diuisionum possibilium, hoc pacto: Non omnes partes, quæ sunt in tota collectione diuisionum possibilium in minoritate exceduntur à partibus: ergo necesse est esse aliquam, quæ in minoritate non excedatur: ergo datur in tota collectione diuisionum continui vna omnium minima, qua minor dari non potest. Antecedens constat eadem arguendi forma, quoniam implicat mutuus excessus secundum minoritatem, non minùs quàm secundùm intensionem & specificam perfectionem.

371. Non video, quid ad hoc respondere possint Aduersarij, nisi admittendo & in tota collectione cogitationum æternùm futurarum vnam quoad intensionem omnium perfectissimam, & in tota collectione partium diuisibilium vnam quoad minoritatem omnium minimam, & simul negando, hinc vllum sequi absurdum. Nam si quod esset, illud esset, infinitum claudi terminis, prima nempe & vltima cogitatione, prima & vltima parte continui. Atqui hoc nullum est, cùm hoc ipsum euidenter supponatur in Aduersariorum sententia, qui inter infimam & supremam creaturam admittunt infinitam multitudinem creaturarum terminis clausam. Non enim putant, huiusmodi clausuram repugnare infinito, cuius essentiam in eo præcisè collocant, vt ex vno termino ad alium successiuè perueniri non possit: quod rectè saluari potest, etiamsi terminis claudatur.

372. Sed contrà primò: quia videtur vel ex ipsis terminis notum, quòd infinitum, qua infinitum, debeat carere fine. Quocirca ponitur in eius definitione, quam nec ipsi Aduersarij reijcere audent. Est enim infinitum, consensu omnium, quod fine caret. Per hoc enim discriminatur à finito. Nec minùs repugnat infinito habere terminum, quàm repugnet finito, carere termino. Secundo, quia magis videtur repugnare infinito, claudi terminis, quàm successiuè pertransiri. Nam qui admittunt possibiles generationes & circulationes ab æterno, debent necessariò admittere, potuisse infinitum vt infinitum successiuè pertransiri, cùm tamen ijdem admittere non audeant, huiusmodi generationes & circulationes ab æterno incœpisse per aliquam primam. Tertiò, quia saltem tale infinitum esset numerando pertransibile à cognitione diuina. Etenim distinctè cognoscit Deus per Aduersarios vltimam cogitationem omnium intensissimam excedere immediatè sequentem, & hanc excedere aliam immediatè sibi subsequentem, & sic non quidem successiuè, sed vno ictu in instanti ab vltima omnium intensissima numerando peruenire ad primam omnium remississimam.

373. Quartò, quoniam peculiaris difficultas est, tam in cogitationibus æternùm futuris assignari vnam omnium intensissimam, quàm in diuisione partium vnam omnium minimam. Nam ex primo sequeretur, finiti ac terminari cogitationes æternùm futuras, cùm tamen non finiatur nec terminetur æternitas ipsa à parte post, in qua futuræ sunt semper plures & plures cogitationes sine fine. Ex secundo, continuum diuidi in omnem sui partem. Primum ostendo: nam post vltimam cogitationem omnium intensissimam non esset futura alia, cùm tamen nondum finita ac terminata esset æternitas, cùm hęc finiri ac terminari non possit, sed semper vlteriùs & vlteriùs sine fine ac termino protenditur, cui hoc ipso, quòd assignaretur finis ac terminus, non esset æternitas, sed tempus. Antecedens constat: nam si post vltimam futura est alia; ergo vltima non fuit vltima.

374. Confirmatur: nam Deus per Aduersarios distinctè discernit, vltimam cogitationem determinato excessu superare immediatè sibi subsequentem. Interrogo, an excessu finito, an infinito? Non infinito, alioqui cæterę subsequentes vsque ad primam essent finitæ numero contra Aduersarios: quia cùm omnes subsequentes versus primam progrediantur secundùm partes proportionales minores & minores in intensione, si immediatè sequens vltimam, haber finitos gradus intensionis, cùm etiam prima supponatur habere finitos gradus determinatos intensionis, non poterunt omnes post vltimam esse numero infinitæ, alioqui deberet prima habere minimam intensionem, qua minor dari non posset, quod implicat. Non excessu finito. Nam eadem interrogatio fiet de subsequente penultimam, deque alijs & alijs sequentibus vsque ad primam: an singulæ superiores excedant singulas inferiores excessu finito, vel infinito: si finito, omnes & singulæ includendo etiam primam, erunt infinitę intensionis, contra suppositum. Si excessu infinito, assignetur talis cogitatio, & contra illam redibit idem argumentum, quod suprà factum est, contra vltimam cogitationem.

375. At dices, omnes cogitationes, quæ inter talem assignabilem & vltimam intercedunt, esse numero infinitas. Sed contrà, tum quia hæc responsio admittit non solùm clausuram in infinito quà infinito, sed etiam additionem & diminutionem, quod non minus repugnat, quàm infinitum habere terminum. Nam hoc ipso, quòd infinito fit additio, assignatur

terminus, cui fit additio: ſicut hoc ipſo, quod additur lineæ palmus, ſupponitur terminus, cui palmaris quantitas additur & hoc ipſo quod à quantitate demitur palmus, aſsignatur terminus, qui ſoluta vnione cum priori palmo, remanet. Tum quia non omnes cogitationes æternùm futuræ proportionaliter ſeſe excederent ſecundùm intenſionem, contra ſuppoſitum. Siquidem daretur vna, quæ infinito exceſſu ſuperaret immediatè ſibi ſubſequentem, cùm tamen ipſa non excederetur à præcedente exceſſu infinito, ſed finito. Secundum demonſtro, nam ſi poſſet minima pars continui aſsignari, qua minor aſsignabilis non eſſet, hoc ipſo continuum eſſet in omnem ſui partem diuiſum, cùm nulla pars minor reſtaret, in quam diuidi poſſet. Multa alia abſurda ex Aduerſariorum ſententia deduci poſſent, quæ nobis ad ſacratiora Theologiæ myſteria explicanda properantibus deducere non vacat: quam induſtriam & ſtudioſum laborem relinquimus ſolidioris Philoſophiæ ſtudioſis.

376. Ad argumentum igitur Aduerſariorum: ſi propoſitio illa, in qua tota eorum vis conſiſtit, nempe: *Non omnes creaturæ in tota collectione poſſibilium exceduntur à creaturis*, ſumatur in ſenſu diſtributiuo, dicendum eſt, quòd non omnes exceduntur, ſed aliquæ exceduntur aliquæ excedunt: exceduntur inferiores, à ſuperioribus: excedunt ſuperiores inferiores. Si ſumatur in ſenſu collectiuo: tunc negandum eſt, quòd non omnes excedantur, quia cùm in tota collectione non detur vna ſuprema, quæ reliquas omnes excedat, dici non poteſt, quòd non omnes excedantur: alioqui aſsignabilis eſſet vna, à qua reliquæ collectiuè ſumptę excederentur. Nec mirum, cùm hoc ſit de ratione infiniti carentis vltimo termino. Vnde idem argumentum fieri poteſt de tota collectione partium continui: nam omnes partes continui in tota collectione exceduntur in minoritate à partibus: Sicut igitur ad hoc argumentum tenemur omnes reſpondere: quòd omnes quidem partes diſtributiuè ſumptæ & exceduntur, & excedunt, quoniam diſtributiuè ſumptæ habent & maiorem, à qua exceduntur, & minorem, quam excedunt: omnes tamen collectiuè acceptæ dicendæ ſunt nõ excedi: quia collectiuè acceptæ non habent vnam, à qua reliquæ omnes excedantur. Ad probationem autem Antecedentis negatur ſequela, eò quòd mutuus ille exceſſus non eſt reſpectu eorundem, quo pacto implicat, ſed reſpectu diuerſorum: eſt enim exceſſus in creatura ſuperiore reſpectu inferioris, & defectus in creatura inferiore reſpectu ſuperioris.

377. Ad primam confirmationem negatur conſequentia. Ratio diſcriminis eſt: quoniam produci & dependere à primo ente improducto conſequitur eſſentiam creaturæ vt ſic, quod tolli nequit per rationem infiniti: quia ſicut infinitum non tollit à creatura rationem creaturę, ita nec tollit, quin etiam ſub infinitate, & cum infinitate produci ac dependere debeat à primo ente improducto. Creaturam verò excedere aliam creaturam, vel excedi ab alia creatura, eſt accidens illi adueniens per comparationem ad alias creaturas, quod ſeparari poteſt, integra manente eſſentia creaturæ. Cùm igitur in infinita collectione creaturarum perfectiorum & perfectiorum nequeant omnes creaturæ comparari ad vnam omnium perfectiſſimam, quia talis creatura in ea collectione non datur, non poterit in ea collectione dari exceſſus vnius creaturæ ſupra reliquas omnes ſub ſe contentas, adhuc perſeuerante in ſingulis & omnibus eſſentiâ creaturæ; quæ tamen non maneret, ſi omnes non eſſent à primo ente productæ & dependentes. Ad probationem verò conſequentiæ, concedo mutuum exceſſum & perfectione reſpectu eiuſdem inferre contradictoria; nego autem illa inferre reſpectu diuerſorum, vt conſtat tam de partibus continui, quàm de cogitationibus intenſiotibus & intenſioribus æternùm futuris.

378. Ad ſecundam negatur antecedens. Ad cuius probationem, neganda eſt ſequela, nempe in collectione infinita creaturarum & plures eſſe creaturas exceſſas excedentibus, & non plures eſſe creaturas exceſſas excedentibus, nam ſumptæ diſtributiuè tot ſemper aſsignari poſſunt exceſſæ, quot excedentes: ſumptæ verò collectiuè plures aſsignantur exceſſæ, quàm excedentes, eò quòd in tota collectione datur prima, quæ ab omnibus exceditur, non datur autem vltima, quę reliquas omnes excedat. Sicut in cogitationibus intenſioribus & intenſioribus æternùm futuris datur prima, quæ ab omnibus exceditur, & non datur vltima, quæ reliquas omnes excedat: & in partibus proportionalibus continui palmaris datur prima pars ſemi palmaris, quæ excedit reliquas omnes, nulla tamen datur vltima, quæ excedatur ab omnibus.

379. Ad tertiam, negatur Minor. Etenim ſumma illa propinquitas cùm Deo non eſt in vna aliqua creatura, ſed in ipſa tota collectione creaturarum, ſupra quam licet non ſit poſſibilis alia perfectior, cùm in ea collectione comprehendantur omnes, quacumque tamen diſtributiuè ſumpta ſemper dabilis eſt alia & alia perfectior. Sicut licet ſupra totam collectionem diuiſionum poſſibilium non detur alia diuiſio, cùm in ea includantur omnes, qualibet tamen diſtributiuè aſsignata aſsignabilis eſt alia & alia abſque termino, & licet ſupra totam collectionem cogitationum æternùm futurarum non ſit alia futura, quauis tamen data dabilis eſt alia & alia abſque termino. Nec refert, quòd

omnes

omnes creaturæ sint inæqualis perfectionis specificæ: nam etiam partes proportionale continui, & cogitationes intensiores & intensiores æternùm futuræ sunt inæqualis quantitatis & intensionis: cùm tamen neq; in illis, neque in his assignabilis sit aliqua in tota collectione vltima.

380. Ad quartam, Resp. cognitionem diuinam nec sistere in aliqua creatura, non progrediendo in alias, quæ supra illam sunt, si verè sunt, nec in tota collectione possibilium cognoscere vnam omnium perfectissimam, sed sistere in tota collectione infinita, quam perfectimè comprehendit absque vllo termino vltimo. Sicut in tota collectione diuisionum possibilium continui non sistit in vna aliqua parte infra quam non cognoscat alias minores, quæ sunt diuisibiles infra illam; non tamen in illa sistit in aliqua omnium minima, cùm ea non detur, sed sistit in tota collectione, illam perfectissimè comprehendendo absq; vltima. Idem dicito de tota collectione cogitationum intensiorum & intensiorum æternùm futurarum.

381. Ad quintam, negatur antecedens: Implicat enim, vt Deus producat creaturam, quam potest, omnium perfectissimam; quemadmodum vt producat partem continui, quam potest, omnium minimam: eò quòd inexhauribilis est infinita diuisibilitas continui: At non minùs inexhauribilis est infinita perfectio Dei. Quæres, quantum ergo poterit Deus producere, si non potest totum, quod potest: Resp. quantum libera ipsius voluntas determinauerit, cui in producendo, ad extra subordinatur diuina potentia.

# DISPVTATIO XIII.

## An, & quid sint ideæ in mente Diuina?

Constans est Patrum, & Scholasticorum sententia, in Deo ideas esse, quod & gentiles Philosophi cognouerũt, vt constat de Platone, quẽ vt primum idearum inuentorem refert Augustin. l. 83. quæstionum, quæstione 46. quamuis ipse alijs ante Platonem, eas notas fuisse ibidem putet. Huius veritatis duplex est ratio, altera ex parte effectus producibilis; altera ex parte Dei producentis. Prior est, quia quidquid perfectionis est in effectu, id totum in causa, à qua effectus suum esse participat, præexistere debet; atqui omnis effectus, creatus non solùm participat esse naturæ, qua constat, sed etiam artis, quam imitando exprimit: igitur in Deo non solùm præsupponendum est principium effectiuum, quo esse naturæ rebus communicet; sed etiam esse artefactiuum, quo esse artis ijsdem impertiat. Maior patet; quia cùm totum esse effectus, deriuetur à causa, nihil poterit esse in effectu, quòd non præfuerit in causa. Minor apparet in hac ordinatissima mundi machina, in qua non modò elucet esse naturæ, quo vnaquæque res in suo esse constituitur; sed etiam esse artis, quâ cuncta creata diuersissimæ quamuis naturæ, mira tamen connexione & ordine inter se cohærentia, mirabilem illam diuinæ mentis architecturam imitando exprimunt. Vnde familiare est Patribus, ex huius vniuersi ordine supremam illam arguere mentem, quæ infallibili suâ sapientiâ & arte omnia disponit ac dirigit; cùm non nisi à sapiente ordo esse possit: *& sapiens*, auctore Augustin. loco præcitato, *nemo esse possit*, nisi ideis intellectis.

Plato. Augustin. Augustin.

2. Posterior ratio ex parte Dei producentis est; quia cùm Deus in producendo sit infinitus, nec certa limitetur virtute ad determinatos effectus producendos, sed producere possit plures, & plures, perfectiores & perfectiores, in infinitum, vt certos quosdam determinatè producat, oportet, vt liberâ suâ voluntate illos determinet, applicando infinitam suam potentiam ad hos potiùs, quàm ad alios producendos: nequit autem voluntas potentiam ad determinatos effectus liberè applicare, nisi illos præcognoscat, cùm non possit in incognitum ferri: igitur præsupponenda est in Deo notitia effectuum producendorum: atqui hæc notitia in Deo habet rationem ideæ. Dantur igitur ideæ in Deo. Hoc ergo vt certo posito, grauis controuersia inter Scholasticos est, quid formaliter importet idea in Deo.

3. Prima sententia docet, ideas in Deo esse ipsasmet creaturas, secundùm esse creatum in Diuina mente obiectiuè existentes, secundùm illud idem esse, quòd habituræ sunt in se ipsis in propria natura existentes. Est Ochami in 1. distinct. 35. quæst.

Gabriel. Durand.

quæst. 5. Gabrielis quæst. 5. artic. 2. conclusione 4. Durandi distinct. 36. quæst. 3. Fundamentum est. Quoniam idea est id, ad instar cuius artifex suum opus ad extra producit, sed Deus suum opus ad extra non producit & ad instar suæ essentiæ, vel alicuius rationis aut perfectionis increatæ; sed ad instar ipsiusmet creaturæ, quæ producenda est. Eadem quippe creatura in esse producto, imitatur se ipsam in esse præconcepto. Maior est ipsa definitio ideæ ab omnibus recepta. Minor probatur primò à paritate artificis creati, qui externum opus effingit, ad instar operis mente præconcepti: idem enim opus mente præconceptum, dirigit artificem creatum ad formandum opus in externa materia; sanitas

Aristotel.

enim *in materia*, inquit Aristoteles 7. Metaph. *fit à sanitate, quæ est in anima.* Vnde per accidens est, quòd aliquando artifex creatus vtatur distincto exemplari ad suum opus externum formandum, quippe qui habere posset practicam notitiam eiusdem operis faciendi à Deo infusam, quæ haberet veram & propriam rationem ideæ. Igitur ad rationem ideæ non requiritur, vt forma præconcepta imitabilis distinguatur à forma producibili imitatiua, cùm possit idem in esse producto imitari se ipsum in esse præconcepto. Igitur potest in artifice increato sola creatura præconcepta, & in mente diuina obiectiuè existens, habere rationem ideę, respectu creaturæ producendæ.

4. Secundò probatur hæc sententia à priori, hoc pacto. Ratio ideę formaliter consistit in passiua imitabilitate; est enim forma præconcepta, quam imitatur opus ad extra productum: at nec diuina essentia, nec vlla ratio increata habere potest passiuam imitabilitatem respectu creaturæ; ergo idea in Deo non est, aut sua ipsius essentia, aut vlla alia ratio increata, sed sola creatura in diuina mente obiectiuè existens. Minor probatur, quia quæ sunt dissimilia, non possunt habere rationem imitabilis & imitatiui; imitatio enim fit ad expressionem alterius rei consimilis: diuina autem essentia, aut quæuis alia perfectio increata magis dissimilis est, quàm similis creaturæ; igitur non poterit habere rationem ideæ. Minor patet; quia omnis perfectio Diuina, quam creatura imitari dicitur, est longè diuersæ rationis in Deo, quàm in creatura. Nec sat est similitudo analoga, qualis tantùm est inter perfectiones creatas & increatas; alioqui non esset in Deo perfecta ratio ideæ; nam hæc consistit, vt sit ab ideatis perfectè imitabilis: sicut enim ratio ideæ consistit in imitabilitate: ita perfecta idea, qualis est increata, consistit in perfecta imitabilitate. Nequit autem esse perfectè imitabilis ratio illa quam nequeunt effectus imitari secundùm propriam & specificam rationem, sed tantùm secundùm communem & genericam.

5. Confirmatur; nam illud est idea in Deo, quo solo præconcepto, & omni alio præscripto, Deus est imitabilis à creaturis; sed præconceptis solis creaturis, & omni alio obiecto præscripto, Deus est imitabilis à creaturis: contrà verò quolibet alio obiecto præconcepto, & solis creaturis præscriptis obiectiuè existentibus in mente Diuina, Deus non est imitabilis à creaturis: igitur solæ creaturæ præconceptæ, & in diuina mente obiectiuè existentes habent rationem ideæ in Deo.

6. Secunda sententia affirmat, solam essentiam diuinam habere rationem ideæ: est Henrici quodlibet 9. q. 2. Alensis 1. p. quæst. 23. membro 4. art. 1. S. Thom. 1. p. q. 15. art. 2. & de veritate. q. 3. art. 2. Bonauenturæ in 1. dist. 35. q. 1 & 2. Rubionis q. 2. artic. 1. Richardi, dist. 36. art. 2. quæst. 1. & 2. Aureoli dist. 36. p. 2. artic. 1. Heruæi art. 2. & 3. Capreoli art. 1. conclusione 3 & *& ad argumenta contra secundam & tertiam conclusionem*, Argentinæ, art 1. Gerardi art. 1. & Ægidij apud ipsum, & Palatij disput. 1. conclusione. 4. Marsilij in prologo quæst. 1. art. 1. Ferrariensis 1. contra gentes cap. 54. Caietani 1. p. loco præcitato, Bannez ibidem art. 1. conclusione 3. Molin. disp. 2. concl. prima, Vasquez disp. 71. & 72. Suarez lib. 3. de attributis diuinis, c. 5. & aliorum communis. Præcipuum fundamentum est auctoritas Patrum, præsertim Augustini, libr. 83. quæstionum, q. 46. Vbi docet, visione idearum animam beari: quòd non nisi de essentia Diuina, quæ sola beare potest, dici poterit. Prætetea ibidē ait, quicquid fit, participatione harum idearum fieri: nihil autem fit participatione sui: igitur nequeunt ideæ Diuinæ esse ipsæ creaturæ, Diuina mente præconceptæ; alioqui idem fieret participatione sui ipsius. Et tractatu 1. in Ioannem affirmat, ideas viuere vita ipsius Dei, quod de creaturis secundùm esse creatum intelligi nequit.

*Henricus, Alensis, S. Thomas, Bonauent. Rubio. Richardus Aureolus Heruæus. Capreolus. Argentin. Gerardus Ægidius. Palatius, Marsilius Ferrariens. Caietanus. Bannez. Molina Vasquez. Suarez. Syluius 1. p. q. 15. ar. 1. Augustin.*

7. Ratio verò fundamentalis est. Quoniam idea, vt ex præcitato loco Augustini colligitur, consistit in passiua imitabilitate & participatione sui: nulla autem res fieri dicitur ad imitationem & participationem sui ipsius; nequit enim idem participare, & imitari se ipsum, cùm participatio & imitatio essentialem respectum dicat ad alterum, quem imitari & participare dicitur. Igitur ideę Diuinæ non possunt esse ipsæ creaturæ producibiles, vt in diuina mente obiectiuè existentes.

8. Est autem controuersia inter hos auctores, sub qua ratione essētia diuina sit idea creaturarum. Quinque autem modis potest essentia Diuina considerari; Primò, vt constitutiua Deitatis. Secundò, vt causa effectrix creaturarum. Tertiò, vt species intellibilis earundem. Quartò, vt primariū obiectum Diuinæ cognitionis. Quintò, vt cognitio est & species expressa creaturarum. Omnes conueniunt, essentiam Diuinam nō

esse

esse ideam vt est causa effectiua creaturarũ, quia causalitas idealis non est effectiua, sed directiua & imitabilis exemplariter: atque adeò idea non est ratio, quâ opus efficitur, sed qua dirigitur & exemplariter effigiatur. difficultas supereſt de reliquis quatuor.

9. Aureolus putat, essentiam diuinam absolutè sumptam, sub ratione Deitatis, esse ideam. Fundamentum est: Quia idea est perfectio illa, quam creatura imitatur in Deo; hæc autem præcedit in ipsa essentia Dei, antequã cognoscatur ab ipso Deo; ideo enim à Deo cognoscitur vt imitabilis, quia talem imitabilitatem in se ipsa continet.

10. Alij fortasse ideæ rationem collocabunt in ipsa essentia Dei, vt est species intelligibilis creaturarum: & ratio esse potest, quia idea importat similitudinem cum re ideanda, Deus autem non habet similitudinem cum creaturis ideandis, qua essentia est, sed qua species intelligibilis est, quia vt sic est intentionalis similitudo earum.

*Thomistæ.*

11. Thomistæ censent, ideam consistere in essentia Dei, vt obiectiuè existens est in Deo, ita vt, si per impossibile diuina essentia existeret tantùm obiectiuè in Deo, haberet veram rationem ideæ. Ratio huius est; quoniam idea est forma imitabilis exẽplariter; de ratione autem exemplaris est, ipsum esse obiectiuum. Vnde licet essentia Diuina, antequam cognoscatur, sit fundamentaliter imitabilis, non est tamen exemplariter imitabilis, donec fiat obiectiuè in intellectu Diuino.

*Bonauent. Rubio, Marsilius. Argentin. Suarez. Vasquez.*

12. Bonau. verò, Rubio, Marsil. Argent. Suarez & Vasq. opinantur, Diuinam essentiam habere rationẽ ideæ, quatenus est species expressa creaturarum.

13. Pro huius controuersiæ explicatione, notandum est discrimen, quod nemo hactenus ex auctoribus, quos ego legi; aduertit, inter exemplar & ideam: quod exemplar est primum directiuum, in aliud non reducibile: idea verò est immediatum & proximum directiuũ, in aliud reducibile; vt figura Cęsaris, quam pictor intra se format de ipsius imagine in tabella delineanda, est idea; Cæsar verò ipse, de quo imaginem intra se artifex format, est exemplar; hoc enim respectu pictoris est primum directiuum ad opus externum effigiandum: figura verò intra se formata est directiuum proximum, à quo immediatè dirigitur ad externum opus effigiãdum. Ex quo vlteriùs sequitur secundum discrimẽ, quod opus productum immediatè & proximè non assimiletur exẽplari, sed ideæ: nam hęc est, à qua proximè & immediatè dirigitur artifex: artifex enim non dirigitur proximè ab externo exemplari, sed à forma intra se præconcepta. Tertium discrimen est, quòd exemplar potest esse vnum, ideæ verò multæ; ex vno enim eodemque exemplari formari possunt multæ ideæ. Quartum discrimen est, quòd de ratione exemplaris nõ est, vt vniuocè conueniat cum ideato; est autem hoc de ratione ideæ, quoniam idea debet proximè determinare artificem ad consimile opus producendum, ac proinde debet opus ipsum vniuocè continere, quia non potest intellectum artificis ad tale opus in specie determinare, nisi per id, quod intentionaliter continet & intellectui obiectiuè proponit, cùm non sit intellectus aptus determinari, ad externum opus dirigendum, nisi per obiectum actu cognitum, & repræsentatum. Exemplar verò, quia non debet proximè ad opus producendum intellectum determinare, sed tantùm remotè, non est necesse, vt cum opere producendo vniuocè conueniat. His positis, me iudice, vt certis, facilis est præsentis controuersiæ decisio. Pro qua,

14. Dico primò. Essentia diuina, antequam actu cognoscatur à Deo, est tantùm remotum exemplar creaturarum: sicut Cæsar, antequam actu cognoscatur ab artifice, est remotum exemplar externæ imaginis, ab artifice formandæ. Fundamentum est. Quia, vt aliquid sit remotum exemplar, sufficit, vt aliquam in se præhabeat cum exemplando similitudinem, secundùm quam ab illo exemplari, imitarique possit: sed diuina essentia, antequam actu cognoscatur à Deo, præhabet in se aliquam saltem analogam similitudinem cum creaturis, quia illas continet eminenter, secundùm aliquas perfectiones ab ipsis participabiles: non enim ideo essentia Dei continet creaturas, quia cognoscitur à Deo; sed ideo à Deo cognoscitur, vt continens creaturas, quia illas eminenter præhabet in se.

15. Dico secundò. Essentia diuina vt actu cognita à Deo, est proximum exemplar, non autem idea creaturarum. Prima pars assertionis constat, quia per cognitionẽ proximè completur in ratione exemplaris, nam per eam fit formaliter directiua operis faciendi. Nec censenda est sola conditio, sed ratio formalis integrans causam exemplarem; eò quòd non tantùm obiectum, sed cognitio ipsa est directiua operis, quatenus dictat de opere sic & sic effigiando, vt producatur ad instar exemplaris præconcepti.

16. Secunda pars probatur; quoniam vt ex dictis constat, idea requirit vniuocam conuenientiam in repræsentando cum ideato; diuina autem essentia, neque vt cognita, habet vniuocam cõuenientiam in repræsentando cum creaturis; igitur nequit habere rationem ideę. Minor probatur. Quia cognitio non variat esse obiecti, quod repræsentat, sed illud tale repræsentat intellectui, quale supponitur in se, ergo si essentia diuina non continet creaturas in se, secundùm proprium esse creatum, neque vt cognita poterit eas repræsentare. Nec refert, quòd eas contineat eminenter, quoniam eminens esse creaturarum, non est esse creaturæ, sed Dei: obiectum autem cognitum, non manifestat intellectui, nisi quod in se continet formaliter. Igitur diuina essentia, neque vt cognita, repræsentat formaliter creaturas; atque

adeo non poterit habere vniuocam conuenientiam cum illis in repræsentando.

17. Dico tertiò. Essentia diuina non est idea creaturarum, quatenus est intelligibilis species earum, sed quatenus est species expressa, & actualis similitudo earundem. Prior pars assertionis probatur; quia, vt ex philosophia suppono, species intelligibilis non est medium cognitum, in quo formaliter videatur obiectum, sed tantùm medium incognitum, & principium, quo effectiuè duntaxat determinatur potentia ad speciem expressam producendam, in qua solùm tanquam in propria & naturali imagine cernitur obiectum. Igitur nequit Diuina essentia, vt species intelligibilis creaturarum, esse formalis idea earum.

18. Posteriorem partem assertionis sic ostendo: quoniam, vt ex suprà disputatis constat, diuina essentia vt species expressa creaturarum, est vitalis imago, & expressa atque intentionalis similitudo earum; ergo habet cum illis in repræsentando vniuocam conuenientiam, atque adeò formalem rationem ideæ. Antecedēs probatur; quia Diuina essentia, vt species expressa creaturarum, est perfectum verbum earum; procedit enim nostro modo intelligendi ab eadem diuina essentia, vt ab adæquata specie intelligibili creaturarum, & à Diuino intellectu, vt à perfecta potentia intellectiua, atque adeò vt perfectum, & adęquatum verbum earum, in verbo autem perfectè relucet obiectum, secundùm proprium & formale esse ipsius, cùm totum esse obiecti intentionaliter contineatur in verbo.

*Augustin.* 19. Hanc sententiam expressit Augustinus sermone 38. de verbis Domini. Vbi verbum Dei, appellat formam omnium rerum; *formam*, inquit, *non formatam, sed omnium formatorum.* Et tractatu 1. in Ioannem docet, in sapientia & arte Diuina esse ideas, & rationes omnium creandorum, in qua sunt, antequam fiant, in eaque viuere vita ipsius Dei. Dixit autem in sapientia & arte esse ideas, non ipsam artem & sapientiam ideas esse: quia ars & sapientia est, qua artifex intelligit, non autem quod intelligit; idea autem est, quod artifex intelligit; est enim id, ad quod aspiciens opus ad extra producit. Licet in Deo idea ab arte & sapientia non distinguatur: est enim ars & sapientia, vt se tenet ex parte Dei intelligentis; idea verò, vt se tenet ex parte obiecti expressi & intellecti. Vnde in Deo plures dicuntur esse ideæ, vna tantùm ars & sapientia: quia ars & sapientia, non intelligitur multiplicari, nisi ad multiplicationem intrinsecam sapientię; idea verò multiplicatur etiam ad rationem extrinsecam obiectorum.

20. Vt autem totam hanc rem breui, ac distincto discursu concludam, distinguenda sunt hæc signa in Deo. Primum, in quo eius essentia præcedit actum Diuinæ cognitionis: in quo signo Diuina essentia est tantùm remotum exemplar creaturarum, quatenus in ea eminenter continentur perfectiones omnium rerum; continentur autem non solùm in esse causę eminentialis naturalis, sed etiā in esse speciei intelligibilis intentionalis, vterque enim modus continentiæ spectat ad perfectionem primi entis.

21. Secundum signum est, in quo eadem essentia actu cognoscitur à Deo. In quo signo essentia diuina completur in ratione exemplaris; nam in hoc signo cognoscitur sub varijs modis exemplabilis & imitabilis à creaturis; à rebus inanimis secundùm esse; à plantis secundùm viuere; ab animantibus secundùm cognoscere; ab intelligentia præditis secundùm intelligere & velle: & secundùm has eadem perfectiones cognoscitur infinitè participabilis; nam non ita de facto participatur à supremo Angelo, quin participari possit ab alio, & alio perfectiore in infinitum. In hoc autem signo nondum cognoscuntur creaturæ secundùm esse proprium & participatum, sed solùm secundùm esse eminentiale, & imparticipatum, quod creaturæ supponunt in Deo; eò quòd nondum intelligitur diuina cognitio, vt determinata ab essentia Dei vt specie creaturarum; priùs enim concipitur, vt determinata ab essentia, vt est species sui, tanquam obiecti primarij, quàm vt est species creaturarum, tanquam obiecti secundarij. Ex alia verò parte ratio illa, quæ sufficit ad determinandam diuinam cognitionem ad repræsentandam seipsam, vt obiectum primarium, non sufficit, ad repręsentandas creaturas, vt obiectum secundarium; quia cùm hæ non contineantur formaliter in obiecto primario, supponere debent propriam determinationem, ratione distinctam à determinatione obiecti primarij; atque adeò non potest in hoc signo talis cognitio habere rationem ideæ.

22. Tertium signum est, in quo eadem cognitio diuina determinata ab essentia, vt specie intelligibili creaturarum, concipitur, easdem creaturas in se ipsa exprimere intentionaliter, & obiectiuè, secundùm proprium esse vnius cuiusque: atque adeo in hoc signo diuina cognitio, non quâ cognitio est formaliter, sed quâ verbum & species expressa creaturarum, est idea rerum omniū: quia in hoc signo creaturæ concipiuntur expressæ, & distinctè repręsentatæ, secundùm propriū & formale esse earum in ipsa cognitione Diuina, tanquā in specie expressa & verbo ipsarum. Et consequenter in hoc tertio signo Diuina cognitio habet rationem ideæ, quę vniuocam requirit similitudinem in repręsentādo cum ideato; cùm in secundo signo creaturæ non cognoscantur, nisi secundùm esse eminentiale & imparticipatum causæ.

23. Quartum signum est, in quo Deus proximè determinatus à proprio esse creaturarum, obiectiuè & intentionaliter expresso in suamet cognitione, remotè verò ab essentia, tanquam à primo exemplari, illas ad extra producit. Totus hic Discursus pendet ex

discrimine

discrimine inter ideam & exemplar. Primò quòd idea requirat vniuocam conuenientiam in repręsentando cum ideato, exemplar autem solam analogicam. Secundò, quòd idea reducibilis est ad exemplar, tanquam causa proxima ad remotam & supremam in suo genere: exemplar verò non est reducibile ad aliud in genere exemplaris, cùm sit primum & supremum in eo genere. Atqui Diuina cognitio, vt distinctè exprimens creaturas, habet vniuocam conuenientiam in repræsentando cum creaturis, quam non habet essentia Diuina, cognita vt imitabilis à creaturis. Præterea Diuina cognitio, vt distinctè exprimens creaturas, reducibilis est ad diuinam essentiam, tanquam ad primam causam in genere exemplaris: siquidem, vt diuina cognitio exprimat distinctè creaturas, pendet quodammodo à diuina essentia, vt continente illas exemplariter; nisi enim diuina essentia exemplariter contineret creaturas, non posset cognitio diuina creaturas distinctè in se ipsa exprimere. Tandem diuina essentia, vt exemplar creaturarum non est in aliud exemplar reducibilis; est enim in genere exemplaris prima, à qua omnes creaturæ sunt exemplabiles, & primo participant rationem entis posśibilis; sublato enim primo exemplari, nulla creatura haberet positiuam rationem entis posśibilis. Participant autem illam per solam denominationem extrinsecam ipsius increati exemplaris, à quo exemplari & participari possunt; cùm in se ipsis nihil sint, nisi non repugnantia ad existendum, quæ est pura negatio entis positiui, cum negatione repugnantiæ ad essendum: quæ solùm importat terminorum combinabilitatem, per quam differunt entia posśibilia ab entibus impossibilibus seu prohibitis, quæ non solùm dicunt negationem entis positiui in se, sed etiam negationem terminorum combinabilium.

24. Dices. In eo signo in quo cognoscitur essentia diuina, vt imitabilis à creaturis, necessariò cognoscuntur creaturæ secundùm proprium esse creatum, vt imitatiuæ sunt Dei: ergo in ipsa essentia, cognita vt imitabili, cognoscuntur creaturæ secundùm proprium esse ipsarum. Respondeo, in eo signo esse tantùm cognoscibiles creaturas secundùm proprium esse ipsarum abstractiuè, nõ intuitiuè; cognoscuntur autem intuitiuè & in se ipsis in secundo signo, in quo intelligitur diuina cognitio, vt determinata ab essentia, vt specie creaturarum.

## *Corollaria Doctrinæ.*

25. Ex dictis deducitur primò, non solum rationem exemplarem, sed etiam idealem in Deo esse increatam, quia non solùm essentia diuina, vt imitabilis à creaturis, sed ipsa etiam cognitio Dei, vt exprimens distinctè creaturas, seu ipsæmet creaturæ, vt in diuina cognitione expressæ, tanquam in proprio verbo, & perfectissima imagine earum, est ratio increata: atque adeò rectè quadrant diuinis ideis, quę de ijs Augustinus prædicat l. 83. quæstionum, q. 46. nempe, quòd *sint formæ quædam principales, seu rationes rerum stabiles atque incommutabiles, quæ ipsæ formatæ nõ sunt, ac per hoc æternæ, & sẽper eodem modo sese habentes, quæ in diuina intelligentia continentur: & cùm ipsæ neque oriantur neque intereant, secundùm eas tamen formari dicitur omne, quod oriri, & interire potest; & quarum participatione fit, vt sit quidquid est quo quomodo est: quarum visione anima beatissima fit*; eæque viuunt vita ipsius Dei. Vnde cum fit creatura in se ipsa, rectè dicitur fieri ad instar ideæ, quam Deus habet de illa, tanquam de re distincta; quia creatura in se ipsa, & in sua idea differt, tanquam ens creatum & increatum. *Augustin.*

26. Deducitur secundò, Deum non modò habere ideas futurorum, sed etiam posśibilium, quia de ratione ideæ non est actu, sed aptitudine tantùm dirigere intellectum artificis ad opus formandum. Vnde etiamsi domificator nunquam externam domum construat, semper tamẽ dicitur de illa propriam habere ideam, per quam aptus est externam domum construere. Contrà verò, non habet Deus ideas malorum, aut impossibilium; vnde non dicuntur hæc in Deo viuere vita Dei. Ratio est; quia idea non est, nisi de factibilibus; mala autem, etsi suo modo sint, quia tamẽ non sunt per rationem propriam, sed alterius, nempe boni, cuius priuationes sunt, propriam ideam non habent, distinctam ab idea boni, per quam mala ipsa cognoscuntur.

27. Deducitur tertiò, ideam essentialiter requirere vim productiuam ideati in artifice, defectu cuius res naturales, intentionaliter expressæ in verbo Angelico, non dicũtur ideæ, non est tamen necesse, vt idea supponat in artifice vim productiuam quoad esse materiale, & substratum ipsius operis faciendi; sed sat est, si supponat vim productiuam solùm quoad esse artificiatum operis. Sic idea statuæ efformandæ, nõ supponit in statuario vim productiuam marmoris, quod est substratum statuæ, sed solius formæ & figuræ artificialis.

28. Deducitur quartò, ęternum parentem non habere ideam de ęterno suo Filio. Ratio est, quoniam, etsi illum producat ex propria notitia ipsius, quia tamẽ illum non producit natura diuersum atque discretum à se, quod ad rationem ideæ essentialiter requiritur; est enim idea id, ad instar cuius aliud fit, talis notitia nequit habere rationem ideæ.

29. Deducitur quintò, ideam formaliter non consistere in conceptu formali, sed obiectiuo. Cuius ratio est; quia idea est id ad quod artifex aspiciens opus ad extra producit: porro artifex, cùm opus ad extra producit, non conceptum formalem, sed

obiectiuum

obiectiuum aspicit, quia non conceptus formalis, sed obiectiuus est expressiuus, & similis operis faciundi: artifex autem, cùm ad opus faciendum determinatur, determinari debet ab eo, quod est simile, non autem ab eo, quod dissimile est operi faciundo.

30. Deducitur sextò, id eam habere veram rationem causæ, non quâ opus ipsum fit, talem enim rationem habet vis ipsa effectiua, sed ad instar cuius fit: quod est genus causæ regulantis ac dirigentis: sicut mensura est causa mensurati, media directione ac regulatione, tanquam propria causalitate. Ex quo sequitur, causam idealem suam causalitatem exercere non posse, nisi in agente intellectuali, in quo supponit virtutem effectricem operis, quam idea complet, obiectiuè tantùm dirigendo.

31. Deducitur septimò, discrimen inter causam idealem & finalem; quòd finalis mouet agens ad agendum, propter sui bonitatem; Vnde præcipuam causalitatem exercet in voluntate, cuius obiectum est bonitas, inclinando & alliciendo illam ad opus. Idealis verò dirigit agens ad opus, propter solam existentiam operis: vnde suam causalitatem immediatè exercet in intellectu, cuius est reliquas potentias ad opus dirigere. Eius verò causalitas est externi operis directio, ad instar operis præconcepti. Sicut causalitas finis, est operis effectio, propter bonitatem intentam.

32. Deducitur octauò, in Deo esse vnum exemplar, plures verò ideas. Ratio est: quia exemplar, cùm sit causa æquiuoca & eminentialis, potest indistinctè continere multa exemplabilia: quemadmodũ virtus æquiuoca indistinctè continet plures specie effectus producibiles. Idea verò, cùm sit in repræsentando vniuoca, non potest indistinctè plura specie ideabilia continere, sed singulis ideabilibus singulæ correspondent ideæ.

33. Deducitur nonò, Deum non habere ideas, neque esse exemplar earum perfectionum, quæ incommunicabiles sunt creaturis: quoniam idea, vel exemplar importat passiuam exemplabilitatem, & imitabilitatem: nulla autem esse potest passiua exemplabilitas & imitabilitas in ijs perfectionibus, quæ sunt propriè Dei, & incommunicabiles creaturis; quoniam quæ sunt incommunicabiles, sunt imparticipabiles, atque adeo inexemplabiles, & inimitabiles: quales perfectiones in Deo sunt independentia ab alio, existentia essentialis, actus purus, infinitas essendi, immensitas, & cætera eiusmodi.

34. Deducitur decimò, ideam non modò esse principium dirigendi, sed etiam cognoscendi ideatum: tum quia non dirigit, nisi cognoscendo ipsum ideatum & modum, quo ideatum ipsum sit formandum: tum quia idea non est aliud, quàm expressa & intentionalis similitudo ideati in mente artificis; hæc autem est ipsissima ratio cognoscendi ideatum.

35. Deducitur vndecimò, in diuinis ideis, constituendum esse aliquem ordinem, non realem, sed rationis. Quod sit aliquis ordo constituendus, constat à paritate diuinorum attributorum, ad quorum imitationem Diuinæ ideæ ponuntur: si enim inter attributa concedendus est aliquis ordo, vt vnum concipi debeat prius alio, à fortiori talis ordo concipi debet inter ipsas ideas, quę sunt quędam attributorum imitationes & participationes. Quòd autem hic ordo non sit realis, sed rationis, patet; quia nulla distinctio realis, præterquam in diuinis personis, ponenda est in Deo; atqui ideæ sunt in Deo, & non spectant ad diuinas personas: igitur nulla in eis est realis distinctio.

36. Deducitur duodecimò, ideas esse cõmunes omnibus diuinis personis, tametsi per appropriationem tribuantur soli Filio. Prima pars patet. Quoniam perfectio idealis est perfectio absoluta, cùm pertineat ad cognitionem absolutam: omnis autem perfectio absoluta communis est omnibus diuinis personis. Secunda verò pars constat ex modo loquendi scripturæ. Ioannis 1. Vbi loquens Euangelista de Filio Dei, *Omnia*, inquit, *per ipsum facta sunt*: quę est causalitas idealis: & ad Hebrœos 1. *Per quem*, scilicet per Filium, *fecit & fecula, portansq; omnia verbo virtutis suæ*. Ratio appropriationis est; quia sicut solus Filius procedit, vt verbum notionale Patris; ita omnia, quæ pertinent ad Verbum, & cognitionem absolutam, attribuuntur Filio. Sicut quia solus Spiritus sanctus procedit, vt Amor notionalis vtriusque, omnia quæ pertinent ad Amorem essentialem, attribuuntur Spiritui sancto. Quemadmodum quę pertinent ad omnipotentiam, attribuuntur soli Patri, eò quòd solius Patris est, esse primum & originale principium productiuum ad intra. *Ioan. 1.* *Hebr. 1.*

37. Ex his patet quid dicendum sit ad reliquas sententias, & quomodo soluenda sint argumenta primæ sententiæ. Falsum quippe est, idẽ imitari ac participare seipsũ. Cæterùm, cùm Deus producit creaturas, proximè non respicit ad suam essentiam, sed ad creaturas expressas in sua cognitione; sic enim respicit ad aliquid intentionaliter simile, & distinctum à creatura producenda. Idem dicendum de artifice creato: non enim hic dirigitur ab ipso opere ad extra producendo, sed ab opere intra se expresso, quod distinguitur ab ipso opere ad extra producto. Vnde cognitio, quam Deus infunderet artifici de opere producendo, distincta esset ab ipso opere ad extra producendo, tanquam verbum à re ipsa extra existente; est enim cognitio expressa, similitudo rei, non res ipsa extra producta. Et licet creatura intentionaliter expressa in Diuina cognitione, sit ratio increata; atque adeò dissimilis creaturæ extra productæ, in esse naturali, & subiectiuo; est tamen illi similis in esse intentionali & obiectiuo, quod ad rationem ideæ sufficit. Ex his patet ad confirmationem, quæ tantùm

probat.

probat, præter Diuinam essentiam cognitam, vt imitabilem, necessarias esse creaturas distinctè expressas per Diuinam cognitionem; quæ tamen creaturæ in Diuina cognitione expressæ, non sunt realiter ipsæ creaturæ extra producibiles, sed earum intentionales imagines & similitudines.

# De bonitate Dei.

EXPLICATIS primis duobus attributis, vnitatis scilicet & veritatis, sequitur tertium attributum Bonitatis; quod partim est absolutum, partim respectiuum, vt constat ex analogia ad attributum bonitatis creatæ. Respectiuum est per ordinem ad appetitum extrinsecum, quem sua perfectione allicit & mouet: nam *bonum* ex Philosopho est, *quod omnia appetunt*. *Aristotel.* Absolutum verò est per ordinem ad proprium subiectum & naturam, quam bonitas ipsa integrat & cõplet. Quod adhuc est duplex, alterum transcendentale, fundatum in ipsa entitate rei, omnibus numeris & perfectionibus absoluta: alterum morale, quod naturam perficit in ordine ad mores & virtutes. Nos de attributo Diuinæ bonitatis disputabimus, quatenus absolutũ est, & naturam Diuinam vndequaque integram & perfectam reddit, tum moraliter, tum transcendentaliter. Nam, prout respectiuum est, potiùs ad Philosophiam spectat, nec magnam habet difficultatem. Quoniam verò principium totius moralis bonitatis est Diuina voluntas, priùs de illa agendum nobis erit; tum de actibus ipsius, præsertim qui circa hominum salutem, & reprobationem versantur. Tandem bonitatem Diuinam considerabimus, quatenus est transcendentalis perfectio naturæ Diuinæ, quam vndequaque integram & perfectam reddit, & quoad perfectiones absolutas, & quoad respectiuas.

# DISPVTATIO XIV.

## De voluntate Dei.

### SECTIO PRIMA.

*An, & qualis in Deo sit voluntas.*

1. DIco primò. Est in Deo voluntas, non per modum potentiæ distinctæ ab actu, sed per modum actus non elicити, sed subsistentis. Assertio quoad omnes partes est de fide, tum in multis scripturæ locis expressa, tum in varijs Concilijs definita. *Certa ex script. & Concilijs.* Probatur prima pars assertionis. Deus est intelligens, vt ex suprà disputatis constat; ergo & volens. Consequentiam sic deduco cum S. Thoma prima parte quæst. 19. art. 1. ad omnem formam, seu bonum naturale propriæ naturæ conueniens, consequi debet aliquis appetitus, vel ad illud consequendum, si absit; vel in illo quiescendo, si adsit: sed agens intellectuale proponit sibi formam, seu bonum propriæ naturæ conueniens per suam intellectionem: igitur ad ipsam intellectionem consequi debet appetitus erga tale bonum apprehensum, vt propriæ naturæ conueniens. Atqui talis appetitus est voluntas; datur igitur in Deo agente intellectuali voluntas. Vltima consequentia claret. *S. Thomas.* Minor subsumpta constat, nam sicut se habet appetitus naturalis in rebus cognitione carentibus; ita voluntas in rebus intelligentia præditis: nam sicut per illum res naturales inclinant ad bonum propriæ naturæ conueniens: ita per hanc naturæ intellectuales appetunt bonum sibi conueniens. Minor assumpta patet: nam intellectio est expressa, & naturalis imago rei intellectæ, per quam intelligẽs fit res ipsa intellecta intelligibiliter; igitur per illam agens intellectuale repræsentat sibi bonum propriæ naturæ conueniens. Maior constat tum inductione, qua vnaquæque natura per intrinsecam formam naturalem inclinat ad bonum sibi conueniens; vt lapis per intrinsecam grauitatem ad centrum; & aqua per substantialem formam, inclinat ad propria accidentia, in quibus vel quiescit, dum adsunt, vel ad ea tendit, in se ipsa producendo, dum absunt. Tum ratione à priori: nam quælibet natura sicut inclinat ad proprium esse, ita ad omnia ea, quæ proprium esse conseruant: idem namque appetitus est ad esse, & ad ea, quæ proprium esse conseruant.

2. Porrò multas differentias assignat Caietanus prima parte loco præcitato inter *Caietanus.*

ter appetitum naturalem, & animalem, prout diuiditur in sensitiuum, & rationalem; potissimæ sunt hæ. Prima, naturalis consequitur quamlibet naturam; animalis, non nisi cognoscitiuam; vnde nequit in actum exire, nisi ex apprehensione, cùm naturalis ex sola propensione naturæ in actum prodeat. Secunda, naturalis est tantùm ad vnum; animalis verò ad multa, iuxta multa bona, quæ per apprehensionem fiunt cognoscenti præsentia. Tertia, appetitus naturalis inclinat tantùm ad bonum illius potentiæ, cuius est appetitus; animalis verò ad bonum totius suppositi. Quartò, appetere naturaliter, non est actus secundus, sed primus, ipsa scilicet propensio naturæ ad bonum sibi conueniens: appetere verò animaliter, est actus secundus, ipsa scilicet vitalis operatio, quâ cognoscens appetit bonum apprehensum, proprio supposito conueniens.

3. Disputant Theologi, an Deo circa proprium bonum insit appetitus naturalis. Ad quam quæstionem respondeo, in Deo esse appetitum, ad proprium bonum secundùm positiuam perfectionem, quam appetitus dicit ad proprium bonum, non autem secundùm imperfectionem distinctionis, quam appetitus in ordine ad proprium bonum connotat.

4. Probatur assertio quoad secundam partem. Quoniam potentia, vt distincta ab actu inuoluit imperfectionem potentialitatis, quæ repugnat actui puro: implicat igitur in Deo esse voluntatem per modum potentiæ distinctæ ab actu. Dixi, *distinctæ ab actu*, nam dupliciter considerari potest potentia vitalis; vno modo, vt dicit distinctionem ab actu; secundo, vt importat positiuam perfectionem percipiendi, aut tendendi ad obiectum. Primo modo inuoluit imperfectionem Deo repugnantem; secundo modo perfectionem Deo conuenientem. Quare concedo in Deo esse voluntatem, secundùm positiuum conceptum potentiæ; nego autem esse potentiam, secundùm imperfectionem distinctionis ab actu secundo, quam potentia vt sic per se importat.

5. Probatur tertia pars assertionis, nempe quòd actus volitionis in Deo non sit elicitus, sed subsistens; quoniam si esset elicitus, esset à parte rei distinctus à voluntate Diuina: ergo esset accidens illius, & physicè componeret cum illa. Quæ omnia pugnant cum Deo actu puro, illimitato, & simplicissimo.

6. Dico secundo. Formale atque primarium obiectum volũtatis Diuinæ, est ipsa bonitas increata, reliqua verò creata bona sunt tantùm obiectum secundarium & materiale illius. Fundamentum est. Nam illud est formale, & primarium obiectum alicuius potentiæ, vel actus, à quo primo & per se specificatur potentia, vel actus: atqui Diuina voluntas per se primò specificatur ab ipsa bonitate increata: ergo. Maior est commune axioma Philosophorum ac Theologorum. Minorem probo; nam ab illo obiecto per se primo specificatur potentia, vel actus, à quo nunquam abstrahere potest actus; atqui à bonitate increata nunquam abstrahere potest actus Diuinæ voluntatis; ergo hæc est primarium & formale obiectum illius. Maior patet. Quia implicat, actum abstrahere posse à quo pendet essentialiter, quale est obiectum formale, & primariò specificatiuum. Minor probatur; nam semper Deus in omni actu se ipsum intendit, vt Scriptura testatur Prouerbiorum 16. *Propter semetipsum operatus est Dominus.*

*Philosophorum & Theologorũ axioma.*

*Vniuersa. Prou. 16.*

7. Confirmatur primò. Illud est formale, & primarium obiectum alicuius potentiæ vel actus, quod illum in ratione specificantis adæquat: atqui sola bonitas increata in ratione specificantis adæquat voluntatem & amorem Diuinum: igitur sola bonitas increata est formale, & primarium obiectum voluntatis Diuinæ. Minor patet; nam sola bonitas increata habet amabilitatem infinitam, & à se, qualem exigit amor ipse increatus. Maior probatur; nam illud est formale & primarium obiectum alicuius potentiæ, vel actus, quod in ratione specificantis neque excedit, neque exceditur à potentia, vel actu: alioqui si excederet, non esset obiectum formale illius; nam obiectum formale est ita proprium vnius, vt nequeat esse proprium alterius, cùm sit propria perfectio differentialis, quæ non potest nisi vni tantùm competere. Si verò excedererur aliqua perfectio esset in potentia, vel actu, quæ non esset specificata à tali obiecto: quod implicat; quia quidquid perfectionis est in potentia, vel actu, id totum est per ordinem ad suum obiectum specificans.

8. Confirmatur secundò. Formale obiectum charitatis participatæ, est bonitas increata; ergo & formale obiectum charitatis imparticipatæ. Antecedens suppono ex materia de charitate, de qua suo loco. Consequentiam verò probo; quia charitas participata imitatur charitatem imparticipatam, à qua exemplatur. Quòd autem omnia bona creata sint tantùm secundaria, & materialia obiecta Diuinæ voluntatis, constat: quoniam ad ea omnia fertur Diuina voluntas propter aliquam connexionem, quam habent cum sua bonitate increata. Vnde non diligit illa, nisi vt participationes suę increatæ bonitatis; atque adeò formalis ratio diligendi illa est ipsamet increata bonitas.

9. Ex dictis deducitur primò, Deum necessariò diligere seipsum, & quoad specificationem, & quoad exercitium. Est de fide; nam ex amore sui procedit Spiritus sanctus, qui est verus Deus, atque adeo ens simpliciter necessarium, non minùs quàm Pater ipse. Cuius ratio à priori est. Quoniam in se ipso Deus claudit omnem rationem boni, &

excludit

excludit omnem rationem mali; igitur nulla ratio potest ab amore sui illum retrahere.

10. DICES. Potest Deus se ipsum quoad exercitium non diligere, vt finem creaturarum, ergo. Assumptum probo, quia potest Deus quoad exercitium non diligere creaturas, vt bonum sibi concupitum: ergo potest quoad exercitium se ipsum non diligere, vt finem creaturarum. Consequentia constat; nam idem amor, qui tendit ad bonum concupitum, & dicitur concupiscentia, tendit ad subiectum, cui tale bonum concupiscitur, tanquam fini *Cui*, & dicitur charitatis: ergo si potest Deus quoad exercitium sibi non amare bonum creatum, potest se ipsum non diligere vt finem creaturarum. Respondeo, concedendo totum discursum quoad creaturas existentes; nam qua ratione Deus liberè amat illas, liberè etiam quoad exercitium amat se ipsum, vt finem earum. Cuius ratio est. Quia sicut tale bonum non est necessarium ad vllam sui perfectionem, ita non necessariò illud amat, & consequenter non necessariò quoad exercitium se ipsum diligit, vt finem in ordine ad tale bonum. Dixi, *quoad exercitium*, quia quoad specificationem non potest Deus se ipsum non diligere, finem creaturarum existentium, quia non potest Deus in productione creaturarum alium finem vltimatum intendere, quàm se ipsum.

11. Deducitur secundò, amorem increatum non solùm directè tendere ad Deum, vt bonum, sed etiam quasi reflexè ad se ipsum, per infinitas reflexiones virtuales ratione inadæquata distinctas, vti suprà docuimus de actu cognitionis, quo Deus directè cognoscit se ipsum, & simul quasi reflexè cognoscit ipsummet cognitionis actum. Fundamentum est. Quia amor Diuinus est infinitè perfectus, & adæquatè comprehensiuus totius bonitatis & amabilitatis increatæ; ergo non solùm directè tendit ad Deum, sed etiam quasi reflexè tendit ad se ipsum, diligendo omnem rationem bonitatis, quæ per infinitas quasi reflexiones in eodem actu, per inadæquatas rationes distingui posset.

12. Deducitur tertiò, Deum non habere verum actum amicitiæ erga se; habere tamen verum actum amoris concupiscentiæ. Ratio prioris partis est. Quia amor amicitiæ, non est nisi inter distinctas naturas intellectuales; est enim mutua communicatio amoris, qui distinctas voluntates essentialiter supponit. Ratio verò posterioris partis est: quia idem amor, quo Deus amat omnia bona creata propter seipsum, quatenus terminatur ad bona ipsa creata, concupita propter se ipsum, tanquam propter finem *Cui*, dicturque amor concupiscentiæ.

13. Deducitur quartò, Deum habere verum & proprium gaudium, & fruitionem respectu sui proprij boni, non autem desiderium, aut spem; respectu verò creaturæ non solùm habere gaudium, sed etiam desiderium. Quòd Deus habeat verum gaudium & fruitionem respectu sui proprij boni, constat; quia hi actus nullam in suo conceptu formali imperfectionem inuoluunt; & ex alia parte sunt ad complementum beatitudinis; ergo non sunt denegandi Deo summè beato. Quòd verò non habeat proprium actum desiderij, aut spei, etiam constat: tum quia huiusmodi actus supponunt priuationem alicuius boni, ad quod consequendum agens tendit per desiderium, & spem: Deus autem nullam habere potest priuationem boni sibi conuenientis

14. DICES. Potest Deus habere priuationem honoris & gloriæ extrinsecæ; ergo ad hanc saltem tendere potest proprio actu desiderij, vel spei. Sed contrà, quia sicut honor & gloria extrinseca non est proprium bonum Dei, nisi per denominationem extrinsecam ab actu creaturæ honorantis & glorificantis Deum; ita nec ad illud consequendum ferri potest proprio actu desiderij, qui solùm est ad bonum intrinsecum. Tum quia spes est de bono arduo, & alterius auxilio consequendo Deo autem nihil potest esse arduum, aut alterius auxilio consequendum. Demum quòd Deus habere possit proprium actum desiderij respectu creaturæ, probatur: quia de ratione desiderij est, actu complacentiæ ferri ad bonum absens: Deus autem respectu creaturæ ferri potest, & de facto fertur, actu complacentiæ ad bonum illi absens, dum actu complacentiæ omnibus æternam beatitudinem optat, quod est bonum à plerisque creaturis absens.

## SECTIO II.

### *An Deus necessariò diligat creaturas possibiles dilectione simplicis complacentiæ?*

15. PRÆSENS controuersia non est, an Deus creaturas possibiles diligat necessariò quoad specificationem, quia cùm creaturæ possibiles nullam includant rationem mali, propter quam possint esse obiectum Diuinæ displicentiæ, non possunt à Deo odio haberi: solùm igitur controuersia est, de necessitate quoad exercitium, an Deus necessariò diligat illas, quoad exercitium actus.

16. PRIMA sententia negat. Est Bonauent. in primo dist. 45. art. 1. q. 2. Capreoli art. 2. ad argumenta Aureoli cõtra primam conclusionem, Ferrariensis 4. contra Gentes, cap. 13 *§. dicitur secundo*, Bannez 1. p. q. 34. art. 3. Zumel ibidem disput. 1. ad tertium, Suarez 2. tomo Metaph. disput. 30. sect. 16. & lib. 11. de Trinitate cap. 2. in fine, Gonsalez 1. p. disput. 42. sect. 2. Machin. disput. 40. sect. 2.

*Bonauent.* *Capreolus.* *Ferrarien.* *Bannez.* *Zumel.* *Suarez.* *Gonsalez.* *Machin.*

S. Thom. Probatur primò auctoritate S. Thomæ 1. p. q. 19. art. 2. Affirmantis, Deum solùm diligere seipsum necessariò, cætera verò liberè.

17. Secundò. Ea tantùm Deus necessariò diligit, sine quibus non posset suum esse perfectè existere: at sine creaturis possibilibus posset Diuinum esse perfectè existere, ergo.

18. Tertiò. Habitudo Diuinæ voluntatis ad creaturas possibiles, non est tam necessaria, quàm ad propriam bonitatem; alioqui tam necessaria esset bonitas creata, quàm increata; & consequenter eodem modo Diuina voluntas penderet à bonitate creata, atque ab increata; igitur potuit in Deo non esse, quia quidquid non est necessarium, vt Deus, potest in Deo non esse.

19. Quartò. Creaturæ possibiles non adæquant totam virtutem voluntatis Diuinæ; ergo illam non necessitant. Antecedens patet. Consequentia probatur, quia potentia solùm necessitatur à suo obiecto adæquato, & principali.

20. Quintò. Sequeretur, quòd Deus æqualiter amaret se, & creaturas, quia amaret illas per modum naturæ secundùm totam vim amandi.

21. Sextò. Sequeretur, quòd omnes creaturas Deus æqualiter diligeret; quod dici nō potest; cùm illæ sint inæquales, & Deus diligat res iuxta diligibilitatem earum.

22. Septimò. Creaturæ possibiles nullam habent bonitatem in se; ergo non sunt aptæ terminare amorem Diuinum. Antecedens probatur; quia fundamentum omnis bonitatis est existentia, qua carent creaturæ possibiles.

23. Octauò. Deum amare creaturas est velle illis bonum: at Deus nullum bonum vult creaturis possibilibus, quoniam primum bonum est esse existentiæ; sed non vult eis bonum existentiæ, vt patet: ergo.

24. Nonò. Beati non necessariò amant creaturas possibiles, ergo nec Deus.

25. Decimò. Sequeretur, Spiritum Sanctum procedere ex amore creaturarū; quod falsum est, quoniam Deus non procedit, nisi ex Deo.

26. Vndecimò. Voluntas Diuina non necessariò odit malū possibile, ergo nec necessariò amat bonum possibile. Antecedens probatur; quia malum possibile non potest odio haberi nisi vt cognitum; sed vt cognitum non est quid distinctum à Deo; ergo.

*Scotus. Aureolus. Suarez. Caietanus. Ruiz. Vasquez. Arrubal. Verior & sequenda sententia.*

27. Secvnda sententia affirmat. Est Scoti in 3. dist. 32. Aureoli in primo dist. 47. art. 1 §. *ex præmissis*, & art. 2. §. *restat*. Caietani 1. p. q. 34. art. 3. §. *ad imaginationes Scoticas*. Vasquez disput. 79. c. 2. Arrubalis disp. 43. c. 3. Suar. in metaph. disp. 30. sect. 16. & de Trinit. l. 11. c. 2. in fine: Ruiz de voluntate Dei disp. 6. sect. 2. Quæ sententia probabilior est, & nobis sequenda. Fundamentum est. Quia creaturæ possibiles, vel considerantur secundùm esse eminentiale, quod habēt in Deo, vt in causa; vel secundū esse intelligibile, quod habent in Deo, vt in specie expressa; vel secundùm esse, quod possunt secundùm propriam naturam in se ipsis participare: atqui secundùm omne esse creaturæ necessariò diliguntur à Deo: ergo. Quoad primum & secundùm esse, patet; nam secundùm hoc esse, creatura est ipsa creatrix essentia, & vita Dei. Quoad tertium esse, in quo tantùm est præsens controuersia.

28. Probatur primò. Creatura secundū hoc esse est necessarius terminus Diuinæ essentiæ, vt exemplabilis & imitabilis; igitur secundū hoc esse à Deo necessariò diligitur. Consequentia probatur; nam Deus necessariò diligit, quidquid cum suo esse necessariò connectitur; eâdem namque necessitate diligitur finis, & quidquid cum fine necessariò connectitur: sed Deus necessariò diligit suū esse, ergo & quidquid cùm illo necessariò connectitur. Antecedens ostendo; nam Diuina essentia est essentialiter participabilis, & omnipotens; ergo necessariò infert creaturas, vt participatiuas suæ essentiæ, & terminos suę omnipotentiæ; ergo vt sic eas necessariò diligit. Hæc vltima consequentia probatur; nam Deus necessariò diligit id, sine quo sua perfectio non consisteret; sed sine creaturis possibilibus perfectio exemplaris, & omnipotentiæ in Deo non consisteret; nā sublatis creaturis possibilibus, & exemplabilibus, tanquam à posteriori tolleretur à Deo perfectio omnipotentiæ, & exemplaris, non propter dependentiam Dei à creaturis, sed propter necessariam dependentiam creaturarum à Deo; eò quòd talis naturæ & perfectionis est Deus, vt necessariò inferat creaturas possibiles, & exemplabiles: sicut sublato risibili tollitur essentia hominis, non quia essentia hominis pendet à risibili, sed quia posita essentia hominis, ex ea necessariò sequitur risibile. Igitur Deus necessariò diligit possibilia, tanquam terminos, sine quibus sua perfectio non consisteret. Neque hoc est tantùm diligere suam omnipotentiam, aut essentiam, sed terminos etiam suæ omnipotentiæ, & essentiæ, secundùm illud esse, quod possunt in se ipsis participare, quoniam vt sic formaliter sunt termini participabiles Diuinæ essentiæ: licet Deus primariò diligat suam essentiam, & omnipotentiam, secundariò verò terminos eiusdem essentiæ omnipotentiæ.

29. Probatur secundò. Voluntas Dei non potest esse suspensa circa creaturas possibiles; ergo vel illas necessariò diligit affectu simplicis complacentiæ, vel odit affectu simplicis displicentiæ: non potest eas odisse affectu displicentiæ, cùm in illis nulla appareat ratio mali; ergo necessario diligit affectu complacentiæ. Antecedens probo: quia talis suspensio dicit imperfectionem in Deo, importat enim negationem vltimæ determinationis suæ voluntatis, quam Deus habet, aduersarijs etiam fatentibus, circa omnes creaturas tam existentes, quàm non existentes; illas positiuè volendo, has po-

sitiuè nolendo. Etenim licet Deus sit liber quoad specificationem actus circa creaturas, quia potest eas velle, aut nolle; non est tamen liber quoad suspensionem omnis actus, quia non potest eas nec velle, nec nolle; ergo nec est liber quoad suspensionem omnis actus, circa creaturas possibiles; cùm igitur non possit Deus ad eas ferri affectu displicentiæ, necessariò fertur affectu complacentiæ.

30. DICES. Potest Deus ferri actu positiuo efficacis nolitionis ad creaturas non existentes; ergo potest actu positiuo inefficacis nolitionis ferri ad creaturas possibiles: ergo si ad eas non fertur actu complacentię, non necessariò fertur actu displicentiæ, cùm ferri possit actu inefficacis nolitionis, nolendo actu inefficaci possibilitatem ipsarum. Respondeo, negando primam consequentiam, quia non minùs repugnat, Deum ferri actu simplicis nolitionis, quàm displicentiæ ad creaturas possibiles; quia nolle simplici affectu creaturas possibiles, est eas nolle habere essentialem bonitatem, quam habent: hoc autem Deus velle non potest, alioqui velle posset, suam essentiam non esse imitabilem, atque exemplabilem à creaturis.

31. Tertiò probatur destruendo potissimum fundamentum aduersariorum. Creaturæ possibiles, vt sic, habent necessariam, & sufficientem bonitatem, secundùm quam terminare possunt simplicem affectum Diuinæ complacentiæ; ergo de facto illam terminant. Consequentia constat. Nam ob hanc præcipuè rationem aduersarij id negant. Antecedens probo; nam creaturæ possibiles; etsi in statu possibilitatis nullam in se ipsis habeant actualem entitatem, atque adeò actualem bonitatem, tamen possunt illam habere: & secundùm hanc realem entitatem, & bonitatem, quam possunt habere, & participare ab essentia Diuina, terminant actum Diuinæ complacentiæ; qui non solùm se extendit ad creaturas secundùm esse eminentiale, & ideale, quod habent in Deo, vt in causa, & specie expressa, sed etiam secundùm illud esse reale, quod virtute potentiæ Diuinæ habere possent in se ipsis.

32. DICES. Creaturę possibiles non possunt secundùm aliud esse diligi à Deo, nisi secundùm quod cognoscuntur, & repræsentantur ab intellectu Diuino: sed ab intellectu Diuino cognoscuntur & repręsentantur secundùm esse increatum: ergo secundùm hoc tantùm esse diligi possunt à Deo. Maior constat; quia nihil voluntas potest diligere, nisi quod intellectus proponit, & secundùm illud esse, secundùm quod proponit. Minor probatur, quia cùm creaturæ possibiles nullũ habeant esse in se ipsis nõ possunt ab intellectu Diuino proponi secundùm aliquod esse proprium, condistinctum ab esse Diuino causali, vel ideali. Respondeo, negando, creaturas possibiles non repræsentari ab intellectu Diuino, secundùm esse proprium creatum, non quod actu habent, sed quod habere possunt, virtute potentiæ Diuinæ. Quod esse, etsi subiectiuè, & realiter sit ipsum esse increatum cognitionis Diuinæ, exprimentis in se ipsa creaturas; tamen obiectiuè, & intentionaliter seu intelligibiliter est ipsum esse creatum, quod participare possunt creaturæ in se ipsis extra Deum. Et ad hoc esse, non vt intentionaliter est in Deo, sed vt realiter esse potest in se ipso, tendit actus complacentiæ Diuinæ voluntatis. Nam voluntas non tendit ad obiectum, prout est in cognoscente secundùm esse intentionale, & obiectiuum, sed prout est, vel esse potest, in se ipso secundùm esse reale & subiectiuum, vt docet S. Thomas 1. p. q. 19. art. 6. ad secundum. Ad probationem autem minoris: licet creaturæ possibiles nullum habeant esse in se ipsis actu, quia tamen possunt habere, secundùm tale esse, quod possent in se ipsis habere, cognoscuntur, & exprimuntur ab intellectu Diuino: licet tam ratio exprimendi, quàm res ipsa intentionaliter expressa sit ipsa cognitio Dei. *S. Thomas.*

33. Ex dictis sequitur primò, in Deo non esse libertatem contradictionis: quoniam hęc in suspensione actus consistit: atqui probatum est, in Deo nullam posse esse suspensionem actus, cùm necessariò debeat esse ad alterutram partem positiuè determinatus circa omnia: esse tamen libertatem contrarietatis; quia hæc formaliter consistit, in indifferentia & potestate ad contrarios actus: atqui in Deo est libertas ad contrarios actus volendi, aut nolendi; siquidem eandem rem producendo, vult; destruendo, non vult: ergo.

34. Sequitur secundò, Deum liberè amare creaturas existentes, necessariò tamen ex suppositione. Prior pars patet, quia creaturæ existentes non sunt necessariò connexæ cum Deo, Deus autem nihil necessariò amat, nisi quod est necessariò connexum cum sua essentia, vel omnipotentia. Posterior pars probatur; quia posito, quòd Deus creaturas producat, & in esse conseruet, non potest eas non diligere, nam diligere, est velle alteri bonum; ergo hoc ipso, quòd illas producit, & in esse conseruat, vult illis bonum productionis, & conseruationis.

35. AD primum primæ sententiæ respondeo, S. Thomam loqui de amore efficaci, nam loquitur de amore, quo Deus se communicat creaturis per aliquam similitudinem suę bonitatis qui procul dubio est amor efficax, quia respicit actualem communicationem extra se. *S. Thom.*

36. AD secundum, distinguo minorem; posset Diuinum esse perfectè existere sine creaturis existentibus, concedo; sine possibilibus, nego. Nam hoc ipso, quod tollerentur possibilia, à posteriori tolleretur perfectio exemplaris, & omnipotentiæ in Deo; non quia talis perfectio dependet à creaturis, sed quia creaturæ necessariò dependent à tali perfectione, sicut effectus secundarius necessariò pendet à forma, mediante effe-

ctu primario: primarius autem effectus quasi formalis essentiæ Diuinæ, est reddere Deum omnipotentem, & primum exemplar omnium creaturarum; secundarius verò sunt ipsæ creaturæ, vt possibiles & exemplabiles à Diuina essentia.

37. Ad tertium dico, voluntatem Diuinam ad vtramque bonitatem ferri necessariò, sed ad increatam primariò, ad creatam verò secundariò; quia ad hanc fertur, vt connexam cùm increata, & vt consequentem ad illam, vt effectum ad causam, & vt exemplatum ad exemplar. Vnde concedo, in ratione necessitatis simpliciter, eodem modo esse necessariam bonitatem essentialem creatam, atque increatam, quamuis hæc sit necessaria necessitate primaria, & independente; illa secundaria & dependente à primaria; nam quâ necessitate Deus est participabilis, & omnipotens, eadem necessitate creaturæ sunt participatiuæ, & possibiles; nam hæ necessariò consequuntur ex Deo participabili, & omnipotente. Nego autem, Diuinam voluntatem pendere à bonitate creata, sicut nec pendet ab increata; quoniam ad eas non tendit cum dependentia causalitatis; tametsi vtramque in suo genere necessariò requirat, vnam primariò, aliam secundariò. Nec repugnat aliquid esse in Deo necessarium necessitate primaria, aliquid verò necessarium, necessitate secundaria fundata in primaria, vt constat de cognitione, quam Deus habet de se ipso, & de creaturis possibilibus, vt necessariò connexis cum sua essentia.

38. Ad quartum, nego consequentiam, eiusque probationem: nam nec relationes Diuinæ, vt sic, adæquant voluntatem Diuinam, & tamen necessariò diliguntur à Deo: quia ad hoc, vt aliquid sit necessariò diligibile, sufficit, vt sit necessariò connexum cum obiecto primario, necessariò dilecto.

39. Ad quintum, concedo, quòd Deus æqualiter diligat se, & creaturas ex parte actus, inæqualiter verò ex parte obiecti: tum quia se ipsum diligit, vt obiectum primarium, creaturas verò, vt obiectum secundarium: tum quia se ipsum diligit iuxta suam propriam amabilitatem, creaturas verò iuxta amabilitatem ipsarum: ad vnumquodque enim Deus fertur, iuxta mensuram perfectionis ipsius rei. Sicut se ipsum, & creaturas æqualiter cognoscit Deus ex parte actus, quia eodem indiuisibili actu se ipsum, & creaturas cognoscit, inæqualiter verò ex parte obiecti, quia se ipsum primariò, & secundùm cognoscibilitatem infinitam, creaturas verò secundariò, & secundùm cognoscibilitatem finitam. Ex his patet ad sextum.

40. Ad septimum, nego Antecedens; ad cuius probationem nego, fundamentum omnis bonitatis esse existentiam actualem, sed fundamentum bonitatis existentialis esse existentiam actualem, fundamentum verò bonitatis essentialis esse existentiam possibilem.

41. Ad octauum, maiorem esse veram de amore efficaci, falsam verò de inefficaci, & simplici tantùm complacentia, quæ ad rem tendit simplici affectu, complacendo sibi tantùm in bonitate, quam in ea supponit: voluntas igitur Diuina amat in creatura possibili eam bonitatem, quam supponit exemplariter causabilem ab exemplari Diuino, secundùm hanc, vel illam participationem bonitatis Diuinæ.

42. Ad nonum, primò nego antecedens; nam etiam beati necessariò amant creaturas possibiles, vt necessariò connexas cum omnipotentia Dei, præsertim quas cognoscunt cognitione beata. Secundò nego consequentiam, nam beatus, quia diligit creaturas per actum elicitum distinctum, potest ab illis omnem actum suspendere: Deus verò, quia diligit creaturas per actum subsistentem, & indistinctum, nequit omnem actum ab illis suspendere.

43. Ad decimum, nego minorem; ad cuius probationem nego, ex eo quòd Spiritus Sanctus procedit ex amore creaturarum, procedere ex non Deo; quia procedēdo ex amore creaturarum, non procedit formaliter ex creaturis, sed ex amore creaturarum, qui formaliter est Deus. Creaturæ autem solùm concurrunt ad processionem Spiritus sancti, vt obiectum extrinsecè terminans, non vt principium intrinsecè spirans. Etenim Spiritus sanctus, dicitur solùm procedere ex principio spirante, non autem obiecto terminante, saltem secundariò.

44. Ad vndecimum, nego antecedens: ad probationē dico, malum possibile odio haberi à Deo, non vt formaliter expressum in Verbo, sed vt potens existere extra Verbum; quo pacto non odio habetur, vt est in Deo, sed vt potens existere in se ipso, eo modo quo malum potest in se ipso existere. Quanquam malum non exprimitur in Verbo Diuino immediatè, & per se, sed mediante opposito bono, quo priuat, vt constat de ijs, quæ suprà docuimus de cognitione Dei circa non entia.

## SECTIO III.

### *Quid sit libera volitio in Deo, & quid superaddat actui necessario?*

45. Hæc est vna ex difficultatibus humano ingenio inextricabilis, quæ Aristotelem 8. Phys. coëgit asserere, Deum agere ex necessitate naturæ, ne, si illum faceret liberum, mutabilem faceret per liberam volitionem, quæ potuisset in Deo non esse. Hanc Vasquez nodum insolubilem appellat, solis beatis mentibus manifestum; Suarez vnum nostræ reli- *Aristotel.* *Vasquez.*

gionis

gionis mysterium, quod in hac vita cognosci non potest; Molina de numero eorũ. quæ ab humana mente in hac vita comprehendi non possunt. Et ratio difficultatis est. Quoniam volitio est perfectio intrinseca, existens in ipso volente, cùm sit actus immanens, & vitalis, de cuius essentia est, vt sit coniunctus cum ipso principio vitæ: igitur libera volitio Dei, est intrinseca perfectio in ipso Deo; sed hanc potuit Deus non habere: ergo aliqua intrinseca perfectio in Deo est, quæ potuit in Deo non esse: & è contra, aliqua perfectio in Deo non est, quæ potuit in Deo esse. Ad hanc difficultatem soluendam varij excogitati sunt modi dicendi.

*Molina.*

*Caietanus.*

*Fonseca.*

*Salas.*

46. Primus est Caietani 1.p q.19.art.2.§. *ad hoc potest*, & art.3. §. *ad hoc*: quem sequitur Fonseca l.7. Metaphy.c.8.q.5.sect.4.& 5. & Salas 1.2.q.6.a.3.tra.3 disput 1.sect.8.asserentis, liberam volitionem esse intrinsecam perfectionem in Deo, quæ potuit in Deo non esse. Fundamentum Caietani est. Quia perfectio libera est conditio diminuens, denotans, quòd suum oppositum non sit imperfectio: est enim hæc perfectio tantùm extensiua, quâ Deus extenditur ad volita extra se.

47. Confirmat Fonsecâ. Quoniam non repugnat, hanc liberam perfectionem potuisse in Deo non esse, & tamen de facto illam identificari cum Deo. Nam hoc ipso, quòd aliqua perfectio adiungitur Deo, fit de substantia Dei, sicut Filiatio, & spiratio passiua, statim ac per productionem adiunguntur Deo, identificantur cum natura ipsa Dei.

48. Verùm hæc sententia meritò ab omnibus reijcitur, cùm faciat Deum mutabilẽ, potentialem, & intrinsecè compositum; implicat enim, posse Deum identificari cum volitione mundi, quæ potuit non esse; sicut & cum nolitione mundi, quæ potuit esse: alioqui eadẽ perfectio posset simul existere, & non existere; existere vt necessaria, non existere vt libera. Nec exemplum de Relationibus Diuinis quicquam probat, quia illę sunt omninò necessariæ, nec potuerunt in Deo non esse; implicat autem, vt quod potuit non esse, identificetur cum Deo; nam simul esset perfectio libera, & necessaria; libera, quatenus potuit non esse; necessaria, quatenus identificaretur cum Deo, cuius esse, est ipsum *necesse esse*, vt Patres, & Theologi loquuntur. Tum quia relationes Diuinæ in nullo signo æternitatis sunt, aut esse possunt distinctæ ab essentia Dei, sed semper sunt actu, & necessariò identificatę cum illa; non enim putandum est, quòd in aliquo æternitatis signo, vel instanti siue naturæ, siue originis relationes fuerint distinctæ ab essẽtia, & postea vnitæ & identificatæ cum eadem essentia: implicat enim, si semel ponũtur relationes Diuinæ in aliquo signo distinctæ ab essentia, vt in alio signo postea identificẽtur cum eadem essentia, quia quod est distinctũ ab alio, implicat, vt fiat idem cum illo. Actus verò liberi potuerunt in Deo nõ esse, atque adeo cum Deo non identificari; ergo de facto non identificantur. Consequentia probatur, quia isti actus debuerunt in aliquo instanti æternitatis distingui ab ipso Deo, quia non possunt alio modo concipi, vt liberæ perfectiones Dei, nisi vt actus liberè elicita à voluntate Dei: implicat autem, actũ elici à potentia, & ab ipsa non distingui, saltem pro instanti, quo elicitur. Sed implicat, quòd semel ab aliquo distinguitur, non semper ab illo distingui, præsertim si perseueret eadem causa distinctionis; sicut esset, si actus liber eliceretur à voluntate Diuina.

49. Dices. Potest in Deo eadem perfectio esse producibilis vt relatiua, non producibilis vt absoluta: ergo poterit eadẽ perfectio existere vt necessaria, non existere vt libera. Respondeo, negando consequẽtiam, quia non repugnat vt eadem perfectio secũdùm diuersas formalitates virtualiter distinctas, sit producibilis, & improducibilis in Deo; neutra enim proprietas pugnat cum perfectione ab intrinseco necessaria: pugnat autem cum perfectione ab intrinseco necessaria, quòd eadem necessariò existat, & possit non existere; vel quòd non existat secundùm omnem perfectionem, secundùm quam potest existere; hoc enim destruit conceptum Diuinum, quod est ens ab intrinseco necessarium, & nullo pacto indifferens ad existendum, & non existendum.

50. Confirmatur; nam quicquid in Deo est, Deus est: sed non quicquid in Deo est, Deus esset, si aliqua perfectio, quæ in Deo est, potuisset non esse. Maior est Patrum axioma. Sequelam minoris probo; nam formalis conceptus Deitatis est, quòd sit à se per omnimodam necessitatem, & illimitationẽ. Implicat igitur, vt aliqua perfectio sit Deus, & potuerit non esse; vel contrà, quòd aliqua perfectio de facto non sit Deus, & tamen Deus esse potuerit: hoc enim pacto Deus nõ illimitatè & necessariò existeret secundùm omnem perfectionem, quam posset habere, sed limitatè, & contingenter.

51. Nec ratio Caietani satisfacit: nam sicut ratio liberi non tollit, quin sit intrinseca perfectio simpliciter, ita nõ saluaret illatum absurdũ; quod in eo fundatur, quòd aliquid sit intrinseca perfectio in Deo, & tamẽ possit in Deo non esse, cum quicquid in Deo est, Deus sit. Vnde falsum est, oppositum non dicere imperfectionem: nam si libera volitio supra actum necessarium importat intrinsecam perfectionem in Deo; igitur carentia ipsius importabit intrinsecam imperfectionem in Deo; omnis quippè perfectionis negatio in subiecto apto habet rationem priuationis: omnis autem priuatio imperfectionem dicit, quia importat negationem perfectionis debitæ. Nec refert, quod talis perfectio sit extensiua, nam hoc non tollit, quin sit intrinseca Deo, in quo tantùm fundatur nostrum absurdum. Ad confirmationem constat ex dictis.

*Ferrarien.*

52. Secundus modus est Ferrariensis 1. contra gent. cap. 75. §. *aduerte*, negantis, volitionem liberam creaturarum in Deo dicere intrinsecam perfectionem in ipso Deo. Fundamentum est, quia actus liber supra necessarium in Deo importat solum respectum ad volita: sed respectus, vt respectus, neque perfectionem, neque imperfectionem dicit: igitur actus liber in Deo nullam dicit perfectionem.

53. Sed contrà primò, quia falsum est, actum liberum in Deo nullam dicere perfectionem intrinsecam in Deo: aliud namque est, non dicere perfectionem, aliud non dicere perfectionem distinctam: quamuis igitur actus liber in Deo nullam dicat perfectionem distinctam à Deo, falsum tamen est, illum nullam dicere perfectionem simpliciter, quia dicere potest perfectionem, licet non distinctam à Deo. Secundò, vel iste respectus, quem actus liberæ volitionis importat ad volita, est realis, vel rationis; si realis, igitur aliquam perfectionem importat supra actum necessarium, quę, quia potuit non esse, aliqua perfectio in Deo est, quæ potuit non esse; si rationis, contrà est, tum quia nouus respectus rationis non consurgit, nisi ad nouum fundamentum. Explicandum igitur est, quodnã sit hoc fundamentũ, ad quod iste nouus respectus rationis consurgit in Deo. Tum quia independenter ab omni ente rationis Deus liberè vult creaturas: non igitur formaliter constituitur liberè volens creaturas per respectum rationis. Ad fundamẽtum Ferrariensis nego respectum, si sit realis, prę-scindere à perfectione, & imperfectione; vel si sit rationis, sufficere ad constituendum actum liberum in Deo.

*Scotus. Lychetus. Capreolus.*

55. Tertius modus est Scoti in 1. dist. 39. §. *quantum ad primum.* Lycheti. §. *iuxta prædicta.* & dist. 45. Capreoli q. 1. art. 2. ad argumenta contra tertiam conclusionem, ad 1. Gregorij, ibidem post septimam conclusionem, Zumel 1. p. q. 19. disput. 2. Suarez in Metaphysica disp. 30. sect. 9. & 3. p. disp. 5. sect. 1. §. *respondetur.* Gonsalez 1. p. disp. 43. sect. 2. Machin. disp. 41. sect. 3. Becani tom. 1. cap. 11. q. 4. affirmantium, liberum velle in Deo esse ipsummet actum necessarium, se ipso liberè terminatum, vel per modum volitionis vel per modum nolitionis ad creaturas, absque vlla sui mutatione, vel augmento intensiuo, aut extensiuo,

*Zumel. Suarez. Gonsales. Machin. Becanus.*

56. Quatuor hæc sententia docet. Primum, quòd actus liber in Deo non sit distinctus à necessario. Secundum, quod ipsemet actus necessarius ex plenitudine suæ perfectionis, & libertate, quam habet ad obiecta creata, possit sine intrinseca sui mutatione ad ea terminari modò vt volitio, modò vt nolitio. Tertium, quòd hæc libera terminatio per modum volitionis, aut nolitionis sit intrinseca, & vitalis in Deo, ratione distinctâ ab actu necessario, per quã Deus antecedenter ad effectum producendum fit intrinsecè volens, aut nolens obiectum; nam ideò se determinat ad producendum effectum, quia antecedenter vult illum per modum obiecti. Quartò, quòd intrinseca terminatio ex parte Dei realis sit; nec possit simpliciter non esse, aut per modum volitionis, aut per modum nolitionis, disiunctim, licet possit non esse per modum volitionis, aut nolitionis disiunctiuè. Eadem quippè vitalis terminatio, quæ nunc dicitur volitio mundi, fuisset nolitio mundi, si ad illum terminata fuisset per modum nolitionis; eademque vitalis terminatio ad alium mundum possibilem, quæ nunc dicitur nolitio, fuisset volitio, si ad illum terminata fuisset per modum volitionis. Vndè sola applicatio huius vitalis terminationis, per modum volitionis determinatæ, aut nolitionis determinatæ, dicitur libera; non autem terminatio ipsa simpliciter, quæ in Deo necessaria est; quia cùm in Deo non sit libertas per modum potentiæ, sed per modum actus purissimi; non est libertas ad suspensionem vtriusque actus, sed alterutrius tantùm.

57. Ex his sequitur primò, actum liberum esse intrinsecum, & realem in Deo, & nihilominùs potuisse non esse, non quoad esse, vel terminationem ad creaturas simpliciter, sed quoad hanc, vel illam terminationem. Secundò sequitur, Deum constitui formaliter volentem antecedenter ad effectum producendum, quia, vt volens, est causa effectus producendi, licet semper inferat aliquam mutationem in volito ipso, saltem moralem & obiectiuam.

58. Fundamentum huius opinionis est, quia velle Diuinum non est per modum potentiæ, sed actus purissimi, & infiniti in genere vitalis appetitus; igitur in se ipso præhabet per modum actus secundi, quidquid formaliter requiritur ad volendum quodcunque obiectum volibile: igitur cùm Deus liberè vult hoc, aut illud obiectum volibile creatum, non vult per distinctum actum, quo vult se ipsum; alioqui non esset talis actus infinitus in ratione volitionis, sed per eundemmet liberè terminatum ad volibile creatum.

*Scotus.*

59. Confirmat Scotus, quia in nobis est triplex libertas, prima ad actus oppositos; secunda ad opposita obiecta; tertia ad oppositos effectus. Prima est imperfecta, quia dicit limitationem actus, qui de se non est potens ad opposita obiecta. Tertia non est prima libertas, cùm supponat aliam priorem, nempè ad opposita obiecta, nam prius est, velle obiectum, quàm producere effectum. Secunda tantùm est libertas per se; nam prima ordinatur ad secundam; & præterea nullam in se includit imperfectionem: positâ autem illimitatione actus, ponitur hæc secunda libertas sine prima, quæ imperfectionem importat.

60. Sed cõtrà primò, quia, vt possit actus Diuinæ volitionis inuariatus in se, reddere Deum modò volentem, modò nolentem,

modò

modò amantem, modò odio habẽtem, oportet, vt ipse in se sit formalis volitio, & nolitio; amor, & odium: implicat autem, vt idem actus sit volitio, & nolitio, amor & odium simul. Maiorem ostendo. Quia, vt forma tribuat subiecto effectũ formalem, oportet, vt illum formaliter præhabeat in se, quoniam forma non tribuit, nisi quod habet in se ipsa formaliter, quia tribuit effectum formalem per exhibitionem sui. Vt igitur actus Diuinæ volitionis inuariatus in se ipso tribuere possit effectus formales volitionis, aut nolitionis; amoris, vel odij, oportet, vt illos formaliter præhabeat in se; quia cùm ipse per terminationem ad hoc, vel illud obiectum non varietur in se formaliter, vt possit modò hunc, modò illum effectum formalem Deo tribuere, necesse est, vt eos actu formaliter contineat; alioqui, vel non posset eos tribuere, quia non potest tribuere, nisi quod formaliter habet in se; vel necesse esset variari in se ipso formaliter. Minor verò probatur. Implicat, vt idem subiectum sit simul volens & nolens, amans, & odio habens respectu eiusdem: ergo à fortiori implicabit, vt idem actus sit formalis volitio, & nolitio, formalis amor & odium respectu eiusdem. Consequentia constat. Antecedens probo; quia implicat, etiam de potentia absoluta, vt eadem voluntas sit volens & nolens respectu eiusdem, nam hæc inferunt contradictoria in obiecto ipso; volitio enim infert esse, nolitio verò non esse: vnde Deus volendo produceret, nolendo destrueret obiectum.

61. Dices: Dum actus Diuinæ volitionis tribuit effectum formalem volitionis, non tribuit effectum formalem nolitionis; esto igitur in se vtrumque contineat, non tamen vtrumque simul tribuit. Sed contrà; quoniam implicat, formam inuariatam in se, aut non tribuere subiecto capaci omnem effectum formalem, quem continet, aut absque vlla dispositione subiecti, aut mutatione termini, modò tribuere vnum, modò alium effectum formalem. Igitur implicat actum Diuinæ volitionis inuariatum in se, aut non tribuere Deo omnem effectũ formalem, quem continet in ordine ad creaturas, aut posse tribuere vnum sine alio. Antecedens patet, nam forma tribuit suum effectum formalem per exhibitionem sui in subiecto capaci; implicat autem, vt se ipsa totam exhibeat subiecto capaci, & illi non tribuat omnem effectum, quem in se ipsa formaliter continet; quia illum non tribuit liberè, sed necessariò, quoniam non tribuit illum effectiuè, in quo genere causæ tantùm est libertas, sed formaliter, in quo nulla est libertas. Consequentia verò probatur, nam actus Diuinę voluntatis semper manet inuariatus in se, & eodem modo coniunctus cum Deo, tanquam cum subiecto proprio, & capaci. Nec potest Deus habere maiorem dispositionem ad recipiendum potiùs vnum effectum formalem suæ voluntatis, quàm alium. Neque mutatio ipsa obiecti facere potest, vt actus Diuinæ volũtatis potiùs conferat vnum effectum formalem, quàm alium: ergo. Antecedẽs probatur, nam nec actus Diuinæ voluntatis mutatur in se, nec supponit aliquam mutationem in Deo, ratione cuius potiùs conferat vnum, quàm alium effectum: nec à mutatione obiecti pendet, vt potiùs sit volitio, quàm nolitio; quoniam in hac sentẽtia volitio Dei antecedit omnẽ mutationem obiecti: nam ideò obiectum mutatur in se, quia Deus antecedenter vult illud: igitur prior est volitio Dei, quàm mutatio ipsa obiecti: non igitur potest Diuina volitio in ratione liberæ volitionis, pendere ab ipsa mutatione obiecti consequente, quia antecedenter ad illam supponitur volitio, vel nolitio Dei.

62. Dices, mutari actum Dei, non subiectiuè, sed terminatiuè, & in hoc consistere ipsius libertatem, quia qui modò terminatur ad obiectum, vt volitio, potuit ob suam libertatem terminari, vt nolitio. Sed contrà; nam hoc est, quod putamus impossibile, posse effectum formalem variari, inuariata forma quoad omnia requisita ad nouum effectum formalem tribuẽdum. Cùm igitur terminatio actus Diuini ad obiectum sit effectus formalis ipsius actus Diuini, vt possit variè terminari ad obiectum, debet necessariò ipsius effectus formalis variari, cùm tamen forma ipsa inuariata maneat quoad omnia requisita ad nouum effectum formalem tribuendum; quippè quę nec variatur in se, cùm sit ipse actus increatus, de se inuariabilis; nec variatur in subiecto, in quo est, quia subiectum est ipse Deus; nec in aliquo extrinseco termino, per se pertinente ad talem formam, vt libera est formaliter: quia in hac sententia effectus extrinsecus est omninò consequẽs, & posterior ipso actu libero Dei, cùm supponat illum antecedenter completum in ratione actus liberi, & prius ratione ad obiectũ terminatum. Igitur datur nouus effectus formalis, sine noua forma, vel conditione per se requisita ex parte formæ ad nouum effectum formalem tribuendum, quod implicat.

63. Instabis, solam libertatem actus Diuini esse sufficientem causam, vt possit terminari, modo vt volitio, modo vt nolitio. Sed contrà, quia hæc terminatio est in genere causæ formalis, in quo non potest esse libertas, non enim sumus liberi ad ea, quæ cõtinemus formaliter, sed tantùm ad ea, quæ cõtinemus efficienter. Cùm igitur actus Diuinæ voluntatis non efficienter, alioqui mutaretur, sed formaliter contineat huiusmodi terminationes ad obiecta creata, non potest in ordine ad huiusmodi terminationes esse liber, vt modò tribuat vnam, modò aliam terminationem: nam hoc supponit, huiusmodi teminationes non contineri formaliter in actu, siquidem implicat, id quod continetur formaliter in actu, non esse formaliter in Deo.

64. Secũdò, ex hac opinione sequitur, Deũ

in tem-

in tempore successiuè mutari, de vno actu in aliũ, quod aduersarij non admittunt. Sequelam probo; nam pro vno tempore Deus diligit creaturam per gratiam, in ordine ad finem supernaturalem, pro alio verò eandem per peccatum odit, in ordine ad eundem finem supernaturalem: ergo si Deus amat, & odit per intrinsecam tendentiam actus, necesse est, eum in tempore successiuè mutari. Consequentia patet; nam Deus in tempore fit de odiente amans, de amante odiens: igitur si Deus fit amans, & odiens per intrinsecam tendentiam actus, illam in tempore successiuè mutat: alioqui, vel semper peccatorem, etiam ad infernum detrusum amaret, in ordine ad finem supernaturalem, posito, quòd semel per gratiam dilexerit; vel iustum odisset, etiam in cœlis beatum, posito, quòd semel per peccatum odio habuerit, cùm implicet, manente in Deo huiusmodi tendentia amoris, vel odij erga creaturam, creaturam ipsam non amari, vel non odio haberi. Vt igitur cesset amare, quem amabat, vel odio habere, quem oderat, oportet, vt mutet tendentiam amoris in odium, & vice versa.

65. At respondebis, ex ipsa æternitate Deum eandem creaturam pro vno tempore dilexisse, pro alio vero odio habuisse, absque vlla sui mutatione in tempore. Sed contrà, nam hoc dici non potest; alioqui, vt probatum est, vel semper peccatores diligeret, vel semper iustos odio haberet in ordine ad finem supernaturalem; quia Deus non potest diligere creaturam in ordine ad finem supernaturalem, nisi peculiari tendentiâ intrinsecâ actus, nec odio habere, nisi opposita tendentia eiusdem actus: sed Deus in tempore ex diligente fit odio habens, & ex odio habente diligens: ergo in tempore variat huiusmodi tendentias: aut certè, si illas non variat, semper peccatores diliget, & iustos odio habebit: quia semper tendentia amoris facit Deum amantem, sicut tendentia odij odio habentem. Neque dicas, sufficere solam mutationem extrinsecam obiecti, sine noua tendentia intrinseca actus, vt Deus in tempore ex amante fiat odiens, & ex odiente amans: nam si hoc sat est, vt Deus in tempore ex non diligente fiat diligens, sat etiam fuisset in ipsa æternitate, vt Deus absque intrinseca tendentia actus, per solam mutationem obiecti producendi, ex non diligente fieret diligens; aut si hoc non sat fuit in æternitate, neque sat erit in tempore, cùm non minùs in tempore, quàm in æternitate Deus ex amante fiat odiens, & è contra.

66. Confirmatur: terminatio actus diuini per modum amoris ad hominem iustum est perfectio positiua intrinseca Deo, ratione distincta & ab amore, quo se ipsum diligit, & ab odio, quo eundẽ hominem, ratione peccati odisse potest. Sed hæc terminatio per modũ amoris ad hominem iustum potuit in Deo non esse: ergo aliqua perfectio positiua intrinseca Deo potuit abesse à Deo. Rursus terminatio diuini actus per modum odij ad hominem peccatorem, est perfectio positiua intrinseca Deo, ratione distincta & ab amore, quo se ipsũ diligit, & ab amore, quo eundem hominem vt iustum diligere potest. Atqui hæc potuit abesse à Deo: ergo aliqua perfectio positiua intrinseca Deo potuit abesse à Deo. Aut certè sequitur, quòd perfectio intrinseca amoris in Deo mutari potuerit in perfectionem intrinsecam odij.

67. Tertiò impugnatur sententia ad hominem: quia non videntur Authores huius sententiæ cohærenter loqui. Nam ex vna parte contendunt, liberam volitionem Dei totam ac totaliter esse increatam & intrinsecam Deo, independentem ab omni extrinseco termino, aut obiecto creato, vel connotatione ipsius: ex alia verò parte docent, hanc eandem liberam volitionem Dei intelligi non posse, absque terminatione ad aliquod extrinsecum: ita Suarez præcitata disput. 30. sectione 9. numero 45. *Vnde licet* (inquit) *illa denominatio realis sit ex parte Dei, inuoluit tamen causalitatem, seu terminationem ad creaturam, & ideo* (concludit) *simpliciter non est necessaria, quia est cum ordine ad extrinsecum.* Ruiz de voluntate Dei disput. 13. sectione 2. qui eandem sententiam quoad punctum principale sequitur, explicans numero 23. quid sit hæc terminatio, quæ volitioni diuinæ adesse & abesse potuit: Resp. esse denominationem extrinsecam ab obiectis volitis, cùm intelligi à nobis nequeat volitio diuina libera absque huiusmodi extrinseca terminatione: tametsi hæc extrinseca terminatio sit prorsus extra essentiam liberæ volitionis diuinæ, vt ibidem docet.

Suarez.

Ruiz.

68. Verùm hæc non cohærenter dici, sic demonstro. Illud, sine quo nequit res esse, vel intelligi sufficienter ab alia condistincta, ingreditur essentiam rei: Nequit autem libera volitio Dei esse, vel intelligi sine extrinseca terminatione seu connotatione obiecti: ergo hæc ingreditur essentiam liberæ volitionis diuinæ. Maior patet: etenim totum illud ingreditur quidditatem rei, quod necessarium est, vt res distinguatur ab omni alio, quod non est ipsa: nam quamdiu non habetur sufficiens distinctiuum rei, non habetur sufficiens constitutiuum eiusdem, ac proinde sufficiens essentia. & quidditas ipsius, quæ per differentiam discretiuam ab omni alio vltimo constituitur. Minor quoad posteriorem partem asseritur ab ipsis Aduersarijs. Quoad priorem probatur: tum quia signum constitutiui rei est, non posse rem sine eo intelligi: nam si haberet aliud constitutiuum sui, posset cum illo & per illud tantùm sufficienter intelligi condistincta ab omni alio. Ergo si nequit sine eo ab omni alio condistincta intelligi, signum

est

est, illud esse constitutiuum rei. Tum maximè, quoniam sola extrinseca terminatione, connotatione ve obiecti præcisa, quicquid in volitione diuina remanet, totum est intrinsecum & increatum, ac proinde necessarium: Ergo sola & præcisa terminatio seu connotatio extrinseci obiecti cõpler illam in ratione liberæ volitionis. Antecedens admittitur ab Aduersarijs, qui contra Caietanum nobiscum docent, quòd quicquid intrinsecũ est Deo, Deus est, ac proinde eadem necessitate, qua Deus ipse. Consequentia verò probatur: Etenim si quidquid intrinsecũ est in volitione diuina, necessariũ est, non poterit per aliquid, quod in ipsa intrinsecum est, constitui seu cõpleri in ratione liberæ volitionis: quia si posset per aliquid ipsi intrinsecum in ratione liberæ volitionis constitui, per illud idem posset sufficiẽter distingui ab actu necessario, cùm per idem res & constituatur in se, & distinguatur ab omni alio: nequit autẽ per aliquid intrinsecum ipsi in ratione liberæ volitionis sufficienter distingui ab actu necessario: igitur per nil intrinsecum ipsi potest in ratione liberæ volitionis constitui seu compleri. *Caietanus.*

69. Cõfirmatur: nam duplex terminatio ab Aduersarijs distinguitur in volitione diuina, altera ad ipsam essentiam diuinam, altera ad obiecta creata, quam vocant quasi extensionem eiusdem actus diuini ad obiecta creata. Vtraque terminatio est perfectio intrinseca & increata, nam vtraque est vitalis tendentia actus diuini ad suum obiectum: igitur neutra terminatio poterit esse libera: alioqui aliqua perfectio intrinseca & increata potuisset non esse, cùm hoc sit de quidditate perfectionis liberæ. Fit igitur formaliter libera per connotationem effectus liberè à se dependentis, modo infra explicando. Adde, quòd ponere in ipso actu diuino intrinsecam terminationem seu extensionem ad obiecta creata, quæ potuisset non esse, & simul illam ponere totam & totaliter intrinsecam & independentem ab omni extrinseco creato, est simul illam ponere liberam & necessariam, quod implicat ex terminis: quia necessarium est, quod non potuit non esse: liberum est, quod potuit esse.

70. Ad fundamentum oppositæ sententię, admisso toto discursu, cum Scoti confirmatione, adhuc nego, Deum velle creaturas per actum intrinsecè terminatum ad illas.

71. Ex his facilè impugnatur nouus quidã modus à recẽtioribus excogitatus, quem refert Ruiz disp. 11. sect. 7. qui verbis tantùm à præcedente differt, onerans potiùs, vt idem Ruiz testatur, diuinam voluntatem, vel certè ingenia Scholasticorum. Putat autem hic modus, Dei libertatem cum immutabilitate eiusdem conciliare, per cõtingentiam actus diuini virtualem, & necessitatem formalem, hoc pacto. Est actus diuinę volitionis quoad totam suam intrinsecam entitatem & perfectionem necessarius formaliter, quia quo ad intrinsecam suam entitatem & perfectionem deficere nequit: Idem tamen actus est contingens virtualiter, quia ita se gerit quoad denominationem volentis ac nolentis, amantis atque odio habentis, ac si esset contingens & defectibilis. Verùm hæc virtualis contingentia nil adfert noui à præcedente diuersum, nam quod ille explicabat per infinitam eminentiam diuini actus, hic explicat per virtualem contingentiam. Cæterùm manet eadem difficultas, quo pacto possit, idem actus quo ad intrinsecam entitatem & perfectionem inuariatus varias oppositasque denominationes intrinsecas conferre. Quòd autem in huiusmodi denominationibus dandis se gerat, acsi esset contingens & defectibilis, non emollit difficultatem, sed potiùs signatis verbis explicitè illam fatetur. Nam hic est nodus difficultatis, quòd cùm actus diuinæ volitionis sit quoad entitatem summè necessarius, in conferendis tamen huiusmodi denominationibus se gerat vt contingens & defectibilis, cùm implicet idem simul esse summè necessarium, & contingens. *Ruiz.*

72. Quartus modus est Molinæ 1. part. quæstione 14. articulo 15. & quæstione 19. articulo 2. disputatione 2. Vasquez disputatione 80. capite 2. opinantium, liberum decretum Dei addere supra essentiam solum respectum rationis, qui vel consequitur rem ipsam futuram, tanquam proximum fundamentum, vt Vasquez censet: vel actionem ipsam volendi internam Dei, vt Molina putat. *Molina. Vasquez.*

73. Sed contra priorem modum Vasquez; nam ideò per ipsum res est futura, quia Deus vult illam esse futuram; ergo non potest velle formaliter rem futuram per respectum consequentem rem ipsam futuram, alioqui committeretur circulus; quem tandem concedit Vasquez, & ingenuè fatetur, hanc difficultatem solui non posse.

74. Contra posteriorem modum Molinæ, quia non potest nouus respectus rationis consurgere, nisi ad nouam actionem fundandi; igitur si in Deo consurgit nouus respectus rationis, qui potuit non consurgere, necesse est, esse nouam actionem fundandi, quæ similiter potuit non esse; quæ noua actio fundandi, ne in infinitum procedatur, non potest esse rationis, sed realis.

75. Contra vtrumque verò modum arguo sic: Deus à parte rei est liberè volens: at respectus rationis non est à parte rei, sed in solo intellectu apprehendente: igitur respectus rationis non potest esse formalis ratio, per quam Deus fiat liberè volens, quia nihil potest esse à parte rei formaliter tale per id, quod à parte rei non est.

76. Quintus modus est Bannez 1. p. q. 19. articulo 10 §. *tertium documentum*, opinantis, actum liberum voluntatis sufficien- *Bannez.*

ter

ter saluari, si illum præcedat practicum iudicium rationis de indifferentia medij in ordine ad finem consequendum. Vnde etiamsi voluntas ad talem electionem medij sit ab intrinseco determinata, modò tale iudicium de indifferentia medij non tollatur, actus voluntatis tale iudicium sequens erit liber. Vnde colligit, quòd, etiamsi voluntas creata per interna auxilia prædeterminetur ad vnum, modò non tollatur iudicium de indifferentia medij, actu sequens tale iudicium, erit libera.

77. Sed contrà; tum quia in ea potentia debet formaliter esse libertas, quæ est proximum principium actus liberi, & domina sui actus: hæc autem non est intellectus, sed voluntas: ergo, adhuc posito iudicio de indifferentia medij ad finem consequendum, debet esse in potestate voluntatis, illud eligere, vel non eligere. Tum, quia iudicium de indifferentia medij non est liberum, sed necessarium; necessariò enim intellectus iudicat, tale medium non habere necessariam connexionem cum fine; ergo si in voluntate non est libera potestas illud eligendi, vel non eligendi, nulla erit omninò libertas. Tum quia adhuc stante tali iudicio, posset Deus necessitare voluntatẽ ad electionem medij: ergo ad rationem formalis libertatis non sufficit tale iudicium, siquidem illo stante, adhuc posset non sequi actus liber voluntatis.

78. Sextus modus est aliquorum aientium, liberam volitionem Dei formaliter compleri per extrinsecam productionem obiecti voliti. Fundamentum est: Quia volitio est vitalis tendentia ad obiectum volitum, per quam ei agens communicat suam bonitatẽ: atqui Deus per ipsam productionem formaliter tendit ad communicandam suam bonitatem obiecto volito; nam per eam formaliter attingit perfectionem, quam volito communicat: ergo.

79. Porrò dupliciter potest extrinseca productio formaliter complere liberam volitionem Dei; vno modo in recto, & constitutiuè, vt ex æquo illa constituatur, ex actu intrinseco, & productione extrinseca; alio modo in obliquo & connotatiuè, vt formaliter & constitutiuè dicat solùm actum intrinsecum, connotatiuè verò productionem extrinsecam. In hoc secundo sensu vera est opinio, quam nos infrà docebimus, in primo verò est falsa, quia nequit non vitale formaliter & constitutiuè complere perfectionem vitalem: atqui libera volitio Dei est perfectio vitalis; igitur non potest formaliter, & constitutiuè compleri extrinsecâ productione, quæ vitalis non est.

80. An fundamentum distinguenda est maior; libera volitio est vitalis tendentia, per quam volens communicat volito suam bonitatem formaliter, nego; effectiuè concedo. Etenim volitio est quædam formalis tendentia, quâ volens attingit volitum in ratione obiecti, non tamen est formalis tendentia, quâ illud attingit in ratione effectus; atque adeò non est necesse, vt libera volitio Dei formaliter, & in recto includat extrinsecam productionem, quâ formaliter attingat obiectum in ratione effectus, sed sufficit, si illum tantùm connotet, vt infrà in nostro modo explicabimus.

81. Septimum modum indicat Ocham in 1. dist. 38. L. C. voluntatem Diuinam non esse liberam, quâ volitio est, sed quâ operatio est; siue non esse liberam vt principium vitale, sed vt principium effectiuum. Fundamentum est. Quia libertas, quoad velle, & nolle, seu quoad intrinsecam vitalitatem importat potentiã passiuam, quæ Deo actui puro repugnat: libertas verò quoad operari solùm importat potentiam actiuam, quæ Deo non repugnat. Sed neque hic modus sufficienter explicat libertatem Dei, quæ non solùm quoad operari, sed etiam quoad ipsum velle, & nolle vitale, debet aliquo modo esse libera; alioqui non esset libera, vt voluntas formaliter, sed tantùm, vt causa operatiua.

## *Verior modus proponitur.*

82. Octauus & verior modus est, quem docent Altisidiorensis li. 1. c. 12. q. 1. Alensis 1. p. q. 34. memb. 2. Aureolus in 1. dist. 47. ar. 1. & 2. Arrubal 1. p. disp. 44. cap. 3. Granad. 1. p. tract. 3. disp. 5. sect. 3. Alarcon de volunt. Dei disp. 4. c. 8. esse ipsum actum necessarium, vt liberè connotantem extrinsecam productionem effectus, liberè à se dependentis. Pro quo Nota, duplicem distingui libertatem, vnam per modum principij; alterã per modum actus. Prior est per ordinem ad effectus, quos ita producit, vt possit non producere, vt voluntas creata est libera per modum principij, tum in ordine ad externas operationes, tum in ordine ad internos actus, quos liberè in se ipsa producit; velut cùm in se ipsa producit volitionem, aut nolitionem obiecti; nam etiam respectu talium actuum dicitur libera per modum principij, quia talis actus comparatur ad voluntatem, vt effectus ad potentiam liberam. Posterior libertas est per ordinem ad obiecta, ad quę liberè tendimus, ad ea enim nequimus tẽdere, nisi per actus nobis intrinsecos, & vitales; obiecta enim nequeunt attingi à nobis, nisi per vitales, actualesq; tendentias, seu inclinationes essentialiter ordinatas ad illa. Præsens controuersia non est, quomodo Deus sit liber per modum principij in ordine ad effectus, quos ad extra producit, quia in hoc genere libertatis nulla per se requiritur intrinseca mutatio in principio, vt liberè suos effectus producat, vt patet in ipsa volũtate creata, quæ, vt liberè in se ipsa producat actus vitales, nulla in ea prærequiritur mutatio. Cuius ratio est, quia esse liberũ per modum principij, solùm importat principium actiuè indifferens ad vtrumlibet, arq;

*Altisidior. Alensis. Aureolus. Arrubal. Granadus. Alarcon.*

ad eò

adeò de se potens ad determinandū se ipsum ad alterutram partem. Sola igitur difficultas est, quo pacto Deus sit liber per modum actualis tendentiæ, ac vitalis inclinationis ad obiecta, quæ liberè velle, aut nolle potest. Etenim, cùm hæc tendentia & inclinatio debeat necessariò esse intrinseca Deo, alioqui vitalis non esset, non videtur, quâ ratione possit esse libera sine intrinseca mutatione Dei, quo non obstante,

83. Dicendum est, Deum non modò esse liberum per modum principij, in ordine ad effectus producendos, sed etiam per modum actus, in ordine ad obiecta volenda, aut nolēda, sine vlla intrinseca mutatione sui, quod sic probo. Ille actus potest absque intrinseca mutatione sui liberè velle, aut nolle obiectū, qui in se ipso præhabet omnem vitalem complacentiam boni, omnemque vitalem displicentiā mali, solumque illi deest, ad hoc vt sit libera volitio, aut nolitio obiecti, extrinseca productio effectus, vel negatio productionis, liberè ab ipso actu dependentis. Sed actus Diuinæ voluntatis præhabet in se omnem vitalem complacentiam boni, & omnem vitalem displicentiam mali, solumque illi deest, ad hoc vt sit libera volitio, aut nolitio obiecti, extrinseca productio effectus, aut negatio eiusdem productionis, liberè ab ipso dependentis: igitur poterit sine intrinseca mutatione sui, per extrinsecam duntaxat mutationem effectus, liberè velle, aut nolle hoc, vel illud obiectum. Consequentia patet; nam, si vt actus Diuinæ volunratis dicatur libera volitio, aut nolitio huius, vel illius obiecti, non eget nouâ tendentiâ vitali intrinseca ad tale obiectum, cùm illam iam præsupponatur habere ex necessaria terminatione sui ad omnes creaturas possibiles, sed solâ connotatione productionis, aut negationis productionis extrinseci effectus, liberè à se dependentis poterit sine intrinseca mutatione sui, per extrinsecam duntaxat mutationem effectus velle, aut nolle hoc, vel illud obiectum. Minor constat ex sectione præcedenti, in qua ostendimus, actum Diuinæ voluntatis, necessariò esse terminatum ad omne bonum possibile, per modum simplicis complacentiæ, & vitalis inclinationis, & ad omne malum possibile, per modum simplicis displicentiæ, & vitalis auersionis.

84. Maior, in qua est præcipua difficultas, sic probatur. Libera volitio, aut nolitio obiecti duo essentialiter importat, & vitalē inclinationem ad obiectum volitum, ex præconcepta bonitate ipsius, & simul liberam connotationem extrinsecæ actionis, per quam aliquod esse communicatur obiecto volito, si sit volitio; vel si sit nolitio, vitalem auersionem ab obiecto nolito, ex præconcepta malitia eiusdem obiecti, & simul liberam connotationem negationis, aut subtractionis extrinsecæ actionis, per quam aliquod bonum subtrahatur ab ipso obiecto nolito. Non enim propriè dicimur velle, aut nolle, siue amare, aut odisse, si, cùm possumus, nullum bonum communicamus obiecto volito, & amato; aut nullum malum inferimus obiecto nolito & odio habito: sed tantùm dicimur aut nobis complacere in bono, aut displicere in malo præcognito. Et ratio huius est; quia volitio essentialiter ordinatur ad aliquam boni communicationem, sicut nolitio, vel odium ad aliquam boni subtractionem. Est enim volitio, quædam vitalis tendentia, ac via, quâ volens tendit ad communicandum aliquod bonum volito: contrà verò nolitio, siue odium, est quædam vitalis auersio, quâ nolens, siue odiens auertit se ab obiecto nolito, & odio habito per negationem, vel subtractionem alicuius boni. Igitur ille actus, qui ex infinita sua perfectione, & actualitate præhabet vitalem inclinationem ad omne bonum, & vitalem auersionem ab omni malo, tantumque illi deest connotatio extrinsecæ productionis, aut negationis eiusdē productionis, liberè à se depēdentis, vt sit libera volitio, aut nolitio, siue odium huius vel illius obiecti, poterit absque intrinseca mutatione sui liberè velle, aut nolle, quodcunque obiectum creatum. Consequentia patet; nam actus non mutatur per connotationem extrinsecæ productionis, aut negationis eiusdem productionis, à se liberè dependentis, sed solùm per intrinsecam inclinationem ad bonum volitum, & auersionem à malo nolito: atqui quoad intrinsecam inclinationem, & auersionem actus Diuinus non debet variari ad hoc, vt fiat libera volitio, aut nolitio huius, vel illius obiecti; sed tantùm variari debet quoad connotationem extrinsecæ actionis, vel negationis, liberè à se dependentis: igitur poterit liberè velle, aut nolle quodcunque obiectum creatum, absque intrinseca mutatione sui.

85. Confirmatur; nam voluntas creata non mutatur per suam volitionem, aut nolitionem, quatenus formaliter connotat externam communicationem boni, aut negationem eiusdem, sed quatenus dicit vitalem, & intrinsecam tendentiam ad obiectum, ex præconcepta bonitate aut malitia ipsius, quam debet de nouo acquirere, per nouum actum à se productum, cùm non supponatur illam habere, sicut illam habet Diuina voluntas actu terminata, per modum simplicis complacentiæ, vel displicentiæ ad omnia bona, vel mala possibilia.

86. Cæterùm notandum; in re extrinsecè producta distingui actionem ab effectu, tanquam viam à termino: porrò id, quod primò determinat actum Diuinæ voluntatis, vt ex necessario fiat libera volitio, aut nolitio huius, vel illius obiecti, non est terminus productus, aut destructus, vel negatus, sed actio ipsa producendi, vel negatio, seu destructio talis actionis. Quoniam id primò determinat actum Diuinum, vt ex

necessario

necessariò fiat liber, quod immediatiùs & proximiùs ab ipso actu libere connotatur: id autem immediatiùs, & proximiùs ab ipso actu liberè connotatur, quod immediatius, & proximiùs liberè ab ipso producitur. Immediatiùs autem, & proximiùs liberè ab ipso producitur actio, quàm terminus, cùm illa sit ratio & via ad hunc: igitur hæc, non ille est primum, & essentiale connotatum actus liberi Diuinæ voluntatis.

87. Illustratur hæc doctrina exemplo voluntatis creatæ. Hæc enim non solùm dicitur liberè velle, vel nolle extrinsecum obiectum, sed etiam intrinsecum suum actum volitionis & nolitionis, & non per distinctum actum, ne procedatur in infinitum, sed per eundem, quo vult extrinsecum obiectum. Etenim liberè illum producendo ex præconcepta bonitate ipsius, non modò illum liberè producit, sed etiam liberè vult, quia non solùm illum producit vt principium effectiuum Physicum, sed etiam vt principium volitiuum morale, illum ex præconcepta bonitate causando, quem poterat non causare. Pari ratione Deus non solùm dicitur liberè producere creaturas, sed etiam eas liberè velle: quia non solùm producit illas vt principium Physicum, sed etiam vt principium volitiuum morale, eas ex præconcepta bonitate producendo, quas poterat non producere. Ergo sicut voluntas creata non dicitur liberè velle suum actum per alium distinctum, sed per eundem, qui simul est volitus vt quo, & ratio volendi: ita voluntas increata dicitur liberè velle suam liberam volitionem, per eandem vt liberè terminatam ad effectum & præconcepta bonitate producendum.

88. Dices. Ideo potest voluntas creata eodem actu, quem in se producit, liberè illum velle, quia idem simul est libera productio, & vitalis tendentia, per quam eadem voluntas suum actum exercitè amat ac diligit. At productio creaturæ, licet sit libera ab actu libero Dei non est tamen vitalis tendentia, per quam Deus eandem creaturam amat ac diligit. Sed contrà: nam licet productio creaturæ non sit intrinseca & vitalis Deo, proinde nequeat per eam creaturam diligere: Est tamen intrinsecus & vitalis ipse actus, quo illam Deus producit, qui formaliter sit liber ipsa productione creaturæ, tanquam termino essentialiter connotato. Velut si voluntas creata, vti est potentialis inclinatio ad sua obiecta, esset actualis inclinatio per modum simplicis complacentiæ ad illa, hoc ipso quod aliquod bonum in illis liberè produceret, diceretur liberè efficaciter ea velle atque amare, quia sola externa productio boni illi deerat ad efficacem volitionem & amorem. Cùm igitur voluntas increata sit actualis complacentia omnis boni possibilis, hoc ipso quòd liberè producit aliquod bonum creatum, dicitur illud liberè efficaciter velle atque amare, per ipsummet actum vt formaliter terminatum ad existentiam obiecti: nam hæc sola extrinseca productio deerat actui diuino, quo minùs dici posset libera volitio atque amor efficax creaturæ. Vnde quemadmodum vt illam liberè producat, non eget actu distincto ab ipso principio liberè productiuo; sicut neque vt voluntas creata liberè producat suum actum, eget distincto actu ab ipso principio liberè productiuo: ita sola extrinseca productione posita, tanquam essentiali connotato, ipse intrinsecus actus Dei fit formaliter efficax & practicus amor creaturæ, qui antea tantùm erat simplex & speculatiua complacentia boni possibilis.

89. Vltimò probatur hæc sententia à priori. Totum id ingreditur essentiam rei, sine quo nequit res distingui ab alia: sed absque connotatione termini liberè producendi, nequit volitio diuina necessaria distingui à volitione diuina libera: igitur connotatio termini liberè producendi ingreditur essentiam liberæ volitionis diuinæ. Maior patet, nam idem est distinctiuum rei, & constitutiuum eiusdem; ergo totum id, sine quo nequit res distingui ab alia, ingreditur constitutionem ipsius. Minor probatur: nam quamdiu volitio diuina non contrahitur per extrinsecam connotationem termini, liberè producendi, manet formaliter necessaria: ergo manet sine constitutiuo volitionis liberæ. Consequentia patet, quia necessarium vt necessarium nequit esse constitutiuum liberi vt liberi. Antecedens constat: nam ante contractionem ad extrinsecam terminationem effectus producendi nihil est in actu diuinæ volitionis, nisi intrinsecum: omne autem intrinsecum, necessarium est in Deo: igitur quidquid præcedit extrinsecam terminationem seu connotationem effectus liberè producendi, est necessarium, ac proinde inidoneum ad constituendam volitionem diuinam in ratione liberi.

## *Corollaria Doctrinæ.*

90. Ex dictis constat primò, liberam volitionem, & nolitionem esse perfectiones intrinsecas & vitales in Deo, etiamsi ad essentiale complementum requirant extrinsecum connotatum, defectu cuius actus ipse vitalis, & intrinsecus non denominat Deum, liberè volentem, aut nolentem. Cuius ratio est; quia libera volitio, & nolitio essentialiter important in recto vitalem, & intrinsecam tendentiam ad obiectum volitum, aut nolitum, in obliquo verò, & connotatiuè tantùm liberam productionem, aut negationem extrinsecę productionis.

91. Constat secundò, Deum non esse liberum quoad vitalem tendentiam, quàm in recto dicit actus ipse liber in Deo, sed solùm quoad connotationem extrinseci termini.

mini. Quæ connotatio, quia essentialiter requiritur ad actum liberum, ideò simpliciter dicitur Deus liberè velle, aut nolle obiecta creata: nam sicut defectu huius connotationis, actus Dei non dicitur simpliciter volitio, aut nolitio obiecti; ita qui habet tantum libertatem quoad huiusmodi connotationem obiecti, dicetur simpliciter habere libertatem, quoad actus ipsos volitionis & nolitionis. Vnde quia Deus habet libertatem in huiusmodi connotationem, essentialiter requisitam ad actum liberum, habebit etiam libertatem in ipsum actum liberum, quatenus liber est formaliter, quia fit liber formaliter per huiusmodi connotationem.

92. Constat tertiò, eundem actum Diuinæ volitionis, connotata negatione extrinsecæ productionis, interdum dici puram nolitionem, interdum verò odium, & displicentiam. Dicitur odium, & displicentia, quando negatio externæ productionis procedit ex præconcepta malitia alicuius culpæ moralis, ob quam talis productio negatur, vel subtrahitur: vt cùm ex præconcepta malitia peccati nobis Deus subtrahit suam gratiam. Dicitur autem pura nolitio, quando talis negatio, vel subtractio non procedit ex præconcepta malitia culpæ moralis, quam solam Deus dicitur odisse, sed vel ex sua libertate, vel ex aliquo alio motiuo, vt negatio productionis alterius mundi, vel annihilatio angeli.

93. Constat quartò discrimen, quo voluntas creata liberè sibi producit suos intrinsecos actus, & Deus extrinsecos effectus: nam illa producit sibi suos intrinsecos actus, vt potentia libera ex præconcepta bonitate ipsorum, absque præuia inclinatione actuali ad ipsos actus, vel obiecta; hanc enim inclinationem habet voluntas creata formaliter per ipsum actum, quem in se ipsa liberè producit: at voluntas increata producit extrinsecos effectus, non solùm vt potentia libera, sed etiam vt actus: quia non solùm producit illos ex præuia cognitione bonitatis ipsorum, sed etiam ex præuia, & vitali complacentia eorundem, quam in se ipso habet ex necessaria terminatione ad creaturas possibiles. Vnde per istam complacentiam comparatur voluntas increata ad effectus extrinsecos, sicut voluntas creata per suum actum intrinsecum comparatur ad operationem extrinsecam, quam extra se liberè producit: quia quod habet voluntas creata per suum actum liberum intrinsecum, habet Deus per suum actum necessarium intrinsecum.

94. Constat quintò, Deum positiuè nolle ea, quæ nunquam est productus, esto connotatum sit negatiuum, ipsa scilicet negatio productionis ad extra. Fundamentum est. Quia Deus non dicitur nolle formaliter per negationem productionis, sed per ipsum actum positiuum suæ voluntatis, vt connotantem negationem productionis liberè à se dependentem; quia cum posset talem negationem tollere per oppositam productionem dum ex præconcepta apprehensione alicuius finis non tollit, dicitur talem negationem liberè, ac vitaliter velle, & consequenter eius oppositam productionem libere, ac vitaliter nolle.

95. Constat sextò, aliter Dei voluntatem terminari ad nolitum, aliter scientiam ad scitum: nam scientia supponit, non est causa veritatis huius obiecti; voluntas verò est causa bonitatis obiectiuæ, quoad existentiam, licet supponat illam quoad essentiam. Quo fit, vt libera terminatio, per quam voluntas Diuina tendit ad suum obiectum, sit posterior voluntate, vt est causa talis obiecti, & prior bonitate ipsâ creaturæ producendę, quatenus est effectus; posterior quidem voluntate, quia est immediatus effectus ipsius, est enim ipsa actio extrinseca liberè à Deo producta, tanquam via ad communicandam existentiam obiecto volito; prior verò bonitate ipsa obiecti, quoniam ad eam comparatur, vt actio ad terminum. Terminatio verò scientiæ, semper est posterior, veritate ipsa obiecti, quia semper supponit illam, estque pura intuitio illius.

96. Constat septimò, Deum per se ipsum immediatè esse causam liberæ terminationis ad creaturas, ea verò terminatione mediante esse causam ipsarum creaturarum; natu per se ipsum immediatè est libera causa actionis creatæ, eaque mediante tendit ad communicandam bonitatem creaturis: quæ tendentia, quia immediatè proficiscitur à Deo ex apprehensione boni vt finis, propter quem illam ad extra producit, est immediatum, & essentiale connotatum actus Diuini, vt est libera volitio obiecti creati, quia per illam liberè communicat bonitatem creaturis ad extra, non secus ac voluntas creata per suum actum liberum internum, proficiscentem ex apprehensione boni & finis, communicat aliquam bonitatem obiecto volito.

97. Constat octauò, per eandem actionem Deum tendere ad creaturas, vt obiectum, & eas producere vt effectus: nam eadem actio est conditio, qua posita, actus Diuinæ voluntatis liberè tendit ad terminum talis actionis, tanquam ad obiectum volitum, & simul est via, qua eundem terminum ad extra producit. Vnde eadem actio & est causalitas Diuinę potentiæ ad terminum producendum, & essentiale complementum seu connotatum Diuinæ voluntatis ad obiectum liberè volendum.

98. Constat nonò, qua ratione Diuina voluntas ex indifferenti ad volendum hoc, vel illud obiectum, se determinet ad hoc potiùs, quàm ad aliud; quia cùm sit indifferens per vim actiuam ad oppositos effectus producendos, sicut voluntas creata ad oppositos actus eliciendos, poterit se ipsa actiuè determinare per extrinsecam productionem effectus, absque præuia determinatione intrinseca: quia vis actiua indifferens non eget superaddito determinante, vt se ipsâ formaliter determinet: vt patet in voluntate creata, actiuè se ipsâ determinante, ad volitionem potiùs, quàm ad

nolitionem, absque vlla præuia determinatione.

99. Constat decimò, quomodo Deus, sine vlla mutatione sui, & intrinseca variatione actus, dicatur eandem personam pro vno tempore diligere, pro alio odio habere in ordine ad eundem finem supernaturalem; nã diligit illam, in ea suam gratiam producendo, per quam formaliter illam acceptat ad gloriam, & amicitiam suam; odit verò, quatenus illam sua gratia priuat. Quia ab ipsa æternitate eandem personam, per ordinem ad productionem gratiæ pro vno tempore dilexit, per priuationem verò gratiæ, pro alio tempore, eandem personam odio habuit. Vnde eundem prædestinatum, dum est in peccato, & secundùm præsentem statum odit, pro futura verò æternitate diligit.

100. Constat vndecimò, qua ratione in Deo sint virtutes morales, quæ in actione consistunt. Nam est in Deo misericordia, quatenus ex motiuo subleuationis miseriæ sua dona largitur. Est iustitia, quatenus ex motiuo iustæ vindictæ mala punit. Est amor, quatenus ex motiuo beneuolentiæ sua bona communicat. Est igitur in Deo actus liber huius, vel illius virtutis, actus ipse necessarius, vt connotans extrinsecam productionem liberè à se dependentem ex hoc, aut illo motiuo. Contrà verò non est in Deo, ira, aut displicentia propriè dicta, quia huiusmodi affectus imperfectionem important; nam ira inuoluit tristitiam non modò vt causam ex qua originatur, sed etiam vt obiectum: est enim vt illam Arist. definit, *Appetitus vicissim dolorem inferendi*. *Aristot.* Repugnat autem Deo tristitia: ergo similiter & ira, quę tristitiam includit vt obiectum. Displicentia verò propriè dicta importat affectum tristitiæ, quæ in Deo esse non potest. Quare, cùm dicitur, Deo malum displicere, sensus est, Deum nolle illud, vt contrarium suæ bonitati, absque vllo intrinseco affectu tristitiæ. Idem docere videtur de odio propriè dicto S. Thomas 1. contra Gentes cap. 96. nam odium, est quo quis vult malum personę, quà malum personę est, Deus autem non vult malum, quà malum personæ est formaliter, sed quà bonum est, & correctiuum mali; vult enim pœnam damnatis, nõ vt malum damnatis, sed vt correctiuum culpæ, & manifestatiuum suæ iustitiæ. Cęterùm, dicitur Deus odisse peccata, quatenus ea vellet non esse, vt contraria suæ bonitati, & perfectioni, quã desiderat creaturis: & propterea ea prohibet; permittit autem illa ob maius bonum, quod est conseruatio libertatis creatę, & bonum iustitiæ Diuinæ, quod ex eorum punitione manifestatur. *S. Thomas.*

101. Verùm hæc ratio non obstat, quin verum & proprium odium in Deo esse dicamus, tum abominationis, quo peccatum ipsum vt suæ bonitati contrarium, & nobis noxium prosequitur; tum inimicitiæ, quo malũ pœnæ nobis infligit ex displicentia personæ, non quà persona est simpliciter, sed quà peccator est: sic enim Deo displicemus, sumusq; obiectum Diuinæ inimicitię. Neque est contra rationẽ odij, in ipso malo, quod odimus, aliquam rationem boni spectare: simul iudex, cùm malefactorem punit, rationem publici boni spectat, & tamen per talem punitionem verè & propriè dicitur malefactorem odisse, odio inimicitiæ, quia pœnam illi infligit ex displicentia personę, non quà persona simpliciter est, sed quà reus, & malefactor est. Quod tandem concedit idem S. Doctor 1. part. quæst. 20. artic. 2. ad vltimum, vbi docet, in Deo esse odium respectu peccatoris, non quà natura quędam est, sed quà peccator est. Iuxta quam doctrinam explicandus est locus contra gentiles suprà citatus. *S. Thomas.*

## *Obiectiones contra datam doctrinam.*

102. *Obijcies* 1. Ideò Deus fecit creaturas, quia eas voluit Psal. 113. ergo volitio creaturarum antecedit productionem earum, vt causa antecedit suum effectum: non igitur potest Deus velle per actum, vt formaliter connotantem productionem creaturarũ. Posterior consequentia probatur; quia causa in ratione causæ non potest constitui per suũ effectum: sed positio creaturarum est causa productionis earũ; igitur non potest formaliter constitui per connotationem productionis creaturarum. Resp. distinguendo primum consequens; libera volitio adęquatè sumpta antecedit productionem creaturarum, nego; inadæquatè accepta, secũdùm quod dicit intrinsecam perfectionem, secundùm quã tantùm est libera causa effectus ad extra, concedo. Volitio enim Dei non est causa creaturarũ, vt formaliter connotat creaturas, sic enim inuoluit illas; vt effectus à se liberè dependentes, sed est causa creaturarum, quatenus est liberum principium productiuum ad extra, & vt sic, præcedit illas. Cæterùm vera est causalis, vel in sensu formali, vel etiam in sensu causali, accipiendo creaturas pro terminis productis, non pro actione ipsa, qua ad extra liberè producuntur, per cuius solam connotationem immediatè constituitur libera volitio Dei. Sic enim vera est prædicta propositio, etiam in sensu causali. Ideo Deus fecit creaturas, quia voluit: nam sicut actio, qua producitur creatura, antecedit ipsam creaturam vt terminum productum: ita volitio Dei, quæ formaliter constituitur libera per connotationem solius actionis, antecedit ipsam creaturam, vt terminum productum. *Psalm. 113.*

103. Instabis. Voluntas Diuina, vt causa est creaturarum, est libera volitio earum; sed vt est causa, antecedit productionem creaturarum; ergo vt est libera volitio creaturarum, non includit formaliter productionem earum. Respondeo distinguendo maiorem; voluntas Diuina, vt causa est creaturarum formaliter & in actu secundo, est libera volitio earum, concedo; vt causa est fundamẽtaliter, & in actu primo, nego. Vnde ad

mino-

minorem; voluntas Diuina, vt causa fundamentaliter, & in actu primo antecedit productionem creaturarum, concedo; vt causa est formaliter, & in actu secundo, nego: igitur vt libera volitio non includit formaliter productionem creaturarum, nego consequentiam; quia est libera volitio creaturarum, vt est ipsarum causa formaliter, & in actu secundo, non autem vt est causa fundamentaliter, & in actu primo.

103. Cęterùm non semper in propositione causali assignatur causa, realiter, sed interdum ratione tantùm distincta: vt constat in his propositionibus: *Ideo Deus concurrit cum voluntate creata quia voluntas vult concurrere: & Ideo voluntas creata vult, quia Deus concurrit cum illa.* In vtraque enim propositione causa, quę assignatur, non realiter, sed ratione tantùm distinguitur ab effectu. Nam in priori propositione causa concursus generalis Dei assignatur concursus voluntatis creatæ: in posteriori contrà, causa concursus voluntatis creatæ assignatur concursus generalis Dei, cùm tamen neuter concursus sit realis & adæquata causa alterius, sed vna indiuisibilis actio se ipsa procedens à virtute Dei, & creaturæ simul. Pari modo cùm dicitur: *Ideo Deus produxit mundum, quia illum voluit*: necesse non est, vt assignata causa productionis mundi sit adęquatè condistincta ab ipsa productione mundi, sed sufficit, si sit inadęquatè tantùm ab illa distincta; cùm in ipsa volitione Dei quæ assignatur proxima causa productionis mundi, includatur ipsa productio mundi, tanquam essentiale connotatum. Distinguitur igitur libera volitio Dei ab ipsa productione mundi inadęquatè, ratione principij duntaxat liberè productiui, quod in ipsa libera volitione Dei essentialiter includitur; non autem adæquatè, cùm adęquatè sumpta, præter principium liberè productiuum, includat etiam vt essentiale connotatum ipsam productionem mundi.

105. *Obijcies* secundò. Productio ipsa creaturarum ex se indifferens est vt sit, vel nō sit; ergo non potest esse ratio determinatiua Diuinæ voluntatis, sed potiùs ipsa Diuina voluntas erit ratio determinatiua huius, vel illius productionis. Respondeo, distinguendo antecedens de indifferentia effectiua, & formali. Concedo productionem esse indifferētem effectiuè, non autē formaliter. Productio igitur effectiuè determinatur à libera volūtate Dei, formaliter verò ipsa determinat voluntatem Dei, ad formalem volitionem creaturarum. Sicut volitio creata effectiuè determinatur à voluntate creata, formaliter verò ipsa determinat voluntatem creatam, in ratione volentis potiùs, quàm nolentis. Quare distinguo primum consequens; non potest productio creaturarum esse ratio determinatiua Diuinæ voluntatis effectiuè, concedo; formaliter nego. Distinguo etiam secundum cōsequens; debet ante productionem assignari ratio determinatiua Diuinæ voluntatis formalis, nego; effectiua, concedo: hæc autem est ipsa virtus libera Diuinę voluntatis, actiuè indifferens ad hanc, vel illam productionem: vt constat de voluntate creata, quę se ipsa effectiuè determinat ad hanc, vel illam nolitionem, absque alia præuia determinatione, nam hoc est de ratione virtutis actiuè indifferentis, posse se ad oppositos actus determinare, absque pręuia determinatione.

106. *Obijcies* tertiò: Non dicitur creatura velle, quando habet propositum volendi, sed quando actu vult: igitur nec Deus ab æterno voluit, quando habuit propositū creandi, sed quando in tempore creauit. Respondeo, negando consequentiam. Ratio discriminis est, quia creatura vult per actum superadditum, Deus autem per actum necessarium connotantem futuritionem effectus, liberè à se dependentis: atqui Deus ab æterno habuit actum connotantem futuritionem effectus, liberè à se in tempore dependentis; igitur ab ęterno habuit actum liberum volendi mundum, esto ab æterno mundum non creauerit.

107. Instabis. Si Deus ab æterno dicebatur velle creaturas, quia ab æterno connotabat illas liberè à se producendas in tempore; pari modo dicetur Petrus nunc velle peccatum, quia nunc connotat peccatum, cras à se liberè committendum. Respondeo, Si Petrus nunc se determinet ad peccandum cras, nunc dicitur velle peccatum, non quia nunc connotat peccatum cras à se liberè committendum, sed quia nunc committit peccatum, per internum propositum cras peccandi. Ratio discriminis, quia quamdiu creatura actu non peccat, semper potest voluntatem peccandi retractare; Deus autem, quia immutabilis est, si semel aliquid connotat, liberè à se faciendum, semper & infallibiliter connotat, quia nequit suum actum, semel positum retractare.

108. Vrges. Non minùs voluntas creata ex suppositione quòd elicitura est actum cōtritionis, toto tępore, antequam illum eliciat, infallibiliter connotat illum à se eliciendum, quam ex suppositione quod Deus erat mundum creaturus, ab æterno infallibiliter cōnotauit illum à se producendū: ergo tam infallibilis est voluntas creata in suis decretis, quā voluntas increata in suis. Antecedens patet: nā tam est infallibile, vt quod ex suppositione libertatis creatæ est futurum, sit futurum, quā quod ex suppositione voluntatis increatæ futurum est, sit futurum: ergo ęquè infallibiliter voluntas creata connotat suum actum futurum, ex suppositione quòd sit futurus, ac voluntas increata connotat productionem creaturæ, ex suppositione quòd sit futura, & consequenter ęquè infallibile est decretum voluntatis creatę, ac decretum voluntatis increatæ. Consequentia verò primi enthymematis probatur: quia si decretum diuinum non est aliud, quàm voluntas ipsa increata connotato tantùm effectu liberè producendo; etiam decretum creatum nil aliud erit, quàm voluntas ipsa creata, connotato tantùm actu liberè à se producendo: igitur tam

infallibile erit decretum creaturę, quàm Dei. Respon. negando consequentiam, eiusque probationem: tum quia diuersum est decretum Dei, & creaturæ. Huius enim decretum consistit in libero proposito, quod in præsenti habet de suo futuro actu, quod propositum natura sua mutabile est. Decretum verò Dei, cùm nequeat consistere in aliquo libero proposito distincto ab ipso actu necessario vt connotante effectum liberè à se producendum, longè diuersum erit à Decreto creaturę: proinde, esto ęquè infallibiliter voluntas creata connotet suum actum ex suppositione futurum, ac voluntas increata effectum à se producendum, quia tamen decretum creaturæ non sumitur ex huiusmodi cõnotatione effectus ex suppositione futuri, sed ex præsenti proposito mutabili, non erit dicendum ęquè infallibile esse decretum creaturæ, ac Dei, tum quia infallibilitas ipsa, quam dicit decretum creatum, quatenus connotat actum ex suppositione futurum, non tam oritur ex immutabilitate voluntatis creatę, quàm ex ipsa suppositione futuritionis: non secus ac infallibilitas, quam importat decretum eiusdem creaturæ, quatenus connotat actum ex suppositione præsentem, non tam oritur ex immutabilitate voluntatis creatę, quàm ex suppositione ipsius actus præsentis, qui dum est præsens, aut futurus, non potest non esse præsens, aut futurus, ac proinde non connotari à voluntate creata. Infallibilitas verò, quam dicit Decretum diuinum, quatenus connotat effectum futurum, oritur ex ipsa immutabilitate voluntatis increatæ, quæ semel pro sua libertate determinata ad vnum, implicat ob infinitam suam constantiam mutari in oppositum. Quare ipsa futuritio effectus suam infallibilitatem sortitur ex immutabilitate Diuinę voluntatis: contrà verò infallibilitas voluntatis creatę in connotando suum actum futurum, sumitur ex ipsa futuritione actus ex suppositione futuri.

109. Instabis vlteriùs. Agens intellectuale, qualis est Deus, nihil extra se producit, nisi moraliter ad intra determinatus: ergo ante omnem extrinsecam productionem supponitur Deus moraliter determinatus intra se: determinatur autem moraliter intra se per liberum actum volendi: ergo ante omnem extrinsecam productionem supponitur Deus moraliter determinatus per liberam volitionem: non igitur libera volitio diuina inuoluit productionem effectus futuri, tanquam essentiale connotatum. Resp. negando Minorem: falsum quippe est, etiam in agente intellectuali creato, vt ante omnẽ liberam productionem debeat supponi moraliter determinatus per actum liberum antecedentẽ ipsã liberam productionem: patet in ipsa productione liberæ volitionis, quam voluntas creata liberè in se ipsa producit, cùm tamen ante illã non supponatur moraliter determinata per aliquem actum distinctũ ab ipsa libera productione suæ volitionis: nam in hoc ita se habet Deus ad extrinsecam productionem effectus, sicut voluntas creata ad intrinsecã productionem suæ volitionis. Quod etiã probatur ratione, quoniam vt agens intellectuale possit liberè aliquid producere, sufficit, vt supponatur in actu primo proximè potens ad vtrũque supponitur autẽ proximè potens ad vtrũque tum per iudicium vtriusque partis, tum per voluntatem indifferentem actiuè ac potẽtem ad vtrumque, quibus positis absque alio superaddito actu poterit agens intellectuale liberè se determinare ad productionem, vel non productionem effectus, per ipsammet productionem, vel non productionem.

109. *Obijcies* quartò: Si liberum velle Dei nullam addit intrinsecam perfectionẽ actui necessario, posset Deus sine vlla sui mutatione, res velle in tempore, & non ab æterno; imò mutare liberum suum decretum, absque vlla sui imperfectione. Respondeo, negando vtramque sequelam: ratio prioris negationis est, quia non potuit Diuina voluntas futuros effectus ab æterno liberè non connotasse: sed in hac libera connotatione futuri effectus consistit liberum decretum Dei: igitur implicat, Deum tale decretum habere in tempore, & non ab æterno. Ratio posterioris negationis est; quia licet hoc non arguat imperfectionem physicam, arguit tamen moralem inconstantiam, quę procul à Deo esse debet.

110. *Obijcies* quintò: Datur in Deo noua terminatio scientię: sed hæc saluari non potest per extrinsecam duntaxat connotationem obiecti; ergo nec per talem extrinsecam connotationem saluari poterit noua, ac libera terminatio Diuinæ voluntatis. Maior cõstat de scientia Visionis, quæ ita terminatur ad rẽ futuram, vt potuerit ad eam non terminari. Minor probatur; nam hæc terminatio, cùm sit vitalis expressio obiecti, nequit saluari per solam connotationem obiecti. Respondeo, negando minorem, eiusq; probationẽ. Etenim scientia Visionis nihil noui intentionaliter exprimit intellectui Diuino, quod non exprimit scientia simplicis intelligentię: nam scientia simplicis intelligentiæ intentionaliter exprimit res omnes, secundùm omnem dispositionem, quam possunt habere: vnde nihil noui exprimit vna, quod nõ exprimat altera. Solùm scientia Visionis connotat obiectum in propria natura existens, quod non connotat scientia simplicis intelligentię: hæc autem cõnotatio non variat intrinsecè scientiam, quia scientia non pendet ex obiecto, in propria natura existente, sed intentionaliter tãtùm præsente: vt constat de visione corporea, quæ, si rem exprimat per propriam speciẽ, siue deinde res illa fiat præsens in propria natura, siue non, semper illa eodem modo exprimitur, & repræsentatur potẽtiæ Visiuæ: nec aliqua perfectio additur, vel demitur visioni ex præsentia, vel absentia ipsa obiecti in propria natura existentis. Cuius ratio est, quia tota perfectio cognitionis attenditur penes esse intẽtionale obiecti, non autem penes esse naturale.

Vnde

111. Vnde potiùs hinc sumitur noua ratio ad confirmandam nostram doctrinam: nam sicut in actu scientiæ simplicis intelligẽtiæ, qui terminatur ad creaturas possibiles, prę supponitur omnis perfectio intrinseca, quæ haberi posset per actum contingentem, terminatum ad creaturas futuras: ita in actu voluntatis simplicis complacentię, terminato ad creaturas possibiles, prę supponitur omnis intrinseca perfectio, quæ haberi posset per actum contingentem, terminatum ad creaturas futuras, & hoc ideò, quia sicut vt actus necessarius Diuinę voluntatis fiat liber, non postulat, nisi solam connotationem extrinseci effectus liberè à se dependentis: ita, vt actus necessarius Diuinæ scientiæ fiat contingens, non postulat, nisi solam connotationem obiecti contingentis in se ipso existentis; nam totam perfectionem intrinsecam, quam in actu ipso scientię exprimere posset obiectum contingens, exprimit obiectum necessarium: quemadmodum totam perfectionem intrinsecam, quam dare posset terminatio actus liberi, dat ipsa terminatio actus necessarij, qui ex se supponitur per modum simplicis complacentię necessariò terminatus ad omnem bonitatem possibilem.

112. *Obijcies* sextò: Datur aliqua libera volitio in Deo; cui nulla respondet productio ad extra: ergo libera volitio Dei non sufficienter saluatur per connotationem productionis ad extra. Antecedens constat. Primò de libera nolitione alterius mundi. Secundò de voluntate simplicis complacentiæ saluandi omnes, cui non correspondet effectus, qui est salus omnium, quia non omnes saluantur. Tertiò de voluntate concurrendi cum omni creatura libera ad eos actus, quos nunquam illa est elicitura; huic enim voluntati nulla respondet productio. Quartò de voluntate conditionata, quam Deus habet de rebus futuris, quæ tamen nunquam erunt; vt voluntas iustificandi, si peccator se disposuerit per gratiam antecedentem. Quintò, multa Deus vult, quæ tamen sine vlla variatione obiecti aliter velle potuisset, per solam variationem intrinsecæ terminationis sui actus, vt eandem gloriam nobis velle potuit dependenter, vel independenter à nostris meritis; eandem Pauli conuersionem dependenter vel independenter à Stephani oratione. Sextò, posset Deus mihi votum relaxare, absque vlla mutatione in me facta; aut peccata remittere per extrinsecam duntaxat condonationem. Septimò, sæpè Deus gratis remittit pœnam purgatorij, absque mutatione ipsius animæ purgantis. Octauò, aliquando Deus vnam rem in aliam dirigit, vt venditionem Ioſephi in exaltationem proprię personæ: non potest autem vna res in aliam dirigi, quando illa suaptè natura non est ad aliam ordinata, absque nouo & intrinseco actu dirigentis. Nonò potest in sententia Thomistarum eadem relatio inuariata in se intrinsecè terminari ad nouum terminum: ergo & eadem voluntas Dei inuariata in se intrinsecè terminari ad nouum obiectum.

113. Respondeo negando antecedens; & ad primam probationem dico, ipsammet negationem productionis ad extra, liberè à Deo dependentem, esse sufficientem terminum liberæ nolitionis Diuinæ, iuxta ea, quę superiùs à nobis dicta sunt.

114. Ad secundam, effectum respondẽtem voluntati, quam Deus habet de salute omnium, esse ipsa media sufficientia, quæ Deus tribuit omnibus, vt salutem consequi possint. Nam idem medium de se ordinatum ad consequendum finem, est terminus voluntatis absolutæ de medijs ad finem, & simul conditionatæ de fine ipso, quem Deus non intendit absolutè, sed conditionatè, & dependenter à libertate creaturæ; cui hoc ipso, quòd præbet media sufficientia ad finem, vult illi virtualiter finem in ipsa collatione mediorum, ad finem ordinatorum: nam quâ ratione media continent finem, ad quem ordinantur; eadem ratione, voluntas ipsa dandi media continet voluntatem dandi finem; igitur sicut media ordinata ad finem virtualiter continent finem; ita & voluntas dandi media continebit virtualiter voluntatem dandi finem.

115. Ad tertiam, effectum cui correspondet huiusmodi voluntati, esse ipsam potentiam liberam creaturæ cum omnibus ad tales actus eliciendos antecedenter prærequisitis. Nam ea ipsa, quæ sunt terminus voluntatis absolutæ, sunt etiam terminus voluntatis conditionatæ, quatenus virtute continent effectus, propter quos illa dantur. Dices. ergo pariter Deus vellet peccata, quæ in ipsa libertate creaturę, vt in causa sufficienter continentur. Respondeo, negando consequẽtiam, quoniam ad peccata supponitur in Deo displicentia, quâ illa prohibet, ne fiant. Contrà verò ad actus bonos supponitur in Deo complacentia, qua illos præcipit, vel consulit, vt fiant.

116. Ad quartam dico, effectum respondentem decretis conditionatis, quæ in Deo actu supponuntur, esse omnia in actu primo sufficienter requisita ad effectum consequendum creaturæ collata, nam in ijs dicitur Deus velle conditionatè finem. Pro quo nota, decretum conditionatum in Deo duos actus liberos virtualiter inuoluere; vnum formaliter, quo media ipsa ad finem consequendum decernuntur; alterum virtualiter, quo finis ipse intenditur in ipsa collatione mediorum. Primus actus formaliter est in Deo; secundus tantùm virtute, quia nimirum si conditio poneretur ex parte creaturæ, poneretur & decretum ex parte Dei: nam illud idem decretum, quod erat virtuale in Deo, euaderet formale per connotationem conditionis extra positæ.

117. Ad quintam dico, huiusmodi variationem saluari per diuersam connotationem motiui, quo Deus proximè mouetur ad effectum producendum: si enim mouetur ad dandam gloriam ex solo motiuo suæ bonitatis,

tis, gloria ex tali motiuo collata, dicitur dari independenter à meritis, & vt purum donũ; si verò mouetur ex motiuo meritorum, eadem dicitur dari dependenter à meritis, & vt merces seu corona. Eodem modo si Deus salutẽ vnius decernat ex precibus alterius. Quòd autem possit Deus absque intrinseca variatione sui actus eandem rem decernere ex vno, vel alio motiuo, ex quo in ipso effectu producendo resultet diuersa dependentia ab hoc, vel illo motiuo, probatur; nam Deum moueri ex vno potiùs motiuo, quàm ex alio ad effectũ producendum, nil aliud est, quàm effectum non producere, nisi tale motiuum foret: hoc autem fieri potest, sine intrinseca variatione actus, per solam connotationem effectus, cum dependentia in esse à tali motiuo.

118. Ad sextam, nego antecedens, nam mutatio in eo casu, esset aut reuelatio, à Deo facta de voto relaxando, aut alicuius impedimenti appositio, quò minùs votum seruari posset. Nego etiam peccata remitti posse, absque propria retractatione peccatoris, & infusione gratiæ habitualis in hoc statu naturæ eleuatæ, vt suppono ex materia de iustificatione, à nobis suo loco disputanda. Neque ad hoc sufficit moralis duntaxat mutatio peccatoris: nam hęc moralis mutatio consurgere debet ex aliqua physica forma, quæ antea non erat, & nunc est; impossibile namque est, intelligere nouam mutationem moralem, absque noua forma physica, ad cuius positionem illa consurgat, cùm omnis mutatio moralis necessariò fundetur in physica; vel igitur ista physica mutatio erit in creatura, & habetur intentum; vel erit in Deo, peccata remittente, aut vota relaxante: at in Deo esse non potest, vt ex dictis constat; ergo in creatura.

119. Confirmatur; nam ista moralis mutatio in creatura alia esse non posset, quàm noua denominatio in ipsa creatura, consurgens ex actu Diuinæ voluntatis aliter, quàm antea ad creaturas terminato; implicat quippe eodem modo, quo antea, Diuinum actum ad creaturas terminari, & nihilominus nouam denominationem conferre, cùm non possit forma quoad omnia inuariata nouum effectum formalem, vel denominationem conferre. Vnde manet eadem difficultas, quo pacto possit idem actus immutatus in se aliter nunc, quàm antea ad creaturas terminari. Neque dicas, actum Diuinum aliter se habere, non in se, sed in ordine ad suum effectum, quem in creatura causat, non physicè, sed moraliter: quia, vt probatum est, iste effectus non est aliud, quàm extrinseca denominatio ab ipso actu Diuino, vt aliter nunc, quàm antea, ad creaturas terminato: igitur supponit actum antecedenter ad talem denominationem, aliter ad creaturas terminatum, cùm omnis denominatio supponat formam, à qua desumitur.

120. Ad septimam, nego Deum remittere animæ purganti pœnam sine Physica mutatione cõnotata. Nam hoc ipso, quòd illi Deus remittit pœnam, quæ propter peccata ex diuino decreto omnibus taxata est, huiusmodi pœnę remissio connotat suspensionem pœnę, quam talis anima propter sua peccata debebat in purgatorio sustinere. Etenim sicut pœna debita peccato supponit in Deo liberum decretum terminatum ad passionem pœnę propter peccata: ita remissio talis pœnæ supponit in Deo liberum decretum terminatum ad ipsam negationem pœnę, quæ, quia ex vi alterius decreti ei propter peccata debebatur, dicitur eius negatio remissio pœnæ. Quemadmodum si ex pacto, quod Deus iniuit cum Adamo de danda, vel neganda gratia omnibus ab ipso descendentibus, dependenter à merito, vel demerito ipsius, eximisset aliquẽ, vti multi volunt exemptam fuisse Deiparam, talis exemptio supponeret liberum Decretum in Deo de danda, vel non danda gratia tali personæ exemptæ independenter à merito, vel demerito Adami: Nam etiam peccante Adamo, data fuisset gratia Originalis huic personæ.

121. Ad octauam, respondent aliqui, cùm Deus rem vnam dirigit in aliam, ad quam non est suapte natura directa, producere illam peculiari actione cum intrinseco ordine & respectu ad illam rem, ad quam dirigitur. Quo fit, vt res illa non tantùm extrinseco actu Dei, sed intrinseco ordine & respectu incluso in ipsa actione, quo producitur, dirigatur ad aliam rem, ad quam non erat suapte natura directa. Fundamentum horum auctorum est. Quia, cùm non possit talis res contingenter denominari in aliam directa ab actu ipso Diuinæ voluntatis, qui de se immutabilis est, denominari debet ab aliqua forma in re ipsa directa existente; hæc autem alia esse non potest, quàm peculiaris actio cum intrinseco ordine & respectu ad rem, ad quam actio ipsa immediatè dirigitur.

122. Ego verò censeo, talem mutationem necessariam non esse, sed sufficere dependentiam illam, per quam vna res vel in esse, vel in aliqua perfectione pendet ab alia re ex vi decreti Diuini: talis namque dependentia potest esse fundamentum nouę, ac contingentis denominationis. Vt si exempli causa, nõ præcessisset venditio Iosephi, secuta non fuisset exaltatio eiusdem apud Ægyptios; sed alio modo ac via vsus fuisset Deus ad exaltandum illum. Quòd si aliter saluare non possumus hanc nouam denominationem in creatura, nisi per peculiarem actionem in ea productam, potiùs confugiendum est ad hunc modum, quàm vt asseramus, eam desumi ex actu Diuinæ voluntatis, cùm ille, vtpote necessarius & immutabilis, nequeat huiusmodi contingentem denominationem rebus conferre.

123. Ad nonam, nego consequentiam: ratio discriminis est; nam eadem relatio supponebatur antea intrinsecè terminata ad eundem terminum, vt possibilem: at eadem volũtas Dei non supponebatur; vt efficax volitio intrinsecè terminata ad idem obiectum, vt possibile, sed tantùm vt simplex complacentia: ac proinde assignanda est ratio, cur nunc

idem

idem actus dicatur efficax volitio obiecti, qui antea dicebatur simplex tantùm complacentia eiusdem: hæc autem alia esse non potest, quàm noua connotatio effectus, liberè à se dependentis, modo suprà explicato.

## SECTIO IV.

### *Quotuplex sit voluntas Dei, & an omnis Voluntas Dei adimpleatur.*

124. SVpereſt explicanda diuiſio voluntatis Diuinæ, quę communiter à Scholaſticis diuidi ſolet in voluntatem Signi, & Beneplaciti; in voluntatem Antecedentem & Conſequentem. Voluntas Signi eſt, quę exteriori aliquo ſigno nobis pateſcit. Quinque autem ſigna numerantur Diuinę voluntatis, Præceptum, Prohibitio, Conſilium, Promiſſio, Operatio: quorum hæc eſt ſufficiens ratio: nam aut Dei voluntas eſt rei præſentis, & hęc, ſi bona eſt, dicitur operatio, ſeu impletio; ſin mala, permiſſio; aut rei futurę, & circa illam ſi bona eſt, & ad ſalutem neceſſaria, verſatur præceptum; ſin mala, prohibitio: ſi eſt tantùm bonum ſupererogationis, circa illud eſt conſilium; quod, quia non habet malum oppoſitum, ſicut bonum neceſſarium, circa illud non verſatur prohibitio. Eſt etiam voluntas rei præteritæ, ſed quatenus fuit præſens, & ideo illius peculiare ſignum non ponitur.

125. Porrò hæc ſigna diuerſo modo indicant voluntatem in Deo; nam præceptum indicat voluntatem obligandi ad rem præceptam, cum ſimplici affectu, vt fiat. Prohibitio indicat voluntatem obligandi ad vitandam actionem prohibitam, cum ſimplici affectu, ne fiat. Conſilium eſt ſignum intellectus Diuini, practicè iudicantis illud eſſe melius, cum ſimplici affectu, vt res conſulta fiat. Permiſſio indicat voluntatem concurrendi ad effectum permiſſum, & eundem non impediendi, cum ſimplici affectu, ne fiat. Operatio eſt indicium voluntatis abſolutę ipſius rei operatę.

126. Voluntas Beneplaciti dicitur omnis illa, quâ Deus ſibi complacet in quauis re creata, quo fit vt in voluntate Beneplaciti comprehendatur omne velle Diuinum, ad creaturas exiſtentes quocunque modo terminatum, etiam ipſum velle permiſſiuum, nam etiam Deus ſibi complacet in effectu permiſſo, nam vt ſic bonus eſt, & à Deo volitus, licet malitiam includat, quatenus eſt à creatura.

*Damaſcen.* 127. Voluntas Antecedens ex Damaſceno lib. 2. de fide cap. 9. eſt, quam Deus habet de creaturis, nulla occaſione capta ex ipſis, ſiue ea abſoluta ſit & efficax, ſiue ſimplex tantùm complacentia & inefficax. Conſequens verò eſt, quę occaſionem capit ex nobis, vt voluntas præmiandi, vel puniendi, quæ occaſionem capit ex noſtris meritis, aut demeritis. Vnde voluntate antecedenti non poteſt Deus velle, niſi quæ bona ſunt, ſecus voluntate conſequente, quæ, quia occaſionē capit ex nobis permittere poteſt etiam mala.

128. Ex his infertur, omnem voluntatem antecedentem eſſe beneplaciti; non contra, omnem voluntatem beneplaciti eſſe antecedentem. Ratio prioris eſt, quia Deus ſibi maximè complacet in ijs, quę antecedente ſua voluntate decernit: nā ideo illa decernit, quia in ijs, ſibi complacet, alioqui illa non eligeret, cùm ad eligenda à nullo alio moueatur, quàm à propria ſua voluntate & beneplacito. Ratio verò poſterioris eſt, quia Deus non ſolùm ſibi complacet in ijs bonis, quæ ipſe ſola ſua voluntate decernit, ſed etiam in ijs, quæ depeudenter à noſtra etiam voluntate definit.

129. Eſt & alia Diuinę voluntatis diuiſio, in abſolutam, & conditionatam. Abſoluta eſt, cui actu correſpondet libera productio ad extra, per cuius connotationem conſtituitur libera volitio Dei; quæ & formalis, ſeu actualis volitio dicitur. Conditionata adhuc eſt duplex, altera, quæ tantùm obiectiuè eſt in Deo, quatenus Deus videt ſuum decretum, quod haberet, ſi hoc vel illud faceret. Altera fundatur in aliqua voluntate abſoluta, quæ quatenus actu connotat productionem cauſæ, liberè à ſe dependentis, dicitur abſoluta & formalis: quatenus verò eadem virtualiter tantùm connotat productionem effectus, connexi cum cauſa liberè à Deo producta, dicitur conditionata & virtualis. Vt voluntas dandi media propter finem, eſt abſoluta & formalis reſpectu mediorum, per quorum actualem connotationem conſtituitur libera volitio Dei abſoluta & formalis: reſpectu verò finis, qui actu ad extra non ponitur defectu cooperationis creaturæ, eſt conditionata & virtualis. Conſtituitur autem hęc libera voluntas conditionata & virtualis in Deo per liberam connotationem virtualem effectus, incluſam in ipſa libera connotatione actuali mediorum. Nam quemadmodum in medijs includitur ordo ad finem, & in cauſa ordo ad effectum: ita in actuali connotatione mediorum, aut cauſę includitur virtualis connotatio finis, & effectus; nam Deus in ipſis medijs, & cauſis, quas actu cōfert creaturis, præbet quidquid ex parte ſua prærequiritur ad finem, vel effectum ponendum; ac proinde in ipſis medijs, ſeu cauſis dicitur Deus velle virtualiter finem, & effectum, per cuius virtualem connotationem, incluſam in ipſa actuali connotatione mediorum, & cauſarum conſtituitur voluntas conditionata & virtualis in Deo.

130. Quoad alteram partem propoſitæ quæſtionis, an omnis voluntas Dei adimpleatur, difficultas non eſt de voluntate conſequente, quia hæc, cùm abſolutè feratur ad rem, ſecundùm omnes ſuas circumſtantias, ſemper adimpletur, ſed difficultas tantùm eſt de voluntate antecedente, & beneplaciti. In quare.

131. Affir-

Scotus. 131. Affirmat Scotus in primo dist. 46. q. vnica. Fundamentum ipsius est; quia voluntas beneplaciti, est vltima determinatio Diuinę voluntatis, vt aliquid fiat: implicat autem, poni vltimam determinationem Diuinæ voluntatis circa aliquid fiendum, & illud non fieri: alioqui Diuina voluntas vel esset impotens, vel mutabilis.

S. Thomas. 132. Negant verò communiter alij cum S. Thoma prima parte quæst. 19. art. 6. ad 1. Quod mihi probabilius est. Cuius præcipuum fundamentum desumitur ex illa propositione Pauli, primæ ad Timotheum secundo; *Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* 1 ad Tim. 2 Porrò hæc volũtas est antecedens, & beneplaciti, cùm ex solo beneplacito Diuino ortum habeat, & versetur circa salutem hominum, in qua Deus sibi maximè complacet: atqui hæc non adimpletur in omnibus, cùm nõ omnes homines salui fiant, & ad agnitionem veritatis veniant.

Augustin. 133. Nec satisfaciunt, qui cum Augustino lib. de correptione & gratia, cap. 14. respondent, prædictam Pauli propositionem intelligendam esse, vel in sensu accommodo, vt nulli salui fiant, nisi quos Deus saluare vult: vel per incompletam distributionem, vt de quolibet statu & conditione velit aliquos, non omnes saluos fieri. Non, inquam, satisfaciunt; quia propositio Pauli est vniuersalis; nec talem exceptionem patitur: alioqui dicere etiam potuisset, Deus vult omnes homines damnari, cùm etiam voluntate consequente, de quolibet statu & conditione velit aliquos damnari.

134. Ratio verò nostrę sententię est; quia potest Deus velle finem tantùm conditionatè, & dependenter à libera cooperatione creaturę: sed talis voluntas est Beneplaciti, nec semper adimpletur: igitur datur voluntas Beneplaciti in Deo, quę non semper adimpletur. Maior constat de voluntate, qua Deus conditionatè vult omnibus gloriam. Minor probatur; quia verè Deus complacet sibi de salute hominum, cùm omnibus media conferat necessaria, & ad eam consequendam sufficientia: qui autem vult media, quantùm est de se, vult etiam finem, ad quem media ipsa diriguntur. Vnde talis voluntas dici potest efficax sub conditione, quia quantũ est de se Deus tribuit omnia ad effectum consequendum necessaria.

Scotus. 135. Ad fundamentum Scoti distinguenda est maior: voluntas beneplaciti est vltima determinatio Diuinę voluntatis simpliciter, & nego: est vltima determinatio ex parte Dei tantùm, & concedo. Etenim Deus per huiusmodi voluntatem offert omnia, quę ex parte ipsius ad effectus consecutionem prærequiruntur. Cæterùm quod effectus non sequatur, non est ex defectu alicuius prærequisiti ex parte Dei, sed ex defectu libertatis creatæ, cooperari nolentis. Quæ autem hoc modo à Deo determinantur, non implicat, aliter fieri, quàm sint determinata, quia hoc non prouenit ex impotentia, vel mutabilitate Diuinæ voluntatis, sed ex ipsius libertate, nolentis vltimatum effectum determinare, nisi dependenter à libera cooperatione creaturæ. Vnde in ipsa determinatione Dei includitur hæc defectibilitas vltimati effectus, dependentis à libera cooperatione creaturæ, cùm illum non decernat efficaciter & absolutè, sed conditionatè, & dependenter à nobis.

S. Thomas. 136. Notat autem citato loco S. Thomas in corpore, quòd licet voluntas Diuina non adimpleatur in ordine ad vnum effectum, adimpletur tamen in ordine ad alium. Atque in hoc sensu, nulla est voluntas in Deo, quæ non adimpleatur: nam, vt ibidem testatur S. Doctor, quod à Diuina voluntate recedit secundùm vnum ordinem, in eandem relabitur secundùm alium, ab ipsa constitutum: vt dum peccator recedit à voluntate Dei antecedente, salutem omnibus gratis intendentis, relabitur in eandem voluntatem consequentem, peccata iustè punientem.

## SECTIO V.

### *An Deus antecedenter ad nostram libertatem prædefinire possit nostros actus in indiuiduo absque læsione nostræ libertatis.*

138. PRędefinire, est aliquid velle, vt absolutè fiat. Vnde prædefinitio in Deo importat liberum decretum, quo ab æterno efficaciter statuit, vt aliquid extra ipsum fieret. Præsens igitur controuersia est, an Deus antecedenter ad humanam libertatem ab æterno prędefinire potuerit omnes, vel saltem aliquem actum liberum in indiuiduo, absque læsione humanæ libertatis. Dicitur antecedenter ad humanam libertatem, hoc est, antequam tales actus essent præuisi, vt futuri dependenter à libera voluntate creata, potuerint à Deo in signo rationis priore absolutè prędefiniri, vt essent futuri. Dicitur *in indiuiduo*, nam in specie, & in causa, ordinando causas ipsas, cum omnibus ad eos actus producendos in actu primo prærequisitis, nulla est difficultas: quia tunc Diuina prædefinitio nõ caderet immediatè in actus antecedenter ad libertatem creatam, sed in causas, prædefiniẽdo illas cum intrinseca indifferentia & libertate ad vtrumlibet. Explicato propositę quæstionis sensu insurgit

139. Ratio dubitandi: quoniam decretum Dei est infallibile, nec potest, quod semel absolutè decreuit, frustrari; igitur si antecedit vt efficax causa nostrorum actuum, nulla relinquitur in nobis potentia libera ad eos eliciendos. Nam libertas consistit, vt positis omnibus ad agendũ requisitis, adhuc possit oppositum facere. Sed, posito efficaci decreto Dei, nequit voluntas creata oppositum eius, quod prędefinitum est, facere: ergo, posito

sito decreto Dei efficaci & antecedente, nulla in nobis manet ad talem effectum prædefinitum libertas. Minor probatur; quia quod semel prædefinitum est, per absolutum decretũ Dei, non potest non euenire, alioqui frustrari posset efficax decretum Dei: posset autem oppositum eius, quod prædefinitũ est, non euenire, si adhuc posito decreto Dei, maneret in nobis potestas ad oppositum. Non igitur cum efficaci decreto Dei stare potest intrinseca libertas creaturæ: atque adeò nequit Deus absque læsione humanę libertatis, nostros actus prædefinire, antequam eos præuideat absolutè futuros.

140. PRIMA sententia negat, posse Deum absque præiudicio humanæ libertatis nostros actus absoluto, & efficaci decreto prædefinire, ob assignatam causam in ipsa ratione dubitandi. Quam sic amplius explicant. Posito decreto Dei prædefinitiuo de actu contritionis, exempli causa, vel possum illum non elicere, vel non possum. Si possum illum non elicere, ponatur in re, siquidem ex Aristotele *Arist.* 1. Prio. c. 13. possibili posito in esse, nullum sequitur impossibile: quòd si aliquod impossibile sequeretur, signum esset, quòd illud non esset possibile. Ponamus igitur, me talem actum contritionis à Deo prędefinitum, non elicere: hoc posito, manifestè sequitur, frustrari decretum Dei: hoc autem cum sit impossibile, impossibile quoque est & illud, ex quo sequitur, nempe posse Deum efficaci decreto antecedenter ad meam libertatem prædefinire actum contritionis. Si non possum: iam perit circa talem actum mea libertas; cùm hæc alia non sit, quàm proxima potestas ad vtrumlibet, quæ cum impossibilitate ad oppositam partem stare non potest.

141. Confirmatur; quia quando necessitas eliciendi actum oritur ex suppositione præcedente meam libertatem, ab eaq; nullo modo pendente, tollit libertatem: quia tunc nec mihi liberũ est, tali suppositione posita, actum non elicere; nec quicquam facere, vt talis suppositio non ponatur, cùm illa supponatur poni antecedenter & independenter à mea libertate. Talis esset necessitas eliciendi actum cõtritionis, posito decreto prędefinitiuo Dei. Nam, nec eo posito, possem actum contritionis non elicere: nec mihi liberum esset, vt tale decretũ non poneretur, cùm illud pendeat ex sola voluntate Dei, independenter à quocunque actu libero meo. Hanc sententiam sequũtur Vasquez 1. p. disput. 89. cap. 10. & Lessius *Vasquez. Lessius.* opusc. de prædest. & reprobatione Angelorum & hominum sect. 2. ratione 8.

142. SECVNDA sententia non modò docet, posse Deum absque lęsione humanæ libertatis, antecedenter ad nostram libertatem, efficaciter prędefinire in indiuiduo, & secundùm omnes circumstantias, liberos actus nostræ volũtatis, verùm etiam id putat esse omninò necessarium, ex duplici fundamento, altero desumpto ex perfectissima prouidentia, quam Deus habet de singulis rebus, non tantùm in communi, sed etiam in particulari. Porrò perfectissima prouidentia non solùm includit actum intellectus, quo Deus feratur ad omnes, & singulas creaturas in particulari, sed etiam actum voluntatis, quo eas distinctè, & in particulari velit, & intendat. Cùm non minùs ad Dei prouidentiam spectet, vt nihil fiat, quod ab ipso non sit volitum & intẽtum, quàm vt nihil sit futurum, quod ab ipso scitum non sit. Sed si Deus humanos actus in indiuiduo non prædefiniret, procul dubio, illi fierent prętęr ipsius voluntatem, & intentionem: nam præter agentis voluntatem, & intentionem fit, quidquid ex ipsius voluntate, & intentione non fit.

143. Alterum fundamentum sumitur ex essentiali subordinatione agentis creati ad increatum; hoc pacto. Nullum agens creatũ potest se ipsum determinare ad agendum, nisi priùs natura, & causalitate determinetur ab agente increato: ergo nullum agens creatum potest se ipsum ad actum determinare, nisi talis actus priùs fuerit à Deo prædefinitus. Cõsequentia probatur; quia non potest agens increatum determinare creatum hic & nunc ad hunc actum in indiuiduo, nisi præuideat, & prædefiniat hunc actum in indiuiduo, alioqui Deus cœco modo procederet, non præuidẽdo, & intentendo actus, ad quos agens creatum applicaret. Antecedens ostendunt; quia de ratione agentis creati est, essentialiter dependere in omni sua operatione ab agente increato.

144. Confirmatur, quia si posset agens creatum se ipsum ad agendum applicare, sine præuia applicatione agentis increati, iam non esset agens creatum & secundum, sed primũ & increatum: quia de ratione agentis secundi creati, est actu dependere in agendo ab agente primo increato: igitur priùs natura, quàm agens creatum secundum ad agendum se applicet, debet necessariò supponere applicationem agentis primi increati. Alioqui actio à secundo agente procedens non esset dependens à primo, saltẽ in eo priori naturę, in quo agens secundum ad agendum se applicaret; nam illa actio priùs natura procederet ab agente secundo, quàm à primo.

145. Hæc est sententia recentiorum Thomistarum, quam putant esse S. Thomę, de qua fusè agere non est præsentis loci. Eam docere etiã videtur Scotus in 1. dist. 39. q. vnica §. *vi so*, & dist. 41. q. vnica § *sed contra istud*, & §. *primum istorum*, & in 4. dist. 1. q. 1. *ad vltimum*, & d. 49 q. 6 §. *dico ergo*. Licet aliter ipse, quàm Thomistæ hanc Dei prædefinitionẽ explicet. Nam Thomistæ illam explicant per ordinem ad qualitatem, physicè, & in actu primo voluntatem creatam ad prædefinitum actũ eliciendum prędeterminantem; Scotus verò per ordinẽ ad concursum actualem, quo voluntas ipsa increata pręuenit creatam ad prędefinitũ actum eliciendum, nihil in ipsa voluntate creata producendo, sed tantùm determinando illam, per actualem concursum ad actum prędefinitum eliciendum. Vnde multi Scotũ explicant de cõcursu actuali Dei, non *Thomistæ.* *Scotus.*

præ-

præueniente, sed concomitante liberum ipsum concursum voluntatis creatæ.

146. TERTIA sententia negat, huiusmodi prædefinitionem actuum in indiuiduo esse necessariam, vel ad perfectam Dei prouidentiam, vel ad essentialem subordinationem causę secundæ ad primam saluandam; illam tamen non repugnare cum libertate creata. Est communior inter Theologos nostræ Societatis; pro cuius declaratione,

*Theologi Societatis Iesu.*

147. Dico primò. Nulla cogit necessitas ponendi in Deo huiusmodi prædefinitiones. Fundamentum est. Quia si quæ esset necessitas, vel esset ad saluandam prouidentiam, quam Deus habet de singulis actibus humanis, & rebus creatis omnibus; vel ad saluādam essentialem subordinationem, agentis secundi ad primum: ex neutro capite illa necessaria est ergo. Maior constat ex ipso fundamēto aduersariorum, propter quod huiusmodi prædefinitiones, vt necessarias intrudunt. Minor quoad priorem partem probatur: nam Diuina prouidentia, quę teste S. Thoma 1. p. q. 22. a. 1. est ratio ordinandorum in finem, in mente Diuina præexistens, & differt à gubernatione, quæ est ipsa temporalis executio æternæ dispositionis, in rebus creatis existens; duo requirit, vt ex ipsomet Doctore sancto colligitur, vnum ex parte intellectus, vt nihil fiat, quod à Deo præuisum non sit, & ad finē aliquem ordinatum: alterum ex parte voluntatis, vt nihil fiat, quod non sit ab ipso aliquo modo volitum, aut permissum; neutrum per se necessariò postulat ęternam Dei prædefinitionem: ergo. Prior pars minoris patet; nam præuisio & ordinatio alicuius in finem, saluari potest absque prædefinitione talis rei, vt constat in peccato, quod Deus perfectè præuidet, & ordinat ad manifestationem suæ iustitiæ, & specialis dilectionis erga electos, absque eo, quòd illud prædefiniat, sed tantū permittat. Prædefinitio enim in hoc differt à permissione, quòd prędefinitio sit actus voluntatis absolutus, & independens à volūtate creata: permissio verò sit actus voluntatis cōditionatus, & dependens ab ipsa voluntate creata. Deus autem non absolutè, & independenter à voluntate peccatoris, sed conditionatè, & dependenter à voluntate ipsius, si ipse cooperari voluerit, ad actum peccati concurrit. Vnde illud non prędefinit, sed tantùm permittit, cùm tamen illud perfectè præuideat, & ordinet ad finem ab ipso intentum.

*S. Thomas.*

148. Posterior pars eiusdem minoris probatur; nam, vt aliquid fit à Deo volitum, non est necesse, vt sit volitum immediatè, & in se per actum absolutū, quo pacto dicuntur volita, quæ sunt ab ipso prædefinita, sed sufficit, si sit volitum in alio, nempe in causa, & per actum conditionatum, si voluntas ipsa creata cooperari voluerit. Et ratio est, quoniam, vt docet S. Thomas loco præcitato a. 4. ad 1. & 2. perfectio Diuinæ prouidentiæ, in eo consistit, vt nihil eueniat præter ordinem à Deo intentū, & præfixum, vt nimirum necessaria necessariò, contingentia contingenter, euitabilia euitabiliter eueniant. Sed etiamsi Deus non prædefiniat absolutè, & immediatè actus humanos, sed tantùm conditionatè & in causa, perfectam de illis habere poterit prouidentiam, tum omnes & singulos distinctè prędeindo: tum in causa & dependenter à volūtate creata eos volendo, aut permittendo, ad suosque fines ordinando.

*S. Thomas.*

149. Probatur minor quoad posteriorē partem, nam essentialis subordinatio agentis secundi ad primū, non consistit, vt omnes eius actus independenter ab ipso secundo agente prædefiniantur; neque vt ad operandum applicetur per aliquid in ipso receptum, quòd ipsius productiuam virtutem compleat, & determinet, cùm ex se sit in suo genere completa, & ab intrinseco potens ad vtrumlibet, si libera sit; aut certè ad vnum determinata si sit necessaria; sed in eo formaliter consistit ipsius essentialis subordinatio ad primum agens, vt ad nullum actum possit se ipsa determinare, absque concursu actuali primi agentis; hoc autem saluari potest, absque prædefinitione actus, & præuia determinatione virtutis actiuæ ad talem actum, per solum concursum actualem comitantem, absque vllo concursu naturâ aut causalitate prędio ad talem actum. Atque ex his patet ad vtrumque fundamentum secundæ sententiæ: etenim ad perfectionem Diuinæ prouidentię non spectat, vt omnia, & singula, sint in seipsis immediatè, & absolutè intenta, sed sat est, si tantùm mediatè in suis causis, & sub conditione, si causæ liberę cooperari voluerint, sint volita.

150. DICO secundo, licet prędefinitio actuū necessaria non sit, cum libertate tamen creata non pugnat. Prior assertio constat ex præcedente. Posterior probatur. Quoniam dupliciter possunt nostri liberi actus à Deo prędefiniri, vno modo ante vllam præuisionem ipsorum, tam absolutè, quàm sub conditione futurorum, quo pacto illi prædefiniri dicuntur in sententia Thomistarum, & omnium, qui negant in Deo scientiam conditionalium ante vllum decretum Diuinum. Atqui hoc modo fateor, absolutam & efficacem prędefinitionē Dei stare nō posse cum libertate creata: quia cū prędefinitio Diuina sit infallibilis, & causa nostri actus, si antecedit omnem præuisionem actus, non potest in causa proxima relinquere potētiam ad vtrumlibet, alioqui posset per eam potentiam decretum Diuinum frustrari ac falli. Secundo modo prædefiniri possunt actus ante scientiam ipsorum absolutè futurorum, non tamen ante scientiam eorundem sub conditione futurorum, quo pacto Diuina prædefinitio non pugnat cum libertate creata. Quod sic ostendo. Per scientiam conditionatam præuidetur actus sub conditione liberè futurus à volūtate creata, cū hoc vel illo auxilio, sub conditione illi oblato, ante vllam prædefinitionē actus: igitur absque vlla læsione libertatis creatæ potuit Deus eundem actum, pręuisum sub conditione liberè futurum, absoluta & efficaci voluntate prædefinire. Antece-

*Thomista.*

dens

dens constat ex materia de scientia conditionaliũ. Consequentiam probo: nam, posita tali scientia, Deus non necessitatur ad offerenda voluntati creatæ alia media & auxilia ad executionem talis actus, quàm quibus præuidit illum liberè futurum sub conditione. Igitur quemadmodum per talia media & auxilia præuisus est liberè futurus sub conditione; ita, si non alia in executione adhibeantur, quàm quibus de facto pręuisus est sub conditione liberè futurus, non lædetur intrinseca libertas creaturæ.

151. Nec obstat primò, quòd posita prędefinitione Dei, infallibile sit, actum prædefinitum esse futurum. Quia talis infallibilitas non est omnino independens à voluntate creata, qualis est infallibilitas, quam Thomistę ponunt: quia non fundatur in sola voluntate Diuina, & medio omnino antecedente voluntatem creatam; sed fundatur aliquo modo in ipsa voluntate creata, & medio, quoad executionem, & applicationem dependente ab ipsa libertate creata.

Thomistæ.

152. Nec obstat secundò, quòd non seruetur idem ordo in prædefinitione Dei, qui seruatur in scientia conditionata: eò quòd in scientia conditionata præuidetur actus liberè futurus ante vllam prædefinitionem Diuinæ voluntatis; quę prędefinitio si supponeretur ante actum sub conditione pręuisum, sicut illa supponitur ante actũ pręuisum absolutè futurum, non posset talis actus præuideri, vt liberè futurus. Cuius ratio est, quia prædefinitio, quę supponitur ad actum absolutè futurum, non est infallibilis ex sola voluntate Dei, & medio omnino antecedente voluntatem creatam, sed aliquo modo dependenter ab ipsa volũtate creata, & medio, quoad applicationis executionem dependente ab eadem voluntate creata. Contrà verò, si ante actum pręuisum sub conditione futurum, supponeretur efficax prędefinitio Dei, non posset talis prædefinitio esse infallibilis depẽdenter à voluntate creata, vel à medio quoad applicationem dependente ab ipsa, sed à sola voluntate increata, & à medio omnino antecedente liberum consensum creaturæ, cùm ante talem scientiam nulla habeatur infallibilis certitudo, de libera applicatione voluntatis creatæ ad talem actum, per medium relinquens in creatura potentiam ad oppositum. Vnde, vt talis prædefinitio sit infallibilis, recurrendum est ad medium prædeterminans voluntatem ad vnum, & tollens potentiam ad oppositum.

153. Confirmatur, nam quamdiu à causa proxima non tollitur intrinseca indifferentia ad vtrumlibet, non tollitur ab ea libertas: sed posita prædefinitione in Deo, & in creatura ijs medijs, & auxilijs, quibus præuisa est liberè sub conditione consensura, non tollitur ab ea intrinseca indifferentia ad vtrumlibet; ergo nec libertas. Minor probatur; nam quamdiu non immutatur intrinsecus modus agendi voluntatis creatæ, ab ea non tollitur intrinseca indifferentia ad vtrumlibet: sed nec prædefinitio diuina immutat intrinsecũ modum agendi creaturæ, cùm sit illi extrinseca; nec media, ipsa, quibus eadem voluntas prævisa est sub conditione liberè cõsensura, quia, vt suppono, ex vi talium mediorũ eadem voluntas præuideri potuit oppositum operatura; ac proinde ex vi talium mediorum nõ tollitur intrinseca potentia ad vtrumlibet. Vnde si hæc media Deus daret, absque prędefinitione actus, ad quem media ipsa inclinant, optimè cum talibus medijs maneret libertas in creatura; ergo nec si eadem media conferat, præuia prędefinitione actus, tolletur libertas à creatura; cùm illa non fiant physicè efficaciora ad operandum ex prædefinitione, quàm erant sine prędefinitione: eò quòd, vt sint intrinsecè operatura, non habent proximè & formaliter, ex prædefinitione diuina, alioqui etiam media actu non operatura à Deo prædefinita, haberent efficaciam operandi, quod implicat in adiecto, sed partim habent ex se, partim ex libertate creata, vt à concausa.

154. Ad rationem dubitandi, respondeo, tunc decretum Dei tollere libertatem à creatura, quando antecedit omnem liberum consensum ipsius, tam absolutum, quàm conditionatum; secus quando non antecedit saltem conditionatum consensum. Vnde ad probationem distinguenda est minor: posito decreto Dei, non possumus oppositum eius, quod prædefinitum est, potestate consequente, cõcedo; potestate antecedente, nego. Atque ex his etiam patet ad fundamentum primæ sententiæ; nam posito decreto Dei, adhuc possumus oppositum potestate antecedente, etsi nõ potestate consequente; quæ, quia inuoluit liberam cooperationem nostram, libertatem non adimit, quia hæc non adimitur, per ipsam liberam determinationem nostram, sed per extrinsecam duntaxat, independentem à libera cooperatione nostra.

155. Cęterùm posita prędefinitione Dei, implicat oppositum fieri, non ex ea parte, qua cum ipsa prædefinitione Dei manet in nobis antecedens potestas ad oppositum, sed qua parte à nobis tollitur potestas consequens. Quia verò hæc non tollitur independenter à nobis, intrinsecam libertatem non lædit, sed supponit. Vt autem possit possibile in actu poni, absque vllo impossibili, debet illud ex omni parte esse possibile: nam si ex vna parte sit possibile, ex alia verò impossibile, implicat illud simpliciter in actu poni, absque eo quod consequatur aliquod impossibile; nam ex eo capite, quo inuoluit impossibile, nequit in actu poni absque impossibili. Ad confirmationem neganda est simpliciter minor: nam posita prædefinitione Dei, adhuc est in nostra potestate antecedente oppositum facere.

156. Atque hæc de præsente controuersia. Superesset vlteriùs disputandum, an, & quos actus humanos liberos Deus de facto prædefinierit: sed hoc spectat ad materias particulares, de quibus suo loco.

DISPV-

# DISPVTATIO XV.

## De Diuina Prædestinatione.

ARCANAM rem aggredimur, mysterij altitudine secretam, sacramentorum profunditate reconditam, humano ingenio inscrutabilem, beatis mentibus venerandam, Deo soli notam; quæ quantò mentis aciem mysteriorum obscuritate obtundit, tantò acriùs illam acuit ad inuestigandum curiosiùs: quippè de re agitur, è qua summa nostræ felicitatis pendet. Atque vtinam quò res est grauior, eò futura sit nostra hæc disputatio vtilior ad vitæ mores componendos, ex quorum probitate pendet optatissimus exitus nostræ prædestinationis, cuius iam felicissima initia nos participare speramus.

### SECTIO I.

#### *Quid sit Prædestinatio?*

S. Thomas. 1. PRædestinatio, Authore Sancto Thoma 1.p.quæstione vigesima tertia, articulo primo est, transmissio creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ: quæ duplex est, Realis siue exercita, & Intentionalis seu mente concepta. Prædestinatio non priorem, sed posteriorem transmissionem propriè importat, vt constat ex particula, *Præ*, quæ antecessionem æternitatis ad terminum prædestinatum, qui in tempore executioni mandatur, importat. Tria igitur ad obiectum prædestinationis concurrunt, finis, qui est vita æterna; subiectum, quod est creatura rationalis; & media, quibus rationalis creatura adiuta ad destinatum peruenit finem. Quæ omnia cõplexus est Paulus ad Romanos octauo, illis verbis: *Quos prædestinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iustificauit; quos autem iustificauit illos & glorificauit.* Controuersia igitur est, an prędestinatio formaliter importet actũ intellectus, an voluntatis, an vtrumque simul. De qua,

Rom. 8.

Thomista. 2. PRIMA sententia est Thomistarum affirmantium, Prædestinationem formaliter importare actum intellectus. Fundamentum est. Quia prædestinatio est pars prouidentię; prouidentia autem non in voluntate, sed in intellectu formaliter consistit. Confirmatur, nam Prædestinatio importat rationem ordinis aliquorum in salutem æternam, in diuina mente existentem: atqui ratio ordinis ad intellectum, non ad voluntatem spectat: ergo. Adhuc tamen inter eos controuersum est, in quo actu intellectus Prædestinatio consistat. Durandus in 1. dist. 41. quæst. 1. consistere putat in actu intellectus practici, qui antecedit propositum diuinum conferendi media ad beatitudinem consequendam, & subsequitur voluntatem dandi gloriam: Plerique ex Thomistis in Imperio subsequente decretum diuinæ voluntatis, & immediatè determinante potentiam executiuam ad opus externum exequendum; Alij in actu scientiæ, subsequentis totam seriem decretorum circa prædestinatos, peculiari decreto approbatam; Nonnulli in sententia definitiua, quam Deus per practicum iudicium protulit de æterna felicitate electorum.

Durandus. Thomista.

4. SECVNDA sententia est aliorum affirmantium, Prædestinationem formaliter importare, actum efficacem voluntatis conferendi gloriam electis. Fundamentum est. Quia per hunc actum prædestinati formaliter gloriam consequuntur.

5. TERTIA sententia docet, Prædestinationem formaliter, & completè acceptam cõsistere in vtroque actu, intellectus & voluntatis simul. Est Bonauent. in 1. dist. 40. art. 1. qu. 2. Fundamentum est. Quia vterque actus per se formaliter ad Prædestinationem spectat. Pro cuius difficultatis solutione,

Bonauētura

6. Dicendum est, Prædestinationem principaliter importare actum efficacem voluntatis, tum gloriam decernentis, tum media eligentis; minùs verò principaliter actum intellectus, peculiari ratione disponentis, & ordinantis media ad finem consequendum. Prior pars assertionis probatur primò ex Paulo ad Ephesios 1. vbi prædestinationem explicat per actum electionis, & propositum voluntatis: & ad Romanos 8. Prędestinationem distinguit à Pręscientia. *Quos*, inquit, *præscinit, & Prædestinauit.* Secundò Prædestinatio includit ex parte prædestinantis efficacem determinationem, qua posita, implicat non sequi effectum prædestinatum: hęc autem determinatio conuenire non potest intellectui, sed voluntati, cuius est potentiam ad effectum vltimò determinare. Nam etiamsi intellectus potentiã determinet quoad specificationem, vltima tamen & efficax determinatio, quæ est determinatio quoad exercitiũ, non est nisi à voluntate, cum qua determinatione, non stat sequi oppositum eius, quod determinatum est.

Ephes. 1. Rom. 8.

7. Tertiò. Prędestinatio est actus liber: liberum autem formaliter conuenit actui voluntatis, non intellectus: ergo Prædestinatio principaliter importat actum voluntatis, non

intelle-

intellectus. Minor elucet, nam solus actus voluntatis est in Deo, & in quacunque alia natura intellectuali formaliter liber: nam scientia, quæ præcedit decretum diuinum, est necessaria; quæ verò subsequitur idem decretum, non est in se formaliter libera, sed ex præsupposito decreto, quod iam supponit Prædestinationem factam, eamque solùm approbat: nam Imperium, vt suppono, in Deo non datur.

8. Quartò, Prædestinatio illum actum principaliter significat, vi cuius prædestinati saluantur: vnde Augustinus de bono perseuerantiæ cap. decimo quarto, Prædestinationem definiens ait, esse *præparationem beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur*; Sed hic actus est voluntatis non intellectus: ergo. Maior, præter auctoritatem Augustini, constat ex ipsa definitione Prædestinationis, quæ est transmissio creaturæ rationalis in beatitudinem æternam; ergo eius potentiæ actum principaliter significat, cuius est rem in finem aliquem transmittere. Hoc autem non est intellectus, sed voluntatis; quia voluntatis est efficere, vt creatura per proportionata media ad finem, proprias vires excedentem, efficaciter perducatur.

*Augustin.*

9. Quintò. Reprobatio principaliter importat actum voluntatis, connotato tantùm actu intellectus culpam præuidentis: ergo & Prædestinatio. Antecedens constat, quia reprobatio dicit exclusionem à regno, & destinationem ad pœnam ob præuisa demerita: exclusio autem à regno, & destinatio ad pœnam sunt actus voluntatis, non intellectus. Consequentia verò probatur; nam ita se habet prædestinatio ad gloriam, sicut reprobatio seu destinatio ad pœnam: nam eodem modo prædestinatione electi destinantur ad gloriam, sicut reprobatione damnati deputantur ad supplicia.

10. Posterior pars assertionis constat auctoritate Scripturæ, & Patrum, passim prædestinationem explicantium nomine *Præscientiæ*; ad Romanos 11. *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit*, hoc est, *quam prædestinauit*, vt explicat Augustinus de bono perseuerantiæ cap. 18. Ratio verò est, quia sicut electio, præter actum voluntatis, peculiari ratione connotat actum intellectus, media cum fine conferentis; ita Prædestinatio, quæ est pars prouidentiæ supernaturalis, præter actum voluntatis, connotat etiam actum intellectus futura præuidentis, ac præordinantis.

*Rom. 11.*

*Augustin.*

11. *Obijcies*, Prædestinatio principaliter importat ordinem mediorum ad finem: atqui ordinare est proprium intellectus; voluntatis autem tantùm est exequi ordinem ab intellectu præscriptum: ergo prædestinatio principaliùs importat actum intellectus. Confirmatur, nam Prædestinatio intentionalis, quæ vi nominis formaliter importatur, principaliùs significat huiusmodi ordinem, in diuina mente ab æterno existentem. Respondeo, distinguendo maiorem; prædestinatio importat ordinem mediorum ad finem practicum & exercitum, concedo; signatum & speculatiuum, nego. Vnde ad minorem; est proprium intellectus ordinare signatè & speculatiuè, concedo; practicè & exercitè, nego. Ad confirmationem distinguo antecedens: Prædestinatio, vi nominis importat ordinem intentionalem signatum & speculatiuum, nego; practicum & exercitum, qui ab æterno in diuina mente extitit per respectum ad futuram executionem, concedo.

12. Ad fundamentum primæ sententiæ nego minorem; nam etiam prouidentia, vt coniuncta est cum studio rerum gerendarum, qualis est prædestinatio, principaliter importat actum voluntatis. Ad confirmationem, neganda est minor, nam etiam voluntas, dum ordinem sibi ab intellectu præscriptum exequitur, dicitur executiuè & exercitè vnum ordinare in aliud.

## SECTIO II.

### *An æternæ Prædestinationis aliqua causa præcesserit ex parte prædestinatorum?*

13. SEnsus quæstionis est, an Deus motus sit ad prædestinãdos hos potiùs, quàm alios, propter aliquam causam, quam in his præuiderit, & non in alijs? non intelligitur autem quæstio de Prædestinatione, quoad actum ipsum diuinæ voluntatis; quia cùm hic sit increatus, causam habere non potest; sed intelligitur tantùm quoad obiecta ad quæ actus ipse diuinæ voluntatis liberè terminatur. Nec etiam intelligitur, quoad singula obiecta mutuò inter se comparata, quo pacto Deus vnum opus prædestinat propter aliud, vt gratiam iustificantem propter contritionẽ; sed quoad omnia collectiuè sumpta; & sensus est, num prædestinatio quoad omnes effectus, quos includit, siue vt media, siue vt finem, causam habuerit ex parte prædestinatorum, vt potiùs hos, quàm illos Deus ab æterno prædestinarit? vnde tandem controuersia tota resoluitur in primam gratiam, qua Deus in negotio salutis hominem præuenit; quę deinde successiuè continuata, cum reliquis auxilijs ad vltimum beatitudinis effectum perducit. Nam si in ea prædestinanda, Deus causam habuit ex parte prædestinandi, tota prædestinatio causam habere dicitur; quia tota prædestinatio fundatur in prima gratia. Supponimus autem hîc contrà Pelagium, opera solius arbitrij creati non esse sufficientia ad præmium beatitudinis consequendum: vnde solùm quærimus, an saltem ad gratiam, & gloriam prædestinandam Deus respectum habuerit ad aliquod opus nostri liberi arbitrij, tanquam ad meritum de congruo?

*Pelagius.*

*Massilienses Augustin.*

14. PRIMA sententia seu error est Massilienſium, qui, vt est apud Augustinum de Prædestinatione cap. 2. affirmabant, Deum in æterna prædestinatione, quemadmodum & in temporali iustificatione, respectum habuisse ad opera bona moralia, viribus naturæ elicita, quę ex parte nostra sunt quædam initia & exordia impetrandi à Deo primam gratiam, quæ necessaria est ad gloriam consequendā. Putabant enim in negotio salutis, nos priùs incipere credendo, sperando, diligendo: tum Deum suam gratiam subiungere, quâ opus à nobis inceptum adiuuaret, ac perficeret, redderetque dignum æterna gloria. Ita Cassianus libro 12 cap. 14. Mouebantur autem ad hoc asserendum primò, quia si Deus primus salutem inciperet, sua gratia nostras voluntates præueniendo, destrueretur humani arbitrij libertas; sic enim gratia, quę ad salutem necessaria est, in nostra non esset potestate; ac proinde nec salus ipsa. Secundò si Deus omninò gratis nullo habito respectu ad personas, suam gratiam conferret, sequeretur primò, esse acceptatorem personarum, contrà Petrum Actorum 10. secundò reddi personas oscitantes, quia, cùm non sit in nostra potestate habere, vel non habere gratiam, si Deus in ea danda nullum haberet respectum ad operantis industriam & laborem, redderentur homines oscitantes in salute procuranda. Tertiò sequeretur, inanem esse orationem, quâ salutem petimus, siquidem illam Deus non tribuit propter orātis meritum, sed propter suum merum beneplacitum. Quartò sequeretur, frustratorias esse omnes adhortationes & monitiones ad bonum, siquidem his non mouetur Deus ad suam gratiam conferendam.

*Cassianus.*

*Actor. 10.*

15. SECVNDA sententia affirmat, dari causam dispositiuam de congruo, remotam tamē, & indirectam ad prędestinationem; vt sunt opera moralia bona, viribus naturæ elicita, & obicis seu peccati remotio: quæ causa negatiua, seu impedimenti remotiua dicitur. Est Alensis 1. p. q. 28. memb. 3. art. 1. Aureoli in primo dist. 41. a. 1. propositione 1. Bacconi a. 2. §. 3. Argentinæ art. 2. Mayroni in 3. dist. 17. q. 1. ad finem, Gabrielis in 1. dist. 41. art. 3. dub. 1. & in 2. dist. 27. quæst. 1. art. 2. concl. 4. Soti l. 2. de natura & gratia c. 3. Probatur hęc sententia primo ex 1. ad Timotheum 1. *Misericordiam consecutus sum*, inquit Paulus, *quia ignorans feci*: ergo ignoranter peccasse fuit causa ex parte Pauli, vt à Deo misericordiam consequeretur.

*Alensis. Aureolus. Bacconus. Argentin. Mayronus. Gabriel. Sotus.*

*1. ad Tim. 1.*

16. Secundò probatur ratione. Nam *facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*: qui autem ex facultate naturæ rectè operatur, facit quod in se est: atqui Deus id seruat in prędestinatione, quod exequitur in tempore: igitur si in tempore operanti ex viribus naturæ tribuit gratiam, illam ab æterno etiam prædestinauit. Confirmatur, nam teste Sancto Thoma in 2. distinct. 20. quæstione prima, articulo quarto ad quartum, potest quis ad fidem habendam se præparare per id, quod in naturali ratione est. Vnde si quis inter barbaros enutritus quod in se est fecerit, merebitur, vt à Deo in supernaturalibus illuminetur, vt constat de Corneiio, Actor. 10.

*S. Thomas.*

*Actor. 10. Aureolus.*

17. Tertiò probat Aureolus, causam prædestinationis esse solam carentiam obicis, hac ratione. Illa est causa prædestinationis, quæ non est effectus prædestinationis, alioqui idem esset causa & effectus respectu eiusdem: sola autem carentia obicis est huiusmodi; nam hanc tantùm potest homo ex puris naturalibus præstare; nam quodlibet opus bonum, cùm sit effectus alicuius gratię, est etiam effectus diuinę prædestinationis: igitur sola carentia obicis est causa prędestinationis. Confirmatur, nam Deus est de se paratus omnibus obicem non ponentibus, gratiam conferre; quippe qui solem suum oriri facit super bonos & malos: igitur quibuscunque obicem non ponentibus salutem impartit.

18. TERTIA sententia docet, ipsum liberum vsum gratiæ, à Deo præuisum esse ex parte prædestinandi causam, vt prędestinetur. Quę sententia dupliciter intelligi potest; vno modo, vt ipse bonus vsus gratiæ, non vt se tenet ex parte liberi arbitrij, sed ex parte ipsius gratiæ, sit causa prædestinationis: alio modo, vt tantùm se tenet ex parte liberi arbitrij. In primo sensu eam refert, & confutat Sanct. Thomas 1. p. q. 23. art. 5. in secundo verò sensu illam tribuit Henrico Caietanus, citato loco §. *circa*. Fundamentum huius sententiæ est, quia sicut potest Rex dare militi equum, quem scit eo bene vsurum: ita potuit Deus ab æterno prędestinare gratiam ei, quem nouit illa bene vsurum.

*S. Thomas. Caietan. Henricus.*

19. DICO Primò. Nulla ex parte nostra præcessit causa, aut positiua, aut negatiua, quę fuerit Deo motiua huncpotiùs, quàm alium prædestinandi; sed tota ratio prædestinandi hos potiùs, quàm alios, fuit merum beneplacitum Dei. Est S. Thomę loco præcitato, Ægydij in primo dist. 41. q. 2. art. 1. Richardi ar. 2. q. 2. Capreoli art. 1. concl. 5. & 6. Ariminensis q. 1. art. 2. Ferrarienſis 3. contra gentes c. 161. §. *pro solutione*, & communis Recentiorum. Hæc sententia, tanquam veritas Catholica defenditur ab Augustino contra Pelagianos lib. de prædestinatione Sanctorum, & lib. de bono perseuerantiæ, quę postea definita est in Concilio Arausicano, vbi statuitur, gratiam Dei omnem nostram præuenire voluntatem; eiq; tribuendam esse omnem sanctam cogitationem, ac pium salutis affectum; sed eadem est ratio de temporali iustificatione, ac de æterna prędestinatione, nam quæ Deus in tempore tribuit, in æternitate prędestinauit. Probat veritatem hanc præclarè Syluius in 1. p. qu. 23. a. 5.

*S. Thomas. Ægidius. Richar. Capreolus. Ariminen. Ferrariēsis. August.*

*Concilium Arausicanū*

*Syluius.*

20. Eadem veritas passim docetur à sacra Scriptura: vnum sufficiat testimoniū Pauli 2. ad Timoth. 1. *Vocauit*, inquit, *nos vocatione suâ sanctâ, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suū & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia.* In quo loco Apostolus non solùm loquitur de vocatione

*2. ad Tim. 1.*

tem-

temporali, quod tamen satis foret ad intentũ nostrum probandum; sed etiam de æterna, in decreto suæ prædestinationis definita, vt apertè ostendunt verba illa; *Ante tempora secularia*; nec non & subsequentia; *Manifestata autẽ nunc per illuminationẽ Saluatoris nostri.*

21. Probatur secundò eadem sententia ratione. Initium salutis non est à nobis, sed à Deo: sed si Deus, vel in tempore nos vocaret, vel in æternitate prædestinaret, motus ex aliquo opere nostro, initium salutis esset à nobis. Maior constat ex Oseæ 13. *Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum.* Psal. 36. *Salus autem iustorum à Domino.* Primę ad Corinth. 4. *Quis te discernit?* igitur prima discretio & auxilium ad salutem necessarium est à Domino. Minor verò probatur: nam, vt aduersarij docent, Deus est velut agens vniuersale, paratus vnicuique impedimentum non apponenti salutem cõferre: ergo quicunque viribus proprijs ad salutem se disponeret, infallibiliter illam consequeretur. Vnde non Deus, sed ipse salutem inchoaret; nam salutem inchoare, est efficere aliquid, ad quod salus ipsa infallibiliter consequatur.

Oseæ 13. Psalm. 36. 1 ad Cor. 4.

22. Tertiò probatur hæc veritas ex absurdis, nam primò sequeretur, prædestinationem non esse opus misericordiæ, sed remunerationis, contra Paulum ad Romanos 9. *Non est volentis*, inquit, *neque currentis, sed miserentis Dei.* Ex quo idem Apostolus c. 11. deducit, quod si salus nobis ex operibus conferretur, gratia nõ esset gratia, sed merces. Nec refert, quòd illa excederet operis nostri valorẽ. Nã Paulus citato loco excludit omne debitũ, ne quis in se ipso glorietur, sed in Domino; *Quis*, inquit, *prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Quibus verbis omne planè meritum, meritive initium à nobis excludit, totumq; salutis nostræ negotium in Deo reponit. Secundò sequeretur, redemptionem Christi, quâ nos à peccatis redemit, non esse opus misericordiæ, sed retributionis ex priore aliquo nostro beneficio accepto, contra Apostolum ad Rom. 3. *Iustificati*, inquit, *gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Iesu.*

Rom. 9. Rom. 11. Paulus, Ad Rom. 3.

23. Vltimò prędicta veritas probatur. Si opera moralia, aut obicis remotio esset Deo motiuum ad prædestinandum, in quibuscunque illa reperirentur, essent Deo motiuum ad eos prædestinandos: at non in quibuscunque illa reperiuntur, sunt Deo motiuum ad eos prædestinandos. Sequela maioris constat, nã, si ea non semper sunt Deo motiuum ad eos prędestinandos, non possunt esse signum, quòd vbi præcedunt, sint Deo motiuum ad prædestinandum. Minor probatur, nam multi fuerunt gentiles, quorum & plura præcesserunt opera bona moralia, & pauciora impedimenta, & tamen prædestinati non sunt: contrà verò alij, quorum & pauciora pręcesserunt opera, & maiora fuerunt impedimenta, & tamen prædestinati sunt, vt de bono Latrone, Magdalena, & Paulo constat.

24. Confirmatur, nam vel contraria sententia contendit, quòd eos tantùm Deus prędestinat, quos præuidit proprijs viribus vsque in finem sine obice perseueraturos, vel pro aliquo duntaxat tempore, ante vocationem ad primam gratiam. Primum dici non potest; quia perseuerantia finalis non est opus naturæ, vt suo loco probabitur, sed gratiæ, & consequenter, non potest esse causa, sed effectus prædestinationis. Secundum est falsum, nam multi cum maiore obice sunt prædestinati; alij verò contrà, cum minore sunt reprobati.

25. Nec satisfaciunt, qui negantes causam, admittunt dispositionem saltem remotam, & indirectam ex parte prædestinati; nam de ratione dispositionis est, vt aliquam connexionem habeat cum forma, ad quam dicitur disponere; alioqui nullam mereretur rationem dispositionis: aut igitur merita naturalia connexionem habent cum diuina prædestinatione ex natura sua, aut ex decreto Dei: primum dici non potest; quoniam natura nullam connexionem habet cum gratia. Nec dici potest secundum, vt ex hactenus probatis constat; nam quæ esset dispositio respectu subiecti ad formam recipiendam, esset causa moralis respectu Dei retribuentis: atqui hoc impugnatum est: ergo.

26. Nec satisfaciunt alij, admittentes opera bona moralia solùm tãquam conditionem, sine qua Deus ad supernaturalia non prædestinaret. Nam hi auctores, rem ipsam retinentes, voce tantùm ab alijs hactenus impugnatis discrepant.

27. Dico secundò. Deus non prædestinat ex bono vsu gratiæ, aut liberi arbitrij futuro. Prior pars assertionis probatur, quia in quocunque Deus præuideret talem bonum vsum futurum, illum prædestinaret: at non in quocunque Deus præuidet talem bonum vsum futurum, illum prędestinat: ergo. Maior patet, alioqui talis bonus vsus non esset Deo certum motiuum, ad prædestinandum; vnde temerè diceretur, quòd aliquando eo moueretur ad prædestinandum, aliquando verò non. Minorem probo, quia nullus est, qui si alijs, vel alijs auxilijs, aut ijsdem alio tempore, & circumstantijs præueniretur, non præuideretur consensurus: & tamen non omnes Deus prędestinat: igitur non in quocunque Deus præuidet bonum vsum futurum gratiæ, illum prædestinat: sic enim deberet omnes prædestinare, quia omnes præuidet, cum aliqua gratia, aliquo tempore, aut circumstantia data bene operaturos.

28. Secundò probatur, quia implicat principium meriti cadere sub meritum: sed gratia est principium omnis meriti apud Deum: igitur implicat, Deum moueri ad gratiam prædestinãdam propter bonum vsum ipsius gratiæ futurum. Minor constat, nam valor, quo informatur bonus vsus gratię & fit meritorius apud Deum, est à sola gratia. Maior est commune axioma Scholasticorum in 3. d. 4. illud-

S. Thomas. que tradit S. Thom. 3. p. q. 2. artic. 11. cuius ratio est, quia meritum nō causat, nisi vt obiectiuè existens in scientia absoluta præmiantis, in qua præsupponitur cum omnibus suis causis, à quibus in sua existentia pendet vt absolutè futurum; igitur implicat, à præmiante causari secundùm aliquam causam, à qua in sua existentia pendet; alioqui secundùm eandem causam præsupponeretur, & non præsupponeretur in scientia præmiantis: præsupponeretur, quatenus secundùm eam præcederet in scientia absoluta præmiantis; non præsupponeretur, quatenus secundùm eandem esset à præmiante causandum; quia vt causandum non deberet secundùm eam rationem, secundùm quam esset causandum, præcedere in scientia absoluta præmiantis. Nec est eadem ratio de fine, qui secundùm solam bonitatem possibilē mouet agēs ad existentiam sibi effectiuè communicandam: nam meritum non mouet agens, nisi secundùm bonitatem obiectiuè existentem, & absolutè futuram, ac proinde vt causatam ab agente in suo decreto. Et ratio est, quia meritum mouet vt actu exhibitum vel exhibendum in honorem ipsius pręmiantis. Nec sufficit, vt illud præcedat secundùm existentiam conditionatam tantùm, tum quia non differret à fine, tū quia secundùm existentiam conditionatam non magis prędicetur meritum, quàm demeritum.

29. Posterior pars assertionis ostenditur, nam vsus liberi arbitrij, vt condistinctus à gratia, non est meritorius apud Deum; igitur non potest esse causa meritoria prædestinationis gratię. Antecedens probo, nam talis vsus, vt condistinctus à gratia, non reduplicat nisi solam arbitrij libertatem: hæc autem non est per se sumpta apud Deum meritoria; alioqui esset etiam meritoria, quoad opera moralia naturalia, quod suprà impugnatum est.

30. Dices. Deus prędestinauit, quos præuidit suæ gratiæ non repugnaturos: ergo non repugnantia fuit causa, sine qua Deus illos non prędestinasset. Antecedens patet; quia Deus non potuisset prædestinare, quos præuidisset repugnaturos, quia prædestinare, est eligere ad gratiam liberè consensuros. Respondeo, distinguendo antecedens; prædestinauit non repugnaturos, per modum meriti, quasi non repugnaturi per non repugnantiā meruerint à Deo prædestinari, & nego: prædestinauit non repugnaturos, per modū conditionis quę necessariò exigitur ex parte termini prędestinādi, & cōcedo. Dupliciter enim potest non repugnantia creaturæ ad eius prædestinationem concurrere; vel vt ratio mouens ad prædestinationem decernendam; vel vt pura conditio, quæ exigitur ex parte termini prædestinandi. Hoc secundo modo, non primo concurrit non repugnantia creaturæ ad eius prædestinationem. Cùm enim Deus prædestinet creaturā ad sua dona liberè consequenda, exigit ex parte ipsius liberam cooperationem, sine qua non posset illam prędestinare, vt liberè sua dona consecuturam.

31. Ad primum argumentum primæ sentētię, nego sequelā: libertas enim in ordine ad salutē, non consistit, vt in manu nostra sit salus, antequam à Deo per gratiam præueniamur; alioqui contra Paulum in negotio salutis nos ipsi discerneremus; & contra Tridentinum sess. 6. c. 5. exordiū salutis non inchoaretur à Deo, sed à nobis: sed consistit, vt misericorditer à Deo per gratiam præuenti, liberè possimus salutē operari, & non operari. Quare concedo, habere, vel non habere primam gratiam non esse in nostra libera potestate, *quia nemo*, inquit Augustinus l. 1. ad Simplicianū q. 2. *sibi potest præstare, vt vocetur*; in nostra tamen libera potestate est, vt præuenti prima gratia, ad subsequentem nos disponamus. *Paulus.* *Tridentin.*

32. Ad secundum, nego primam sequelam: nam teste S. Thoma 2. 2. q. 63. art. 1. acceptio personarum nō incurritur in donis gratuitis, sed tantùm in debitis: Deus autem nulli suam gratiam debet; vnde nulla est in eo personarū acceptatio, quòd vni potiùs, quàm alteri sua dona impartiat. Petrus autem solùm docet, Deum non esse acceptatorem in donis gratuitis, suppositā prima gratia, vt fuit in Cornelio, cuius opera ante perfectam fidem, ex gratia facta, Deus acceptauit: nam gratis collata prima gratia, opera ex illa profecta Deus de congruo saltem remunerat per subsequētia auxilia. Nego etiam secundam sequelam, nam ad hoc, vt in nostra salute operanda non simus oscitantes, sufficit, vt certi simus nos semper à Deo ipsius gratia præueniri; qua præuenti in nostra libertate est magis, aut minùs cum eadem gratia ad illam cooperari, cùm ferè nunquam operemur iuxta vltimū posse gratiæ acceptæ. Nego quoque tertiam sequelam, nam vt docet Augustin. de bono perseuerantiæ c. 16. licet primam gratiā Deus tribuat non orantibus, quia teste Concilio Arausicano canon. 3. & 6. orare nō possumus, nisi gratia pręuenti; alia tamen Charismata, non nisi orantibus Deus præparat. Vnde oratio est effectus primæ gratiæ, & simul causa subsequentis. Nego etiam quartam sequelam: est enim vtilis exhortatio, tum vt homo in accepta gratia proficiat, & perseueret; tum vt per eam interdum primam accipiat, Deus namq; in excitando, & promouendo homine ad salutem, humano sese accommodat genio; vt dum exteriùs sonant verba concionantis, Deus interiùs moueat corda audientium: vt constat Actorum 16. de muliere illa purpuraria, *cuius*, inquit sacra scriptura, *Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo.* *S. Thomas.* *Augustin.* *Concilium Arausicanū* *Actor. 16.*

33. Ad primum argumentum secundæ sententiæ respondeo, testimoniū Pauli explicandum esse, non positiuè, quasi verò minus Peccatū mouerit Deum ad illum vocandum; sed negatiuè, quia nimirum existēte in eo grauiore peccato malitię, Deus non vocasset.

34. Ad secundū: illud axioma, *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiā*, intelligendum esse de auxilijs prioris gratię, vt S. Tho. explicat prima secundę q. 109. a 6. & cū eo reliqui *S. Thomas.*

ferè

ferè omnes Scholastici. Ad confirmationem, eo loco S. Tho. à lumine naturali, non excludere auxilium generale gratiæ, quo Deus *illuminat omnem hominem venientē in hunc mundū.*

*Aureolus.* 35. Ad tertium Aureoli, primo nego, omnem carentiam obicis posse esse ab homine per vires naturæ, nam multa sunt peccata, quę vitari non possunt sine gratia, cuiusmodi sunt, vel quæ grauem supponunt tentationē, vel quæ opponuntur actibus supernaturalibus. Secundò nego, carentiam obicis, quę per solas vires naturæ haberi potest, esse causam prędestinationis, sicut nec opera bona moralia, solius arbitrij viribus elicita. Ad confirmationem, distinguo antecedens: est Deus de se paratus solus obicem non ponentibus per vires naturæ gratiam conferre, nego; est de se paratus omnibus, & ponentibus, & non ponentibus obicem, concedo.

*S. Thomas.* 36. Ad fundamentum tertię sententię respondeo, disparitatem esse, quia, vt docet S. Thomas prima secundæ, qu. 114. art. 5. ad 3. in milite supponitur aliquid distinctū ab equo, quod mouere potest Regem ad dandum illi equum in præmiū, ipsa scilicet naturalis dexteritas & applicatio, seu directio equi ad strenuum vsum equi: in bono verò vsu gratiæ nihil est à gratia distinctum, quod mouere possit Deum, ad retribuendam ipsam gratiam, cùm tota ratio meriti sit à gratia.

## SECTIO III.

### *An Christi merita sint causa nostrę Prædestinationis.*

*Scotus. Lycheti. Bassolus. Capreolus. Ferrariēsis. Dried. Palatius.* 37. PRIMA sententia negat: est Scoti in 3. Dist. 19. §. *in ista quæstione*, & §. sequenti *ad secundum*; Lycheti, Bassoli art. 2. Capreoli a. 3. *ad argumenta contra quartam cōclusionem*, Ferrariensis 4. contra Gentes c. 55. §. *sed tunc.* Driedonis de captiuitate & redemptione generis humani tract. 2. ca. 2. p. 3. a. 4. *ad primam obiectionem*, Palatij in 3. dist. 18. disp. 2. Scotistæ ideo putant, Christi meritum non esse causam nostræ prædestinationis, quia non est causa gratiæ, & glorię quoad intentionem, licet sit causa gratiæ & glorię quoad executionem; quia quicquid in executione nobis datur, siue sit gratia, siue sit gloria, ex Christi meritis datur, non tamen quicquid est quoad intentionem nobis præparatum, ex merito Christi pręparatum est. Fundamētum huius opinionis est, quia priùs ratione Deus ad gratiam & gloriam nos prædestinauit, quā præuiderit merita Christi: igitur prædestinatio gratiæ, & gloriæ quoad intentionem fuit independens à meritis Christi. Consequentia constat, quia nequit prius dependere à suo posteriori. Antecedens probatur, quia merita Christi sunt præuisa post peccatum Adami, quia sunt præuisa ex passione, quæ supponit hominis lapsum: sed ante præuisum Adami peccatum, nos eramus ad gratiam, & gloriam prædestinati: igitur nostra prædestinatio quoad intentionem non pendet ex meritis Christi, sed tantùm quoad executionem, prouiso peccato Adami. Minor probatur, nā, adhuc peccato non existente, futuri fuissent ijdem numero electi, qui futuri sunt nunc, vt Scotus ipse in reportatis in primo dist. 41. §. *dico* aperte docet. *Scotus.*

38. Reliqui verò, auctores ideò censent, Christi meritum non esse causam nostrę prædestinationis, quia non est causa omnium effectuum prædestinationis: cùm non sit causa ipsius Incarnationis, quæ est effectus nostræ prędestinationis, quippe quam Deus ordinauit vt medium ad nostram salutem; nam *propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis:* igitur Incarnatio est effectus nostrę prædestinationis; ergo non potest eadem esse causa eiusdē nostræ prædestinationis, cùm nequeat idem esse causa, & effectus respectu eiusdē. Præterea non est Christi meritum causa primę gratiæ; alioqui illa non esset gratuita, sed debita ex Christi merito.

39. SECVNDA sententia affirmat, Christi merita esse causam nostræ prædestinationis. Est S. Thomæ 3. p. qu. 24 artic. 4. Bonauent. in tertio dist. 11. art. 1. q. 3. Durandi dist. 10. q. 3. Rubionis dist. 18. q. 2. artic. 2. & 3. Gabrielis dist. 19. art. 2. post quartam conclusionem. Vegæ lib. 4. in Tridentinum cap. 5. & 6. Zumel 1. p. q. 23. art. 5. disp. 2. Molinæ ibidem disp. 2. conclusione 4. & 5. Bannez ibidem, §. *ad complementum* concl. prima 3. & 5. Henriquez libr. vltimo de fine hominis cap. 15. Vasquez 1. p. disp. 54 c. 2. Suarez libr. 2. de prædestinatione c. 21. & 3. p. disp. 41. sec. 3. & 4. Arrubalis disp. 78. Syluij in 3. p. q. 24. ar. 4. & reliquorum communis: quæ verior est, & vt Vasquez putat, Catholica; cuius oppositam sententiam Francis. Zumel, & Dominicus Bannez appellant erroneam. *S. Thomas. Bonauent. Durandus. Rubio. Gabriel. Vega. Zumel. Molina. Bannez. Henriq. Vasquez. Suarez. Arrubal. Syluius.* *Censura contra opinionis.*

40. Probatur primo ex illo testimonio Pauli ad Ephes. 1. *Prædestinauit*, inquit, *nos in adoptionem Filiorum per Iesum Christum.* Quē locum violenter & extortè Palatius explicat de Christo vt Deo, vt sensus sit, eodem Christo vt Deo, simul cum Patre, effectiuè prædestinante; nam Paulus apertè loquitur de Christo vt Redemptore. Subdit enim; *In quo habemus redemptionem, per sanguinem eius.* Quòd autem loquatur de prædestinatione quoad omnes effectus, patet ex verbis præcedentibus, *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo; sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Porrò verba illa, *in omni benedictione spirituali in cœlestibus*, includūt omne donū supernaturale, incipiendo à prima vocatione, vsque ad gloriæ consumationem. Confirmatur: nam Concilia, præsertim Mileuitanum, & Trident. sess. 6. c. 5. & 16. docent, omnem gratiam nobis cōferri per Christum. *Ad Eph. 1.* *Milenitan. Tridentin.*

41. Secundò probatur eadem sententia ratione, hoc pacto, Christus est caput Ecclesiæ, tam militantis, quàm triumphātis, vt Paulus docet ad Ephesios 1. 4. & 5. & ad Colloſſenses primo & secundo: ad caput autem spectat esse principiū omnis motus membrorū: vnde *Eph. 1. 4. & 5. Ad Eph. 1. & 2.*

Tridentin. vnde citatum Tridentinum sess.6.cap.16.docet,Christum tanquam caput iugiter virtutem influere in membra, vt ad iustitiã disponantur, & disposita iustificentur, iustificata verò, per condigna merita gloriam consequantur: igitur ad Christi capitis dignitatem spectat, omnem supernaturalem motum in sua mystica membra influere ex suis proprijs meritis.

42 Tertiò probatur hæc sententia ab absurdo, quod ex opposita sententia Scoti sequeretur. Sequeretur enim ex vi præsentis decreti saluandos fuisse eosdem homines, qui nunc de facto saluantur, etiamsi Christus in carne passibili non venisset, consequens autem est contra Patres, vnanimi consensu affirmantes, homines non fuisse saluatos, nisi Deus factus esset homo. Quod saltem intelligi debet ex vi præsentis decreti. Sequela probatur, nam, si prædestinatio hominum facta est independenter à Christi meritis, igitur adhuc Christo in carne passibili non futuro, hominum prædestinatio fuisset executioni mandata, cùm illa efficaci decreto, ante decretum de aduentu Christi in carne passibili, sit in sententia Scoti prædefinita. Præterea falsum est, eosdem futuros fuisse prædestinatos Adamo non peccante, ac futuri sunt ipso de facto peccante. Nam multi nunc prędestinãtur ex illicito concubitu nati, qui tunc prædestinati non fuissent; quippe cùm nullus tũc fuisset illicitus concubitus: contrà verò, multi tunc prędestinati essent, qui partim nati fuissent ex ijs, qui in diluuio perierunt; partim ex ijs, qui ante tempus violenta, & immatura morte obeunt.

43. Quartò probatur explicando modum, quo Deus potuit prædestinare homines, & Angelos dependenter à meritis Christi, vt à causa meritoria. Etenim, vt suppono ex disputãdis in materia de Incarnatione, Deus prędefiso peccato Adami & posterorum eius, scientia tantùm conditionata, saltem motus fuit ex sola sua libera voluntate, ad volendum hunc ordinem rerum, quem de facto condidit, cum mutua rerum inter se dependentia; vt, si non præuidisset peccatum Adami scientia conditionata, Christum nullo modo prædestinasset: atque adeo Christi prædestinatio decreta est dependenter à peccato Adami, præuiso tantùm scientia conditionata: rursus Christum Deus prædestinare decreuit excellentiori modo, quo fuit possibile; vnde, quia excellentior modus fuit, vt omnes homines, & Angeli prædestinarentur dependenter à meritis ipsius Christi prędefiis scientia visionis, quia hoc magis redundabat in gloriam, & dignitatem Christi, prædestinauit illum, vt causam meritoriam & finalem omnium prędestinandorum. Tum propter merita Christi præuisa scientia visionis prædestinauit Angelos, & homines; motusq; est Deus ad omnem gratiam, & gloriam tam Angelis, quàm hominibus, decernendam, ex meritis eiusdem Christi præuisis scientia visionis. In quo decreto prędestinatio Christi definita est dependenter à peccato Adami, præuiso tantùm scientia conditionata. Rursus voluntas mittendi Christum in remedium peccati prędefiti scientia conditionata, dependet à voluntate generali Dei saluandi homines præuisos lapsuros in Adamo, tanquam in capite, scientia conditionata. Tum dependenter à Christi meritis præuisis scientia absoluta, prædestinauit Angelos & homines, omnemque gratiam, & gloriam illis cõferre decreuit ex ijsdẽ Christi meritis, tanquam ex causa meritoria. Demum omnia hęc, & Christi Incarnationem, & nostram, atque Angelorum iustificationem, prędestinationemq; vltimatè ordinauit Deus ad Christi exaltationem & gloriam, quam in hoc decreto principaliter intendit.

44. Vnde sic argumentor. Tale decretũ, cum tali obiectorum coordinatione non repugnat: & alioqui tale decretum saluat omnem prædestinationem, tam ad gratiam, quàm ad gloriam factam esse dependenter à meritis Christi, prædestinati dependenter à peccato Adami, præuiso scientia conditionata; igitur tale decretum de facto est ponendum. Consequentia constat, nam illud decretum de facto ponẽdum est in Deo, quod melius saluat scripturas, & Patres, & in maiorem redundat Christi gloriam & dignitatem. Minor constat ex dictis. Maiorem ostendo. Nam primò non repugnat, vt suppono in materia de Incarnatione to.6.sect.1. & 2. Christum fuisse prædestinatum, vt caput omnium prędestinatorum in remedium peccati, præuisi tantùm scientia conditionata. Nec repugnat secundò, potuisse Deum Angelos, & homines prædestinare ad gratiam, & gloriam ex meritis Christi, præuisis scientia visionis. Equidem statim post prædestinatum Christum, præuidere potuit Deus eius merita, non quidem quoad omnes circumstantias, cum quibus de facto fuerunt executioni mandata; sed solùm quoad substantiam, & propter illa, vt sic præuisa, moueri potuit ad prædestinandos Angelos, & homines; omnemque gratiam, non modo reconciliatiuam, quæ supponit peccatum, sed etiam sanctificatiuam, quæ nullum supponit peccatum, illis in æterno suo decreto præparasse dependenter à meritis Christi, tanquam à causa meritoria.

45. Dices. Saltem illa voluntas, qua Deus prædestinauit Christum in remedium peccati, præuisi scientia conditionata, non potuit esse ex meritis Christi; nam illa fuit causa prædestinationis Christi, & consequenter etiam meritorum ipsius: igitur non potuit in genere causæ meritoriæ causari à meritis ipsius Christi, præuisis scientia visionis; alioqui eadem voluntas prædestinandi Christum supponeretur, vt causa meritorum Christi, & non supponeretur, vt causanda ex meritis ipsius Christi: quod implicat. Respondeo, concedendo, voluntatem prædestinãdi Christum non fuisse dependentem à meritis ipsius Christi, sed tantùm à peccato præuiso scientia conditionata, tanquam à conditione sine qua non; à salute autem hominum, vt à

causa

causa finali proxima; à gloria verò Christi, vt exaltandi & glorificandi per redemptionem hominum, vt à causa remota & principaliùs intenta, præuisa tantùm scientia conditionata, & solùm sub ratione finis possibilis, finaliter mouentis Deum ad tale decretum faciẽdum.

Matth. 22. 46. *Obijcies*, illud Matthæi 20. *Sedere ad dextram, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Vbi innuitur, beatitudinis præmium à solo Deo, independenter à Christi meritis, electis præparari. Et illud Ioannis 17. *Pater, manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi: tui erant, & tu mihi illos dedisti.* Non igitur Christus suis meritis, sed Deus sua sola voluntate prędestinatos elegit. Respondeo ad primum, cũ Hieronymo in eum locũ, Christum non excluisse à prædestinatione hominum sua merita, sed tantùm docere voluisse, regnum cœlorum non dari hominibus fauore petentis, vt sæpe dantur humanæ dignitates, sed merito accipientis: nam sicut merita Christi non excludunt propria, quæ necessaria sunt adultis; ita neque excludunt se ipsa. Ad secundum testimonium Ioãnis nego consequentiam: nam etiãsi electi prædestinati sint ex meritis Christi, adhuc illi sunt Dei propter electionem, Christi verò propter redemptionem. esto igitur nos prædestinati simus per Christũ, haud tamen dici possumus prædestinati à Christo, quia prædestinare importat principalem causam simpliciter, quę est sola voluntas Dei.

Ioan. 17.

Hyeronim.

47. Sed adhuc inter Doctores controuersum est, an Christus sit causa meritoria non solùm nostrę prędestinationis, sed etiam electionis, quatenus electio dicit dilectionem vnius prę alio. Affirmat Vasquez, negat Suarez; cui magis assentior, nam Christus sua merita obtulit pro omnibus: igitur quòd vnus sit prę alio electus, sola Dei voluntas in causa fuit. nec sanè decuit diuinam voluntatem in eligendo hos potiùs, quàm alios, dependere ab humana Christi voluntate, neque etiam verisimile est, si ita factum fuisset, pro tam paucis Christum sua merita oblaturum fuisse: quin potiùs respiciendo ad ardentem Charitatem Christi erga homines, pro omnibus sua merita obtulisset, si totum negotium nostrę salutis ipsius voluntati commissum fuisset.

Vasquez. Suarez.

Scotus. 48. Ad fundamentum Scoti nego antecedens: ad cuius probationem, nego Christi merita saltem quoad substãtiam, præuisa fuisse post Adami peccatum, pręuisum scientia visionis, sed tantùm [scientia conditionata, modo suprà explicato. Minor verò probationis antecedentis falsa est, vt supra ostendimus.

Suarez. 49. Ad fundamentum verò aliorum variæ sunt Doctorum responsiones, sed omnium probabilissima est, quam affert noster Suarez l. 2. de prædestinatione, c. 21. n. 3. Incarnationem, & merita Christi non numerari inter effectus prædestinationis, quia non procedunt ex peculiari voluntate saluandi electos, sed tantùm ex generali saluandi omnes. Prædestinatio autem est peculiaris prouidentia saluandi tantùm electos: igitur ea tantùm numerari debent inter effectus prædestinationis, quæ procedunt ex peculiari voluntate saluandi electos, hæc autem non sunt Incarnatio, & merita Christi, quę communia sunt reprobis, nam etiam pro reprobis incarnatus, & mortuus est Christus.

## SECTIO IV.

### *An electio ad gloriam decreta sit dependenter ab operibus gratiæ in genere causę meritoriæ?*

50. PRædestinatio completa duo importat, electionem ad gloriam, & pręparationem mediorum, quæ sunt auxilia ipsa supernaturalia gratiæ, quibus bene viuendo gloriam consequimur, hactenus probatum est, Prædestinationis completæ, non dari causam ex parte nostri; nunc vlteriùs indagamus, an saltem electionis ad gloriam detur causa ex parte nostri, quæ sunt merita ipsa viribus gratiæ elicita: de qua re magna est inter Catholicos controuersia.

51. PRIMA sententia negat. Est Scoti in primo dist. 41. §. *potest aliter*, & in reportatis & in tertio dist. 7. qu. 3. §. *sed hic*. Lycheti in primo dist. 41. Mayroni qu. 4. §. *Quantum ad secundum*, Richardi art. 4. q. 1. Ægidij artic. 1. q. 1. Capreoli art. 1. concl. 7. Durandi qu. 1. numero 9. Bassoli, art. 4. Ariminensis art. 2. Ferrarientis 3. contra gentes cap. 161. §. *pro solutione*, Caietani 1. p. qu. 23. artic. 4. Corduben-sis, libr. 1. q. 56. opinione prima. Zumel 1. p. qu. 23 Disp. 1. Gonsalez ibidem disp. 73. sec. 2. Arrubalis disp. 73. c. 3. & disp. 74. cap. 2. Suarez l. 1 de prædestinatione, cap. 8. & l. 2. c. 23. Bellarmini libr. 2. de gratia, & libero arbit. cap. 15. Henriquez libr. vltimo de fine hominis cap. 11. Ruiz de Prędest. à disp. 4. & deinceps, Granad. disp. 3. sect. 3. inclinat etiam S. Tho. 1. p. q. 23. art. 4. Probat Syluius ibid.

*Scotus. Lychetus. Mayronus. Richar. AEgidius. Capreol. Durand. Bassolus. Ariminẽsis Ferrarien. Caietan. Corduben. Zumel. Gonzalez. Arrubal. Suarez. Bellarmin. Henriquez. Ruiz. Granad. S. Thomas. Syluius.*

52. Præcipuum fundamentum huius sententiæ sumitur ex varijs scripturæ locis, quæ partim indicant, Deum ex amore retribuendi gloriam electis multa operari supra ordinarium cursum naturæ, vt Sapientię 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius.* Matth. 24. *nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabũtur:* & alia permulta, quę Deus progressu temporis in signum huius antecedentis electionis prædestinatorum ad gloriam ante vlla ipsorum præuisa merita operatur, partim manifestè ostendunt hanc efficacem voluntatem Dei præparantis gloriam electis, ante eorũ præuisa merita, vt Lucę 12. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum*: igitur electio ad regnum, est ex beneplacito æterni patris: & ad Ephesios, 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti:* nõ dicit

*Sap. 4. Matth. 24. Luca 12. Epheſ. 1.*

*quia futuri eramus sancti*, vt ostendat in ipsa æterna Prædestinatione, efficax decretum dandi gloriam, importatum ipso nomine electionis, non subsequi, sed potiùs antecedere nostra futura merita. Et ad Romanos 8. *Quos prædestinauit, hos & vocauit*; igitur vocatio ad gratiam est ex prædestinatione ad gloriam: non contrà, prædestinatio ad gloriam ex meritis vocationis subsequentis, & ad Romanos 9. loquens Paulus de Iacob, & Esau; *Antequam*, inquit, *quidquam boni, aut mali egissent, vt secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, ei, maior seruiet minori*: si igitur propositũ Dei secundùm electionẽ non manet ex operibus, sed ex vocatione, electio ad gloriam fuit ante præuisa merita; alioqui non ex *vocatione*, sed ex *operibus*, gratiam vocationis subsequẽtibus, Dei propositum maneret. Et primę ad Corinthios quarto, *Quis te discernit? quid habes quod non accepisti?* igitur electorum, reproborũque discretio ex sola Dei voluntate pendet. Actorum 13. *Crediderunt, quotquot præordinati erãt in vitam æternam*: ergo prędordinatio ad vitam ęternam præcedit in ipsa Dei prædestinatione vocationẽ ad fidem. Et Ioannis 15. *Nõ vos*, inquit Christus, *me elegistis, sed ego elegi vos*: quẽ locũ Augustinus explicat de electione ad gloriam: porro si electio fieret ex meritis nostris, nõ Christus nos, sed nos meritis nostris Christum elegissemus, vt Augustinus deducit.

*Ad Rom. 8.* *Ad Rom 9* *Ad Cor. 4.* *Actor. 13.* *Ioannis 15.* *Augustin.*

53. Secundò probatur hęc sentẽtia auctoritate Augustini, qui, vt in materia de gratia, ita & in materia de prædestinatione, inter cęteros Patres, primas obtinet; vnde lib. de correptione & gratia, c. 7. loquens de prædestinatis, docet eos electos esse *ad regnandũ cum Christo*. Constat autem ex eodem capite, illos electos esse ante ipsorum præuisa merita, per electionem gratuitam: secundò ibidem capite nono habet hæc verba: *hi ergo Christo intelligũtur dati, qui ordinati sunt in vitam æternam; ipsi sunt illi prædestinati, & secũdùm propositum præordinati, quorũ nullus perit, ac per hoc nullus ex bono in malum mutatus finit hanc vitam; quando sic est ordinatus, & ideo Christo datus, vt non pereat, sed habeat vitam æternam.* Tertiò familiaris est Augustino hic modus loquendi, non ideo credẽtes eligi, quia sunt credituri; sed ideo eos credere, quia electi sunt, vt credant: ergo pariter non ideo prędestinati eliguntur ad regnandũ, quia pręuisi sunt sancti, sed ideo fiunt sancti, quia electi sunt ad regnandum. Ergo sicut fides decernitur ante præuisa merita credentiũ; ita & gloria ante pręuisa merita electorũ. Quartò sępe docet Augustinus electos vocari secũdùm propositum; igitur in eius doctrina Dei propositum præcedit vocationem: sed hoc propositum non est aliud, quàm ipsa voluntas Dei eligendi ad gloriam, à qua originatur voluntas congruè vocandi: ergo. Confirmatur, quia cùm multi Augustinũ impugnarint, quod ipse electionem ad gloriam posuerit ante præuisa merita, nõ solùm ab hac obiectione non se liberat, sed illã vbique defendit.

*Augustin.*

54. Tertiò probatur hæc sententia ratione: potissima autem ratio est, quam proponit Scotus, & reliqui ferè huius sententiæ sequaces amplectuntur. Voluntas finis necessariò ratione præcedit voluntatem mediorum: igitur electio ad gloriam est ratione prior voluntate meritorum. Consequentia constat, quia gloria est finis, merita sunt media, quibus illã consequimur. Antecedens probatur, tum quia ex fine mouemur ad media, nõn contrà; nam media sunt, quę dantur propter finem; non finis propter media; tum quia intentio ipsa finis est principium electionis mediorum: nequit autem simplex intentio finis esse principium efficacis intentionis mediorum: alioqui, plus virtutis & efficaciæ esset in effectu, quàm in causa. Tum quia prædestinati distingui debent à non prædestinatis; non possunt autem distingui sola voluntate mediorum efficaciũ; alioqui nõ possent ab illis distingui, nisi priùs præuideretur eorũ futurus consensus: atque adeo prędestinatio, quatenus est peculiaris prouidentia circa electos initium sumeret à libero consensu futuro creaturę; & consequẽter radix discretionis esset ex nobis, contra Paulum suprà citatum.

55. Confirmatur 1. nam saltem donũ perseuerantiæ non potest Deus efficaciter velle, nisi ex efficaci intentione gloriæ, nam hoc infallibilem connexionem habet cum gloria ex Dei promissione: vnde cùm primum hoc donum intendit, simul etiam in eodem signo intendit gloriam, cum qua hoc donum est infallibiliter connexum.

56. Confirmatur 2. Prædestinatio Christi non fuit ex meritis ipsius: ergo nec prædestinatio nostra fuit ex meritis nostris. Antecedens est certum. Consequentia est Augustini de Prædestinatione sanctorum, capit. 15. *Scotus.*

57. Confirmatur 3. nam certum est, Deum aliquos ad gloriam prædestinasse ante eorum præuisa merita, vt B. Virginem, & nonnullos alios insigniter electos: at nulla est ratio excipiendi reliquos: ergo.

58. Confirmatur 4. quia in regno Dei totus Beatorum numerus esse debet ex directa, & absoluta voluntate Dei: nam hoc congruit perfectioni illius regni, in quo nihil esse debet, nisi ex singulari intentione Dei.

59. Confirmatur 5. nam in vnoquoque negotio exitus rei declarat intentionem agẽtis; & terminus ille, quo obtento cessat actio, solet esse primum obiectum intentionis agẽtis: sed tota Dei prouidentia eò tendit, vt ciuitas illa in tali numero & mensura compleatur: ergo signum est, quòd absoluta Dei intentio fuit, complere illam ciuitatem, quatenus ex integro numero saluandorũ constat.

60. Confirmatur vltimò, nam prædestinatio est opus misericordię: non esset autẽ opus misericordię, sed potiùs iustitiæ, si quoad electionem ad gloriam esset ex nostris meritis.

61. SECVNDA sententia affirmat. Est Alẽsis 1. p. q. 28. memb. 3. a. 1. Bonauent. in primo dist. 40. a. 1. q. 2 & a. 2. qu. 1. & 2. Albert. dist. 40. a. 10. & dist. 41. a. 3. Aureoli art. 1. & 2. Ochami q. vnica, Rubionis q. 1. ar. 1. & 2. q. 2. a. 1. & *Alensis. Bonauent. Albertinus. Aureolus. Ocham. Rubio.*

Bacconus. Gabriel. Argentin. Mich. Med. Taperus. Catharinus Turrianus. Molina. Valentia. Vasquez. Lessius. Becanus. Moncaus.

1.& 2.in fine.Bacconi a.2.§.2.& 3. Gabrielis a.2.concl.2.& dubit.2.Argētinę a.2.Michaëlis Medinæ l.3 de recta in Deum fide,Taperi art.7.contra Lutherum §.*nec reipsa*,Catharini opusc.de Prędest.Turriani opusc.de electione;Molinæ 1.p.q.23.a.4.disput.1.mēb. 7 §.*ad Fundamentum*, & memb.8. §. *tertio*, & memb.9.& 13 Valentię,in eadem 1. p. pūcto 4.Vasquez disput.89.à capite 2. Lessij opusc. de prędestinatione à sectione prima, Becani de prædestin.c.14.quæst. 4. Philippi Moncæi disp.4.capit.4.Ego ad quam partem grauissimæ huius controuersię assensum darem diu cogitaui;hinc enim scripturæ testimonia; hinc pondera argumentorum vrgebant. Ad priorem sectandam inuitabat me singularis Dei erga prędestinatos amor; ad posteriorem amplectendam patrocinabatur misera reproborum conditio, nec non humanæ libertatis dignitas: tandem vt in posteriorem controuersiæ partem assensum præberem,mouit me misericors Dei erga omnes intellectuales creaturas affectus, & æqua in prædestinatos, ac reprobos, pro eorum præstitis operibus iusti iudicis rētributio. Probanda est igitur posterior sententia Scriptura, Patribus, & rationibus.

## *Prima probatio ex auctoritate Scripturæ.*

62. Primum testimonium scripturæ sit ad Romanos 8 *Quos*, inquit Apost. *præscivit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.* Rom.8. Vbi decretum prędestinationis, quod efficacē voluntatem beādi importat, Paulus collocat, post præscientiam. Duo sunt hîc probanda, primū quòd per verbum, *Prædestinauit*,Paulus hîc comprehendat decretum electionis ad gloriam; secundum, quòd per præscientiam intelligat scientiam meritorum,ex gratia prouenientium.Vtrumque probatur,tum auctoritate Hieronymi, Ambrosij, Augustini, Haimonis,& aliorum Patrum, qui ita hunc locū explicant. *Quos*, inquit Hieronymus, *præuidit conformes in vita,voluit facere conformes in gloria. Quos*,ait Ambrosius, *præscivit futuros sibi deuotos, ipsos elegit ad promissa præmia capessenda.* Et August.de correptione & gratia cap. 9. *Quoniam*,inquit, *qui verè filij sunt præsciti, & prædestinati sunt,conformes imaginis filij eius*, & Auctor libri de prædestinatione Dei,*Ex præscientia*, inquit, *offensionis,prædestinatio emanat vltionis;sicut ex præscientia virtutis, prædestinatio fieri solet remunerationis.* Et Fulgentius lib. 1.ad Monimum c.14.*Prædestinauit*,inquit,*ad regnum,quos ad se præscivit redituros.* Et Prosper ad capitula Gallorum ad tertiam obiectionem:*Ideo*, inquit, *aliqui prædestinati non sunt,quia mali futuri ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt:* & cap.vltimo,*Potest*, inquit, *sine Prædestinatione esse Præscientia; prædestinatio autem sine præscientia esse non potest.* Theophilactus:*Præcognoscit*,inquit,*Deus eos,qui vocatione digni sunt,deinde sic prædestinat. Prior itaque est præscientia, postea sequitur prædestinatio. Prædestinationem autem intelliges impermutabilem Dei voluntatem. Prænouit itaque Paulum vocatione dignum esse, sicq; præfiniuit seu prædestinauit.*Oecumenius: *Quos præscivit*, ait, *hos etiam prædestinauit, quia secundùm propositū sunt. Quos autē prædestinauit,hos & vocauit, quia secundū propositum sunt.* Explicans autē quid sit *secundū propositū*,ita scribit:*secundùm propositū, statuitur illorū virtus, qui secundū proprium propositum* (intellige à gratia Diuina prœuentum) *crediderant, & sic à personarum respectu Deus liberatur.* Origenes: *Quia quos*,inquit,*præscivit & prædestinauit conformes fieri imagmis Filij sui,euidenter ostendens, quòd eos, quos præscivit Deus tales futuros vt Christo se in passionibus conformarent,ipsos etiam conformes ac similes imaginis eius prædestinauit & gloriæ. Præuidit ergo*, vt ibidem concludit,*præscientia Dei, per quam noscuntur qui in se labores & virtutes habituri sint, & ita prædestinatio sequitur.* Sedulius: *Quos præscivit credituros,hos vocauit:vocatio enim volentes colligit.* Tū ex proprietate ipsa verborū: nam *præscientia* ad intellectum, *prædestinatio* ad voluntatem refertur. Distinguit igitur hîc Apostolus duos actus, alterum intellectus,voluntatis alterum: non enim hęc duo verba pro eodem vsurpantur;siquidem vnum reddit causam alterius, vt ex Oecumenio docet Toletus hîc;atqui per actum intellectus non potest,nisi scientia meritorum, per actum verò voluntatis decretum electionis ad gloriam intelligi. Minor quoad primam partem probatur,quia non potest hęc scientia intelligi,de cognitione prædestinatorum in esse naturæ, quæ communis est reprobis,cùm hæc sit propria electorum: neque de cognitione meritorum sub conditione futurorum, vt censent Molina 1.p.quæst.23.artic.4.disp.1.memb.9. & Granadus. Nam merita sub conditione præuisa, non sunt apta mouere diuinam voluntatem ad prædestinandum vnum præ alio, cùm nullus sit, cuius finalia merita non sint sub conditione præuisa,si alio tempore,occasione,vel auxilio vocatus fuisset: at per hanc scientiam Deus vnum eligit præ alio,vt constat ex relatiuo,*Quos*, nempe, quos sciuit sua gratia operaturos. Neque intelligi potest de scientia consequente decretum ipsum de electione ad gloriam, vt sensus sit; Quos iam præscivit ad gloriam electos,eos prædestinauit per infallibilia media, ad destinatam gloriam consequendam:vt *prædestinare* hoc loco, non sit ad gloriam eligere, sed media ad gloriam iam electis præparare. Nam hoc modo Paulus in æterna serie Prędestinationis prætermisisset, quod erat in ea prœcipuum, & fundamentum cæterorum,ipsum scilicet efficax decretum electionis ad gloriam.

Hieronym. Ambrosius. Augustin. Haimo. Auctor libri de prædest. Dei. Fulgent. Prosper. Theophil. Oecumen. Origenes. Sedulius. Oecumenio. Toletus. Molina. Granad.

63. Dices. Atqui eadem ratione Paulus prætermisisset decretum dandi media. Sed contrà,nam huius decreti meminit illis verbis immediatè prœcedentibus, *Qui secundùm propositum vocati sunt sancti.* Quem locum Augustinus lib. de correptione & gratia capite 7.& sæpè alibi, explicat de proposito secundùm electionem ad gratiam efficacem:ex quo proposito ortum habet in Deo voluntas

Augustin.

vocandi

vocandi ad fidem, & ad reliqua bona opera supernaturalia. Ergo pro scientia hîc intelligi debet cognitio meritorum absolutè futurorum.

64. Probatur Minor quoad posteriorem partem, nēpe per actum prędestinationis Paulum intelligere ipsum decretum electionis ad gloriam: tum quia cùm hic Paulus describat totam seriem diuinę prędestinationis, & nullo alio verbo expresserit decretum electionis ad gloriam, necessariò cogimur asserere, illud expressisse per hoc verbum, *Prædestinauit*. Tum quia cùm immediatè pòst inter effectus prædestinationis enumeret glorificationē, & cuilibet effectui prędestinationis suū in Deo respondeat decretum proportionatum, necessariò dicendum est, hoc decretum à Paulo expressum fuisse per hoc verbum, *Prædestinauit*. Tum demum, quia hic ordo prædestinationis eruitur ex contextu ipso verborum, nā primo describitur decretum dādi media efficacia ad gloriam illis verbis præcedentibus, *Qui secundùm propositum vocati sunt sancti*: Secundò describitur præscientia meritorum per illa verba, *Quos præscinit*. Tertiò decretum electionis ad gloriam per hęc verba, *Prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui*: efficimur enim cōformes imagini filij Dei, teste Hieronymo, per gloriam, quæ est cōsummata sanctitas, & perfecta adoptio filiorum Dei. Quartò numerātur effectus prædestinationis, vt executioni mandandi, per illa verba; *Quos autem prædestinauit, hos & vocauit; quos vocauit, hos & iustificauit; quos autem iustificauit, illos & glorificauit*. Et sanè non possunt verba Pauli, cohærentiùs quàm in nostram sententiam quadrare.

*Hieronym.*

*Matth. 25.*

65. Secundùm testimonium sit Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei: possidete paratū vobis regnum à constitutione mūdi*. Vbi procul dubio Christus loquitur non de temporali, sed de æterna regni præparatione: cuius æternę præparationis causam reddit illis verbis: *esurini enim & dedistis mihi manducare*: igitur ipsa opera iustorū ab æterno præuisa fuerūt Deo motiuum ad præparandum illis ab ipsa æternitate cœleste regnum suo tempore conferēdum. Confirmatur, nā ea ratione docet Christus, paratum esse regnum prædestinatis, qua docet, paratum esse ignem ęternum reprobis, vt constat ex ipsa electorum, reproborumque antithesi: atqui paratus est ignis ęternus reprobis propter eorum præuisa demerita: ergo & regnum cœleste prædestinatis propter eorum præuisa merita.

## *Secunda probatio ex auctoritate Patrū.*

*Augustin.*

66. Secundò probatur auctoritate Patrum, & præter citatos confirmatur testimonio Augustini. l. 1. ad Simplicianum q. 2. quem aduersarij pro sua putant stare sententia: vbi agens de duplici electione: altera ad gratiam, altera ad gloriam, priorem docet fieri independenter à nostris operibus, exemplo Esau & Iacob: posteriorem verò non modò nō negat, sed etiam affirmat fieri dependenter à nostris meritis: operibusque præuiis: explicans enim verba illa Apostoli, *Vt secundùm electionem propositū Dei maneret: Non ergo*, inquit, *secūdùm electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio: idest, non quia inuenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, ideo manet propositum iustificationis ipsius, sed quia illud manet, vt iustificet credentes, ideo inuenit opera, quæ iam eligat ad regnum cœlorum: nam nisi esset electio, non essent electi: nec rectè diceretur: Quis accusabit aduersus electos Dei? non tamen electio præcedit iustificationem, sed electionem iustificatio: nemo enim eligitur, nisi iam distans ab illo, qui reijcitur. Vnde quod dictum est, Qui elegit nos ante mundi constitutionem, non video, quomodo sit dictum, nisi præscientia.* Hæc Augustinus, quibus verbis apertè docet, electionem ad regnum non præcedere, sed subsequi opera ipsa, quæ gratiam iustificationis consequuntur; nec tantùm in executione, vt nonnulli ex aduersarijs explicant, sed etiam in ipsa intentione & præscientia, vt ipsemet Augustinus testatur; & patet, nā id concedit de electione ad regnum, quod negat de electione ad gratiam: negat autem de electione ad gratiā, quod ea subsequatur opera nostra etiam præuisa ante efficax decretum intentionis de danda gratia: igitur & de electione ad gloriam concedit, eam subsequi nostra merita, etiam præuisa ante efficax decretum intentionis de danda gloria. Neque hunc locum retractauit vnquam August. vt aliqui putant: quin potiùs, quæ de prædestinatione hoc libro scripsit, ait, sibi fuisse à Deo reuelata in libro de Prædestinatione sanctorum, quē senior conscripsit: in quo, & in lib. de bono perseuerantiæ, negat quidem electionem ad gratiam fieri ex meritis; de electione verò ad gloriam id nullibi negat, quin sermone septimo de verbis domini, duplicem agnoscit electionem, alteram secundùm gratiam, quæ est electio ad ipsam gratiam; alteram secundùm iustitiam, quę est electio ad gloriā, præuio examine & prędscientia meritorum: *Elegit*, inquit, *& secundùm gratiam suam, & secundùm illorum iustitiam*. Huic Augustini testimonio obijci potest: quia quod hic docuit, electionem supponere, non autem facere inęqualitatem inter ipsos electos, alibi retractauit, affirmans, esse aliquam electionem, quæ non supponit, sed facit inæquales. ita Epist. 106. paulò ante medium: *quæ scilicet electio, nō inuenit eligendos, sed facit*. Retractato autem hoc, simul retractatū manet, id quod citato loco ad Simplicianum docuit, electionem ad gloriā supponere inæqualitatem & distantiā inter eligendos. Resp. Augustinum solū retractasse vsum huius vocis. *Electio*, non autem rem, quam ibidem docuerat, nempe nullam dari electionē ad gloriam ante prędsa merita, cùm de retractatione huius doctrinæ nullibi extet. Solùm igitur Augustinus retractauit, electionem dici posse, etiamsi inæqualitatem non supponat, sed faciat inter electos.

67. Eandem ferè Doctrinam tradit lib. de

corre-

correptione & gratia c.7. Vbi apertè docet, nostram salutem ex parte Dei incipere à vocatione secundùm propositum, quæ vocatio, secundùm ipsum, est electio ad gratiam. Ibidem etiam docet, prædestinatos discerni à nõ prædestinatis *Præscientia*. Si autem putasset, prædestinatos eligi ad gloriam independenter ab eorum meritis præuisis, potiùs dixisset, illos à non prędestinatis discerni electione ad gloriam; nam hæc antecedit *Præscientiam meritorum*, & est primum, maximumque donũ, quo prędestinati discernuntur à non prædestinatis. *Hilari.* Hilarius in Psal. 64. loquens de electione ad gloriam. *Electi*, inquit, *sunt nuptiali veste conspicui, puro atque integro nouę Natiuitatis corpore splendidi. Itaque non res indiscreti iudicij electio est, sed ex meriti delectu facta discretio est.* *Beda.* Beda lib. variarum quæstionum q. 13. *Sicut ergo*, ait, *prædestinatio ad mortem non coëgit malos vt pereant. Ita etiam prædestinatio ad vitam non coëgit bonos, vt saluarentur: Sed cùm Dominus bonos ad vitam prædestinauit, ita eos prædestinauit, vt ipsa sua prædestinatio meritis & precibus nostris obtineatur.*

68. Vltimò Theodulus ad Rom. 9. & Damascenus aduersus Manichęos hanc nostram sententiam docent his verbis: *Præparauit*, inquit ille, *Deus ad gloriam, quos dignos cognouit per fidem. Quocirca*, inquit ille, *bona agere, & boni effici contendamus, vt in eorum simus numero, quos Deus bonos fore prænouit, atque ad æternam vitam præordinauit:* qui apertè præordinationem ad æternam vitam postponit præscientię meritorum. *Theodulus. Damascen.*

## *Tertia probatio ex absurdis oppositæ sententiæ.*

69. Tertiò probatur hæc sententia ex innumeris absurdis, quæ ex opposita sententia apertè deducuntur. Primum absurdum est, Deum non habere voluntatem saluandi omnes, contra Paulum primę ad Timotheum secundo. Sequelam probo, nam si Deus ex se ipso ante vlla præuisa merita absoluta sua volũtate voluisset gloriam vnis, & negasset alijs, nõ potuisset ex se ipso habere voluntatẽ saluandi omnes, siquidem non habuisset voluntatẽ, saluandi eos, quibus antecedenter ad ipsorũ demerita gloriã negasset. Vnde media, quę postea illis præparasset, non tam præparasset affectu saluandi, quã eos iustè puniendi: Tũ quia cùm Deus ex se haberet absolutam voluntatẽ eos non saluandi, non posset contra talem voluntatem operari. Tum quia idem est motiuũ electionis mediorũ, & intentionis finis; cùm media eligantur propter finem: sed Deus Antecedente sua voluntate, efficaciter eos à regno excluisset, ex motiuo manifestandi suam iustitiam: igitur ex eodem motiuo postea illis media præparasset; ac proinde non ex motiuo eos saluandi.

70. Respondent ad hoc absurdum primò aliqui, iustè posse Deum ante præuisa merita vniuscuiusque, suam gloriam denegare ob solum peccatum Protoparentis, quo non solùm sibi, sed etiam posteris damnationem iustè meruit. Sed contrà, tum quia hæc ratio non militat in Angelis, in quibus ante peccatum ipsorum personale nullum præcessit originale in capite. Tum quia Deus vult omnes saluos fieri, etiam post originale peccatũ præuisum: nam hanc suam voluntatem saluãdi omnes fundat Deus, vt ex præcitato loco Pauli colligitur, in Christo saluatore, qui supponit peccatum originale præuisum, & quidem in sententia aduersariorum, scientia absoluta, post cuius præuisionem prædestinatus est Christus in remedium ipsius.

71. Respondent secundò alij, Deum negatiuè tantùm se habere circa reprobos in eo signo, in quo gloriam prædestinat electis. Sed contrà, tum quia ad illatum absurdum sufficit, quòd Deus negatiuè tantùm nolit salutem hominum, cùm Paulus non modò citato loco neget, Deum ex se habere positiuam voluntatem saluandi, sed etiam affirmet, ex se habere positiuam voluntatem saluandi omnes; nam verbum *Vult*, positiuum actum in Deo designat. Tum quia sequeretur, etiam positiuè Deum ex se reprobos excludere à regno: nam in eo signo, in quo negatiuè excludit à regno, positiuè non vult eis salutem ęternam, quod sic probo. Nam vel supponimus Deum liberè velle & nolle per connotationem extrinsecæ productionis, vel negationis productionis, liberè à se dependentis; vel per intrinsecam & antecedentem terminationem actus: vtrouis modo Deũ liberè velle aut nolle supponamus, semper sequitur illatũ absurdũ. Probatur minor suppositio priori modo: Nam sola negatio electionis ad gloriam, cũ sit libera ex præcognitione agẽtis, est positiua nolitio & exclusio à regno. Probatur eadem minor, suppositio posteriori modo: nam esto in ea sententia ad aliquid physicè nolendum requiratur positiua terminatio actus ad obiectum: tamen ad moraliter nolendum sufficit certa præcognitio negationis effectus, infallibiliter prouenientis ex libera negatione auxilij, ad productionem effectus necessariò prærequisiti, vnde talis negatio effectus, si praua sit, & vitanda, imputatur ad culpam, etiamsi nullus actus physicus eliciatur erga illum: sed præcognoscit Deus, quòd ex libera negatione electionis ad gloriam homo non possit salutem consequi: ergo non solùm negatiuè, sed etiam positiuè moraliter illum excludit: vnde tandem Scotus in primo dist. 47. & Suarez l. 5. de reprobatione c. 4. concedunt talem actum esse positiuum. *Paulus.* *Scotus.* *Suarez.*

72. Confirmatur, nam hic modus prędestinandi non videtur consentaneus bonitati Dei, quę in ijs, quę à sola sua voluntate pendent, omnibus sese communicat, vt constat in Angelis, quibus creatis, statim se ipsum communicauit omnibus per gratiam, siquidem omnes, vt suppono ex 2.to. de Ange. disput. 28. sect. 3. fuerunt initio creationis gratia condecorati. Idem Deus per gratiam capitis communicauit se statim Protoparentibus,

à qua

à qua gratia ante peccatum neminem excluſit. In hac autem ſententia Deus ex ſe antecedente ſua voluntate non ſeſe omnibus cõmunicaſſet in ordine ad finem ſupernaturalem, ſed perpaucis, ijs ſcilicet, quos ad gloriam elegiſſet. Corroboratur idem argumentum: nam ſicut neminem Deus antecedente ſua voluntate excludit à gratia, ita neque à gloria.

73. Secundùm abſurdum eſt, quia non ſaluatur perfecta libertas, quam homines habẽt in æterna ſalute acquirenda. Sequela probatur, nam libertas, quam homines habent circa ſalutem, non ſolùm eſt in medijs exequendis, ſed in fine ipſo acquirendo: ſi autem gloriæ prædeſtinatio fuiſſet ante præuiſa merita, non poſſent homines habere immediatã libertatem in finem aſſequendum. Maior cõſtat ex ſcriptura & Patribus, qui vitam & mortem, ſalutem & damnationem in manu noſtra poſitam eſſe teſtantur, eamque ex noſtra pendere libertate, Eccleſ. 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui: adiecit mandata, & præcepta ſua: ſi volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te,* & Paulò pòſt: *Ante hominem vita, & mors, bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi.* Ad quam libertatem apertiùs explicandam vtitur ſcriptura promiſſione conditionata & comminatoria: *ſi mandata,* inquit, *ſeruaueris: Niſi præcepta cuſtodieris, &c.* Quę non ſolùm oſtendunt eſſe in nobis libertatem remotam, ſed etiam proximam, ad ſalutem conſequendam. Minor probatur, nam ſi Deus ante omnem præuiſionem meritorum abſoluta ſua voluntate gloriam decreuiſſet Petro, eamque negaſſet Paulo, nec Petrus in ſuam gloriam, nec Paulus in ſuã reprobationem, vllam haberet libertatem; quia nec ea poſita in libera poteſtate illorum eſſet, eam tollere, nec in ea ponenda reſpectũ vllũ Deus habuiſſet ad ipſorum libertatẽ, vnde nec ille potuiſſet aliquid efficere, vt ab ea excluderetur, nec iſte, vt ad eam eligeretur.

Eccleſ. 15.

74. Dices. Poſſumus habere immediatam libertatem in actus à Deo prædefinitos, eſto illi prędefiniantur ante noſtrum futurum cõſenſum pręuiſum: ergo ſimiliter poſſumus immediatam libertatem habere in electionem ad gloriam, eſto hęc decernatur ante noſtra futura merita præuiſa. Reſpondeo, negando conſequentiam. Diſcriminis ratio eſt, quia licet non habeamus immediatam libertatem ad æternam Prædeſtinationem noſtrorum actuum, in qua eſt par ratio, ac de æterna electione ad gloriam: habemus tamen immediatam libertatem ad ipſam temporalem elicitionem actuum: at verò, ſi non haberemus libertatem ad æternam electionem ad gloriam, neque habere poſſemus ad ipſum temporalem actum glorificationis, quia hîc non liberè, ſicut meritum, ſed neceſſario à nobis elicitur.

75. Tertiò repugnat, Deum talem modum in Prædeſtinatione hominum ſeruare, qui repugnet alteri eius voluntati: atqui hic modus ab aduerſarijs aſſertus repugnat voluntati, quam Deus habet de noſtra perfectione. Nam Dei voluntas eſt, vt in virtute & perfectione comparanda ſemper creſcamus: *Eſtote,* inquit Chriſtus Matth. 5. *perfecti, ſicut pater veſter cœleſtis perfectus eſt*: at hæc volũtas pugnat cùm voluntate glorię in certo gradu & perfectione, independenter à noſtris meritis definitæ. Etenim, ſi Deus independenter à noſtris meritis definiuiſſet gloriã in certo gradu & perfectione, non poſſet habere voluntatem, vt in ea agenda, atque amplianda nullum finem faceremus: nam hæc voluntas aduerſatur priori.

Matth. 5.

76. Quartò, veriſimile non eſt, Deum talem modum in prædeſtinatione ſeruaſſe, qui & ſocordiam gigneret electis, & deſperandi occaſionem præberet reprobis: atqui hic modus & ſocordiam gignit electis, & deſperandi occaſionem præbet reprobis. Nam poſito tali modo, iure poſſet vnuſquiſque ita ſecum ratiocinari. Aut ſum, aut nõ ſum prædeſtinatus: ſi ſum prędeſtinatus, iã certus ero, quod quidquid egero tandẽ ſaluabor; quia implicat Deũ abſoluta ſua voluntate me ad gloriã elegiſſe, & de facto mihi nõ dare, quæ neceſſaria ſunt ad eam conſequendã. Si non ſum prędeſtinatus, certus ſimiliter ſum, quod quidquid egero, tandẽ non ſaluabor; quia nihil efficere poſſum, quo ſalutem cõſequar, à qua ante omnia mea merita, efficaci Dei voluntate excluſus ſum. Quæ ratiocinatio vim nõ habet in noſtra ſententia, quia cùm prędeſtinatio, & reprobatio facta ſit in æternitate depẽdenter à noſtris futuris operibus ab æterno præuiſis; ſi ſum prædeſtinatus, ideo ſum, quia in Dei ſcientia præceſſerunt mea merita cũ auxilio gratię in tempore facta; quæ cauſa fuere, vt Deus ab æterno mihi gloriam prędeſtinarit. Si non ſum prædeſtinatus, ideo non ſum, quia ſimiliter in Dei ſcientia præceſſerunt mea demerita in tempore commiſſa; quę ſimiliter cauſa fuere, vt Deus ab æterno me à regno excluſerit. Vnde ſicut Deus ab æterno potuit præuidiſſe bona mea opera, ſi ego nunc, vti iam pro mea libertate poſſum, bene ſim operaturus; ita me ab æterno ad gloriam elegiſſe dependenter à meis bonis operibus, quę ſum facturus. Contrà verò, ſicut potuit ab æterno præuidiſſe mea demerita, ſi ego nunc, vti iam liberè poſſum, malè ſim operaturus; ità me ab æterno à gloria excluſiſſe, dependenter à meis demeritis, quæ ſum facturus: nam etiamſi electio, vel excluſio à regno æternitate prędcedat, cauſalitate tamen ſubſequitur mea merita, aut demerita in tempore facta: nam prius fuit in ipſa æternitate, me in tempore bene aut malè vſque in finem vitæ operaturum, quàm Deum me ad gloriam elegiſſe, vel à gloria excluſiſſe. Neque hinc ſequitur, temporale fuiſſe cauſam æterni, quia non vt temporale, ſed vt æternum in ipſa ſcientia Dei præcedens, fuit cauſa æterni.

77. Sed contrà primò, nam eandem vim habet dilemma propoſitum in noſtra ſentẽtia: quia, adhuc poſito decreto vel de electione ad gloriam, vel de excluſione à regno ex præuiſione operũ, impoſſibile eſt, aut electum dã-

nari,

nari, aut reprobum saluari. Respondeo, negando assumptum. Ad probationem autem distinguo antecedens, est impossibile impossibilitate consequente, supponente futura nostra opera in æternitate præuisa, concedo. Sola autem impossibilitas antecedens lædit libertatem, quia supponit gloriam, vel efficaciter decretam, vel efficaciter negatam independenter à nobis: non autem impossibilitas consequens, quæ supponit gloriam efficaciter decretam, vel negatam dependenter à futuris nostris oporibus, in æternitate præuisis. Iuxta aliam verò sententiam habet prædictum dilemma suam vim, quia supponit gloriam, vel reprobationem efficaciter decretam independenter à nobis, non autem iuxta nostram; iuxta quam si bene egero, ego ipse sum causa, vt ab æterno sim ad gloriam electus: contrà verò, si malè vixero, ego ipse sum causa, vt ab æterno sim à gloria excluſus.

78. Contrà secundò, quia quòd Petrus fuerit ab æterno ad gloriam electus, non autem Iudas, est, quia Petrus fuit ab æterno prę-uisus cum gratia finali, non autem Iudas: sed quòd Petrus ab æterno præuisus fuerit cum gratia finali, non autem Iudas, est, quia Deus, vni præparauit gratiam finaliter congruam, quam non præparauit alteri: ergo cur vnus potiùs, quàm alter sit ad gloriam electus, sola Dei voluntas fuit, vni potiùs, quàm alteri, congruam gratiam præparantis. Respondeo negando consequentiam, nam licet efficax electio ad gloriam pendeat à gratia finali, & hæc à voluntate Dei gratiam præparante, quia tamen hæc in ratione efficaciæ pendet etiam à libero consensu creaturæ, vi cuius eadem gratia, quæ præuisa est efficax, præuideri potuit inefficax, à quo tamen libero consensu non pendet gloria vt efficaciter decreta, vel negata; ideo etiamsi gratia finaliter congrua, ex qua pendet electio ad gloriam, sit à sola voluntate Dei, illam potiùs, quàm aliam præparante, adhuc tamen efficax electio ad gloriam, vt à causa meritoria, pendet à nostris operibus ex gratia profectis, quia, vt infrà probabimus, illa non decernitur, nisi vt corona, & merces, quæ essentialem ordinem dicunt ad merita, tanquam ad causam meritoriam, & mouentem Deum ad gloriam decernendam.

79. Confirmatur, Nam hunc modum indicat tum multitudo Angelorum prædestinatorum, tum paucitas hominum saluandorum. Etenim si electio vel exclusio à regno, à sola Dei voluntate penderet, cur ad illud tam paucos homines, tam multos elegit Angelos? cùm potiùs respiciendo ad caput homogeneum Christum, multò plures debuisset homines, quàm Angelos ad regnandum eligere. Ratio autem huius discriminis in nostra sententia facilè assignatur: quia, cùm electio ad regnum, proposita sit vt præmium in stadio virtutis certantibus, cumque angeli, breuius faciliusque habuerint certàdi stadium; contrà verò homines diuturnius, difficiliusque ob infirmioris naturæ imbecillitatem, & impugnantiam hostium multitudinem, & calliditatem, plures Angelorum, quàm hominum præuisi sunt in fine certaminis victores.

80. Dices. Hinc sequi, primam radicem discretionis Prædestinatorũ à non prædestinatis fore ex nobis, quia ex nobis est, vt series auxiliorum nobis præparata sit finaliter efficax, ex quorũ efficacia pẽdet prima radix discretionis prędestinatorum à nõ prædestinatis. Respondeo negando sequelam. Nam prima discretionis radix pendet ex volũtate Dei, eam seriẽ auxiliorum præparantis, quæ prę-uisa est finaliter congrua: hoc autem non pendet ex nostra volũtate, licet ex nostra voluntate pẽdeat, vt ea præuisa fuerit finaliter congrua. Vtrumq; igitur in nostra sententia saluatur, & quòd prima radix discretionis prædestinatorũ à nõ prædestinatis sit à Deo, eam seriẽ auxiliorum præparante; quæ præuisa est finaliter cõgrua, & quòd electio, vel reprobatio à regno facta sit dependenter à nostris operibus; tum quia electio, & reprobatio decreta est per modũ mercedis, & iustę pœnæ, quarũ vtraq; supponit ex parte eligẽdi, vel reprobandi, propria merita, aut demerita. Tum quia, quòd talis series auxiliorum præuisa sit finaliter efficax, vel inefficax, aliquo modo à nostra pendet libertate.

81. Quintum absurdum est, quia vel homines sunt ad gloriam electi, ante vel post præuisum peccatũ originale: si ante, vt Scotistæ putant, tunc sequitur, aut tale decretũ non cohærere cũ his, quæ de facto post peccatum originale executioni mandantur, aut certè tale decretum fuisse mutatum: vtrumq; est absurdum: ergo. Maior probatur, nã vel ante Præuisum originale peccatum Deus ad æternam felicitatem prædestinauit eosdem homines, & cum eadem perfectione & mensura gloriæ, quos & cum qua nunc de facto prædestinauit; vel alios homines; & secundũ aliam gloriæ mensuram. Si dicatur secundũ, sequitur, mutatum fuisse prius decretum: si dicatur primum, sequitur, tale decretum nõ cohærere cum his, quæ de facto sunt executioni mandata: nam de facto saluãtur multi, qui peccato non existente non fuissent saluati; vt multi ex ijs, qui ex illicito concubitu nascuntur, qui tunc nati non fuissent, contrà verò multi tunc saluati fuissent, qui de facto post originale peccatum non saluantur, vt multi, qui ex occisis parentibus, & ex ijs, qui in diluuio periêre, nati fuissent. Præterea nunc aliquos eligit ad gloriam, tanquam ad puram hæreditatem, vt paruulos, cum solo Baptismo morientes, reliquos verò adultos ad eandem gloriam eligit, tanquam ad coronam: atqui peccato non existente, nullus fuisset ad gloriam electus, tanquam ad puram hæreditatem, sed omnes electi fuissent ad illam, tanquã ad præmium, quia peccato nõ existente, omnes adulta & matura ætate decessissent, cùm nulla tunc immatura mors

*Scotistæ.*

quæ tantùm est pœna peccati, fuisset. Confirmatur, quia verisimile non est, ad eandem gloriæ mensuram prædestinatos fuisse homines tunc, qui & diuturniore tempore vixissent, & intensiores, frequentioresq; actus virtutum elicuissent ac nunc; qui & breuiore tempore viuunt, & remissiores actus ob imbecillitatem vulneratę naturę eliciunt.

*Augustin. Thomista.*

82. Si verò cum Augustino & Thomistis supponamus, electionem ad gloriam factam esse post originale peccatum, præuisum in se ipso scientia visionis, tunc sequitur, gratiam collatam Adamo, non fuisse illi prædestinatam ex efficaci intentione gloriæ; siquidem hæc fuit efficaciter decreta post præuisum peccatum originale, quod in hac sententia supponit primam gratiam iam prædestinatam Adamo. Ergo saltem aliquod medium non est ex efficaci intentione finis à Deo volitum; quod est contra plerosque aduersarios, qui in hoc sententiam fundant de electione ad gloriam ante præuisa merita, eò quòd putent, nullum medium ad gloriam conducens, prudenter eligi posse nisi ex efficaci intentione finis, cùm tamen Adamus electus sit ad gloriam, & nihilominus ei prima gratia non fuit ex efficaci intentione gloriæ collata. Nec dici potest, quòd prima gratia, vtpote peccato interrupta, illi ad gloriam non conduxerit, nam eadē postea fuit illi per pœnitentiam restituta, & cum ea reliqua dona supernaturalia.

## *Quarta probatio ex rationibus.*

83. Quartò probatur hęc sententia ratione: potissima verò est. Nam de facto gloria decreta est adultis, vt merces & corona meritorum; non potuit autem decerni, vt merces & corona meritorum, nisi prædestinata sit dependenter à meritis, præuisis scientiâ visionis: igitur electio adultorum ad gloriam decreta est dependenter à meritis ipsorum præuisis scientiâ visionis. Cōsequentia syllogisticè deducitur ex præmissis. Maior est de fide, in sacris literis expressè reuelata, Lucæ 6. *Gaudete in illa die & exultate, ecce enim merces vestra multa est in cœlo.* Secundę ad Timotheum quarto. *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus index; non solùm autem mihi, sed & iis, qui diligunt aduentum eius.* Eandem veritatem expressit Christus sub parabola operariorum in vineam conductorum, Matth. 20. & ratio huius rei est: quia Deus in decernenda nobis gloria magis respicit ad gloriam suam, quàm ad gloriam nostram; sicut princeps, cùm proponit præmium certantibus, magis respicit ad gloriam propriam, quàm ad gloriam ipsorum certantium. Maior autem gloria redundat in Deum ex meritis nostris, quàm ex ipsa glorificatione nostra, quoniam merita sunt actiones, liberè elicitę à creatura in obsequium ipsius Dei, gloria verò est actio necessariò producta: actio autem eò est honorificentior alteri, quò liberiùs in ipsius obsequium exhibetur. Minor, in qua totius difficultatis cardo versatur, probatur hoc pacto. Merces & corona essentialem respectum dicunt ad merita & labores, à quibus causantur in genere causæ moralis meritorię: non possunt autem merces & corona causari à meritis coronandi, quin merita ipsa præcedant coronam in scientia absoluta coronantis: igitur si gloria decreta est adultis, vt corona & merces, præcedere debuerunt ipsorum merita in scientia absoluta Dei, tanquam causa meritoriè mouens Deum ad gloriam ipsam, vt coronam illis decernendam. Quò fit, vt priùs ratione, quàm Deus efficaciter nos ad gloriam elegerit, præuidere debuerit scientia visionis nostra merita ex gratia profecta, proprer quæ motus fuerit ad gloriam nobis, vt coronam decernendam.

*Lucæ 6.*

*Secundæ ad Timoth. 4.*

*Matth. 20.*

84. Confirmatur, quia Deus magis mouetur à gloria & honore proprio, quam à gloria & honore nostro; nam *vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*, Prouerbior. 16. ergo in decernendis medijs priùs respexit ad merita, quàm ad gloriam nostram, quoniam merita sunt magis honorifica Deo, quàm ipsa glorificatio nostra. Consequentia verò probatur, quia id Deus respicit priùs, quod principalius intendit: quare proxima ratio, qua motus est Deus ad præparanda huic potiùs, quàm alteri media efficacia, fuerunt ipsa merita finalia, quæ potiùs vni, quàm alteri desiderauit: hæc verò præuisa scientiâ visionis, fuerunt postea motiua causa decernendi illis gloriam vt coronam.

*Prou. 16.*

85. Ad hanc rationem respondetur primò, sufficere merita sub conditione tantùm præuisa, vt ex illis moueri potuerit Deus ad gloriam, vt coronam decernendam. Confirmatur, quia sicuti in nostra sententia motus est Deus ad Christum, vt redemptorem eligendum, ex peccato Adami sub conditione tantùm præuiso; ita moueri potuit ad gloriam, vt coronam nobis decernendam, ex meritis nostris sub conditione tantùm præuisis. Sed contrà; nam ideo Deus elegit hos potiùs, quàm illos ad gloriam vt coronam capescendam, quia horum potiùs, quàm illorum merita præuidit: atqui sub conditione non potiùs Deus præuidit merita horum, quàm illorum; igitur ex meritis sub conditione tantùm præuisis non potuit hos potiùs, quàm illos ad gloriam vt coronam eligere. Maior constat, nam electio ad gloriam vt coronam non est ex mera Dei voluntate, sed fundatur etiam in meritis ipsius coronandi. Minor probatur, quia sub conditione Deus non minùs præuidit merita & demerita vnius, quàm merita & demerita alterius, si sub alia & alia serie auxiliorum, ac circumstantiarum

constitu-

constitutus fuisset. Vnde non potuit Deus potiùs ex meritis, aut demeritis vnius, quàm alterius sub conditione tantùm præuisis ad gloriam, vt coronam decernendam moueri. Ad confirmationem, dispar est ratio de voluntate prædestinandi Christum vt redemptorem, & eligendi homines ad gloriam, tãquam ad coronàm. Etenim prior voluntas tota pendet ex liberalitate Dei, nullam supponente certã causam motiuã ex parte creaturæ; posterior autem fundatur in certa causa motiua ex parte creaturæ, quæ sunt ipsius merita in obsequium Dei liberè exhibita.

86. Respondent secundò alij, voluisse Deum prædestinatis gloriã vt coronam, non ex ipsorum meritis, tanquam ex causa meritoria, ipsum Deũ mouente ad gloriã decernendam, sed ex mera & pura sua liberalitate, atque amore. Ad eum modum, quo Pater aliquis desiderans dignitatem suo filio, vt illam maiore suo cum honore & fama consequatur, procurat, vt non gratis, sed per propria merita illam consequatur. Sed contrà, quia vt probatum est, Deus non decernit nobis gloriam, vt præmium duntaxat nostri laboris, sed etiam, & quidem principaliùs, vt præmium & retributionẽ operis in eius honorem, & obsequium impensi; ac proinde in ea decernenda, non tam respicit ad bonum præmiandi, quàm ad bonum & gloriam suã propriam, quæ Deo principaliùs prouenit ex liberis nostris meritis, in eius honorem & obsequium impensis: igitur non potuit in gloria nobis decernenda moueri ex mera & sola sua liberalitate, nullo habito respectu ad merita nostra in ipsius obsequium exhibita; cùm hæc sit principalis ratio, quam Deus in omnibus suis operibus intendit.

87. Respondent tertiò alij, Deum duplex habuisse decretum de gloria, alterum intentionis, alterum executionis, per decretum intentionis docent, Deum nullum habuisse respectum ad merita prædestinandi, sed illam decreuisse ex mero suo beneplacito; ad ea tamen respectum habuisse per decretum executionis, in quo eandem gloriam nobis gratis definitam quoad intentionem, rursus decreuit, vt præmium & coronam ex meritis nostris in executione præuisis. Sed contrà, quia non potuit Deus in decreto ipso intentionis non intendere id; quod sibi maximè honorificum erat, & in maiorem sui gloriam & honorem redundabat; hoc autem sunt merita ipsa prædestinandi liberè in obsequium ipsius exhibenda. Præterea ob alias rationes displicet hoc duplex decretum in Deo, de quo in sequente ratione.

88. Secunda ratio desumitur ex ipsa tẽporali retributione gloriæ. Certũ enim est, gloriã quoad executionẽ retribui ex meritis, & propter merita, vt constat ex Matth. 25. Ergo etiam quoad intentionẽ definita est ex meritis, & propter merita ab æterno præuisa. Consequentiã probo, quoniam ipsa executio operis, manifestat intentionem agentis.

Matth. 25.

89. Negant aduersarij consequentiã, & pro argumenti solutione recurrũt ad duplex illud decretum, paulò antè memoratum, nempe alterum per modum intentionis, quo Deus gloriam intendit, vt finem independenter à meritis; & merita vt media dependenter à gloria, tanquam à fine; alterum per modum executionis, quo eandem gloriam decreuit conferre dependenter à meritis, vt à causa morali meritoria. Sicut in quolibet artifice creato duplex distinguitur ordo, alter, quo ex præintento fine tendit ad media eligenda; alter, quo ex medijs progreditur ad finem exequendum. Primum decretum, quia gratis fit, nullo habito respectu ad merita, tanquam ad rationem & causam moraliter mouentem, est purę misericordiæ & liberalitatis. Secundum, quia fit ex motiuo operum, in Dei honorem exhibitorum, est iustitiæ, seu gratitudinis, quo Deus remunerat opera in sui honorem & obsequium impensa. Hoc duplici decreto aduersarij cõciliari putant multa loca Augustini, in quibus modò videtur concedere, gloriam prædestinari ex meritis, modò independenter ab illis. Priora explicant de voluntate executiua, posteriora de electiua.

Augustin.

90. Sed contrà, tum quia, vt sæpè dictum est, non potuit Deus decreto intentionis non intendere id, quod in maiorem sui redundaret gloriam, nempe, velle prædestinatis gloriam, vt præmium operum in ipsius obsequium impensorum; ac proinde priùs ratione debuit velle merita, quàm gloriam; siquidem gloriam voluit propter merita. Non potuit autem priùs ratione velle merita, nisi priùs etiam ratione illa præuiderit, vt absolutè futura; quia merita non voluit, vt purum finem, vti voluit nobis gloriam, sed vt obsequia in ipsius honorem exhibita; & consequenter vt præuisa scientia visionis, cùm scientia conditionata ad hoc non sufficiat. Tum quia superfluum est hoc secundũ decretum. nam per primum manent omnia sufficienter applicata suo tempore exequenda, quia per illud Deus efficaciter intendit singula vt practicè causanda: igitur sine decreto executiuo, vi tantùm prioris electiui, omnia manẽt suo tẽpore executioni mãdanda. Confirmatur, quoniam si prior voluntas est efficax, vti ab Aduersarijs ponitur, nõ sistit in ipsa gloria speculatiuè tantùm diligẽda, per simplicem duntaxat complacentiam, sed ad eam etiam se extendit per practicã & efficacem intentionem, quæ executionem includit; per hanc enim distinguitur practica intentio à simplici complacentia. Vnde eatenus in nobis, præter priorem voluntatem intentionis, est necessaria posterior executionis, quatenus voluntas in nobis non est per se ipsa operatiua ad extra, sed eget ad exequenda ea, quæ ipsa efficaciter intendit, ope virtutis executiuæ distinctæ: at voluntas Dei se ipsa est operatiua ad extra; neque eget ad exequendum, quod ipsa efficaciter intendit, virtute executiua distincta.

Tum demum, quia vel hæc duo decreta concurrunt ad gloriam causandam; vt causæ partiales, vel vt totales: quouis modo concurrant, semper sequitur, quod defacto gloria nobis non conferatur ex solis meritis, cùm tamen scriptura vbique testetur, gloriam nobis conferri ex meritis. Nec dici potest, quòd sola merita sint causa collationis gloriæ, sicut è contra sola misericordia est causa electionis eiusdem gloriæ: quia repugnat, aliquid esse causam efficacis electionis ad gloriam, & non esse causam temporalis collationis eiusdem gloriæ. Nam libera electio gloriæ in Deo supra actum necessarium, cuius nulla datur causa, importat solam connotationem temporalis collationis gloriæ. Igitur, si misericordia est causa efficacis electionis ad gloriam, erit etiam causa temporalis collationis eiusdem. Vnde adhuc non posito posteriore decreto executiuo gloriæ, ex vi tantùm prioris nobis gratis conferretur gloria, cùm vi talis decreti gloria sit totaliter, & efficaciter decreta.

*Ruiz.* 91. Respondent alij, inter quos Ruiz de prædestinatione Disp. XII. Sect. VI. & VII. Deum eadem volitione efficaci, & gratis intendisse gloriam ab æterno per merita consequendam à prædestinatis, & gratis illam in tempore conferre per merita, ita vt sicut ab æterno gratis voluit, vt gloria prædestinatis daretur ex iustitia & per merita, ita eadem voluntate in tempore gratis dat eandem gloriam ex iustitia, & per merita, non autem propter merita.

92. Verùm hæc responsio dum vitare nititur vnum inconueniens, nempe duplicem illam voluntatem intentionis & executionis in Deo, in alia æquè absurdiora relabitur; quippe quæ & negat verum actum iustitiæ seu gratitudinis in Deo in retribuenda gloria prædestinatis, & ab eorum honestis operibus propriam tollit rationem meriti respectu consecutionis gloriæ. Primum est contra Paulum 2. ad Timotheum 4. *Quam* nempe gloriam, *reddet mihi Dominus iustus iudex* &c. Dicitur autem Deus iustus iudex ipso actu iustitiæ, quo gloriam retribuit prædestinatis: ergo si hic actus non esset iustitiæ, falsò dicererur Deus gloriam reddere prædestinatis vt iustus iudex, sed potiùs illa elargiri vt liberalis donator. Secundum est contra Concilia & Patres, expressè docentes, opera iustorum esse vera & propria merita respectu consecutionis gloriæ. Audiatur Triden. sess. 6. Can. 32. *Si quis dixerit, hominis iustificati bona opera, ita esse dona Dei vt non sint etiam bona ipsius iustificati merita, aut ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesu-Christi meritum, cuius viuum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum: anathema sit.* Est etiam contra Christi doctrinam Matth. 25. Vbi tam glorificationis prædestinatorum, quàm reprobationis reproborum, meritoria causa assignatur bona, & mala eorum opera.

*2. Ad Tim. 4.*

*Triden.*

93. Priorem sequelam ostendo: nam actus virtutis dicitur talis ex motiuo formali ipsius virtutis: In hac autem sententia, motiuum formale, quo Deus confert in tempore gloriam, non est virtutis iustitiæ seu gratitudinis, sed liberalitatis seu misericordiæ. Igitur in hac sententia, actus, quo Deus in tempore gloriam tribuit prædestinatis, non est iustitiæ seu gratitudinis, sed liberalitatis seu misericordiæ. Maior ab omnibus recipitur: cùm ab eo virtutis actus suam habeat denominationem, à quo habet specificationem: habet autem specificationem à motiuo formali; non autem ab obiecto materiali. Vnde qui debitum restituit non ex motiuo iustitiæ, sed temperantiæ, ne nimium afficiatur erga pecuniam, non facit actum iustitiæ, nisi tantùm materialiter, sed temperantiæ. Minor prima syllogismi probatur: nam in hac sententia, motiuum formale, quo Deus mouetur ad dandam gloriam prædestinatis, non est, vt eorum bona opera in sui honorem & gloriam facta recompenset, sed vt se illis liberalem & misericordem ostendat: siquidem non confert illis gloriam intuitu bonorum operum, sed mera sua liberalitate, & gratuita voluntate. Vnde donat illis in tempore gloriam, mediantibus bonis operibus, non vt meritis, quibus eam à Deo impetrent, sed vt puris medijs, quibus illam gratuita Dei voluntate consequantur.

94. Posterior sequela probatur: quoniam in hac sententia, Deus gloriam nec ab æterno præparauit, nec in tempore confert prædestinatis, intuitu ipsorum bonorum operum, sed mera sua liberalitate & misericordia: igitur tollitur ratio meriti à bonis operibus prædestinatorum, respectu consecutionis gloriæ. Antecedens est ipsum Aduersariorum assertum, qui propterea negant, gloriam dari propter merita, sed per, vel ex meritis. Consequentia verò probatur: nam sicut meritum in actu primo constituitur per virtutem moraliter motiuam alterius voluntatis: ita meritum in actu secundo formaliter constituitur per actualem motionem, quà alterius voluntatem moraliter mouet, ad aliquid ipsius intuitu dandum. Igitur si bona opera prædestinatorum non mouent moraliter diuinam voluntatem, vt intuitu ipsorum eis gloriam retribuatur, non habebunt respectu consecutionis gloriæ rationem meriti, sed meri ac puri medij, ex ordinatione diuina prærequisiti.

95. Confirmatur primò. Non est vera causa meritoria, quæ non habet veram causalitatem causæ meritoriæ. Atqui bona opera prædestinatorum, iuxta hanc sententiam, non habent veram causalitatem causæ meritoriæ respectu consecutionis

gloriæ

gloriæ: Ergo respectu consecutionis gloriæ non sunt vera merita, contra citatam authoritatem Concilij. Maior patet: nam causa constituitur formaliter in ratione causæ causalitate. Minor probatur: nam causalitas causæ meritoriæ, est motio moralis, qua mouetur agens ad retribuendum aliquid intuitu ipsius operis merentis.

96. Confirmatur 2. Merita non causant, nisi vt præcognita: iuxta hanc autem sententiam, bona opera prædestinatorum non causant vt præcognita, igitur non habent veram rationem meriti. Maior patet: nam merita causant impetrando ab ipso præmiante ob suam honestatem exhibitam in honorem alterius, præmium: impetrant autem vt præcognita ab ipso præmiante, vt per se claret. Minor primi syllogismi probatur: quoniam iuxta hanc sententiam, Deus tribuit gloriam prædestinatis in tempore ex eadem voluntate, qua illam prædestinauit ab æterno: sed iuxta hanc eandem sententiam, illam ab æterno Deus non prædestinauit ex meritis præcognitis vt absolutè futuris, quo pacto tantùm sunt apta impetrare meritoriè gloriam à Deo. Minor hæc probatur; nam hæc fuerunt ab æterno præuisa post decretum de medijs efficacibus, quæ in hac sententia præparata fuerunt post decretum electionis ad gloriam: ergo neque in tempore illam tribuit ex meritis præcognitis. Nam licet, quando Deus in tempore gloriam tribuit, merita cognoscat, vt actu iam in sui honorem exhibita, talis tamen meritorum cognitio ad gloriæ collationem se habet merè comitanter: siquidem ex sola voluntate electiua ad gloriam, & ex eodem motiuo, quo ab æterno motus fuit, independenter ab vllis prædestinatorum meritis in hac sententia gloriam tribuit in tempore.

*Matth 25.* 97. Confirmatur tertiò: Nam Matth. 25. æquè pro collatione gloriæ, ac pro pœnæ inflictione, tanquam causa meritoria assignantur bona opera prædestinatorum, & mala reproborum: atqui hęc sunt vera causa moralis meritoria inflictionis pœnę: ergo & illa erunt vera causa moralis meritoria collationis gloriæ. Minor conceditur ab Aduersarijs, qui quamuis concedant, negatiuam exclusionem à gloria non esse propter demerita, haud tamen negant, ipsam positiuam inflictionem pœnæ esse propter eorum peccata, tanquam propter veram causam moralem meritoriam talis pœnæ.

98. Confirmatur quartò: Quoniam hęc responsio tollit ab ipsa gloria prædestinatorum formalem rationem mercedis, coronæ, ac præmij. Nam merces dicitur per respectum ad laborem, propter quem, & *Rom. 4.* intuitu cuius soluitur, iuxta illud ad Rom. 4. *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.* Corona autem, & præmium dicuntur per ordinem ad opera bona propter quæ, & intuitu quorum retribuuntur. Sicut pœna dicitur per respectum ad opera mala, propter quæ, & intuitu quorum infligitur. Vnde solùm materialiter in hac sententia diceretur merces, corona, & præmium, ex ipsa materiali & extrinseca consecutione glorię per merita, non autem formaliter ex intrinseco actu, quo Deus illam tribuit, cùm talis actus in Deo in hac sententia non sit iustitię & gratitudinis, sed misericordiæ & liberalitatis.

99. Tertia ratio ducitur ex æterna reprobatione positiua malorum, quæ sicut facta est ex præuisis demeritis, ita æterna electio iustorum ex præuisis meritis: tum quia non minus in executione gloria retribuitur ex meritis, quàm pœna ex demeritis: ergo non minùs in intentione gloria decernitur ex meritis, quam pœna ex demeritis. Tum quia vtraque est à Deo viatoribus proposita, vt meta & finis præsentis certaminis; ergo sicut decreta est vna ex demeritis, ita & altera ex meritis.

190. At potuit, inquies, Deus independenter à meritis decernere gloriam, quia bona est, non autem pœnam, quæ ex se bona non est, & culpam supponit. Sed contrà, tum ad hominem contra Thomistas. *Cõtra Thomistas.* Nam potest Deus in ipsorum sententia, prædefinire actus malos; igitur ex se etiam poterit prædefinire pœnam. Consequentiam probo, nam plus est prædefinire actum prauum, qui malitiam intrinsecè includit, quàm pœnam, quæ illam tantùm supponit: nam potest Deus supposito peccato pœnam intendere, cùm tamen peccatum nullo pacto intendere possit. Tum quia hoc potiùs demonstrat, vtramque esse à Deo dependenter à nostris operibus definitam; cùm hoc nullum inuoluat absurdum, & aliunde pœna & præmium meliùs sibi respondeant.

## *Ordo decretorum Dei circa Prædestinationem Adultorum ac Paruulorum.*

101. Vt autem totam hanc de prædestinatione doctrinam breuiter comprehendam, Dicendum est, Deum primo decreuisse condere hunc mundum, & in eo tot creaturas rationales, æternę glorię capaces, sub ijs circumstantijs & occasionibus voluisse creare, quot & sub quibus de facto eas creauit: Tum liberali & misericordi sua voluntate omnibus præparasse sufficientia media ad salutem, quibus singulæ creaturæ possent talem gloriam consequi. Hæc autem media fuerunt tum Christus prædestinatus vt Redemptor ex occasione peccati pręuisi sub conditione fu-

ne futuri, in hac serie & ordine Vniuersi : tum institutio Sacramentorum, & quædam vniuersalia media in causis ipsis vniuersalibus præparata. Deinde singulis elegisse media vberiora & efficacia vnis, minùs vbera & inefficacia alijs pro beneplacito suæ voluntatis, & rerum, circumstantiarumve opportunitate. Atque totum hoc decretum fuit liberalitatis & misericordiæ. Quòd verò sibi complacuerit, vberiora & efficaciora vni, quàm alij auxilia conferre, hoc spectat ad alios fines, nempe ad suam, & creaturæ libertatem ostendendam; ad dona gratiæ magnificanda; ad naturæ imbecillitatem manifestandam, aliosq; fines sibi notos. Tum ex tot creaturarum multitudine alias præuidisse cum collatis donis in sua gratia, & amicitia finaliter perseuerantes; alias verò defectu propriæ voluntatis, in finali peccato decedentes. Tandem absoluto, & definitiuo decreto illis æternam felicitatem, vt condignum præmium, his sempiternam miseriam in pœnam suorum scelerum statuisse. Atque hoc est decretum illud, quod S. Augustinus iustitiæ, & remunerationis appellat, quo Deus nobiscum se gessit more iudicis, definientis præmium vnis, & decernentis pœnam alijs, ipsorum operibus condignam. Atque in hoc vltimo signo, & decreto completur tota series & ordo prædestinationis, & reprobationis adultorum, absque alio decreto executiuo distincto, cùm vi huius voluntatis media, & finis maneant executioni suo tempore efficaciter applicata.

*Augustin.*

102. In qua serie & ordine signorum non modò in Deo assignamus antecedentem voluntatem saluandi omnes; in ipso primo decreto mittendi Christum; vt redemptorem in remedium peccati sub conditione præuisi, & instituendi sacramenta, præparandiq; media vniuersalia pro omnibus ad supernaturalem felicitatem consequendam: sed etiam saluamus, quo pacto Deus neminem ex se antecedente voluntate à regno excluserit; & quòd nulla facta sit exclusio, nisi post præuisa demerita. Saluamus etiam peculiarem affectum, quem Deus habet etiam ante præuisa merita, in ipsa voluntate præparandi media congrua erga prædestinatos, quem non habet erga reprobandos, quibus tantùm præparat media sufficientia. Hæc tamen peculiaris dilectio, quæ simul fuit præ alijs ad gratiam efficacem electio, non est in Deo distincta voluntas à voluntate ipsa præparandi media efficacia ad gloriam; cuius tantùm fuit virtualis, non formalis electio. Sicut è contra, electio ad gratiam inefficacem, quæ est simplex electio virtualis ad gloriam, simul fuit efficax exclusio virtualis à regno. Neque enim repugnant hæ duæ voluntates in Deo, simplex scilicet volitio rei, & simul efficax nolitio eiusdem, quando illæ effectum decernunt dependenter à voluntate alterius, cuiusmodi sunt hæ duæ voluntates in Deo. Nam prior hoc ipso, quòd tribuit media sufficientia ad salutem, quantum est de se intendit illam: posterior verò, quia non tribuit media efficacia, quibus simus salutem infallibiliter consecuturi; dicitur efficax nolitio eiusdem, non quidem formalis, cùm nondum reprobos ab æterna salute formaliter excludat, sed tantùm virtualis, inclusa in ipsa mediorum inefficacitate. Vnde qua ratione non repugnant voluntas dandi media sufficientia, & noluntas dandi media efficacia ad salutem: eâdem ratione non repugnabunt simplex voluntas virtualis ad gloriam, & efficax noluntas virtualis ad eandem.

103. Atque hæc de Prædestinatione adultorum tam hominum, quàm Angelorum. Cæterùm paruuli non eliguntur ad gloriam, tanquam ad præmium ex ipsorum præuisis meritis, quorum nondum sunt capaces; sed tanquam ad puram hæreditatem, ex præuisa eorum finali iustificatione, ad quam ordinantur ex meritis Christi, tanquam capitis, medijs causis tam naturalibus, quàm liberis, ex quarum applicatione pendet eorum iustificatio, per regenerationis lauacrum.

## *Corollaria Doctrinæ ad primum caput argumentorum ex Scripturâ.*

104. Ex dictis infertur primò, non modò gloriam & ab æterno decretam fuisse, & in tempore datam propter præuisa merita futura, sed etiam gratiam iustificantem, eiusque incrementum adultis tam in æternitate præparata, quàm in tempore collata esse propter præuisa merita futura, vel de congruo, respectu primæ gratiæ iustificantis, vel de condigno respectu incrementi eiusdem. Ratio, quoniam etiam hæc dantur vt præmium propter merita, vel de congruo, vel de condigno: ergo etiam hæc decernuntur & conferuntur propter præuisa merita illius, intuitu quorum decernuntur & conferuntur: cùm hoc exigat ratio præmij, vt non prius decernatur, vel conferatur, quàm promerentis opera, intuitu quorum illud decernitur & confertur, præuideantur futura.

105. Infertur secundò, non solùm quando præmium decernitur, vel confertur propter merita ipsius præmiandi; sed etiam, quando decernitur, vel confertur propter merita alterius, debent illa præuideri vt absolutè futura. Ratio quia siue merita sint propria ipsius præmiandi, siue alterius, vt valeant præmium causare, debent in scientia præmiantis præcedere præmium, quia debent illud causare præ-

cognita

cognita vt absolutè futura; eò quòd debent illud causare, moraliter inclinando voluntatem præmiantis, vt illud in sui recompensam retribuat. Hinc fit, vt merita Christi debuerint vt absolutè futura in scientiâ Dei præcedere tam hominum, quàm Angelorum prædestinationem, quibus de facto iuxta probabiliorem sententiam, collata est gratia & gloria intuitu meritorum Christi.

106. DICES. Sæpè Deus excitat vnum, vt propter orationem & bona opera ipsius saluet alium: sed talis excitatio est effectus voluntatis, quâ Deus vult saluare alterum: cùm tamen huiusmodi excitatio non sequatur, sed præcedat merita ipsa excitandi, siquidem ad hoc illa datur, vt per eam quis ad merendum pro altero excitetur: ergo non semper merita vnius præcedunt in scientia præmiantis præmium alteri retribuendum. Resp. Negando minorem assumptam. Etenim talis excitatio non est effectus voluntatis formalis de gloriæ electione, quia nondum est in se decreta formaliter; sed vel est effectus voluntatis virtualis inclusæ in alia voluntate formali antecedente de medijs, vel est ipsa prima voluntas virtualis de gloria, inclusa in ipsa prima voluntate formali de præparanda excitatione, tanquam primo medio ad gloriæ consecutionem.

107. Infertur 3. Non semper prædestinatos discerni à non prædestinatis per primam gratiam congruam, sed per vltimam finalem: tum quia interdum secundùm hanc sunt æquales; cùm tam prædestinatus, quàm reprobus interdum vocentur ad primam gratiam congruam. Tum quia donec præuideatur gratia finalis, semper est in prædestinata libertas illam respuendi, ac proinde semper manet scientia diuina indifferens ad oppositum videndum, cùm visio æterna Dei supponat obiectum futurum. Etenim priùs prioritate rationis & quasi causalitatis obiectiuè fuerunt ab æterno merita finalia futura Petri, quàm eorundem præscientia in Deo. Dixi, *non semper*: quia interdum prædestinatus discernitur à non prædestinato per solam primam vocationem congruam, quando scilicet illa simul est finalis, vt contingit in duobus paruulis, quorum vnus baptizatus, alter non baptizatus ex hac vita decedit.

108. Infertur 4. Etiamsi in tota serie mediorum, quibus prædestinatus gloriam consequitur, multa à Deo decernantur, & conferantur, vt præmia intuitu præcedentium operum, tanquam meritorum vel de congruo, vel de condigno, adhuc tota series mediorum dicitur ex gratuita & liberali Dei voluntate præparata prædestinato. Ratio, quia omnia subsequentia merita originem trahunt ex prima vocatione congrua, tanquam ex radice, quæ cùm nulla præsupponat merita, nec condigna, nec congrua, cùm ante illam non præcedant nisi opera naturalia, quæ cum ordine gratiæ nullâ habent connexionem, omnino gratis præparatur, & confertur: ac proinde reliqua etiam opera, quæ ex ipsa tanquam ex radice originantur, dicuntur gratis dari.

109. DICES. Hoc pacto etiam gloria dici posset gratis nobis præparari & conferri, contra ea, quæ suprà docuimus. Sequela probatur, nam etiam gloria originem trahit ex prima vocatione tanquam ex prima radice. Resp. Bifariam posse gloriam considerari, vno modo, vt integrat totam seriem prædestinationis, quæ incipit à prima vocatione: & vt sic, concedo, gloriam gratis nobis præparari, & conferri: in quo sensu dicitur gloria ab Augustino gratia pro gratia: alio modo, seorsim, quatenus effectus est præcedentium meritorum: quo pacto non gratis, sed ex iustitia seu gratitudine nobis præparatur, & confertur. Eadem ratione media posteriora, quæ dantur ob merita priora, si considerentur vt integrantia totam seriem prædestinationis iucludentis primam vocationem, dicuntur gratis dari, ratione primæ vocationis, à qua originantur: si verò considerentur seorsim vt effectus distincti priorum meritorum, vt sic non gratis, sed ex iustitia & gratitudine nobis præparantur, & conferuntur. *Augustin.*

110. Infertur 5. Posse finem simul in eodem signo rationis decerni vt exequendum per tale medium, vel tale medium executioni mandandum propter talem finem; non posse autem simul in eodem signo rationis decerni meritum vt causam præmij, & præmium vt effectum meriti. Ratio discriminis: quoniam etsi finis sit causa medij, & medium effectus finis in intentione; vt tamen vnum decernatur vt exequendum per aliud, non prærequiritur cognitio alterius, vt absolutè futuri, sed sufficit, vt vtrumque cognoscatur possibile, eò quòd finis non causat per bonitatem existentem, sed possibilem: eadem possibilitas sufficit, vt cum fine decernatur medium vel tanquam effectus ipsius in intentione, vel tanquam causa eiusdem in executione. Vt autem præmium decernatur propter meritum, necessariò prærequiritur cognitio meriti vt absolutè futuri; quia meritum non causat nisi propter bonitatem existentem à præmiante precognitam; cumque cognitio rei vt absolutè futuræ præsupponat absolutum decretum Dei de eadem re futura, non poterit in eodem signo rationis decerni præmiũ & meritum simul, cùm decretũ præmij præsupponat cognitionem meriti, & cognitio meriti decretum mediorum ad meritum necessariorum. Hinc patet, cur in sexto tomo de Incarnatione Disp. VII. asseramus, potuisse Deum in eodem signo rationis simul decernere Incarnationem propter remedium peccati præuisi scientia conditionata, tanquam propter finem proximum,

& simul

& simul remedium ipsum peccati dependenter ab Incarnatione, tanquam à medio ex voluntate Dei connexo cum tali fine, & vtrumque propter Christi gloriam & exaltationem, tanquam propter finem magis remotum, etiamsi Christi opera vt causa meritoria debuerint ratione præcedere prædestinationem gratiæ & gloriæ tam hominum, quàm Angelorum, dependenter à quibus prædestinati sunt. Quoniam in ratione finis & medij vnum non necessariò præsupponit alterum vt absolutè futurum, vti præmium præsupponit meritū.

111. Infertur 6. Quæ hîc dicta sunt, non repugnare ijs, quæ suprà docuimus Disp. XIV. De voluntate Dei, Sect. V. posse nimirum Deum antecedenter ad nostram libertatem prædefinire omnes actus nostros in indiuiduo, absque præiudicio nostræ libertatis: nam ibi asserimus, huiusmodi prædefinitionem non repugnare creatæ libertati, eò quòd cum tali prædefinitione stare potest intrinseca libertas in creatura, qua liberè prædefinitum actum elicere possit, quæ libertas non saluatur in assecutione gloriæ, si hæc independenter à nostris meritis decernitur; quia hanc non liberè, sed necessariò elicimus, Physicè prædeterminati à lumine glorię. Hic verò tantùm docemus, huiusmodi prædefinitionem independenter à libera cooperatione nostra futura repugnare naturæ præmij. Quare potest Deus absque læsione nostræ libertatis antecedenter ad liberam nostram cooperationem absolutè futuram, prædefinire actum charitatis, exempli causa: quia potest ea media ad illum eliciendum nobis præparare, cum quibus præuidit illum eundem liberè sub conditione à nobis eliciendum. Non potest autem eundem actum prædefinire tanquam præmium alterius actus, nisi præuiso eo actu, intuitu cuius hic decernitur in præmium, vt absolutè futuro, cùm hoc poscat ratio ipsa præmij, vt non primò decernatur, quàm præuideatur causa meritoria propter quam decernitur.

## *Ad primum caput argumentorum ex Scripturâ.*

112. Ad argumenta oppositæ sententiæ, & primò ad testimonia Scripturæ respondeo primò, ea omnia explicari posse de electione ad gratiam efficacem, vt ea explicat Augustinus lib. de correptione & gratia, de dono perseuerantiæ, & lib. de prædest. Sanctorum, in cuius decimo capite, hoc constituit inter prædestinationem seu electionem, & ipsam gratiam discrimen, quod prædestinatio seu electio, est gratiæ præparatio; gratia verò, est ipsa temporalis gratiæ collatio. Vnde illam appellat electionem secundùm propositum, qua qui vocatur, infallibiliter respondet: eamque distinguit à vocatione, qua multi vocantur, & non eliguntur, quia non vocantur electione efficaci, & secundùm propositum. Ex qua voluntate prouenit, vt sæpè Deus multa operetur supra ordinarium naturæ cursum vt ipse Augustinus testatur de correptione & gratia capite 7. iuxta hunc sensum explicatur allatum exemplum de Iacob & Esau; alioqui illud nimium probaret; probaret enim, Deum ex se Esau odisse, cùm tamen nihil eorum, quæ fecit Deus, odit, Sapient. 11.

113. Secundò allata Scripturæ testimonia explicari possunt de electione ad gloriam, non per modum causæ & à priori; sed per modum signi, & à posteriori; quo pacto dicere solemus, omnes præsciti damnantur; non quòd præscientia sit causa damnationis, sed signum tantùm, & causa cognoscendi infallibilis. Hoc modo intelligitur locus ille Actor. 13. *Crediderunt, quotquot præordinati erant in vitam æternam*; ita vt *præordinatio in vitam æternam* fuerit signum, & causa tantùm in cognoscendo, cur hi potiùs, quàm illi credituri essent: cùm potiùs merita futura prę-uisa fuerint causa *præordinationis in vitam æternam*, & postea signum, & causa cognoscendi futura merita eorundem præordinatorum. Alij non improbabiliter hunc locum explicant de prædestinatione ad fidem, quæ vita æterna inchoatiuè dicitur, iuxta illud Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum-Christum*: vt sensus sit, actu crediderunt quotquot erant per congruam vocationem ad fidem à Deo prædestinati. Alioqui si de prædestinatione ad gloriam ibi sermo esset, necessariò dicendum foret, omnes, qui tunc crediderunt, fuisse prædestinatos, ac proinde saluatos: contrà verò eos, qui tunc non crediderunt, non fuisse prædestinatos. Quod nec verum, nec probabile videtur, cùm non soleat Deus viatoribus suam prædestinationem, & multò minùs reprobationem reuelare.

*Explicatur Scriptura 2.*

*Ioan. 17.*

114. Tertiò eadem Scripturæ testimonia intelligi possunt de electione ad gloriam tantùm virtuali, & conditionata, subintellecta tacitâ conditione, si in accepta gratia permanserint. Sic explicatur locus ille Lucæ secundo. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Alioqui, si de absoluta electione ad gloriam Christus locutus fuisset, reuelasset Apostolis eorum prædestinationem, quod non est verisimile, cùm hoc affectum retardet benè operandi.

*Explicatur Scriptura 3.*

*Luca 2.*

115. Vnum superest testimonium paulò difficilius explicatu, præcitato loco Sapientiæ 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animum illius.* Adhuc autem illud difficilius reddit ratio, quam Scriptura ibidem assignat: *Placita enim erat*, inquit, *Deo anima illius: propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum.* Vbi ratio, cur aliquando

*Sapient. 2 Locus difficilis Script.*

do Deus præmaturè iustum ex hac vita rapiat, est, quia placita est ei anima illius. Est autem Deo placita anima iusti propter electionem ad gloriã, quæ ipsius merita præcedens mouet Deũ finaliter ad rapiendum illũ ex hac vita, antequam in peccatum cadat.

116. Sed in primis hunc locum explicans Augustinus lib. de prædest. Sanctorum cap. 14. huiusmodi præmaturum raptum iusti, ne malitia mutet intellectum eius, non refert ad gloriæ, sed ad gratiæ efficacis electionem, nam ex testimonio Scripturę colligit contra Pelagium, gratis nobis gratiam dari. Secundò rectè explicari potest de efficaci electione ad gratiam finalem, propter quam placita est Deo anima iusti; aut etiam de ipsa electione ad gloriam decretam iam, & prędefinitam ex meritis finaliter præuisis.

## *Ad secundum caput argumentorum ex auctoritate Augustini.*

*Augustin. explicatur.*

117. Ad auctoritatem verò Augustini respondeo, illum per electionem intelligere vel electionem ad gratiam, vel ad gloriam independenter ab operibus liberi arbitrij, solius naturæ viribus elicitis. Tum quia de hoc erat inter ipsum, & Pelagium controuersia. Tum quia, quę de electione docet, ait esse certa fide credenda, quod de electione ad gloriam dependenter ab operibus gratię dici non potest. Nec sat est dicere, Augustinum obiter etiam hanc sententiam catholicam inter disputandum contra Hæreticos impugnasse: tum quia debuisset hoc explicare; alioqui eadem censura Catholicam, atque hæreticam sententiam damnasset. Tum quia vbicunque Augustinus egit de electione prædestinatorum, vel de electione secundùm propositum, nunquam illam expressè appellat electionem ad gloriam; sæpè autem expressè vocat electionem ad gratiam. Signum igitur est, quòd quando illam absolutè appellat electionem, non intelligat, nisi de electione ad gratiam, non de electione ad gloriam.

118. Primus igitur locus adductus intelligendus est de electione ad gratiam efficacem, quæ, quia simul est virtualis, & inchoata electio ad gloriam, dicuntur ad eam prædestinati electi ad regnandum cum Christo. Quòd autem per electionem ad regnandum cum Christo eo loco intelligat Augustinus electionem ad gratiam efficacem, quæ simul est virtualis electio ad gloriam, constat: tum quia nunquam eo loco, vel alibi, vt dictum est, ipse vtitur nomine electionis ad gloriam: Tum quia expressè & signatè hanc electionem eo loco appellat electionem ad gratiam: *Electi sunt*, inquit, *per electionem, vt dictum est, gratiæ, non præcedentium meritorum suorum.* Tum quia tales electos ait esse discretos ab ipsa massa perditionis, *gratiæ largitate*, & *præscientia.* Si autem per electionem intellexisset electionem ad gloriam profectò ille non dixisset, eos discerni, *præscientia*, & *gratiæ largitate*, sed potiùs voluntate, & electione ad gloriam, quæ præscientiam, & gratiæ largitatem antecedit, & primò ac principaliter prædestinatos à massa perditionis discernit.

119. Eodem modo intelligendus est secundus locus. Ad tertium verò, neganda est consequentia, quoniam ante fidem nulla præcedunt opera gratiæ, propter quæ possimus ad fidem eligi, sicut præcedunt ante gloriam. Ad quartum neganda est minor: nam in doctrina Augustini propositum est idem, atque electio ad gratiam efficacem, vt vel mediocriter in doctrina Augustini versato constat. Ad confirmationem, quod vbique ipse defendit, est, electionem ad gratiam, aut si mauis, etiam ad gloriam, non fieri ex solius liberi arbitrij meritis, de qua tantùm erat ipsius contra Pelagianos disputatio.

*Quid propositum significat in doctrina Augustin.*

## *Ad tertium caput rationum oppositę Sententiæ.*

120. Ad fundamentum oppositę sententiæ, distinguendum est antecedens: semper efficacem electionem mediorum præcedit efficax voluntas finis, nego: semper efficacem electionem mediorum præcedit aliqua simplex saltem voluntas finis, concedo. Constat de ipsa efficaci electione mediorum efficacium, quæ Deus interdum confert reprobis in hac vita; certum enim est, sæpe Deum in hac vita conferre reprobis media efficacia ad salutem, cùm tamen illa non causentur ex efficaci, sed ex simplici dumtaxat affectu finis, quem Deus illis intendit in ipsis medijs & causis vniuersalibus. Quòd autem nequeant media eligi, nisi ex aliqua saltem intentione finis, patet; quia media dicunt essentialem respectum ad finẽ, tanquam ad causam, propter quam eligũtur. Quòd autem non semper sit necessaria efficax intentio finis ad efficacem electionem mediorum, probatur: tum quia interdum finis non solùm pendet ab agente conferente media, sed etiam ab agente applicante media ad finem consequendum; media verò solùm pendent ab agente media ipsa conferẽte. Vnde poterit Deus conferre media efficacia, etiamsi non intendat efficaciter finem, quia efficax intentio finis non solùm pendet à Deo, sed etiam à creatura in genere causæ meritorię: efficax verò electio mediorum pender à solo Deo. Tum quia, esto Deus per efficacem electionem mediorum non præintendat efficaciter finem remotum, & minùs principalem respectu sui, qui est gloria ipsa creaturę; per eam tamen efficaciter præintendit finem proximum, & magis principalem respectu sui, qui sunt merita ipsa

*Ad rationes*

creaturæ.

creaturæ, in obsequium ipsius Dei exhibita. Quæ merita Deus principaliùs, vtpote sibi magis honorifica, in negotio prædestinationis intendit.

121. At nequeunt, inquies, merita priùs intendi, quàm præuideantur, nequeunt autem præuideri ante efficacem electionem mediorum: igitur nequit Deus efficacia media eligere propter efficacem intentionem meritorum. Respondeo, merita dupliciter posse præuideri; vno modo, vt absolutè futura; alio modo, vt tantùm possibilia. Primo modo debent præuideri, quando intenduntur in genere causæ meritorię, mouentis moraliter agens ad retribuendum præmium in recompensationem operis, in obsequium ipsius præmiantis impensi; secundo tantùm modo, debent præuideri, quando intenduntur in genere causæ finalis, mouentis agens ad communicandam sibimetipsi existentiam. Cuius discriminis ratio est, quia quando intenduntur in genere causæ meritoriæ, prę supponi debent existentia, saltem in ipsa scientia præmiantis; quia merita non sunt apta mouere præmiantem ad retribuendum merenti prę mium, nisi vt existentia: quando verò intenduntur in genere causę finalis, cùm non debeant mouere agens, nisi ad existentiam sui, non est necesse, vt præsupponantur existere: alioqui præsupponerentur secundùm effectum, secundùm quem debent ab agente causari. Quare non potest Deus intendere merita in genere causę meritoriæ, nisi illa præuideat, vt euidentia in sua scientia absoluta: potest autem illa intendere in genere causæ finalis, si tantùm illa præuideat vt possibilia: potest autem illa præuidere, vt possibilia ante efficacem electionem mediorum; ac proinde ante efficacem electionem mediorum potest illa efficaciter intendere in genere causæ finalis, etsi nequeat illa intendere in genere causæ meritoriæ, nisi post efficacem electionem mediorum, ex quorum libera applicatione pendent merita ipsa in executione exhibenda.

122. Vnde prima probatio antecedentis solùm ostendit, non posse media eligi, nisi ex aliqua simplici saltem intentione finis, quod vltro concedimus. Ad secundam probationem dico, minorem esse veram, quando electio mediorum adæquatè pendet ab intentione finis; secus quando electio mediorum non pendet adæquatè ab intentione finis, sed etiam à libertate eligentis, vel ab aliquo alio fine ab eligente efficaciter intento. Vnde non sequitur, plus virtutis esse in effectu, quàm in causa adęquatè sumpta; nam hæc non est tantùm inefficax intentio finis, sed etiam libertas ipsa eligentis media, vel intentio alterius finis ab eligente efficaciter præintenti.

123. Ad Tertiam probationem, distinguo minorem: non possunt prędestinati adæquatè, & completè distingui à non prædestinatis, sola voluntate mediorum efficacium, concedo: nam sicut completa prædestinatio includit vtramque voluntatem, mediorum scilicet, & finis; ita per vtramque prædestinati completè secernuntur à non prædestinatis: non possunt distingui incompletè & inchoatiuè, nego. Nam ea voluntate prædestinati distinguuntur à reprobis, quæ includit media infallibiter consecutura finem: hæc autem est voluntas prę parandi media efficacia, quæ est propria prædestinatorum.

124. Ad probationem minoris, distinguo primum consequens: non distinguuntur inchoatiuè prædestinati à non prædestinatis, sola voluntate mediorum efficacium priùs, quàm præuideatur ipsorum finalis consensus, vt ratio motiua ad præparanda illis talia media, nego: nam licet posteriora media Deus præparet ex meritis prioribus, prima tamen, & consequenter totam prædestinationem ex nullis præparat meritis: vt conditio verò, sine qua non posset Deus ea media præparare, vt liberè ab ipsa creatura exequenda, concedo.

125. Cæterùm negandum non est, Deum in ipsa efficaci electione mediorum concomitanter & virtualiter, antecedenter & formaliter, intendere vni potiùs, quàm alteri efficaciter gloriam. Per quam efficacem intentionem virtualem gloriæ prædestinati discernuntur à non prædestinatis, saltem inchoatiuè, & virtualiter. Cur autem Deus virtualiter tantùm, & non formaliter dicatur intendere finem efficaciter prædestinatis in ipsa electione efficacium mediorum, ea est: quia volitio libera Dei dicitur talis, vel talis volitio formaliter per connotationem talis, aut talis rei liberè à se dependentis: cùm igitur voluntas mediorum efficacium nondum connotet formaliter gloriam prædestinatorum, vt coronam liberè à se dependentem, cùm in eo signo nondum sit gloria definita vt corona, quia in eo signo nondum sunt præuisa merita, à quibus pendet definitio gloriæ vt coronæ: non potest dici volitio efficax formalis gloriæ vt coronę, sed tantùm virtualis.

126. Ad primam confirmationem, nego antecedens de efficaci intentione formali gloriæ, secus de efficaci intentione virtuali, inclusa in ipsa efficaci voluntate dandi perseuerantiam. Neque valet, gratis præparat perseuerantiam; ergo gratis etiam præparat gloriam. Nam perseuerantia dicit totam collectionem auxiliorum, quam nec de congruo mereri possumus, quia includit prima auxilia, quæ sub meritum non cadunt; gloria verò supponit merita, quæ præsupponunt auxilia gratiæ: vnde gloria non decernitur ex auxilijs gratis collatis, sed ex meritis prę supponentibus auxilia gratis collata. Quod argumentum soluendum est etiam ab aduersarijs in ordine ad ipsam executionem gloriæ, quæ datur ex meritis, ex quibus tamen non datur perseuerantia.

127. Ad

127. Ad secundam confirmationem, neganda est consequentia; & retorqueo argumentum contra ipsos aduersarios: nam sicut Christus non habuit gloriam animæ in executione dependenter à meritis proprijs, ita neque illam habuit in intentione: contrà verò, quia nos gloriam in executione accipimus dependenter à nostris meritis, ad eandem etiam quoad intentionem eligimur dependenter ex ijsdem meritis. Ratio autem cur Christus gloriam animæ non habuit ex meritis, est, quia hæc fuit altiori titulo, nempe filiationis naturalis debita; & aliunde, vt illam ex meritis haberet, derogasset maiori perfectioni ipsius, quia oportuisset primum actum, quo illam sibi meruisset, non fuisse claram Dei visionem, quia hæc non est proportionatum principium merendi. Vnde gloriam corporis, quam potuit sine præiudicio maioris perfectionis sibi mereri, habuit dependenter à meritis, non tantùm in executione, sed etiam in ipsa intentione. Augustinus autem hoc exemplum solum affert ad probandum, electionem ad gratiam non fieri ex meritis: *Nam ea*, inquit, *gratia fuit ab initio fidei suæ homo quicunque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus*; sed ille ex suis meritis non habuit, vt fieret Christus; ergo neque vt nos Christiani efficeremur. *Augustin.*

128. Dices. Sicut Deus eodem decreto, quo gratis decreuit vnionem hypostaticam, decreuit etiam gloriam corporis Christi & omnes dotes ipsius, tanquam proprietates ipsam vnionem hypostaticam naturaliter consequentes: hoc tamen non obstante, decreuit Deus, eandem gloriam corporis conferre Christo dependenter à meritis ipsius præuisis: ita potuit eandem gloriam gratis decernere prædestinatis eodem ipso decreto, quo illis gratis decreuit ipsam gratiam efficacem, & simul dependenter ab ipsorum meritis præuisis, alio decreto eandem gloriam illis decernere. Respondeo negando paritatem: nam licet potuerit Deus hoc modo gloriam nobis decernere, de facto tamen illam hoc modo non decreuisse aperte colligimus ex Scripturis, & Patribus, in quibus, & à quibus semper gloria nobis proponitur vt merces & corona; si autem illa decreta etiam fuisset, vt purum donum cum gratia connexum, hoc ipsum fuisset aliquando nobis in Scripturis insinuatum: sicut, quia gloria corporis Christi fuit etiam cum ipsa vnione hypostatica gratis decreta; vt proprietas consequens illam, hoc ipsum etiam asseritur à Patribus. Vnde nullis existentibus meritis in Christo, ex vi prioris decreti, adhuc illi gratis collata fuisset gloria corporis: at nullis existentibus meritis in nobis, nullo pacto ex vi alicuius præsentis decreti conferretur nobis æterna gloria. Signum igitur est quòd gloria non est nobis vi alicuius præsentis decreti definita vt purum donum, sed tantùm vt præmium & merces.

129. Instabis. Ideo eodem decreto, quo decreta fuit vnio hypostatica, simul decreta fuit gloria corporis Christi, quia hæc est naturaliter connexa cum illa; vnde non potuit decerni vna, quin eodem etiam decreto decerneretur & altera; sed eodem modo gloria est naturaliter connexa cum gratia efficaci, tanquam fructus cum semine, & effectus cum causa. Respondeo negando minorem: nam gratia, cum qua est connexa gloria, tanquam fructus cum semine, non est prima, ad quam tantùm gratis eligimur, nam illa non est gratia iustificans & habitualis, cum qua tantùm est connexa gloria, vt fructus cum semine, sed præueniens, & actualis, cum qua non est per se connexa gloria; cùm illa stare possit cum peccatore, nullum ius habente ad gloriam. Quando igitur Deus eligit prædestinatum ad gratiam iustificantem, non eligit ad illam, nisi media cooperatione ipsius prædestinati. Vnde sicut ad talem gratiam non eligimur, nisi dependenter à nostris meritis; ita nec ad gloriam, cum tali gratia naturaliter connexam, nisi dependenter ab ijsdem nostris meritis.

130. Ad tertiam confirmationem, concedunt Ochamus, Catharinus, & Gabriel maiorem; sed melius est neganda: nam priuilegia, quæ istis Sanctis conceduntur, omnia saluari possunt per specialem electionem ad gratiam. *Ocham. Catharin. Gabriel.*

131. Ad quartam confirmationem, nego antecedens de voluntate absoluta, & directa ante operum præuisionem; concedo autem de voluntate absoluta, & directa post operum præuisionem. Ex his patet ad quintam confirmationem: nam siue prædestinati eligantur ante, siue post præuisionem meritorum, semper verum est, quòd nullus in eo regno admittitur, nisi ex singulari prouidentia, & præfinitione Dei. Vnde totum id, quod in argumento assumitur, saluatur, etiàsi electio ad gloriam facta sit post præuisa merita: nam ijs præuisis, completa est æterna prædestinatio saluandorum, ad quam exequendam tota Diuina gubernatio tendit.

132. Ad vltimam confirmationem, neganda est minor; nam licet electio ad gloriam sit ex meritis, quia tamen hæc ipsa merita fundantur in gratia, quæ est opus puræ misericordiæ, etiam electio ad gloriam, atque adeò tota prædestinatio est opus misericordiæ. Sicut licet iustificatio adultorum fiat ex meritis præcedentibus, saltem de congruo, quia tamen hæc ipsa merita nituntur primæ gratiæ, quæ ex nullis meritis confertur, tota iustificatio dicitur gratuita, & opus misericordiæ.

SECTIO

## SECTIO V.

### *Quinam sint effectus Diuinæ Prædestinationis?*

133. VT dignoscere possimus, quinam sint effectus Diuinæ prædestinationis, statuendum nobis est, quæ conditiones requirantur, vt aliquid dicatur effectus Diuinæ prædestinationis. Porrò duæ conditiones necessariæ sunt, vt aliquid sit prædestinationis effectus. Prima est, vt sit effectus Dei; cùm enim prædestinatio sit actus Diuinæ mentis, quo creatura rationalis dirigitur in vitã æternam; quidquid est effectus prædestinationis, Dei effectus sit, oportet. Quòfit, vt peccatum, quia Dei effectus esse nequit, prædestinationis effectus esse non possit. Secunda est, vt aliquo modo actu conducat ad beatitudinem supernaturalem. Vnde non sufficit, si tantùm possit conducere, nisi etiam actu conducat: quia cùm effectus prædestinationis sit effectus illius peculiaris voluntatis, qua Deus supra reprobos diligit electos, diligit autem Deus electos supra reprobos, ratione efficacis voluntatis, quâ illis efficacia media præparat ad beatitudinem consequendam; vt aliquid sit effectus talis voluntatis, vt condistinctæ à voluntate erga reprobos, debet actu conferre ad beatitudinem ipsam supernaturalem, alioqui non differret ab effectu voluntatis circa reprobos: nam etiam reprobis in hac vita Deus confert supernaturalia dona, quæ illos perducere possent ad beatitudinem. Vt igitur effectus vnius differat ab effectu alterius, debet vnus actu conferre ad vitam æternam, ad quam non confert alter. Vnde si daretur aliquod donũ in prædestinato, quod naturâ suâ posset quidem ad vitam æternam conducere, actu tamen non conduceret, non diceretur prædestinationis effectus, eò quòd non esset effectus illius peculiaris voluntatis, quâ Deus diligit electos supra reprobos.

134. Ex his fit, vt communia illa media in vniuersalibus causis supernaturalibus, Incarnationis, Redemptionis, Institutionis Sacramentorum, & Prædicationis Diuini Verbi præparata, non sint dicenda effectus prædestinationis, nisi vt actu applicata prædestinato, quia vt actu applicata prædestinato fiunt propria illius peculiaris voluntatis, quâ Deus supra reprobos diligit electos. Cæterùm illa in actu primo considerata, sunt tantùm effectus prouidentiæ supernaturalis, per quam Deus ad omnes se extendit. Non est autem necessarium ad hoc, vt aliquid sit effectus prædestinationis, vt actu conferat ad beatitudinem supernaturalem, positiuè merendo illam, vt incrementum illius, sed sufficit, vt quocunque modo ad illam disponat, proximè, vel remotè, positiuè, vel negatiuè, remouendo tantùm impedimenta & peccata, quæ impediunt, ne prędestinatus cum auxilijs sibi præparatis beatitudinem sibi promereatur, vel adaugeat.

135. In his duabus conditionibus includitur tertia, quam alij vt distinctam numerant, qnòd scilicet effectus ptædestinationis debeat contineri intra ordinem gratiæ, & supernaturalis prouidentiæ. Etenim hoc ipso, quòd prædestinationis effectus debet ad supernaturalem beatitudinem conferre, necessariò debet intra ordinem gratiæ, & supernaturalis prouidentiæ contineri; cùm nhil possit ad supernaturalem beatitudinem conferre, nisi aliquo modo contineatur intra ordinem gratiæ, ac supernaturalis prouidentię. Cùm autem duplex sit ordo supernaturalis, quoad substantiam, & quoad modum; vt aliquid sit effectus prædestinationis, non est necesse, vt sit ordinis supernaturalis quoad substantiam, sed sufficit, vt sit ordinis supernaturalis tantùm quoad modum.

136. His præmissis, pro maiore claritate præsentis controuersiæ, distinguenda est duplex series effectuum, ad supernaturalem beatitudinem conducentium. Altera est donorum naturalium, eo fine, & intentione collatorum, vt prædestinatum iuuent ad destinatum finem faciliùs consequendum. Altera donorum quoad substantiam supernaturalium, cuiusmodi sunt omnia illa, quæ in intrinseca sua essentia spectant ad ordinem gratiæ: quorum aliqua se habent vt finis, aliqua vt media, vt in qualibet prædestinationis serie, consecutio beatitudinis est finis cæterorum præcedentium donorum, quæ tanquam media ordinantur ad beatitudinem, tanquam ad finem consequendum. Rursus inter media ipsa aliqua sunt, quæ immediatè influunt in ipsam beatitudinis consecutionem, vt sunt omnia dona, & merita, nunquam peccato interrupta, sed semper continuata vsque in finem vitæ cum ipso perseuerantiæ dono. Alia verò sunt, quæ tantùm mediatè conducunt. Alia, quæ nullo pacto videntur ad beatitudinis consecutionem conferre, vt sunt omnes actus studiosi, tam naturales, quàm supernaturales, in statu peccati à prædestinato eliciti. Præterea omnes vocationes inefficaces, quibus subinde solent prædestinati à Deo in hac vita præueniri, & excitari. Vltima difficultas est de ipsa peccati permissione, an aliquo modo possit esse Diuinæ prædestinationis effectus. His adnotatis, accedendum est ad singulos effectus in particulari examinandos.

## An dona naturalia sint effectus Diuinæ Prædestinationis?

137. DONA naturalia sunt tripartita; alia spectant ad intrinsecam constitutionem naturę, vel substantialem, vt ipsa rei substantia & creatio; vel accidentalem, vt potentiæ & proprietates; alia ad operationes ipsius substantiæ. Quæ adhuc sunt duplicis generis; alię merè naturales; alię liberæ, & honestæ. Postrema sunt, quę tantùm spectant ad bona externa, vt bona educatio, opes, nobilitas, amici, & his similia.

138. PRIMA sententia affirmat, omnia bona naturalia esse effectus Diuinæ prædestinationis. Est Bannez 1.p. quæst. 23. art. 2. Granadi tract.6 disp.2.Suarez lib.3. de Prædest. c. 7. eamq; indicat Durand. in 1. dist. 41. quæst. 2. num. 7. dum docet, *quidquid promouet, vel disponit ad beatitudinem consequendam, siue fiat ex impressione cœli, siue ex occasione præscita, siue quocunq; alio modo,* totum includi in effectu ipso prædestinationis. Probatur primò ex S. Thoma. 1.p. q. 23 a.8.argum. *sed contra.* vbi docet, Iacob impetratum fuisse precibus Isaac, qui alioquì prædestinatus non fuisset: ergo substantia ipsa Iacob prædestinata fuit precibus Isaac.

*Bannez. Granad. Suarez. Durand.*

*S. Thomas.*

139. Secundò, Quia substantia ipsa prædestinati prærequiritur ad beatitudinem tanquam subiectum, in quo illa recipienda est, & à quo, tanquam à Diuino instrumento, efficienda est.

140. Tertiò, opera honesta moralia ad gloriam conducunt impediendo peccata, quæ sunt obstacula Diuinæ gratiæ, quò minùs illa vberiùs in cordibus nostris diffundatur. Præterea bona educatio, opes, amici, nec non tribulationes, & pœnæ ipsæ temporales valde conducunt, vt quis non peccet, benè operetur, & iustificetur, ac proinde vt gloriam consequatur. Confirmatur, quia, sicut hæc omnia peti, ita & impetrari solent à Deo, quemadmodum & ad gloriam ipsam multum conducere consueuerunt.

141. Quartò, probatur vniuersaliter de omnibus donis, tam naturalibus, quàm supernaturalibus, ex illo Pauli testimonio ad Ro.8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti.* Quem locum communiter Patres interpretantur de prædestinatis, nam hi propriè dicuntur secundùm propositum, hoc est secundùm intentionem Dei efficacem vocati.

142. Quintò, illa sunt effectus Prædestinationis, quæ Deus facit determinatus ab ipsa prędestinatione: atqui omnia bona naturalia Deus confert prædestinato determinatus à Prædestinatione: igitur omnia bona naturalia sunt effectus prædestinationis. Maior cõstat, nã effectus prædestinationis sũt omnia, & sola ea, quæ ex actibus ipsi prędestinantis proueniunt: cùm enim prædestinatio consistat in actu libero Dei, ea omnia, & sola dicuntur effectus prædestinationis, quæ à tali actu libero Dei proficiscuntur. Minor probatur, quia prædestinatio est ipsum imperium Diuinum, quatenus intimat executionem omnium mediorum, quibus ad certum gradum gloriæ à Deo singulis prædestinatis præfixum aliquâ ratione peruenitur: sed omnia bona naturalia sunt media, quibus ad prædictum gloriæ gradum aliquâ ratione peruenitur: igitur omnium bonorum naturalium executio intimatur ab ipsa prædestinatione, atque adeò sunt effectus ipsius.

143. Confirmatur, quia Deus non solùm præfixit singulis angelis & hominibus determinatum gradum glorię essentialis, sed etiam accidentalis: ergo non solùm ea, quæ conducunt ad consequendum certum gradum glorię essentialis, sed etiam quę conducunt ad consequendum certum gradum gloriæ accidentalis, sunt effectus prædestinationis; atqui omnia bona naturalia saltem conducunt ad cõsequendum certum gradum gloriæ accidentalis; cùm de eiusmodi bonis beati & gaudeant, & peculiares gratias Deo agant: igitur sunt effectus prædestinationis.

144. SECVNDA sententia negat, vllum donum naturale esse effectum prædestinationis. Est Och.in 1. dist. 41. *ad rationes pro prima opinione,* & Gabrielis ibidem art.3.dub.1. vbi docent, solam beatitudinem supernaturalem esse effectum prædestinationis. Fundamentum ipsorum est duplex. Primum est, quia prædestinatio est tantùm de fine, non autem de medijs: atqui sola beatitudo supernaturalis est finis prędestinationis; igitur sola hæc est effectus prædestinationis. Secundum est, quia nihil, quod est commune cum reprobis, potest esse effectus prædestinationis: atqui bona naturalia sunt cõmunia cum reprobis: igitur nequeunt esse effectus prædestinationis. Confirm. nam id solùm est effectus prędestinationis, quod confert ad beatitudinem supernaturalem consequendam, vel augendam; atqui nullum bonum naturale confert ad beatitudinem supernaturalem consequendam, vel augendam, cùm nullum bonum naturale sit proportionatum medium ad talem finem causandum.

*Ocham. Gabriel.*

145. Tertia sententia docet, ea tantùm bona naturalia esse effectus prædestinationis, quę nobis ex meritis Christi conceduntur: ea autem non sunt, quæ vel ad intrinsecam constitutionem hominis, vel ad intrinsecas opes, & honores spectant; sed quæ vel ad honestos actus virtutum, vel ad externa signa, quæ Deus nobis præparat, vt internum spiritum sanctæ cogitationis nobis inspiret, pertinent. Est Vasq.1.part.disp.93.c.4. Arrubalis disp. 81. & aliorum. Fundamentum est, quia id tantùm est effectus prædestinationis, quod vt distinctum beneficium à creatione prædestinato confertur: atqui non omnia dona naturalia prædestinato conferuntur, vt distincta beneficia à creatione, vt per se patet: ergò. Maior probatur, quia vt sæpe Augustinus docet, prædestinatio pertinet ad ordinem gratiæ, vt condistinctum

*Vasquez. Arrubal.*

*Augustinus.*

ab ordine naturæ. Igitur ea tantùm bona naturalia erũt effectus prędestinationis, quæ vt distincta beneficia à creatione nobis cõferuntur. Nam ea tantùm possunt esse beneficia per Christũ collata: quia ex Aug. Epist. 90. & 105. Christus nõ est mortuus, vt essemus homines, sed vt essemus iusti: *Etenim Christus non pro nullis*, inquit, *vt homines conderentur, sed pro impijs mortuus est, vt iustificarentur.* Pro præsentis difficultatis solutione

*Augustin.*

146. Dico primò: Non omnia bona naturalia sunt effectus Diuinæ prædestinationis, sed tantùm quæ per modum medij aut dispositionis actu conferunt ad consecutionem gloriæ, vel ad incrementũ illius. Prima pars assertionis constat ex fundamento tertię sententiæ. Nam sicut Prædestinatio supponit naturalem prouidentiam circa prædestinatos: ita effectus prædestinationis supponere debent effectus naturalis prouidentiæ circa eosdem prædestinatos: hæc autem sunt quęcunque pertinent ad naturalem constitutionem ipsorum prædestinatorum: nam omnia hæc supponi debent tanquam substratum & subiectum prædestinationis, quæ sicut aduenit prouidentiæ naturali, ita & effectus huius effectibus illius.

147. Secvnda pars assertionis probatur, quia licet bona naturalia per se ipsa spectata, secundùm naturalem exigentiam causarum naturalium, non sint consentanea media ad consequutionem, vel augmentum beatitudinis supernaturalis; nihilominùs vt ordinata à Deo, & collata vltra naturalem exigentiam causarum naturalium, fiunt apta media ad consecutionẽ, & incrementum illius, vel per modum dispositionis remouentis impedimenta gratiæ, vel per modum facilitantis naturam ad actus meritorios exercendos, & dona ipsa supernaturalia recipienda; vel per modum meriti de congruo, cuiusmodi sunt actus morales honesti, cum auxilio extraordinario intra eundem ordinem naturæ à prædestinato eliciti.

148. Ad primum argumentum primę sententiæ ab auctoritate S. Thomæ ductũ. Respondeo, eo tantùm probari, interdum substantias ipsas rationales à Deo creari precibus Sanctorũ, quas alioqui Deus non creasset; non autem probari, tales substantias esse effectus prædestinationis respectu ipsarum substantiarum, quæ creantur: nam ad hoc, vt sint effectus prædestinationis respectu ipsarum substantiarum, quæ creantur, non sufficit, vt sint creatæ vltra exigentiam causarum naturalium, sed debent etiam ordinari vt media respectu ipsarum substantiarum ad consequendam, vel augendam sibi beatitudinem, cùm tamen ipsæ non sint sibi media ad beatitudinem consequendam, vel augendam, sed tantùm subiectum & substratum; quod ad prædestinationis effectum non sat est, quia prædestinatio, vt dictum est, esse debet de ijs, quæ superadduntur naturæ.

*S. Thom. explicatur.*

149. Ad secundum nego, ad effectum prędestinationis sufficere, esse tãtùm subiectum beatitudinis, & instrumentum obedientiale Dei ad illam producendam, nisi etiam conferat ad illius consecutionem, vel incrementum, modo suprà explicato.

150. Tertium, & quartum argumentum cum sua confirmatione, solùm probat secundam partem assertionis: iuxta quam explicanda est prędicata auctoritas Pauli.

*Paulus.*

151. Ad quintum, neganda est vniuersaliter minor, & solùm limitanda ad ea tantùm bona naturalia, quæ per modum medij conferunt ad consecutionem, vel incrementum beatitudinis supernaturalis. Ad confirmationem respondeo, duplicem esse gloriam accidentalem in beatis; vnam, quæ per se consequitur ipsam beatitudinem essentialem, vt est gloria corporis, & reliquæ dotes ab ea fluentes; alteram, quæ tantùm per accidens cum illa coniungitur, cuiusmodi est omne gaudiũ, quod beatus de quacunque re creata, vel beneficio à Deo accepto concipere potest: prior tantùm est effectus Prędestinationis, non autem posterior.

152. Ad primum fundamentum secundæ sententiæ, negatur maior, vt mox patebit. Ad secundum, neganda est minor: nam licet in reprobis sint etiam bona naturalia, & sæpè maiora, & præstantiora, quàm in prædestinatis; non sunt tamen in illis media actu conducentia ad gloriam, vel gloriæ incrementum, quod ad effectum Prædestinationis requiritur. Ad confirmationem, negatur etiam minor: ad cuius probationem, distinguendum est duplex bonum naturale; alterum quoad modum, & quoad substantiam simul, cuiusmodi sunt omnia bona, tam quoad substantiam, quàm quoad modum naturæ debita; atq; hæc nullo pacto sunt proportionata media ad gloriæ consecutionem: alterum naturale tantùm quoad substantiam, supernaturale verò quoad modum, quia saltem ratione modi, quo fit, est supra debitum naturæ, & à Deo ordinatum ad gloriæ consecutionem. Atque hæc bona possunt esse media, saltem per modum dispositionis ad gloriæ consecutionem.

*S. Thomas.*

## *An omnia dona supernaturalia sint effectus Prædestinationis?*

153. Prima sententia negat, beatitudinem ipsam esse effectum Prædestinationis. Est Durandi in 1. dist. 41. q. 2. nu. 10. Contrà verò Ochamus ibidem *ad rationes pro prima opinione*, & Gabriel art. 3. dub. 1. negant, media esse effectus Prædestinationis, sed solam beatitudinem. Fundamentum illius est, quia Prædestinatio nõ est de fine, sed de medijs. Contrà verò fundamentum horum est, quia Prædestinatio est tantùm de fine, non autem de medijs. Confirmatur, nam id solùm est effectus Prædestinationis, quod est proprium prædestinatorum: at sola beatitudo

*Durandus Ocham. Gabriel.*

est

est propria prædestinatorum, reliqua enim sunt communia cum reprobis.

152. Dico secundò Omnia bona supernaturalia sunt effectus Diuinę prædestinationis. Est communior inter Scholasticos, sequentes Magistrum in 1. dist. 40. c. vltimo. & colligitur ex præcitato testimonio Pauli ad Rom. 8. *Omnia cooperantur in bonum ijs, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti.* Etenim ad minimum auctoritas hæc intelligēda est de bonis supernaturalibus, quę suapte naturâ ordinantur ad beatitudinem supernaturalem. Quòd verò Apostolus inter prædestinationis effectus comprehendat ipsam etiam beatitudinem, constat ex sequētibus verbis: *Quos*, inquit, *prædestinauit, hos etiam vocauit; & quos vocauit, hos & iustificauit, quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* Vbi non solùm media omnia, sed etiā finem ipsum numerat inter effectus prædestinationis. Nec obstat, quòd altera lectio loco, *glorificauit*, legat *magnificauit*: tùm quia reddit eundē sēsum, nam magnificat Deus sanctos suos, illos glorificando. Tùm quia potiùs standū est editioni correctæ à Clemente, quæ habet *Glorificauit*.

153. Secundò, probatur nostra assertio ratione de omnibus effectibus supernaturalibus, hoc pacto. Quidquid proficiscitur ab actu Dei prædestinante hominē ad vltimum finem consequendum, est effectus Diuinæ prædestinationis: atqui omnia bona supernaturalia collata prædestinato proficiscūtur ab actu Dei, prædestināte ipsum ad vltimum finem consequendum: ergo omnia bona supernaturalia in prædestinato sunt effectus Diuinæ prędestinationis. Maior constat ex ipsa definitione prædestinationis, quæ vt illam definit S. Doctor 1. part. quæst. 23. art. 1. est ratio transmissionis creaturæ rationalis in finē vitæ æternę in mente Diuina existens. Minor probatur, nam ab illo actu immediatè proficiscitur opus externum, à quo immediatè dirigitur, & intenditur: sed omnia bona supernaturalia, collata prædestinato immediatè dirigunturt, & intenduntur ab huiusmodi actu prædestinante hominem in vltimum finem: omnia enim, quæ Deus confert prædestinato eo dirigit, vt tandem per ea vltimum finem consequatur: atqui finis vltimus, ad quem mediante Diuinā prædestinatione creatura rationalis dirigitur, est ipse Deus in se ipso visibilis, & amabilis, ad quem finem consequendum non solùm dirigitur gratia, & reliqua auxilia supernaturalia, sed etiam ipsamet visio, & amor beatificus, tanquam proximæ, & formales rationes, quibus immediatè talis finis in se ipso attingitur.

154. Tertiò probatur assertio de singulis effectibus supernaturalibus: nam vocatio, teste Trid. sess. 6. c. 5. est, vnde nostra iustificatio, sumit exordium, quæ connexa cum reliquis donis supernaturalibus influit in ipsam gloriæ consecutionem, tanquam principium illius remotum. Vocationem sequitur liber ipse consensus in vocationem, quo saltem de congruo meremur ipsam iustificationem, per quam formaliter restituimur in amicitiam Dei, & reponimur in adoptionem filiorum ipsius, per quam ius acquirimus ad ipsam gloriam & beatitudinem supernaturalem. Iustificationem consequuntur actus supernaturales, liberè à iusto eliciti in statu gratiæ, quia omnes, vt suppono, sunt meritorij augmenti gratiæ, & gloriæ. Ipsum denique perseuerantiæ donum est principalis effectus Diuinæ prædestinationis, quo prædestinatus immediatè consequitur suam beatitudinem formalem. Ipsa verò beatitudo formalis, quæ complectitur vtrumq; actum intellectus, & voluntatis, est forma, quâ proximè & immediatè prædestinatus coniungitur cum Deo vltimo fine, & obiecto beatifico. Igitur incipiendo à vocatione vsq; ad beatitudinem ipsam formalem inclusiuè, omnia sunt effectus Diuinæ prędestinationis, quia omnia diriguntur à Deo, vt media ad obiectum beatificum, quod est vltimus finis creaturæ rationalis, in se ipso attingendum.

155. Controuersia nonnulla supereſt de triplici genere donorum supernaturalium, an sint effectus prædestinationis? Primum est eorum, quæ statim oblata respuuntur à prædestinato, vt sunt omnes vocationes inefficaces, quibus prædestinatus resistit. Secundum sunt dona omnia, & merita peccato interrupta, an hæc sint effectus prædestinationis, vt primò collata, an tantùm vt per pœnitentiam reparata? Supponimus autem cum communi sententia Theologorum, huiusmodi dona, & merita peccato mortificata, iterùm per pœnitentiam in nobis reuiuiscere, & ad pristinum prędmium acceptari, vt suo loco ostendemus. Tertium est eorum actuum supernaturalium, qui à prædestinato eliciuntur in statu peccati.

156. Quoad primum & secundum genus bonorum putant Valentia 1. p. q. 23. puncto 3. & Vasq. disp. 93. c. 3. nec vocationes inefficaces, nec dona & merita peccato interrupta esse effectus Diuinæ prædestinationis, nisi vt pœnitentia reparata. Probant primò, quoniam illa sunt communia cum reprobis: nihil autem commune cum reprobis potest esse effectus prædestinationis; nam sicut hæc non est prouidentia communis reprobis, sed propria prędestinatorum; ita nec effectus illius debent esse communes cum reprobis, sed proprij prædestinatorum.

157. Confirmatur, nam posito, quòd Deus nullum ad gloriam eligat, nisi post prędisa merita, nullam habet ante talem electionem peculiarem voluntatem erga prædestinatos, nisi solam voluntatem præparandi illis media efficacia, quæ simul est virtualis voluntas eos ad gloriam eligendi: atqui ista interrumpitur per permissionem peccati; ergo nisi nouâ voluntate pristina merita, & dona ad gloriam reordinentur, non manebunt peculiari aliquâ voluntate ad gloriam ordinata; cùm prior sit per permissionem peccati interrupta.

*Magister.*
*Rom. 8.*
*Editio à Clemente correcta.*
*S. Thomas.*
*Trident.*
*Valentia. Vasquez.*

158. Probatur secundò, nam ea tantùm sunt effectus prædestinationis, quæ actu conferunt ad beatitudinem supernaturalem consequendam, vel augendam; sed neque vocationes inefficaces, neque dona, & merita peccato interrupta actu conferunt ad beatitudinem supernaturalem consequendam, vel augendam, nisi per pœnitentiam reparata: ergò.

159. Tertiò, si vocationes inefficaces, & merita peccato interrupta essent effectus prædestinationis, antequam ista per pœnitentiam reuiuiscerent, sequeretur in protoparentibus fuisse aliquos effectus prędestinationis indepedenter à meritis Christi. Sequela probatur, nam omnia dona & merita, quæ præcesserant eorum peccatum, non potuerant à Deo decerni dependenter à Christi meritis, quia secundùm probabiliorem sententiam Christus non fuit electus ante præuisum eorum peccatum, & consequenter nec dona & merita, quæ præcesserunt eorum peccatum, potuerunt à Deo decerni dependenter à meritis Christi.

160. Probatur quartò: Quoad tertium genus bonorum, nempe quoad actus supernaturales à prædestinato in statu peccati elicitos. Quoniam hi nullo pacto sunt meritorij vitæ æternę, vel augmenti illius, cùm non sint eliciti à subiecto grato. His tamen non obstantibus.

161. Dico tertiò: Etiam vocationes inefficaces, & dona ac merita peccato interrupta, non modò vt pœnitentia reparata, verùm etiam vt primò collata, actuśq; ipsi supernaturales in statu peccati à prædestinato eliciti, sunt effectus Diuinæ prædestinationis. Probatur primò ex illo Apostolico principio: *Omnia cooperantur in bonum ijs, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti.* Etenim cùm hoc principium ab Apostolo assignatum sit vniuersale, nõ est, cur illud ad certa quædam bona limitetur, & ad reliqua omnia non extendatur, si commodè possit.

162. Probatur secundò assertio, quoad singulas suas partes. Primam sic probo. Ille est effectus prædestinationis, qui datur à Deo voluntate saltem virtuali cõsequendi beatitudinem, actuq; ad illius cõsecutionem confert: Sed vocationes inefficaces dantur à Deo voluntate saltem virtuali, consequendi beatitudinem, actuq; ad illius cõsecutionem in prædestinatis conferunt: ergò. Maior constat ex dictis; nam duo tantùm necessaria sunt ad effectum prędestinationis; & quòd sit effectus Dei, atq; adeò vt procedat ex volũtate ipsius; & quòd actu ad beatitudinem conferat. Minorem probo, quia licet vocationes inefficaces non habeant in prædestinato effectũ, quando actu offeruntur, habent tamen posteà, quando prędestinatus resipuerit, & de omnibus susceptis beneficijs gratias agit, nec non de sua ingratitudine, quòd Deo non responderit, confunditur.

163. Probo secundam partem, hoc pacto. Dona & merita peccato interrupta, non solùm vt pœnitentia reparata, sed etiã vt primum collata dantur prædestinato à Deo voluntate saltem virtuali perducendi illum in vitam æternam: sed hæc voluntas non interrumpitur per peccati permissionem; & actu conferunt ad vitam æternam, non modò vt pœnitentia restaurata, sed etiam vt primùm collata; ergò non solùm vt pœnitentia reparata, sed etiam vt primùm à Deo collata, sũt effectus prędestinationis. Maior constat, nam quidquid supernaturale Deus confert creaturæ rationali, confert voluntate saltem virtuali perducendi illam in vitam æternam; quia confert iuxta exigentiam rei conferendæ, quæ sicut intrinsecè ordinatur ad vitam æternam, ita cum eo ordine & fine à Deo confertur. Minor quoad priorem partem probatur, quia quando Deus permittit in prædestinato peccatum, quo ipsius merita & dona ad tempus interrumpuntur, permittit illud, vt ex eo per pœnitentiam prædestinatus feruentior, & humilior resurgat. Ergo prior voluntas, quâ eadem dona, & merita ad gloriam ordinauerat, non interrumpitur, sed continuatur mediâ voluntate permittendi peccatum, eo fine, vt prædestinatus inde feruentior, & humilior resurgat. Antecedens infrà ostendam. Consequentia patet, nam eatenus per aduersarios est necessaria noua voluntas in Deo, quâ pristina dona & merita ad gloriam reordinẽtur, quatenus prior voluntas per voluntatem permittendi peccatum interrumpitur, eò quòd nequit à Deo peccatum permitti, vt ex eo prædestinatus per pœnitentiam feruentior, & cautior resurgat: igitur si potest Deus hoc fine peccatum permittere, non est, cur priorem suam voluntatem interrumpat, si quidem illam continuare potest cum ipsa voluntate permittendi peccatum ob maiorem profectum, & vtilitatem ipsius prædestinati.

164. Probatur minor quoad secundam partem: nam, vt suppono, merita per peccatum interrupta non amittunt intrinsecũ jus ad gloriam, quod ab initio habuerunt, quando fuerunt à prædestinato elicita, sed tantùm manẽt extrinsecè impedita, quo extrinseco impedimento per pœnitentiam sublato, statim merita ipsa secundùm pristinum valorem, & non tantùm secundùm præsentem, quem per pœnitentiam acquirunt, actu conferunt in vitam æternam. Vnde in ordine ad pristinum valorem præsens pœnitentia tantùm se habet vt pura conditio.

165. Tandem probo tertiam partem assertionis propositæ. Nam omnes actus supernaturales eliciti à prędestinato in statu peccati, non modò sunt meritorij de congruo aliorũ auxiliorũ, quibus pędestinatus proximè disponitur ad pœnitentiam, verùm etiam illi in mea sententia relinquũt habitũ supernaturalem in prædestinato, quo ille faciliùs eosdem actus supernaturales meritoriè in statu gratiæ eliciat: sunt etiam materia gratiarum actionis, & confusionis, quoties illorum recordabitur prædestinatus.

Ad

166. Ad primum argumentum oppositę sententiæ neganda est maior: nam vocationes inefficaces, & merita interrupta fiunt propria prædestinati, quatenùs actu conferunt in vitam æternam: vt autem actu conferant in vitam æternam, non est necesse, vt statim in illam conferant, vel eam promerendo, vel augendo; sed sat est, si aliquando, & in aliquo genere causæ, saltem dispositiuæ, vel obiectiuæ in illam conferant. Ad confirmationem, nego minorem, vt suprà dictum est, & infrà patebit.

167. Ad secundum, neganda est minor, vt patet ex dictis. Ad tertium, nego sequelam: ad cuius probationem, nego assumptum. Etenim, vt suppono, potuit Christus prædestinari dependenter à peccato Adami præuiso tantùm scientia conditionata, & simul omnia dona supernaturalia ei decerni dependenter à meritis Christi.

## *An permissio peccati in prędestinato sit effectus Prædestinationis.*

*Vasquez. Arrubal.*

168. PRIMA sententia negat. Est Vasquez 1. p. disp. 93. c. 2. Arrubalis disp. 82. c. 2. Probatur primò. Nihil potest esse effectus prædestinationis, quod non sit donum gratiæ Dei per Christum: atqui permissio peccati, non est donum gratiæ Dei per Christum; igitur nec prędestinationis effectus esse potest. Minor probatur, nam permissio peccati est tantùm negatio auxilij congrui, quo peccatum ipsum vitaretur: atqui negatio gratiæ non est gratia, vt per se patet: ergo.

169. Probatur secundò. Ad hoc, vt permissio peccati sit effectus prædestinationis, non solùm debet reipsa ad gloriam conducere, sed etiam ex voluntate Dei ad eam prędiniri: nequit autē Deus ex se permissionem peccati prędinire, vt medium conducens ad gloriæ consecutionem, nisi priùs prædiniat pœnitentiam: nequit autem ex se pœnitentiam prædinire; ergo nec ipsam peccati permissionem. Maior constat ex dictis, nam vt aliquid sit effectus prædestinationis, duo requirit; & vt re ipsa ad gloriā conducat, & vt sit effectus Dei: est autem effectus Dei per ipsius prædestinatiuam voluntatem. Minor assumpta patet, nam nequit permissio peccati ad gloriam conducere, nisi media pœnitentia retractatiua peccati, cùm ex se permissio peccati potiùs abducat, quàm conducat ad gloriæ consecutionē. Minor subsumpta probatur, quia nequit Deus ex se prædinire pœnitentiam, nisi prædiniendo peccatum; quia nequit prædinire medium, quin simul prædiniat ea, quæ medium ipsum essentialiter supponit. Cùm igitur pœnitentia essentialiter supponat peccatum, cuius ipsa est destructiua, nequit Deus illam prędinire, quin simul cum illa prędiniat peccatum.

170. Tertiò, si Deus ex se prædiniret pœnitentiam, non posset non sequi peccatum: nam supposita in Deo voluntate efficaci dandi remedium, supponens essentialiter peccatum, non esset amplius in potestate creaturæ peccatum vitare; cumq; hæc sit necessitas antecedens, tolleret omninò libertatem à creatura.

171. SECVNDA sententia affirmat permissionem peccati in prædestinatis esse effectum prædestinationis, atq; adeò posse Deum ex se velle permissionem peccati, non tamen propter pœnitentiam, ob secundum argumentum præcedentis sententiæ, sed propter alium finem, non supponentem per se peccatum; nempe propter humiliationem, aut aliquem alium finem, cum peccato non necessario connexum. Est Molinæ 1. p. q. 23. art. 2. disp. 3. Suarez lib. 3. de prædest. c. 8. *Molina. Suarez.*

172. Dico 4. Non repugnat, Deum velle permissionem peccati; nec non pœnitentiam in remedium peccati, nondum præuisi scientia absoluta, sed tantùm conditionata: atque adeo in prędestinatis permissio peccati connumeranda est inter effectus prædestinationis. Hæc postrema pars patet, nam si potest permissio peccati simul cum ipsius remedio à Deo intendi ante absolutam scientiam ipsius peccati, cùm aliàs talis permissio in prædestinatis multum conferre soleat ad cautelam & feruorem, de facto connumeranda erit inter effectus prædestinationis: sic enim meliùs saluatur vniuersale illud principium Apostoli: Prædestinatis omnia cooperantur in bonum. Quod principium explicans Augustinus lib. de correptione & gratia. cap. 9. *Augustinus.* *Vsque adeo*, inquit, *talibus Deum diligentibus prorsus omnia cooperantur in bonum, vt etiam si qui eorum deuiant & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt, atque doctiores.*

173. Cæterùm difficultas est, an Deus possit permissionem peccati simul cum ipsius remedio inrendere ante præuisum peccatum scientia absoluta? posse autē Deum hoc intendere, sic ostendo. Ad hoc vt Deus velle possit permissionē peccati, nec non remediū ipsius, absq; eo quòd velit peccatum à pœnitentia præsuppositū, sufficit, si peccatum sit tantùm præuisū scientia conditionata: igitur poterit Deus ante præuisum peccatū scientia absoluta velle permissionem peccati, eiusq; remedium. Antecedens probo, nam vt non dicatur Deus velle, sed tantùm permittere peccatum, sufficit, si illud quocunq; modo præuisum futurum vi libertatis creatæ, non impediat, sed sinat esse futurum vi libertatis eiusdem, & contra illud anticipatum remedium decernat. Nam tunc dicitur Deus permittere, & non velle peccatum, quando illud non est futurum vi alicuius proprij decreti, vel actionis à se prædinitæ: atqui hoc ipso, quòd scientia conditionata præuidet peccatum futurum vi libertatis creatæ, tale peccatum non sequitur vi decreti Diuini, permissionem intendentis aut pœnitentiam anticipantis. Maior constat ex ipso verbo, *Permittere,*

*mittere*, quod formaliter importat non impedire peccatum in alio præuisum, & ad illud impediendum nulla obligatione teneri, sicut Deus nulla obligatione tenetur ad impediendum peccatũ in nobis. Minor etiam patet, nam neque ex permissione peccati, cùm sit tantùm negatio auxilij congrui, interim non negato sufficiente, cum omnibus ad vitandum peccatum antecedenter requisitis; neque ex pœnitentia decreta in remedium peccati præuisi sub conditione futuri, sequitur peccatum, sed potiùs destructio peccati. Vt autem possit pœnitentia præfiniri absque præfinitione peccati, sufficit, vt illud præuisum sit futurum vi libertatis creatæ. Quòd autem illud non sit præuisum scientia absoluta, sed tantùm conditionata, nil refert, quia non magis illud supponitur futurum vi libertatis creatæ præuisum scientia absoluta, quàm præuisum scientia conditionata.

163. NEQVE ex eo, quòd Deus illius remedium anticipet, antequã præuideat illud futurum absolutè, plus influit in illud, quàm influeret, si eius remedium non anticiparet. Nam ex eo, quòd eius remedium anticipet; solùm sequitur necessitas permittendi peccatum, iam præuisum futurum vi libertatis creatæ: hoc autem non facit, vt Deus per tale decretum magis influat in peccatum, quàm influeret, si idem decretum de permittendo peccato faceret ex alio fine, quàm ex fine præparandi illi remedium: nam ex quocunq; fine Deus moueatur ad constituendum hominem in ijs circumstantijs, in quibus scientiâ conditionatâ illum præuidit peccaturum, eadem necessitate sequeretur peccatum, ac sequitur, posito decreto de permittendo peccato propter remedium ipsius peccati. In neutro enim casu peccatum sequeretur formaliter ex vi decreti Diuini, sed ex vi tantùm libertatis creatæ; atqui hoc sufficit, vt non dicatur peccatum à Deo intendi, sed tantùm permitti, ergo.

164. CONFIRMATVR, nam posito quòd homo in talibus circumstantijs constitutus, præuisus sit propria voluntate peccaturus, potest Deus ante præuisionem absolutam peccati, antecedente sua voluntate velle hominem constituere in talibus circumstantijs: at non minore necessitate sequitur peccatum, posito hoc decreto, quàm alio de pœnitentia in remedium peccati: sed potest Deus, absque eo quod velit peccatum; velle hominem constituere in talibus circumstantijs, in quibus scientiâ conditionatâ præuisus est peccaturus: ergo poterit & remedium ipsum peccati præfinire, absque eo quòd præfiniat peccatum. Hanc sententiam expressè docet Granadus 1. p. tr. 6. disp. 5. in fine. *Granadus.*

165. EX DICTIS sequitur, non solùm permissionem peccati esse effectum prædestinationis in eodem, in quo tale peccatum permittitur, sed etiam permissionem peccati in vno, esse effectum prædestinationis in alio, quando nimirum prædestinatus ex peccato alterius euadit cautior & feruentior. Sic ex peccato Iudæ, & infidelitate Thomæ Apostoli euaserunt cautiores, & feruentiores in fide. Pari modo interdum bona opera vnius sunt effectus prædestinationis alterius, quando ex illis prædestinatus efficitur in operando diligentior, vt cùm Deus ad preces vnius conuertit alium, sicut ad preces Stephani conuertit Paulum.

166. AD PRIMVM argumentum primæ sententiæ, distinguenda est minor: permissio peccati non est donum gratiæ Dei per Christum, per se spectata, concedo; ex ordinatione Dei, nego: nam potest talis negatio ex voluntate Dei ordinari ad maiorem cautelam & feruorem ipsius prædestinati; atque hoc modo esse donum gratiæ Dei per Christum, atque adeo prædestinationis effectum.

167. AD SECVNDVM, negandum est Deum non posse præfinire permissionem peccati, absque eo quòd simul cum illa præfiniat peccatum, vt hactenus probatum est. Negandum pariter est, non posse præfinire pœnitentiam in remedium peccati, ante absolutam præuisionem ipsius peccati; sufficit enim si tantùm sit præuisum sub conditione. Cæterùm notandum est, Deum prius ratione permisisse peccatum, præuisum scientiâ conditionatâ, & deinde præfiniuisse pœnitentiam in remedium illius. Ratio est, quia priùs Deus statuit hominem constituere in ijs circumstantijs, in quibus illum præuidit peccaturum, & deinde præuidit peccatum scientiâ conditionatâ, tum demum præfiniuit remedium ipsum peccati. Nam primum est fundamentum secundi; secundum verò tertij.

168. AD TERTIVM, concessa sequela, de necessitate consequente, neganda est de necessitate antecedente: nam adhuc in prædestinato maneret libertas antecedens, quâ posset vitare peccatum. Vnde negandum est, talem necessitatem esse antecedentem, quia licet sit antecedens ad liberam determinationem creaturæ absolutè futuram, non est tamen antecedens ad liberam determinationem eiusdem conditionatè futuram: atqui hoc sufficit, vt peccatum non sequatur absolutâ necessitate; vt constat de actibus ipsis virtutum, quos Deus præfinire potest absque præiudicio libertatis creatæ, ante absolutam præuisionem ipsorum, per solam præuisionem conditionatam; cùm in hoc sit par ratio vtriusque. Et quamuis Vasquez cohærenter neget vtrumque, hoc tamen negari non posse, auctoritate & ratione suprà probauimus. *Vasquez.*

169. SECVNDA Sententia, quatenus negat, posse Deum ante absolutam præuisionem peccati decernere pœnitentiam in remedium peccati, refutata manet ex dictis.

DISPV-

# DISPVTATIO XVI.

## De Diuina Reprobatione.

### SECTIO PRIMA.

*An in Deo sit voluntas saluandi omnes?*

1. PRÆMITTENDA fuit hæc quæstio ad naturam reprobationis exactè intelligendam; cùm enim reprobatio sit à cœlesti regno exclusio, aliquam supponit ad illud ordinationem: nemo enim excluditur ab eo, ad quod nullo modo est ordinatus; cùm autem nulla creatura suapte natura sit ad cœleste regnum ordinata, sed ex mera & gratuita voluntate Dei, ad cognoscendum, an aliqui sint à cœlesti gloria exclusi, videndum priùs erit, an omnes sint ad eam ordinati per consentanea & proportionata media; alioqui non tam dici possent reprobati, quàm non ordinati.

2. PRIMA ratio dubitandi sumitur ex ijs, ad quos numquam peruenit notitia Redemptoris, & legis euangelicæ, sine qua nullus de facto saluari potest. Nam in potestate ipsorum non fuit, huiusmodi notitiam sibi comparare, quia, vt supponimus, nullam cognitionem, ne confusam quidem de huiusmodi lege habuerunt; sine aliqua autem saltem confusa cognitione legis nemo potest perfectam notitiam eiusdem legis sibi comparare; cùm nequeat in incognitum voluntas ferri; ergo illi non fuerunt ad gloriam ordinati, quia nemo potest ad gloriam ordinari, nisi per media sibi actu collata. Cùm enim ordinatio ad gloriam sit actus liber Dei, & nullus actus liber Dei possit esse talis, nisi per aliquam mutationem ad extra, impossibile est, vt aliquis per liberum actum Dei ad gloriam ordinetur, sine aliqua mutatione in ipso facta; hæc autem alia esse non potest, quàm actualis collatio mediorum ad gloriam perducentium: igitur qui talia media non habuerunt, non potuerunt esse ad gloriam ordinati.

3. SECVNDA ratio desumitur ex illis paruulis, qui moriuntur in vtero materno, quibus nullum potest remedium salutis applicari. Item quibus vel defectu materiæ, vel defectu, aut negligentia ministri, nulla humana industria potest illis morti proximis regenerationis lauacrum applicari. Hi enim omni videntur destituti remedio ad cœlestem gloriam consequendam; atque adeo non videntur ad illam ordinati.

4. TERTIA ratio sumitur ex ijs, qui in scriptura dicuntur à Deo obcœcati, indurati, & in reprobum sensum traditi. Nam hi pro eo saltem tempore, quo à Deo obcœcantur, indurantur, & in reprobum sensum traduntur, videntur sufficienti remedio salutis destituti. Confirmatur, quia nemo potest salutem consequi, nisi à Deo interiùs excitetur: at sæpè contingit, vt inter vltimam excitationem, & mortem ipsam peccatoris aliquod intercedat tempus: igitur toto illo tempore intermedio peccator erit destitutus sufficienti auxilio ad salutem.

5. QVARTA ratio ducitur ex omnibus reprobis. Etenim omnes hi carent dono finalis perseuerantiæ, sine quo nemo potest salutem consequi: igitur nullus reprobus potest saluari: ac proinde nullus reprobus videtur ad cœlestem gloriam ordinatus, cùm nullus possit absque necessario medio ad gloriam ordinari. Minor ex qua cætera pendent, apertè asseritur ab Augustino lib. de correptione & gratia cap. 12. *Nunc vero*, inquit, *sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantùm tale adiutorium perseuerantiæ datur, sed tale, vt eis perseuerantia ipsa donetur; non solùm vt sine isto dono perseuerantes esse non possint, verùm etiam, vt per hoc donum, non nisi perseuerantes sint.* *Augustinus.*

6. PRIMA Sententia absolutè negat, in Deo esse voluntatem saluandi omnes. Est Gregorij Ariminensis in 1. dist. 46. q. vnica, Marsilij q. 45. art. 1. Probatur 1. ex Augustino in Enchiridio, cap. 103. vbi propositionem illam Pauli primæ ad Timoth. 2. *Deus vult omnes homines saluos fieri*, ita explicat, vt nullam in Deo ponat voluntatem saluandi erga omnes, sed tantùm erga eos, qui de facto salutem consequuntur. Vnde prædictam propositionem explicat, vel secundùm distributionem accommodam, non quòd nullus homo sit, quem Deus saluum fieri non velit, sed quia nullus saluus fit, quem Deus non velit saluum fieri: vel secundùm distributionem pro generibus singulorum, non pro singulis generum; quia nimirum de singulis statibus Deus vult aliquos saluos fieri, non tamen vult omnes de singulis statibus. Vnde sic tandem concludit. *Et quocunque aliò modo intelligi potest, dum tamen credere non cogamur, aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri, factumque non esse, qui;* *Ariminensis Marsilius. Augustinus. 1. ad Tim. 2.*

sine

*sine vllis ambiguitatibus, si in cœlo & in terra, sicut & veritas cantat, omnia quæcunque voluit fecit, profectò facere noluit, quodcunque non fecit.* Ac si apertè diceret, quidquid non fit, illud non vult Deus, quia quodcunque vult Deus, illud necessariò fit.

*Ratio erutа ex testimonio Aug.*

7. SECVNDÒ probatur hæc sententia ratione eruta ex ipso testimonio Augustini: quia impossibile est, Deum aliquid velle, & illud non fieri. Igitur impossibile est Deum velle omnes creaturas saluas esse, & illas non saluari; atqui non omnes saluantur; igitur non omnes vult Deus saluos fieri. Confirmatur, nam quidquid Deus ex se ipso vult, voluntate beneplaciti vult: implicat autem voluntatem beneplaciti in Deo non adimpleri, igitur implicat, Deum ex se ipso velle omnes saluos fieri, & tamen non omnes saluari. Maior constat, nam ideo Deus ex se ipso aliquid vult, quia illi placet, quod vult. Minor probatur; nam voluntas ista beneplaciti, quam Deus haberet de salute omnium, non esset tantùm de salute possibili, sed etiam de salute futura, quia esset voluntas libera, quæ esse non potest, nisi de re futura: at omnis voluntas de re futura necessariò in Deo adimpletur. Quia omnis talis voluntas est per modum prosecutionis, efficaciter mouentis potentiam ad exequendum obiectum volitum. Implicat igitur Deum aliquid ex se ipso liberè velle voluntate beneplaciti, & illud non fieri.

8. Nec sufficit, quod Deus sufficientia media omnibus præparauerit, vt dicatur omnium salutem velle. Nam ex hoc tantùm sequitur, Deum habuisse voluntatem circa media, non autem circa finem; sicut cùm præcepit Abrahamo, vt filium suum Isaac immolaret, non habuit Deus voluntatem de immolatione Isaac, sed tantùm de obedientia Abrahami, qua se promptum obtulit, ad illum immolandum. Ita, cùm Deus præparat omnibus media ad salutem, non habet voluntatem salutis, quam non omnibus confert, sed tantùm mediorum, quæ actu confert. Vnde huiusmodi voluntatem salutis appellant isti auctores, voluntatem signi, non autem beneplaciti: quia nimirum per externa signa, & præcepta videtur quidem Deus habere voluntatem salutis, re tamen ipsa non habet, nisi tantùm præceptorum.

*Alensis.*

9. SECVNDA Sententia affirmat, Deum habere voluntatem beneplaciti circa salutem omnium, sed per modum simplicis duntaxat complacentiæ, & secundùm esse possibile, quatenus omnes creaturæ rationales sunt capaces æternæ salutis, & ordinationis ad gloriam; non autem per modum prosecutionis, & secundùm esse existentiæ. Est Alensis prima parte quæst. 36. memb. 2. Fundamentum est idem, quod præcedentis sententiæ.

10. TERTIA Sententia affirmat, Deum habere voluntatem beneplaciti circa salutem omnium, non tantùm per modum simplicis complacentiæ, & quoad esse possibile, sed etiam per modum prosecutionis, & quoad esse existentiæ. Est communis Scholasticorum in primo dist. 46. & recentiorum in 1. p. quæst. 19. art. 6. & quæst. 23. nec contrarium docent Bonauentura, Scotus, & Maior locis præcitatis, vt hos auctores accuratè legenti constabit. Pro huius sententiæ declaratione, distinguendus est duplex hominum status, alter naturæ integræ per donum superadditum iustitiæ originalis; alter naturæ lapsæ, & infectæ peccato Protoparentis. In vtroque statu proposita controuersia examinanda est.

*Scotista. Bonauent. Scotus. Maior & communis Scolasticorum.*

11. DICO primò. In vtroque statu voluit Deus omnes homines saluos fieri. Assertio probatur primò ex adducta auctoritate Pauli primæ ad Timotheum secundo, *Deus vult omnes homines saluos fieri.* Quæ propositio cùm sit vniuersalis, & vtriq; statui aptari possit, non est ad præsentem duntaxat statum limitanda. Nec obstant sequentia verba, *Et ad agnitionem veritatis venire:* quæ illam videntur ad hunc statum limitare, tum quia, si illa est vera de statu naturæ lapsæ, à fortiori vera erit de statu naturæ integræ. Tum quia subsequentia verba verificari etiam possunt de statu naturæ integræ: nam probabile est, eriam in eo, statu homines ad perfectam agnitionem Dei venturos fuisse per traditionem maiorum, & parentum instructionem: nam hic est modus magis consentaneus & accommodatus naturæ hominum, vt vnus per alium instruatur. Neque etiam obstat contraria expositio Augustini, tum quia Augustino opponimus Damascenum lib. 1. fidei Orthodoxæ cap. 29. & Chrysostomum Homil. 1. in epist. ad Ephesios: vterque enim illam explicat de voluntate antecedente erga omnes. Tum quia Augustinus ipse explicari posset de voluntate absoluta & efficaci, quæ simpliciter voluntas nominari consueuit.

*1. ad Tim. 2.*

*Augustin. Damascen. Chrysosto.*

12. Probatur secundò assertio ratione. De facto Deus omnes creaturas rationales ad supernaturalem beatitudinem ordinauit; non potuisset autem omnes ad supernaturalem beatitudinem ordinare, nisi voluntatem habuisset perducendi omnes ad eandem beatitudinem: igitur de facto Deus voluntatem habuit saluandi omnes. Consequentia claret, quia voluntas saluandi, & perducendi ad beatitudinem est eadem. Minor probatur, quia nulla creatura rationalis ex se ipsa est ad finem supernaturalem ordinata, alioqui illa condi non posset in statu puræ naturæ; ergo debuit ad illam per voluntatem Dei ordinari, cùm à nullo alio, quàm à Deo possit ad talem finem ordinari. Eiusdem quippe est ad finem ordinare, & finem ipsum conferre: solius autem Dei est cœlestem gloriam conferre: igitur solius Dei est, ad eandem creaturam ordinare.

13. Maiorem propositionem sic ostendo. Etenim si de facto Deus non omnes creaturas rationales ad supernaturalem finem

eleuasset,

eleuasset, aliquos reliquisset in statu puræ naturæ, cùm inter hos duos status non sit assignabilis medius: at plus quàm falsum est, de facto Deum aliquas rationales creaturas ex ijs, quas de facto condere decreuit, reliquisse in statu puræ naturę. Sequeretur enim primò, non omnes homines ex Adamo progenitos, siue progignendos originale peccatum contracturos, quia hoc nemo contrahit, nisi cui debita fuisset originalis iustitia per Adamum, tanquam per caput, transfundenda. Est enim peccatum originale priuatio iustitiæ debitæ in esse: at nemini potuisset esse debita originalis iustitia, nisi ad supernaturalem finem euectus fuisset. Vnde vera non esset hæc Catholica propositio: Omnes ex Adamo progeniti peccatum originale contrahunt.

14. Sequeretur secundò, non omnes homines esse à Christo redemptos: quia Christus non redemit, nisi qui redemptionis capaces erant: si qui verò non essent ad cœlestem gloriam ordinati, Christi redemptionis capaces non essent, quia Christus non redemit nos, nisi à priuatione gratiæ & gloriæ, quam per peccatum Protoparentis amiseramus.

15. Sequeretur tertiò, non omnes esse capaces effectuum Sacramentorum, & fructus passionis Christi. Nam ij tantùm sunt capaces mediorum, qui sunt capaces finis, ad quem media ipsa ordinantur: cùm igitur omnia ista media ordinata sint ad consequendum finem supernaturalis beatitatis, nequeunt horum mediorum capaces esse, qui ad supernaturalem beatitatem ordinati non sunt.

16. Sequeretur quartò, non omnes, qui de facto damnantur, damnari ad priuationem supernaturalis gloriæ, tanquam ad pœnam sibi debitam. Eò quòd nulla priuatio boni potest esse alicui debita, nisi sit etiam debitum ipsum bonum, cuius est priuatio; cùm omnis priuatio supponat debitum habendi in eo, qui tali bono priuatur.

17. Probatur secundò eadem maior propositio. Nam omnes creaturæ rationales, quas Deus de facto condidit, aut sunt Angeli, aut homines: vtriq; de facto fuerunt ad supernaturalem beatitatem à Deo eleuati: ergo. Maior est certa. Minor probatur: nam & angeli initio suæ creationis fuerunt omnes in gratia conditi; & homines in statu innocentiæ fuerunt omnes ad iustitiam originalem, mediante Adamo tanquam capite, ordinati. Et ijdem in statu naturæ lapsæ omnes sunt ad supernaturalem gloriam per Christi merita & passionem restituti. Igitur omnes sunt ad supernaturalem finem ordinati.

18. Confirmatur, quoniam, vt ex dicendis constabit, Deus omnibus sufficientia media ad cælestem gloriam consequendam præparauit: igitur habuit circa omnium salutem voluntatem beneplaciti. Consequentia probatur, quia media vt media non eliguntur, nisi ex aliqua intentione finis: cùm enim media vt media non sint expetibilia, nisi propter finem, non eliguntur, nisi propter amorem finis: ergo si Deus, quantum est ex se, præparat omnibus sufficientia media ad salutem consequendam, quantum est ex se voluntatem habet saluandi omnes. Quia non potest Deus velle res, nisi iuxta naturalem exigentiam ipsarum: cùm igitur media, quæ Deus omnibus præparat, suapte natura ordinentur ad supernaturalem beatitudinem, non potest ex se talia media velle, nisi simul cum illis velit aliquo modo finem, ad quem suapte natura ordinantur.

19. *Obijcies.* Non habet Deus positiuam voluntatem respectu eorum, quæ nunquam sunt futura: sed status innocentiæ nunquam futurus est respectu omnium hominum. Licet breui tempore fuerit respectu Protoparentum: ergo non potest Deus habere positiuam voluntatem saluandi homines, qui tantùm futuri fuissent in statu innocentiæ, si status ille perseuerasset, numquam tamen futuri erunt. Maior probatur, quia non potest Deus rem velle, nisi per physicam mutationem ipsius: ergo respectu rei, quę nunquam est futura, nequit positiuam voluntatem habere. Respondeo distinguendo maiorem: non potest Deus circa tales res, quæ nunquam sunt futuræ habere positiuam voluntatem formalem, concedo; virtualem, nego. Etenim sicut ad formalem voluntatem Dei requiritur formalis mutatio rei: ita ad virtualem voluntatem eiusdem sufficiet virtualis mutatio eiusdem rei. Est autem hæc virtualis mutatio rei causa, siue media ipsa, per se sufficienter ordinata, ad finem consequendum. Vnde hoc ipso, quòd Deus confert causas, siue media per se ad finis consecutionem sufficientia, habet virtualem voluntatem finis: nam sicut finis ipse virtute includitur in medijs, & effectus in causis; ita voluntas Dei circa media per se ad finem ordinata, virtualiter includit voluntatem finis; cùm voluntas Dei ad res ipsas tendat iuxta naturalem exigentiam ipsarum, vt qua ratione vna res includitur in alia, eadem & voluntas vnius includatur in voluntate altetius.

20. Est autem hæc virtualis voluntas in Deo, non quæ actu sit, sed quæ esset, si conditio poneretur ex parte obiecti. Fundatur tamen hæc virtualis voluntas in aliqua voluntate actuali de re, vel ex natura sua, vel ex Diuina ordinatione connexionem habente cum illa conditione, quæ si poneretur in re, actu etiam poneretur voluntas in Deo. Est igitur in Deo voluntas saluandi omnes dependenter ab Adamo, virtualis, non formalis; quia si posita fuisset conditio, nempe perseuerantia ipsa Adami in statu Innocentiæ, posita fuisset & formalis voluntas in Deo saluandi omnes dependenter ab ipso Adamo, tanquam à capite. Nihilominus hæc ipsa voluntas, quæ in Deo non est posita

forma-

formaliter, est posita virtualiter, quatenus ex parte sua Deus sufficientem posuit causam, ex qua consequi potuisset talis effectus.

21. Dico secundò. Hæc voluntas quam Deus habet, saluandi omnes, non est impropria & metaphorica, vt Ariminensis autumat; nec per modum simplicis duntaxat complacentiæ de possibili salute hominum, vt Alensis putat; nec per modum decreti omninò absoluti, nullam includentis conditionem; sed per modum actus prosecutionis, efficacis quidem ex parte Dei, sufficientia media conferentis; conditionati verò ex parte obiecti, nempè si is, cui media præparantur, consentire voluerit. Quòd non sit tantùm impropria & metaphorica constat ex dictis, & ex dicendis magis explicabitur.

*Ariminẽsis. Alensis.*

22. Quòd non sit tantùm simplex complacentia de salute possibili hominum, etiam patet: nam talis voluntas est necessaria in Deo; siquidem non potest Deo non placere salus creaturæ apprehensa vt possibilis. Vnde talem voluntatem habet Deus non solùm de creaturis conditis futuris, sed etiam de possibilibus: at voluntas, quam Deus habet de salute hominum, libera est vtpote quæ potuit in Deo non esse. Et colligitur ex verbis ipsis Pauli, adhortantis Timotheum ad gratias agendas Deo pro hac voluntate: si autem talis voluntas in Deo esset necessaria, quas ei gratias pro ea agere deberemus? siquidem gratiarum actio solùm debetur voluntati liberæ, nam ea tantùm censetur donum gratuitum, pro quo tantùm consueuit gratiarum actio retribui.

23. Quòd verò illa non sit per modum decreti omnino absoluti, independentis à quacunq; conditione, constat; quia talis voluntas semper adimpletur in Deo. Cùm enim Deus sit potentissimus, hoc ipso, quòd vult aliquid absolutè, & independenter à quacunq; conditione, *quis eius poterit resistere voluntati*, vt quod ipse efficaciter intendit, non infallibiliter exequatur?

24. Quòd autem illa sit per modum actus prosecutionis, docet Chrysostomus præcitata Homil. vbi hanc Dei voluntatem de salute hominum, appellat flagrans Dei desiderium. Er apertè constat ex medijs, quæ Deus omnibus præparat ad salutẽ consequendam. Porrò illa voluntas dicitur per modum prosecutionis, & non tantùm simplicis complacentiæ, quæ non sistit in solo affectu erga bonitatem obiecti, sed quantum est de se sufficientem ponit causam, vt sequatur obiectum volitum: sed Deus conferendo sufficientia media ad salutem, non sistit in solo affectu erga bonitatem salutis volitæ, sed quantum est de se ponit sufficientem causam, vt illa sequatur: quòd autem non sequatur: non est ex defectu mediorum, sed hominum talibus medijs vti nolentium.

*Chrysost.*

25. Ex his patet vltima pars assertionis: nam hocipso, quòd Deus vult salutem hominum dependenter à libera cooperatione eorum, non immutando liberum modum agendi ipsorum, vult illam conditionatè ex parte obiecti. Quæ voluntas nullam inuoluit in Deo imperfectionem, vt aduersarij contendunt. Nam quòd illa effectum non consequatur in omnibus, non est ex imbecillitate & impotentia Diuinæ voluntatis, sed ex perfectione summæ libertatis, nolentis maiorem efficaciam abhibere, vt effectus actu cõsequatur ad ostẽdendas *diuitias gloriæ suę in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam*, vt Paulus loquitur ad Rom. 9.

*Rom. 9.*

26. *Obijcies* 1. Potest Deus velle media efficacia ad salutem, non volendo efficaciter salutem; ergo potest velle media ad finem, non volendo simpliciter finem. Respondeo 1. Distinguendo antecedens: non volendo efficaciter salutem saltem virtualiter, nego; formaliter, concedo. Nam qua ratione finis includitur in medijs; volendo media, simul cum illis necessariò vult finem. Secundò nego consequentiam: eò quòd medium nullo pacto abstrahere potest ab ordine ad finem, atque adeò impossibile est, velle medium vt medium formaliter, & nolle finem, ad quem medium ipsum per se ordinatur. At potest medium efficax, in aliquo saltem signo rationis abstrahere ab aliqua conditione, quam includere debet finis ipse volendus; atq; adeò potest pro eo signo rationis; pro quo medium volitum abstrahit à tali conditione, sub qua decernendus est finis, nondum esse volitus finis sub ea conditione, sub qua nondum est præuisus. Sic, quia gratia efficax à Deo volita prædestinato, in aliquo signo rationis abstrahit à meritis absolutè futuris ipsius prædestinati, & gloria non decernitur prędestinato, nisi vt corona; potest talis gratia efficax in tali signo esse à Deo volita, & nondum esse volita gloria vt corona, quę supponit merita ipsius prædestinati præuisa, vt absolutè futura.

27 *Obij.* 2. Ex eo quòd Deus dat omnibus liberum arbitrium capax peccati, non dicitur velle peccatum: ergo ex eo quòd dat omnib. media sufficientia ad salutem, non dicetur velle salutẽ. Respondeo negãdo consequentiam. Ratio discriminis: quia nec liberũ arbitriũ est per se ordinatũ ad peccatũ, nec datur eo fine & intẽtione, vt eo creatura vtatur ad malũ, sed potiùs ad bonum. Media verò, quę Deus cõfert ad salutẽ consequendam, & per se sunt ordinata ad consecutionẽ salutis, alioqui nõ essent proportionata; & eo fine & intentione dantur, vt ex ijs salus cõsequatur.

28. Ex dictis infertur, in Deo esse duplicem voluntatem circa salutem omnium, alteram vniuersalem, tam prædestinatis, quàm reprobis communem; alteram specialem & propriam: quæ subdiuiditur in voluntatem circa salutem prædestinatorum & voluntatem circa salutem reproborum. Ratio diuisionis est, quia sicut media omnibus ad salutem præparata sunt bipartita, alia vniuersalia & communia omnibus, vt in natura lapsa, Christi Redemptio, Sacramentorum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

torum Institutio, Verbi Diuini Prædicatio, exempla Sanctorum, & his similia: in natura integra Adamus caput omnium, cùm ijs adiumentis & auxilijs præditus, quibus facilè potuisset, si voluisset, in eo statu perseuerando originalem iustitiam in omnes posteros transfundere: in Repub. Angelorum primus Angelus à Deo constitutus, cui si reliqui obedientiam præstitissent, in accepta gratia, quam ab initio omnes acceperunt, magno cum ipsorum merito proficere potuissent, ac tandem completa via beari. Alia verò media sunt particularia & propria prædestinatorum, ac reproborum: ita duplex distinguenda est voluntas in Deo circa salutem omnium, vna terminata ad salutem omnium in communi, altera ad salutem propriam singulorum; quæ rursus subdiuiditur in voluntatem circa salutem prædestinatorum, & in voluntatem circa salutem reproborum.

29. Porrò hoc est discrimen inter media communia præparata omnibus & media particularia collata singulis: quòd illa solùm consistant in causis vniuersalibus, quæ defectu applicantis non semper actu adhibentur, ad singulorum salutem operandam; quæ tamen si adhiberentur, ex se sufficientia essent, aut proximè, aut remotè ipsorum salutem operari: hæc verò consistunt in particularibus auxilijs, quæ actu conferuntur singulis, tum prædestinatis, tum reprobis ad propriã salutẽ consequendam; cum hoc discrimine, quòd prædestinatis cõferuntur media efficacia infallibilem connexionem habẽtia cum fine; reprobis autem tantùm sufficientia.

30. Hinc fit, vt Angeli non habuerint causas communes & vniuersales in ordine ad primam gratiam, quia illam omnes acceperũt immediatè à Deo, nulla mediante causa communi præparata omnibus, habuerunt tamen causas vniuersales in ordine ad gratiam conseruandam, & augendam. Hæ autem fuerunt, tum primus Angelus in ea repub. à Deo constitutus caput & Doctor reliquorum in ijs rebus, quæ ad salutem omnium, & singulorum spectabant: tum exempla bonorum angelorum, alios ad perseuerantiam & feruorem excitantium.

31. Ad primum argumentum primæ sententiæ ductum ab auctoritate Augustini, patet ex dictis. Ad secundum, distinguendum est antecedens: impossibile est, Deum aliquid velle voluntate absoluta, & illud non fieri, cõcedo: impossibile est, aliquid velle voluntate conditionata, & illud non fieri, nego. Quod autẽ possit Deus absq; imperfectione talem voluntatem habere, constat ex dictis. Ex his etiam patet ad confirmationem. Ad exemplum verò de Abrahamo respondeo, disparitatem esse, quia præceptum de immolando Isaac ex natura sua non ordinabatur ad occisionem ipsius Isaac, sicut media collata hominibus suapte natura ordinantur ad finem supernaturalem. Ac proinde potuit Deus velle præceptum, absque eo quòd vellet mortem Isaac: non potuit autem velle media suaptè natura ordinata ad finem, non volendo simul ordinem mediorum ad finem, in talibus medijs essentialiter inclusum.

*Augustinus.*

32. Ad primam rationem dubitandi respondeo, Deum omnibus præparasse sufficientia media ad salutem cõsequendam, vnicuiq; statui proportionata. Quare etiamsi ad aliquos non peruenerit notitia Redemptoris, & legis Euangelicæ, poterant tamen illi per extraordinaria auxilia, naturalia quidem quoad substantiam, supernaturalia verò quoad modum, quibus Deus supra ordinarium naturæ cursum subinde præuenit & excitat mentes infidelium, sese ad vberiora auxilia, vsque ad ipsam iustificationem disponere, si voluissent.

*Ariminẽsis. Vasquez.*

33. Ad secundam concedunt Ariminensis loco præcitato, & Vasq. 1. p. disp. 96. c. 2. huiusmodi paruulis nullum paratum esse remedium; cum hoc tamen discrimine, quòd Vasquez disp. 83. c. 5. adhuc putet, Deum habuisse antecedentem voluntatem circa salutem illorum, eò quòd semper Deo placeat salus hominis, etiamsi destitutus sit omnibus auxilijs. Contrà verò Gregorius censet, nullam Deum habuisse antecedentem voluntatem circa salutem illorum. Qui, me iudice, cohærentiùs philosophatur; nam vbi nullus est effectus ad extra, nulla potest esse libera voluntas in Deo: at nullus est in sententia Vasquez talis voluntatis effectus ad extra. Nam si quis esset, esset remedium aliquod his paruulis præparatum: sed tale remedium in ipsius sententia nullum est: ergo. Quòd autem non possit Deo non placere salus hominis, etiam omni auxilio destituti, non probat de complacentia libera prosecutionis, sed tantùm de complacentia necessaria simplicis affectus, quàm Deus habet etiam circa homines possibiles.

34. Nihilominus dicendum est, neq; his paruulis denegata esse media sufficientia ad salutem, ac proinde voluntate beneplaciti antecedente voluisse Deum illorum salutem. Fundamentum est, quia licet Deus in particulari, & voluntate consequente noluerit illis remedia efficacia ad salutem præparare; voluntate tamen vniuersali & antecedente, non modò illis media ad salutem necessaria non negauit, verùm positiuè illis sufficientia media præparauit in causis ipsis vniuersalibus meritorum Christi & Sacramentorum applicandorum per liberas voluntates hominum. Quòd autem de facto illa interdum nulla possint humana industria applicari, non est ex primaria voluntate antecedente Dei, sed ex secundaria consequente, qua noluit ordinarium naturæ cursum, per quem præuidit talia media impedienda, immutare. Quia igitur talia media, in causis vniuersalibus Sacramentorum, & redemptionis Christi præparata, Deus intendit, his paruulis applicanda dependenter à libera voluntate hominum, &

iuxta ordinarium naturæ cursum, verè dicitur Deus illorum salutem velle. Vnde licet sæpè illa quoad applicationem impediantur, vel à libera voluntate hominum, vel ab ordinario cursu naturæ, id tamen fit absq; præiudicio voluntatis antecedentis Dei, qua tantùm conditionatè, & non absolutè illa voluit.

35. Confirmatur, quia si nulla omninò remedia, ne in causis quidem vniuersalibus Redemptionis, & Sacramentorum fuissent illis præparata, nullo modo dici posset, Christum pro illis mortuum fuisse. Consequens est contra Patres affirmantes, Christum mortuum esse pro omnibus. Sequelam probo, quia non potest Christus dici mortuus pro ijs, quibus nullum est suæ mortis, ac passionis remedium oblatum: nam Christus nõ dicitur mortuus, nisi pro ijs, quibus potest esse causa salutis: at quo pacto posset Christus esse causa salutis, quibus nullum relictum esset remedium salutis? alioqui dici etiam posset mortuus pro malis Angelis.

36. Ad tertiam, dicitur Deus peccatores obcœcare, indurare, & in reprobum sensum tradere, non positiuè, sed permissiuè, quatenus negando illis auxilia efficacia, & non tollendo impedimenta, ex quibus ipsi propria libertate occasionem sumunt, vt obcœcentur, obdurentur, & in reprobum sensum tradantur, permittit eos obcœcari, obdurari, & in reprobum sensum tradi; interim illis sufficientibus medijs ad salutem non negatis.

37. Ad confirmationem concedo, sæpe commemoratum casum contingere, vt inter vltimam excitationem, & mortem ipsam peccatoris aliquod intersit tempus, quo ille omni prorsus destituatur auxilio, sed tunc ipse sibi imputet, qui in eas angustias se coniecit, nolendo internis inspirationibus antecedentibus, quibus subindè fuit à Deo excitatus, obtemperare: quia nec Deus tenetur singulis momentis hominem excitare, ad hoc vt ille verè dicatur in singulis momentis habere sufficientia media ad salutem; quia potuisset peccator acceptando inspirationem, qua fuit excitatus in vno instanti, medium sibi comparare in alio instanti; neque in singulis momentis semper offertur occasio, peccatorem excitandi. Vnde non continuò & semper, sed interpolatim, & per occasiones homo à Deo interiùs excitatur.

38. Ad quartam neganda est minor. Etenim, etsi nemo absque dono perseuerantiæ salutem consequatur, potest tamen illam consequi, quia nemini desunt auxilia, quibus si bene vtatur, dignus fiat alijs, & alijs subsequentibus auxilijs, vsq; ad ipsum finale donum perseuerantiæ. Quod etsi nemo de condigno, de congruo tamen vnusquisque adultus potest per ordinaria auxilia, quibus subindè à Deo præuenitur, & adiuuatur sibi promereri: quod indicat Tridentinum sess. 6. cap. 13. & docet ipsemet Augustinus de bono Perseuer. capit. 6. *Trident. Augustin. explicatur.*

39. Ad authoritatem igitur. Augst. dico, illum loqui non de potestate antecedente, quam vnusquisq; habet ad perseuerandum, sed de potestate consequente, quam soli prædestinati habent. Nam alioqui ipsemet Augustinus docet præcitato loco de bono Perseue. neminem à Deo deseri, nisi ipse priùs Deum deserat.

## SECTIO II.

### *Quid sit Reprobatio & an detur causa ex parte reprobi?*

40. Reprobatio duplex est, altera executiua effectum ponens in ipso reprobo; altera intentionalis in mente reprobantis existens. Est autem hæc actus ipse Diuinæ voluntatis, à regno excludentis, & ad pœnam peccatorem destinantis ob præuisa ipsius demerita. Differt autem à prædestinatione, quòd reprobatio non dicit absolutè in Deo voluntatem mediorum, sed tantùm finis: cùm enim hæc sint peccata ipsa reprobi, nequit Deus velle absolutè media reprobationis, sicut absolutè vult media electionis. Controuersia est, an ex parte reprobi detur causa reprobationis.

41. Prima Sententia aliquorum Thomistarum affirmantium, Deum absoluto suo decreto, ante vllam præuisam culpam quosdam excluisse à regno. Probant primò ex illo ad R. 9. *Antequã boni, aut mali aliquid egissent* &c. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Igitur reprobatio Esau facta est ante ipsius præuisam culpam. Secundò ibidem dicitur Deus sustinuisse *vasa iræ, apta in interitum*, ad ostendendas *diuitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ.* Idipsum confirmat tum exemplum de figulo, quod Paulus ibidem affert, potestatem habente de eadem massa facere vasa in honorem, & in contumeliam: tum de Pharaone, quem dicitur Deus excitasse ad ostendendam in eo virtutem suam. Ex quibus colligitur, primariam voluntatem Dei fuisse ad reprobandum, vt ostenderet virtutem; & diuitias gloriæ suæ. *Thomistæ.* *Ad Rom. 9.*

42. Tertiò probatur hæc sententia ratione. Si reprobationis daretur causa ex parte adultorum, in eorum potestate esset, reprobari, & non reprobari: ergo in eorum etiam potestate esset, prædestinari, & non prædestinari. Consequentia probatur, quia omnis non reprobatus necessariò est prædestinatus; sicut omnis prædestinatus necessariò est non reprobatus: atqui in nullius potestate est, prædestinari; ergo in nullius potestate erit, reprobari. Ab hac sententia non discrepat Granadus 1. p. tr. 6. vt sequente sectione videbimus, cùm de effectibus reprobationis disputabimus. *Granadus.*

43. Secunda Sententia est Scoti in 1. dist. 41. §. *potest aliter*, & § *contra istud*, distinguentis duplicem reprobationem, negatiuam, *Scotus.*

iuam, & positiuam, seu punitiuam: prioris docet nullam dari causam ex parte reprobi; eò quòd nulla dari potest causa primæ permissionis in peccatum; dari verò causam posterioris reprobationis: quia ex Augustino *non priùs Deus est vltor, quàm homo sit peccator.* Vndè hæc signa distinguit in mente Diuina. Primum, in quo negatiuè se habuit circa gloriam reproborum. Secundum, in quo negatiuè se habuit circa gratiam congruam. Tertium, in quo positiuè permisit reprobum in peccatum labi. Quartum, in quo præuidit reprobum cùm peccato finali. Quintum, in quo iustè illum à gloria exclusit, & ad pœnam destinauit. *Augustin.*

44. TERTIA sententia docet, dari causam reprobationis in reprobo, eamque esse peccatum originale in vnoquoque contractum. Fundamẽtum huius sententię constabit ex infrà dicendis. Præsentis Controuersiæ decisio pendet ex ijs quæ de Prædestinatione suprà docuimus. Vnde,

45. Certum est primò, neminem fuisse à gloria efficaciter exclusum, siue hæc sit positiua ad pœnam destinatio, siue negatiua à regno exclusio, donec fuerint eius demerita præuisa. Probatur primò, nam si Deus ex se ante vlla præuisa demerita efficaciter hominem à gloria exclusisset, contra scripturam diceretur Deus ex se velle mortem peccatoris, in eiusque perditione delectari; non secus ac dicitur velle gloriam prædestinati, in eiusque salute delectari. Nec scriptura intelligi potest de sola destinatione ad pœnam, non autem de exclusione à regno. Nam mors animæ formaliter consistit in ipsa priuatione vitæ supernaturalis; hæc autem in beatitudine essentialiter consistit. Vnde pueri cum solo peccato orginali decedentes, verè dicuntur damnari, & mortem spiritualem incurrere.

46. Secundò probatur, nam non solùm quoad executionem fit positiua destinatio ad pœnã ex proprijs demeritis, sed etiam ex ijsdem fit negatiua exclusio à regno, vt constat ex illo Matth. 25. *Discedite à me:* en negatiua exclusio à regno. *In ignem æternum.* En positiua destinatio ad pœnam. *Esuriui enim, & non dedistis mihi mãducare.* En vtriusque reprobationis causa. Igitur etiam quoad intentionem facta est reprobatio ex præuisione demeritorum. Consequentia probatur, nam si hoc probabile est de prædestinatione ad gloriam, longè probabilius erit de prædestinatione ad pœnam, quę culpam supponit. Confirmatur, nam si Deus ex se pœnam voluisset, siue positiuam sensus, siue negatiuam damni, non posset velle media ad salutem necessaria affectu saluandi, sed tantùm iustè puniendi; quia eadem voluntate amantur media, qua amatur finis. *Matth. 25.*

47. Certum est secundò, exclusionem à gratia efficaci, saltẽ in Angelis, nullam supposuisse causam: quia licet sæpè Deus in pœnam præcedentis peccati neget auxilium efficax, quo euitaretur subsequens peccatum, tamen ad negandam gratiam efficacem, qua euitaretur ipsum primum peccatum, nullam saltem in Angelis supponit causam, quia ante primum peccatum nullum aliud supponitur. Nec dici potest negari gratiam efficacem ob futurum peccatum, quod ex negatione talis gratiæ sequeretur: nam cùm tale peccatum, saltem per accidens, & tanquam ex remouente prohibens sequatur ex negatione talis gratiæ, nequit propter illud talis gratia negari, aliàs eadem gratia supponeretur, & non supponeretur negata; supponeretur negata, quatenus ex eius negatione sequeretur peccatum; non supponeretur negata, quatenus illa negaretur ob subsequens peccatum. Vnde eadem negatio gratiæ esset causa, & effectus, quamuis per accidens, respectu subsequentis peccati. Qua de causa nequit eadem gratia retribui propter bonũ vsum ipsius gratiæ futurum, quia eadem supponeretur, & non supponeretur donata. Dixi *saltem in Angelis*: nam in hominibus etiam ad primam gratiam negãdam habuit Deus sufficientem causam, ipsum scilicet peccatum Protoparentis, in quo teste Fulgentio, omnem sanctam & piam cogitationem amisimus. *Fulgent.*

48. His adnotatis de solo nomine controuersia supereſt, an reprobatio dicenda sit incipere à negatione gratię efficacis, sicut predestinatio à præparatione cõgruæ vocationis: an potiùs ab ipsa exclusione à gloria, & destinatione ad pœnã? Nã si cũ nonnullis affirmemus, illam incipere à negatione congruæ vocationis: tunc dicendum est, reprobationem saltem in Angelis nullam ex parte reprobi supponere causam, sicut nec prædestinationem ex parte prędestinati: eò quòd negationis primæ vocationis congruæ, quæ cum reliquis annexa totam reprobationis seriem intexit, ex parte reprobi non datur causa: sicut nec ex parte prædestinati primæ vocationis congruæ, quæ cum reliquis connexa seriem prædestinationis integrat. Si verò cum alijs asseramus, reprobationem incipere ab ipsa exclusione à gloria, & destinatione ad pœnam: tunc pronunciandum erit, reprobationis quidem dari causam ex parte reprobi, quæ sunt ipsa demerita finalia in adultis præuisa, & peccatum originale in paruulis contractum, & non deletum. Prædestinationis verò nullam dari causam ex parte prædestinati. Ratio discriminis est, quia reprobatio incipit ab efficaci exclusione à gloria, & destinatione ad pœnam, quæ demerita supponit ex parte reprobi: Prædestinatio verò non incipit ab efficaci electione ad gloriam, quę destinationi ad pœnam correspondet, & causam supponit, nempe propria merita ex parte prædestinati, sed à prima vocatione ad gratiam efficacem, cuius vocationis nulla supponitur ex parte prædestinati causa, ideo prædestinationis nulla datur ex parte prædestinati causa.

49. Cæterùm maior ratio, cur prædestinatio incipiat à prima vocatione congrua,

non autem reprobatio à negatione eiusdem ea est, quia gratia congrua datur à Deo intentione consequendæ beatitudinis: contrà verò negatio illius non datur intentione incurrendi pœnam: atque adeò illa connexa cum fine integrat eandem seriem prædestinationis: hæc verò, quia cum fine non connectitur, neque per se, eò quòd illa per se ad talem finem non ordinatur, nisi tantùm per accidens; neque ex intentione Dei, quia Deus non excludit à gratia efficaci, vt excludat à gloria; sicut eligit ad gratiam efficacē, vt eligat ad gloriam, sed ob alios fines, ideò non videtur per se ipsam reprobationis seriem ingredi. Atque hoc modo sumpta roprobatio, & prædestinatio non adæquatè sibi opponuntur.

50. Ad primum argumentum primæ sententiæ, vel illud intelligitur de reprobatione à gratia efficaci, vel de virtuali reprobatione à gloria, inclusa in ipsa formali reprobatione à gratia efficaci; vel etiam de ipsa reprobatione formali à gloria post præuisa demerita. Et tunc verba illa, *antequam aliquid boni aut mali egissent*, explicanda sunt, non in ordine ad Diuinam prę̨scientiam, sed in ordine ad temporalem executionem. Reliqua verò intelligenda sunt, non de voluntate antecedente, sed consequente, & permissiua, quâ negando Deus gratiam efficacem, dicitur obdurare & obcœcare.

51. Ad rationem autem respondeo, si reprobatio incipit ab exclusione à gratiâ, negandum esse antecedens: est enim eadem ratio, quæ de prædestinatione, nam sicut in nostra potestate non est, congrua vocatione præueniri, ita in nostra potestate non erit, à congrua vocatione excludi: & consequenter, sicut in nostra potestate non est, prædestinari; ita in nostra potestate non est, reprobari, vt reprobari dicit exclusionem à vocatione congrua. Si verò reprobatio incipit ab exclusione à gloria, tunc concedendum esse antecedens, & negandam cōsequentiam: sic enim reprobatio incipit à formali exclusione à regno, quæ decernitur dependenter à futuris nostris demeritis; prædestinatio verò à prima vocatione congrua, quæ independenter à nostris meritis decernitur. Et quia, ob assignatam rationem, reprobatio incipit à formali exclusione à gloria, prædestinatio verò ab ipsa electione ad gratiam, simpliciter dicendum est, in nostra potestate esse reprobari, & non reprobari; non autem prædestinari, & non prædestinari.

52. Ad probationem verò consequentię, distinguenda est maior: omnis non reprobatus à gratia efficaci est prædestinatus ad gratiam efficacem, concedo; eò quòd nequit Deus esse suspensus in suo actu; omnis non reprobatus à gloria formaliter, eo ipso est electus ad gloriam formaliter, nego; quia potest esse, vt nec sit reprobatus à gloria formaliter, nec electus ad gloriam formaliter; sed vel reprobatus à gloria tantùm virtualiter, vel electus ad gloriam tantùm virtualiter, per ipsam formalem exclusionem, vel electionem ad gratiam efficacem. Vnde potest non reprobatus à gloria formaliter, reprobari à gloria formaliter, propter ipsius præuisa demerita; sicut non prædestinatus ad gloriam formaliter, prędestinari potest ad gloriam formaliter, propter ipsius prę̨uisa merita.

53. Dices. Reprobatus à gratia efficaci necessariò est reprobandus à gloria formaliter: sed in nostra potestate non est reprobari à gratia; ergo nec à gloria formaliter. Respondeo negando maiorem: nam reprobatio à gratia efficaci non infert ex se formalem reprobationem à gloria, sed tantùm vi libertatis creatæ: nam etiam negata gratia efficaci posset creatura vi gratiæ sufficientis saluari, atque adeò ad gloriam eligi. Quòd autem infallibile sit, hominem exclusum à gratia efficaci, excludendum etiam esse à gloria, non prouenit formaliter, & per se ex vi negationis gratiæ efficacis, sed ex vi præscientiæ Diuinæ, quæ libertatem à creaturis non tollit, sed supponit.

## SECTIO III.

### *Quinam sint effectus Reprobationis?*

54. Vt aliquid sit effectus reprobationis duo requirit, & quod sit effectus Dei reprobantis, ac destinantis peccatorem ad pœnam æternam, & quod aliquo modo influat in supplicium ipsum æternum. Cùm enim reprobatio sit actus Dei, quo reprobum destinat ad supplicium æternum, non secus ac prædestinatio est actus, quo prædestinatum destinat ad gloriam æternam; sicut ad effectum prædestinationis requiritur, vt sit effectus Dei, & vt aliquo modo conferat ad consecutionem gloriæ; ita ad effectum reprobationis necessarium est, vt sit effectus Dei, & vt aliquo modo conducat ad ipsam pœnæ inflictionem. Quo fit, vt peccata reproborum nequeant esse effectus reprobationis, cùm nequeant peccata esse effectus Dei. De reliquis verò est eadem ferè difficultas, quæ de effectibus prædestinationis, vnde eodem modo examinandi sunt.

55. Prima ergo sententia affirmat non solùm ipsam æternæ pœnæ destinationem, sed etiam omnia mala pœnæ in hac vita inflicta, permissionem quoque peccati; nec non dona omnia tam naturalia, quàm supernaturalia reprobo collata, esse effectus Diuinæ reprobationis. Est Granadi 1. p. toto tractatu 6. Fundamentum ipsius est, quia hæc omnia in reprobis habent duas illas conditiones, ad effectum reprobationis requisitas. Nam & sunt effectus actus Diuini reprobantis, & aliquo modo *Granadus.*

influunt

influunt in æternam damnationem reproborum.

56. Probat primum: nam vt hæc omnia sint effectus Diuini actus reprobantis, nó est necesse, vt primario fine sint à Deo intenta propter damnationem ipsorum reproborũ, sed tum ad ostendendam iustitiã suam erga reprobos, tum ad ostendendam misericordiam erga electos: atqui potuit Deus hæc omnia conferre reprobis ad ostendendam tũ iustitiam suam erga reprobos, tum misericordiam erga electos. Minor probatur, quia posita scientia conditionata, qua præuidit Angelos & homines finaliter peccaturos, adhuc potuit illos velle condere, eisque sua dona tã naturalia, quàm supernaturalia cõmunicare, vt in illis ostenderet iustitiam, & misericordiam suam. Nam hic finis honestus est, & Deo maximè conueniens.

57. Probat secundum, nempe quòd omnia, quæ sunt in reprobo, aliquo modo in ipsius damnationẽ influant. Nam primo hoc apertè testantur Chrysost. Hom. 15. ad Roma. c. 8. & Aug. lib. Soliloquiorum c. 28. nam sicut prædestinatis omnia cooperantur in bonum, ita & reprobis omnia cooperantur in malum. *Chrysost.* *Augustin.* Probat secundò, quia sicut creatio est necessaria in prædestinatis, vt circa illos exerceatur Diuina misericordia; ita necessaria est in reprobis, vt circa illos exerceatur Diuina iustitia. Tertiò, quia eximia naturæ pulchritudo, aliorumque bonorum affluentia sæpè reprobis est occasio ruinæ, & mortis æternę. Quartò, specialiter damnati in inferno dolebunt, quòd tot, ac tantis naturæ, & gratiæ donis fuerint abusi.

58. Secvnda sententia docet, effectus reprobationis esse exclusionẽ à gloria, & permissionem peccatorum, vel personalium, vt in adultis; vel originalis vt in paruulis: est aliquorum Thomistarum, quos tacito nomine cit. Vasq. 1. p. disp. 95. c. 1. *Thomistæ.* *Vasquez.* Fundamẽtum eorum est, quia idem est ordo reprobationis, & prædestinationis: sed prædestinationis effectus, sunt electio ad gloriam, & gratiam: ergo reprobationis oppositi effectus, erunt exclusio à gloria, & à gratia.

59. Tertia sententia duplicem distinguit reprobationẽ; alteram positiuam; negatiuã alteram. Prima est positiua exclusio à gloria, & destinatio ad pœnam æternam. Secunda est negatiua exclusio à gloria, & à gratia. Prioris reprobationis effectum ait, esse ipsam executionem destinationis ad pœnam æternam: posterioris verò docet esse ipsam permissionem peccati. Est Scoti in 1. dist. 41. q. vnica §. *potest aliter dici.* *Scotus.* *Suarez.* Quem sequitur Suarez lib. 5. de reprobatione c. 7. Fundamentum prioris assertionis est, quia destinatio ad pœnam non est de se bona, nisi vt iusta; non est autem iusta, nisi præsupponat culpam: igitur antequam Deus excludat positiuè aliquem à gloria, & destinet ad pœnam, præcedere debet finale peccatum ipsius. Igitur sola executio destinationis ad pœnam æternam, est effectus positiuę reprobationis. Hęc vltima consequentia constat, quia effectus debet supponere causam, à qua proficiscitur: atqui sola destinatio ad pœnam, & positiua exclusio à gloria, supponit in Deo actum positiuè reprobantem; nam permissio peccati antecedit, non subsequitur actum ipsum positiuè reprobantem: cùm ex præuisione finalis peccati, & à fortiori ex præuisione permissionis peccati, Deus positiuè excludat à gloria, & destinet ad pœnam.

60. Fundamentum posterioris assertionis est, quia sicut Deus ex se negatiuè excludit à gloria ante vlla præuisa demerita; ita quidquid ex vi talis actus negatiuè reprobãtis sequitur, est effectus ipsius, eo modo quo dici potest effectus negationis. Pro præsentis controuersiæ solutione,

61. Dicendum est, nullum dari effectum reprobationis, præter ipsam executionem æternæ pœnæ. Fundamentum est, quoniam vt aliquid sit effectus reprobationis, debet procedere à voluntate excludendi ipsum reprobum à gloria: sed in Deo nulla est voluntas excludendi aliquem à gloria, nisi post ipsius finalia peccata præuisa: igitur nullus datur effectus reprobationis, præter ipsam executionem æternæ pœnæ. Consequentia patet, nam sola hæc supponit in Deo voluntatem excludendi reprobum à gloria: reliqua enim antecedunt voluntatem excludendi à gloria, vnde non possunt esse effectus reprobationis, quia hic debet supponere voluntatem reprobãdi, tanquam causam, ex qua immediatè proficiscitur. Minor constat ex suprà disputatis, vbi probauimus, Deum neminem à gloria reprobare, nisi post præuisa ipsius demerita. Maior verò probatur, quoniam, vt aliquid sit effectus prædestinationis, debet procedere ex voluntate intendente gloriam: ergo vt aliquid sit effectus reprobationis, debet procedere ex voluntate intendente exclusionem à gloria, cùm par sit vtriusque ratio.

62. Ex dictis deducitur primò Nullum bonum naturale, vel supernaturale esse in reprobo effectum reprobationis. Ratio, quia nullum bonum naturale, vel supernaturale datur reprobo ex intentione excludendi illum à gloria, vel destinandi ad pœnam.

63. Deducitur 2. Nullam permissionem peccati esse effectum reprobationis. Fundamentũ est, quia omnis permissio peccati antecedit peccatũ: sed Deus nullam habet voluntatem excludendi aliquem à gloria, vel destinandi ad pœnam ante præuisum ipsius finale peccatum: igitur nullius peccati, ne finalis quidem permissio potest esse reprobationis effectus. Nam ad hoc, vt permissio peccati sit effectus reprobationis, procedere debet ex intentione aliqua excludendi à gloria vel destinandi ad pœnam: sed nulla in Deo assignari potest intentio excludendi à gloria, vel destinandi ad pœnam ante præuisum finale peccatum: igitur nulla permissio peccati potest esse reprobationis effectus; cùm

omnis permissio peccati antecedat finale peccatum, post quod, & non ante, assignatur in Deo intentio excludendi à gloria, & destinandi ad pœnam.

64. Deducitur 3. Neque permissionem peccati originalis, cum quo ex hac vita decedunt paruuli, esse effectum eorum reprobationis. Fundamentum est, quia neque illos Deus à gloria excludit, vel ad pœnam destinat, nisi post præuisum ipsorum originale peccatum finale, vnde falsum existimo, quod *Vasquez.* Vasquez docet, permissionem peccati originalis in paruulis, quibus nullâ humanâ industriâ applicari potest remedium salutis, esse effectum eorum reprobationis; eò quòd existimet, hos paruulos fuisse à gloria exclusos ante præuisum originale peccatũ in ipsis contractum, per solam præuisionem eiusdem originalis peccati in capite. Alioqui non potuisset Deus eis gloriam velle, quod etsi ipse cohærenter concedat, ego tamen falsum puto; aliàs voluntas saluandi in Deo non se extenderet ad omnes.

65. Deducitur quartò, sicut non est in libera potestate hominis prædestinari, vel non prædestinari, si prædestinari includat electionem ad primam gratiam, secus si tantùm dicat electionem ad gloriam: ita non esse in potestate eiusdem reprobari, vel non reprobari, si reprobari accipiatur pro exclusione à prima gratia cõgrua, secus si sumatur pro exclusione à gloria, & destinatione ad pœnam æternam. Primum constat, quia sumpto prædestinari pro electione ad primam gratiam, non est in potestate nostra, ad illam eligi, sicut neque ab illa reprobari. Quia sicut non est in nostra libertate, ea gratia præueniri, quæ præuisa est in nobis habitura effectum: ita neque in nostra libertate erit, ea gratia præueniri, quę præuisa est non habitura effectum in nobis.

66. Dices. Licet in nostra potestate non sit, ea gratia præueniri, quæ præuisa est habitura effectum in nobis: tamen in nostra potestate est efficere, vt Deus eam gratiam, quam præuidit habituram effectum in nobis, præuiderit non habituram effectum in nobis; & è contra. Igitur in nostra potestate est, prædestinari, ac reprobari. Respondeo negando consequentiam, nam prædestinari, & reprobari significant actum Dei, nobis congruam gratiam præparãtis, vel ab ea excludentis, non autem ipsam liberam cooperationem nostram.

67. Secundum verò probatur, quia prędestinatio, & reprobatio, prout dicunt electionem, vel exclusionem à gloria, supponunt in nobis liberam potestatem consequẽdi, vel amittendi gloriam per nostra libera merita, aut demerita. Cæterùm, quia secundùm vsitatum modum sentiendi, & loquendi Scholasticorum prędestinari sumitur, non solùm pro electione ad gloriam, sed etiam ad gratiam reprobari verò pro exclusione tantùm à gloria, & destinatione ad pœnã æternam, absolutè dicendum est, in potestate hominis non esse, prædestinari, vel non prædestinari; esse tamen in potestate hominis, reprobari, vel non reprobari, vt constat ex suprà disputatis.

68. Ad fundamentum primæ sententiæ negandum est, dona naturalia, ac supernaturalia, permissionemque peccati in reprobis habere omnes conditiones ad effectũ reprobationis requisitas: non enim conferuntur à Deo intentione excludendi à gloria, & destinandi ad pœnam æternam, quæ est conditio requisita ad effectum reprobationis. Quemadmodum intentio hæc ipsa conferendi prædestinato ad eligendum illum ad gloriam, est conditio requisita ad effectum prædestinationis. Allata autem testimonia ex Chrysostomo, & Augustino non sunt ad *Chrysost. Augustin.* rem: nam possunt omnia dona collata reprobis cooperari illis ad malum. Etiamsi non sint effectus reprobationis, quatenus sunt illis occasio peccandi; peccata verò sunt proxima ratio mouendi Deum ad eos reprobandos, & à gloria excludendos. Ex his patet ad reliquas probationes.

69. Ad fundamentum secundæ, negandа est maior. Non enim idem est ordo prædestinationis, & reprobationis, cùm Deus ad gratiam prædestinet intentione beandi; à gratia verò efficaci non reprobet intentione damnandi.

70. Ad fundamentum tertiæ, quoad positiuam exclusionem à gloria conuenit cum nostra sententia: quoad negatiuam verò refutata manet ex dictis.

71. Vltimò adnotandum est, totam hanc doctrinam de prędestinatione, & reprobatione applicari posse Angelis. Nam etiam boni Angeli electi sunt ad gloriam, dependenter ab ipsorum meritis præuisis: sicut & mali destinati sunt ad pœnam, dependenter ab ipsorum præuisis demeritis. Præterea electi sunt ad gratiam, independenter ab eorum meritis. Verùm hoc habent Angeli, quod non habent homines, quòd illi omnes admissi sunt ad primam gratiam congruam, licet non omnes electi sint ad congruam finalem, nisi soli prædestinati. Homines verò, ne ad primam quidem gratiam congruam admissi sunt omnes, cùm multi ex hac vita decedant, etiam adultâ ætate cum peccato originali.

# DISPVTATIO XVII.

## De Potentia Dei.

### SECTIO PRIMA.

### *An in Deo sit potentia distincta ab essentia, & reliquis attributis?*

Aristotel. 1. DVPLEX est potentia, teste Philosopho 5. Metaph. c. 12. actiua & passiua; illa definitur, *principium transmutandi alterũ, in quãtum alterum*; hæc *transmutandi ab altero in quantum altero*. Hãc à Deo abesse, euidenter ostendit perfectio actus puri, quæ omnem potentialitatem, cũ qua necessariò cõiuncta est potentia passiua, à Deo remouet: illa, cũ sit perfectio simpliciter simplex, nullã includens imperfectionem, omninò Deo concedenda est. Cęterùm duplex potentia actiua in Deo considerari potest, altera ad intra, altera ad extra; & ad intra quidem adhuc duplex, altera respectu actuum notionalium, altera respectu actuum essentialium. Prior, cùm distinguatur realiter à termino producto, habet veram & propriam rationem potentiæ. Posterior autem, cùm non distinguatur ex natura rei ab actu, respectu cuius dicitur potentia; non enim intellectus & voluntas in Deo ex natura rei distinguuntur ab intellectione & volitione, nõ videtur illi propria ratio potentiæ competere; nam hæc ad minimum, iuxta allatam Philosophi definitionem, requirit realem distinctionem à termino producendo.

2. Quare dicendum est, respectu actuũ essentialium non esse in Deo potentiam propriè dictam, ob rationem assignatam, quia potentia propriè dicta postulat talem distinctionem à termino producendo. An autem respectu huiusmodi actuum sit saltem perfectio ipsa potentię actiuæ, esto non sit cum reali distinctione termini dubitari potest. Ratio verò dubitandi est, quia vt in Deo sit aliqua perfectio formaliter, non est necesse, vt illa sit ex natura rei distincta ab alijs perfectionibus: est enim in Deo formaliter sapientia, formaliter bonitas sine distinctione bonitatis à sapientia. Igitur etiamsi intellectus, & voluntas in Deo non distinguantur ab intellectione, & volitione, adhuc non repugnat, in Deo esse ipsam perfectionem potentiæ intellectiuæ, & volitiuæ. Confirmatur, nam distinctio suprà positiuam perfectionem rei non addit, nisi solam limitationem in se, & diuisionem ab alio, quæ limitatio & diuisio suprà positiuam entitatem rei non addit, nisi puram negationem.

3. Pro cuius rei explicatione, duplex perfectio distinguenda est in potentia cognoscitiua, & volitiua, altera percipiendi & appetendi obiectum, altera producendi actum. Priorem perfectionem habent intellectus & voluntas Diuina, etiamsi nõ distinguantur ab intellectione, & volitione. Vt enim hanc perfectionem habere possit potẽtia, non est necesse, vt distinguatur ab actu, imò quanto magis est idem cum actu, tantò magis est perceptiua, & appetitiua obiecti; nam hanc perfectionem participat potentia in ratione causæ formalis, vel quasi formalis, quæ quò magis est idem cum subiecto, eò magis participatur à subiecto. Posteriorem verò habere non potest; nam hæc cõsistit in virtute productiua actus, cuius si productio implicat, implicabit & virtus ipsa productiua actus. Cùm igitur implicet productio actus intellectionis & volitionis Diuinæ, implicabit & virtus ipsa actus Diuini, defectu cuius virtutis productiuæ non potest dici, in Deo esse potentiam actiuam intelligendi, aut volendi; nam hæc essentialiter importat virtutem producendi actum, vt ex allata Philosophi definitione constat. Hinc tamen non sequitur, aliquam perfectionem deesse Deo; quia, cùm hæc includat imperfectionem, nempe distinctionem potentiæ ab actu, non est perfectio simpliciter simplex, & consequenter nec Deo concedenda.

4. Vnde sola cõtrouersia supereſt de potentia actiua ad extra, quam primò certũ est, inesse Deo, nam hæc perfectionem dicit sine imperfectione. Cùm enim Deus, vt ex disputatis constat, sit quo melius, excellentiusque excogitari non possit, tribuendum est illi *esse* omnium perfectissimum: tale est *esse* illimitatum in omni genere perfectionis cũ virtute producendi, quidquid contradictionem non implicat. Ergo tale *esse* tribuendum est Deo. Minor patet, quia posse se ipsum communicare est aliqua perfectio, quam non habet, qui se ipsum communicare non potest.

5. Secundò, certum est, quidquid recentiores aliqui opinentur, hāc potentiam nullum includere ordinem realem ad creaturas, licet concipi non possit sine creaturis, non propter respectum realem ad illas, sed propter essentialem connotationem earum, fundatam in essentiali dependentia ipsarum creaturarum à Deo, vt à primò ente.

6. Tertiò, certum etiam est, posse euidenti discursu demonstrari, hanc potentiam esse in Deo. Nam licet inter Scholasticos controuersum sit, an naturali ratione constet, in Deo esse omnipotentiam respectu cuiuscunque contradictionem non inuoluentis, tamen nemo dubitat, potentiam actiuam vt sic, ex effectibus creatis in Deo euidenter concludi. Nam cùm ex effectibus creatis euidenter cōcludatur, esse vnum principium primum productiuum rerum omnium: ex ijsdem euidenter cōcludi oportet, esse vnum primum ens cum aliqua potentia actiua producendi omnia.

7. Quartò, certum tandem est, huiusmodi potentiam non distingui ex natura rei ab essentia Diuina, reliquisque attributis. Cùm enim hæc sit perfectio absoluta communis omnibus Diuinis personis, non potest ex natura rei à reliquis Diuinis perfectionibus siue absolutis, siue respectiuis distingui: nam ea tantùm in Deo ex natura rei distinguuntur, quæ relatiuè opponuntur. Sola igitur controuersia superest de distinctione virtuali, an ea virtualiter cum aliquo fundamento in re distinguatur ab essentia, cæterisque attributis Diuinis.

8. Prima sententia negat, potentiam in Deo distingui ab essentia, & reliquis Diuinis attributis. Fundamentum est, quia potentia Dei est eminentialis causa omnium possibilium: hanc autem perfectionem habet Deus ratione solius essentiæ; nam ratione solius essentiæ habet, vt sit virtus illimitata in omni genere perfectionis, qualis debet esse potentia Dei respectu omnium possibilium.

9. Secunda sententia affirmat, potentiam productiuam ad extra non solùm distingui ab essentia, sed à reliquis etiam attributis intellectus, & voluntatis. Est Durandi in. 1. distin. 38. quæst. 1. Aureoli dist. 42. art. 2. propos. 2. Rubionis quæst. 1. art. 1. Suarez. lib. 3. de Diuinis attributis, cap. 9. numer. 2. Zumel 1. part. quæst. 25. art. 1. disp. vnica, concl. 3. Probāt primò, quòd illa distinguatur ab essentia. Nam essentia secundùm explicitam rationem suam importat solam rationem essendi, vt constitutiuam Deitatis in ordine ad se: potentia verò actiua importat principium productiuum creaturarum ad extra.

*Aureolus. Rubio. Durandi. Suarez. Zumel.*

10. Quòd autem distinguatur ab intellectu & voluntate, probant secundò: Nam illud habet formalem rationem potentiæ actiuę ad extra in Deo, à quo immediatè manant effectus creati: sed effectus creati non manant immediatè ab intellectu & voluntate, sed à virtute productiua, ratione distinctâ ab intellectu & voluntate: ergo. Maior patet, nam potentia actiua est immediatum principium effectus: ergo illud habet formalem rationem potentiæ actiuæ, à qua immediatè manat effectus. Minor probatur, nam ab illa ratione manat immediatè effectus, quæ continet virtualiter effectum, cùm debeat effectus in causa contineri: atqui intellectus & voluntas non continent virtualiter effectus creatos. Minor probatur, nam ea ratio continet virtualiter effectum, quæ habet aliquam similitudinem in essendo cum ipso effectu; cùm omnis productio fieri debeat per aliquam assimilationem producti ad producentem, & hoc ideò, quia omnis productio est aliqua participatio esse ipsius producentis, quod producens mediâ actione communicat producto. Sed quod habet similitudinem in essendo cum effectibus producibilibus non est intellectus, & voluntas, sed ipsa essentia Dei, vt illimitata in omni genere perfectionis possibilis, quæ quatenus supra rationem essendi addit vim productiuam, induit formalem rationem potentię. Minor constat, quia intellectus, & voluntas secundùm explicitam rationem non important perfectionem illimitatam in tota latitudine essendi. Quòd autem hæc sit necessaria ad constituendam formalem rationem potentiæ actiuę in Deo, probatur; quia potentia actiua in Deo debet continere perfectiones omnium possibilium, quæ cùm sint infinitæ in tota latitudine entis, debent eandem infinitatem & illimitationem explicitam supponere in causa.

11. Tertio probant, nam illa virtus, quæ secundùm propriam rationem, & modum operandi indifferenter se habet ad producibilia, & non producibilia, non potest habere formalem rationem principij productiui: sed intellectus, & voluntas secundùm propriam rationem & modum operandi indifferenter se habet ad producibilia, & non producibilia; igitur non possunt habere formalem rationem principij productiui. Minor patet, nam intellectus & voluntas ex proprio modo operandi indifferenter feruntur ad ea, quæ sunt producibilia, & quæ non sunt producibilia; æquè enim per suos actus feruntur ad Deum, qui producibilis non est, atque ad creaturas, quæ producibiles sunt. Maior probatur, nam virtus, quæ æquè se habet ad producibilia, & non producibilia, habet rationem formalem diuersam, ab ea, quę tantùm se habet ad producibilia; cùm ratio formalis vnius sit vniuersalior, quàm ratio formalis alterius.

12. Confirmatur, quia intellectus, & voluntas feruntur ad obiecta intentionaliter, non attingendo illa realiter, sed tantùm obiectiuè, & grammaticaliter. Potentia verò fertur ad suum obiectum realiter, attingendo illud effectiuè. Vnde obiecta extrinsecè tantùm denominantur cognita, & volita, ab actibus intelligendi,

& volendi, subiectiuè manentibus in intellectu, & voluntate: effectus verò realiter accipiunt esse à potentia productiua, mediâ actione transeunte, in ipsis recepta.

13. Quartò, illud habet formalem rationem potentiæ in Deo, quo tantùm manente, & reliquis omnibus sublatis, adhuc maneret vis productiua creaturarum: sed sublatis per impossibile intellectu, & voluntate à Deo, adhuc maneret vis productiua creaturarum: Maior constat. Minor probatur, nam adhuc sublatis intellectu, & voluntate à Deo, maneret continentia eminentialis creaturarum, in qua immediatè & proximè fundatur omnipotentia Dei.

14. Confirmatur, nam vis productiua immediatè sequitur ad esse, vnde reperitur etiam in entibus non cognoscitiuis: intellectus autem & voluntas non sequuntur, nisi ad tale vel tale esse determinatum: atqui esse ratione præcedit tale esse: ergo etiam vis productiua, quæ immediatè sequitur ad esse, in Deo ratione præcedit intellectum & voluntatem.

15. Quintò, eundem ordinem rationis seruare debent inter se ea, quæ solâ ratione differunt, quem ordinem realem seruant inter se ea, quæ realiter differunt inter se. Atqui intellectus, voluntas, & potẽtia in creaturis, in quibus hæc realiter differunt, talem ordinem habent inter se, vt intellectus tantùm sit directiuus; voluntas determinatiua; potentia verò solùm executiua operis externi: igitur similis ordo ponendus est inter hæc tria in Deo, vt intellectus sit tantùm directiuus; voluntas tantùm inclinatiua, seu determinatiua; potentia verò solùm executiua operationis ad extra. Minor cõstat. Maior probatur, quia omnis distinctio secundùm quid, qualis est distinctio rationis, reduci debet ad distinctionem simpliciter, qualis est distinctio realis.

16. TERTIA sententia docet, potentiam executiuã in Deo nullâ ratione distingui ab intellectu & voluntate. Est Ferrariẽsis 2. contra gentes, c. 10. sub finem, Molinæ 1. p. q. 25. art. 1. disp. 2. Valentiæ q. 19. puncto 6. & q. 25. punct. 1. Vasquez disp. 102. c. 3, in quam inclinant S. Doctor 1. p. q. 25. ar. 1. ad 4. Caietanus ibidem, & Scotus in 1. dist. 37. Pro cuius controuersiæ explicatione,

*Ferrariens. Molina. Valentia. Vasquez. S. Thomæ. Caietanus Scotus.*

17. DICO 1. Potentia actiua in Deo non distinguitur ab essentia Dei, tanquam ratio formalis ab ea perfectè cõdiuisa, etiam secundùm rationem explicitam, sed tanquã ratio formalis includens illam, & superaddens illi vim productiuã. Explico. Dupliciter vna perfectio Diuina includere potest aliam, vno modo tanquã ratio specifica genericam & communem; alio modo vt rationem integrãtem, & quasi complentem eandem rationem specificam. Exemplum primi: Sapientia Diuina, non quà sapientia est formaliter, sed quà Diuina, includit implicitè bonitatem, quia quà Diuina dicit illimitationem in omni genere perfectionis; quà verò sapientia dicit illimitationem in genere duntaxat sapientiæ. Exemplum secundi: intellectualitas Diuina non solũ quà Diuina, sed etiam quà intellectualitas est, quidditatiuè dicit perfectionem Spiritus. Potentia igitur actiua in Deo non modò quà Diuina, sed etiam quà potentia est, includit formaliter essentiam; & consequenter secundùm propriam rationem formalem explicitam non perfectè condiuiditur ab essentia. Sed illam includit, tanquam rationem integrantem ipsam explicitam formalitatem potentiæ. Hanc colligo ex S. Th. q. 1. de potentia, ar. 1. ad 9. vbi docet, essentiam ipsam Dei, superaddita tantùm per intellectum relatione principij, habere rationem potentiæ. Nec contrarium docet ad 14. vbi affirmat, potentiã in Deo ratione distingui ab essentia. Intelligitur enim de distinctione per modum includentis & inclusi: etenim licet potentia includat formaliter essentiam, non tamen essentia includit formaliter & explicitè potentiam. *S. Thomas.*

18. Assertio sic explicata probatur hac vnicâ ratione fundamentali. Potentia productiua in Deo in sua ratione formali explicita dicit actum purum, illimitatum in omni genere perfectionis; ergo in sua ratione formali explicita includit essentiam. Consequentia patet, quia sola essentia includit in sua ratione formali explicita actum purum illimitatum in omni genere perfectionis, cùm omnis alia perfectio Diuina secundùm suam rationem formalem explicitam limitetur ad vnum duntaxat genus perfectionis, exempli gratiâ sapientiæ, aut bonitatis; sola essentia secundùm rationem formalem explicitam includit omnem omninò perfectionem. Antecedens verò probatur, nam potentia Diuina & ex modo producendi per actionem creatiuam independentem à subiecto, & ex infinitis creabilibus perfectioribus, & perfectioribus, quæ in se ipsa præhabere debet vt causa eminentissima omnium, formaliter & explicitè importat actum purum, illimitatum in tota latitudine essendi; alioqui non posset esse causa eminentissima omnium: nam sicut hæc non limitantur ad certum genus perfectionis creabilis, vltra quam non sint alia creabilia; ita nec causa limitari potest ad certum genus perfectionis increatæ, vltra quam non possit alia & alia perfectiora in infinitum creare.

19. Confirmatur: Nam potentia Diuina explicitè importat vim producendi, quidquid contradictionem non inuoluit; ergo explicitè importat totam latitudinem entis possibilis. Antecedens patet, quia potentia Dei se extendit ad omne id, quod participare potest rationem entis; vnde solùm à suo adæquato obiecto excludit non ens, quod est illud, quod contradictionem inuoluit ad esse. Consequentia verò probatur, nam totum id explicitè importat potentia, quod formaliter præsupponitur à termino

mino producibili, nam totum id est necessarium ad constituẽdam perfectam potentiam in ordine ad suum obiectum; atqui terminus producibilis est, quidquid participare potest rationem entis: ergo.

20. Dico secundò. Potentia actiua in Deo secundùm suam formalem rationẽ explicitam non condistinguitur ab intellectu & voluntate, nisi vt ratio includens ab inclusa. Assertionis fundamentum est duplex. Primum est, quia nequit ea perfectio excludi ab explicita ratione potentiæ actiuæ Dei, quæ sub ratione proximæ protentiæ productiuæ ad extra illam constituit: atqui intellectus, & voluntas constituunt potentiam Dei sub ratione proximæ potentiæ productiuæ ad extra; igitur non possunt excludi ab explicita ratione potentiæ actiuæ Dei. Maior constat, quia quidquid complet virtutem in ratione proximè operandi, clauditur in intrinseco, & essentiali conceptu illius. Minor probatur, nam potentia Dei productiua ad extra, non est quæcunque potentia, sed libera, & artefactiua rerum; est enim potentia agentis liberi, vt liberi formaliter, nam hæc tantùm potentia ad extra productiua dicit perfectionem simpliciter simplicem: sed talis potentia in sua ratione formali explicita includit intellectum, & voluntatem; nam quà artefactiua est, includit intellectum, cuius directione tendit ad opus exemplandum; quà verò libera, includit voluntatem, cuius libertate proximè determinatur ad opus exequendum: ergo ab vtroque proximè completur in ratione potentiæ ad extra productiuæ; atque adeò vtrumque in sua ratione formali completa explicitè includit. Confirmatur, quia in Deo quodlibet attributum assignari debet cum omni perfectione, quæ ab ipso intrinsecè exigitur: sed intellectus & voluntas sunt perfectiones quæ ab omnipotentia Dei intrinsecè exiguntur; quia sine ijs non est proximè operatiua ad extra; ergo.

21. Secundum fundamentum est, quia nequit voluntas Diuina liberè aliquid velle, nisi per connotationem effectus liberè à se dependentis: ergo potentia Dei operatiua ad extra includit voluntatem. Antecedens constat ex suprà disputatis de voluntate Dei. Consequentia verò probatur, nam si potentia Dei operatiua ad extra non includeret formaliter voluntatem, deberet, antequam produceret effectum, liberè determinari ab actu Diuinæ voluntatis, ratione antecedente effectum ipsum producendum, cùm nequeat potentia executiua Dei suum opus ad extra producere, nisi liberè: ergo nisi ipsa ponatur intrinsecè libera, se ipsa ab intrinseco determinans ad opus exequendum, determinari debebit ab extrinseco actu voluntatis, ratione præcedente ipsam operis excutionem: quia cùm talis executio non sit libera ab ipsa potentia executiua, à qua immediatè promanat; siquidem hæc ponitur virtualiter distincta ab ipsa voluntate, debet saltem fieri libera ab extrinseco actu voluntatis, sicut fiunt in nobis liberæ operationes potentiæ executiuæ ab extrinseco actu voluntatis imperantis, & determinantis potentias ipsas executiuas ad opus exequendum. Implicat autem, potentiam executiuam Dei liberè determinari ad opus exequendum ab extrinseco actu libero Diuinæ voluntatis, ratione præcedente ipsam externi operis executionem: ergo. Minorem probo, quia implicat, Deum habere actum liberum absque connotatione alicuius effectus liberè à se dependentis. Ergo implicat intelligere in Deo vllum actum liberum ante ipsam externi operis executionem: intelligeretur autem aliquis actus liber in Deo ante ipsam externi operis executionem, si potentia executiua deberet applicari ad opus exequendum per actum liberum diuinæ voluntatis, ratione præcedentem ipsam operis executionem. Maior patet, nam si actus voluntatis in Deo sit liber formaliter per ipsam externi operis connotationem, implicat illum intelligere formaliter liberum ante talem operis executionem. Maior probatur, quoniam priùs ratione, quàm potentia executiua suum opus exequatur, intelligi debet liberè determinata & applicata ad tale opus exequendum. Igitur ante ipsam operis executionem præintelligi debet actus liber Diuinæ voluntatis, applicantis, & determinantis potentiam executiuam ad tale opus exequendum.

22. Hoc autem incommodum in nostra sententia facilè euitatur, quia non debet actus liber in Deo præcedere ipsam operis executionem: nam cùm potentia executiua in nostra sententia non distinguatur ab ipsa libera voluntate Dei, non est necesse, vt ipsa voluntas liberè determinetur ad opus exequendum per actum alterius potentiæ, sed determinatur per ipsammet operis executionem, liberè à se producendam: non secus ac determinatur voluntas ipsa creata ad liberam elicitionem suæ volitionis, non per aliquem alium actum liberum præcedentem, sed per ipsammet liberi actus productionem, liberè à se exequendam.

23. Ex his deducitur contra Molinam, potentiam executiuam in Deo non compleri proximè per ipsum actum liberum Diuinæ voluntatis, sed per potentiam in actu primo indifferentem. Tum quia potentia productiua, etiam vt proximè completa ad operandum, non liberè, sed necessariò inest Deo: actus autem liber voluntatis non necessariò, sed liberè inest Deo, quippe qui potuit non esse. Igitur non actus, sed potentia proximè complet principium productiuum ad extra. Tum quia actus Diuinæ voluntatis fit liber formaliter per ipsam connotationem effectus potentię executricis; igitur non potest, formaliter constituere ipsam potentiam executricem. Alioqui, vt formaliter constituens potentiam, deberet præce- *Molina.*

dere

dere effectum ipsum potentię quatenus verò fit liber per connotationem effectus eiusdem potentiæ, quam constitueret, deberet supponere eandem potentiam iam constitutam; igitur non posset per connotationem effectus talis potentiæ constitui liber: aliàs supponeretur, & non supponeretur liber ante connotationem effectus. Secus autem est de intellectu, qui potentiam executiuam complet, non vt potentia, sed vt actus directiuus operis. Tum quia esse proximè directiuum operis, qualis poni debet potentia executiua in Deo, vt sit proximè completa, non est potentia, sed actus, quia per actum proximè dirigitur potentia ad opus exequendum. Tum quia scientia simplicis intelligentiæ, quæ tantùm est causa rerum in Deo, non liberè, sed necessariò inest Deo.

24. *Obijcies* primò: Esse directiuum, applicatiuum, & executiuum operis in rebus creatis spectant ad diuersas causas: nam esse directiuum spectat ad causam idealem, esse determinatiuum ad causam liberam; esse executiuum ad causam naturalem. Ergo etiam in Deo tales rationes spectabunt ad diuersas causas. Consequentia probatur, nam de Diuinis philosophandũ est per proportionem ad creata.

25. Confirmatur, nam sub alia ratione comparatur effectus creatus ad ideam Diuinam, atque ad potentiam executiuam: igitur nequeunt idea, & potentia executiua in Deo coincidere in eandem rationem formalem causandi. Antecedens probatur, quoniam ad ideam effectus comparatur, vt artefactus ad artem, siue vt exemplatus ad exemplar mediâ directione intellectus: ad potentiam verò executiuam cõparatur, vt terminus ad principium essendi mediâ actione ipsius potentiæ.

26. Secundò, quoniam eadem ratione dici posset, voluntatem in Deo non esse attributum ratione distinctum ab intellectu: nam etiam voluntas essentialiter supponit intellectum, sine cuius directione implicat, voluntatem in suum obiectum ferri.

27. Tertiò. Deus ab æterno dicitur voluisse mundum, cùm tamen ab æterno mundum non produxerit: ergo productio effectus non est immediatè à voluntate Diuina, consequentia probatur, quia si esset immediatè à voluntate Diuina, cùm hæc nequeat liberè velle, nisi aliquid ad extra producendo, cùm nihil ab æterno produxerit, nihil dici posset ab æterno voluisse, sed tantùm in tempore, quando mundum ipsum produxit.

28. Quartò. Imperfectio est in creaturis, vt in eadẽ causa assignari debeat ratio proxima, & remota. Sed si in Deo potentia actiua includeret formaliter intellectum, & voluntatem, in eadem potentia distingueretur virtualiter ratio proxima, & remota, nam voluntas tanquam proxima ratio determinaret essentialiter ad virtutem proximè productiuam.

29. Respondeo ad primum, negando Antecedens. Ad cuius probationem dico, omnes illas tres rationes spectare ad eandem causam agentis intellectualis proximè & perfectè completam: quòd autem illæ in rebus creatis distinguantur, est propter imperfectionem agentis creati, quod nequit eas omnes continere in eadem ratione formali perfectè vnitas, ob sui limitationem. Sicut ob eandem limitationem nequit continere rationes causæ proximæ & remotæ in eadem formalitate vnitas, sed in pluribus dispersas. Confirmatur: quia Aristoteles causam exemplarem non distinxit ab efficiente intellectuali, sed ad eam tanquam proximum complementum reduxit: in Deo autem non est alia potentia actiua ad extra nisi intellectualis, quæ ad sui complementum essentialiter postulat tres illas rationes.

30. Ad Confirmationem respondeo, distinguendo antecedens: comparatur diuerso modo, spectante ad diuersum genus causæ, & nego: comparatur diuerso modo, spectãte ad idem genus causæ intellectualis agentis integrè & perfectè constitutæ & concedo.

31. Ad secundum nego sequelam. Etenim ratio, cur omnes tres illæ rationes spectent ad eandem formalitatem causę ad extra productiuæ, non est, quia vna essentialiter supponit aliam, sed quia omnes per se integrant eandem formalitatem causæ agentis intellectualis. Esto igitur voluntas essentialiter supponat intellectum, quia tamen modus agendi vnius non pertinet per se ad modum agendi alterius; vt ratio formaliter integrans, sed tantùm vt ratio essentialiter præsupposita, non dicuntur coincidere in eandem, sed in diuersas rationes formales explicitas.

32. Ad tertium nego consequentiam, ad cuius probationem dico, Deũ liberè ab æterno voluisse mundum, per ordinem ad productionem mundi, ab ipsamet voluntate in tempore exequendam. Vnde ex ipsa æternitate non priùs intelligitur Deus voluisse mundum, quàm fuerit determinatus per ipsam productionem mundi futuram, ab ipsamet voluntate liberè exequendam.

33. Ad quartum respondeo, tunc rationem proximam & remotã inuoluere imperfectionem, quando illæ distinguuntur, tanquã duę formalitates homogeneę, integrantes idem proximum genus causæ: secus quãdo distinguuntur tanquam duę formalitates heterogeneæ vnius & eiusdem causæ Cæterùm intellectus & voluntas diuina non comparantur ad essentiam quasi duæ formalitates homogeneæ, sed heterogeneæ eiusdẽ potentiæ proximè productiuæ; ille in ratione directiui; hæc in ratione liberi operatiui.

34. Ex dictis soluitur alia quæstio, per quã rationem ex his tribus, quas potentia diuina productiua ad extra includit, immedia-

tiùs

tiùs & proximiùs attingat effectus? Dicendum enim est cohærenter ad nostra principia, essentiam non attingere immediatiùs effectum, quàm attingat ipsa voluntas; nec contrà; sed vtramque simul illum immediatè attingere. Fundamentum est, quia si immediatiùs illum attingeret essentia, illum non attingeret vt potentia libera, quia essentia non est proximè formaliter libera, nisi vt includens voluntatem. Si autem illum immediatiùs attingeret voluntas, aut illum attingeret vt obiectum, aut vt effectũ: si vt obiectũ, iam conciperetur actus liber in Deo ante connotationem effectus liberè à se dependẽtis; si vt effectum, igitur non tantùm attingeret illum, vt voluntas, sed etiam vt potentia atque adeò vt includens essentiam.

35. Maior difficultas est de causalitate intellectus; an immediatiùs attingat effectum, quàm voluntas ipsa? Et ratio dubitandi est, quia causalitas intellectus præcedit causalitatem voluntatis in ordine ad eundem effectum, dirigendo tantùm per modum artis & obiecti propositionem, per quam voluntas ipsa inclinetur ad effectum volendum & exequendum. Confirmatur, quia intellectus non se extendit immediatè ad opus ipsum exequendum, sed immediatè tantùm dirigit voluntatem, quæ directa ipsa per se, vel per potentias executrices opus exequitur.

*Docti Recentiores.*

36. Ita Docti recentiores: quæ sententia procul dubio probabilis est: oppositam tamen puto probabiliorem, scilicet non tantùm mediatè, sed etiam immediatè & proximè intellectum diuinum per suam increatam artem, quæ est practica notitia rerum factibilium, attingere effectus creatos, non quidẽ in ratione entis, sicut attingitur à voluntate, sed in ratione operis artificiati. Est enim hæc maior perfectio scientiæ diuinę, vt possit ipsa immediatè, nullo alio mediante, ad opus delineandum & exemplandum se extendere. Nec refert quòd actus scientiæ sit immanens: quia non repugnat eius immanentiæ, vt immediatè se extendat ad opus externum effigiandum.

37. Fundamentum primæ sententiæ solùm probat priorem nostram assertionem, nempe potentiam Dei non perfectè condistingui ab essentia eiusdem, sed tantùm vt includens ab incluso, quia nimirum potentia includit essentiam, & superaddit illi rationem principij, vt rectè S. Th. præcitata quæstione de Potentia.

*S. Thomas.*

38. Ad primum argumentum secundæ sententiæ respondendum est eodem modo. Ad secundum nego minorem. Ad cuius probationem negandum est effectus creatos non contineri virtualiter in intellectu & voluntate diuina, in illo vt in arte; in hac vt in causa liberè productiua, quæ vt sic explicitè includit essentiam illimitatam in omni genere perfectionis.

39. Ad tertium distinguo maiorẽ. Virtus, quæ secundùm proprium modum operandi indifferenter se habet ad necessaria & libera, non potest vt sic esse principium productiuum ad extra, concedo; cùm principium productiuum ad extra non possit esse nisi circa libera. Nego tamen vt sic intellectum & voluntatem integrare formaliter potentiam actiuam in Deo, sed solùm vt versantur circa libera: sub qua tantùm ratione proximè complent potentiam actiuam Dei, vt sic autem intellectus & voluntas non habent rationem formalem ad libera & necessaria indifferentem, sed limitatam tantùm ad libera.

40. Ad confirmationem neganda est maior de intellectu & voluntate Diuina in ordine ad obiecta libera. Nec obstat eorum immanentiæ, quin ferri possint ad obiecta realiter attingenda, intellectus sub ratione artis; voluntas verò sub ratione potentiæ liberè productiuæ: à quibus obiecta non solùm habent extrinsecum esse cognitum & volitum, sed etiam intrinsecum esse artificiatum, & existentiæ.

41. Ad quartum nego minorem: ad cuius probationem negandum est, in tali casu potentiam Dei mensuram vt proximè completam ad operandum ad extra: quia hæc non solùm importat eminentialem continentiam creaturarum, sed etiam actiuam indifferentiam ad hoc vel illud producendum, defectu cuius indifferentiæ non esset in eo casu in Deo potentia productiua ad extra. Hanc autem actiuam indifferentiam formaliter habet potentia Dei per intellectum & voluntatem. Ad confirmationem concedenda est maior de vi productiua necessaria; neganda de vi productiua libera, qualis est potentia Dei actiua ad extra.

42. Ad quintum concedenda est maior, quando distinctio rationis non præiudicat perfectioni diuinæ, neganda verò, quando diuinæ perfectioni præiudicat, vti præiudicat perfecta condistinctio rationis intellectus & voluntatis à potentia actiua Dei; quæ quamdiu non concipitur vltimò completa per intellectum & voluntatem, non concipitur proximè operatiua ad extra.

## SECTIO II.

### *An, & qua ratione Potentia Dei sit infinita?*

43. Dvplex infinitas in potentia Dei consideranda est, altera ex parte subiecti, altera ex parte termini. Prior desumitur ab ipsa essentia diuina; posterior per ordinem ad terminum, quem potest producere. Prior dicitur infinitas intensiua, posterior extensiua, vtramque infinitatem reperiri in omnipotentia Dei, omnes conueniunt. Sola difficultas est, quo pacto talis infinitas ex infinitate essentiæ, & termini col-

ligatur;

ligatur; &, an naturaliter demonstrari possit?

*Axiomata Philosophorũ & Theologorum.*

44. Priorem infinitatem ex essentiæ infinitate sic deduco. Vnumquodq; est actiuũ secundùm quod est actu; Deus est ens, actu infinitum; igitur est infinitè potens. Maior est commune Philosophorum, Theologorumque axioma. Cuius ratio à priori est, quia quod agit, debet præhabere effectum, quem agit; cùm enim agere sit communicare esse effectui qui agitur; nemoque communicare possit esse, quod in se ipso non præhabeat; necessariò qui agit, supponi debet in actu, aut formali, aut virtuali respectu illius esse, quod debet agendo cõmunicare. Minor supponitur ex suprà demonstratis de natura & essentia Dei. Consequentia vero constat: nã siue dicamus potentiam Dei includere formaliter essentiam, siue esse quasi proprietatem illius, euidenter sequitur, talem potentiam esse infinitam. Nam si essentiam includat formaliter, includit pariter cum illa infinitatem ipsius; si verò sit tantùm proprietas, cùm omnis proprietas proportionari debeat essentiæ, cuius est proprietas; potentia Dei tanquam proprietas essentiæ infinitæ, necessariò erit infinita.

45. Eadem infinitas potentiæ Diuinæ colligitur ex modo operandi independenter tum ab omni alio agente, tum ab omni subiecto. Nam prior independentia necessariò supponit illimitationem in essendo, cùm nequeat limitari is, qui à nullo pendet; cùm omnis limitatio sit ab aliquo per suam causalitatem effectum limitante. Posterior supponit in producente perfectionem actus puri; cùm nequeat creare, nisi qui actionem immanentem habet identificatam cum propria substantia, quod est proprium actus puri, vt ex disputatis suprà de essentia Dei constat.

46. Posteriorem verò infinitatem ex infinitate termini producibilis sic infero. Terminus producibilis ab omnipotentia Dei, est quidquid in se ipso contradictionem nõ inuoluit. Sed talis terminus necessariò supponit in Deo potentiam infinitam: ergo. Maior probatur, nam ille est terminus producibilis ab omnipotentia Dei, qui participare potest aliquam rationem entis: cũ enim in Deo sit vniuersa ratio entis, quidquid participare potest rationem entis, erit terminus diuinæ omnipotentię. Nã ille est terminus adæquatus alicuius potentiæ, qui adæquatè respondet actualitati talis potentiæ; cùm vnumquodque sit actiuum secundùm quod est ens actu: ergo cùm Deus sit actu omne ens, nullum à se excludens, nisi tantùm nõ ens, adæquatus terminus ab ipso producibilis erit quidquid participare potest rationem entis: vnde solùm ab ipsius termino excluditur nõ ens, quod est quidquid in se ipso contradictionem inuoluit. Minorem ostendo, quia cùm talis terminus non limitetur ad certum genus, vel gradum entis, sed complectatur totam latitudinem entis creati, necessariò supponit in causa virtutem infinitam; alioqui deueniretur tandem ad aliquem terminum finitum, vltra quem perfectior produci non posset, non ratione formalis repugnantię termini producibilis, sed defectu actiuitatis virtutis productiuæ.

47. *Obijcies* 1. Nam posterior probatio committit circulum; probat enim infinitatem potentiæ ex infinitate termini; & rursus infinitatem termini ex infinitate potentiæ. Confirmatur: nam res dicuntur producibiles à potentia Dei: igitur probare infinitatem potentiæ ex infinitate termini producibilis, est probare infinitatem potentiæ ex infinitate potentiæ: quod est vitiosum circulum committere.

48. Secundò. Multa Deus nequit facere, nõ propter formalem repugnantiam termini, sed defectu virtutis productiuæ: cuiusmodi sunt habitus inclinantes ad falsum, vel ad peccatum, iudicia erronea, & actus peccaminosi, hæc enim non ideo à Deo fieri non possunt, quia in se ipsis repugnantiam inuoluunt, alioqui neque fieri possent à creatura, vel à Deo vt causa prima; sed quia in Deo non est potentia proxima ad ea efficienda.

49. Respondeo ad primum negando assumptum, & ad probationem concedo, in posteriore demonstratione probari infinitatem potentiæ ex infinitate termini, & rursus infinitatem termini ex infinitate potentiæ, sed aliũde eius infinitate demõstrata, nempe ex infinitate essentiæ, & entis à se. Vnde tantùm sequitur; quòd posterior probatio supponat priorem, aliunde demonstratam. Hoc autem non est vitiosum circulum committere, quia hic tantùm committitur, quando idem probatur per idem aliunde non demonstratum.

50. Ad Confirmationem distinguo antecedens: dicuntur res producibiles à potentia actiua Dei respectiuè, & concedo; absolutè & nego. Etenim duplex possibilitas seu producibilitas distinguenda est in rebus, altera respectiua desumpta ab ipsa extrinseca potẽtia Dei, à qua res extrinsecè denominantur possibiles, seu producibiles, quatenus ab illa possunt accipere esse; altera absoluta & intrinseca rebus, à qua res ipsę intrinsecè denominantur possibiles seu producibiles, nõ positiuè, cùm hæc non sit aliqua positiua aut realis potentia in rebus existens, sed negatiuè & per intrinsecam non repugnantiam, quæ appellari solet potentia Logica, & consistit in intrinseca connexione & cohærentia extremorum. Quando igitur probatur infinitas potentiæ Dei, non probatur ex possibilitate respectiua desumpta ex potẽtia actiua Dei, sed ex infinitate absoluta desumpta ex intrinseca non repugnantia, & cohęrentia extremorum; est enim in rebus quædam intrinseca non repugnantia, ratione cuius quantum est ex parte ipsarum, non repugnãt esse, si aliunde non desit sufficiẽs virtus productiua, potens illas traducere à non esse

ad

ad esse. Sicut supponitur in alijs intrinseca repugnantia & discohærentia extremorum, vt per nullam potentiam possint ad esse traduci, cùm ex se non sint realis existentiæ capaces. Vis igitur productiua Dei, cùm fundetur in entitate complectente vniuersam rationem essendi, non potest à suo adæquato obiecto excludere, nisi id, quod nullam participare potest entis rationem.

51. Ad secundum concedo, esse aliqua, quæ Deus facere non potest, vt causa particularis, non ratione formalis repugnantiæ extremorum, aut defectu virtutis actiuæ in Deo, quandoquidem ea producere potest simul cum creaturis, vt causa prima vniuersalis; sed ratione moralis malitiæ, aut falsitatis, quam includunt. Deus enim, cùm sit summę bonus, & verax, non potest velle ea, quę summæ suę bonitati, & veracitati repugnãt: cùm enim non agat ad extra, nisi liberè; liberè autẽ velle non possit, nisi quæ sunt propriæ bonitati & veracitati conformia, repugnat, vt tanquam causa particularis producat, quę vel ad falsitatem, vel ad malitiam immediatè inclinant: esto ad ea producenda non desit potentia simpliciter.

52. Atque hæc de priori controuersia. De posteriori autem, an hæc potentia, vt intensiuè, & extensiuè infinita, naturali ratione demonstrari possit, discrepant Scholastici. Negant Scotus in primo dist. 42. & quodlibeto 7. Ochamus, Gabriel, Marsilius, & alij eadem distinctione.

*Scotus. Ocham. Gabriel. Marsilius. Aureolus. Argentin. Zumel. Molina. Suarez.*

53. Affirmant verò Aureolus in 1. dist. 42. p. 2. a. 1. propos. 3. Argentina artic. 2. Zumel 1. p. q. 25. art. 2. q. vnica, concl. 2. Molina art. 3. Suarez in Metaph. disp. 30. sect. 17. & alij. Quorum sentẽtia probabilior est, & amplectenda. Cuius fundamentum est, quoniam naturali lumine nobis euidens est, Deum esse infinitæ essentiæ; ergo & infinitæ virtutis. Antecedens constat ex disp. 3. Nam quâ ratione demonstratur, Deum esse primam causam & ens à se; eâdem demonstratur esse infinitæ essentiæ, cùm non habeat à quo in suo esse limitari possit. Consequentia verò probatur: nam potentia, quæ fundatur in essentia infinita, nequit esse finita; potentia enim sequitur actualitatem essentiæ, nam vnumquodque agit secundùm quod est ens actu: ergo si hæc naturali discursu demonstratur infinita, eodem naturali discursu demonstrabitur infinita & illa.

54. Ex dictis infertur 1. Discrimen inter obiectum potentiæ, & scientiæ Diuinæ, quatenus hæc speculatiua est. Nam obiectum scientię speculatiuæ non fit, sed supponitur ab ipsa scientia: obiectum verò potentiæ non supponitur, sed fit ab ipsa potentia secundùm reale esse positiuum; licet supponatur secundùm esse logicum & negatiuum. Cuius discriminis ratio est, quia scientia speculatiua, est pura contemplatio sui obiecti: potentia verò est practica & factiua sui obiecti.

55. Infertur 2. Quo pacto non modò ens, verùm etiam ipsum non ens sit obiectum Diuinæ omnipotentiæ. Duplex quippe non ens distinguẽdum est, aliud essentiale & necessarium; aliud accidentale & contingẽs. Primum est, quod in se ipso contradictionem inuoluit; quod propterea dicitur essentiale & necessarium, quia per nullam potentiam fieri potest, vt desinat esse non ens: sicut ex opposito dicitur Deus ens essentiale & necessarium, quia per nullam potentiam fieri potest, vt desinat esse. Secundum est, quod ex se nullam quidem habet existentiam aut rationem entis, non tamen habet ad illam repugnantiam: qua de causa dicitur non ens accidentale & cõtingens, quia potest desinere non esse & incipere esse. Sicut è contrario dicitur res creata existens ens accidentale & contingens, quia potest cessare ab esse.

56. Hoc adnorato, ex dictis sequitur, non ens essentiale nullo modo esse obiectum diuinæ omnipotentiæ. Nam illud excluditur ab obiecto alicuius potentiæ, circa quod nullo modo potest talis potentia versari: atqui diuina potentia nullo modo versari potest circa non ens essentiale; igitur nullo modo clauditur intra ipsius obiectum. Maior constat, nam eatenus dicitur res pertinere ad potentiam aliquam, quatenus circa illam potest potentia ipsa versari, alioqui non foret maior ratio, cur potiùs vna, quàm alia res diceretur ad talem potentiam pertinere. Minor verò probatur, quia tũc dicitur potentia non posse circa aliquid versari, quando illud attingere non potest per suum proprium modum operandi: atqui proprius modus operandi potentiæ actiuæ, est traducere suum obiectum à non esse ad esse; vel contrà ab esse redigere ad non esse. Cùm igitur nequeat diuina potentia traducere non ens essentiale ad esse, cùm sit incapax omnis realis existentiæ, non poterit circa illud versari per suum proprium modum operandi.

57. Ob eandem rationem neque Deus cadit sub obiectũ diuinæ potentiæ, quia non est attingibilis per proprium modũ operandi potentię actiuæ, cùm non sit capax productionis, vel destructionis, qui sunt proprij modi operandi potentiæ actiuę. Continetur autem Deus intra obiectum intellectus & voluntatis, quia est capax intelligibilitatis & amabilitatis, sicut ipsum non ens essentiale, indirectè saltem est capax intelligibilitatis, & simplicis displicentiæ. Atque hoc quoad ens essentiale & necessarium.

58. Quoad ens verò accidentale & contingens, oppositum infertur ex dictis, nempe illud cõtineri intra sphæram obiecti diuinæ omnipotentiæ, non solùm per modũ termini à quo, quatenus efficacitate diuinæ omnipotentiæ traducibile est à suo non esse ad esse realis existentiæ; sed etiam per modum termini ad quem, quatenus virtute eiusdem diuinæ omnipotentiæ potest esse terminus suspensionis actionis conseruatiuæ aut primariò, vt in annihilatione; aut secundariò, vt in

generatione

generatione vnius & corruptione alterius.

59. Cæterùm dubitabile est, an ipsum non esse creaturarum, quatenus à Deo quodammodo conseruatur in tali non esse, dici possit terminus Diuinæ potentiæ. Ratio autem dubitandi est, quia talis permanentia creaturarum in non esse, est voluntaria Deo, qui positiuè vult tales creaturas non esse. Sed in nostra sententia potentia executiua in Deo non distinguitur à voluntate eiusdē: igitur talis permanentia creaturarum in non esse, vt positiuè voluntaria Deo, est quodammodo actio potētiæ Dei, conseruantis creaturas in suo non esse.

60. Respōdeo huiusmodi non esse creaturarum solùm esse obiectum remotum, non autem proximum diuinæ potentiæ, quatenus nimirum fieri potest actualis terminus diuinæ potentiæ, aut media actione positiua traductiua creaturas de non esse ad esse, aut suspensiua actionis conseruatiuæ, redigente creaturas de esse ad non esse. Ad rationem verò dubitandi negatur cōsequentia. Etenim non quicunque actus diuinæ voluntatis est actualis executio potentiæ diuinæ, quamuis omnis executio potentiæ diuinæ sit ab ipsa voluntate diuina; eò quòd voluntas ad plures operandi modos se extendit vt voluntas, quàm vt potentia exequens, nam vt voluntas se extendit ad diligendam suam essentiā, & creaturas secundùm esse possibile, ad quæ non se extendit, vt potentia exequens. Quare dicendum est, voluntatem Diuinam extendere se ad non esse creaturarum, vt purā voluntatem nolendo illas ad esse traducere, non autem vt potentiam, aliquid circa illas operando.

61. Infertur 3. An potentia Dei se extendere possit ad præterita, efficiēdo vt præterita non sint. Etenim, si præterita accipiantur in sensu composito, & reduplicatiuè ex suppositione quòd fuerint; implicat, Deum efficere, vt præterita non sint. Sic enim apertam inuoluunt contradictionem: nam quatenus supponuntur fuisse, connotant esse præteritum, quatenus verò desinerent esse præterita, connotarent non esse præteritum; atque adeò simul essent, & non essent præterita. Confirmatur, quia implicat ex suppositione quod res est præsens, vt non sit præsens; eò quòd simul esset, & non esset præsens: ergo pariter implicabit ex suppositione, quòd res fuerit præterita, vt non sit præterita, quia simul esset, & non esset præterita. Si verò præterita accipiantur in sensu diuiso & specificatiuè, non facta suppositione, quòd fuerint, possunt non fuisse, quia nimirum id, quod fuit, potuit non fuisse, si Deus illud non produxisset: sicut id, quod est præsens, in sensu diuiso & specificatiuè potest non esse præsens. Ratio, quia vt sic non componitur esse cum non esse pro eadem duratione simul.

62. Infertur 4. Celebris illa partitio potentiæ Diuinæ, in *Ordinariam* seu *Ordinatam & absolutam*: Prior est potētia, vt substat actuali decreto Dei, quod de facto statuit iuxta hanc legem & ordinationem mundū gubernare. Posterior est potentia Dei, considerata secundùm suum absolutum posse nulli certæ ordinationi, aut decreto alligata. Vnde multa dicitur Deus non posse de potentia *ordinata*, quæ de potentia *absoluta* nō implicant fieri. Et sub alijs terminis dicitur, multa non posse de *iustitia*, quæ posset *de potentia*: quia secundùm Anselmum id tantùm est iustum, quod est diuinæ voluntati conforme. *Anselmus.*

# DE DEO VT TRINO.

HACTENVS de Deo vt vno secũdùm perfectiones absolutas, quæ illum complent in esse naturæ, disputauimus: vlteriùs supereſt disputandum de Deo vt Trino secundùm perfectiones relatiuas, quæ illum integrant in esse hypostatico & personali. Quoniam verò personæ Diuinæ relationibus constituuntur; relationes verò per processiones multiplicantur, ordo Doctrinæ poscit, vt prius de processionibus, deinde de relationibus, postremò de personis disputemus. Rursus quæ ad personas pertinent, alia sunt communia omnibus personis, alia propria vniuscuiusq; priùs de ijs disputandum erit, quæ sunt communia omnibus: tum de singulis personis speciatim. Cæterùm vti hoc mysterium inter Christianæ religionis arcana est omnium abditissimum; ita in nullo perueſtigãdo, vt Augustin. Augustin. 1. de Trinitate cap. 3. testatur, periculosiùs erratur; sicut nec fructuosiùs elaboratur. Ne igitur in eo perscrutando erremus, constanter tenenda est anchora fidei; vt autem in eo fructuosiùs elaboremus, diligenter attendendus est scopus veritatis, qui vt idem Augustinus 2. de Trin. initio docet, est, vt Deus in hac vita meliùs cognoscatur, cognitusq; feruentiùs à nobis diligatur. Multa solent Theologi hîc contra Gentiles, & Hæreticos de reuelatione & cognoscibilitate huius mysterij, de pluralitate & diuinitate personarum disputare: quæ omnia nos hîc omittimus, quoniam in animo est, ea tantùm discutere, quæ controuersa sunt inter Theologos Catholicos, quæq; ad has tantùm controuersias definiendas necessariò præcognoscenda sunt.

# DISPVTATIO XVIII.

## De Diuinis Processionibus.

### SECTIO PRIMA.

### *An sit aliqua realis processio in diuinis?*

1. RATIO dubitandi sumitur tũ ex termino, qui procedit; tum ex subiecto, in quo diuina processio recipitur. Ex termino ratio dubitandi est, quia implicat, terminum procedentem identificari cum principio producente: sed terminus, qui procedit intra Deum, Deus est; cùm nihil possit intra Deũ procedere, quòd Deus non sit: atqui principium producens est etiam Deus; quia nihil potest intra Deum producere, quin Deus sit: igitur Deus procedens identificatur cum Deo producente. Vnde vlteriùs sequitur, aut idem procedere à seipso, aut Deum procedentem distingui à Deo producente: vtrumque autem implicat: ergo. Ratio verò dubitandi ex parte subiecti est, quia processio realis immanens, qualis est diuina, requirit potentiam passiuam, in qua recipiatur: implicat autem potentia passiua in Deo actu puro: ergo.

2. DICO primò. Est in Deo vera & realis processio, qua verè & propriè aliquid intra Deum producitur. Assertio est de fide ex illo Ioannis 8. *Ego*, inquit Christus, *ex Deo processi*: & Ioannis 15. *Spiritus sanctus, qui à Patre procedit*, quæ loca Patres intelligunt contra Sabellianos de vera & reali processione. Fundamentum est, quia in Deo est verè & propriè Pater, verè & propriè Filius, vt sæpe Scriptura testatur. Sed de ratione Patris est generare, de ratione verò Filij generari: est igitur in Deo realis processio, quâ & Pater generat, & Filius generatur.

3. Probatur secundò ratione. In Deo sunt tres personæ distinctæ realiter, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, Matth. vltimo: nulla autem in Deo esse potest distinctio realis, nisi in reali origine & processione fundata: ergo. Minor probatur, quia omnis distinctio, quæ non fundatur in origine procedentis & producentis, prouenit ex limitatione naturæ, quæ Deo enti illimitato & infinito repugnat.

4. Tertiò. Ponere in Deo realem processionem, nullam inuoluit implicantiam, & summam arguit naturæ fœcunditatem, quæ Deo neganda non est; nam *qui alios parere facit*, ipse *sterilis erit?* Esaiæ 66. Confirmatur, quia si in nobis intelligendo & amando aliquid producere, perfectio est, cur non in Deo summè productiuo? Quòd autem per hanc processionem aliquid intra Deum producatur, constat, quia implicat, dari processionem sine re procedente, & vniuersaliter productionẽ sine termino producto, cùm productio sit ipse terminus in produci.

5. DICO secundò. Hæc processio non est in Deo per modum emanationis transeuntes, sed immanentis; non per modum effectus à causa, sed per modum termini consubstantialis principio producenti, in eadem natura subsistentis. Conclusio est Catholica contra Arianos. Probatur hoc Theologico discursu. Terminus huius processionis est Deus: etenim ipse Christus, qui Ioan. 8. de ipso dixit, *Ego ex Deo processi*; Ioan. 1. dicitur *Vnigenitus Filius Dei*, & Spiritus sanctus, qui Ioan. 15. dicitur à Patre procedere, Actor. 5. dicitur Deus: *Cur*, inquit Petrus Ananiæ, *Tentauit Sathanas cor tuum te mentiri Spiritui sancto?* quem paulò pòst appellat Deum: *Non es*, inquit, *mentitus hominibus, sed Deo.* Legatur Cyrillus lib. 13. de thesauro cap. 2. vbi hunc locum explicat. Atqui non potest esse verus Deus, nisi processio sit immanens & consubstantialis principio producenti. Nam verus Deus est, qui veram Dei naturam habet: veram autem Dei naturam non habet, qui eandem numero naturã Dei producentis non participat: quia cùm hæc nequeat multiplicari; qui eandem numero Dei naturam non participat, veram Dei naturam non habet, atque adeo verus Deus non est: sed nisi processio hæc sit immanens & consubstantialis principio producenti, terminus ex ea procedens non participaret eandem numero naturam principij producentis, quia hæc nequit participari à termino producto nisi media productione: ergo si hæc non est immanens & consubstantialis naturæ producenti, non poterit participari à procedente.

6. Vnde

Ioan. 8. & 15.

Sabelliani.

Matth. vltimo.

Esaiæ 66.

Arians.

Ioan. 8. & 1. Ioan. 15. Actor. 5.

Cyrillus.

6. Vnde Theologi ad explicandam hanc consubstantialitatem termini producti cum principio producente, vti solent particulâ, *de*, quoniam ex Augustino lib. de Natura Boni cap. 26. particula *de*, consubstantialitatem termini procedentis cum principio producente expressiùs importat, quàm particula *ex*. Dicuntur enim creaturæ procedere *ex* Deo, non autem *de* Deo. Contrà verò Filius & Spiritus sanctus veriùs & magis propriè dicuntur procedere *de* Deo, quàm *ex* Deo.

*Augustin.*

7. *Obijcies* Primò. Terminus productus procedit distinctus realiter à producente; ergo procedit per modum effectus à causa. Respondeo negando consequentiâ. Etenim vt aliquid procedat per modum effectus à causa, non sat est, procedere distinctum realiter à producente, sed præterea requiritur, vt non procedat eadem necessitate, quâ existit ipsum producens. Atqui terminus productus in diuinis procedit eadem prorsus necessitate, quâ existit ipsum producens. Cuius ratio est, quia procedere vt effectum à causa ex vi nominis importat dependentiam producti à causa ipsa producente; quæ dependentia nulla esse potest, vbi productum procedit cum eadem numero natura, & necessitate essendi cum ipso producente.

8. *Obijcies* Secundò. Implicat realiter produci terminum, non producto omni eo, cum quo terminus ipse formaliter identificatur. Ergo implicat in diuinis produci personam, non producta natura, cum qua persona ipsa formaliter identificatur. Confirmatur. Implicat produci gradum corporis, cum eo non producto gradu substantiæ: sed magis identificatur natura diuina cum propria personalitate, quàm gradus substantiæ cum gradu corporis. Respondeo negando antecedens, quando id, cum quo terminus identificatur, ob sui infinitatem est immultiplicabile: talis est natura diuina, quæ sicut ob suam infinitatem & illimitationem est immultiplicabilis, ita & improducibilis: personalitas verò licet sit infinita in suo genere, quia tamen non est infinita in genere personalitatis simpliciter, ideo multiplicabilis est, atque adeò producibilis.

9. Dices. Ex hoc tantùm discursu sequitur, naturam diuinam, non multiplicari simul cum processione, non autem cum eâ ipsa identificari. Respondeo hoc etiam sequi ob infinitatem in omni genere, ob quam habet, vt nulli perfectioni opponatur, atque adeò cum quauis perfectione identificetur. Nam tota ratio distinctionis est aut oppositio, aut limitatio: natura autem diuina ob suam infinitatem in omni genere perfectionis nullam habet neque oppositionem, neque limitationem, ac proinde identificatur cum quauis perfectione diuina. Ad confirmationem nego consequentiam. Quoniam adæquata ratio, cur cum gradu corporis necessariò comproducatur gradus substantiæ, non est tantùm identificatio, sed etiam limitatio.

10. Ad priorem rationem dubitandi sumptam ex termino, concedo maiorem de identificatione adæquata, & in ratione producentis formaliter; nego de inadæquata, & in ratione communicantis. Natura enim diuina non est principium productionis, sed tantùm communicationis, vt infrà ostendemus; sola autem persona per relationem est principium productionis formaliter. Terminus autem procedens non identificatur producenti adæquatè, & in ratione producentis formaliter, sed inadæquatè, & in ratione communicantis; quia non identificatur cum persona ipsa producente secundùm perfectionem relatiuam, secundùm quam persona est formaliter productiua, eique formaliter opponitur; sed secundùm perfectionem absolutam, secundùm quam non est formaliter productiua, sed communicatiua, eique formaliter non opponitur: nam formalis oppositio inter terminum productum & principium producens attenditur solùm penes rationem producendi, non autem communicandi. Cùm non implicet, idem communicari alteri, & nihilominus manere in ipso communicante. Nam communicare, est ita dare esse alteri, vt illud retineatur ab ipso dante. Contrà verò producere, est à seipso distinctum aliquid dare; cùm enim productum non contineatur in producente formaliter, sed tantùm virtute, non potest fieri extra producens, nisi vt distinctum ab ipso producente. Hinc fit, vt productum in diuinis ratione naturæ, quam per communicationem accipit, procedat consubstantiale producenti, & vnus prorsus Deus cum illo; ratione verò hypostasis, quam per productionem accipit, procedat vt distincta persona à producente.

11. Ad posteriorem verò rationem dubitandi, nego maiorem: quoniam processio diuina non distinguitur à parte rei à termino procedente; hic autem cùm non sit actus accidentalis, sed terminus substantialis, in eadem Deitate subsistens, nullam requirit potentiam passiuam, in qua recipiatur.

## SECTIO II.

### *An duplex sit tantùm processio passiua in diuinis?*

12. Ratio dubitandi est, quia vel in Deo est processio per actus immanentes intellectionis & volitionis, vel per alias actiones immediatè consequentes naturam. Si primum, vna tantùm erit processio, sicut vna est actio immanens, quæ simul est intellectio & volitio in Deo.

13. Confirmatur 1. quia processio increa-

ta est

ra est infinita; nequit igitur esse multiplex. Consequentiam probo, tum quia processio infinita est adæquata virtuti infinitæ; non possunt autem eiusdem virtutis esse plures actus adæquati; tum quia productio infinita continet quidquid perfectionis esset in qualibet productione distincta, alioqui non esset infinita in genere productionis. Tum quia natura diuina per quamlibet productionem adæquatè se communicat; non igitur potest pluribus productionibus se communicare; alioqui nulla productio foret adæquata & infinita.

14. Confirmatur 2. Processio specificatur à termino formali; sed hic est vnus, ipsa scilicet natura, cum qua processiones diuinę identificantur. Si secundum: non erit maior ratio, cur sint duæ, & non plures processiones, cùm natura diuina ex se non habeat, vnde potiùs ad has, quàm ad illas determinetur: cùm ex se sit infinita ad nullam certam actionem determinata.

15. Dico. Duæ tantùm sunt processiones passiuæ in Deo, altera per intellectum, quâ gignitur Verbum, altera per voluntatem, quâ spiratur Amor: Ambę distinctę realiter; ambæ quasi specie diuersæ. Assertio est de fide, etenim de fide est, duas tantùm esse personas procedentes realiter distinctas in Deo, Verbum, & Spiritum sanctum: igitur de fide est, duas esse in Deo tantùm processiones passiuas distinctas realiter, Verbi scilicet, & Amoris. Consequentia patet, quia processio se habet ad terminum procedentem, vt fieri ad factum esse. Huius Catholicæ veritatis ea est ratio, quoniam processiones diuinæ sunt per operationes immanentes: in Deo autem agente intellectuali perfectissimo non possunt, nisi duæ tantùm operationes immanentes reperiri, intellectio nimirum, & volitio distinctæ virtualiter.

16. Quòd autem istæ processiones quasi specie differant in Deo, docet Sanctus Thomas quæstione decima, de potentia articulo secundo ad duodecimum. Cuius ratio est, quia diuersitas processionum desumitur ex diuersitate terminorum procedentium: sed termini diuinarum processionum, etsi ratione naturæ, cum qua identificantur, sint vnum, non modò specie, sed etiam indiuiduo; ratione tamen hypostasum, quibus distinguuntur, sunt quasi specie diuersæ. Minor probatur, nam termini diuinarum processionum sunt Verbum, & Spiritus sanctus, qui sunt hypostases diuersæ quasi speciei ac rationis. Notanter dixi, *quasi specie*, quia in Deo non datur propria compositio ex genere & differentia, quia non datur in Deo metaphysica præcisio generis & differentiæ, cùm tales præcisiones repugnent enti illimitato & infinito in omni genere perfectionis.

*S. Thomas.*

17. Ex his infero 1. Trinitatem diuinarum personarum, in eadem natura subsistentium, hoc pacto: In Deo sunt duæ processiones passiuæ realiter distinctæ: igitur sunt duæ personæ procedentes realiter etiam inter se distinctæ: atqui hæ necessariò supponunt aliam personam realiter ab ipsis distinctam: ergo tres sunt personæ in Deo. Prior consequentia patet, quia duæ processiones reales identificant sibi duos terminos distinctos realiter. Minorem probo: nam hæ duæ processiones necessariò sunt ab alio productæ, non à natura, cum qua identificantur, quia implicat productum identificari cum producente, alioqui idem produci posset à se ipso: non à se ipsis mutuo; quia implicat causam produci à suo effectu prima productione; sequeretur enim, quod idem simul existeret & non existeret; vt enim illa posset producere, deberet existere, quia nulla virtus non existens est apta ad producendum; vt autem posset prima productione produci, deberet non existere, quia quod præexistit non potest esse terminus primæ productionis, cùm prima productio sit ad primam existentiam rei: implicat ergo, quòd prima productio supponat existentiam ipsius rei producendæ: ergo implicat, vt causa primò producatur à suo effectu, atque adeò, quòd diuinæ processiones sese mutuo primò producant: ergo necessariò supponunt aliam personam, à qua primò producantur, quæ cùm sit verus Deus, non minus quàm personę ipsę productę; cumque verus Deus esse non possit, nisi in eadem Deitate subsistat, necessariò consequitur, vt ipsa simul cum duabus personis productis ternarium numerum diuinarum personarum in eadem natura subsistentium integret.

18. Infero secundò. Hanc personam, quę supponitur à duabus personis procedentibus, necessariò esse improductam. Nam aut esset producta à natura, aut à Verbo, & Spiritu sancto, aut ab alia persona distincta; non à natura, à qua non distinguitur; implicat enim productum à producente non distingui. Non à Verbo & Spiritu sancto, quia nequit productum suum producens prima productione producere. Non ab alia persona distincta: tum quia in Deo non potest esse alia productio, quàm per intellectum & voluntatem, quæ adęquantur per Verbum & Spiritum sanctum. Tum quia non esset maior ratio, cur illa ab alia producta non esset: & rursus illa ab alia, & sic in infinitum. Sistendum igitur est in vna, quæ ita sit principium Verbi & Spiritus sancti, vt ipsa ab alia producta non sit. Quod non obscurè docuit Christus Ioan. 5. *Pater*, inquit, *habet vitam in semetipso*: hoc est, vt Augustinus explicat 15. de Trinit. c. 26. ab alio non participatam & origine communicatam. Vnde *solus Pater*, vt ibidem inquit Augustinus, *non est de alio, ideo solus ingenitus*, quæ est propria notio Patris, vt suo loco dicemus.

*Ioan. 5.*

*Augustin.*

19. Infero tertiò. Hanc personam improductam, quę in Trinitate est prima, & reliquarum productiua, aliam esse non posse, quàm

quàm personam Patris cum proprietate spiratiua: hoc autem sic ostendo. Omnis natura substantialis necessariò sibi determinat aliquam hypostasim, quæ sit proportionatum complementum omnium suarum operationum; cùm omnis natura substantialis requirat aliquam hypostasim, vt complementum suarum operationum. Sed hypostasis primò completiua omnium operationum diuinæ naturæ ad intra alia esse non potest, quàm personalitas Patris cum proprietate spiratiua: ergo. Minorem probo, quia natura diuina est operatiua ad intra per actus intellectus & voluntatis: ergo hypostasis, quæ illam primò cõplet in ordine ad omnes suas operationes, est personalitas Patris cum proprietate spirandi. Consequentia probatur, nam hæc quà personalitas Patris est, complet principium intellectiuum, quia cùm hoc sit generatiuum, non potuit ad producendum compleri, nisi paternitate, tanquam forma hypostatica, quæ in Deo est proprium complementum virtutis generatiuæ: quà verò proprietas spiratiua est, complet principium volitiuum. Nam cùm hoc sit productiuum Amoris, compleri non potuit, nisi proprietate spiratiua, quæ est proprium complementum voluntatis. Quia verò generare est solius primæ personæ producentis per intellectum; spirare verò est etiam secundæ producentis per voluntatem, non potuit prima persona in ratione personæ cõstitui personalitate spiratiua cum proprietate generandi, sed potiùs personalitate generatiua cum proprietate spirandi: tum quia priùs debuit constitui vt generatiua, quàm vt spiratiua; nam est generatiua per intellectum, spiratiua verò per volunratem, quæ intellectus operationem supponit: complementum autem virtutis generatiuæ in diuinis non est spiratio, sed paternitas: Non potuit autem cõstitui vt generatiua; quin etiam constitueretur vt persona realiter distincta à termino generando: ego si priùs debuit constitui per Paternitatem, tanquam per virtutem fœcundam ad generandum, per eandem constitui debuit hypostaticè distincta à termino ipso generando. Tum quia virtus spiratiua debuit esse communis secundæ personæ: non esset autem illa communis secundæ personæ, si personaliter constitueret primam, quia de ratione personalitatis est incommunicabilitas. Ob eandem rationem nõ potuit prima persona hypostaticè constitui vtrâque relatione paternitatis scilicet & spirationis, sed sola paternitate cum proprietate tantùm spirandi, quia proprietas, quæ non constituit formaliter personam, potest alteri communicari; secus quæ personam formaliter constituit.

20. Infero quartò. Non posse in Deo esse plures personas, quàm tres assignatas. Fundamentum est, quia omnis multiplicatio personarum in Deo necessariò fundari debet in origine producentis & producti. Nequit autem in Deo esse alia origo, quàm per intellectum, & voluntatem. Igitur nequeunt in Deo esse aliæ, personæ, quàm tres assignatæ. Minor cum consequentia constat. Maior probatur, nam omnis personarum multiplicatio, quæ non fundatur in origine producentis & producti, aut est per subsistentias absolutas, aut relatiuas alterius generis: vtraque importat imperfectionem repugnantem diuinis personis. Nam prior, importat limitationem in ipsis personalitatibus absolutis, quæ cùm ex natura sua non petant distingui, sicut petunt distingui relatiuæ propter oppositionem, quam essentialiter includunt, si distinguuntur, necessariò distinguuntur propter limitationem, cùm nequeat aliud caput distinctionis fingi: atqui omnis distinctio in limitatione fundata repugnat Deo enti infinito, & illimitato: ergo. Posterior verò supponit distinctionem, & limitationem in extremis ipsis, in quibus fundatur. Nam omnis relatio, quæ non fundatur in origine producentis & producti, aut est similitudinis, & dissimilitudinis, aut æqualitatis & inæqualitatis, aut mensuræ & mensurati: omnes istæ supponunt distinctionem, atque adeo limitationem extremorum, quæ dicuntur similia vel dissimilia, æqualia vel inæqualia, mensurantia vel mensurata: ergo.

21. Neque multiplicari possunt plura Verba, aut Amores notionales in Deo. Quia vel multiplicarentur specie, vel numero; non specie, quia omnis diuersitas specifica Verbi, vel Amoris est sumenda aut ex termino, aut ex modo tendendi diuerso; non ex modo tendendi diuerso, quia hic semper est vnus & idem, vtpote infinitus & inuariabilis: non ex termino, quia hic aut diuersificatur ex modo tendendi, aut ex obiecto; at hęc in Deo semper sunt inuariabiliter eadem, vtpote ex se necessariò determinata ad vnum. Non numero, nam sola multiplicatio numerica fundatur in limitatione & finitudine termini procedentis: sed tam Verbum, quàm Amor in Deo procedit infinitus & illimitatus, non solùm in genere perfectionis absolutæ, sed etiam relatiuæ: ergo sicut implicat, procedere in distincta numero natura, ita in distincta numero subsistentia, quia non est minùs infinitus in genere personalitatis, quàm naturæ. Confirmatur, quia si plura essent Verba, vnum non contineret indiuidualem perfectionem alterius; ac proinde vnumquodque procederet limitatum in perfectione ipsa indiuiduali; ergo non procederet secundùm omnem perfectionem possibilem Verbi.

22. Infero 5. Inter personas procedentes necessariò vnam, nempe Filium, esse alterius personæ, nempe Spiritus sancti, productiuam. Ratio, quia cùm in diuinis personę non distinguantur, nisi per originem producentis & producti, si Filius non esset principium Spiritus sancti, ab eo distingui non posset. Cæterùm Spiritus sanctus, cùm sit termi-

nus

nus amoris, & in Deo non sint aliæ processiones, quàm intellectus & voluntatis, nequit esse alterius personæ productiuus, sed in ipso felicissimè sistit & completur vltima processio diuina.

23. Ad rationem dubitandi concedo, processiones diuinas esse per actus intellectus & voluntatis. Nego tamen inde sequi, vnam tantùm esse processionem. Nam esto intellectio & volitio essentialis sit vna in Deo, adhuc tamen processio passiua potest esse multiplex, quia hæc non multiplicatur per actus essentiales, sed per terminos notionales, qui in diuinis multiplicantur. Cur autem in Deo non sit vna tantùm processio passiua adæquans fæcunditatem vtriusque actus intellectus & voluntatis, aliunde probari non potest, quàm ex fide, quâ constat, in Deo esse duas personas productas, & consequenter duas processiones passiuas.

24. Ad priorem confirmationem, distinguo antecedens: est infinita intensiuè, concedo; ex ensiuè, nego. Vnde negatur consequentia intellecta de multiplicatione extensiua. Ad cuius primam probationem distinguo minorem: nequeunt eiusdem virtutis esse plures actus adæquati extensiuè, concedo; adæquati intensiuè, nego. Nam potest eadem virtus vniuoca extendi ad plures effectus quorum vnusquisque sit adæquatus intensiuè, nullus adæquatus extensiuè. Ad secundam probationem patet ex prima. Ad tertiam concedo, naturam diuinam per quâlibet processionem communicare se adæquatè & infinitè intensiuè, non autem extensiuè; cùm sit vlteriùs communicabilis per aliam processionem extensiuè: sicut per quamlibet personalitatem eadem natura terminatur adæquatè & infinitè intensiuè, non autem extensiuè.

25. Ad posteriorem verò confirmationem, nego minorem: licet enim processio diuina in ratione communicationis, specificetur à termino formali, qui est natura diuina; in ratione tamen productionis specificatur à termino totali, qui est ipsa persona producta.

## SECTIO III.

### *An præter Processiones passiuas, ponendæ sint actiuæ, tum à passiuis, tum inter se distinctæ?*

26. PRIOR dubitandi ratio sumitur à rebus creatis, in quibus actio & passio re ipsa non distinguuntur realiter, sed ambæ identificantur realiter cum termino producto; ergo etiam in Diuinis, productio actiua non distinguitur à passiua, sed vtraque identificatur cum persona producta: dicitur autem actiua per habitudinem ad producens; passiua verò per habitudinem ad productum. Confirmatur, quia non solùm productio passiua, sed etiam actiua est realis, emanans à persona producente; est enim ipsius veluti causalitas, & immediatus terminus, quo formaliter communicat esse termino vltimato. Implicat autem cum producente identificari non solùm terminum vltimatum, *Quod*, sed etiam immediatum, *Quo*, nam etiam is producitur ab agente; ergo etiam is distingui debet à producente.

27. Posterior dubitandi ratio est; quia origo actiua in Deo intrinsecè constituitur per relationem personæ producentis, atqui relatio personæ producentis in Deo est duplex distincta realiter, altera in Patre respectu Filij, quæ generatio dicitur; altera in Patre & Filio respectu Spiritus sancti, quæ spiratio actiua nuncupatur.

28. DICO primò. Præter duas processiones passiuas in personis productis, ponendæ sunt duæ actiuæ in personis producentibus, realiter à passiuis distinctæ, ijsque correspondentes; vt generatio actiua in Patre, quæ respondet passiuæ generationi Verbi, quæ natiuitas dicitur; & spiratio actiua in Spiratore, quę respondet spirationi passiuæ Spiritus Sancti, quæ appropriato nomine Processio nuncupatur. Conclusio est S. Doctoris, 1. p. q. 41. art. 1. ad 2. & communis Scholasticorum cum Magistro in 1. dist. 26. Fundamentum est, quia origo actiua in Deo est per modum actus perfectè immanentis: de ratione autem actus perfectè immanentis est, vt sit perfectè idem cum principio producente: ergo origo actiua in Deo est idem cum principio producente, realiter distincta à termino producto; & consequenter, præter duas processiones passiuas realiter distinctas, ponendæ sunt duæ actiuæ realiter à passiuis distinctæ, in principio ipso producente. Maior constat, nam origines in Deo sunt per actus intellectus & voluntatis, qui sunt perfectissimè immanentes. Minor patet, tum ex nomine ipso, nam immanens dicitur, quòd manet in ipso principio, à quo est: tum ex discrimine inter actum immanentem & transeuntem, nam transiens transit in terminum productum, cum quo realiter identificatur; immanens verò manet in ipso principio producente.

*S. Thom.*

*Magister & reliqui Scholastici.*

29. Explico, ipsa essentialis intellectio Patris, quatenus determinata relatione Paternitatis, est actiua productio personę gignentis, & actualis communicatio naturæ intelligentis, sicut eadem essentialis intellectio, quatenus determinata relatione Filij, est actualis processio Verbi, & passiua communicatio eiusdem naturæ intelligentis: similiter eadem essentialis volitio, quatenus determinata proprietate spirationis, existente in Patre & Filio, est ipsa actiua productio Spiratoris, & actualis communicatio naturę volentis. Contrà verò, eadem essentialis volitio determinata relatione Spiritus

sancti,

sancti, est actualis processio Amoris notionalis, & passiua communicatio eiusdem naturæ volentis. At non minùs intellectio & volitio actualis, determinata relatione producentis, est intrinseca principio producenti, quàm eadem determinata relatione producti, est intrinseca termino producto; ergo non minùs ponenda est actiua origo producentis, intrinseca principio producenti, quàm passiua origo producti, intrinseca termino producto.

30. Confirmo. Nam actiua productio est transcendentalis ordo producentis ad productum, sicut passiua est transcendentalis ordo producti ad producens; respicit enim productum suum producens formaliter per productionem, sicut producens suum productum per processionem. Nequit autē realis ordo identificari cum termino, ad quem est. Ergo nequit actiua productio in Deo identificari cum termino producto, sed cū principio ipso producente. Minorem probo, quia repugnat esse respectum realem sui ad se ipsum, ergo repugnat respectum transcendentalem identificari cum termino, ad quem est.

31. Dico secundò. Origenes actiuæ non distinguuntur realiter inter se. Est communis Scholasticorum, exceptis Henrico in summa, p. 2. art. 60. q. 1. & Argētina in 1. dist. 13. q. 1. art. 2. cum suo Ægidio. Fundamentū nostræ assertionis est, quia origines actiuæ in Deo distingui non possunt, nisi per proprietates principiorum producentium: sed proprietates principiorum producētium in Deo non distinguuntur realiter; ergo nec eorum origines actiuæ. Maior constat, nam illæ distingui non possunt per actus essentiales, qui communes sunt omnibus personis. Minorem probo, nam proprietas, quâ Pater generat est Paternitas; proprietas, quâ Pater & Filius proximè spirant, est relatio Spiratoris, sed hæc non distinguitur à Paternitate & Filiatione; est enim eadem in Patre & Filio, vt infrà; ergo nec spiratio actiua distinguitur realiter à generatione actiua: consequentia elucet, quia origines non habent vnde distinguantur, quàm ex proprietatibus principiorum producentium.

*Henricus. Argentin. Ægidius.*

32. Dices. Generatio actiua dicit solam Paternitatem, Spiratio verò actiua paternitatē & filiationem; ergo spiratio actiua, saltem ratione filiationis, quam includit, distinguitur à generatione actiua. Respondeo negando, Spirationem actiuam proximè & formaliter dicere paternitatem & filiationem, sed relationem spirationis communem Patri & Filio, in quibus virtus ipsa spiratiua subsistit, tanquam in suppositis distinctis, quæ distincta suppositа origo ipsa spiratiua remotè tantùm connotat; origo autem actiua vnitatem, aut diuersitatem sumit à virtute proximè originante, non à supposito remotè complente, vt infrà.

33. Dico tertiò. Etiamsi actiuæ origines non distinguantur ex natura rei inter se, adhuc simpliciter dicendæ sunt duæ origines, non tamen duæ res. Fundamentum est, quia cùm origines sint transcendentales respectus ad terminos originatos, numerantur ad numerationem terminorum originatorum: sed termini originati sunt duo, Filius & Spiritus sanctus. ergo & eorum origines dicendæ sunt simpliciter duæ, etiamsi in se, & ratione principij sit vna, sicut relatio Spiratoris, quamuis re ipsa non sit distincta à Paternitate & Filiatione, quia tamen respicit terminum distinctum, nempe Spiritum sanctum, numeratur vt distincta relatio à paternitate & filiatione. Cuius ratio est, quia relatiua, cùm totum eorum esse sit ad alterum, nempe ad terminum, multitudinem sumunt à termino, quem respiciunt, non à fundamento, in quo sunt. Eadem ratio probat posteriorem assertionis partem, quia cùm res non multiplicetur ad multiplicationem termini extrinseci, sed subiecti intrinseci; non possunt actiuæ origines dici duæ res, etiamsi dici possint duæ origines, vel respectus simpliciter, quia fundamentum est vnum.

34. Ad priorem dubitandi rationem nego consequentiam; tum quia in creaturis non datur actio perfectè immanens. Nā vel illa est formaliter transiens, & tota recipitur in termino, à qua extrinsecè tantùm denominatur agens agere; vel formaliter immanēs, & ea tantùm subiectiuè recipitur in principio producente. In Deo autem est perfectissima actio immanens, quæ perfectissimo modo recipitur in principio producente per omnimodam identitatem: & consubstantialitatem in ipso principio producente; non esset autem illa perfectissimo modo immanens, si tantùm recepta in persona producta, extrinsecè tantùm denominaret personam producentem, quia adhuc posset illam perfectiori modo denominare, nempe per intrinsecam identificationem cum illa: tum quia in creaturis actio & passio distinguuntur tam à termino producto, quàm à principio producente: vnde possunt esse transcendentales respectus, quibus tam producens respiciat productum, quàm productum producentem, quia cum neutro identificantur formaliter; at verò processio in diuinis non distinguitur à termino producto; vnde licet sit realis respectus, quo productū respiciat formaliter producens, non tamen potest esse realis respectus, quo producens respiciat formaliter productum.

35. Ad confirmationem nego, originem actiuam esse per modum realis emanationis à principio producente, sed per modum actionis immanentis, actu influentis in terminum ipsum productum. Hoc autem non est, esse tantùm per modum principij, sed actualis etiam originis, quatenus hæc eadē existens in persona producente & producta, est actiua & passiua communicatio naturæ. Vnde nego, originem actiuam identificari non posse cum principio producente,

cùm

cùm non sit causalitas ab ipla causa realiter distincta; licet implicet, illam adequatè identificari cum origine passiua, quæ identificatur cum termino originato.

36. Ad posteriorem rationem dubitandi, distinguo de relatione producentis; nam alia est quæ formaliter constituit personam, alia quæ solùm complet proximum principium producendi; origo autũ actiua nõ constituitur formaliter per relationem, quæ formaliter constituit personam, sed quæ formaliter complet proximum principium producendi; hæc autem non est duplex distincta realiter in Patre & Filio, proinde nec origines actiuæ, existentes in Patre & Filio, erunt realiter distinctæ inter se.

## SECTIO IV.

### *An Processiones Diuinæ sint operationes intellectus & voluntatis?*

*Durandi.* 37. Prima sententia negat. Est Durandi in primo distinct. 6. quæstione secunda, & distinctione vigesima septima, quæstione tertia, numero decimo opinantis, processiones diuinas non esse per se & formaliter operationes intellectus & voluntatis, sed tantùm naturæ: quatenus hęc ratione præcedit intellectum, & voluntatem, adeò vt si per impossibile Deus non esset intelligens & volens, adhuc esset productiuus ad intra. Fundamentum ipsius est, quia fœcunditas virtutis productiuæ in Deo nõ oritur immediatè ex eius intelligere & velle, sed ex perfectione & infinitate naturę: ergo processiones diuinæ non sunt per se operationes intellectus & voluntatis, sed solius naturæ: consequentia patet. Antecedens probatur, quia secundùm eandem proportionem competit fœcunditas Deo & creaturis: sed nulli creaturæ competit fœcunditas, quatenus intelligens & volens est formaliter, sed per aliquid prius. Si enim calor esset intelligens, aut volens, eodem modo produceret calorem, atque producit nunc: ergo quòd Deus sit intelligens aut volens, materialiter se habet ad productionem personæ.

38. Confirmat primò. Nam vel actus intellectus & voluntatis sunt principia productionum, vel productiones ipsæ: neutrum dici potest; ergo. Non primum, quoniam id, cuius conditio est opposita fœcunditati, non potest esse principium, quo aliquid producatur; cùm omnis productio oriatur ex fœcunditate: sed conditio actus intelligendi & volendi est opposita fœcunditati; ergo non possunt esse principia, quibus personæ diuinæ producantur. Minor probatur, nam actus intelligendi & volendi sunt ex natura sua infœcundi. *Metaph. 9.* 9. Metaph. tum quia sunt actus immanentes, quorum est, in suo tantùm principio manere, cùm tamen omnis productio aliquo modo transeat à principio ad terminum productum. Tum quia sunt actus purè intentionales, qui solùm versantur circa obiecta repræsentatiuè, non autem productiuè. Tum quia sunt vltima perfectio, & operatio naturę intellectualis: igitur repugnat, ex ijs vlteriorem perfectionem consequi, quę sit ipsi intelligenti & volenti intrinseca, aliàs non esset vltima. Non secundum, tum quia productiones personarũ sunt actus notionales, non essentiales: intelligere autem & velle sunt actus essentiales. Tum quia, si actus intelligendi & volendi essent productiones personarum, cuilibet personæ competeret producere Filium & Spiritum sanctum: quia cuicunque competit productio, competit & producere: sed cuilibet personæ competit intelligere & velle, ergo cuilibet competeret producere Filium & Spiritum sanctum; quod est hæreticum. Tum quia productiones personarum differunt realiter: intelligere autem & velle non differunt realiter. Confirmat secundò, quia Patres docent, Filium à Patre *naturaliter* gigni; non igitur per intellectum.

39. Secunda sententia affirmat. Est Sancti Thomæ 1. p. quæst. 27. ar. 3. Syluij ibid. & communis Scholasticorum, qui Durandi opinionem notant, vt temerariam, & erroneam, eò quòd in re grauissima à communi sensu Patrum, & modo loquendi Scripturæ recedat. Est igitur hæc sententia, tanquam vera, & fidei principijs conformior amplectenda. Cuius primum fundamentum sumendum est ex sacra Scriptura, in qua Filius dicitur *Verbum, Sermo, Sapientia, Imago.* Atqui *Verbum, Sermo, Sapientia, Imago* sunt proprij termini intellectus. *Verbum* namque dictione exprimitur, dictio autem est propria intellectus operatio, quâ *Verbum* in se ipso producit. *Sermo* ore profertur & explicatur: os autem pro intellectu in Scriptura sacra vsurpatur. *Sapientia, & Imago* est proprius partus & proles intellectus. Spiritus Sanctus verò appellatur *Charitas, Amor, Donum*, vt colligit Augustinus 15. de Trinit. *Augustin.* à cap. sexto, vbi, quamuis affirmet, Charitatẽ etiam de Patre & Filio dici; ad denotandam tamen propriam Spiritus sancti productionem, quæ per actum voluntatis originatur, peculiariter, ait, appropriari Spiritui sancto.

*S. Thom. Syluius & reliqui Scholastici contra Durandum. Censura opinionis.*

40. Est autem ex S. Thoma 1. p. quæst. *S. Thomas.* 37. art. 1. notandum discrimen inter nomina, quibus Spiritum sanctum, eiusque processionem; & Verbum eiusque productionem significamus. Nam ad exprimenda ea, quæ sunt propria Filij, habemus propria nomina, *Dictio* scilicet & *Verbum*, quę notionalem actum, & terminum intellectus important: ad exprimenda verò ea, quæ sunt propria Spiritus sancti, caremus proprijs vocibus, & ideo vtimur communibus *Charitatis & Dilectionis.* Ex his autem apertè colligimus, processionem Spiritus sancti esse per

actum

actum voluntatis; nam *Charitas, Amor, Donum*, sunt propriæ voluntatis operationes, & termini. Est enim *Donum*, teste Philosopho, & Sanct. Thoma 1. p. quæst. 38. art. 2. *Datio irreddibilis, quæ non datur intentione retributionis*, sed gratuiti amoris. Vnde primum, quod amato damus, est amor ipse, quo illi bonum volumus. Hinc fit, vt Amor habeat rationem primi doni. Cùm igitur Spiritus sanctus procedat vt Amor, procedit vt primum Donum: proinde rectè ex eo colligimus, Spiritus sancti esse productionem per actum voluntatis.

*Aristoteles. S. Thomas.*

41. Et sanè temeraria est Durandi expositio, asserentis hæc omnia de diuinis personis dici per quandam adaptationem ad ea, quæ inueniuntur in imagine creata: nam ex eo, quòd in imagine creata, quæ procedit per actus naturæ intellectualis, prior est emanatio per intellectum, quàm per voluntatem, fit vt in diuinis Filius, qui procedit prima emanatione, per quandam appropriationem dicatur procedere per modum intellectus: Spiritus verò sanctus, quia procedit secunda emanatione, dicatur procedere per modum voluntatis; cùm reuera vterque procedat ex fœcunditate naturæ, concomitanter tantùm se habentibus intellectu, & voluntate. Hæc, inquam, expositio temeraria est: tum quia est contra Patres, tum quia in re graui absque vrgente necessitate impropriè Scripturã interpretatur; vnde occasionem præbet eodem modo interpretandi ea, quę de diuinis processionibus dicuntur.

42. Secundum fundamentum desumendum est ex discrimine, quod inter processionem Verbi, & Spiritus sancti intercedit. Nam fide certum est, processionem verbi esse generationem; eiusque terminum esse verè & propriè Filium; Spiritus sancti verò productionem nec esse verè & propriè generationem, nec eius terminum esse verè & propriè Filium. Hoc autem discrimen Durandus assignare non poterit: nam si vtraque processio eodem modo ex natura ipsa immediatè proficiscitur, non est potior ratio, cur vna, quàm alia generatio dicatur.

43. Respondet Durandus, ideo secundam personam esse Filiũ, eiusque productionem generationem, non autem tertiam; quia illa procedit per modum naturæ, hæc autem per modum voluntatis. Explicans autem, quid sit, Filium procedere per modum naturæ, Spiritum verò sanctum per modum voluntatis: nempe, quia Filius procedit vnus ab vno, & non à pluribus eiusdem ordinis, & gradus, quorũ quilibet esset per se sufficiens ad totum perfectè producendum. Nam hoc est procedere per modum naturæ in rebus creatis, ad quarum proportionem diuina sunt explicanda. Spiritus sanctus verò, quia procedit à pluribus, nempe à Patre & Filio, quæ sunt principia eiusdem ordinis & gradus, quorum quilibet est per se sufficiens ad totum perfectè producendum, quia non perfectiùs producunt ambo, quàm alteruter per se, propterea dicitur produci per modum voluntatis, non autem naturæ.

44. Sed contrà: tum quia non assignatur formale discrimen inter generationem vnius, & spirationem alterius, nam hæc non sumitur ex vnitate, & multitudine principij materialis, sed vel ex diuerso modo tendendi ad terminum, vel ex diuersa virtute formali productiua; quæ in ipsius sententia sunt eadem in vtraque productione, nempe natura ipsa, idemque modus tendendi ad terminum est in vtraque productione per immediatam emanationem à natura. Tum quia, si vtraque processio immediatè manat à natura, non poterit inter illas ratio prioris, & posterioris assignari; quia cùm vtraque à natura immediatè fluat, nulla maiore conditione ex parte termini, aut naturæ ab vna, quàm ab alia exigita, non erit potior ratio, cur vna persona ab vno, altera verò à duobus principijs producatur. Tum à priori, quoniam ad generationem per se requiritur, vt ad eam concurrat aliquod principium viuens, vt ex eius definitione constat; est enim productio viuentis à viuente à principio coniuncto in similitudinem naturæ.

45. Nec sufficit, vt hoc principium vitæ tantùm materialiter, & per accidens ad generationem concurrat. Nam si homo concurreret ad producendum hominem, & non per proximum principium vitæ, etiamsi alioqui in se viuens sit, quia tamen non concurreret, vt viuens formaliter, non diceretur Pater hominis producti. Constat de Adamo concurrente ad productionem Euæ, cuius genitor non fuit, idque tantùm ex eo, quoniam, & si ad eam producendam materiam subministrauit, quia tamen illam non attigit potentia proxima vitali, sicut attigit productionem Abelis, medio semine à se deciso, quod semen est proxima potentia vitalis, quâ generans attingit genitum in creatis; Deus autem, cùm aliam vitam non habeat, quàm intellectualem, si per eam ad productionem Filij non concurrit formaliter, non concurrit vt viuens formaliter, & per consequens non erit genitor, nec productum genitum; quia non procedit ab illo, vt à principio viuente formaliter, medio proximo principio vitæ. Igitur non tantùm concomitanter, sed formaliter, & per se concurrit Deus per suum intelligere, tanquam per proximũ principium vitę ad generationem Filij.

46. Ad fundamentum Durandi concedo, vim producendi ad intra radicari in fœcunditate naturę, quæ ob sui infinitatem postulat, vt sit in tribus suppositis; proximè ramen fundari in ipso intelligere & velle diuino, quod ob sui fœcunditatem, non solum est actio grammaticalis obiecti; sed etiam principium & communicatio termini. Ad probationem verò antecedentis nego, secundùm eandem proportionem conuenire Deo, & creaturis fœcunditatem producendi

*Durandus.*

ad

ad intra: quia cùm hæc sit propria Dei, quà Deus est, non oportet, vt secundùm eandem proportionem conueniat Deo, & creaturis. Nam neque in sententia Durandi creaturæ spirituali conuenit producere aliam substantiam sibi similem, etiam per actionem naturę.

47. Secundò esto, quòd secundùm eandem proportionem conueniat Deo, & creaturis, haud tamen secundùm eandem proportionem arithmeticam, sed tantùm geometricam: quæ in hoc consistit, quòd sicut creaturæ conuenit productio sui similis, radicaliter quidem à natura, formaliter verò ab aliqua proprietate accidentali: ita Deo producere personam sibi similem radicaliter conuenit ratione naturæ, formaliter verò & proximè ratione intellectionis & volitionis. Quòd autem creaturæ non competat proximè producere sibi simile per intellectum & voluntatem, est ob imperfectionem talium potentiarum, quæ vt creatæ limitantur ad solam actionem grammaticalem obiecti: increatæ verò ob sui perfectionem & fęcunditatem non solùm tendunt ad obiectum actione grammaticali, sed etiam ad terminum actione communicatiua reali. Quare negandum est, quod in hypothesi assumitur, nempe si per impossibile Deus non esset intelligens aut volens, adhuc esset fæcundus & productiuus personarum, defectu proximi principij vitalis.

48. Ad primam confirmationem nego, conditionem actus intelligendi & volendi in diuinis esse oppositam fæcunditati, quidquid sit in creaturis. Vnde falsum est, eos vt præscindentes à creatis, & increatis esse essentialiter infæcundos, sed solùm, vt contractos ad rationem creati: quanquam etiam vt sic non sunt omninò steriles, nam & sunt productiui habituum, & specierum sui. *Aristoteles.* Aristoteles autem loquitur de actibus immanentibus creatis, qui vt tales nec sunt productiui sui obiecti, neque sunt productiui extra principium, in quo sunt. Vnde patet ad primam & secundam probationem minoris. Ad tertiam verò dico, intellectionem & volitionem esse vltimam perfectionem, non simpliciter, sed in ratione perfectionis intentionalis circa obiectum, non autem realis communicationis circa terminum, cui vlteriùs potest se realiter communicare. Ad reliquas instantias patebit ex infra dicendis.

*Exponuntur Patres.* 49. Ad secundam confirmationem respondeo, Patres pro actione naturali non intelligere actionem naturæ, vt condistinctam ab actione intelligibili, sed actionem necessariam, vt condistinctam ab actione contingente, & non assimilatiua naturæ, & principio producenti.

## SECTIO V.

### *Quales sint operationes intellectus & voluntatis, quibus diuinæ Personæ producunt?*

50. Ratio dubitandi oritur ex secundo argumento Durandi. Etenim si diuinę personæ producunt per intelligere & velle, cùm hoc sit commune omnibus personis, omnes personæ producerent. Declarandum igitur est, quale sit illud intelligere in Patre, quo Verbum gignit, quodque non sit in filio, & Spiritu sancto, qui Verbum non gignunt, quamuis idem obiectum intelligant; qualéve sit illud velle in Patre & Filio, quo Spiritum sanctum spirant, quod non sit in Spiritu sancto, qui quamuis idem obiectum diligat, non tamen eandem personam spirat. *Durandus.*

51. Prima sententia est Henrici in summa art. 54. q. 9. & 10. præcipuè ad 2. distinguentis nostro modo concipiendi cum fundamento in re, duos actus essentiales in intellectu Patris, alterum, qui dicitur simplex notitia obiecti; alterum, qui dicitur Verbum, & notitia declaratiua eiusdem obiecti. Per primum actum intellectus Patris constituitur fæcundus, & productiuus secundi actus; qui quatenus est perfecta notitia obiecti, est idem cum primo, de quo formatur, sola relatione producti à principio producente distinctus. Idem docet de voluntate, in qua pariter distinguit simplicem affectum, quo voluntas diuina vt existens in Patre & Filio redditur fæcunda & productiua feruentioris actus amoris, qui est idem cum primo, sola relatione spirati à spirante distinctus. *Henricus.*

52. Fundamentum ipsius est duplex. Primum, quia in nobis distinguitur hic duplex actus, alter, quo intellectus passiuè mouetur ab obiecto, recipiendo in se simplicem notitiam illius; alter, quem ipse in se actiuè producit, vt perfectam notitiam declaratiuam prioris. Item in voluntate simplex distinguitur affectus, quo illa se mouet ad obiectum, & feruens amor, quem, informata priore actu, in seipsa producit. Ergo proportionaliter idem dicendum est in Deo. Nam ex Richardo in ipsa creata natura legimus, quę de natura increata sentire debemus. *Richardus.*

53. Secundum fundamentum est, quia Verbum ex Augustino 15. de Trinit. c. 7. nascitur ex memoria fæcunda intellectus, continente simplicè notitiam obiecti, ratione cuius simplicis notitiæ fit proximè productiua notitiæ perfectè declaratiuę eiusdem obiecti: atqui hoc propriè dicitur Verbum: ergo. *Augustin.*

54. Sed contrà: tum quia sine necessitate iste auctor multiplicat in Deo actus intelligendi,

ligendi, & volendi. Nam licet tales actus in Deo distinctionem admittant ex parte obiectorum, nullam tamen admittere possunt diuersitatem ex parte modi tendendi ad eadem obiecta: quia modus tendendi in Deo semper est inuariabiliter idem, cùm sit infinitus, & ab intrinseco necessarius; nec de imperfectiore tendere potest ad perfectiorem modum tendendi circa idem obiectum. Tum quia hinc sequeretur, tam Patrem producendo Verbum, quàm vtrumque spirando Amorem, perfici in notitia, & amore essentiali: hoc autem est contra Augustinum *Augustin.* 15. de Trinit. cap. 14. & 17. Sequela probatur, nam ante productionem Verbi Pater intelligeretur cum sola simplici notitia suæ essentiæ, absque notitia declaratiua eiusdem; & vterque ante productionem Spiritus sancti cũ solo simplici amore, absque feruenti dilectione essentiali: nam hæc in *Henricus.* sententia Henrici sunt termini, non principia actuum notionalium. Legatur Scotus *Scotus.* in 1. distinct. 2. quæst. 7. §. *ad quæstionem*; vbi fusè hanc sententiam impugnat.

55. Ad primum fundamentum Henrici respondeo; quidquid sit de antecedante, negandam esse consequentiam: quoniam non quidquid reperitur in nostris actibus, attribuendum est Deo, quando illud imperfectionem inuoluit: cuiusmodi sunt simplex notitia & amor obiecti, cùm negatione vlterioris perfectionis debitæ. Ad secundũ neganda est minor: nam principium generatiuum in Patre non est memoria potentialis & imperfecta, qualem ponit Henricus; *Henricus.* sed actualis & perfecta, quæ perfectam includit notitiam obiecti.

56. Secunda sententia est Scoti loco præcitato §. *obijc. contra.* & §. sequente, distinguentis duplicem actũ in intellectu siue memoria Patris, alter est ipsum intelligere Patris, quod illi commune est cum reliquis personis, dicitúrque intelligere essentiale, quod respicit obiectum vt cognitum: alter est *dicere* Patris, quod est proprium ipsius, & respicit terminum formaliter vt productum, dicitúrque intelligere notionale. Portò neuter actus est ab altero, quia nec *dicere* est ab intelligere, nec intelligere à *dicere*, sed vterque immediatè ab intellectu Patris tanquam ab vno communi principio in actu primo constituto per essentiam sibi præsentem in ratione obiecti; licet intelligere præsupponatur ad *dicere*, sicut perfectio suppositi operantis ad productionem suppositi producendi. Nam priùs operans perficit se ipsum, quàm producat aliud à se: cùm igitur intelligere perficiat Patrem in ordine ad se, *dicere* vero in ordine ad alium, intelligere supponitur ad *dicere*, non in ratione principij producentis, sed conditionis, & ordinis operantis ad terminum producibilem. Eodem modo philosophatur quodlibeto 14. §. *hic intelligendum*, de voluntate respectu dilectionis essentialis, quâ omnes diuinæ personæ se diligũt, & notionalis, quâ tertia tantùm spiratur. Eandem sententiam sequitur Mayronus in 1. dist. 32. q. 6. *Mayronus.*

57. Sed contrà: nam ex hac Scoti opinione sequitur, nec Filium esse Verbum Patris, nec Spiritum sanctum esse Amorem vtriusque vi processionis formaliter, sed solùm concomitanter ratione naturæ, quæ illis medijs processionibus communicatur. Sequelam probo, nam actus dicendi in sententia Scoti neque includit notitiam in se, *Scotus.* neque procedit ab illa, vt à principio producente formaliter, sed merè concomitanter, & vt à pura conditione materialiter tantùm præsuppositа in supposito producente. Nam si per impossibile intellectus Patris non supponeretur actu intelligens, adhuc produceret Filium, quia talis productio non pendet ab intellectione Patris, nisi vt à pura conditione, quâ sublatâ, non auferrentur quæ ad productionem Filij formaliter requiruntur. Quod sic probo ad hominem contra Scotum: nam ipse in 2. dist. 1. q. 1. ar. *Scotus.* 3. docet, quotiescunque duo effectus ita ordinatè pendent ab eadem causa, vt neuter tamen pendeat ab altero, si per impossibile tollatur ordo causæ ad vnum, non tolli ordinem causæ ad alium, quoniam essentialior est ordo causæ ad vtrumque, quàm vnius effectus ad alterum: vnde non debet propter minus impossibile cõcedi maius impossibile; aut propter minus necessarium negari magis necessarium. Igitur Filius vi suæ processionis formaliter non procedit in hac sententia Scoti, vt Verbum Patris & notitia genita. Consequentia probatur, nam id tantùm habet terminus vi suæ processionis formaliter, quòd accipit mediâ processione formaliter; cùm enim terminus capiat esse mediâ processione, tanquam via per se ordinata ad communicandum esse termino, id tantùm habet vi suæ processionis formaliter, quòd accipit mediâ suâ processione formaliter. Atqui *dictio*, quâ in sententia Scoti procedit Filius, non includit actualem notitiam Patris, cùm ponatur actus, ratione saltem ab illa distinctus: ergo Filius vi suæ processionis formaliter non procedit, vt Verbum & notitia genita, quoniam hæc sine actuali intellectione concipi nequit, cùm sit ipsa actualis conceptio, actione intelligentis expressa.

58. Tertia sententia affirmat, processiones diuinas esse ipsam intellectionem & volitionem essentialem. Est Aureoli in 1. *Aureolus.* dist. 23, art. 3. Caietani 1. p. q. 27. art. 1 §. *ad* *Caietanus.* *secundam dubitationem*, & quæst. 37. art. 1. Vasquez disp. 112. Torres 1. p. quæst. 27. *Vasquez.* art. 5. disp. vnica, in tertia parte disputa- *Torrez.* tionis, Suarez de Trinit. lib. 1. c. 7. Fun- *Suarez.* damentum est, quoniam in Deo non est duplex intelligere & velle, alterum essentiale, alterum notionale; sed vnum & idem; quod, vt est commune omnibus personis, dicitur essentiale, vt verò est in persona origine priore, dicitur notionale.

59. Pro

Durand. 59. Pro explicatione nota, omnes, excepto Durando, conuenire; processiones diuinas esse per actus intellectus & voluntatis notionales; qui dicuntur *Dicere*, & *Spirare*. Controuersia tantùm est in duobus. Primum est, an *Dicere* & *Spirare* inuoluant formaliter ipsum intelligere & velle essentiale, an tantùm concomitanter? Secundum, an id supra quod intelligere & velle essentiale superaddunt *Dicere*, & *Spirare*, sit aliquid pertinens per se ad intelligere & velle, tanquam modus per se contractiuus generis? Ex quo pendet, an intelligere & velle notionale sit vnum & idem an duplex conceptibile per modum superioris, & inferioris; seu communis, & personalis; ad eum modum, quo concipitur ratio substantiæ communis & particularis.

60. Dico 1. Dicere & Spirare, qui sunt actus proprij personarum producentium, & productarum, includunt formaliter, & non tantùm concomitanter, intelligere & velle
Caietanus. essentiale. Est Caietani loco suprà citato, q.
S. Thomas. 27. qui ex S. Thom. docet, *Dicere* esse intelligere exprimendo, vel exprimere intelligendo, *ita vt vtrumque horum*, inquit, *sit de*
Molina. *ratione eius*. Contra Molinam 1. p. q. 27. art. 5. di. 2. Qui vult, intelligere & velle includi tantùm præsuppositiuè & in obliquo, non autem formaliter & in recto in ipso *Dicere* & *Spirare*. Assertio constat primò argumento
Scotus. secundo facto contra Scot. Nam alias Filius vi suæ processionis formalis non procederet vt *Verbum*; nec Spiritus sanctus vt *Amor*.

61. Secvndò probatur eadem assertio à priori: quoniam diuinæ processiones non modò sunt actiuę, atque passiuæ productiones personarum, sed etiam actiuę, atq; passiuæ communicationes naturæ, actuumq; essentialium: sed vt tales essentialiter inuoluunt intelligere, & velle essentiale: ergo. Maior patet, quoniam processio debet adæquare terminum procedentem, quia, debet illum adæquatè attingere: sed persona procedens non solùm dicit personalitatem, quæ producitur, sed etiam naturam, quæ communicatur: ergo processio diuina non solùm est productio personæ, sed etiam communicatio naturæ. Minor primi Syllogismi probatur, quoniam processio debet continere in fieri, quicquid continet terminus in facto esse; cùm enim quicquid habet terminus, habeat vi suæ processionis, nihil potest esse in termino producto, quod non præfuerit in eius produci: sed terminus productus non solùm continet hypostasim productam, sed etiam intelligere, & velle communicatum; ergo & eius processio non solùm continet hypostasim in fieri, sed etiam intelligere, & velle in communicari.

62. Dico 2. Id quod supra intelligere & velle essentiale addit Dicere, & Spirare, non pertinet ad intelligere & velle formaliter, tanquam differentia contractiua generis,
Alensis, Aureolus. sed tanquam modus alterius rationis. Est Alensis 1. p. quæstio. 42. memb. 2. Aureoli, Molinæ, Vasquez, Suarez præcitatorum. Probatur 1. ab absurdo, quia si id, quod supra intelligere & velle essentiale addit *Dicere* & *Spirare*, per se pertineret ad intelligere & velle, tâquam differentia intra idem genus, aliquod intelligere esset in Patre & Filio, quod non esset in Spiritu sancto. Consequens est absurdum: ergo & antecedens. Sequela maioris constat, nam in Patre & Filio esset intelligere notionale, quod supra commune & essentiale addit actiuum *Dicere* Patris, & passiuum *Dici* Filij, quod non communicatur Spiritui sancto, quia notionale vnius personæ non communicatur alteri. Absurditas consequentis ostenditur, quia cùm omne intelligere essentialiter respiciat aliquod obiectum; est enim intelligere rem aliquam cognoscere; aliquod obiectum intelligerent Pater & Filius, quod non intelligeret Spiritus sanctus.

Molina. Vasquez. Suarez.

63. Secvndò probatur eadem assertio à priori. Id quod supra intelligere & velle essentiale addit intelligere & velle notionale, est sola relatio producentis in principio, & relatio producti in termino; sed neutra pertinet ad intelligere & velle formaliter: ergo. Maior constat, nam quod addit intelligere & velle notionale supra essentiale, distinguit formaliter personam producentem à producta: sed quod formaliter distinguit personam producentem à producta, est sola relatio producentis & producti. Minor prioris Syllogismi probatur, quia relatio producentis & producti est de genere actionis physicę, quæ respicit terminum vt productum; intelligere autem & velle est de genere operationis intentionalis, quæ respicit obiectum vt cognitum, & amatum; vnde prior actio transit à principio in terminum distinctum, quia perficit agens in ordine ad aliud, posterior verò manet in ipso principio cognoscente & amante, quia perficit operans in ordine ad se. Confirmatur, nam hypostasis Filij & Spiritus sancti non superaddit naturæ communi, nisi solam relationem filiationis, & spirationis in facto esse: ergo nec *Dictio* & *Spiratio*, quæ sunt eædem relationes in produci, superaddunt intellectioni & volitioni communi, nisi solam relationem filiationis & spirationis in produci.

64. Dices. Verè Filius Dei est Sapientia genita de Sapientia generante: ergo quod addit Filius supra intelligere essentiale, est aliquid pertinens formaliter ad intelligere, alioqui non posset ab illo denominari sapientia formaliter. Respondeo, dici Filium Sapientiam genitam non ab aliqua sapientia producta, neque ab ipsa hypostasi genita precisè, quia illa non est præcisè sapientia, quamuis sapientiam essentialiter includat; sed à sapientia improducta sibi communicata media generatione personæ. Vnde sapientia extrinsecè tantùm & denominatiuè dicitur genita ab ipsa generatione hypostasis, cui vi processionis formaliter communicatur Sapientia.

65. Ex his constat, quo pacto *Dicere* se habeat ad intelligere; habet enim se vt inferius ad superius, non quidem eiusdem, sed diuersę rationis. Nam *Dicere* in suo obiectiuo conceptu includit intelligere, non contrà: includit autem illud, non vt ratio specifica genericam, sed vt relatio producentis principium proximum communicatiuum: idem enim intelligere essentiale, vt coniunctum cum paternitate est generatiuum Verbi: idem velle essentiale, vt coniunctum cum relatione spiratoris est productiuum Amoris notionalis.

*Durand.* 66. Vnde ad argumentum Durandi concedo, idem intelligere & velle essentiale esse in omnibus personis, non tamen in omnibus personis esse productiuum, quia non in qualibet persona reperitur cum proprietate productiua coniunctum. Quod idem dicere debet Durandus de natura ipsa diuina, quæ non cum qualibet persona constituit principium productiuum, esto in qualibet persona reperiatur, quia nimirum non in qualibet persona reperitur coniuncta cum proprietate productiua.

*Augustinus.* 67. *Obijcies.* Pater seipsum *Dicit*, auctore August. 15. de Trinit. c. 14. Et tamen non se ipsum generat. Ergo *Dicere* non est idem quod generare. Respondeo. Pater seipsum *Dicit* vt obiectum cognitum & repræsentatum per Verbum, non autem se ipsum *Dicit* vt terminum productum. Verbum verò non solũ Pater *dicit* vt obiectũ cognitũ, sed etiam vt terminum productum. *Dicere* enim duplicem importat respectum, alterum ad Verbum productum, alterum ad obiectum repræsentatum; quatenus refertur ad Verbum productum, est notionale & proprium Patris; quatenus refertur ad obiectum repręsentatum, est essentiale & commune omnibus personis. Vnde Pater *Dicit* seipsum & creaturas, quatenus se ipsum & creaturas intelligit intellectione terminata relatione Verbi à se producti: reliquæ verò personæ *Dicunt*, non Verbum producendo, sed obiectum Verbo expressum cognoscendo.

68. Eodem modo intelligenda est illa propositio, *Pater & Filius diligunt se Spiritu Sancto.* Quia verbum (*Diligo*) notionaliter acceptum, præter respectum ad terminum productum, importat etiam ordinem ad obiectum dilectum. Quando autem in actione, præter respectum ad terminum, importatur ordo ad aliquid aliud, potest fieri denominatio à termino producto in casu effectiuo. Vnde rectè dicimus, *Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto*, quia sensus est, Pater & Filius sunt obiectum Amoris essentialis, qui includitur in ipso amore notionali. Contrà verò non rectè dicimus, Pater & Filius spirant se spiritu sancto: quia Verbum *Spirare*, præter ordinem ad terminum, ad nihil aliud respectum importat. Sicut nec rectè dicitur Pater gignit se Verbo; bene tamen intelligit, aut dicit se Verbo: quia verbum *Gignere* non importat, nisi solum respectum ad terminum: *Intelligere* autem & *Dicere*, præter respectum ad terminum significant etiam ordinem ad obiectum. Hoc autem intelligendum est, quando denominatio fit in genere causæ efficientis, vel quasi efficientis, non autem quando fit in genere causæ formalis, vel quasi formalis. Vnde non rectè dicitur. *Pater est sapiens sapientia genita*: quia talis denominatio fit à forma, vel quasi forma formaliter; non autem effectiuè existente in subiecto denominato. Vnde hanc propositionem, quam aliquando concessit Augustinus libr. 83. quæstio. q. 23. postea retractauit libr. 1. retractationum cap. 26. *Augustin.* Dubitari autem posset, an concedenda sit hæc propositio, *Pater sapit sapientia genita*. Negant aliqui. Affirmant alij: quibus ego assentior: quia verbum *Sapere* idem sonat quod intelligere. Vnde non fit denominatio in genere causæ formalis à termino producto, sed efficientis, vel quasi efficientis, sumpto *Sapere* notionaliter.

## SECTIO VI.

### *Sub qua ratione actus intrlligendi & volendi requirantur ad Processiones diuinas?*

69. HACTENVS contra Durandum probauimus, actus essentiales intelligendi & volendi esse per se requisitos ad processiones diuinas; nondum autem definiuimus, sub qua ratione præcisè ad illas requirantur, quam difficultatem vrget Durandus in prima confirmatione sectionis quartæ: quia cùm nequeant comparari ad illas neque vt principia; neque vt productiones, nullo modo videntur per se ad illas requiri. Ex quo concludit, processiones diuinas non esse operationes intellectus & voluntatis, sed naturæ. Quoniam verò ex decisione huius difficultatis multa pendent, non minùs apud Doctores controuersa, quàm ad intelligentiam huius mysterij apprimè necessaria, ex professo illam discutiendam putaui. Pro qua,

70. Nota quinque modis posse actus essentiales intelligendi & volendi ad diuinas processiones requiri: Primo merè concomitanter & quasi per accidens, vt Durandus putauit. Nam etiamsi tales actus in Deo non essent, adhuc in sententia Durandi in Deo futuræ fuissent processiones Verbi, & Spiritus Sancti. Non multum ab hac opinione Durandi differt Scotus, *Durand. Scotus.* qui, vt sectione præcedente vidimus, arbitratur actus intelligendi & volendi non requiri ad processiones Verbi & Spiritus sancti formaliter, sed tantùm præsuppositiuè, quatenus naturæ ordine principium productiuum priùs exigit perficere seipsum operatione immanente, quàm producere

aliud

aliud actione transeunte. Vnde prius est operans, quàm producens: est enim operans per actionem immanentem; est autem producens per actionem transeuntem. Quia igitur æternus Parens priùs naturæ ordine exigit perficere se ipsum immanenter per actum intelligendi essentialem, quàm producere Filium per actum transeuntem notionalem: consimiliter, quia Pater & Filius priùs exigunt perficere se ipsos immanenter actu diligendi essentiali, quàm producere Spiritum Sanctum actu transeunte notionali; ideo actus intelligendi & volendi essentiales præsupponuntur tantùm, non includuntur in actibus ipsis producendi notionalibus. Ad eandem sententiam accedit Ludouicus Molina 1. p. quæstione 27. articul. 5. Disput. 2. Vbi docet, actus notionales in obliquo tantùm, & præsuppositiuè connotare actus essentiales. *Molina.*

71. Secundò requiri possunt, vt proxima tantùm principia, quibus personæ diuinæ producunt, non autem vt actuales productiones, vel actiuæ principiorum producentium, vel passiuæ terminorum procedentium.

72. Tertiò vt actuales tantùm origines & productiones tam actiuæ personarum producentium, quàm passiuæ personarum procedentium.

73. Quartò requiri possunt, & vt proxima principia producendi, & simul etiam vt actuales productiones.

74. Quintò solum requiri possunt, vt actuales communicationes naturæ, & ipsiusmet intellectionis & volitionis Diuinæ. Excluso ergo primo modo contra Durandum & Scotum, præsentem controuersiam discutiemus quoad reliquos quatuor modos. *Durand. Scotus.*

75. Prima igitur sententia docet, actus essentiales intelligendi & volendi requiri solùm, vt proxima principia producendi, non vt actuales productiones diuinarum personarum. Est Suarez lib. 1. de Trinit. cap. 9. & lib. 6. cap. 1. quæ quoad priorem partem asseritur etiam ab Henrico in summa, articulo 54. q. 10. ad 2. & quodlib. 6. q. 1. Fundamentum prioris assertionis est, quia proximum principium, quo diuinæ personæ producunt, non est perfectio aliqua relatiua, saltem sola, vt Henricus censet, sed necessariò debet esse perfectio aliqua absoluta; atqui hæc alia esse non potest, quàm actus ipse intelligendi in Patre respectu productionis Filij, & actus diligendi in Patre & Filio respectu productionis Spiritus sancti. Maior probatur, tum quia relatio non est actiua, tum maximè, quia principium productiuum est, quo producens sibi assimilat productum: Sed æternus Parens non assimilat sibi Filium, sicut nec parens & Filius Spiritum Sanctum in perfectione relatiua, cùm potiùs in ea Filius & Spiritus Sanctus procedant, vt personæ dissimiles & diuersæ à personis producentibus; sed in perfectionibus absolutis: ergo. Minor primi Syllogismi probatur, nam proximum principium producendi, est quo producens proximè sibi assimilat productum: sed Pater proximè sibi assimilat Filium per actum intelligendi; quemadmodum Pater & Filius Spiritum Sanctum per actum diligendi. Nam Filius procedit, vt Verbum Patris, Spiritus verò sanctus, vt Amor vtriusque: Verbum autem & Amor sunt proximi & formales termini intellectionis & volitionis. *Suarez. Henricus.*

76 Fundamentum posterioris assertionis est, quia in Deo productio actiua adæquatè distinguitur à passiua; non posset autem adæquatè distingui, si in suo conceptu formali includeret actum essentialem, quia tunc ratione actus essentialis, qui formaliter includeretur in vtraque productione, non posset vna adæquatè distingui ab alia. Maior probatur, nam productio actiua adæquatè identificatur cum principio producendi, quemadmodum & passiua cum termino producto; nam per eas formaliter & adæquatè distinguitur in diuinis persona producens à producta, cùm nil aliud sit productio passiua in diuinis, quàm persona ipsa in produci: sicut & actiua nil aliud est, quàm persona ipsa in producere.

77. Secunda sententia negat, actus essentiales intelligendi & volendi requiri, vt proxima principia producendi, sed solùm vt actiones, formaliter inclusas in ipsis actibus notionalibus, tam actiuis principiorum producentium, quàm passiuis terminorum procedentium. Est Torrez q. 27. articulo 5. Disput. vnica, in secunda parte Disputationis, Vasquez Disput. 112. cap. 3. iunctis ijs, quæ docet Disput. 111. in fine. Fundamentum est, quia principia proxima producendi Verbum & Spiritum sanctum non sunt intelligere & velle, sed intellectus & voluntas. Ergo intelligere & velle non sunt proxima principia producendi, sed actuales tantùm productiones. Consequentia quoad posteriorem partem constat, quia, cùm suprà contra Durandum probatum sit, intelligere & velle per se requiri ad productionem Verbi & Spiritus sancti, si non requiruntur, vt principia proxima producendi; necessariò requirentur, vt actuales productiones, cùm non sit assignabilis alius modus, quo illi per se requiri possint. Quoàd priorem verò probatur, quia proximum principium debet esse vnum; ergo si illud est intellectus & voluntas, non possunt simul esse intellectio & volitio. Antecedens ostendo, nam illi potiùs tribuenda est productio, quod habet rationem potentiæ, non autem quod habet rationem actus. Cùm igitur intellectus & voluntas habeant rationem potentiæ, intellectio verò & volitio rationem actus, intellectui potiùs & voluntati, quàm intellectioni & volitioni tribuenda est productio. *Torrez. Vasquez.*

78. Tertia sententia affirmat, intellectionem & volitionem essentiales exercere *Durand.*

vtrumq; munus respectu diuinarum processionum,& proximi principij producendi, & actualis productionis personarum. Est Didaci Ruiz de Trinit. Disp. 2. sect. vltima, & Disp. 59. sec. 5. fundamentum est, quia non repugnat, vt eadem perfectio in Diuinis secundùm varias ac diuersas formalitates, quasi partiales & inadæquatas, sustineat varia ac diuersa munia: quemadmodum eadem paternitas & constituit Patrem in ratione primæ personę incommunicabilis, & reddit illum fœcundum ad generandum; & tribuit illi actualem generationem; & simul actu refert illum ad Filium. *Ruiz.*

79. Verùm omnes prædictæ sententiæ hoc vnico efficacissimo,mea opinione, argumento refutantur. Quia implicat in diuinis principium producendi *Quo*, siue adæquatum, siue inadæquatum esse aliquid absolutum. Atqui omnes præcitatæ sententiæ docent,proximum principium producendi *Quo* siue adæquatum siue inadæquatum esse aliquid absolutum. Nam prima & tertia id expressè affirmat. Secunda implicitè supponit, actus notionales intrinsecè includentes essentiales originari ab intellectu & voluntate, quæ sunt perfectiones absolutę. Minorem sic demonstro. Principium producendi *Quo* est ipsum formale principium,à quo realiter emanat actio productiua termini; implicat autem, actionem realiter emanare à principio,& ab eo realiter non distingui. Igitur implicat,principium producendi *Quo*, in diuinis, esse aliquid absolutum. Maior est ipsa descriptio principij *Quo*, ab omnibus admissa,quam ampliùs sic explico. Duplex solet distingui principium respectu termini producendi,alterum *Quo*, alterum *Quod*. Cęterum quod realiter ac per se influit in terminum, non est principium *Quod*, sed tantùm principium *Quo*. Principium enim *Quod*,solum est principium denominationis, quatenus denominatur influere ab ipso principio *Quo*. Vnde actio realiter tantù manat à principio *Quo*. Hac igitur communi doctrina posita, sic euidenter ostendo minorem. Actio realis nil aliud est, quàm realis egressio termini à principio, in quo tantùm potentia & virtute continetur. Implicat autem, concipere realem egressum termini à principio, à quo proximè manat, & ab illo realiter non distingui: nam quatenus est realis egressus termini à virtute productiua, debet realiter esse extra illam: quatenus verò realiter non distingueretur ab illa, non posset esse extra illam; cùm nihil possit esse realiter extra id,à quo realiter non distinguitur;atq;adeò idem esset, & non esset realiter extra principium, à quo realiter emanaret. Cùm igitur in diuinis terminus productus à nulla perfectione absoluta distinguatur, sed eas omnes formaliter includat, sibiq; identificet; implicat, vt verè & realiter producatur ab aliqua perfectione absoluta, tanquam à principio proximè influente.

80. Confirmatur 1. nam ideo nequeunt intellectio & volitio essentiales dici reales actiones respectu intellectus & voluntatis diuinæ, quia ab illis non distinguuntur realiter: ergo nec possunt esse, aut dici reales processiones Filij & Spiritus Sancti, si realiter non distinguuntur à principijs, à quibus proximè emanant. Nec satisfacies, dicendo sufficere, vt realiter tantùm distinguantur à principio *Quod*, tum quia ab illo debent realiter distingui, à quo realiter emanant, nam ab illo debent realiter distingui, à quo realiter egrediuntur; nam realis distinctio producti à producente immediatè fundatur in ipso reali egressu termini à principio producente; cùm non possit id, quod realiter egreditur per verum influxum ab alio, esse idem realiter cum illo, secundùm eam virtutem & formalitatem, qua realiter ab illo egreditur. Cùm igitur personæ diuinæ verè & realiter emanent à solo principio *Quo*, non autem à principio *Quod*, nisi tantùm denominatiuè, & ratione ipsius principij *Quo*, ab illo debent potissimùm distingui. Tum quia in tantum principium *Quod*, distinguitur à termino producto, in quantum illud realiter producit, cùm non possit producens & productum simul identificari: sed principium *Quod*, non producit realiter terminum ratione sui, sed ratione principij *Quo*; ergo si debet terminus productus realiter distingui à principio *Quod*, à fortiori distingui debet ab ipso principio *Quo*, ratione cuius ipsum principium *Quod*, realiter distinguitur à termino producto.

81. Confirmatur 2. quia si principium proximè productiuum *Quo*, esset sola perfectio absoluta, vt plerique ex citatis auctoribus docent, sequeretur, relationes diuinas non distingui proximè & formaliter ratione originis, sed ex se ipsis, independenter ab origine; quod est contra Concilia & Patres. Sequela probatur, nam si sola perfectio absoluta esset ratio producendi; igitur perfectio relatiua non producit intrinsecè & formaliter, sed tantùm extrinsecè & denominatiuè: igitur non poterit proximè & formaliter ab opposita correlatione distingui per originem, sed per se ipsam independenter ab origine. Vnde sequeretur, quòd si per impossibile Paternitas non includeret à parte rei naturam, & reliquas perfectiones absolutas, adhuc realiter distingueretur à filiatione: & è conuerso, si natura non includeret à parte rei paternitatem, adhuc posset producere filiationem indistinctam à se, non secus, ac modò producit, quia per mutuam inclusionem, vel exclusionem non variarentur intrinsecè & formaliter istæ perfectiones in Deo. Ergo si de facto paternitas per solam inclusionem naturæ, quæ tantùm est proximum principium producendi filiationem, realiter distinguitur à filiatione; & è contrà; si natura per solam inclusionem paternitatis, quæ nullo modo ipsa producit,

est

est proximum principium producendi filiationem indistinctam à se, etiam in casu, quo istæ perfectiones non se mutuo includerent, & paternitas distingueretur à filiatione, & natura esset proximum principium producendi filiationem indistinctam à se.

*Durand.*

82. QVARTA sententia docet, actus intelligendi & volendi solùm requiri ad diuinas processiones, vt immediatas & proximas communicationes naturæ. Est aliquorum apud Durandum in 1. Dist. 7. q. 2. num. 18. & sequitur ex eorum sententia, qui nobiscum sentiunt, vt infrà videbimus, principium productiuum *Quo* in diuinis non esse perfectionem absolutam, sed respectiuam. Hæc sententia vt intelligibilior, & ad præsentis mysterij altitudinem explicandam aptior nobis sequenda est. Cuius potissimum fundamentum est, quod contra præcedentes sententias fecimus, quia nimirum alioqui non saluaretur realis distinctio inter proximum principium productiuum, & terminum ipsum productum.

83. SECVNDÒ probatur eadem sententia à priori. Etenim quodlibet principium productiuum essentialiter habet duo, & vt terminum aliquo modo sibi assimilet, & vt ab illo realiter distinguatur. Primum fundatur super illud axioma: *Omne agens agit vt assimilet sibi passum*: Secundum suprà illud principium lumine naturæ notum: *Idem non potest se ipsum producere, sed necessariò inter ipsum & productum intercedere debet realis distinctio.* Sed infinitum producens, qualis est Deus respectu productionis ad intra, postulat cum reali distinctione producti infinitam assimilationem termini producti: non potest autem cum reali distinctione producti infinitam habere assimilationem termini producti, nisi pro principio communicatiuo habeat naturam cum omnibus perfectionibus absolutis: pro productiuo verò solã proprietatem relatiuam: igitur actus intelligendi & volendi, qui spectant ad perfectiones absolutas naturæ, non possunt esse proximum principium producendi, sed tantùm proximę communicationes naturæ. Minor assumpta constat, sub-sumpta probatur, quia nisi Deus pro principio communicatiuo habeat naturam cum omnibus perfectionibus absolutis, solamq; proprietatem relatiuam pro principio productiuo *Quo*, non poterit termino producto communicare eandem numero naturam cum omnibus perfectionibus absolutis, cùm implicet principium producens identificari realiter cum producto, & quidem secundùm eam potissimum formalitatem, qua proximè & immediatè influit in productum: quia secundùm eam potissimum formalitatem debet producens manere distinctum à producto, à qua proximè & immediatè productum manat, & egreditur à producente; cùm implicet realis egressus sui à se ipso. Non implicat autem, vt principium communicatiuum sit idem cum communicato; quia de ratione communicantis non est, vt maneat distinctum à communicato, cùm possit eadem numero perfectio communicari alteri, & simul manere in ipso communicante: vt eadem numero anima rationalis communicatur nouæ parti materiæ per nutritionem acquisitæ, & simul manet cum alijs partibus præcedentis materiæ. Cuius discriminis ratio est, quia communicatio fit in genere causæ formalis, vel quasi formalis, in quo genere causæ idem est communicans & communicatum: productio verò fit in genere causæ efficientis seu originantis, in quo semper originans & originatum distinguuntur realiter. Quod autem debeat Deus pro principio productiuo *Quo* habere solam proprietatem relatiuam, probatur: quia id tantùm debet habere pro principio productiuo *Quo*, per quod realiter distinguitur à termino producto: per solam autem proprietatem relatiuam distinguitur *in* Deo principium producens à termino producto: ergo eam tantùm habere debet pro principio productiuo *Quo*.

84. Confirmatur, quia in diuinis debet cum summa communicatione saluari minima distinctio, quæ esse potest: hæc autem saluari non potest, nisi principium productiuum *Quo* sit sola proprietas relatiua. Minor constat ex dictis. Maior probatur, quia communicatio in suo conceptu quidditatiuo importat vnitatem, distinctio verò diuersitatem. Maior autem perfectio est vnitas, quàm diuersitas, quia vnitas magis recedit à limitatione & accedit ad illimitationem: diuersitas contrà magis accedit ad limitationem & recedit ab illimitatione; vnde quò creaturæ sunt perfectiores, eò minorem habent diuersitatem, & maiorem vnitatem in suis perfectionibus. Ergo vnitas in Deo ente summè perfecto poni debet maxima; distinctio verò minima, quæ esse potest: non potest autem maior vnitas excogitari, quàm communicatio eiusdem numero naturæ cum omnibus suis perfectionibus absolutis, per omnimodam consubstantialitatem personæ producentis & productæ; nec minor distinctio, quàm per relatiuam oppositionem producentis & producti, cùm per minorem saluari nequeat quidditas processionis realis.

*Durand.*

85. Sed obijcit Durandus. In diuinis communicatio naturę non distinguitur à productione personæ: ergo neq; principium communicatiuum distinguitur à principio productiuo. Consequentia probatur, quia vnius actionis vnum debet esse principium. Antecedens declaratur, nam productio personæ, & communicatio naturæ non sunt duæ, sed vna actio, cùm in Deo non sint, nisi duæ processiones, generatio quâ gignitur Verbum, & spiratio quâ spiratur Amor. Respondeo distinguendo antecedens: communicatio non distinguitur à productione realiter, tanquam actio realiter distincta, vel ab ipsa productione

ductione actiua personæ producentis, vel à passiua processione personæ procedentis, & concedo: non distinguitur ratione saltem inadæquata; & nego. Eadem quippe actiua productio est realis influxus personæ producentis in personam productam, ab eaq; realiter distinctus, & simul actiua communicatio naturæ eiusdem personæ producentis in personam productam, sola ratione à producente & producto distincta. Consimiliter eadem passiua productio est realis influxus personę productæ à producente, ab eaque realiter distinctus, & simul passiua communicatio naturæ personæ productæ à producente, sola ratione à producente & producta distincta.

86. Quare fundamentaliter nec actiua communicatio naturę distinguitur ab actiua productione personæ producentis, nec passiua communicatio eiusdem naturæ à passiua processione personæ procedentis, cùm tam actiuam productionem personæ producentis, quàm passiuam processionem personæ procedentis essentialiter comitetur vtraque communicatio & actiua personę producentis, & passiua personæ procedentis: ratione tamen inadæquata tam actiua communicatio naturæ distinguitur ab actiua productione personæ producentis, quàm passiua communicatio naturæ à passiua processione personæ productę. Nam communicatio pro formali termino habet naturam, productio verò hypostasim. Præterea productio est actio realis, non item communicatio, vt à productione condistincta. Communicatio subsequitur, non antecedit productionem, priùs enim ratione producitur terminus, quàm ei communicetur natura, nam communicatio supponit id, cui facienda est communicatio.

87. Eodem modo Philosophandum est de principio productiuo & communicatiuo. Etenim concedendum est, principium productiuum esse idem realiter cum communicatiuo, distingui tamen ratione saltem inadæquata ab illo. Pro cuius intelligentia, distinguendum est in Deo duplex illud principium, productiuũ, *Quo*, & *Quod*. Principium productiuum *Quo*, est ipsa proprietas relatiua: principium verò productiuum *Quod*, est persona constituta ex proprietate relatiua, tanquam ex ratione proxima producendi, & natura tanquã ex principio communicatiuo. Quod adhuc subdistinguendum est in principium communicatiuum proximum, quod in Patre est actualis intellectio, in Spiratore actualis volitio, & in principium communicatiuum remotum, quod in vtroque est natura diuina, vt essentialiter inclusa in vtraque ratione proximè communicatiua.

88. *Obij.* 2. Patres affirmantes, principium productiuum *Quo* esse naturam Diuinam. Respondeo, Patres intelligi de principio *Quo* denominationis, non autem productionis formalis. Nam sicut in sententia aduersariorum proprietas relatiua dicitur principium productiuum, non formaliter, sed denominatiuè, quatenus integrat ipsum principium productiuum *Quod*: ita in nostra sententia, natura dicitur principium productiuum denominatiuè ab ipsa proprietate relatiua, cum qua integrat vnum principium productiuum *Quod*.

89. *Obij.* 3. Quia non videtur Filius procedere vt Verbum, nec Spiritus S. vt Amor, cùm in nostra sententia nec Filius procedat vt terminus intellectionis, nec Spiritus S. vt terminus volitionis; quia nec ille producitur per intellectionem, nec iste per volitionem, sed vterq; per proprietatem relatiuam, quæ nec est intellectio, nec volitio formaliter. Respondeo, vt Filius procedat vt Verbum Patris & terminus intellectionis Paternæ, Spiritus verò sanctus vt Amor & terminus volitionis Patris & Filij, non esse necessarium, vt procedant ab intellectione & volitione, tanquàm à principio proximè producente, sed sat esse, si procedant per talem proprietatem, quæ essentialiter includat intellectionem & volitionem, vt proximum principium communicandi. Nam vt ille procedat vt Verbum, hic verò vt Amor, nil aliud requiritur, quàm vt ex vi suæ formalis originis ille accipiat intellectionem, hic verò volitionem: atqui hoc ipso, quòd Filius procedit per Paternitatem proximè & immediatè afficientem intellectionem, Spiritus verò Sanctus per Spirationem proximè & immediatè afficientem volitionem, tanquam proximum principium cõmunicandi, ille vi suę processionis accipit intellectionem, hic verò volitionem: ergo. Maior patet. Minor probatur, nam integrum principium productiuũ essentialiter constituitur ex principio communicatiuo, & proximè productiuo: ergo & ipsa productio integrè accepta, vt via ad terminum productum essentialiter includit & rationem communicationis, & rationem proximæ productionis: atq; adeo terminus ipse productus vi suæ originis formalis non solùm accipit hypostasim, sed etiam intellectionem, & volitionem, ijsque mediantibus totam naturam.

90. Quòd autem tam paternitas immediatè afficiat intellectionem, tanquam proximam rationem communicandi, quàm spiratio volitionem probatur: quia paternitas est prima proprietas personalis naturæ diuinæ, atq; adeo per se postulat immediatè afficere naturam secundùm eam perfectionem & formalitatem, secundùm quàm est priùs ratione communicabilis: hæc autem, vt patet, est intellectio, quæ ratione præcedit volitionem. Spiratio verò est secunda proprietas competens naturæ Diuinæ, supponens illam constitutam per primam proprietatem personalem proximè fœcundam ad producendum, & se ipsam communicandam per primam perfectionem & proprietatem intellectionis: igitur ex natura sua immediatè petit afficere volitionem, quæ intellectionem supponit, & est secunda perfectio, &

formalitas,

formalitas, per quam natura diuina ad intra se communicat.

91. Confir. Nam etiam per aduersarios Filius & Spiritus S. non accipiunt intellectionem & volitionem, nisi via communicationis; siquidem non accipiunt illas vt distinctas à principio productiuo: quidquid autem persona producta non accipit vt distinctum à persona producente, accipit per communicationem, non per productionem, quia productio formaliter tendit ad distinctum, communicatio verò ad idem.

92. *Obij.* 4. Non videtur maior ratio, cur Filio vi originis formaliter cum intellectione communicetur natura, & cum eadem natura non communicetur etiam volitio, cùm non minùs volitio, quàm intellectio identificetur cum natura. Respondeo maiorem rationem esse, quia id tantùm per se formaliter cõmunicatur cum proximo principio communicatiuo, quod per se & formaliter in eo includitur: atqui cum intellectione & volitione sola natura per se & formaliter includitur: ergo ea tantùm vi originis formaliter vtriq; personæ cum proximo principio communicatiuo communicatur. Maior cum consequentia patet. Minorem ostendo, nam id tantùm per se & formaliter includitur in intellectione & volitione, quod formaliter & per se cõplet principium ipsum intellectionis & volitionis: sola autẽ natura id præstat; nam sola natura, tanquam principium vitale principale simul cum intellectu & voluntate per se immediatè complet principium ipsum intellectionis & volitionis. Etenim, vt ex Philosophia suppono, ad actum vitalem non solùm proximè concurrit potentia vitalis, sed substantia & natura ipsa viuentis; ergo ad completum principium vitale intellectionis & volitionis diuinæ proximè & immediatè concurrit natura ipsa diuina. Cæterum, quia intellectio & volitio spectant ad diuersos modos operandi, neutra formaliter & per se includitur in alia, vt complementum eiusdem principij operatiui, ac proinde solùm concomitanter communicatur cum natura diuina.

93. Ad fundamentum primę sententiæ, neganda est maior. Ad priorem probationem, concedo assumptum de relatione prædicamentali, quæ est purus respectus ad terminum: nego de transcendentali, quæ, vt inductione constat etiam in rebus creatis, actiua est. Relatio autem, quæ in Deo ponitur productiua, non est prædicamentalis, sed transcendentalis. Ad posteriorem dico, maiorem esse veram de principio productiuo quoad rationem formalem communicandi, quæ essentialiter supponit principium ipsum productiuũ, non autem quoad rationem formalem producendi. Cuius ratio à priori est, quia principium communicatiuum suapte natura vnit communicantem cum termino communicato, nam idem formaliter, quod communicatur termino, manet in principio ipso cõmunicante aut specie, vt in rebus creatis, aut numero, vt in diuinis. Productiuum verò distinguit & quasi separat producentem à producto, nam id, quod datur producto, non manet formaliter, sed tantùm virtute in producente. Igitur principium productiuum non assimilat sibi productum formaliter ratione productionis, sed ratione communicationis, quam vnumquodque principium productiuum tam creatum, quàm increatum in suo ordine essentialiter includit.

94. Ad rationes autem reliquarum sententiarum, quatenus faciunt contra nos, patet ex dictis.

95. Ex quibus etiam constat, an saltem dicendum sit actus essentiales intelligendi & volendi esse actuales productiones tam actiuas principiorum producentium, quàm passiuas terminorum procedentium. Etenim sicut in principio productiuo distinximus principium proximè communicatiuum, & principium proximè productiuum, nec non ipsum integrum & totale principium productiuum *Quod*: ita in productionibus ipsis proportionaliter distinguenda sunt hæc tria, actualis communicatio tam actiua in principio communicante, quàm passiua in termino cõmunicato, quę est ipsa intellectio & volitio essentialis; vt ratione præcisa ab ipsa productione tum actiua hypostasis producentis, tum passiua hypostasis productæ; & actualis productio, quę est ipse actus notionalis, consideratus secundùm præcisam formalitatem productionis, siue hypostasis producẽtis, siue hypostasis productæ; & integra processio, quæ vtramq; rationem formalem includit, actualem scilicet communicationem naturæ & formalem productionem hypostasis, quæ dicitur origo tam actiua personæ producentis, quàm passiua personæ productæ.

## SECTIO VII.

### *An sola processio Verbi in Diuinis sit generatio?*

96. Ratio dubitandi est, quia perfecta generatio, de qua hîc disputamus, est, vt Theologi ex Aristotele definiunt, *Origo viuentis à viuente, à principio coniũcto in similitudinem naturę.* At non solùm Verbum, sed etiam Spiritus Sanctus procedit viuens à Patre & Filio perfectè viuentibus per actum voluntatis, qui in Deo est vita ipsa per essentiam, à principio coniuncto, ipsique intimè communicato in similitudinem eiusdem numero naturæ cum Patre & Filio producentibus. Igitur non solùm processio Verbi, sed etiam Spiritus Sancti est generatio. Vnde Ariani consubstantialitatem Diuinarum personarum negantes, hoc argumento Catholicos vrgebant. Si spiritus sanctus procedit eiusdem naturæ cum Patre, aut procedit à solo Patre, & sic est Filius Patris, & Frater Filij; aut à solo Filio, & sic est Filius Filij, & Patris nepos; aut

*Aristoteles.*

*Ariani.*

aut ab vtroq; simul, & vterq; erit Spiritus Sancti Parens; cùm autem nequeat vterq; esse Pater, erit alter Pater, mater alter.

97. Dico 1. Verbum est propriè Filius, eiusque processio est vera & propria generatio. Assertio est de fide. Constat ex sacra scriptura, in qua Verbum appellatur *Filius* & *genitus*, Psal. 2. *Filius meus es tu*, inquit, Pater æternus, *ego hodie genui te*. Dicit, *Genui*, vt exprimat æternitatem. Dicit, *Hodie*, vt significet perennitatem. Secundò, interrogatus Christus Dominus à summo Sacerdote, an esset Filius Dei, Marci 14. respondit: *Ego sum*. At Christus est Verbum Patris, Ioannis. 1. *Verbum caro factum est*. Igitur Verbum est Dei Filius. Tertiò, processionem Verbi sacra Scriptura explicat metaphora *Vteri*, Ps. 109. *Ex vtero genui te*; nomine *Conceptionis*, & *partus*, Prou. 8. atqui hæc omnia generationem important: ergo.

Psal. 2. Marci 14. Ioan. 1. Psal. 109. Prouerb. 8.

98. Dico 2. Solùm Verbum est Filius, eiusq; processio est tantùm generatio. Est de fide. Constat ex eadem sacra Scriptura, in qua non modò Verbum dicitur *Filius*, & *genitus*, sed *vnigenitus*, Io. 1. *vidimus gloriam eius gloriã quasi Vnigeniti à Patre*. Vbi particula, *Quasi*, non est nota diminuens, sed veritatem explicans, vt adnotarunt August. Amb. Gregor. Chrysost. Theophil. Euthimius. Vnde paulò pòst idem Euangelista absolutè vocat *Vnigenitum: Vnigenitus*, inquit, *qui est in sinu Patris* &c. & c. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*, & in Symbolo Athanasij solus Filius dicitur *genitus*, & in Symbolo Nicæno *Vnigenitus*.

Ioan. 1. Augustin. Ambrosius. Gregorius. Euthimius. Chrysost. Theophil. Symbol. Athanasius. Symbol. Nicænum.

99. Verùm tota controuersia est in assignando discrimine, cur productio Verbi, non autem Spiritus Sancti sit generatio, cùm vterq; accipiat eãdem numero naturam producentis. Qua difficultate victi Augu. lib. 3. contra Maximinum c. 14. Damascen. l. 1. fidei orthodoxæ c. 2. & 10. & Gregorius Ariminensis, cum Magistro sententiarum in 1. dist. 13. apertè fatentur, huius Catholicæ veritatis discrimen à puro viatore in hac vita assignari non posse. Reliqui verò Scholastici aliquam conantur rationem discriminis afferre. Vnde operę pretium duxi singulorum rationes singillatim examinare, vt illustrius tandem veritas appareat.

Augustin. Damascen. Ariminẽsis Magister.

100. Prima ratio sit Scoti in primo distinct. 13. §. *ad quæstionem*, Aureoli artic. 2. propos. 4. affirmantium, generationem & spirationem distingui se ipsis formaliter: nec oportere vlteriùs quærere, quibus distinguantur, nisi quia tota ratio formalis vnius, non est tota ratio formalis alterius.

Scotus. Aureolus.

101. Sed contrà: nam hanc rationem formalem quærimus, qua vna constituatur, vt generatio, altera, vt spiratio. Eodem labuntur qui dicunt, distingui penes terminos productos. Id ipsum enim quæritur, quid proprietatis sit in vno, quo formaliter distinguatur ab altero.

102. Secunda ratio est Durandi in 1. distin. 6. q. 2. num. 17. Aliacensis in 1. q. 8. art. 3. Ideo Verbum esse genitum, non autem Spiritum Sanctum, quia Verbum procedit ab vno, Spiritus verò Sanctus à duobus, quod autem procedit ab vno, procedit per modum naturæ, quia modus naturæ est, vt vnus sit ab vno. Quod autem procedit à pluribus, procedit per modum voluntatis, quia procedit à pluribus concurrentibus moderando suam virtutem. Hæc ratio desumpta est ex Augustin. 15. de Trinit. cap. 27. vbi eo probat, Filium procedere vt natum, Spiritum verò vt spiratum, quia *Filius*, inquit, *nullus est duorum, nisi patris & matris. Absit autem, vt inter Deum Patrem, & Deum Filium aliquid tale suspicemur.*

Durand. Aliacensis. Augustin.

103. Sed contrà: tum quia procedere à pluribus necessariò, & per modum vnius principij ad vnum determinari, non est, vt Durandus opinatur, procedere per modum voluntatis, suam virtutem moderantis, sed per modum naturæ ad vnum determinatæ. Tum quia, sicut procedere à pluribus non tollit, quin Spiritus Sanctus procedat vt viuens à viuente coniuncto, in similitudinem naturæ; ita non tollit, quin procedat vt natus, tum quia etiamsi Spiritus Sanctus procedat à Patre & Filio, non tamen procedit ab illis, vt à pluribus, sed vt ab vno eodemque proximo principio spiratiuo. Atque ex his soluta manet ratio Augustini, nam etiamsi Spiritus Sanctus procederet à Patre & Filio vt genitus, non oporteret ab illis procedere, tanquam à Patre & matre, quia non procederet diuerso modo ab vno, atque ab alio, quod necessarium esset, vt ab illis procederet tanquam à Patre & matre.

Durand. Augustin.

104. Tertia ratio est Henrici, in summa a. 6. q. 8. Bonauent. in 1. dist. 13. q. 2. Richardi q. 3. Heruæi q. 1. Rubionis. q. 1. art. 1. Ægidij 2. p. distinctionis, art. 1. Mayroni distinct. 10. q. 1. ideo Verbum dici genitum, non autem Spiritum Sanctum, quia Verbum procedit per modum naturę, Spiritus Sanctus verò per modum voluntatis. At solùm id quod procedit per modum naturæ in rebus creatis est genitum. Igitur solùm Verbum, non autem Spiritus sanctus in diuinis est genitus.

Henricus. Bonauent. Richardus. Heruæus. Rubio. Ægidius. Mayronus.

105. Sed contrà, quia vel procedere per modum naturę, est procedere non prę supposita alia operatione substantiali in eodem operante, vt multi explicant: at hoc extrinsecum est, & accidentarium generationi: vel procedere per modum naturæ, est procedere necessariò & per determinationem ad vnum: at Spiritus S. procedit necessariò, & per determinationẽ ad vnum, quia non procedit liberè, & per virtutem indifferẽtem ad vtrumlibet, sed ex naturali inclinatione & propensione, quam Deus habet ad diligendum se ipsum. Vnde voluntas diuina producit Spiritum S. vt natura quædam est; quia producit illum vt ab intrinseco determinata ad vnum. Quod docuit S. Thomas 1. p. quæst. 41. art. 2. ad 3. Nec refert, quod idem

S. Thom.

doctor

doctor q. 10. de potentia art. 2. ad 4. neget Spiritum Sanctum procedere per modum naturæ. Quia hoc tantùm ibi negat, ne videatur concedere Spiritum Sanctum procedere tantùm à natura, & non à voluntate, vt à proximo & formali principio. Vel per modum naturæ significat procedere ex fœcunditate naturę, vt explicat Bonauent. atqui non minùs Spiritus Sanctus, quàm Verbum procedit ex fœcunditate naturæ; ille media volitione; hoc media intellectione, vt proximo & formali principio communicationis.

*Bonauent.*

*Capreolus. Caietan. Bannez. Ferrarien.*

106. Quarta ratio est Capreoli in 1. dist. 9. art. 1. ad 2. contra primam conclusionem. Caiet. & Ban. 1. p. q. 27. art. 4. Fer. 4. contra gentes c. 11. & c. 19. ideo productionem Verbi esse generationem, non autem Spiritus sancti, quia processio Verbi est per intellectum, Spiritus Sancti verò per voluntatem: quod autem procedit per intellectum vi suæ originis formalis procedit simile producenti, non autem quod procedit per voluntatem. Probat autem hoc Caietanus ex diuerso modo operandi intellectus & voluntatis, quoniam ille fit in actu per expressam similitudinem obiecti; hæc per inclinationem & impulsum ad obiectum.

107. Vt autem hanc rationem magis explicet, notat q. 35. art. 2. dupliciter posse aliquod genus per differentiam ad certam speciem contrahi, vno modo per differentiam intrinsecam & formalem, quę sit intra eandem perfectionem cum ipso genere contrahibili; alio modo per differentiam extraneam & quasi materialem, quę sit extra perfectionem ipsius generis contracti. Primo modo contrahitur color per album & nigrum; quoniam albedo & nigredo sunt per se differentiæ cõtractiuæ coloris intra eandem perfectionem genericam coloris. Secundo modo contrahitur color per naturale, & artificiale, quæ sunt differentiæ extraneæ colori.

108. Ex his infert intellectionem, quæ sumpta genericè vim habet assimilandi terminum principio intelligenti, vt intelligenti formaliter, contractam ad diuinam, tanquam ad differentiam intrinsecam & formalem, assimilare terminum productum principio intelligenti in eadem numero natura; atq; adeo, vt talis intellectio est contracta per differẽtiam existentẽ intra proprium genus intellectionis, habere, vt gignat terminum similem in natura principio producenti quod est ipsum principium intelligens vt intelligens formaliter: amorem verò neque ex vi sua generica, neque ex vi aliqua specifica per se habere, vt assimilet terminum principio producenti: eò quòd & amor impulsio quædam est, & omnes amoris differentiæ per se tantùm sunt impulsionis diuersificatiuæ. Quo fit vt neque ille ad perfectissimum amorem contractus, tanquam ad differentiam per se, sit formaliter & ex vi propriæ differentiæ productiuus similis, & eiusdem naturæ cum principio amante, sed per se tantùm sit productiuus cuiusdam infinitæ impulsionis & inclinationis Dei amantis in se ipsum amatum. Quia verò hic amor reperitur in natura increata, in qua nihil potest esse accidentale, & ex natura rei distinctum, ratione subiecti, in quo talis amor reperitur, quæ est quædam differentia extrinseca, habet, vt producat terminum identificatum cum natura ipsa amantis, atque adeo similem, & eiusdem naturæ cum illo. Quoniam verò ad naturam generationis non sat est, vt terminus, qui ea producitur, producatur similis principio ratione differentiæ extraneæ, sed produci debet similis ratione differentiæ proprię, alioqui non procederet similis vi suæ processionis formaliter: hinc fit vt etiamsi Spiritus Sanctus ratione differentiæ extraneæ procedat similis & consubstantialis principio producenti, non dicatur genitus, & Filius: sicut Verbum, quod & ex vi intellectionis vt sic, & talis specificæ intellectionis producitur simile & eiusdem naturæ cum principio producente.

109. Eandem rationem ampliùs sic explicat Ferrariensis. Quæuis intellectio ex eo, quòd est expressa similitudo rei intellectæ, habet ex se aliquo modo assimilare terminum principio producenti, quod est intellectus ipse informatus specie intelligibili: ergo perfectissima & infinita intellectio, qualis est Diuina, procedens ex infinito intellectu, & infinito intelligibili, habet infinitè assimilare terminum principio intelligenti: ergo per identitatem eiusdem naturæ cum illo; nam quantò intellectio est perfectior, tantò Verbum per ipsam productum est intimius & magis vnitum: ergo intellectio infinitè perfecta attingit Verbum in eadem numero natura cum principio ipso intelligente. Processio verò Amoris Diuini neque ex vi processionis amoris vt sic, neque ex vi processionis perfectissimi amoris habet, vt procedens habeat idem esse naturale cum producente: non enim quò processio amoris est perfectior, eò per talem processionem productum est intimius producenti, sed hoc solùm habet ex eo, quòd est res quædam existens in Deitate, in qua nihil potest esse diuersum.

*Ferrariẽsis.*

110. Ad clariorem huius sententiæ explicationem hæc supererat propositio probanda; formales & intrinsecas differentias intellectionis & amoris non esse sumendas ex subiecto, sed ex obiecto. Quod facilè probatur; quia cùm tales actus primariò sint à natura ordinati ad obiecta, inde habent, & non ex subiecto suas formales differentias. Cùm igitur ex vi proprij modi tendendi horum actuum ad sua obiecta sola intellectio sit per modum expressæ similitudinis rei intellectæ, quæ est proximum & formale principium intelligendi: volitio verò tantùm sit ad instar cuiusdam vitalis impulsus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pulsus in rem amatam, etiamsi ambæ ratione subiecti, cum quo sunt coniunctæ, attingant terminum similem in natura cum producente, non tamen ambę sunt generatiuæ, quia non ambæ ex vi proprij modi tendendi ad obiectum, quod in his actibus est differentia per se, postulant producere terminum in natura similem producenti.

*Ruiz.* 111. Non multum ab hac ratione discrepat Didacus Ruiz de Trinit. disput. 6. sect. 1. vbi, ideo ait, productionem Verbi esse generationem, quia secundùm explicitum & formalissimum conceptum ordinatur ad personam, quæ secundùm suam vltimam & formalissimam rationem personæ est perfectissima imago producentis; quæ si crescit infinitè, euadit substantialis intra eundem gradum imaginis. Putat enim Verbum Diuinum per se afferre similitudinem in natura ex eo, quòd sit perfectissima similitudo producentis. Quæ ratio, vt patet, coincidit cum explicatione Ferrariensis suprà allata. Vnde eodem argumento quo impugnabitur illa, impugnabitur & hæc.

*Ferrariensis.*

*Caietanus.* 112. Contra igitur hanc Caietani sententiam primò. Nam ex ea sequeretur, Spiritum Sanctum vi suæ processionis formalis non esse æquè Deum, ac Verbum ac proindè vi suæ constitutionis personalis, quæ sumitur ex propria origine, non constitui æquè Deum formaliter, ac reliquas personas Diuinas. Sequela probatur, nam vi suæ processionis formalis procedit solùm vt amor, qui in sententia Caietani non est formaliter Deus, sed impulsus & affectio Dei, identicè tantùm & subiectiuè Deus. Vnde vi suæ processionis formalis non esset vniuocè persona Diuina cum Patre & Filio; nam vi suæ processionis formalis non accipit eandem naturam Patris & Filij, sed proprietatem tantùm naturæ. Hoc autem absurdum est, quoniam non saluaretur æqualitas, quam Diuinæ personæ seruare debent in propria constitutione personali, quæ sumitur ex propria origine, vi cuius vna ponitur procedere perfectior alia. Præterea falsum est, quod Caietanus supponit, amorem non esse Deo essentialem, sed solam proprietatem, ab ipsius quasi natura fluentem. Contrarium enim docet S. Thomas. 1. p. q. 30. art. 2. ad 2. vbi amorem Diuinum ait esse coëssentialem Deo.

*S. Thomas.*

113. Secvndò, quia hęc opinio non concludit, quod intendit. Intendit enim similitudinem in natura, quam habere debet genitum cum generante, & concludit solam similitudinem intentionalem & in repræsentando, quam per se tantùm postulat Verbum intellectuale cum obiecto intelligibili. Minorem probo, nam de ratione Verbi, vt abstrahit à creato & increato, solùm est procedere simile obiecto intentionaliter. Ergo de ratione Verbi, vt contracti ad increatum, est tantùm procedere infinitè simile obiecto intentionaliter. Antecedens patet, quia de ratione Verbi intellectualis est repræsentare obiectum intelligibiliter: hoc autem non dicit similitudinem naturalem, & in essendo cum obiecto, sed tantùm intentionalem & in repręsentando. Nam eam similitudinem per se tantùm importat Verbum, quæ necessaria est, vt per eam perfectè cognoscatur obiectum; nam hęc tantùm est per se requisita ad primarium munus Verbi: sed ad hoc sufficit sola similitudo intentionalis; nam omni alia circumscripta, & hac tantùm posita, ponitur Verbum perfectè repræsentatiuum obiecti. Consequentia verò probatur, quia Verbum, vt contractum ad increatum, per se non importat, nisi similitudinem intentionalem infinitam.

114. Hoc autem demonstro primò à posteriori sic. Verbum increatum non minus procedit vt Verbum Diuinarum personarum & creaturarum possibilium, quàm ipsius Diuinæ essentiæ; cùm non minùs procedat vt perfectissima notitia personarum & creaturarum, quàm essentię: sed respectu Diuinarum personarum & creaturarum possibilium, non importat, nisi solam similitudinem intelligibilem & intentionalem in repræsentando: ergo neque respectu Diuinæ essentiæ per se importabit aliam similitudinem, quam intelligibilem & intentionalem in repræsentando. Consequentia elucet. Minor probatur, quia Verbum increatum non procedit simile in essendo paternitati, aut spirationi passiuę, vel creaturis; alioqui Verbum esset Pater, Spiritus sanctus & creatura naturaliter; quod est hęreticum; sed solùm procedit simile quoad esse intentionale, & in repręsentando, quia procedit vt perfecta notitia omnium, quę sunt in mente paterna. Ergo neque Verbum, vt contractum ad increatum per se importat similitudinem in natura, sed tantùm in esse intentionali cum obiecto intelligibili.

115. Secvndò probatur à priori. Nam Verbum ex vi contractionis ad talem differentiam Verbi, eam tantùm similitudinem per se poscit, quæ per se tantùm facit ad perfectissimam notitiam talis obiecti: sed hæc est sola similitudo intentionalis cum obiecto intelligibili: ergo, &c. Maior patet, nam differentia per se est illa, quæ per se tantùm requiritur ad talem speciem, ex tali genere & differentia constituendam: sed ad constituendam perfectissimam speciem Verbi increati sufficit infinita similitudo intentionalis cum ipso obiecto intelligibili: nam ea tantùm similitudo per se requiritur ad constituendam speciem Verbi increati, quæ per se sufficit ad comprehendenda omnia, quæ sunt in memoria fœcunda Patris. Nam hæc est tota, & adæquata perfectio Verbi, exprimere in actu secundo, quicquid in actu primo dicit species intelligibilis; quia Verbum est adæquatus terminus ipsius: sed ad exprimenda omnia, quæ per modum speciei intelligibilis con-

tinentur

tinentur in memoria fœcunda Patris, non requiritur similitudo in natura, sed sufficit intentionalis. Nam hac tantùm posita, & omni alia sublata, ponitur Verbum adequatè expressiuum totius esse intelligibilis obiecti intellectus paterni: patet hoc respectu Diuinarum personarum, & creaturarum possibilium ad quas perfectè exprimendas sufficit sola intentionalis similitudo. Igitur quod Verbum Diuinum procedat simile in natura cum principio intelligente, non habet formaliter ex vi propriæ differentiæ, quę solùm tendit ad infinitam similitudinem intentionalem; sed tantùm ex subiecto, in quo reperitur, non secus ac amor ipse increatus.

116. Confirmatur, quia sicut Verbi est assimilare terminum obiecto intelligibili: ita Amoris est vnire amantem obiecto amato: sed ex infinito amore non calculatur per se, nisi infinita vnio intentionalis amantis cum amato; ergo ex infinita notitia non calculatur per se, nisi infinita similitudo intentionalis Verbi cum obiecto. Aut certè si ex infinita notitia per se calculatur similitudo in natura, etiam ex infinito amore calculabitur infinita vnitas realis: & consequenter etiam amor vi suæ processionis, vt increatus est, procederet similis in natura cum principio volente, ac proinde vt genitus & filius.

*Suarez. Fasolus.*

117. Quinta ratio est Suarez 11. de Trinit. cap. 5. & 6. Fasoli 1. p. quæst. 4. articul. 2. dubit. 1. & aliorum recentiorum Theologorum, qui nondum sua scripta prælo mandarunt. Hi autem eo probant processionem Verbi esse generationem, non autem Spiritus Sancti, quia soli Verbo vi suæ processionis communicatur intellectio, quæ est propria differentia & formale constitutiuum naturæ Diuinæ: Spiritui verò Sancto, vi suæ processionis sola communicatur volitio, quæ non constituit, sed supponit naturam constitutam, eamque consequitur vt proprietas ipsius. Cùm autem generatio sit formalis communicatio naturæ, eoque tendat, vt per eam genitum accipiat essentialem constitutionem genitoris, sola processio Verbi erit generatio, quia sola processio Verbi est formalis communicatio naturæ Diuinæ, qua natura Diuina est formaliter.

11. Quòd autem intellectio sit propria differentia constitutiua naturæ Diuinæ, volitio verò sit sola proprietas consequens, inde probant: quoniam natura Diuina cùm sit essentialiter viuens vita perfectissima; perfectissimus autem gradus vitæ sit vita intellectualis actualis, ipsa actualis intellectio erit formalis ratio constitutiua naturæ Diuinæ; quia hic est primus & perfectissimus gradus vitæ. Volitio verò & amor, cùm sit quidam naturæ appetitus consequens intellectionem, atq; adeò naturam ipsam perfectè constitutam in gradu vitæ intellectualis perfectissimæ, non potest habere rationem formalis constitutiui, sed proprietatis consequentis; eò quòd formalis ratio constitutiua naturæ est illa, qua primò concipitur constitui in se, & essentialiter distingui ab omni alio. Quia igitur soli Verbo ex modo, quo procedit, communicatur intellectio, solum Verbum erit genitum & Filius. Et quamuis etiam Spiritui Sancto communicetur intellectio, quia tamen ea non communicatur vi suæ processionis formaliter, sed solùm identicè & concomitanter, vt intrinsecè inclusa in ipsa volitione, quæ ei tantùm communicatur formaliter vi originis, non dicitur filius & genitus, nec eius processio generatio, quia hęc est productio per se primò ordinata ad communicandam naturam.

119. Confirmant, nam ratio volitiui actualis in Deo præsupponit rationem intellectiui: igitur nequit eius essentia per vtramque rationem ęquè primò constitui. Antecedens constat tum in rebus creatis: tum quia volitio essentialiter est ad cognitum vt sic. Consequentia verò probatur, nam si intellectio & volitio actualis æquè primò essentiam Dei constituerent, sequeretur, intellectionem & volitionem esse vnum simplicissimum conceptum vnius & eiusdem differentiæ, essentialiter constituentis naturam; ac proinde cùm volitio suapte natura præsupponat intellectionem, idem præsupponeret seipsum; idemq; simul foret prius & posterius se ipso; quod implicat.

120. Sed contrà primò. Quoniam hæc ratio falsam supponit doctrinam de constitutiuo naturæ Diuinæ, quod ex Patribus, & S. Thoma supra probauimus, non esse solam intellectionem, sed ipsum *esse* secundùm totam latitudinem essendi. *S. Thomas.*

121. Secundò, ex hac sententia sequitur, quod contra præcedentem rationem intulimus, nempè Spiritum Sanctum vi suæ processionis non esse ęquè Deum, ac Filium; imò vi suæ processionis non esse formaliter Deum, sed tantùm proprietatem Dei; proinde vi suæ formalis constitutionis personalis non esse vniuocè personam Diuinam cum reliquis; nec procedere vt æqualem cum alia persona procedente; nec processionem Spiritus Sancti dici posse processionem Dei, quia non tendit formaliter ad communicandam Deitatem, sed tantùm proprietatem Dei: processio autem denominatur talis formaliter ab eo, quod formaliter communicat.

122. Tertiò sic argumentor. Spiritus Sanctus vi suæ processionis formalis producitur vt hypostasis Diuina: ergo vi suæ processionis formalis, producitur vt subsistens in natura Diuina: ergo vi processionis formalis communicatur illi natura Diuina. Antecedens patet, nam quicquid est terminus per se productionis, per se procedit vi productionis. Sed hypostasis Spiritus Sancti est per se terminus spirationis passiuæ, cùm sit ipsa spiratio passiua in facto esse:

ergo

ergo per se vi suæ processionis producitur vt hypostasis Diuina. Posterior consequentia primi enthymematis constat: nam si vi suæ processionis formalis Spiritus sanctus procedit, vt immediatè subsistens in natura Diuina; ergo vi suæ processionis formalis accipit naturam Diuinam. Prior verò consecutio, in qua tantùm versatur difficultas, sic probatur. Omnis hypostasis immediatiùs ordinatur ad naturam, quàm ad proprietates naturæ. Sed per aduersarios volitio est proprietas naturæ: ergo hypostasis Spiritus Sancti vi suæ processionis formalis, non procedit, vt immediatè subsistens in volitione, sed in natura ipsa Diuina. Consequentia claret, nam terminus vi suæ processionis procedit secundùm ordinem, quem per se & formaliter includit: Igitur si hypostasis per se immediatè ordinatur ad naturam, & non ad proprietates naturæ, vi suæ processionis procedit, vt immediatè subsistens in natura, & non in volitione, quæ est proprietas naturæ. Maiorem ostendo. Nam hypostasis est complementum substantiale naturæ, cum qua facit vnum substantiale in ratione suppositi perfectè operatiui; ergo priùs, & immediatiùs respicit natuaam, cum qua constituit vnum substantiale perfectè operatiuum, quam proprietatem naturæ, cum qua non constituit vnum substantiale, sed vnum quasi per accidens.

123. Confirmatur. Nam ea ratione hypostasis respicit naturam, quâ natura respicit hypostasim: sed natuta priùs & immediatiùs respicit hypostasim, quàm proprietates: ergo & hypostasis priùs & immediatiùs respicit naturam, quàm proprietates. Maior patet, quia nequit natura priùs respicere suam hypostasin, quin etiam hypostasis priùs respiciat suam naturam, quoniam correlatiua sunt simul natura. Minor probatur tum in rebus creatis, in quibus natura per priùs respicit suam hypostasim, quam proprietates: ergo etiam in Diuinis. Nam ideò aduersarij docent, volitionem esse proprietatem naturæ Diuinæ, quia ea etiam est proprietas naturæ creatæ: ergo etiam docere debent, per priùs naturam Diuinam respicere suam hypostasim, quàm suas proprietates; quia etiam natura creata priùs respicit hypostasim, quàm proprietates. Tum quia natura Diuina constituit magis vnum cum hypostasi, quam cum proprietate: sed id priùs & immediatiùs respicitur à natura, quod constituit magis vnum cùm illa: ergo &c.

124. Argumentor 4. Nam, vt constat ex Ioanne Theologo latino in Concilio Florentino sess. 18. & 19. & omnibus Scholasticis cùm Magistro in 1. dist. 7. ad productionem Spiritus Sancti, non solùm per se concurrit voluntas, sed etiam natura, vt principium communicatiuum. Etenim principalis forma, qua tam Pater, quàm Pater & Filius est principium communicatiuum ad intra, est ipsa natura Diuina, quæ tam cum intellectione ad gignendum Filium, quàm cum volitione ad spirandum Spiritum Sanctum immediatè concurrit. Ergo vi processionis non minùs communicatur natura Spiritui Sancto, quàm Filio. Consequentia probatur, nam id vi processionis communicatur termino, quod est per se principium communicationis termini: igitur si natura Diuina est per se principium communicationis sui respectu Spiritus Sancti, per se vi originis illa communicatur Spiritui Sancto.

*Ioan. Theologus. Concilium Florentinũ Scholastici cum Magistro.*

125. Ad fundamentum aduersariorum patet ex suprà disputatis de cõstitutiuo Dei. Ad confirmationem nego consequentiam. Ad cuius probationem respondeo intellectionem & volitionem esse quidem vnum simplicem conceptum, sed virtualiter diuisibilem: & ratione huius virtualis diuisibilitatis non repugnat, quin idem ratione præsupponat se ipsum; sitque se ipso prius & posterius secundùm diuersas perfectiones, quas virtualiter includit. Nam etiam per aduersarios volitio supponit intellectionem: & rursus intellectio, vt comprehensiua est omnium attributorum Diuinorum, quo pacto est formale constitutiuum Dei, ratione supponit volitionem; quia vt sit comprehensiua volitionis, debet illam præsupponere in ratione obiecti. Igitur non implicat, vt eadem perfectio ob virtualem sui diuisibilitatem sit conceptibilis prior, & posterior secundùm diuersas rationes.

126. Sexta ratio est aliquorum apud Ruiz disp. 8. sect. 4. ideo Verbum esse genitum, non autem Spiritum Sanctum, quia Verbo vi suæ processionis immediatiùs communicatur natura, quàm intellectio: contrà verò Spiritui Sancto vi suæ processionis immediatiùs communicatur amor, quo mediante deinde communicatur natura. Sed contrà: nam vtrique eodem modo communicatur natura, Verbo quidem mediante intellectione; Spiritui Sancto verò mediante amore. Etenim id communicatur immediatiùs, quod est immediatior via respectu termini. Sed immediatior via respectu Verbi, & Spiritus Sancti est intellectio & volitio: nam Pater intelligendo gignit Verbum; & vterq; amando spirant Spiritum Sanctum.

*Ruiz.*

127. Septima ratio est Bartholomæi Torrez 1. p. q. 27. artic. 2. Vasquez disp. 113. cap. 7. & disp. 145. cap. 5. Asserentium, ideò solum Verbum, & non Spiritum Sanctum esse genitum, quia solùm Verbum vi suæ processionis procedit non modò simile in natura cum principio producente, quomodo etiam procedit Spiritus Sanctus, sed etiam procedit vt imago ad repræsentandum expressa. De ratione autem Filij, vt Filius est, non solùm est produci similem in natura, sed etiam vt imaginem ad repræsentandum suum principium. Maior constat, nam solius Verbi est, non autem

*Torrez. Vasquez.*

amoris

amoris repræsentare, quia solius Verbi est, procedere vt speciem declaratiuam obiecti intelligibilis intellectui dicenti & intelligenti: amoris autem tantùm est, procedere vt impulsum voluntatis in rem amatam.

128. Confirmatur 1. Nam si Spiritus sanctus procederet, vt imago ad repræsentandum expressa, alicui intelligenti deberet repręsentare: at nulli intelligenti repræsentat, non Patri aut Filio, quia neuter seipsum intelligit Spiritu sancto, nec tanquam forma, nec tanquam termino intellectionis; nec sibi ipsi, nisi quatenus sua intellectione essentiali intelligit se, & reliquas personas in seipso; nec alicui intellectui creato; non viatori, vt patet; non beato, quia qui videt tres personas, non videt vnam repræsentatam in alia, sed omnes æquè primò: igitur nulli repręsentat. At Verbum omnia intelligibilia repręsentat Patri, non tãquam forma, quia Pater non intelligit nata sapientia vt forma, sed tanquam terminus paternæ intellectionis. Minor primi syllogismi probatur, tum quia humanis nullus filius est, qui patrem non repręsentet, quod adeo verum est, vt etiam id reperiatur in æquiuoca generatione muli. Et licet etiam pater filium repræsentet, non est tamen illius imago, quia imago est similitudo originem habens ab eo, quem repræsentat. Tum quia eò magis, aut minùs aliquis dicitur filius, non quò magis, aut minùs est homo, sed quò magis, aut minùs patrem repræsentat. Ergo perfectio filiationis non crescit ex perfectione substantiæ, sed ex perfectione similitudinis repræsentantis & exprimentis suum principium.

129. Confirmatur secundò, nam ignis productus procedit similis in natura igni producenti, quia tamen non procedit vt imago ad illum repræsentandum expressa, non dicitur filius: ergo licet Spiritus sanctus vi suæ originis procedat similis in natura principio producenti, quia tamen vi eiusdem non procedit vt imago ad illud repræsentandum expressa, non dicitur filius.

130. Sed contrà. Nam cùm aduersarij dicunt, de ratione filij esse, vt procedat per modum imaginis ad repræsentandum expressæ; vel intelligunt de imagine, & repræsentatione intentionali, vel de imagine, & repræsentatione naturali. Primum in ipsorum sententia dici non potest, tum quia hæc non reperitur in filio creato: at ipsi docent, hanc imaginis rationem communem esse cum genito creato. Tum quia hæc ratio imaginis non requirit vnitatem in natura cum obiecto, ad quod repræsentandum exprimitur, vt patet in verbo creato, quod est vera imago rei intellectæ, diuersæ tamen naturæ ab illa: at ratio filij essentialiter postulat vnitatem saltem specificam naturæ cum principio producente.

131. Si autem dicatur secundum, sequitur, quòd etiam Spiritus sanctus vi suæ originis procedat vt filius. Sequelam probo, nam per aduersarios procedere vt filium, est vi suæ originis procedere vt imaginem ad repræsentandum naturaliter expressam: sed per eos Spiritus sanctus vi suæ originis procedit vt similis in natura cum principio producente: ergo vi suæ originis procedit vt filius, nam procedere vi suæ originis vt imaginem naturalem ad repræsentandum expressam, non est aliud, quàm productum vi suæ productionis accipere eandem naturam producentis, ratione cuius productum aptum est repręsentare suum producens. Sed hoc ipso, quòd productum vi suę productionis accipit eandem naturam producentis, vi eiusdem naturæ fit aptum repręsentare suum producens: ergo. Maior probatur, quia nec de ratione imaginis naturalis est, actu repræsentare, sed tantùm posse repræsentare. Nam si nullus esset intellectus creatus, adhuc equus productus esset filius & imago equi producentis, vt concedit ipsemet Vasquez. Nec dici posset, illum actu repræsentare intellectui Diuino, quia Deus non cognoscit equum producentem in ipso equo producto, sed vtrumque in seipso, Neque etiã requiritur, vt imago sit ob peculiarem finem ab agente expressa: nam sufficit ipse finis & intentio naturæ, quę in ipso opere producto elucet, quotiescunque vi suæ productionis effectus procedit similis in natura cum principio producente, quod etiam concedit Vasquez. Minorem ostendo. Quoniam productum fit aptum repræsentare suũ producens formaliter per similitudinem naturæ, quam media productione accipit à producente. Nam per id productum fit formaliter aptum ad repręsentandum suum producens, per quod fit simile illi: fit autem productum simile producenti ratione naturæ communis: ergo vi talis naturæ fit productum aptum ad repræsentandum suum producens. Igitur si Spiritus sanctus vi suæ processionis formalis accipit eandem naturam producentis, vi suæ processionis est formaliter aptus ad repræsentãdum naturaliter suum producens.

*Vasquez.*

*Vasquez.*

132. Respondet Vasquez disp. 113. cap. 8. in humanis ex eo solùm dici aliquem filium, quia habet eandem naturam producentis. Nam in ea solùm est fundamentum relationis imaginis, in quo sufficienter saluatur ratio filij, at verò in Diuinis sola similitudo naturæ producti cum producente non sat est ad rationem filij, quia hæc sola non est sufficiens fundamentum relationis imaginis; quia hæc in Deo non resultat ex sola identitate naturæ, sed ex illa, & ex proprietate personali, quæ nata est repræsentare: hæc autem est sola proprietas Verbi, per intellectum producta, non autem proprietas Spiritus sancti producta per voluntatem.

*Vasquez.*

133. Sed contrà: quoniam, vt probatum est, relatio quæ constituit filium vt sic, non est relatio imaginis intentionalis, sed naturalis, quę consistit in sola participatione naturæ cum producente. Sed tam Verbum, quàm Spiritus sanctus vi suæ originis participat eandem naturam cum producente: ergo vterque est filius. Confirmatur, nam ideo filius in

humanis habet fundamentum relationis imaginis, quia participat eandem naturam producentis: sed etiam Spiritus sanctus vi suæ originis participat eandem naturam cum producente: ergo. Et ratio à priori est, quoniam ad rationem imaginis naturalis duo tantùm requiruntur, & vnitas naturæ, siue specificæ, siue numericæ, & realis distinctio producti à producente. Primum requiritur vt ratio formalis repræsentandi, nam ratio repræsentandi est vnitas & conuenientia in eadem natura. Secundum vt pura conditio: nam ratio distinctionis est ratio diuersitatis, quæ non potest esse per se formalis ratio repræsentandi, sed conditio tantùm, qua posita, tota ratio repræsentandi saluatur in sola vnitate naturæ. Cùm igitur Spiritus sanctus vi suæ originis accipiat eandem naturam cum reali distinctione à producente, erit vera imago naturalis sui producentis, non minùs quàm Verbum ipsum. Nec refert, quòd Verbum vi suæ originis personalis procedat vt imago intentionalis ad repræsentandum intelligibiliter expressa, quo pacto non procedit Spiritus sanctus: quia hæc ratio imaginis impertinenter se habet ad imaginem naturalem, in qua tantùm aduersarij collocant rationem filij vt sic.

134 Ex his patet ad oppositum fundamentum. Falsum quippe est, solùm Verbum vi suę processionis procedere per modum imaginis naturaliter repræsentantis suum principium. Probatio verò maioris cum sua confirmatione solùm probat de repræsentatione intentionali & actuali, non autem de naturali & aptitudinali, quæ sola per aduersarios est de ratione filij vt sic. Patet etiam ad vtramque probationem minoris. Nam maior illa similitudo, quam filius habet erga Patrem, & non habet erga alios, oritur ex perfectiore participatione eiusdem naturæ gignentis, quo perfectiore modo participat etiam Spiritus sanctus, dum vi suæ originis accipit eandem numero naturam producentis.

135. Ad secundam confirmationem respondeo, non ideo ignem productum non dici filium ignis producentis, quia non procedit vt imago potiùs ignis producentis, quàm alterius ignis non producentis: nam de ratione imaginis non est, vt sit similior suo principio, quàm alijs, vt constat de filio creato, qui sæpe est similior alteri, quàm Patri: sed ideo non dici filium ignis producentis, quia ratio filij non reperitur, nisi in sola imagine perfecti viuentis.

*Richardus. Alensis. Maior. Zuniga.*

136. OCTAVA ratio est Richardi Victorini lib. 6. de Trinit. à capite 18. Alensis 1. p. q. 42. memb. 2. & mēb. 3. art. 2. & q. 43. memb. 2. Maior in 1. dist. 13. qu. 1. Francisci Zunigæ disp. 2. dub. 2. à membr. 9. Qui eo probant, Spiritum sanctum non esse Filium, quia non accipit naturam fœcundam cum virtute illam communicandi alteri: atqui accipere naturam fœcundam cum virtute illam communicandi alteri est de ratione Filij vt sic: ergo Spiritus sanctus, qui non accipit naturam fœcundam cum virtute illam communicandi alteri, non est Filius. Maior cum consequentia patet. Minor, in qua tantùm præsens controuersia versatur, probatur primò, quia de ratione Filij est procedere in similitudinem eiusdem naturæ cum producente: natura autem non dicit nudam quidditatem viuentis, sed principium fœcundum producendi de sua substantia aliud suppositum viuens.

137. Secundò probatur. De ratione Filij est procedere vniuocè conueniens cum principio producente, non solùm in modo essendi, sed etiam in proprio modo operandi. Proprius autem modus operandi viuentis, vt distinguitur à proprio modo operandi non viuentis, est posse de propria substantia per principium coniunctum aliud viuens sibi simile producere.

138. Tertiò: quod est de ratione Filij creati, & increati, est de ratione Filij vt sic: sed de ratione Filij creati, & increati est esse similem producenti in virtute producendi sibi simile in natura: ergo talis similitudo in virtute producendi sibi simile in natura est de ratione Filij vt sic. Maior patet, quia quod est de ratione omnium inferiorum distributiuè, est de ratione immediati superioris. Minor probatur quoad Filium creatum. Nam Filius creatus essentialiter est animal genitum, cùm extra naturam sentientem ratio Filij creati non reperiatur: sed de ratione animalis geniti est esse simile producenti in forma substantiali ab eo accepta; ergo & in principio intrinseco, & radicali communicandi naturam. Consequentia elucet, quia de quidditate formę sensitiuæ est esse principium radicale communicandi naturam.

139. Probatur eadem minor quoad filium increatum: tum quia ex Anselmo in Monologio cap. 16. quicquid de Deo prædicatur, quidditatiuè prædicatur: prędicatur autem de Filio Dei virtus spiratiua: igitur hæc est de quidditate Filij Dei. Tum quia ex probabili opinione, si Spiritus sanctus non procederet à Filio, per locum intrinsecum sequeretur, non esse eundem numero filium, qui nunc est: ergo de ratione Filij Diuini est, vt ab eo procedat Spiritus sanctus, ac proinde vt sit similis Patri in virtute spirandi; atque adeo in natura ipsa communicanda. Tum quia similitudo cum Patre in virtute communicandi naturam, est idem cum Filio Dei, absque actuali distinctione ex natura rei; ergo est illi quidditatiua. Omnis quippe identitas actualis excludens omnem distinctionem ex natura rei, est essentialis & quidditatiua, quia nihil magis est essentiale, & quidditatiuum rei, quàm res ipsa tota sibi absque vlla distinctione actuali ex natura rei. *Anselmus.*

140. Quartò, probatur eadem sententia. Quod est de ratione filij creati, & non dicit imperfectionem, nec aliunde repugnat Filio increato, est de ratione Filij vt sic, sed esse similem Patri in natura fœcunda ab eo accepta, est de ratione Filij creati, & non dicit imperfectionem, nec repugnat Filio increato; ergo. Maior declaratur, quia quod non dicit

imperfe-

imperfectionem, & est essentiale alicui perfectioni creatæ, est etiam essentiale simili perfectioni increatæ, habenti idem nomen & rationem: vt quod est de ratione scientiæ creatæ, & non dicit imperfectionem, est etiam essentiale scientiæ increatæ. Minor quoad primam partem constat ex ratione tertia, quoad secundam patet, nam de facto reperitur in Deo, in quo nihil est imperfectum, quoad tertiam est de fide, qua constat, Filium Dei esse similem Patri in eadem virtute spirandi, ac proinde in eadem virtute naturam communicandi. Confirmatur, nam esse similem Patri in natura fœcunda, & virtute communicandi essentiam ab eo acceptam, essentialiter conuenit filio creato; & non vt distincto ab increato, alioqui non competeret filio increato; ergo filio vt sic; atque adeo vt communi vtrique.

141. Quintò probatur. Quando nomen impositum ad significandam perfectionem creatam extenditur ad similem perfectionem increatam significandam, talis extensio fundari debet in aliqua maiore conuenientia essentiali, quæ sit inter rem creatam & increatam, ad quam significandam nomen ipsum extenditur; alioqui non esset ratio, cur magis ad vnam, quàm ad aliam perfectionem significandam extenderetur: vt nomen scientiæ, quod impositum fuit ad significandam scientiam creatam, extensum est ad significandam potiùs scientiam, quàm bonitatem Dei ob maiorem conuenientiam essentialem, quæ est inter scientiam creatam, & increatam, quæ non est inter eandem scientiam creatam, & bonitatem increatam. Id autem, in quo hæc maior conuenientia consistit, importatur tali nomine, vt iam extenso ex perfectione creata ad increatam, tanquam aliquid essentiale vtrique. Ergo id, quod nomine filij, vt extenso ex creato ad increatum, importatur, est essentiale vtrique. Hoc autem aliud esse non potest, quàm virtus communicandi naturam; nam in hoc filius creatus conuenit cum Filio increato, & non cum Spiritu S. ergo hoc erit essentiale vtrique. Minor subsumpta probatur, quia nihil cogitari potest, in quo filius creatus magis conueniat cum filio increato, quàm cum Spiritu S. quàm prædicta virtus cùm in reliquis æquè conueniat cum vtroque.

142. Sed contra hanc rationem primò. Nam posse generare extrinsecum est filio: constat in mulo, qui filius est, & tamen generare non potest. Neque dicas, mulum non posse generare proximè, posse autem remotè: & hoc sat esse ad rationem filij. Nam etiamsi non posset remotè, adhuc diceretur filius: quod sic probo, quia cùm homines extenderunt hoc nomen, filius, ad significandam genituram muli, non habuerunt respectum, quòd mulus posset saltem remotè generare: nam hoc incertum erat, cùm iam vocetur in litem. Igitur cùm extenderunt hoc nomen, filius, ad muli genituram significandam, non potuerunt per hoc nomen, filius, in mulo significare potentiam ipsam remotam generandi, quæ ipsis dubia erat, sed aliquam rationem certam, in qua mulus conuenit cum reliquis filijs creatis. Atque adeo ratio filij non consistit formaliter in potentia remota generandi. Ratio verò est, quoniam formalis & adæquata ratio filij saluatur per hoc tantùm, quòd productum repræsentet producens per eandem naturam à producente acceptam, cui extrinsecum & posterius est, posse aliud sibi simile generare. Cõfirmatur, quia sicut Pater constituitur in esse Patris sola relatione genitoris ad genitum: ita filius in esse filij sola relatione geniti ad genitorem. Et sicut sublato omni respectu, manente tantùm relatione genitoris ad genitum, maneret essentialis ratio Patris: ita sublato omni respectu, manente tantùm relatione geniti ad genitorem, maneret essentialis ratio filij.

143. Secundò. Etiamsi Filius Dei non esset productiuus Spiritûs S. si tamen procederet per intellectum, vt nunc procedit, adhuc esset filius. Contrà verò etiamsi Spiritus S. esset productiuus Verbi, si tamen procederet per Voluntatem, vt nunc procedit, non esset filius, sed Spiritus. Ergo nec filius est filius ex eo formaliter, quòd Spiritum producit: nec Spiritus non est filius ex eo formaliter, quòd aliam personam sibi similem non producit. Consequentia patet. Antecedẽs probo: nam filius increatus ex Aug. 7. de Trin. c. 2. *eo est filius quo Verbum, & eo Verbum, quo Filius*: sed si filius non produceret Spiritum S. modò procederet per intellectum, vti nunc procedit, esset Verbum; est enim Verbum formaliter per productionem intellectus: ergo adhuc esset filius, etiamsi Spiritum S. nõ produceret. Vnde si Pater priùs origine per voluntatem produceret Spiritum S. quàm per intellectum simul cum Spiritu S. produceret Verbum, nec Spiritus esset filius, esto foret Verbi productiuus; nec Verbum desineret esse Filius, cùm non desineret esse Verbum, esto Spiritûs productiuum non esset.

144. Tertiò. Similitudo in proprio modo operandi Patris, vt Patris formaliter, nõ est de quidditate formali Filij Dei: ergo nec similitudo in modo operandi eiusdem, vt spiratoris, erit de quidditate Filij Dei. Antecedẽs patet, nam proprius modus operandi Patris, vt Patris formaliter, est generare per intellectum, quem modum operandi non communicat filio. Consequentia probatur, nam sicut Filius dicit solam relationem ad Patrem, vt Patrem formaliter: ita si similitudo in proprio modo communicandi naturam esset de ratione filij, vt filius est, deberet etiam ea, quæ est propria Patris vt Patris formaliter, esse de ratione filij: at hęc necessaria non est; igitur nec illa, quę non est propria Patris, vt Patris formaliter. Consequentia constat, quia filius debet repręsentare Patrem vt Patrem formaliter: nam illum debet repręsentare formaliter, à quo proximè formaliter producitur; producitur autem proximè & formaliter à virtute generatiua, non à spiratiua; igitur illam, non hanc debet formaliter repræsentare.

145. Quartò. Adhuc Pater esset Pater, etiamsi non spiraret. Ergo etiam Filius esset Filius, etiamsi non produceret Spiritū S. Consequentia constat, nam implicat, esse Patrē absque Filio: sed sublata virtute spiratiua à Patre, adhuc Pater maneret Pater, atque adeo cū filio, & non cum virtute producendi Spiritum sanctum: quia sublata virtute spiratiua à Patre, tolleretur etiam à Filio, cùm sit vna indiuisibilis in vtroque. Igitur Filius Dei non est formaliter filius per virtutem producendi Spiritum sanctum. Antecedens probo, quia Pater non est Pater formaliter per vim spirandi, sed per vim generandi: ergo adhuc sublata virtute spirandi, non tolleretur per locum intrinsecum virtus ipsa generandi.

146. Confirmatur primò, nam Paternitas constituit formaliter personam Patris, quam realiter distinguit à persona filij: spiratio verò actiua nec constituit personam Patris, nec illam à Filio distinguit: Ergo sublata virtute spirandi à Patre, & consequenter à Filio, non tolleretur per locum intrinsecum, persona Patris, ac proinde nec persona filij. Consequentia elucet, quia constitutum formaliter pendet à solo constitutiuo formali, & à proprio termino per se: Sed formale constitutiuum Patris est paternitas, eiusque terminus per se est sola filiatio. Nam ille est terminus per se paternitatis, qui illi formaliter opponitur; at hic est sola filiatio: nam spiratio actiua, cùm sit communis vtrique, non opponitur paternitati. Igitur sublata virtute spiratiua à Patre & Filio, adhuc maneret formale constitutiuum Patris & Filij.

*Patres in Conc. Flor. Scholastici.*

147. Confirmatur secundò: Nam tam Patres in Concilio Florentino dum contra Græcos contendunt, Spiritum sanctum non solùm à Patre, sed etiam à Filio procedere, quā Scholastici, cùm disputant, num Spiritus sanctus distingueretur à Filio, si ab illo non produceretur, omnes supponunt, manere Patrem, ac proinde Filium, esto Spiritus à Filio non produceretur: solumque contendunt, non fore distinctionem inter Spiritum sanctum & Filium, si Spiritus sanctus à Filio non procederet. Nullus quippe per eam hypothesin supponit, destrui formaliter personam Patris, aut Filij; sed manente persona Patris, ac Filij, licet variata quoad solam proprietatem spirandi, quæ est extra constitutionem personalem Patris ac Filij vt sic, solùm quærunt num saluaretur in eo casu distinctio in Spiritum sanctum & Filium.

148. Quintò. Si esset aliquod viuens creatum, quod vnica generatione adæquatè communicaret totam suam virtutem generatiuam, hic esset verus & proprius Pater; ergo per ordinem ad verum & proprium Filium: atqui talis Filius non esset communicatiuus naturæ, cùm iam illa supponeretur per adæquatam generationem ipsi communicata: ergo ratio Filij essentialiter non postulat, vt possit naturam à Patre acceptā alteri communicare.

149. Sextò. Ex eo formaliter viuens creatū est Filius, quo procedit simile generanti in essentia: ergo ex eo formaliter viuens increatū est filius, quo procedit simile producenti in essentia: ergo non ex eo formaliter est filius, quo procedit simile in natura fœcunda.

150. Negant aduersarij consequentiam. Quoniam essentia viuentis creati, quouis alio præciso, seipsa est radicale principium coniunctum producendi aliud viuens: at Deitas præcisè sumpta non est seipsa intrinsecum principium coniunctum producendi suppositum viuens, nisi determinata aliqua relatione. Quare non eo ipso, quo viuens increatum procedit simile in Deitate, procedit etiam simile in natura fœcunda, sed necesse est, vt procedat simile in essentia determinata relatione.

151. Sed contrà. Nam sicut per aduersarios, viuens creatum procedens simile in essentia principio producenti, licet sit proximè impotens ad communicandam naturam alteri defectu principij proximi, vt mulus; adhuc dicitur verus filius: ita Spiritus sanctus procedens similis in essentia principio spiranti, licet impotens ad communicandam naturam alteri personæ, defectu vlterioris termini producibilis, adhuc diceretur verus filius. Cùm non minùs impossibile sit, vt viuens creatum communicet naturam alteri sine principio proximo essentialiter requisito; quàm vt Spiritus sanctus communicet naturam Diuinam alteri supposito defectu vlterioris termini producibilis.

152. Ad primum argumentum oppugnatæ rationis nego minorem. Et ad probationem dico, conceptum naturæ viuentis saluari per principium fœcundum operationum vitalium intra se.

153. Ad secundum nego minorem. Nam etiam proprius modus operandi viuentis est esse principium operationum vitalium vitæ sentientis, aut intelligentis, in quo satis est, vt Filius procedat similis genitori.

154. Ad tertium concedo, quod de ratione animalis geniti sit esse simile generanti in forma accepta quoad essentialia: nego tamē principium radicale communicandi naturam esse essentiale animali, cùm possit saluari perfecta ratio animalis per solum principium radicale operationum vitalium intra se, vt saluatur in Phœnice.

155. Ad posteriorem probationem de Filio increato, ad primam probationem distinguo minorem: prædicatur virtus spiratiua de Filio Dei, qua Filius est, & nego; quà Spirator est, & concedo. Ad secundum verò nego consequentiā: quia licet non esset idē numero Filius, qui nunc est, adhuc tamen esset Filius: sola enim numerica variatio non tollit essentialem rationem Filij, quæ saluari potest in alio numero Filio.

156. Ad tertium concedo, vim spiratiuam esse quidditatiuam Filio Dei, non quà Filius est, sed quà persona Diuina est prior origine per voluntatem; alioqui eadem virtus spiratiua nō posset esse quidditatiua Patri, quia quod est proprium vnius personæ, vt talis, non po-

test

test esse proprium alterius, vt condistinctæ ab alijs personis.

157. Ad quartum argumentum neganda est minor. Ad confirmationem verò neganda est maior. Ad quintum nego minorem subsumptam. Ad cuius probationem mox constabit ex ratione nostra.

## *Auctoris ratio.*

158. RAtio igitur, quę mihi post omnes maturè examinatas occurrit, quæque doctissimis viris sæpiùs in disputationibus agitata vehementer placuit, hæc est. Ideo processio Verbi, non autem Spiritus sancti est generatio, quoniam de ratione generationis perfecti viuentis est, vt per eam terminus productus procedat adæquatè similis principio producenti. At sola persona Verbi vi suæ originis procedit adæquatè similis principio producenti. Igitur sola processio Verbi, non item Spiritus sancti est generatio.

*Aristoteles.* Maior est Aristotelis 2. de anima text. 34 & 49. & 7. Metaph. cap. 8. vbi docet generationem viuentis esse *opus naturalissimum*, quo producens intendit *facere aliud, quale ipsum saltem specie*. Est etiam S. Thomæ 1. p. q. 27. art. 2. Syluij ibid. vbi ille ad generationem viuentis requirit adæquatam similitudinem termini procedētis cum principio producente; ideoque docet, vermes, qui generantur in animalibus non esse genitos & filios, quia licet procedant similes in ratione generica cum principio producente, non tamen procedunt similes in ratione specifica cum eodem principio producente.

*S. Thomas. Syluius.*

*Gabriel.* Eamdem docet Gabriel in 1. dist. 13. art. 1. vbi, *Generatio*, inquit, *stricte sumpta est productio, qua viuens ratione suæ productionis precisè producitur vt totaliter simile, & eiusdem rationis cum producto, quantum ad omnia, excepta sola productione.*

*S. Thomas. Syluius.* Eamdem indicat manifestè S. Thomas & Syluius 1. parte quæst. 27. artic. 4. Cuius ratio à priori est quoniam generatio est productio à natura ordinata ad propagationem ipsius generantis. Vnde quò perfectiùs generans se communicat genito, eò perfectiùs se propagat in genito, quia intentio generantis est, quoad omnia, quantùm fieri potest, seipsum conseruare, ac viuere in genito: ergo quò perfectiùs generans se communicat genito, eò pefectiùs hanc naturæ propensionē adæquat.

159. Pro minoris probatione suppono tria. Primum est, adæquatum principium Verbi & Amoris in diuinis non esse tantùm naturā, sed Verbi esse intellectum Patris, proximè constitutum per obiectum intelligibile, tanquam per proximum & formale specificatiuum; Amoris verò esse voluntatem Patris & Filij proximè constitutam per obiectum volibile, tanquam per formale specificatiuū. Sunt enim hæc principia vitalia, quæ ad operandū proximè constituuntur per obiecta, tanquam per formas vltimò specificantes & complentes principia ipsa operatiua. Vnde pro diuersitate obiectorum diuersarum fiunt operationum productiua. Cuius ea est ratio, quia illa essentialiter ordinantur ad obiecta in se ipsis exprimenda, vel diligenda: non possunt autē ea in seipsis vel exprimere, vel diligere, nisi illa in seipsis præhabeant. Quò fit, vt natura cum huiusmodi potentijs solùm concurrat vt principium commune & quasi genericum, obiectum verò vt forma specifica contradistinctiua operationis vnius ab operatione alterius.

160. Secundum est. Hæc obiecta, quę veluti formæ specificæ constituunt intellectum & voluntatem diuinam, non esse extrinsecos terminos distinctos ab intellectu & troluntate Dei, vt sunt in nobis, in quibus obvecta distinguuntur à potentijs; sed esse intirinsecas perfectiones à parte rei identificatas cum intellectu & voluntate diuina; & hoc per se, quia per se in Deo intellectus & intelligibile, appetitus & appetibile sunt idem, teste Philosopho 12. Metaphys. Vnde eadem Deitas est quasi subiectum intellectus & voluntatis diuinæ, cum vnoquoque cōcurrens vt commune principium communicatiuum ad productionem Verbi & Spiritus sancti, & simul obiectum vltimò constituens, tum intellectum, vt species intelligibilis sui, personarum, & creaturarum possibilium; tum voluntatem vt obiectum appetibile sui, personarum, & creaturarum possibilium. *Philosoph.*

161. Tertium est. In his potentijs vltimò per obiecta ad operandum constitutis duplicem considerari perfectionem, vtramque essentialem, & per se ad operandum requisitā: alteram quasi genericam naturæ cum vtroque principio intellectiuo scilicet, & volitiuo immediatè & naturaliter concurrentis; alteram quasi specificam & differentialem ipsius obiecti, cum vtroque etiam ptincipio intentionaliter concurrentis. Nam sicut vnumquodque principium per se constat ex natura & obiecto; ex natura tanquam ex ratione generica & communi; ex obiecto tanquam ex ratione specifica & propria: ita duplicem in se continet perfectionem, & naturalem ipsius naturę, & intentionalem ipsorum obiectorū. Nam sicut naturæ est, se communicare naturaliter, ita obiecti se communicare intentionaliter; quoniam obiectum vt obiectum formaliter non postulat esse in termino producto secundùm esse naturale, sed tātùm secundùm esse intentionale. His adnotatis,

162. Probatur minor nostræ rationis, in qua sita est prę sentis rationis difficultas, hoc pacto. Verbum Diuinum non solùm procedit simile naturaliter principio remoto, & quasi generico naturæ: sed etiam intentionaliter principio proximo & quasi specifico obiecti intelligibilis; quia non solùm procedit consubstantiale principio producenti, sed etiam expressiuum, & declaratiuum obiecti intelligibilis, à quo tanquam à forma specifica & vltima essentialiter constitutiua ipsius principij producentis exprimitur. Est enim, Verbum ex vi suæ formalis originis similitudo

obiecti intelligibilis ad ipsum intentionaliter repræsentandum expressa. Spiritus verò sanctus, licet vi suæ originis procedat naturaliter similis principio remoto & quasi generico naturæ, quia vi suæ formalis originis non minùs quàm Verbum procedit consubstãtialis principio spiranti; quia procedit vt Amor increatus, qui non minùs quàm intellectio est de essentia Dei; non tamen procedit similis intentionaliter obiecto intelligibili, à quo tanquã ab vltima, & specifica forma essentialiter constitutiua principij spirantis procedit: quia non procedit vt intellectualis imago ad suum principium intentionaliter repræsentandum expressa; sed vt vitalis impulsus ad obiectum diligendum productus.

163. Cuius discriminis ratio à priori est, quia intellectus fit proximè fœcundus ad operandum per speciem intelligibilem obiecti, quæ essentialiter ordinatur ad gignendum Verbum, vt intentionalem imaginẽ, & expressam similitudinem ipsius obiecti; mediante qua intellectus fit ipsum intelligibile in actu, iuxta illud Philosophi: *Anima intelligendo fit omnia.* Aristoteles. Voluntas verò fit proximè operatiua per expressam notitiam obiecti intelligibilis, quæ cùm sit ipsa formalis similitudo obiecti, non ordinatur ad aliam formalem similitudinem exprimendam, sed ad inclinandum duntaxat appetitum ad obiectũ diligendum iam cognitum, & expressum. Igitur sola processio Verbi; non autem Spiritus sancti est generatio. Consequentia patet, nam generatio est, qua productum procedit adæquatè simile producenti, non solùm in ratione generica, sed etiam in ratione specifica: ideo enim productio Vermis nõ est generatio, quia per eam productum non procedit adæquatè simile producenti secundùm vtramque similitudinem genericam & specificam, sed tantùm secundùm rationem genericam animalis. Adæquata autem similitudo in his principijs vitalibus non est sumenda penes naturã tantùm, quia hæc est solùm principiũ cõmune, & genericum æqualiter concurrens cum vtraque potentia; sed etiam penes obiecta, quæ sunt vltimę formæ specificæ constituentes, & distinguẽtes huiusmodi principia, qua vitalia sũt formaliter. Ergo sola productio Verbi, non autem Spiritus sancti est generatio: quia solùm Verbum procedit adæquatè simile principio producenti, & secundùm rationem genericam naturæ, & secundùm rationem specificam obiecti, & secundùm similitudinem naturalem essentialiter requisitam ad generationem viuentis vt sic, & secundùm similitudinem intelligibilem, seu intentionalem propriam generationis viuentis intellectualis.

164. Confirmatur primò: Quia Filius debet procedere vt imago expressiua omnium, quæ essentialiter constituunt principium, à quo ipsa procedit. Solùm Verbum Diuinum procedit vt imago expressiua omnium, quę essentialiter constituunt principium, à quo ipsum procedit; Ergo solùm Verbum est Filius. Maior conceditur ab omnibus. Minor probatur, nam tam in principio intellectiuo, quàm in principio volitiuo duo sunt per se primò constituentia, & natura, & obiectum. Solùm Verbum vi suę originis procedit & vt imago naturalis ad repræsentandam naturam, & vt imago intentionalis ad exprimendum obiectum intelligibile. Spiritus sanctus verò vi suę originis solùm procedit vt imago naturalis ad repræsentandam naturam principij spirantis, non autem obiectum ipsum diligibile, quod est formale constitutiuũ principij spirantis. Etenim in amore non cognoscitur obiectũ amatum, sicut in Verbo obiectum intelligibile, quia amor non est intellectualis manifestatio & expressio obiecti, sicut est Verbum, quod vi sua habet repræsentare & exprimere obiectũ intelligenti, etiamsi obiecti naturã in se ipso formaliter non contineat.

165. Confirmatur secundò: Generatio cõtinere debet perfectam similitudinẽ gignentis: Atqui sola productio Verbi continet perfectam similitudinem Patris gignentis: quia non solùm cõtinet similitudinem naturalem, sed etiam intentionalem, nam hæc per se spectat ad vltimum & specificum complementum generationis intellectualis vt sic. Quin inter omnes generationes perfectissimam esse intellectualẽ; nomenque ipsum generationis per prius dici de generatione intellectuali, quàm materiali docet Aureol. in 1. dist. 9. p. 1. a. 2. tametsi in Deo non solùm sit generatio intellectualis quoad similitudinem intentionalem, quę sola non sufficeret, vt constat in creatis; sed etiam quoad naturalem, quæ simul cum intentionali constituit perfectam generationem viuentis intellectualis. Aureolus.

166. Hanc nostram rationem breuiter attigit S. Thom. 1. p. q. 27. ar. 2. & 4. contra gentes c. 11. inde probans, processionem per intellectum, non autem per voluntatem, in Diuinis esse generationem, *quia in Deo conceptio intellectus est similitudo rei intellectæ, & in eadem natura existens cum ipso Deo dicente.* S. Thomas. Quibus verbis vtramque similitudinem expressit, & intentionalem, & naturalem ad intellectualem filium essentialiter requisitam. Eamdem rationem indicat Scotus quodlibeto 8. in fine, vbi docet filium ex vi suæ processionis esse notitiam actualem declaratiuam omnis obiecti intelligibilis, quod in memoria Patris continetur. Eandem rationem repetit in 1. dist. 10. §. *contra idem est principium*, & dist. 2. q. 7. Eandem rationem innuit Aureol. in 1. dist. 27. p. 2. art. 3. §. *restat ergo*, vbi ex eo, quòd in Diuinis filius sit intellectualis, docet, de ratione ipsius esse, vt procedat tanquam notitia declaratiua Patris manifestans ea, quæ quasi latebant in memoria fœcunda ipsius; ac per hoc distingui à Spiritu sancto, qui tametsi procedat per omnia similis Patri & Filio in naturalibus, quia tamen non procedit, vt imago ad repræsentandum suum principium, sed vt amorosus impulsus, non dicitur filius. Scotus. Aureolus.

167. Eadem ratio colligitur ex sacra Scriptura, quę Filium appellat *imaginem*, ad Colossenses 1. secundę ad Cor. 4. Sapientiæ 7. Ad Colos. 1. 1. ad Cor. 4.

eiusque

eiusque processionem vocat sinceram emanationem claritatis omnipotentis Dei, ibid. Sapient. 7.

Sap. 7. Auguſt.

168. Eandem docent Patres. Auguſt. 7 de Trinit. cap. 2. *Eo*, inquit, *Filius, quo Verbum; & eo Verbum, quo Filius.* At Verbum intellectuale reduplicat imaginem. ergo. Anſelmus in monologio cap. 53. *Sicut*, inquit, *Verbum mox vt conſideratur, ſe prolem eſſe eius, à quo procedit euidentiſſimè probat, promptam referendo parentis imaginem: ſic amor apertè ſe prolem negat, quia dum à Patre & Filio procedere intelligitur, non ſtatim tam perſpicuam exhibet ſe contemplanti eius, ex quo eſt, ſimilitudinem.* Vbi manifeſtè loquitur de ſimilitudine intentionali, nam hanc vt propriam vi ſuæ originis habet Verbum, quam ſtatim exhibet Patri contemplanti. Nazianzenus Oratione 4. de Theologia: Filiũ appellat naturæ paternæ declarationem: *Breuis*, inquit, *& compendioſa, faciliſque paterna naturæ declaratio eſt Filius.* Declarat autem Filius æterni Patris naturam, intelligibiliter illam repræſentando. Nam cæterùm etiam Spiritus ſanctus per identitatem naturæ naturaliter declarat æterni Patris, natiq́ue naturam. Athanaſius ſermone de ſanctiſſima Deipara, docet Filium eſſe characterem, & ſpeciem ſubſtantiæ Patris, *Per quam*, inquit, *ipſe Pater exprimitur, & repræſentatur. Vt enim annulo ſignatorio ſpecies aliqua effiguratur, quam nos imaginem expreſſam & ſigillum appellamus, ſi nihil deficit ab exemplari ſuo: ita quoque Filius &c.* Cyrillus lib. 3. Theſauri. cap. 1. *Quemadmodum ſi quis*, inquit, *depictam Regis imaginem videret & miratus pulchritudinem imaginis, ipſum regem videre deſideraret, iure vtique imago ad eum diceret: qui me videt, Regem videt: Ego & Rex vnum ſumus; quantum ad exactam ſimilitudinem ego in Rege; & Rex in me eſt: ſic & Filius &c.* Baſilius epiſt. 43. ad Gregorium Nyſſenum docet, Patris hypoſtaſin in ipſa Filij hypoſtaſi cognoſci. Quod eſt proprium intellectualis imaginis.

Nazianzenus. Athanaſ. Cyril. Alex. Baſilius.

169. *Obiicies* 1. De ratione Filij Dei non eſt, vt procedat ſimilis cum Patre in principio communicandi naturam: ergo nec de ratione eius erit, vt procedat ſimilis in obiecto intelligibili. Conſequentia probatur, quia non minùs de ratione Patris Diuini eſt communicare ſuam naturam, quàm eſſe ſimilem obiecto intelligibili: ergo ſi de ratione Filij non eſt, vt procedat ſimilis in vno, nec de ratione eius erit, vt procedat ſimilis in altero. Reſpondeo negando conſequentiam; nam de ratione Filij increati, non eſt, vt procedat ſimilis in notionalibus, ſed tantùm in eſſentialibus cum principio producente. Communicare autem naturam proximè conuenit Patri notionaliter, non eſſentialiter: eſſe verò ſimile obiecto intelligibili conuenit Patri eſſentialiter, non notionaliter. Minor conſtat, nam communicare naturam conuenit Patri proximè ratione relationis: eſſe verò ſimile obiecto intelligibili conuenit Patri rationis intellectionis eſſentialis. Maior probatur, nam alioqui de ratione Filij increati eſſet procedere ſimilem Patri in ipſa Paternitate. Nec refert, quod Pater habeat, alium modum communicandi naturam per ſpirationem Filio communicabilem; quia hunc non habet vt Pater, ſed vt Spirator, cùm tamen vt Patri formaliter reſpondere debeat Filius. Ratio verò eſt, quia notionalia ſunt propria, & indiuidualia perſonæ, quæ ex vi proceſſionis non communicantur naturaliter, eſſentialia verò ſunt communia; ſimilitudo autem inter genitum & genitorem non ſpectatur penes indiuidualia & propria, ſed penes eſſentialia & communia.

170. *Obiicies* 2. Intelligibile non conſtituit eſſentialiter intellectiuum Dei. Ergo Verbum Diuinum procedens ſimile intelligibili, non procedit ſimile producenti quoad eſſentialia. Conſequentia patet. Antecedens probatur, quia intelligibile, non ſolùm eſt eſſentia Diuina, ſed etiam creaturæ poſſibiles, ſed hæ non conſtituunt eſſentialiter intellectiuum Dei; implicat enim creatum eſſentialiter conſtituere increatum. Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem diſtinguo maiorem: creaturæ poſſibiles ſunt intelligibile Diuini intellectus, quoad eſſe naturale earum; nego. Quoad eſſe intentionale; concedo. Sed vt ſic non conſtituunt eſſentialiter intellectiuum Dei, nego minorem. Quia vt ſic, creaturæ ſunt ipſa creatrix eſſentia, vt ſpecies, & intelligibilis ſimilitudo earum. Vnde ſicut Deus eſt eſſentialiter ſpecies creaturarum, ita in ratione intellectiui conſtituitur per aliquid ſibi eſſentiale. Ergo Verbum procedens ſimile Deo in obiecto intelligibili creaturarum, procedit ſimile quoad aliquid eſſentiale principio producenti.

171. *Obiicies* 3. Obiectum intelligibile non eſt formaliter viuens. Ergo non poteſt eſſe proximum principium ſpecificum generationis. Conſequentia conſtat, quia generatio debet eſſe à principio proximo viuẽte. Antecedens probatur, quia obiectum, vt obiectum extrinſecum eſt intelligenti: principium autem viuens debet eſſe intrinſecum viuenti. Reſpondeo duplex eſſe obiectum intelligibile, vnum extinſecum, alterum intrinſecum. Concedo antecedens de intelligibili extrinſeco, nego de intrinſeco, qualis eſt eſſentia angeli reſpectu eiuſdem angeli intelligentis. Deo autem intelligenti nullum obiectum, neque creatum, neque increatum extrinſecum eſt. Nam ipſemet creaturæ poſſibiles intrinſecæ ſunt Deo intelligenti in ratione obiecti intelligibilis per earũ intelligibilem ſimilitudinem: eſt enim Deus teſte S. Thoma, intelligibilis ſimilitudo rerum omnium.

S. Thomas.

172. *Obiicies* 4. Etiam Spiritus S. vi ſuæ proceſſionis procedit ſimilis producenti, vtraque ſimilitudine naturali, & intentionali, quia vi ſuæ proceſſionis accipit naturam Diuinam, cum qua eſt vtraque ſimilitudo eſſentialiter coniuncta. Reſpondeo negando antecedens; quia, vt rectè notat Caietanus 1. p. q. 35.

Caietanus.

p. q. 35. art. 1. ad hoc, vt terminus vi suæ originis procedat similis producenti, non sufficit, vt quomodocunque origo terminetur ad simile, sed necesse est, vt terminetur ad simile formaliter & per se. Processio autem Spiritus sancti non est ad simile intentionaliter formaliter & per se, sed concomitanter ob concomitantiam cum amore, ad quem per se tantùm origo Spiritus S. terminatur.

173. *Obijcies* 5. Similitudo est principium amoris: ergo si Spiritus sanctus procedit vt Amor, procedit vt similis per se. Respondeo distinguendo antecedens: est enim similitudo principium Amoris, in quantum mouet appetitum vt bonum: bonum autem & finis non est principium producendi simile, sed tantùm inclinandi ad simile. At in Verbo similitudo est principium producendi simile, quia est ptincipiũ producendi Verbum, quod est ipsa expressa similitudo obiecti. Legatur S. Tho. *S. Thomas. Syluius.* 1. part. q. 27. art. 4. ad 2. & Syluius ibid.

174. Instabis, Spiritus S. procedit vt terminus perfectissimi amoris amicitiæ. De ratione autem amoris amicitiæ est vel facere, vel saltem supponere simile in natura. Ergo Spiritus sanctus vi suæ processionis formaliter procedit vt similis in natura cum principio producente. Respondeo primò de ratione amoris esse facere, vel supponere similitudinem inter ipsos amantes. Amantes autem in Diuinis sunt PATER & FILIVS, ex quorum mutuo amore procedit Spiritus sanctus, vt terminus talis amoris. Vnde ex allato argumento solùm sequitur, similitudinem tantùm debere esse inter Patrẽ & Filium sese mutuò diligentes. Secundò dico, Spiritui sancto communicari similitudinem ei proportionatam, quæ est sola similitudo in natura.

175. *Obijcies* 6. Voluntas vi sua habet vnire se obiecto amato. Ergo infinita voluntas infinito modo se vniet amato: sed infinita vnio calculat perfectam identitatem amantis cum amato. Ergo Spiritus sanctus vi suæ originis procedit plus quàm similis obiecto amabili, cùm vi suæ originis procedat vt idem cum illo. Respondeo, ex hoc tantùm calculari infinitam vnionem affectiuam, non autem naturalem cum obiecto amabili, quæ ad generationem non sufficit, cùm neque fit per similitudinem naturæ, neque per expressionem obiecti, sed tantùm per infinitam inclinationem & impulsum ad illud.

176. Instabis. Spiritus sanctus procedit vt vitalis inclinatio ad obiectum: Sed hæc est quędam obiectiua similitudo: ergo Spiritus sanctus vi suæ originis procedit vt similis obiecto. Resp. negando minorem. Etenim obiectiua similitudo sufficiens ad repræsentandum intelligibiliter obiectum, & essentialiter requisita ad generationem intellectualem est illa, in qua exprimitur intentionaliter obiectum, qualis nõ est amor, in quo nullo modo exprimitur obiectum, cùm non sit ratio cognoscendi, sed tantùm inclinandi ad obiectum. Quod autem talis similitudo requiratur ad generationem intellectualem inde constat, quoniam sicut de ratione geniti, vt sic est, repræsentare genitorem: ita de ratione geniti intellectualis est repræsentare intelligibiliter genitorem: atqui sola illa similitudo repræsentat intelligibiliter genitorem, quæ est ratio cognoscendi genitorem, & in qua ipse genitor intentionaliter exprimitur. Talis autem similitudo non est amor, qui nec est ratio cognoscendi obiectum amabile, nec in ipso exprimitur natura ipsius obiecti amabilis.

177. *Obijcies* 7. Omne agens producit sibi simile in forma, per quam agit: ergo voluntas Diuina producit sibi simile. Respondet Ferr. 4. contra gentes c. 19. §. *huius euidentia*, distinguendo de similitudine, vel secundùm conuenientiam, vel secundùm proportionẽ. De prima negat, de secunda concedit antecedens. At hęc non sat est ad generationem, quæ requirit similitudinem secundùm conuenientiam specificam formæ, quæ in principijs vitalibus desumenda est ex obiecto. *Ferrariens.*

178. *Obijcies* 8. Productio Spiritus sancti habet quidquid est formale in generatione humana; ergo est generatio. Consequentia constat, quia non aliunde Patres Diuinam generationem colligunt, quàm ex humana. Antecedens probatur, quia generatio humana est tantùm via ad communicandam naturam producentis producto: hoc totum habet productio Spiritus sancti; ergo. Respondeo. Nego Antecedens, quamuis id concedat Aliacensis, nam quod est formale in generatione humana, est adæquata similitudo producti cum producente, quam adæquationem non habet Spiritus sancti productio. Quia licet conueniat cum generatione humana in communicatione naturę, non tamen conuenit in adęquata similitudine principij producentis. Cuius ratio est, quia productiuum hominis adęquatè constituitur per principium sensitiuum rationale, cuius adęquata similitudo reperitur in productione hominis: productiuum verò Spiritus S. adæquatè constituitur per principium volitiuum, quod pręter naturam Diuinam includit pro vltimo constitutiuo obiectum volibile, à quo tanquam à principio specifico procedit Spiritus S. qui quia vi suæ originis non procedit similis obiecto volibili, quod est vltimũ & specificum constitutiuum principij spirantis; nõ procedit adæquatè similis principio producẽti. Sicut vermis procedens à verme est filius vermis producentis; procedens verò ab homine non est filius hominis producentis, etiamsi procedat in eadem natura specifica vermis, in qua procedebat ab alio verme, idque ex eo tantùm, quia in prima productione procedit adæquatè similis principio producenti, non autem in secunda. *Aliacensis.*

179. *Obijcies* 9. Spiritui sancto vi suæ processionis communicatur totum principium productiuum; ergo vi suæ processionis procedit adæquatè similis principio producenti. Consequentia constat, quia tunc terminus vi suæ processionis procedit adæquatè similis principio producenti; quando vi suæ

processio-

processionis accipit totum principium productiuum. Antecedens probatur, nam principium productiuum Spiritûs S. est volitiuum, constitutum ex voluntate & obiecto volibili: sed hoc totum communicatur Spiritui S. vi suæ processionis formalis; ergo. Resp. Distinguendo antecedens; communicatur totum principium productiuum, subiectiuè, nego; terminatiuè, concedo. Etenim duo includit principium volitiuum, vnum subiectiuè, & est ipsa voluntas Diuina; alterum terminatiuè, & est ipsum obiectum volibile. Vtrûque vi suæ processionis formalis communicatur Spiritui S. nempe voluntas subiectiuè, & obiectum terminatiuè. Verû hæc terminatiua communicatio obiecti non sat est ad generationem, vi cuius debet cõmunicari producto subiectiuè quidquid est in principio producẽte. Cuius ratio est, quia in ipso genito debet exprimi totũ principium productiuum cùm finis generationis sit, vt totum generans conseruetur in genito: ergo debet illi intrinsecè & subiectiuè, & non tantùm extrinsecè & terminatiuè totum principium communicari. Quam veritatem non obscurè significauit S. Basilius orat. 16 illud. Ioan. 1. In principio erat Verbum: his verbis: *Cur Verbum? quoniam imago est genitoris, totum in se monstrans genitorem.* Et Cyril. lib. 7. Thesauri c. 4 *Si Verbum*, inquit, *Dei appellatum est secundùm Eunomium, non quia secundum naturam ex Patre sit, & genitoris essentiam in seipso demonstret, &c.* Damasc. orat. 1. de imagin. *Imago*, inquit, *Dei inuisibilis est ipse filius, qui in seipso Patrem gerit.*

*Basilius.* *Cyrillus.* *Damascen.*

180. DICES. Sufficit, vt eo modo obiectum cõmunicetur termino, quo continetur in ipso principio: atqui in principio volitiuo obiectũ cõtinetur tantùm terminatiuè; ergo sufficit, si hoc etiã modo communicetur termino producto, vt dicatur genitus. Resp. Negando maiorem, etenim ad generationem nõ sufficit, vt principium productiuũ quocunq; modo cõmunicetur producto; sed cõmunicari debet, vt ratio ipsa essentialis generationis postulat. Cũ enim natura generationis desumpta sit ex generatione creata, ex qua extensum est nomen ad generationem increatã significandã; in generatione autẽ creata semper principium generatiuum cõmunicatur genito totum subiectiuè; illud principium dicẽdum est generatiuum in Diuinis, quod cõmunicat se totũ producto subiectiuè, nõ autem quod cõmunicat se totum terminatiuè: quia illud tantũ principium in Diuinis dicendũ est generatiuũ, quod seruat eandem formã communicãdi se termino producto, quam seruat principium generatiuum creatum, ex quo translata est ratio generationis ad Diuina. Alioqui nullum haberemus fundamentum; cur potiùs vnum, quàm aliud principium in Diuinis appellaremus generatiuum, nisi propter eiusmodi essentialem conuenientiam in communicando se totaliter subiectiuè termino producto.

181. *Obycies* 10. In definitione generationis sola mentio fit similitudinis naturæ; ergo hæc tantùm requiritur: sed hæc reperitur in processione Spiritus sancti; ergo in ea reperitur quod est formale in generatione. Resp. Explicitè tantùm mentionẽ fieri de similitudine naturę, implicitè verò etiã de similitudine intentionali, quãdo illa est essentialis principio producenti, vt est in principio generatiuo increato, quod essentialiter constituitur ex natura & obiecto intelligibili; ratio, quia eius similitudinis fit mentio, in definitione generationis, quæ est adæquata principio producenti. Porrò similitudo adęquata principio producenti est illa, quæ adæquat totam similitudinem essentialem principij producẽtis; cuiusmodi nõ est similitudo, secundùm quam procedit Spiritus sanctus, qui vi suę originis solùm procedit similis naturæ, non autem obiecto volito, quia non procedit vt similitudo obiecti amati, sed vt inclinatio tantùm ad illud. Confirmatur, nam ita se habet natura intellectualis ad obiectum intelligibile in principio generatiuo intelligẽte, sicut natura generica ad gradũ specificum in principio generatiuo materiali: sed sola similitudo in gradu generico non sufficit ad generationem viuentis materialis: ergo nec sola similitudo in natura intellectuali, sufficiet ad generationem viuentis purè intellectualis.

182 *Obijcies* 11. Ea tantùm similitudo est de ratione generationis, cuius terminus est capax, & principium ipsum cõmunicare potest. Sed amor increatus non est capax similitudinis intentionalis; nec eam communicare potest principium ipsum spiratiuũ. Resp. nego maiorem: alioqui vermis, qui non est capax nisi similitudinis genericæ, nec maiorem potest ab homine recipere, esset filius hominis producentis. Similitudo igitur ad generationẽ requisita spectanda nõ est ex capacitate termini, vel principij, sed ex propria essentia, quæ postulat, vt sit adæquata principio producenti quoad essentialia. Ex eo igitur, quòd nec amor increatus vi suę originis sit capax similitudinis intentionalis obiecti amabilis, nec principium volitiuum possit eam communicare, non sequitur, Spiritum sanctum esse Filium, sed potiùs non posse esse filium, eò quòd vi suæ originis nequit procedere adæquatè similis principio producenti quoad essentialia.

183. *Obijcies* 12. Productio muli est vera generatio: sed per illam terminus non procedit similis producenti: ergo de ratione generationis non est, vt per eam genitum procedat perfectè simile gignenti. Respondeo, productionem muli deficere à perfecta generatione viuentis, vt præcitato loco Metaph. indicat Aristoteles. Verùm qua parte mulus procedit aliquo modo similis non solùm principio generico, quia hoc non sufficit, vt constat in Verme, sed etiam specifico, dicitur aliquo modo genitus & filius. Mulus enim etsi non procedat in perfectam similitudinem naturæ specificę cum equo & asina, à quibus gignitur, cùm non possit procedere in duplici natura specifica; procedit tamen similis vtrique per differentiam, quæ multùm participat de proprietatibus vtriusquè parentis, vt constat ex extrinseca figura. At verò Spiritus sanctus

*Aristoteles.*

nullo

nullo modo vi suæ originis procedit similis similitudine specifica, sumpta ex obiecto cum principio spirante: & hoc ideo, quia obiectum diligibile, quod proximè constituit voluntatem ad operandum, nullo pacto ordinatur ad producendum simile. At verò principium generatiuum equi & asinæ per se ordinatur ad gignendum simile in natura specifica; per accidens autem ratione mistionis diuersorum seminum deficit à perfecta similitudine naturæ specificę.

## *Corollaria Doctrinæ.*

184. EX dictis infero primò, Spiritum sanctum vi suæ originis procedere similem in natura cum principio producente, non tamen esse genitum; quia ad genitum intellectuale requiritur similitudo intelligibilis, quæ est propria naturæ intellectualis vt sic.

185. Infero 2. Spiritum sanctum vi suæ originis procedere vt Deum formaliter, & non tantùm identicè; quia ex vi suæ originis formalis procedit vt Amor increatus, qui non minùs quàm intellectio constituit essentialiter Deum.

186. Infero 3. Si per impossibile in Diuinis non esset Verbum, adhuc processio Spiritus sancti non esset generatio: quia neque tunc vi suæ originis Spiritus sanctus procederet similis intentionaliter principio producenti, sed tantùm naturaliter, vt procedit nunc. Igitur neque tunc haberet formalem rationem generationis, quę in eo consistit, vt per illam terminus procedat adæquatè similis principio producenti.

187. Ad rationem dubitandi constat ex dictis. Nego enim definitionem generationis conuenire processioni Spiritus sancti, quia Spiritus sanctus vi suæ originis non procedit in similitudinem adæquatam cum principio spirante: quo pacto intelligendum est, ly, *in similitudinem naturæ*. Ratio est, quia Spiritus sanctus non procedit in similitudinem obiecti diligibilis, quod est proximum principium constituens voluntatem Diuinam potentem ad spirandum. Conuenit autem processioni Verbi, quia hoc non solùm procedit in similitudinem naturæ, sed etiam obiecti intelligibilis, quod est proximum principium constituēs intellectum Diuinum ad producendum.

# DISPVTATIO XIX.

## De Relationibus Diuinis.

EXplicata natura, & numero Diuinarum processionum, ex quibus numerum, & proprietatem Diuinarum personarum deduximus, explicanda superest natura, & numerus Diuinarum relationum, quæ principia sunt, & termini Diuinarum processionum.

### SECTIO I.

### *An, & quot sint relationes reales in Deo.*

*Conc. Toletanum* 11.

1. DIco 1. Sunt in Deo relationes reales. Assertio est definita in Concilio Toletano 11. *In relatiuis*, inquit, *personarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad vtrosque refertur, quæ cùm relatiuè tres personæ dicantur, vna tantùm naturalis substantia creditur.* Eadem veritas colligitur ex sacra scriptura, in qua personę Diuinæ appellantur nomine Patris & Filij, quę correlatiuè ad inuicem referuntur.

*S. Thomas.*

2. Fundamentum S. Thomæ est. In Deo est realis processio vnius personæ ab alia: ergo in eo est realis relatio. Consequentia probatur, tum quia omne productum fundat realem respectum ad suum producens: & è conuerso, quando ambo sunt eiusdem ordinis & naturæ, qualia sunt producens, & productum in Diuinis, ob hanc enim rationem concedimus respectum realem inter Patrem & Filium, & vniuersaliter inter causam & effectum in rebus creatis; non autem inter creatorē & creaturam, quia non sunt eiusdem ordinis & naturæ: tum quia omne productum distinguitur à producente. Sed in Diuinis nō potest dari distinctio, nisi per relationes, nam omnis alia est per limitationem: non repugnat autem in Deo distinctio per relationes, quia hæc est per essentialem oppositionem, quam relatiua dicunt ad inuicem. Implicat autem distinctio per limitationem in Deo, quia hæc non est intrinseca & essentialis rebus ipsis distinguentibus, sed accidentalis, & ab extrinseco limitante, quam Deus habere non potest. Confirmatur, quia relationes in Deo constituunt personas reales; igitur sunt reales.

3. DIco 2. Hæ relationes in Deo reales sunt non solùm secundùm esse *In*, sed etiam secundùm esse *Ad*. Assertio est contra Caiet. 1.p.q.28.ar.1. & Capreolum in 1.dist. 33. ad

*Caietanus. Capreolus.*

1. & 3.

1. & 3. Aureoli docentes, relationem realem secundùm proprium esse *Ad*, non esse quid reale, cùm illud sit commune relationi rationis: nihil autem reale commune esse potest enti reali & rationis. Ex quo inferunt, relationes secundùm propriam suam rationem & differentiam vltimam, quæ desumitur ab esse *Ad*, nihil ponere in relatiuo. Sed assertio nostra

*S. Thomas.* est S. Thomæ 1. p. loc. præcit. vbi docet, respectum ad aliud, quæ est propria differentia relationis vt sic, aliquando esse in ipsa natura rerum, aliquando in sola apprehensione rationis: loquitur autem, vt legenti constat, de ipso esse *Ad*: nam hoc est proprium relationis,

*S. Thomas* vt relatio est. Igitur in sententia S. Thomæ esse *Ad* relationis realis distinguitur ab esse *Ad* relationis rationis; siquidem illud est in ipsa natura rerum, hoc in sola apprehensione rationis.

4. Fundamentū assertionis est, quia esse *Ad* in relatione reali est propria differentia cōstitutiua ipsius, & distinctiua realiter ab omni alia re: igitur debet esse quid reale; cùm nihil non reale constituere, & distinguere possit realiter. Sed relationes Diuinæ sunt reales, realiter ad inuicem distinctæ: Igitur esse *Ad* earum est reale. Confirmatur, quia relationes Diuinę exercent realem respectum, & oppositionem ad inuicem per ipsum esse *Ad*: Implicat autem, illas exercere realem actum respiciendi & referendi absque forma reali. Maior probatur, quia illę mutuum actum referendi, respiciendiq́ue exercent, quatenus oppositæ: opponuntur autem formaliter per esse *Ad*; nam per esse *In* formaliter important naturam, tanquam fundamentum, cum quo identificantur, & sunt idem: Minor constat, quia implicat, effectum realem exerceri à forma non reali. Ex quo sequitur, relationes Diuinas non modò esse reales, quia sunt aliquid reale, verùm etiam quia sunt ad aliquid reale in se.

5. Ad fundamentum oppositæ sententię negandum est, esse relationis realis esse commune relationi rationis, cùm sit propria differentia ipsius relationis realis, contra-distinguens illam à relatione rationis.

6. Dico 3. Dantur in Deo tres relationes reales, Paternitas, Filiatio, spiratio passiua realiter inter se distinctæ. Assertio est de fide, qua constat, dari tres personas realiter distinctas in Deo; nam vnaquæque persona constituitur relatione distincta ab alijs. Porrò ternarius hic numerus & ordo Diuinarum relationum hoc discursu colligitur in Deo. Natura Diuina substantialis est; ergo necessariò postulat, vt terminetur aliqua personali subsistentia; nam hæc necessaria est cuilibet naturæ substantiali completæ. Quoniam verò hæc personalitas est in natura fœcunda productiua sui similis ad intra, oportet esse relatiuam, non absolutam; quia omne absolutum ob infinitatem suæ perfectionis, commune est omnibus personis Diuinis. Rursus quia hęc personalitas est in natura perfectè intellectuali, productiua ad intra per actus intellectus, & voluntatis, alia esse non poterat, quàm Paternitas. Nam per eam constitui debet in ratione primæ personæ, producentis per actum intellectus terminum sibi adęquatè similem per modum intellectualis imaginis, atque adeo per modum geniti, ac Filij.

7. Eadem ratione constat, primam personalitatem non habere Deum media origine & productione, sed à se quauis origine priorem. Nam licet eam Deus habeat, vt producat per illam Filium, non tamen illam habet media productione Filij: sicut Filius suam subsistentiam habet media passiua productione ipsius personalitatis. Quo fit, vt Paternitas in Deo nullam supponat rationem fundandi, vt in ipso sit, & quodammodo resultet, sicut Paternitas creata; sed competit naturę Diuinæ immediatè, & à se, vt talis natura est, absque vlla passiua productione & origine. Cuius ratio est, quia Paternitas increatà competit naturæ Diuinæ, vt proprietas constituens cum illa primam personam producentem ad intra; creata verò competit naturæ creatę, vt accidens supponens subiectum completum in ratione personæ producentis. Personalitas autem, cùm sit vel conditio necessariò prærequisita ad producendum, vel ratio ipsa producendi, haberi nō potest media productione sui termini & effectus; alioqui præsupponeretur, & non præsupponeretur ad productionem sui termini.

8. Constituta autem prima persona Patris per paternitatem improductam & à se; secunda relatio personalis, quæ per productionem competit Deo, est Filiatio. Nam prima productio, quam inchoat æternus Pater, est generatio, cuius terminum exprimit actu ipso intelligendi. Qui quoniam in Diuinis rationem habet geniti, cum procedat adæquatè similis principio producenti, eius proprietas personalis erit Filiatio: quæ pro ratione fundandi habet ipsam productionem personæ. Producta autem secunda persona actu ipso intelligendi, tertia relatio personalis competens Deo, est spiratio passiua, qua constituitur tertia persona Spiritus sancti. Hęc enim, quia procedit per actum volendi, supponit secundam per actum intelligendi origine priorem; atque adeo non potest, nisi suppositā productione Filij, Deo competere. Supponit autem pro ratione fundandi processionem, qua illa à Patre, Filioque producitur. Quæ sicut diuersō modo à suo principio procedit, quàm personalitas Filij; ita se ipsa diuersa est ab illa.

9. Dico 4. Præter has tres relationes personales concedenda est quarta, Spirationis actiuę Patri Filioque communis. Est S. Thomæ 1. p. q. 28. art. 4. & q. 32. art. 3. Syluij ibid. & communis Theologorum. Cuius oppositam sententiam Molina 1. p. q. 28. art. 4. disp. 1. appellat erroneam: quippe cùm ex principijs reuelatis nostra sententia euidenter deducatur. Docet enim fides, in Deo duplicem esse processionem, vnam qua Filius à Patre, alteram, qua Spiritus sanctus ab vtroque procedit, igi-

*S. Thomas. Syluius. Molina. Communis Theologorū censura cōtrarię opinionis.*

dit, igitur quatuor oportet ponere relationes, binas pro quauis processione: nam vnaquæque processio habet principium, à quo est, & terminum, ad quem est: ergo in quauis processione ponenda est relatio producentis ad productum, & producti ad producentem; quæ in prima processione est Paternitas, & Filiatio; in Secunda Spiratio actiua Patri Filioque communis, & passiua, qua tertia Trinitatis persona constituitur. Igitur præter tres relationes personales danda est quarta Spirationis actiuæ, qua Pater & Filius referantur ad Spiritum sanctum.

10. Confirmatur. Quia non est maior ratio, cur ad primam processionem duplex resultet mutua relatio Patris ad Filium, & Filij ad Patrem, & non ad secundam spirantis ad Spiratum, & Spirati ad Spiratorem, cùm in vtraque processione sint eædem conditiones, ad mutuam relationem fundandam requisitæ, nempe fundamentum, quod est natura; ratio fundandi quæ est origo producentis; & extrema ipsa seu termini realiter distincti, & eiusdem ordinis inter se, qui sunt personæ ipsę producens & producta.

11. *Objcies* 1. Repugnat, vnam relationem fundari in alia, sed Pater & Filius constituuntur per relationes. Ergo repugnat eos fundare etiam relationem. Confirmatur, quia persona constituta per relationem non est vlteriùs referibilis per aliam relationem realem: alioqui posset vna persona diuina referri ad aliam per relationem realis distinctionis. Respondeo, quidquid sit de maiore, quæ controuersa est inter Philosophos, dispar est ratio de relatione prędicamentali, quæ est purus respectus, & de transcendentali subsistente, quę simul constituit subiectum. Tales sunt relationes diuinę, quæ non sunt puri respectus ad terminum, sed constituunt personas; suntque substantiales, & per se subsistentes ad instar relationum transcendentalium, quę prędicamentales fundant.

12. Ad confirmationem primò nego, personam diuinā nō referri relatione realis distinctionis ad alias personas diuinas, quia cū seipsa sit distincta realiter à qualibet alia opposita relatione, seipsa refertur relatione realis distinctionis ad oppositam correlationem. Secundò nego, non posse personam diuinam referri ad alias personas relatione diuersę rationis ab ea, qua constituitur in esse personali: quo pacto Pater & Filius referuntur ad Spiritum sanctum relatione Spirationis, qua tamen non constituuntur in esse personali.

13. *Objcies* 2. Si in Deo essent quatuor relationes, essent quatuor res; hoc autem dici non potest; alioqui admittenda esset in Deo quaternitas, quæ sub anathemate damnata est in Concilijs. Sequela probatur, quia implicat, multiplicari inferius, non multiplicato superiore: Sed relatio est inferior ad rem: Ergo si in Deo multiplicantur relationes reales, multiplicantur res. Respondeo negando sequelam: quia Spiratio actiua non ponitur vt distincta re, sed ratione tantùm à Paternitate & Filiatione: Ergo licet ponatur, vt diuersa relatio à Paternitate & Filiatione, non tamen ponitur vt distincta res: quia res, cùm sit quid absolutum & ad se, non multiplicatur, nisi ad multiplicationē subiectorū. Relatio verò, cùm sit quid respectiuum, & essentialiter ad aliud, multiplicatur ad solam multiplicationem terminorum. Quia igitur spiratio actiua non est distincta re à Paternitate & Filiatione, non potest numerari vt quarta res; sicut nec essentia, quæ sola ratione distinguitur à relationibus. Potest autem numerari vt quarta relatio, quia, vt hæc multiplicetur, sufficit vt tantùm multiplicetur terminus. Terminus autem spirationis actiuæ distinctus est à termino Paternitatis, & Filiationis, vt per se patet.

14. Ad probationem verò sequelæ nego, multiplicato inferiori in re relatiua, multiplicari superius, quando multiplicatio fit tantùm ex parte termini. Vnde in huiusmodi discursu variatur appellatio, quia in antecedente sumitur multiplicatio penes terminos; in consequente verò penes res ipsas. Proinde non rectè ex antecedente infertur illud consequens, ergo multiplicatur res, quæ superior est ad relationem: quia ad multiplicationem rei requiritur multiplicatio subiecti; ad multiplicationem verò relationis sufficit multiplicatio terminorum, vt constat in sententia non distinguente ex natura rei relationes à fundamento. In ea enim multiplicantur relationes penes diuersos terminos, non multiplicatis rebus, seu fundamentis.

15. Controuersia est inter Catholicos, an præter has quatuor relationes fundatas in origine producentis & producti, admittendæ sint aliæ fundatæ in vnitate, & multitudine. Affirmat Scotus quodlibeto 5. ar. 2. & in 1. dist. 31. qu. 1. Fundamentum ipsius est, quia ad eas fundandas concurrunt omnia requisita: nempe extrema realiter distincta, quæ sunt personæ ipsæ, quæ tales relationes fundant; fundamentum reale, quod est essentia Diuina, in distinctis suppositis cōmunicata; terminus realis, qui est persona opposita. Igitur nihil deest, quo minùs illæ reales sint. Nec obstat, quòd essentia, quæ fundamentum est harum relationum, sit eadem numero in omnibus extremis. Nam eadem essentia vna numero, & indistincta fundat in seipsa reales relationes originis; cur ergo non etiam reales relationes similitudinis, æqualitatis &c.? Confirmatur, nam si personę Diuinæ essent inæquales, fundarent realem relationem inæqualitatis; ergo vt æquales fundare debent realem relationem æqualitatis. *Scotus.*

16. Dico 5. Præter quatuor relationes fundatas in origine generantis, & geniti, spirantis & spirati non sunt aliæ relationes in Deo. Est S. Thomę 1. p. q. 42. art. 1. ad 4. & communis Scholasticorum in 1. dist. 31. & 33. Fundamentum est, quia huiusmodi relationes aut fundantur in vnitate, aut in multitudine: atqui nullę ex his in Deo esse possūt: ergo. *S. Thomas. Scholasticorum communis.*

Minor

Caietanus.

Minor probatur quoad relationes fundatas in vnitate. Quoniam hæ, vt rectè Caietanus in citatum articulum, præexigunt fundamenta distincta realiter, nam ea sunt, quæ per huiusmodi relationes similitudinis æqualitatis, & identitatis referuntur, relationes autem non sunt, nisi rationes formales, quibus fundamẽta ipsa mutuò referuntur. Quantitas enim est, quæ relatione æqualitatis refertur ad alteram quantitatem. Albedo est, quæ relatione similitudinis refertur ad aliam albedinem. Cùm igitur fundamentum, in quo huiusmodi relationes fundantur, non sit distinctum in Deo, sed idem in omnibus extremis, ipsa scilicet natura Diuina, ratione cuius personæ dicuntur similes, æquales, eædem inter se; non possunt relationes in ea fundatæ reales esse. Velut si esset vna numero albedo in duplici subiecto, non posset realem relationem similitudinis fundare, quia idem ad se ipsum realiter referri non potest. Neque est eadem ratio de relationibus originis producentis & producti, quia illæ aut non fundantur immediatè in essentia, sed in actibus notionalibus, qui distincti inter se sunt; aut si immediatè fundantur in essentia, vt paternitas, quia tamen secum ferunt distinctas hypostases, possunt extrema quæ constituunt realiter referre. Relationes autem similitudinis, æqualitatis &c. solùm referunt fundamentum ad terminum. ergo nisi illud præsupponant distinctum, non possunt realiter referre.

17. Probatur minor quoad relationes fundatas in multitudine, & distinctione. Quoniam ad has non est necessaria noua forma, ne ratione quidem distincta ab ipsis relationibus personalibus; cùm enim ipsæ seipsis oppositæ, & dissimiles sint, nõ egent distincta relatione oppositionis, & dissimilitudinis vt se inuicem respiciant, vt oppositæ, & dissimiles formaliter: præsertim cùm illæ in suo genere sint infinitæ; atque adeò simplicissimè continentes omnem oppositionem, & perfectionẽ respectiuam in eo genere. Vnde etiamsi in rebus creatis opus sit distincta relatione, qua Paternitas ad Filiationem, & Filiatio ad Paternitatem vt dissimiles, & oppositæ referantur; illa tamen necessaria non est in paternitate & filiatione Diuina, ob earum illimitationem & infinitatem.

Scotus.

18. Ex his patet ad fundamentum Scoti. Nam ad relationes prioris generis deficit prima distinctionis cõditio: ad relationes posterioris generis obstat essentialis oppositio, & infinitas Diuinarum personarum, quominus in illis resultet relatio oppositionis formaliter diuersę. Ad confirmationem negatur consequentia. Nam si personæ Diuinæ essent inæquales, id esset propter inæqualitatem distinctæ naturæ, cuius vnitas in causa est, vt in illis non sit similitudo & æqualitas formalis, sed tantùm fundamentalis.

## SECTIO II.

### *An Spiratio actiua distinguatur à Paternitate & Filiatione?*

19. RAtio dubitandi est, nam eadem spiratio actiua est in Patre & Filio, vterque enim spirat amorem notionalem. Sed Pater distinguitur à Filio. Ergo & actiua spiratio Patris ab actiua spiratione Filij.

20. PRIMA sententia affirmat, spirationem actiuam distingui realiter à Paternitate & Filiatione. Est Durandi in primo, distinct. 13. quæst. 2. Bassoli ibidem §. *circa primum*, Bacconi dist. 10. art. 1. §. 4. Henrici in summa art. 60. quæst. 2. Probatur. Durandus. Totum esse relationis est ad aliud. Ergo nequit Pater eadem Paternitate respicere Filium & Spiritum sanctum; nec Filius eadem filiatione respicere Patrem & Spiritum Sanctum.

*Durandus. Bassolus. Bacconus. Henricus.*

21. Secundò. Ita se habet generare ad generari, sicut spirare ad spirari: ergo commutata proportione ita se habet generare ad spirare, sicut generari ad spirari. Sed generari & spirari differunt realiter inter se, quia vnum constituit personam Filij, aliud personam Spiritus Sancti. Ergo & generare, & spirare differunt inter se realiter.

22. Tertiò. Duabus relationibus disparatis specie differentibus correspondent duæ relationes disparatę specie etiam realiter differentes. Sed generari & spirari sunt duę relationes specie realiter differentes. Ergo & relationes eis correspondentes, quæ sunt generare & spirare, erunt etiam specie realiter inter se differentes. Maior constat, nam eadem relatio secundùm speciem non opponitur pluribus relationibus secundùm speciem.

23. Quartò. Quæcunque sunt eadem vni tertio, sunt eadem & inter se. Ergo si generare & generari sunt eadem cum spirare, erunt eadem & inter se.

24. Quintò. Ab vna & eadem actione nequeunt esse duę processiones immediatæ. Sed generari & spirari sunt duæ emanationes passiuæ: ergo nequeunt esse ab vna & eadem actione immediata; sed generari erit immediatè à generare, & spirari à spirare.

25. Sextò. Implicat, relationem producentis & producti esse vnam & eandem, etiam respectu diuersorum. Etenim pater in humanis alia relatione respicit genitum, alia genitorem; quoniam per illam constituitur pater, per hanc verò filius. Sed spirare, & generari sunt relationes producentis & producti in eadem persona respectu diuersorum; ergo nequit esse vna, sed duplex realiter distincta.

26. Septimò. Generare potest esse in Patre absque spirare; nam dato, quòd Pater &

Filius non spirarent. Adhuc Pater generaret, & Filius generaretur. Ergo spiratio distinguitur à generare & generari.

27. Octauò. Pater producit Filium per generare. Ergo si generare & spirare sunt idem, Pater producit Filium per ipsum spirare: igitur Filius non solùm erit genitus, sed etiam spiratus.

28. Nonò. Duæ res absolutæ realiter distinctæ nequeunt esse idem realiter cum alia re absoluta; ergo nec duę respectiuæ realiter distinctæ cum alia relatiua. Sed paternitas & filiatio sunt duæ res respectiuæ realiter distinctæ; ergo nequeunt esse idem cum spiratione actiua.

*Bassolus.*

29. Decimò probat Bassolus. Relationes, quarum vna est constitutiua, & incommunicabilis, alia non constitutiua, & communicabilis, distinguuntur realiter: paternitas est constitutiua Patris, & incommunicabilis alijs personis; Spiratio actiua non est constitutiua Patris, & communicabilis Filio; ergo distinguuntur realiter. Maior probatur, nam quando sunt duo entia positiua, & neutrum est formaliter infinitum, si vnum est communicabile, aliud incommunicabile, ambo differunt realiter. Paternitas & spiratio actiua sunt entia positiua, & neutra est formaliter infinita, & vna est communicabilis, altera incommunicabilis: ergo &c.

30. Vndecimò. Quæcunque sunt aliquod positiuum extra intellectum, & vnum nequit prædicari de alio in abstracto, distinguuntur realiter. Generatio nequit prædicari in abstracto de spiratione actiua, & vtrumque est aliquid positiuum extra intellectum: ergo distinguuntur realiter.

*Scotus. Mayronus. Gabriel.*

31. Secvnda sententia docet, spirationem actiuam distingui tantùm formaliter ex natura rei à paternitate & filiatione. Est Scoti quodlibeto quinto, articulo secundo, §. *circa tamen*, Mayronis in primo, dist. 11. quæst. 3. art. 2. Grbrielis distinct. 27. quæst. 1. Probatur primò. Spiratio actiua communicatur Filio, cui non communicatur paternitas; igitur spiratio actiua distinguitur à paternitate & filiatione; alioqui idem communicaretur, & non communicaretur. Secundò. Si spiratio actiua non distingueretur à paternitate & filiatione, possent inuicem prædicari. Consequens est falsum: ergo & antecedens. Tertiò. Paternitas & Filiatio non sunt perfectiones infinitæ: ergo non solùm eis conuenit distinctio opposita, sed etiam disparata.

*S. Thomas. Caietan. Richardus. Capreol. Rubio. Aureolus. Argentin. Ægidius. Ariminen.*

32 Tertia sententia negat, spirationem actiuam ex natura rei distingui à paternitate & filiatione. Est S. Thomæ 1. p. q. 30. art. 2. ad 1. & 32. art. 3. ad 3. & 36. art. 4. Caietani ibidem, Richardi in 1. dist. 18. art. 2. q. 1. & 2. Capreoli, dist. 13. artic. 2. Rubionis, q. 1. art. 1. Aureoli art. 4. propositione 2. Argentinæ distinctione 11. q. 2. art. 2. Ægidij distinctione 26. circa finem, Ariminensis distinctione 11. articulo primo, circa finem. Henrici in summa art. 6. q. 3. ad 3. & 4. quamuis oppositum docere videatur loco supra citato pro prima sententia; Molinæ 1. part. quæst. 32. art. 2. disputatione 3. Suarez de Trinit. lib. 5. cap. 5. Vasquez disputat. 138. cap. 1. Didaci Ruiz de Trinitate disputatio. 17. sect. 2. Pro cuius controuersię declaratione,

*Henricus. Molina. Suarez. Vasquez. Ruiz.*

33. Dico 1. Spiratio actiua nequit realiter distingui à Paternitate & filiatione. Assertio est contra primam sententiam, quam Zumel 1. p. quæst. 32. art. 2. disput. 1. concl. 1. temerariam, & errori proximam; Molina in fide parum tutam & erroneam; Didacus Ruiz periculosam appellat. Et meritò, aduersatur enim definitioni Concilij Lateranensis relati capite, *Damnamus*: vbi Pontifex, toto approbante Concilio, damnat quaternitatem rerum in Deo: ex opposita autem sententia apertè sequitur rerum quaternitas in Deo. Nam præter Trinitatem personarum, daretur quartum constitutum ex natura, & spiratione actiua, vt quarta res à reliquis personis distincta.

*Zumel. Molina. Ruiz. Censura contra opinionis. Concilium Lateranen*

34. Respondet Durandus, Concilium tantùm damnare quaternitatem personarum, aut rerum, quę sit trium personarum, & essentiæ communis: quod tantùm Ioachimus Magistro sententiarum imponebat, non autem relationum re ipsa distinctarum, cùm multi post Concilium in Deo admittant quaternitatem relationum. Sed contrà: nam esto hæc fuerit primaria mens Pontificis, ipsius tamen verba formaliter sumpta se extendunt ad quamcunque rerum quaternitatem; ac proinde quęcunque rerum quaternitas, saltem consequenter per hanc definitionem Pontificis in Deo damnatur. Cæterùm aliud est, in Deo admittere quaternitatem relationum in ratione relationum, aliud in ratione rerum: admittunt Theologi primum, quod nos etiam infrà admittemus, nō autem secundum, quod sequitur ex opinione Durandi.

*Durandus. Ioachimus. Magister.*

35. Secundò probatur nostra assertio ex Patribus affirmantibus, Patrem & Filium non distingui inter se, nisi sola paternitate & filiatione. Athanasius dialogo 1. de sancta Trinitate: *Nulla*, inquit, *differentia neque in natura, neque in voluntate, sed in eo tantùm, quod gignere & gigni, emittere & procedere siue emitti inter se differunt*. Damascenus lib. 1. fidei c. 11. *Secundùm omnia vnum sunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, præter (si ita dicamus) ingignentiam, gignentiam, & processionem*. Cyrillus l. 1. thesauri cap. 8. *Pater*, inquit, *in Filio est, & Filius in Patre; non tamen vt idem numero. Pater enim in sua, & filius in sua proprietate est. Hæc enim solùm differentia inter ipsos est*. Si autem spiratio actiua distingueretur à Paternitate & Filiatione, non sola paternitate & filiatione, sed etiam spiratione actiua Pater & Filius distinguerentur inter se.

*Athanas. Damascen. Cyrillus.*

36. Tertiò probatur assertio ratione. Nam ex opposita sententia sequitur, in Deo esse quartā personam: consequens est hæreticum:

ergo.

ergo. Sequelam probo, quoniam ad constituendam personam in Deo sufficit relatio realis in Deitate subsistens, à cæteris relationibus realiter distincta. Spiratio actiua in sententia Durandi est relatio realis in Deitate subsistẽs; est enim substantialis, à cæteris relationibus Diuinis realiter distincta. Ergo.

37. Negat Durandus maiorem: quoniam ad constituendam personam requiritur incommunicabilitas; nam hæc est de essentia personalitatis, spiratio verò actiua est communis Patri & Filio, proinde nequit personam constituere. Sed contrà, quia impossibile est, Spirationem actiuam realiter distingui à Patre & Filio, & illis esse communem: ergo si constituit aliquid realiter distinctum à Patre & Filio, constituitur aliquid ipsis incommunicabile; atque adeò tale constitutum habet rationem personæ. Antecedens probo, nam omnis realis communicatio aut fit per identitatem, aut per vnionem rei communicabilis cum eo, cui communicatur. Spiratio actiua neutro modo communicatur Patri & Filio. Ergo. Maior constat tum inductione; tum ratione. Nam omnis realis communicatio tendit ad faciendum vnum inter communicabile, & id, cui communicatur: igitur vel per identitatem, vel per vnionem, cùm non sit alius modus faciendi vnum. Minor quoad identitatem est ipsa aduersariorum assertio: quoad vnionem verò patet, nam omnis physica vnio facit realem compositionem cum vnitis: sed omnis realis compositio repugnat Deo actui puro: ergo.

38. Confirmatur; nam idem est in Diuinis distingui realiter ab alio, & esse illi incommunicabile: sicut è conuerso idem est communicari alteri, & identificari cum illo; cùm nequeat dari alius modus communicationis in Deo, quàm per identitatem; ergo nec alius modus incommunicationis, quàm per realem distinctionem: ideo enim paternitas est incommunicabilis filio, quia realiter distinguitur à Filio. Ergo si spiratio actiua distinguitur realiter à Patre & Filio, est illis incommunicabilis; atque adeò constituens cum natura vnum subsistens, à Patre & Filio realiter distinctum.

39. Dico 2. Spiratio actiua neque Formaliter ex natura rei distinguitur à paternitate & filiatione. Assertio est contra secundam sententiam: probatur autem primò ex illo principio Anselmi ab omnibus Theologis recepto. *In Diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationum oppositio.* quod non solùm intelligendum est de perfectionibus absolutis, quæ ob sui infinitatem simpliciter identificant sibi omnia, sed etiam de relatiuis, quæ quoniam in suo genere infinitæ sunt, identificant sibi omnia, cum quibus oppositionem non habent. Sed paternitas & filiatio nullam oppositionem habent cum spiratione actiua. Ergo. Maior probatur, quia non est maior ratio, cur perfectio absoluta ex eo, quòd infinita est in omni genere, identificare sibi debeat omnia; & perfectio relatiua, ex eo quòd infinita est in genere relatiuo, non debeat sibi identificare saltem ea, quibus cum oppositionem non habet. Nam omnis distinctio, quæ non fundatur in essentiali oppositione extremorum, necessariò oritur ex limitatione perfectionis, quæ repugnat perfectioni increatæ & à se. Minor probatur, quoniam omnis oppòsitio, quam habere potest vna relatio ad aliam, aut est in ratione actualis respectus; aut in ratione originis producentis & producti, aut productiui & producibilis. Nullam ex his oppositionem habet paternitas & filiatio cum spiratione actiua; Ergo. Non actualis respectus & termini: quia terminus paternitatis est filiatio, sicut filiationis est paternitas; spirationis autem actiuæ terminus est ipsa passiua spiratio. Non in ratione originis producentis & producti; quia spiratio actiua non est origo, qua vel Pater producit Filium, vel Filius Patrem; sed qua vterque producit Spiritum Sanctum. Non repugnat autem, vt duæ personæ per eandem originem influant in terminum, & per eandem relationem referantur ad productum. Neque in ratione productiui, & producibilis, quia Pater non constituitur productiuus Filij spiratione, sed Paternitate. Ergo.

40. Probatur 2. ex absurdo. Sequeretur enim aliqua realis compositio ex entitate & formalitate in Diuinis personis: nam persona Patris componeretur ex Paternitate, & Spiratione actiua, tanquam ex entitate, & formalitate distincta; similiter persona Filij ex filiatione, & spiratione actiua. Repugnat autem Deo quæcunque compositio, quæ sit ex natura rei: nam quæcunque compositio tollit omnimodam simplicitatem, quæ est propria Dei, vt definitur in Concilio Lateranensi, & refertur de summa Trinitate & Fide Catholica, capite, *Firmiter*. Ex quo vlteriùs sequeretur, simpliciorem esse personam Spiritus Sancti, quàm Patris & Filij, quia persona Patris & Filij constitueretur ex propria personalitate, & spiratione actiua formaliter distincta; persona verò Spiritus Sancti ex sola spiratione passiua, absque alia formalitate ex natura rei distincta.

41. Tertiò probatur assertio nostra ad hominem contra Scotum. Sequeretur enim spirationem actiuam non solùm distingui formaliter, sed etiam realiter à paternitate & filiatione: quod notauit Rubio in primo dist. 2. quæst. 5. artic. 3. Sequelam probo, nam ideo per Scotum spiratio actiua ex natura rei distinguitur à paternitate & filiatione, quia istę non sunt perfectiones infinitæ. Vnde concludit, quòd si essent perfectiones infinitæ, non distinguerentur inter se: perfectiones autem non infinitæ eodem modo per ipsum distinguuntur à perfectionibus disparatis, atque à perfectionibus oppositis: sed spiratio actiua ab opposita correlatione distinguitur realiter; ergo

*Anselmus.*

*Concilium Lateranen.*

*Scotus.*

*Rubio.*

etiam à relationibus disparatis, quales sunt paternitas & filiatio. Minor probatur, nam spiratio actiua distinguitur realiter ab opposita spiratione passiua, tum quia omnis relatio in Diuinis distinguitur realiter ab opposita correlatione. Tum quia sublata omni alia relatione, per solam spirationem actiuam Pater distingueretur realiter à Spiritu Sancto, quia per eam constitueretur sufficiens principium spiratiuum realiter distinctum à termino spirabili.

42. Dico tertiò. Spiratio actiua distinguitur ratione ratiocinata à paternitate & filiatione, est authorum tertiæ sententiæ. Fundamentum est, quia spiratio actiua est ad distinctum terminum formalem, nempe ad Spiritum Sanctum, qui est distinctus terminus formalis à termino paternitatis & filiationis: sed hoc ad talem distinctionem sufficit: quoniam ad distinctionem rationis ratiocinatæ sufficit diuersa formalitas eiusdem entitatis: sed relatio sumit formalitatem à termino: ergo eadem relatio à diuerso termino formali diuersam sumit formalitatem.

43. Dico 4. Spiratio actiua non est vna in Patre, & Filio vnitate rationis, sed rei. Dupliciter concipi potest spiratio actiua, vt vna in Patre & Filio: vno modo vnitate rationis, concipientis illam, vt vnam per ordinem ad vnum terminum, quem respicit, tametsi re ipsa sit duplex, partialiter existens in Patre & Filio, cum quibus vnaquæque partialis spiratio adæquatè identificetur; alio modo vnitate reali per modum vnius formæ, eo modo, quo natura est vna numero indiuisa in tribus. Concluso asserit, esse vnam hoc secundo modo, in quo sensu illam asserunt omnes, qui à paternitate, & filiatione ex natura rei non distinguunt. Et colligitur ex Concilio Florentino, definiente Spiritum Sanctum *vnica spiratione* procedere à Patre, & Filio. *Concilium Florentinũ.* Fundamentum, quia aliàs hæc relatio multiplicaretur numero; alia enim esset numero spiratio in Patre, alia in Filio; repugnat autem Diuinas relationes solo numero multiplicari, quia numerica multiplicatio limitationem importat.

44. *Obijcies.* Implicat, eandem relationem esse productam, & improductam; ergo implicat, eandem spirationem numero esse in Patre & Filio. Consequentia probatur, nam quatenus esset in Patre esset improducta; quatenus in Filio esset producta cum ipsa Filiatione, cum qua formaliter identificatur. Respondeo nego consequentiam: ad cuius probationem, nego spirationem actiuam in Filio esse productam, alioqui non posset esse vna numero in Filio & Patre; nam quæ esset in Filio necessariò distingueretur à Patre, tanquam productum à producente; nam licet ea, quæ esset in Patre, quia nullo modo opponeretur Filio, neque vt principium productiuum, neque vt productio, neque vt correlatio, posset identificari cum Filio; non tamen quæ esset in Filio, identificari posset cum Patre, quia illi opponeretur, vt principio producenti; vnde necessariò foret duplex numero spiratio actiua, altera in Patre, quæ simul posset identificari cum Filio; altera in Filio, quæ non posset identificari cum Patre. Quare dicendum est, illam esse improductam in vnoquoque, eamque communicari Filio à Patre cum ipsa natura, non via productionis, vt Filiatio; sed communicationis, vt natura, cum qua communicatur, quidquid illi non opponitur.

45. Controuersia superest, an spiratio actiua saltem in ratione relationis, realiter distinguatur à paternitate, & filiatione, esto non distinguatur in ratione rei. Negant Gabriel in 1. dist. 27. q. 1. Molina qu. 32. art. 3. disput. 2. Vasquez disp. 138. c. 1. *Gabriel. Molina. Vasquez.*

46. Affirmant S. Thom. in 1. distinct. 27. q. 1 art. 1. Ægidius art. 1. quæst. 1. Capreolus disp. 13. art. 2. Zumel q. 32. art. 2. disp. 1. concluſ. 3. Suarez de Trinit. l. 5. cap. 7. Quę sententia probabilior est, & conformior modo loquendi Theologorum, qui absolutè pronunciant, in Deo esse quatuor relationes reales. Fundamentum, quia potest relatio multiplicari secundùm differentiam relationis, non multiplicata secundùm differentiam rei; ergo potest esse multiplex in ratione relationis, & simplex in ratione rei. Antecedens probatur; nam differentia relationis, vt relatio est, desumitur ex ordine ad terminum formalem; differentia verò rei, vt res est, desumitur ex entitate: potest autem relatio multiplicari secundùm ordinem ad diuersos terminos formales, non autem secundùm entitatem: igitur potest relatio esse multiplex in ratione relationis, & non in ratione rei. Minor probatur, quia vel non repugnat in creatis, vt eadem relatio entitatiuè respiciat plures terminos formales; vt eadem eductio indiuisibilis respicit agens, à quo est, & subiectum in quo est; & eadem entitas fundamenti in sententia non distinguente relationem à fundamento, plures terminos formaliter diuersos; vel certè non repugnat in Diuinis, vt eadem relatio ob sui infinitatem respiciat plures terminos formales. *S. Thomas. Ægidius. Capreol. Zumel. Suarez.*

47. Dices. Hinc sequeretur, eandem rem fore in duplici specie. Respondeo, hoc nullum esse absurdum quoad speciem relatiuam, quia hæc desumitur ex ordine ad terminum formalem; potest autem duplex terminus formalis respici ab vna re relatiua.

48. Ad argumenta primę sententię. Ad primum distinguo consequens: nequit Pater Paternitate, formaliter sumpta, respicere Spiritum S. concedo, quia vt sic reduplicat formalẽ respectum ad terminum; entitatiuè accepta, nego; quia, vt probatum est, nõ repugnat, eandem relationẽ entitatiuè respicere plures terminos formaliter diuersos. Vnde cùm dicitur, totum esse relationis est ad aliud, si intelligatur, quod totum esse, quod habet

relatio,

relatio, respiciat aliud, verum est; cùm nihil sit in relatione, quòd terminum non respiciat; si verò intelligatur, quod vnaquæque relatio debeat secundùm totum suum esse respicere vnumquodque adæquatè, est falsum; cùm possit eadem relatio respicere plures terminos, atque adeò non totum esse vnuscuiusque relationis adæquatè est ad vnumquodque, sed adæquatè ad omnes terminos, quos adæquatè respicit, inadæquatè verò ad singulos.

49. Ad secundum. In diuinis deficere leges commutatæ proportionis, quoties proportio ducitur ab oppositis ad non oppositа, aut contrà; vt fit in argumento Durandi; cui negandum est, ita se habere generare ad spirare, sicut generari ad spirari; quia generari opponitur spirari, vt productiuum producibili; quia Filius, qui constituitur per generari, est productiuus Spiritus Sancti, qui constituitur per spirari; generare verò nullo pacto opponitur spirare.

50. Ad tertium distinguo maiorem; duabus relationibus differentibus specie, correspondent duæ relationes specie differentes in ratione relationis, concedo; in ratione rei, nego. Ex quo tantùm sequitur, paternitatem & spirationem actiuam, correspondentes filiationi, & spirationi passiuæ differre tantùm specie in ratione relationis per ordinem ad diuersos specie terminos, non autem in ratione rei, siue differre specie terminatiuè, non subiectiuè.

51. Ad quartum, fallaciam huius argumentationis constare in relationibus personalibus comparatis cum natura, in qua sicut ex identitate earum cum natura, non rectè infertur identitas earum inter se: ita neque ex identitate paternitatis & filiationis cum spiratione actiua, infertur identitas paternitatis & filiationis inter se. Et ratio est, quia allatum principium intelligendum tantùm est de ijs, quæ adæquatè identificantur cum tertio, non autem quæ tantùm inadęquatè. Cęterùm paternitas & filiatio inadæquatè tantùm identificantur cum spiratione actiua, quemadmodum & relationes personales cum natura; quia non cum quocunque identificatur spiratio actiua, identificatur paternitas. Vnde non bene infertur ex inadæquata identificatione paternitatis & filiationis cum spiratione, identificatio paternitatis, & filiationis inter se.

52. Ad quintum distinguo maiorem. Nequeunt ab eadem actione formaliter sumpta esse duæ processiones, concedo maiorem; ab eadem actione entitatiuè sumpta, nego maiorem. Sed generari & spirari sunt ab eadem actiua origine entitatiuè, concedo; formaliter, nego. Etenim licet generatio, & spiratio in Patre sit eadem realitas, est tamen diuersa formalitas virtualiter, non formalitate rei, sed formalitate actionis respicientis diuersum terminum formalem.

53. Ad sextum neganda est maior. Et quidquid sit de exemplo, & ratione ducta ex humanis: dispar est ratio de relationibus diuinis, quæ cùm in genere relationis sint infinitæ, multa præstare potest vna simplex relatio increata, quę nequeunt multæ, ac diuersæ relationes creatę.

54. Ad septimum ex ea hypothesi impossibili nulla de facto concluditur distinctio inter paternitatem, & spirationem actiuam. Nam sicut impossibile est, quin Pater spiret; ita impossibile est, quin de facto cum ipsa paternitate coniunctam habeat spirationem actiuam. In eo autem casu sicut persona Patris non esset cum eadem perfectione & virtute productiua; ita nil mirum, si nec esset cum eadem perfectione actiuæ spirationis.

55. Ad octauum neganda est sequela. Quia licet generare & spirare in Patre sint idem, tamen connotant diuersos actus, & terminos: nam generare connotat actum intellectus & terminum generandum: spirare verò actum voluntatis & terminum spirandum. Vnde sicut non potest dici, quod Pater generet voluntate, & spiret intellectu, etiamsi voluntas & intellectus in Deo sint idem; ita nec quòd Filium producat per spirare, vel Spiritum Sanctum per generare. Ratio est, quia verba reddunt sensum formalem, & important principium prę-cisè secundùm illam formalitatem, ex qua proximè fluit actus.

56. Ad nonum nego consequentiam. Ratio, quia duæ res absolutæ nequeunt inter se distingui, nisi propter limitationem: quæ autem hoc modo distinguuntur, nequeunt identificari cum alia re. At duæ res respectiuę non semper distinguuntur propter limitationem, sed propter essentialem oppositionem, quam habent ad inuicem. Quo fit, vt si illę infinitæ sint, possint quoad alias perfectiones, in quibus non opponuntur, mutuo identificari. Tales sunt paternitas, & filiatio in diuinis, quæ inter se distinguuntur, non propter limitationem, sed propter essentialem oppositionem; atque adeò poterunt quoad reliquas perfectiones, in quibus non opponuntur, realiter identificari.

57. Ad decimum nego maiorem. Constat in paternitate, & natura diuina, quarum vna est communicabilis, altera incommunicabilis; neutra tamen ab altera distinguitur realiter. Ad probationem, nego, paternitatem & spirationem actiuam non esse infinitas in suo genere: ratione cuius infinitatis possunt in eo, in quo non opponuntur, non solùm realiter, sed etiam formaliter identificari.

58. Ad vndecimum, neganda est maior. Etenim ratio cur spiratio actiua nequeat in abstracto prædicari de paternitate & filiatione, non est realis distinctio inter eas, sed sola distinctio virtualis cum diuersa connotatione terminorum: nam pa-

ternitas connotat filiationem, spiratio verò actiua spirationem passiuam. Propter quam diuersam connotationem terminorum nequit vna in abstracto prædicari de altera, sicut potest vna perfectio absoluta de alia etiam in abstracto enunciari; rectè enim dicitur: Sapientia diuina est bonitas; & vice versa. Quia hæ rationes, cùm sint ad se, nullum connotant terminum diuersum. Ob eandem rationem nequit generatio prædicari de spiratione, aut actus generandi de voluntate, vel actus spirandi de intellectu; quia per huiusmodi actus cõnotantur diuersi termini, & principia proximè ad actum concurrentia.

59. Ad argumenta secundæ sententiæ. Ad primum nego consequentiam: ad cuius probationem dico, paternitatem communicari secundùm vnam rationem, non communicari secundùm aliam, virtualiter tantùm distinctam: sicut natura diuina, vt absoluta communicatur, vt respectiua non communicatur; ad hoc enim sufficit virtualis distinctio vnius rationis ab alia. Ad secundum nego sequelam, vt constat ex responsione ad vndecimum. Ad tertium nego antecedens.

## SECTIO III.

### *Quodnam sit munus Spirationis actiuæ?*

60. QVadruplex potest esse munus spirationis actiuæ. Primum constituere personam. Secundum complere virtutem spiratiuam. Tertium actiuè originare terminum spirabilem. Quartum referre principium spiratiuum ad oppositam correlationem spirationis passiuæ. Hæc enim omnia exercet paternitas in Patre; nam constituit personam; complet vim generatiuam; actiuè originat terminum generabilem; & formaliter refert principium generatiuum ad oppositam relationem filiationis. Controuersia igitur est, quodnam munus ex his conueniat spirationi actiuæ.

61. Notandum autem est, quòd qui spirationi actiuę tribuit munus constituendi personam, consequenter etiam illi tribuit munus complendi virtutem originandi personam, & simul referendi subiectum ad oppositum terminum; quia cùm hæc relatio sit in persona producente, si illam constituit in ratione personæ, simul etiam complet in virtute spirandi, originandi, & referendi ad terminum productum. Item qui ei tribuit munus complendi virtutem, simul etiam tribuit munus originandi, & referendi: quique tribuit munus originandi, simul ei tribuit & munus referendi. Contrà verò, qui illi tribuit solùm munus referendi, eo ipso illi negat reliqua munia superiora, eò quòd munus superius includit inferius, non contrà. His adnotatis,

62. PRIMA sententia docet, spirationem actiuam constituere personam Patris & Filij. Est Aureoli in 1. distinct. 11. art. 3. propos. 1. 2. & 3. & distinct. 12. quęst. 1. & distinct. 13. art. 4. Fundamentum est, nam aliàs spiratio actiua accideret personæ Patris & Filij; quidquid enim essentiam, vel personam non constituit, accidit personæ: nam omnis substantialis constitutio aut est naturæ, aut personę: atqui spiratio actiua non constituit naturam, cùm non sit perfectio absoluta; ergo si nec constituit personam, erit accidens personæ. Confirmatur. Non minoris efficacię est spiratio actiua, quàm passiua; atqui passiua personam constituit; ergo & actiua. *Aureolus.*

63. SECVNDA sententia affirmat, spirationem actiuam solùm referre personam Patris & Filij ad Spiritum Sanctum sub ratione Spiratoris. Est Henrici in summa artic. 60. quęst. 5. Ægidij in 1. dist. 11. artic. 2. quæst. 2. in fine corp. & quæst. 3. Zumel 1. p. quęst. 36. artic. 4. disput. 2. Suarez lib. 5. de Trinit. cap. 6. & lib. 10. cap. 4. Probatur 1. Idem est immediatum principium productiuum per intellectum, & per voluntatem: ergò si Pater sola paternitate constitutus generat, sola paternitate constitutus spirat. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia Amor procedit ex notitia obiecti amati: ergo idem est amans, qui intelligens. Ergo idem spirat amando, qui generat intelligendo. Id ipsum constat de Filio, qui vt supponitur prior origine productioni per voluntatem, per solam filiationē habet, quidquid requiritur ad spirandum. *Henricus. Ægidius. Zumel. Suarez.*

64. Secundò. Tota vis spirandi est voluntas, relatio est sola conditio distinguens tantùm personam spirantem à termino spirabili. Sed paternitas & filiatio sufficienter distinguunt personam spirantem à termino spirabili: Ergo spiratio actiua est purus respectus consequens ad productionem personæ spiratæ. Consequentia patet, nam quidquid requiritur per modum principij, vel originis ad spirandum, totum id præstat voluntas personaliter distincta à termino spirabili: ergo spiratio actiua non requiritur, nisi vt purus respectus, & formalis referentia ad terminum.

65. Confirmatur. Nam ex quo tota vis producendi est natura, ea semel per aliquam relationem determinata ad personam, fit sufficienter productiua cuiuscũque actionis possibilis. Ex quo colligunt, spirationem actiuam non recipi immediatè in natura, sed in patre & filio, non quatenus sunt vnum, sed quatenus sunt plures: quia cùm hæc relatio non habeat nisi referre, & referri in Deo non possit nisi persona, immediatè recipi debet in persona Patris & Filij, quos tantùm refert ad terminum spiratum; ad cuius productionem resultat, censeturque aduenire Patri & Filio perfectè constitutis, in virtute spirandi, tanquã purus respectus ad terminum spiratũ.

66. TER-

66. TERTIA sententia asserit, spirationem actiuam constituere potentiam spirandi. Est Richardi in 1. distinct. 11. quæst. 3. & 4. Scoti distinct. 12. quæst. 1. ad 3. in fine, Rubionis quæst. 1. Capreoli concluſ. 4. & ad 5. Henrici, & ad 2. confirmat. Scoti, Ochami quæst. 1. Gabrielis q. 1. Argentinæ distinct. 7. art. 1. ad 3. circa finem & distinct. 11. artic. 2. Vasquez disput. 164. cap. 3. Molinę quęst. 36. artic. 4. disput. 2. §. *quo loco*, & ad 3. Zunigæ de Trinit. disputat. decima sexta, dubio sexto. Quæ mihi probabilior est: eamque apertè docet S. Thomas q. 36. a. 4. ad 1. Syluius ibid. Vbi docet, vim spiratiuam, à qua procedit Spiritus Sanctus, constitui ex natura & proprietate Patri Filioque communi; igitur spiratio actiua in sententia S. Thomę prærequiritur per modum principij ad productionem Spiritus Sancti.

*Richardus. Scotus. Rubio. Capreolus. Ochamus. Gabriel. Argentin. Vasquez. Molina. Zuniga. S. Thomas. Syluius.*

67. Fundamentum est, quia spiratio actiua non potest personas constituere: nec constitutas solùm referre; ergo necessariò constituit virtutem spirandi. Consequentia constat, à sufficiente munerum enumeratione; nam licet possit tantùm originare, origo tamen actiua spirandi necessariò supponit proprietatem spiratiuam, ratione diuersam à paternitate & filiatione, vt infrà constabit. Antecedens probatur quoad primam partem. Nam vel spiratio actiua constituit personam à patre & Filio diuersam, vel ipsasmet personas Patris & Filij. Primum est hæreticum; de fide namque est, in Deo tres tantùm esse personas. Secundum repugnat proprietati personali, de cuius ratione est incommunicabilitas: Est enim personalitas teste Ioanne Latino in Concilio Florentino sess. 19. post medium, §. *legatur ergo liber*, intellectualis naturæ incommunicabilis subsistentia. Implicat igitur spirationem actiuam constituere personas Patris & Filij, & esse illis communem.

*Ioã Latinus Concilium Florentinũ.*

68. Probatur antecedens quoad secundam partem. Nam si spiratio actiua non constitueret virtutem spirandi, sed tantùm referret personas spirantes ad terminum spiratum, sequeretur primò originem actiuam generandi distingui realiter ab origine actiua spirandi, contra omnes ferè Doctores, & aduersarios ipsos, vt in præcedente disputatione, sectione tertia vidimus. Sequelam probo, etenim si spiratio actiua est tantùm relatio consequens ad originem actiuam spirandi: igitur origo actiua spirandi est à voluntate diuina, vt immediatè determinata paternitate & filiatione: & consequenter, quatenus origo actiua est, supra actum essentialem volitionis addit paternitatem & filiationem; quia id addit supra actum essentialem actiua origo in Deo, quod supra actum essentialem immediatè addit proximum producens: nam origo actiua, & principium proximè producens in Deo sunt idem. Atqui per aduersarios proximum principium spiratiuum supra volitionem essentialem immediatè addit solam paternitatem & filiationem; igitur distinguitur realiter ab origine actiua generandi. Consequentia patet, nam generatio actiua includit solam paternitatem, origo verò spiratiua simul cum paternitate includit etiam filiationem: sed paternitas distinguitur realiter à paternitate & filiatione, vt inclusum ab includente: ergo & ipsa origo generationis ab origine spirationis. Hoc autem non sequitur ex nostra sententia, in qua actiua generatio superaddit intellectioni paternitatem: actiua verò spiratio superaddit volitioni proprietatem spirandi, quæ quia non distinguitur à paternitate & filiatione, neque origo ipsa spirandi distinguetur ab origine generandi.

69. Sequeretur secundò, si potentia spiratiua immediatè compleretur à paternitate & filiatione, illam non esse integram in solo Patre, aut in solo Filio, sed in vtroque simul. Consequens est absurdum: nam aliàs Pater non haberet à se quidquid requiritur ad spirandum, sed compleretur, per vim spiratiuam existentem in Filio: sequela maioris probatur, quia sicut in patre non est filiatio, nec in filio paternitas: ita in neutro esset integra vis spirandi, quę per vtramque relationem formaliter completur in opposita sententia.

70. Sequeretur tertiò, spirationem actiuam esse in Deo accidens metaphysicum, consequens est absurdum; alioqui daretur in Deo metaphysica compositio ex subiecto & accidente, quæ purissimo actui repugnat. Sequelam probo, nam quidquid est extra totius naturæ personæque constitutionem, accidit personę: huiusmodi est spiratio actiua in sententia aduersariorum, nam illa nec constituit naturam, nec personas, sed eas tantùm refert perfectè constitutas.

71. DICES. Non esse accidens, quia licet de facto personas non constituat, apta tamen est illas constituere: vnde, si eas non reperiret constitutas, de facto constitueret. Confirmatur, quia si prius origine Pater spiraret Spiritum Sanctum, quàm Verbum gigneret, in eo casu spiratio actiua constitueret personam Patris, quia non posset spirare, nisi præsupponeretur constitutus in ratione personę: atqui in eo casu non posset supponi constitutus personaliter, nisi per spirationem actiuã, nam relatio paternitatis in eo casu foret communis Filio; non secus ac nunc est communis illi spiratio actiua. Ergo spiratio actiua de se est apta constituere personas.

72. Sed contrà, tum quia hoc non probat, quòd de facto non sit accidens, sed quòd non esset, si personam constitueret. Nam quamdiu aliqua ratio non ingreditur personalem constitutionem suppositi, actu manet extra personalem constitutionem ipsius, atque adeò manet accidens ipsius. Nam sicut ratio constitutiua non dicitur accidens suppositi, ex eo, quòd posset actu non constituere, si reperiret constitutum: ita è conuerso nec ratio non

con-

constituens, dicetur essentialis ex eo, quòd constitueret, si non reperiret constitutum. Quia ratio accidentalis, vel essentialis desumenda non est ex eo, quod esset, sed ex eo, quod est talis. Tum quia implicat, vt spiratio actiua constituat personam. Nam de ratione constituentis personam est incommunicabilitas: spiratio autem actiua est essentialiter communicabilis.

73. Ad Confirmationem nego in eo casu, spirationem actiuam fore eiusdem rationis ac nunc est. Vnde nil mirum, si tunc Patris personam constitueret, quam non constituit nunc, sicut diuersæ rationis foret tunc paternitas, ac nunc est; & propterea nunc constituit personam patris, quam non constitueret tunc. Ratio verò diuersitatis esset, quia tunc spiratio actiua non esset tantùm virtus producendi, sed etiam hypostatica forma: quam perfectionem haberet hocipso, quòd esset prima proprietas relatiua afficiens naturam diuinam. Contrà verò, quia tunc paternitas foret sola virtus generandi Verbum vnà cum Spiritu sancto, qui tunc simul cum Patre concurreret per eandem intellectionem sibi à Patre communicatam ad gignendum Verbum, non esset proprietas constitutiua primæ personę, quia non esset prima proprietas relatiua afficiens naturam diuinam, cùm supponeret aliam proprietatem relatiuam afficientem naturam diuinam, & determinantem illam ad rationem primæ personæ, nempe ipsam spirationem actiuam, quæ in eo casu præcederet relationem paternitatis.

74. Quartò probatur hæc sentẽtia à priori. Quoniam in diuinis non solùm debet esse distinctio inter suppositum producens, & suppositum productum, sed etiam inter potentiam proximè productiuam & terminum producibilem. Igitur Pater & Filius non solùm distingui debent à Spiritu sancto, vt suppositum producens à supposito producto, sed etiam vt principium proximè spiratiuum à termino spirabili. Nequit autem Pater & Filius in ratione principij proximè spiratiui distingui à termino spirabili per paternitatem & filiationem; ergo per communem notionem, quæ dicitur spiratio actiua: ergo spiratio actiua non solùm refert, sed etiam constituit principium proximè spiratiuum. Antecedens est Sancti Thomæ 1. p. quæstione quadragesima prima, articulo quarto, in corp. & ad 3. docentis, in diuinis dari potentiam ad actus notionales realiter distinctam à terminis producibilibus. Cuius ratio est, quia potentia designat principium, principium autem distinctionem importat ab eo, cuius est principium. Cùm nihil possit se ipsum producere. Minor, in qua est controuersia: probatur: nam inter suppositum & potentiam productiuam hoc interest, quòd suppositum non potiùs respicit hanc, quàm illam suppositi operationem; est enim vniuersale principium omnium actionum, quas potest suppositum operari: potentia verò respicit determinatam suppositi operationem, à qua proximè specificatur, & ad quam specificum ordinem dicit. Vnde in eodem supposito plures sunt potentiæ, diuersas respicientes operationes. Ergo licet paternitas & filiatio distinguant Patrem & Filium à Spiritu sancto in ratione suppositi producentis, non tamen distinguunt illos in ratione principij proximè spiratiui. Consequentia patet, nam principium proximè spiratiuum constituitur per proprietatem proximè ordinatam ad terminum spirabilem; hæc autem non est paternitas, quæ proximè tantùm respicit terminum generabilem, sicut filiatio principium proximè generatiuum.

*S. Thomas.*

75. Confirmatur, nam hæc sententia melius saluat Concilia & Patres affirmantes, Patrem & filium esse vnicum principium Spiritus sancti per vnicam spirationem, vt definit Concilium Florentinum: nam hæc sententia non modò saluat vnitatem principij remoti & essentialis, de quo non poterat esse difficultas; sed etiam proximi, & notionalis, de quo tantùm poterat dubitari,

*Concilium Florentinũ.*

76. Ex dictis sequitur primò, Spirationem actiuam immediatè recipi in Patre & Filio iam constitutis in ratione personę. Ratio est, quia potentia producendi supponit personam constitutam, Spiratio autem actiua est potentia Patris & Filij producendi Spiritum sanctum: igitur supponit illos constitutos in ratione personæ. Antecedens probatur, nam omne principium productiuum extra se supponit principium operatiuum perfectè constitutum in se.

77. Sequitur secundò. Spirationem actiuam concipiendam esse priùs in Patre, quàm in Filio: nam Filius habet illam à Patre media generatione; igitur ante generationem supponenda est in Patre; in quo tamen posterius ratione concipienda est, quàm potentia generatiua, non tamen post actum generandi. Primum patet, quia potentia generatiua constituitur per actum intelligendi, spiratiua verò per actum volendi. Secundum constat, quia generatio est via, quâ Pater communicat Filio cum ipsa natura diuina potentiam spiratiuam, sed priùs, quàm illam communicet Filio, supponitur habere in se ipso: ergo. In Filio verò priùs ratione concipienda est potentia Spiratiua, quàm referatur ad Patrem, quia relatio ad correlationem supponit subiectum perfectè constitutum in se.

78. Sequitur tertiò. Spirationem actiuam non esse accidens metaphysicum in Deo, cùm constituat personas proximè fœcundas & potentes ad spirandum: quę fœcunditas, cùm sit essentialis Deo, non minùs, quàm fœcunditas ad generandum, nequit spiratio actiua, quæ huiusmodi fœcunditatem proximè constituit, esse accidens; cùm non sit extra omnem constitutionem Deitatis.

79. Se-

79. Sequitur quartò. Dari in Deo constitutum ex actu volendi & spiratione actiua, ratione tantùm distinctum à Patre & Filio, à quo, non vt à supposito, sed vt à principio proximè spiratiuo procedit Spiritus sanctus. Legendus est Molina supra citatus. *Molina.*

80. Ad Fundamentum primæ sententię, patet ex tertio corollario, ad confirmationem distinguo maiorem: est minoris efficaciæ in constituendo suppositum, concedo; quia cùm sit proprietas communis, nequit constituere snppositum ex natura sua incommunicabile. Est minoris efficaciæ, hoc est minoris perfectionis, nego. Nam vtraque est in suo genere infinita, vna in constituendo proximum principium spiratiuum, altera in constituendo suppositum incommunicabile.

81. Ad primum argumentum secundæ sententiæ dic, solùm probare, quòd idem suppositum, quod amat, simul intelligit: nec posse amare, quin simul intelligat: non autem quòd per eandem proximam potentiam, qua amat, simul intelligat, aut è conuerso: vt constat in humanis, in quibus idem suppositum, quod amat, intelligit, non tamen per eandem potentiam, quâ amat, simul intelligit. Concedo igitur antecedens de identitate suppositi: nego autem de identitate potentiæ, & proximi principij *Quo*. Nam alia proprietate constituitur potentia generatiua Patris, alia potentia spiratiua Patris & Filij.

82. Ad secundum nego, relationem in diuinis requiri tantùm vt conditionem distinguentem personam producentem à producta, sed etiam vt rationem formalem constituentem proximum principium producendi, illudque proximè distinguendi à termino producibili. Vnde concedo minorem de distinctione personæ spirantis, vt *Quod*; nego de distinctione principij proximè spiratiui vt *Quo*. Ad confirmationem dico, eam solùm probare de supposito productiuo vt *Quod*, non de potentia proximè productiua vt *Quo*.

## SECTIO IV.

### *An relationes diuinæ distinguantur ex natura rei ab essentia?*

83. PRIMA sententia est Scoti in primo distinctione secunda, quæstione vltima, §. *sed id constat*, Ochami quæstione prima, in decisione quæstionis & distinctione trigesima, quæstione quarta, Durandi distinctione trigesima tertia, quæstione prima, & distinctione trigesima quarta, quæstione secunda, Mayroni distinctione secunda, quæstione decima tertia, §. *ideo*. Marsilij quæstione sexta, articulo secundo, Gabrielis distinctione secunda, quęstione prima, articulo tertio, dubio tertio affirmantium. *Scotus. Ochamus. Durandus. Mayronus. Marsilius. Gabriel.*

Probatur primò, quia impossibile est de eodem à parte rei existente contradictoria verificari. Atqui de essentia diuina verificatur, quòd sit communicabilis, de relatione verò, quòd sit incommunicabilis: de eadem essentia verificatur, quòd non producat, nec producatur; de relatione verò siue persona verificatur, quòd producat, & producatur: de essentia verificatur, quòd nec referat, nec referatur: de relatione verò, quòd & referat, & referatur. Ergo impossibile est, quòd essentia & relatio sint idem à parte rei. Secundò, si relationes non distinguerentur ab essentia, neque etiam distinguerentur inter se: nam quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem & inter se.

84. SECVNDA sententia est Sancti Thomæ 1.p.q. 28. art. 2. Syluij ibid. & reliquorum Scholasticorum negantium, omnem distinctionem ex natura rei inter relationem & essentiam, quin multi suspectam, & in fide parum tutam censent opinionem Scoti. Legatur Molina 1.p.quęst.pręcit. disput. 2. *S. Thomas. Syluius.* *Scotus. Molina.*

85. DICO primò. Relationes Diuinæ nullo pacto ex natura rei distinguuntur ab essentia. Assertio colligitur primò ex Concilio Rhemensi sub Eugenio tertio, vbi contra Gilbertum definitur, relationes & essentiam non esse *ratione Theologica* distinguendas. Erat autem *ratio Theologica* in sententia Gilberti, ratio distinctionis ex natura rei, prout *ratio Theologica* opponitur *rationi mathematicæ*, quæ est sola distinctio per intellectum. *Concilium Rhemense Gilberti.*

86. Secundò eadem veritas asseritur in Concilio Florentino sess. vltima in quadam confessione fidei à Latinis ad Græcos missa, vbi sic habetur: *Porrò autem, ne identitatem coniunctionemque diuinæ substantiæ distribuere, ac ipsam substantiam re ipsa, non autem sola ratione ab hypostasibus & personis differre, credere videamur.* Et sess. 19. paulò ante medium: *Ne tamen*, inquit, *re differre hoc putetis, sed apprehensione tantùm & intelligentia.* Sermo autem erat de hypostasi & natura, num re, vel ratione inter se differrent. Et in eadem sessione prope finem: *Persona*, inquit, *Patris non distinguitur à Paternitate, aut à substantia, nisi ratione.* *Concilium Florentinũ.*

87. Tertiò probatur ratione. Nam Deo concedenda est summa simplicitas: sed hæc cum actuali distinctione relationum ab essentia saluari nequit. Maior definitur in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. vbi Deus dicitur *omnino simplex*; non esset autem *omnino simplex*, si aliquam admitteret compositionem ex natura & relationibus: siquidem omnimoda simplicitas omnem excludit compositionem. Nec satisfaciunt Scotus & Durandus aientes, nullam ex tali distinctione compositionem resultare. Nam, cùm compositio nil aliud sit, quàm distinctorum vnio, si inter essentiam & relationes esset actualis distinctio, esset vera & realis compositio. Nam saltem *Concilium Lateranen* *Scotus. Durandus.*

tem negare non possunt, simpliciorem fore Deum, si nulla inter eius essentiam, & relationes intercederet distinctio. Ergo ita de facto asserendum est: nam ea simplicitas concedenda est Deo, quâ maior excogitari non potest. Dices non repugnat distinctio relationum inter se: ergo neque ab essentia. Sed negatur consequentia, quoniam inter se non vniuntur ad constituendum vnum, sicut vniuntur cum essentia.

88. Quartò probatur à priori. Natura Diuina est illimitata; ergo identificat sibi perfectissima identitate omnem perfectionem, cum quâ oppositionem non habet: atqui natura Diuina cum nulla perfectione oppositionem habet: ergo. Maior constat, quia omnis distinctio, quæ non fundatur in oppositione prouenit ex limitatione extremorum. Ergo si natura diuina non identificat sibi omnimoda identitate omnes perfectiones, cum quibus oppositionem non habet, est limitata. Minor probatur, quia natura diuina est perfectio absoluta. Absolutum autem, vt absolutum non dicit oppositionem cum respectiuo, vt patet in creatis, in quibus absolutum & respectiuum saltem transcendentale identificantur ex natura rei.

89. Dico 1. Relationes diuinæ inadæquatè identificantur cum essentia, & essentia cum quauis earum; inter se verò distinguuntur realiter. Primum explico. Illud dicitur identificari inadequatè cum aliquo, quod nō est idem cum omni eo, cum quo est ipsum identificans, nec identificans est idem cum solo identificato. Sed quæuis relatio personalis ita identificatur cum natura diuina, vt non identificetur cum reliquis relationibus personalibus, quibus cum identificatur natura: nec natura ita identificatur cum vna relatione, vt non etiam identificetur cum cæteris. Etenim paternitas ita identificatur cum natura, vt non identificetur cum filiatione, cum quâ natura ipsa identificatur: nec natura ita identificatur cum paternitate, vt non etiam identificetur cum reliquis relationibus. Secundum verò constat, quia pater opponitur filio: ergo repugnat, vt sint idem. Consequentia patet, quia repugnat identificatio, quæ destruit essentiam identificatorum: ergo si in Deo est Pater & Filius, necessariò inter eos est realis distinctio: non in essentia, in quâ non opponuntur: ergo in ipsis personalitatibus, in quibus formaliter opponūtur. Implicat enim, in Deo esse aliquam perfectionem, & non esse cum sua ratione formali.

99. Ad rationem oppositæ sententiæ negandum est, de Deo contradictoria verificari. Quoniam ad contradictoria non satis est, vt oppositа de eadem re prædicentur, sed vt prædicentur secundùm eandem rationem formalem & virtualem. Sunt enim contradictoria, teste Philosopho, *eiusdem de eodem, secundùm idem*. Communicabilitas autem & incommunicabilitas, producibilitas & improducibilitas verificantur de natura diuina secundùm perfectiones virtualiter diuersas, quas in vna simplicissima formalitate à parte rei includit. Est enim diuina essentia formaliter vna, virtute multiplex, quia in vna eademque simplicissima formalitate includit perfectionem absolutam & respectiuam simul. Eadem responsio admittenda est à Scoto, nam etiam ipse saluare debet, quomodo possit eadem entitas à parte rei communicari, & non communicari, produci, & non produci; esse idem, & realiter à se ipsa distingui. Ad quæ omnia saluanda non sufficit sola distinctio formalis, sed necessaria est realis.

*Aristot.*

*Scotus.*

91. At instat Aureolus apud Capreolum dist. 2. q. 3. Effectus in actu habere debet causam in actu: sed affirmationes & negationes includentes contradictoria sunt effectus in actu ante opus intellectus; ergo habere debēt causam in actu: sed earum causa est distinctio: ergo inter naturam diuinam & relationes est distinctio ante opus intellectus. Respondet Caiet. 1. p. q. 39. art. 1. ad 2. negando, hunc effectum prouenire à sola distinctione actuali, quippe qui prouenire potest etiam à virtuali. Sed melius cum Capreolo distinguēda est duplex affirmatio & negatio, altera formalis, fundamentalis altera. Concedo igitur affirmationem & negationem formalem exigere distinctionem in actu: nego autem, affirmationem & negationem fundamentalem, qualis est ea, quæ ante opus intellectus in Deo supponitur, exigere distinctionem in actu, sed sufficere distinctionem virtualem seu fundamentalem.

*Aureolus. Capreolus.*

*Caietanus.*

92. Ad secundam nego sequelam, quia relationes non opponuntur essentiæ, opponuntur autem inter se: ergo quamuis non distinguantur ab essentia, distingui tamen possunt inter se. Vrges. Tam idem est relatio essentiæ, quàm essentia sibi ipsi: sed implicat, essentiam distingui à se ipsa; ergo & relationem à relatione quæ est idem cum essentia. Respondeo negando maiorem, quoniam relatio non est idem adæquatè, & conuertibiliter cum essentia, sicut essentia sibi ipsi, quia non cuicūque identificatur essentia, identificatur relatio. Nam relatio potest habere oppositionem, quam non potest habere essentia; & ideo potest relatio distingui ab aliquo, à quo tamen non distinguitur essentia. Præterea essentia est idem sibi ipsi formaliter & virtualiter; relatio verò est eadem essentiæ formaliter, non autem virtualiter. Vnde aliquam identitatem habet essentia cum se ipsa, quam non habet cum relatione, quia cum se ipsa non solū habet identitatem formalem, sed etiam virtualem, & adæquatam, quam non habet cum relatione.

93. Illud verò principium, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem & inter se*, Primò eandem difficultatem habet in sententia Scoti & Durandi: quia, vt rectè vrget Aureolus, talis est identitas extremorum inter se, qualis est eorum identitas cum tertio. Ergo è conuerso talis est distinctio extremorum inter se, qualis est distinctio eorundem à tertio. Atqui in sententia Scoti & Durandi relationes Diuinæ nō distinguūtur ab essentia realiter, sed vel formaliter

*Scotus. Durand. Aureolus.*

maliter secundùm Scotum, vel modaliter secundùm Durandum: igitur nec poterunt inter se distingui realiter.

94. Secundò, relictis aliorum explicationibus, dicendum est, hoc principium verificari tantùm de ijs, quæ non sunt opposita, non autem de ijs, quæ opposita sunt: patet primò exemplo actionis, & passionis, quo vtitur S. Thomas 1.p.quæst.28.art.3.ad 1. Etenim licet actio & passio identificentur cum motu, & cum eo non opponantur, siquidem tam actio, quàm passio prædicatur de motu, ex hoc tamen non tollitur formalis oppositio actionis & passionis inter se, quia nec actio prædicatur de passione, nec passio de actione. Secundò constat ratione à priori. Nam opposita propter identificationem cum tertio, non amittunt oppositionem inter se, quia identificatio non destruit essentiam identificatorum. Posito igitur, quòd cum diuina essentia identificentur oppositæ relationes, non sequitur ex earum identitate, cũ essentia, identitas earundem inter se: quia sicut ex identitate earum cum essentia non tollitur realis oppositio inter se; ita neque ex earum identitate cum essentia sequitur realis identitas inter se

*S. Thomas.*

95. Sed contrà, quia hinc sequeretur, destrui artem syllogisticam, quę in hoc principio fundatur, *Quæ sunt eadem vni tertio prædicatione, sunt eadem prædicatione & inter se*, quæ regula deficit in syllogismo expositorio tam affirmatiuo, non enim sequitur, *Hic Deus est Pater: Hic Deus est Filius: ergo Filius est Pater*; quàm negatiuo, *Pater est hic Deus: Pater non est Filius*, non rectè sequitur, *ergo Filius non est hic Deus*. Respondeo etiam in hoc mysterio valere artem syllogisticam, si illius leges seruentur. Sunt autem leges expositorij Syllogismi, vt terminus sit perfectè singularis, & nullo modo communis. In prædictis autem syllogismis, terminus non est perfectè singularis, cùm sit re ipsa communis tribus suppositis. Vnde semper proceditur à non distributo ad distributum: qui modus argumentandi fallax est, vt patet in hoc syllogismo; *Equus est animal: homo est animal: ergo homo est equus*. Simili vitio laborat prior syllogismus, in quo medius terminus Deus, non distribuitur in maiore, & minore pro omni supposito, in quo est. Quod si distribuatur hoc pacto. *Omnis res, quæ est Deus, est Pater: omnis res, quæ est Deus, est Filius*: rectè concludetur, *ergo Filius est Pater*. Sed falsę sunt præmissæ. Similiter in posteriori syllogismo procedimus à termino non negato ad negatum, quod est virtute procedere à non distributo ad distributum, quia negatio vim habet distribuendi.

96. Vitiantur etiam syllogismi in diuinis variatione appellationis, *vt Pater generat: essentia est Pater: ergo essentia generat*. Etenim verba, quemadmodũ & adiectiua appellant formale significatum. Vnde cũ dicimus, *Pater generat*, verbũ *Generat*, appellat formale significatum *Patris*: cùm verò dicimus, *Essentia est Pater*, nõ reduplicatur formale significatum *Essentiæ*: vnde committitur variatio appellationis.

# SECTIO V.

## *An relationes sint de essentia Deitatis?*

97. PRIMA sententia negat. Est Ferrar. 2. contra gentes c.9. Rubionis in 1. dist. 3. quæst. 1. concl. 3. Zumel 1.p.q.28.art.2. disp.3.concl.1.& quæst.39.art.1.disp.2. Molinę 1.p. quæst.28.a.2. disput.6. Vasquez disput.121.c.2. Suarez lib.4.de Trinit.à cap. 5.& à fortiori sequitur ex eorum sententia, qui negant attributa esse de essentia Dei. Probatur primò ex Ferrar. Relatio vt relatio nullam dicit perfectionem: nihil autem intrat essentiam Dei nisi quod perfectionem importat: ergo.

*Ferrar. Rubio. Zumel. Molina. Vasquez. Suarez.*

98. Secundò probatur ex Rubione, Nullus conceptus vnius ordinis potest esse quidditatiuus conceptui alterius ordinis; Sed conceptus relationis est conceptus alterius ordinis à conceptu Deitatis, siquidem vnus est respectiuus, alter absolutus: igitur relatio non potest esse de essentia Deitatis.

99. Tertiò probatur ex alijs. Concilia & Patres distinguunt in Deo communia à proprijs & communia vocant essentialia, propria verò personalia. Atqui si relationes essent de essentia Dei, essent ęquè essentiales, atque absoluta. Confirmatur, nam Concilium Lateranense, & Florentinum definiunt, totam essentiam esse communẽ omnibus personis, personalia verò esse propria vniuscuiusque: Itẽ, Patrem gignendo totã substantiam cõmunicare Filio, *præter esse Patrem*: si autẽ relationes essẽt essentiales naturę, Pater non totam essentiam, sed partem essentiæ communicaret Filio.

*Concilium Lateranen. Concilium Florentinũ.*

100. Quartò probatur ex Augustino 7.de Trin.c.4.& 6.vbi, docet: *Deus non eo Deus, quo Pater*: at si relationes essent de essentia Dei, *eo Deus esset Deus, quo Pater*. Nam particula, *Quo*, reduplicat essentialia.

101. Quintò. Quidquid est de essentia Dei, est de essentia cuiusque personæ: at non omnes relationes sunt de essentia cuiusque personę: ergo relationes non sunt de essentia Dei. Minor patet, quia nulla persona est Trinitas. Maior probatur, nam singulę personę sunt verus Deus: ergo quidquid essentialiter conuenit Deo, conuenit & singulis personis.

102. Sextò. Essentia Dei est perfectè vna & indiuisa, nullam in se admittens distinctionem ex natura rei: relationes autem sunt plures, & diuisæ; nequeunt igitur essentiam constituere.

103. Septimò. Essentia Dei tota est communis; ergo tota est absoluta: non igitur dicit essentialiter relationes; alioqui quâ parte diceret relationes, non esset communis, sed propria.

104. Octauò. Pater per generationem cõmunicat totam essentiam Filio, vt Concilia definiunt, cui tamen non communicat paternitatem:

tem: ergo paternitas non intrat essentiam Dei.

105. Nonò. Pater priùs origine, quàm generet Filium, est completè Deus: ergo per generationem Filij non producitur aliquid pertinens ad essentiam Dei. Igitur filiatio, quę generatione producitur, non est de essentia Deitatis.

106. Decimò. Implicat concipere integram essentiam in aliquo sine omni eo, quod essentialiter constituit illam. Ergo implicat concipere integram essentiam Dei in patre absque filiatione, si filiatio est de essentia Dei. Antecedens patet, nam quia omnipotentia est de essentia Dei, implicat, vt aliqua persona habeat essentiam, & non habeat omnipotentiam. Confirmatur. Si personalitas esset de essentia humanitatis, non posset in aliquo reperiri integra humanitas absque personalitate. Ergo si relationes sunt de essętia Dei, implicat in aliqua persona reperiri integram essentiam Dei absque omnibus relationibus.

107. Vndecimò. Si natura Dei includeret essentialiter relationes, valeret hæc propositio, *Natura producit; Natura prodicitur*; Cōsequens est damnatum in Concilio Lateranensi, & refertur capite, *Damnamus*. De summa Trinitate & Fide Catholica: ergo.

*Concilium Lateranen*

108. Duodecimò. Natura Diuina comparatur ad relationes, vt determinabile ad determinatiuum. Repugnat autem, vt determinabile, includat suum determinatiuum; alioqui pars includeret totum.

109. Decimotertiò. Relationes diuinę distinguuntur virtualiter à natura; ergo nō possunt essentialiter includi in ea. Consequentia probatur, quia id tantùm includitur essentialiter in aliquo, quod includitur in obiectiuo conceptu ipsius: sed quod distinguitur virtualiter ab aliquo, non potest includi in obiectiuo conceptu ipsius; alioqui non distingueretur virtualiter ab ipso.

110. Decimoquartò. Relationes diuinæ concipiuntur vt modi modificantes substantiam Diuinam: Ergo nequeunt illam essentialiter constituere. Antecedens passim asseritur à Patribus. Consequentia constat, quia nullus modus essentialiter includitur in re modificata.

*Henricus. Aureolus. Arimīnēsis. Caietanus.*

111. SECVNDA sententia affirmat. Est Henrici quodlibeto 5. quæst. 6. Vbi docet Dei essentiam concipi non posse absque relatiuo respectu, Aureoli in 1. distinct. 1 artic. 4 circa finem, & dist. 4. parte 2. distinctionis artic. 4. 5. & 6. & in 3. dist. 1. qu. 3. artic. 3. Arimīnensis in 1. dist. 27. artic. 2. Caietani 1. p. quęst. 27. artic. 2. in fine, affirmantis, quòd si perfectio diuini esse definienda esset, omnia in se concluderet. Quod autem in definitione rei ponitur, est essentiale rei. Est etiam Bannez prima parte, quæstione 28. artic. 2. dubio 3. ad 6. Valentiæ quæst. 39. quæst. sua 13. puncto 1. ad vlt. argum. & colligitur ex S. Thom. 1. p. quæst. 27. artic. 2. ad 3. asserente, *in perfectione diuini esse* contineri *Verbum intelligibiliter procedens, principium Verbi, & quæcumque ad eius perfectionem pertinent*. Nec oppositum docet quæst. 33. artic. 3. ad 1. vbi asserit communia includi in conceptu propriorum; non è conuerso. Nam intelligit de inclusione explicitâ, non autem implicita: quo pacto communia includuntur in conceptu personarum, in concreto significatarum, quo modo eo loco sumit propria. Propria verò non includuntur explicitè, sed tantùm implicitè in conceptu communiū, quia personę non includuntur explicitè in cōceptu Deitatis, sicut Deitas in conceptu personarum.

*Bannez. Valentia. S. Thomas.*

112. Quoniam verò controuersia hæc pendet ex intelligentia huius termini, *Essentialis*, ex declaratione ipsius ordienda est disputatio. Dicitur autem aliquid *Essentiale* alicui dupliciter, vno modo per solam realem identitatem cum illo, alio modo per obiectiuam etiā inclusionem in illo. Hoc posterius tantùm dici solet *Essentiale*, nam prius solùm dicitur *identicum*. Exemplum primi sit, Risibile respectu hominis, posito quòd risibile ex natura rei non distinguatur ab homine. Exemplum secundi sit, Rationale respectu eiusdem. Etenim risibilitas, etsi ex natura rei identificetur cum homine, non tamen includitur in conceptu obiectiuo hominis; quoniam concipi potest homo, non concepta eius risibilitate: nequit autem concipi homo, non concepta eius rationalitate. Vnde rationalitas non solùm includitur realiter in homine, vti risibilitas, sed etiam obiectiuè, quia concipi non potest homo, quin simul concipiatur eius rationalitas: atque adeo rationalitas non tantùm *identicè*, sed etiam *Essentialiter*, constituit hominem. Adhuc autem vnum includi potest *Essentialiter* in alio dupliciter, vno modo explicitè, alio modo implicitè: velut animal explicitè includit sensibilitatem, implicitè verò substantiam. Ex his ad diuina ascendendo, præsens controuersia non est, an relationes sint idem realiter, atque etiam formaliter formalitate rei cum essentia diuina, hoc enim probatum est sectione præcedente contra Scotum; sed an sint idem *Essentialiter* & *formaliter*, formalitate obiectiuâ & rationis, ita vt nequeat concipi adæquatè Deus, quin simul implicitè saltem concipiantur relationes.

*Scotus.*

113. Dico 1. Relationes implicitè includuntur in obiectiuo conceptu naturæ Diuinę, atque adeo illæ sunt de essentia Dei. Assertio colligitur primò ex Anselmo in monologio cap. 16. vbi docet omnia quæ sunt in Deo prædicari in *Quid* & *essentialiter* de Deo, non modò secundùm rem (vt excludat solam prædicationem identicam) sed etiam secundùm considerationem: *Quemadmodum*, inquit, *vnum est quidquid essentialiter de summa substantia dicitur, ita ipsa vno modo, vna consideratione est, quidquid est essentialiter.*

*Anselmus.*

114. Secūdò colligitur ex alijs Patribus passim admittentibus has prędicationes; *Essentia Diuina est Pater, Filius, & Spiritus sanctus: Essentia diuina sunt tres personæ*: Athanasius Oratione contra Gregales Sabelli. *vniuersa*, inquit, *plenitudo & integritas Deitatis est Pater vt Pater*

*Athanasius.*

&

*& Filius vt Filius*, & infrà: *Idem*, inquit, *De Filio & Spiritu sancto est existimandũ*. Et Sermone 4. contra Arianos pag. 3. *Quoniam*, inquit, *Filius est imago Patris, necessum est, vt cogites, Deitatem & proprietatem Patris ipsam essentiam Filij constituere*. Cyrillus lib. 13. Thesauric. 1. *Spiritus sanctus*, inquit, *in ipso Deo essentialiter est*. Etc. 2. Spiritum sanctũ appellat, *operationem essentialem* in propria hypostasi producentem, & in Deo manentem. *Cyrillus.*

115. Eadem propositiones admittit S. Doctor 1. p. q. 36. art. 6. *Essentia Diuina est Paternitas, Filiatio, Spiratio*. Neque dicas, illas admitti propter solam inclusionem identicam. Nam sola identica inclusio prædicati cum subiecto non sufficit ad prædicationem in abstracto, vt patet in hac propositione, *Rationalitas est animalitas*: quia in prædicationibus abstractis prædicamus tantùm ea, quæ implicitè saltem includuntur in conceptu obiectiuo subiecti, cuiusmodi sunt sola essentialia; hæc enim tantùm nequeunt præscindi, saltem implicitè à conceptu obiectiuo subiecti. *S. Thomas.*

116. Tertiò probatur assertio à priori. Constitutiuum adæquatum Dei est ipsum *esse* infinitum & illimitatum in omni genere perfectionis possibilis; sed hoc implicitè inuoluit omnes perfectiones tam absolutas, quàm respectiuas in Deo possibiliter existentes. Minor patet, nam ratio illimitationis & infinitatis in omni genere perfectionis formaliter constituitur per inclusionem omnium perfectionum tam absolutarum, quàm relatiuarum, compossibiliter in Deo existentium, non minùs quàm ratio humanitatis constituitur per animalitatem & rationalitatem. Ergo sicut concipi nequit humanitas, quin simul concipiatur vtraque perfectio animalitatis & rationalitatis: ita concipi nequit ratio ipsa Deitatis vndequaque illimitata, quin simul implicitè saltem concipiantur omnes perfectiones absolutæ & respectiuæ, in Deo possibiliter existentes; alioqui non conciperetur, vt perfectè illimitata in omni genere perfectionis. Maior constat ex suprà dictis de constitutiuo Dei, cuius ratio est, quoniam adæquatum constitutiuum in vnaquaque re assignari debet id, quod perfectiori modo ipsius naturam explicat. Atqui perfectiori modo naturam Dei explicat ratio entis vndequaque perfecti & illimitati; nam hęc nõ solùm ponit infinitam perfectionem in Deo, sed perfectiori modo, quo illa poni potest; quia illam ponit, vt essentialiter constituentem Deum. Qui modus perfectissimus est, quia ponit illam, vt magis intimã Deo, & per maiorem vnitatem & simplicitatem cũ ipso.

117. Confirmatur primò. Deus ex suo formali conceptu importat aliquid actu subsistens: Sed non importat aliquid actu subsistens subsistentia absoluta; ergo relatiua: ergo essentialiter importat tres subsistentias relatiuas. Maior constat, nam Deus ex modo significandi importat deitatem vltimò actuatam, ac perfectissimo modo existentem; hoc autem formaliter habetur per ipsum actuale subsistere, nam potentiale non ponit vltimam actualitatem & perfectionem debitam naturæ diuinæ. Minor primi Syllogismi probabitur infra. Prior consequentia patet. Posterior probatur, quia Deus non subsistit perfectè in vno tantùm supposito, sed in omnibus tribus.

118. Confirmatur 2. Nam ex Patribus, præsertim ex Augustino 6. 7. & 15. libro de Trinit. & alibi, in Deo tres personæ simul non sunt quid perfectius, quàm singulæ: hoc autem non potest rectè saluari, nisi dicamus, omnes personas essentialiter includi in eadem essentia communi. Quo fit, vt quia singulæ personæ quidditatiuè continent essentiam, quidditatiuè etiam contineant perfectiones reliquarum personarum, non quidem constitutiuè, nam hoc modo destrueretur perfectio ipsa Trinitatis; sed virtualiter & per *circumincessionem*, vt Patres & Scholastici loquuntur. *Augustin.*

119. Dico 2. Essentia diuina concepta secundùm rationem explicitam non importat explicitè, nisi solas perfectiones absolutas. Est S. Thomæ 1. p. q. 33. art. 3. ad 1. Affirmantis, propria non includi inconceptu communium, scilicet explicitè, Ægidij in 1. dist. 33. art. 1. quæst. 3. Argentinæ dist. 34. concluſ. 3. Fundamentum est. Id tantùm diuina essentia importat explicitè, quod explicitè obijcitur intellectui illam concipienti; sed hæc est tantùm perfectio absoluta: ergo. Maior constat, quoniam ratio expliciti & impliciti est tantùm per ordinem ad intellectum, cùm res in seipsa non magis explicitè dicat vnam perfectionem, quàm aliam cùm omnes dicat, vt à parte rei sunt. Minor probatur, nam id tantùm explicitè obijcitur intellectui diuinam essentiam concipienti, quod commune est omnibus personis; hoc autem est sola perfectio absoluta. Maior patet, nam diuina essentia concipitur, vt forma formaliter constituens quamlibet personam in esse Dei, hoc autem est sola Deitas, non proprietas aliqua respectiua. Confirmatur, nam id tantùm explicitè importat hoc nomen Deus, quod communiter concipitur ab omnibus; sed quod communiter concipitur ab omnibus non est perfectio respectiua, quia gentiles concipiendo Deum nullam concipiunt perfectionem respectiuam: ergo. *S. Thomas.* *Ægidius.* *Argentinas.*

120. *Obijcies* 1. Constitutiuum rei est indiuisibile; ergo vel totum concipitur, atque adeo implicat rem concipere secundùm vnam rationem essentialem, & non secundùm aliam; vel nihil illius concipitur, & sic nihil essentiale rei concipitur, quia totum essentiale specificum consistit in ipso constitutiuo rei. Respondeo vltimum constitutiuum rei esse duplex, alterum virtualiter diuisibile, constans ex pluribus rationibus virtualiter diuersis, vt constat de vltimo constitutiuo intellectus creati, quod essentialiter conflatur ex speculatiuo & practico;

alterum omnino indiuisibile, constans ex vna tantùm ratione formaliter & virtualiter indiuisibili, vt rationale in homine. Quando constitutiuum est primo modo, potest res explicitè concipi secundùm vnam rationem essentialem, & non secundùm aliam; secus quando est secundo modo. Ratio discriminis est, quia, quando vltimum constitutiuum est virtualiter diuisibile continet plures rationes, quasi partialiter essentiales, per quarum vnumquamque res potest explicitè concipi, vt essentialiter distincta à cæteris. Quando verò est virtualiter indiuisibile, non continet, nisi vnam tantùm rationem essentialem specificam, per quam distinguatur à cæteris: quę vel concipitur, & tota essentia specifica rei concipitur; vel non concipitur, & iam nequit res concipi, vt essentialiter à cæteris distincta. Quia igitur constitutiuum Dei ob sui infinitatem & illimitationem constat ex pluribus rationibus virtualiter diuersis, potest ex imperfecto nostro modo concipiendi limitari ad vnam rationem essentialem explicitam, & non ad aliam, & adhuc concipi, vt essentialiter distinctus ab omni eo, quod non est Deus.

121. *Obijcies* 2. Ratio Deitatis est ipsa ratio illimitationis & infinitatis simpliciter. Implicat igitur concipere Deitatem, & non concipere omnem perfectionem explicitè. Antecedens patet, quia Deitas est vltimum constitutiuum Dei: vltimum autem constitutiuum in vnaquaque re concipi debet explicitè. Respondeo, Deitatem esse explicitam rationem illimitationis & infinitatis solùm secundùm perfectionem absolutam, implicitè verò secundùm perfectionem respectiuam. Ad probationem antecedentis concedo minorem, quando vltimum constitutiuum rei est indiuisibile; nego autem, quando illud est virtualiter diuisibile.

122. Ad argumenta primæ sententiæ. Ad primum nego antecedens, de quo infrà. Ad secundum, maior est vera, quando conceptus sunt diuersi ordinis prædicamentalis; falsa verò, quando sunt eiusdem ordinis prædicamentalis; vt conceptus corporis est quidditatiuus rationali, quia est eiusdem ordinis prædicamentalis cum illo, esto sit ratione diuersus ab illo. Ergo licet in Deo perfectio relatiua sit ratione diuersa à perfectione absoluta, quia tamen vtraque est ordinis diuini, non repugnat, vnam essentialiter includi in alia.

*Concilia.* 123. Ad Tertium dico, Concilia sumere essentiam pro sola illa perfectione, quam dicit explicitè: cui tantùm perfectioni ex communi vsu Doctorum appropriatur hoc nomen *Essentia*. Vnde non licet illud vsurpare ad significandam perfectionem relatiuam. *Patres.* Iuxta quam Doctrinam explicantur Patres, cùm dicunt, personas non prædicari *Essentialiter* de Deitate. Ad confirmationem nego, Patrem communicare partem suæ substantiæ Filio: Sicut neque per aduersarios Pater non communicando paternitatem, quæ essentiam quidditatiuè includit, dici potest partem suæ substantiæ non communicare. Cùm non minùs Paternitas in eorum sententia includat essentiam, quàm in nostra sententia essentia includat Paternitatem. Cuius ratio est, quia nomen partis connotat diuisionem perfectionis communicatæ à non communicata.

124. Ad quartum, Augustinum interpretor iuxta secundam assertionem, quemadmodum interpretari debent ipsimet aduersarij, cùm ibidem capite 2. subdit. *Non eo verbum, quo sapientia; quia sapientia*, inquit, *essentialiter dicitur: Verbum autem relatiuè tantùm ad eum, cuius est verbum.* Cùm tamen Verbum, etiam per aduersarios essentialiter includat sapientiam. Loquitur igitur eo loco Augustinus de ratione essentiali explicita, non de ratione essentiali implicitè tantùm importata per hæc nomina. Constat ex eo, quod ibidem capite 6. docet, Patris personam ad se dici, non ad Filium & Spiritum sanctum, nempe secundùm conceptum explicitum, & modum intelligendi nostrum; non autem secundùm rem significatam & conceptum implicitum. *Augustin.*

125. Ad Quintum distinguo maiorem: quidquid est de essentia Dei, est de essentia personæ, ratione naturæ, concedo; ratione ipsius personæ formaliter sumptæ, nego. Ratio, quia potest aliquod prædicatum conuenire naturæ, & non personæ, vt persona est formaliter. Patet, tum quia naturæ conuenit identificare sibi omnes relationes, quod non conuenit personæ. Tum quia & fortiùs, conuenit naturæ communicabilitas essentialiter, quæ tamen non conuenit personæ; non enim sequitur natura est communicabilis, ergo & persona: nam communicabilitas fundamentaliter sumpta, cùm sit perfectio realis & absoluta, essentialiter conuenit naturæ, quæ tamen non conuenit essentialiter personæ, in cuius quidditatiuo conceptu includitur ipsa natura.

126. Et ad hominem contra aduersarios: Deitas est de essentia relationis, & tamen non quidquid conuenit Deitati, conuenit relationi; nam Deitati conuenit, non referri, non opponi, non produci; relationi contrà, conuenit referri, opponi, produci. Tum quia in multorum sententia aptitudo ad multa est essentialis naturæ creatæ, quæ tamen non conuenit indiuiduis, quibus communicatur, & ratio in subiecta materia est, quoniam natura diuina cum nulla relatione oppositionem habet, quam tamen oppositionem habet vna persona cum alia. Nequit autem vnum oppositum essentialiter constitui per alterum oppositum, quia nullum ens potest intrinsecè & essentialiter constitui per id, quod realiter à se excludit. Igitur potest natura, non autem persona essentialiter constitui per oppositas relationes. Consequentia probatur, quia sicut ob hanc rationem

potest

potest natura, & non persona identicè constitui per oppositas relationes: ita ob eandem poterit natura, & non persona essentialiter constitui per easdem relationes, cùm non sit maior implicãtia de vna constitutione, quàm de alia. Nam tota implicantia oritur ex eo, quòd eadem natura à parte rei sit eadem relationibus, & relationes ipsæ non sint eædem inter se: sed constitutio essentialis non ponit maiorem identificationem à parte rei naturæ cum relationibus, quàm constitutio identica, sed solùm in ordine ad intellectum concipientem: ergo si non implicat, vt eadem natura identice includat oppositas relationes, absque eo quòd illæ identicè sese includant, neque implicabit, vt eadem natura essentialiter includat oppositas relationes, absque eo quòd illæ essentialiter sese includant.

127. DICES. Ergo saltem persona, vt persona non est integrè Deus essentialiter. Respondeo negando consequentiam, quia negatio, cùm sit malignantis naturæ, vt Summulistæ docent, negat de subiecto prædicatum secundùm omnem modum: vnde non solùm negaret de persona, vt persona, sed etiam de natura, inclusa essentialiter in personis.

128. Ad sextum. Hoc argumentum militat etiam contra vnitatem identicam, quam aduersarij tenentur admittere, hoc pacto. Natura diuina est realiter vna & indiuisa, relationes sunt realiter plures & diuisæ; ergo nequeunt illam identicè vnam constituere. Sicut igitur realis distinctio personarum non obstat reali atque identicæ vnitati naturę: ita nec realis distinctio earundem obstabit essentiali ac formali vnitati eiusdem. Ad argumentum igitur in forma, neganda est consequentia. Ratio, quia relationes, non vt realiter diuisæ inter se, essentiam Dei constituunt, sed vt sunt formaliter vnum in natura: sicut actio & passio constituunt essentialiter motum, non vt distinctæ formaliter inter se, sed vt sunt formaliter vnum cum motu.

129. Ad septimum. Primò retorqueo argumentum hoc pacto. Personalitas Dei tota est propria; ergo tota est relatiua: non igitur naturam essentialiter includit; alioqui quà parte naturam includeret, non esset propria, sed communis. Atqui hoc non obstante, personalitas etiam per aduersarios naturam essentialiter includit; ergo eodem non obstante, poterit natura personalitates essentialiter includere. Secundò distinguo antecedens: essentia Dei tota adæquatè sumpta & secundùm rationem implicitam, & secundùm rationem explicitam est communis, nego; tota accepta tantùm secundùm rationem explicitam, concedo: hæc autem est sola ratio absoluta. Eodem modo respondebunt aduersarij de personalitate ipsa, quæ tota est oppositа & propria secundùm rationem explicitam, non autem secundùm rationem implicitam.

130. Ad octauum. Retorqueo pariter argumentum. Nihil paternitatis per generationem communicatur filio, cui tamen tota essentia communicatur, quæ essentialiter includitur in ipsa paternitate. Item tota filiatio producitur, & tamen nihil essentiæ quidditatiuè inclusæ in ipsa Filiatione producitur: igitur essentia non intrat personalitatem; non valet consequentia, neque per ipsos aduersarios. Quare respondeo, Patrem communicare totam essentiam Filio solùm secundùm rationem explicitam Deitatis, non autem secundùm rationem implicitam. Quam responsionem ipsi admittere debent de communicatione paternitatis quoad solam rationem implicitam naturæ, non autem quoad rationem explicitam personalitatis.

131. Ad nonum. Distinguo antecedens: Pater priùs origine, quàm generet filium, est completè Deus absque filiatione, vt persona est formaliter, concedo; quia vt sic non constituitur intrinsecè per filiationem; est completè Deus, vt natura, nego; quia vt sic includit intrinsecè filiationem vt rationem constituentem: potest igitur vt natura essentialiter includere illam, esto non includat vt persona, quia vt persona distinguitur realiter ab illa. Vnde distinguo consequens: filiatio non est de essentia constitutiua Patris in ratione personę, concedo; in ratione naturæ, nego. Idem argumentum soluendum est aduersarijs quoad identitatem, quam habet natura Patris cum filiatione, quam identatem non habet Pater cum eadem filiatione. Nam eadem ratio est de inclusione identica, ac de inclusione essentiali: quia vt suprà diximus, inclusio essentialis non addit maiorem inclusionem à parte rei, quam dicat ipsa inclusio identica; nisi quod inclusio essentialis, prętер inclusionem identicam, addit etiam inclusionem obiectiuam in ordine ad intellectum concipientem. Cæterùm tota difficultas est de ipsa inclusione identica, quę eadem est in vtraque sententia.

132. Ad decimum. Distinguo antecedens: implicat concipere integram essentiam absque omni ratione illam constituente respectu eius, quod essentialiter constituit, concedo; respectu eius, quod essentialiter non constituit, nego: Filiatio autem non constituit essentialiter personam Patris, sed tantùm naturam Patris: vnde solùm implicat concipere naturam, quæ est in Patre, absque filiatione, tanquam ratione constituente, non autem personam ipsam Patris: sicut implicat concipere integram essentiam naturæ creatæ, quæ est in Petro, absque aptitudine ad alia indiuidua; non tamen implicat concipere Petrum sine huiusmodi ordine & aptitudine; eò quòd, licet talis aptitudo sit de essentia naturæ Petri, non tamen est de essentia ipsius personæ & indiuidui Petri. Nec est eadem ratio de perfectionibus absolutis, quæ, quia nulli opponuntur, cuicunque competit essentia, essentialiter competunt & illæ.

133. Ad Confirmationem. Distinguo antecedens: si personalitas esset de essentia humanitatis, non posset reperiri integra humanitas absque personalitate constituente ipsam humanitatem, concedo; absque personalitate constituente id, cui esset communicata humanitas, nego. Quod autem de facto personalitas non sit de essentia humanitatis, non ex eo præcisè colligitur, quia non constituit id, cui communicatur, sed quia non constituit humanitatem ipsam, à qua realiter separatur.

134. Ad vndecimum, nego sequelam. Nam licet natura diuina dicat essentialiter relationes, eas tamen dicit tantùm implicitè; explicitè autem dicit solam perfectionem absolutam, quæ cùm in diuinis non distinguatur, nequit illi attribui actus notionalis, quia hic semper facit sensum formalem & explicitum: significat enim conuenire subiecto secundùm solam rationem formalem explicitam, vt manifestè apparet in his propositionibus, *Intellectus intelligit, Voluntas spirat.*

135. Ad duodecimum. Distinguo maiorem: comparatur natura diuina ad relationes, vt determinabile ad determinatiuum positiuè, nego; alioqui ex natura, & relatione resultaret metaphysica compositio; negatiuè seu præcisiuè; concedo. Quod est comparari idem, vt implicitè conceptum ad seipsum, vt explicitè conceptum: sicut comparatur ens ad suos modos, & definitum ad suam definitionem. Hoc autem modo non implicat, vt determinabile includat determinatiuum, non quidem explicitè, sed implicitè.

136. Ad decimumtertium. Distinguo antecedens: relationes diuinæ distinguuntur virtualiter à natura secundùm conceptum explicitum, concedo; secundùm conceptum implicitum, nego; ergo non includuntur in ea explicitè, concedo: non includuntur implicitè, nego: & hoc satis est, vt includantur essentialiter, vt patet de prædicatis communibus & superioribus, quæ essentialiter includuntur in particularibus, & inferioribus, licet ea tantùm implicitè includantur: vt ratio substantiæ essentialiter includitur in ratione animalis, esto ratio substantiæ implicitè tantùm includatur in ipsa ratione animalis. Ad probationem dico. Id tantùm includitur essentialiter in aliquo, quod includitur in obiectiuo conceptu ipsius vel implicitè, vel explicitè. Quia verò potest, quod virtualiter distinguitur ab aliquo, includi implicitè in conceptu obiectiuo ipsius, poterit esse de essentia ipsius saltem implicitè, esto non sit de essentia ipsius explicitè. Sicut prædicata communia sunt tantùm de essentia implicitè inferioris: prædicata verò particularia sunt de essentia explicitè eiusdem. Vnde licet virtualis distinctio sit fundamentum excludendi explicitè non quidem positiuè, sed negatiuè, seu præcisiuè relationes à natura, non tamen est fundamentum excludendi eas implicitè.

137. Ad decimumquartum. Distinguo de modo accidentali, vel substantiali. Concedo, modum accidentalem includi non posse in ipsa essentia rei; nego autem includi non posse modum substantialem, vt constat de differentijs rerum, quæ concipiuntur à nobis, vt modi substantiales quidditatiuè constituentes essentiam ipsam rei.

## SECTIO VI.

### *An Relationes includant essentialiter naturam diuinam?*

138. Sensus non est, an relationes in concreto naturam diuinam essentialiter includant, cùm relationes in concreto sint ipsæ personæ diuinæ, quæ essentialiter constituuntur ex natura, & proprietatibus personalibus: sed sensus est, an relationes abstractè sumptæ, veluti paternitas, aut filiatio, naturam diuinam essentialiter includant.

139. Prima sententia negat. Est Scoti in 1. distinct. 7. §. *Ad argumenta igitur*, Rubionis, Molinæ, Vasquez suprà citatorum: & sequitur ex opinione tum eorum, qui asserunt, relationes diuinas nullam in se dicere perfectionem; tum eorum, qui illas à parte rei à natura diuina distinguunt. Probat autem hanc sententiam Vasquez primò. Natura nõ includit essentialiter relationes, ergo nec relatio naturam. Consequentiam probat, quia impossibile est, vt vnum præscindat ab altero, quin simul alterum præscindat ab illo: igitur si natura præscindit à relationibus, etiam relationes præscindunt à natura. *Scotus. Rubio. Molina. Vasquez.*

140. Secundò. Relatio concipitur, vt aduenies Deitati: ergo non concipitur, vt includens formaliter Deitatem; alioqui non conciperetur, vt aduenies illi, sed vt præhabens formaliter illam.

141. Tertiò. Relatio concipitur, vt determinans; essentia verò vt determinabilis: impossibile autem est, vt determinans includat formaliter ipsum determinabile; alioqui idem esset determinans, & determinatum simul, quod implicat, quia inuoluit duo contradictoria simul.

142. Quartò. Relatio se tota est respectiua, essentia se tota est absoluta; igitur nequit relatio obiectiuè includere essentiam; alioqui idem conciperetur, vt respectiuum, & absolutum simul.

143. Quintò. Persona diuina constituitur ex natura, & relatione; sed cõstitutio essentialiter importat duo, nempe constitutiuum, & constituibile, vt patet in omni constitutione: ergo relatio & natura, quæ sunt constituentia personam, concipientur vt duo; vnum vt constitutiuum, alterum vt constituibile. Non igitur vna concipitur, vt formaliter

maliter includens aliam; alioqui non conciperentur vt duo, sed vt vnum.

144. Confirmatur. Si relatio includeret formaliter essentiam, persona constitueretur ex persona; quia persona est essentia ipsa relatione determinata: ergo si relatio includeret formaliter essentiam, relatio esset formaliter persona. Ergo persona constitueretur ex persona: quo nihil absurdius.

145. Sextò. Maiorem distinctionem in nostro conceptu importat paternitas à natura, quàm Pater: sed Pater includit formaliter naturam, vt constitutum suum constituens: ergo paternitas non includit formaliter naturam.

146. Septimò. Si paternitas includeret in suo conceptu naturam, eadem relatio seipsa conueniret, & differret à filiatione: consequens est impossibile, quia conuenientia dicit vnitatem, differentia verò multitudinem; quæ cùm sint contradictoria, nequeunt eidem conuenire.

147. Octauò. Si relatio includeret formaliter essentiam, valeret hæc propositio, *Paternitas est essentia*; ergo & hæc alia, *Deus paternitate intelligit*, hoc pacto: *Pater essentia intelligit, paternitas est essentia, ergo Pater paternitate intelligit.* Confirmatur. Si essentia esset de conceptu paternitatis; ergo etiam attributa: ergo vera esset hæc propositio, *Paternitas est intellectus*, sicut & hæc, *Paternitas est essentia:* sed Deus intelligit intellectu; *ergo intelligit paternitate.*

148. Nonò. Alia est ratio essentiæ, alia est ratio relationis: igitur non potest essentia quidditatiuè includi in conceptu relationis.

149. Decimò. Absolutum non est de essentia relatiui. Deitas est absoluta; ergo non est de essentia relationis. Confirmatur, nam alioqui vera esset hæc propositio, *Relatio diuina est ens absolutum.*

*Suarez. Torres. Zumel.*

150. Secvnda sententia affirmat. Est Zumel, Torres, Suarez suprà citatorum: Quę probabilior est, & nostris principijs conformior, quam ego iuxta nostra fundamenta sic probo. Relatio diuina, quà diuina est, essentialiter dicit modum essendi perfectissimum: atqui modus essendi perfectissimus est, vt explicitè dicat perfectionem respectiuam infinitam, & implicitè inuoluat omnem perfectionem absolutam. Maior constat, nam quæuis ratio diuina, vt diuina est formaliter, non solùm dicit summam perfectionem in eo genere, in quo præcisè concipitur, sed summo modo perfectam; quippe quæ non solùm dicit illam illimitatam in eo genere, in quo ea explicitè concipitur, sed etiam in modo essendi. Atqui perfectiùs illa concipitur, si concipiatur vt essentialiter includens omnem perfectionem absolutam: ergo, &c.

151. Dices. Sufficit, si concipiatur vt includens omnem perfectionem absolutam solùm identicè; ergo non est necessarium, vt illam includat essentialiter. Sed contrà, tum quia perfectiùs concipitur, si concipiatur, vt illam includens essentialiter. Qui modus concipiendi, cùm sit perfectior debitus est relationibus diuinis. Tum quia implicat in adiecto, relationes diuinas concipi, vt identicè tantùm, & non essentialiter includentes perfectiones absolutas. Nam vnum includi essentialiter in conceptu alterius nil aliud est formaliter, quàm vnum concipi non posse sine alio. Contrà verò vnum includi identicè in alio formaliter non est aliud, quàm vnum posse perfectè concipi sine alio. Implicat igitur relationes diuinas non posse concipi, nisi vt identicè includentes perfectiones absolutas, & tamen illas non includere essentialiter. Nam si nequeunt concipi sine illis, implicitè saltem includunt essentialiter illas.

152. Instabis. Relatio diuina ex natura sua est perfectio limitata, cùm ex natura sua excludat oppositam correlationem. Omnis autem perfectio, quæ ex natura sua non includit omnem perfectionem, non est illimitata simpliciter: igitur ex natura sua non postulat essentialem inclusionem naturæ. Respondeo ex hoc discursu tantùm sequi, relationem diuinam limitari ad non includendam oppositam correlationem, non autem reliquas perfectiones non oppositas. Sicut perseitas solùm limitatur ad excludendam oppositam differentiam inaleitatis, non autem ipsam rationem entis vt sic. Distinguo igitur antecedens: est limitata ad excludendam oppositam correlationem, concedo; reliquas correlationes non oppositas, nego: igitur ex natura sua non includit naturam, nego consequentiam.

153. Ad argumenta oppositæ sententiæ. Ad primum nego antecedens. Ad secundum & tertium respondeo. Eadem relatio conceptu explicito concipitur vt aduenies Deitati, conceptu verò implicito vt includens Deitatem; quam solùm determinat secundùm rationem explicitam, non autem secundùm rationem implicitam. Atqui hoc sufficit, vt possit aliquid concipi, vt aduenies alteri, & determinare illud secundùm rationem; vt patet in modis entis, qui concipiuntur aduenire enti, & determinare illud ad tale ens secundùm rationem explicitam, non autem secundùm rationem implicitam. Perseitas enim explicitè solùm dicit talem modum essendi: ens verò explicitè solam rationem entis: implicitè autem tam perseitas dicit ens, quàm ens perseitatem. Aduenit igitur perseitas enti, & determinat illud ad tale ens, non secundùm rationem entis, quam perseitas dicit implicitè, sed secundùm rationem perseitatis, quam dicit explicitè. Pari modo relatio diuina aduenit Deitati, & determinat illam ad talem personam, non secundùm Deitatem, quam relatio increata dicit implicitè, sed secundùm conceptum ipsum relationis, quam dicit explicitè. Est enim determinatio

solùm per expressiorem conceptum, & aduentum eiusdem perfectionis clariùs & expressiùs conceptæ. In quo sensu non implicat vt idem sit explicitè determinabile, & implicitè determinatum.

154. Ad Quartum. Distinguo maiorem & minorem: est relatio se tota respectiua, natura se tota absoluta secundùm rationem dumtaxat explicitam, concedo; secundùm rationem explicitam & implicitam simul, nego: sic enim tam relatio est respectiua & absoluta, quàm natura absoluta & respectiua simul.

155. Ad Quintum respondeo, ad constitutionem secundùm rationem sufficere duo distincta secundùm rationem tantùm explicitam. Ad confirmationem nego sequelam. Etenim, vt persona non dicatur constitui ex persona, sufficit vt non constituatur ex relatione, explicitè importante vtrumque. Nam constitutio per rationem attenditur tantùm secundùm rationes explicitas constituentis, & constituibilis.

156. Dices. Si sola distinctio impliciti, & expliciti sufficit ad constitutionem rationis, ad eandem sufficiet distinctio definitionis & definiti. Respondeo negando sequelam. Quoniam ad constitutionem requiritur, vt constituens non sit per modum explicantis ipsum constitutum, cuiusmodi est definitio respectu definiti, sed per modum aduenientis; nam hoc importat conceptus ipse constituentis.

157. Ad sextum. Negandum est, quoad rem significatam maiorem distinctionem importare abstractum, quàm concretum in Deo, sed tantùm in modo significandi: quia concretum importat per modum habentis, quod abstractum dicit per modum inclusi. Ob summam quippe actualitatem & simplicitatem, idem importat in Deo abstractum, & concretum quoad rem ipsam significatam, quoad modum autem significandi concretum importat æque primò vtramque rationem; abstractum verò explicitè importat vnam rationem, implicitè verò aliam.

158. Ad septimum. Eadem relatio diuina conuenit & differt secundùm eandem rationem explicitè conceptam, nego; conuenit secundùm rationem implicitam, & differt secundùm explicitam, concedo. Hæc autem nulla est implicantia, vt res summè illimitata, & simplicissima fundare possit ratione identitatis, & distinctionis secundùm rationes formales & explicitas, virtualiter diuersas.

159. Ad octauum. Concedo valere primam propositionem: nego valere secundam. Ratio discriminis est, quia quando verbum prædicatur de subiecto, facit sensum expressum & formalem, & solùm denotatur conuenire illi secundùm rationem explicitè significatam; secus quando prædicatur nomen substantiuum. Exempli causa, *Homo est animal*, vera est propositio, quia prædicatum est nomen substantiuum. Contrà verò, *Homo animalitate intelligit*, falsa est propositio, quia reddit sensum formalem & explicitum, & significat, ipsum intelligere conuenire homini ratione animalitatis vt explicitè significatæ, talis enim propositio æquiualet reduplicatiuæ, quæ solùm reduplicat rationem explicitam, ratione cuius tantùm denotatur conuenire prædicatum subiecto. Vnde in eo syllogismo neganda est consequentia; variatur enim sensus implicitus in explicitum, vt in hoc syllogismo. *Homo est animal: Homo intelligit: ergo Homo animalitate intelligit.* Ad confirmationem neganda similiter est consequentia ob eandem rationem.

160. Ad nonum. Nego consequentiam. Etenim alia est ratio entis, alia est ratio animalitatis: & tamen ratio entis est de essentia animalitatis, & cuiuscunque alterius rationis realis. Ergo etiamsi ratio essentiæ sit alia secundùm conceptum explicitum à ratione relationis, adhuc tamen non obstat, quin vna sit de implicito conceptu quidditatiuo alterius.

161. Ad decimum. Concedo absolutum non esse de essentia relatiui creati: nego autem non esse de essentia relatiui increati, ob summam illimitationem & simplicitatem. Ad confirmationem. Nego sequelam, quoniam absolutum importat conceptum præcisum à respectiuo, quo pacto nequit absolutum prædicari de respectiuo: sic enim affirmaretur, quòd præcisus & explicitus conceptus absolutus, esset ipse præcisus & explicitus conceptus relatiuus.

## SECTIO VII.

### *An Relationes diuinæ existant existentia relatiua ratione distincta ab existentia absoluta naturæ?*

162. Prima sententia negat. Est Capreoli in 3. dist. 1. quæst. 1. art. 3. ad 2. contra secundam conclusionem, Caietani 1. p. quæst. 28. art. 2. §. *Corollarium est*, Ferrariensis 4. contra gentes cap. 26. §. *Attendendum tertio*, Ægidij in 1. dist. 25. art. vltimo ad 2. Vasquez 1. p. disput. 126. Albertini corollario 9. ex prædicamento Ad aliquid, Ruiz de Trin. disp. 15. sect. 3. *Capreolus. Caietanus. Ferrariens. Ægidius. Vasquez. Albert. Ruiz.*

163. Probatur 1. Authoritate S. Doctoris, vbique docentis, in Deo esse vnum *Esse*, vnumque *subsistere* absolutum, quo diuinæ personæ omnes existunt & subsistunt; 1. p. quæst. 40. artic. 2. ad 2. 3. p. q. 17. artic. 2. ad 3. de potentia quæst. 2. art. 6. & quæst. 8. art. 2. ad 11. Vnde ferè omnes Thomistæ docent, diuinas relationes non addere aliquod esse, vel subsistere, ne ratione quidem à natura distinctum, sed solam incommunicabilitatem, & distinctionem ab alia persona. *S. Thomas.*

164. Secundò probatur ratione. Prima sit. Existentia absoluta naturæ est infinita & à parte rei identificata cum quauis relatione: ergo per eam sufficienter existere possunt omnes relationes. Ergo de facto per illam existunt.

Posterior

Posterior consequentia patet, quia quod potest esse, actu est in Deo. Prior probatur quia nulla est repugnantia, & maiorem ponit perfectionem in ipsa existentia absoluta naturę.

165. SECVNDA ratio. Si relatio diuina haberet propriam existentiam relatiuam, sequeretur illam à parte rei distingui ab essentia. Nam quidditas relationis non est de essentia naturæ; ergo si haberet propriam existentiam, à parte rei distingueretur à natura; siquidem ad distinctionem à parte rei nil aliud requiritur.

166. TERTIA ratio. Sequeretur, in Deo esse tres existentias, atque adeo tres durationes, quæ, quia carent principio & fine, essent æternæ. Igitur in Deo tres essent æternitates, contra Symbolum Athanasij, *Non tres æterni, sed vnus æternus.* *Athanas.*

167. QVARTA ratio, concedenda foret in Deo quarta existentia spirationis actiuæ, cùm sit par ratio de hac, & reliquis relationibus: ac proinde non tantùm tres, sed quatuor essent existentiæ relatiuę in Deo.

168. QVINTA ratio, quod est fundamentum Vasq. & sequitur Ruiz. Non dicitur suppositum creatum habere duplicem, sed vnam dumtaxat existentiam, etiamsi præter existentiam naturæ, superaddat modum subsistendi distinctum. Ergo neque suppositа increata dicenda erunt habere plures, sed vnam tantùm existentiam, etiamsi supra existentiam naturæ addant triplicem modum subsistendi relatiuum: tum quia vna existentia aliam non modificat: tum quia modus existendi non affert naturę existentiam: relatio autem diuina, teste Damasceno libr. 1. de fide capit. 11. est modus existendi: ergo. *Vasquez. Ruiz.* *Damascen.*

169. SEXTA ratio. Si in Deo vna tantùm esset persona, existeret eâdem existentiâ naturæ. Ergo etiam nunc tres personæ existunt eâdem existentiâ absolutâ naturæ; cùm non alio modo existant nunc tres, atque existeret nunc vna persona.

170. SEPTIMA ratio. Si darentur tres existentiæ relatiuæ in Deo, sequeretur, existentiam absolutam vlteriùs terminari tribus existentijs relatiuis: hoc autem implicat, quia nequit vna existentia terminari alia existentia. Confirmatur, nam ideò non datur subsistentia absoluta in Deo, quia sequeretur, illam vlterius terminari tribus subsistētijs relatiuis.

171. OCTAVA ratio. Vel quælibet ex his tribus existentijs relatiuis est completa, vel incompleta; si completa; ergo non potest facere vnum per se cum existentia absoluta naturæ cùm nullum ens completum facere possit vnum per se cum alio ente completo: ergo facit vnum per accidens. Si verò dicatur incompleta; est indigna Deo, in quo nihil est, aut concipi potest incompletum.

172. SECVNDA sententia affirmat: est Richardi de S. Victo. libr. 4. de Trinit. cap. 17. vbi, *Quot*, inquit, *sunt in diuinitate personæ, tot incommunicabiles existentiæ, quia nihil aliud est*, inquit, capit. 18. *persona, quam incommunicabilis existentia.* Alensis 1. p. qu. 49. memb. 2. Richardi in 3. dist. 1. art. 1. quæst. 2. & ad 5. Scoti in 1. dist. 11. q. 2. *ad primum*, quodlib. 4. art. 3. *ad argumentum princip.* Medinæ 3. p. qu. 17. art. 2. dub. 3. Zumel 1. p. qu. 28. art. 2. disp. 4. Suarez 3. p. disp. 11. sect. 2. & lib. 3. de Trinit. cap. 5. Zunigæ de Trinit. disp. 5. dub. 11. Quæ sententia probabilior est & sequenda: eamque probo triplici ratione. *Richardus de S. Vict. Alensis. Richardus. Scotus. Medina. Zumel. Suarez. Zuniga.*

173. PRIMA ratio sit. Relatio diuina secundùm explicitum conceptum non includit essentiam, & tamen secundùm explicitum conceptum includit existentiam: igitur existentia relationis ratione distinguitur ab existentia naturæ. Consequentia patet, quia omnis existentia in Deo, aut est naturæ, aut relationis: ergo si relatio secundùm explicitum conceptum relationis dicit existentiam, & non absolutam naturæ; ergo respectiuam relationis. Minor constat, quia relatio diuina secundùm explicitum conceptum relationis non est ens in potentia, sed in actu vltimo & perfectissimo: omne autem ens est in actu formaliter per existentiam. Maior probatur, quia relatio diuina secundùm explicitum conceptum dicit solam perfectionem respectiuam: ergo secundùm explicitum conceptum non includit essentiam, eiusque existentiam.

174. DICES. Attributum sapientiæ secundùm explicitum conceptum sapientiæ non includit explicitè essentiam, & tamen non sequitur quòd secundùm explicitum conceptum sapientiæ, non includat naturæ existentiam. Ergo nec sequitur, quòd si relatio diuina secundùm explicitum conceptum relationis non includit essentiam, quòd nec includat eius existentiam; quia potest includere existentiam naturæ, etiamsi non includat quidditatem illius. Respondeo nego consequentiam. Ratio discriminis est, quia vt ex tertia ratione constabit, existentia debet proportionari rei, cuius est existentia. Potest autem existentia absoluta naturæ proportionari perfectioni absolutæ attributorū, non autem respectiuæ relationum.

175. SECVNDA ratio sit. Relatio diuina producitur: existentia absoluta naturæ non producitur: sed productio essentialiter terminatur ad rei existentiam: ergo relatio diuina existit existentiâ respectiuâ; ratione distincta ab existentia absoluta naturæ. Maior cum consequentia elucet. Minor probatur, nam productio traducit terminum de non esse ad esse, saltem secundùm illam formalitatem, secundùm quam illum producit; ergo essentialiter terminatur ad existentiam rei; alioqui non traduceret illum à non esse ad esse secundùm illam formalitatem, secundùm quam illum produceret, sed potiùs supponeret illum esse secundùm eandem formalitatem, secundùm quam illum produceret; ac proinde supponeretur esse secundùm eam formalitatem, secundùm quam produceretur, antequam produceretur.

176. Respondent aduersarij primò, pro-

ductionem diuinam terminari ad relationem, vt existentem existentiâ absolutâ naturæ. Sed contrà, quia hæc præexistit termino producendo; ergo si ad hanc terminatur productio, terminus producendus præsupponitur existere, priùs quàm producatur; ac proinde non potest accipere existentiam vi productionis, quâ producitur.

177. Resp. 2. Productionem terminari ad communicandum termino producto effectum formalem existentiæ absolutæ. Sed contrà, nam communicatio diuina supponit productionem termini; persona enim diuina communicat suam naturam personæ productæ, illam producendo; quatenus in suamet natura producit nouam personalitatem. Ergo communicatio existentiæ absolutæ supponit terminum productum, non tantùm secundùm quidditatem, vt aliqui opinantur, siquidem hæc non producitur, nisi vt existens; sed etiam secundùm existentiam, nam hæc est formalis terminus productionis. Igitur communicatio naturæ supponit terminum, cui talis communicatio fit, productum, atque adeo existentem vi productionis antecedentis ipsam communicationem naturæ. Confirmatur, quia vel hic effectus formalis existentiæ absolutæ producitur, vel non producitur. Si producitur; igitur existentia absoluta producitur. Si non producitur, redit eadem difficultas, quo pacto productio realis terminari possit ad terminum, qui non existat vi eiusdem productionis.

178. TERTIA ratio sit. Existentia proportionari debet essentiæ & quidditati rei. Atqui existentia absoluta non proportionatur quidditati relatiuæ: Ergo. Maior constat, nam existentia est actus essentiæ; igitur debet illi proportionari. Minorem probo: quia sicut existentia relatiua non proportionatur essentiæ absolutæ; ita nec existentia absoluta essentiæ seu quidditati relatiuæ. Cuius ratio à priori est, quoniam existentia debet actuare essentiam iuxta ipsius exigentiam: exigentia autem relationis est, vt actuetur existentia ordinata ad aliud: quemadmodum exigentia rei absolutæ est, vt actuetur existentia ordinata ad se. Existentia enim debet in ratione existentiæ continere quidquid quidditas ipsa continet in ratione quidditatis, cùm sit adæquatus actus ipsius: sed quidditas relationis est ordinata ad aliud; ergo & eius existentia. Confirmatur. Repugnat accidens existere existentia substantiæ, sicut substantiam existere existentia accidentis; ergo & relationem existentia naturæ absolutę.

179. Ad rationes oppositæ sententiæ. Ad authoritatem S. Doctoris respondet citato loco Bartholomęus Medina, illum exponendum esse, de *esse* essentiæ, vel de *esse* existentię absolutæ. Tametsi ex citatis locis S. Thomas videatur ad oppositam sententiam magis inclinare. *S. Thomas Barthol. Medina.*

170. Ad primam rationem. Nego consequentiam, nam quamuis existentia absoluta naturæ identificetur cum relationibus, adhuc tamen relationes existunt existentia propria relatiua: quia sicut identificatio naturæ non tollit oppositionem diuinarum relationum inter se; ita nec earundem relationum existentiam, qua se mutuo actu respiciunt. Quòd autem illæ non existant existentia naturę, non est propter insufficientiam existentiæ naturæ, sed propter proportionem, quam habere debet quælibet existentia cum quidditate, quam actuat.

181. Ad secundam. Nego sequelam: ad cuius probationem; nego quidditatem relationis non esse de essentia naturæ diuinæ, saltem vt est à parte rei. Natura enim diuina, vt est à parte rei formaliter includit suas relationes, & consequenter existentias relatiuas earum. Ad distinctionem autem à parte rei requiritur, vt quidditas existens vnius à parte rei excludat quidditatem existentem alterius.

182. Ad tertiam. Absque vllo absurdo in Deo concedi possunt tres existentiæ & durationes relatiuæ, non autem tres æternitates. Pro cuius intelligentia nota, omnia prædicata, quæ diuinis relationibus attribui possunt, esse in triplici differentia; alia, quæ illis competunt secundùm proprias differentias, qualia sunt relatio, proprietas personalis, Hypostasis &c. eiusmodi. Et hæc sine addito possunt de Deo, vt plura prędicari. Alia sunt, quę illis conueniunt solùm secundùm rationem genericam, cuiusmodi sunt omnia transcendentia, vt Ens, Res, Aliquid, Vnum, Verum, Bonum: inter quæ sunt etiam existentia, substantia, quidditas. Ex his aliqua sunt quæ vel ex vsitato modo loquendi Patrum, vel ex determinatione Conciliorum ad cauendas occasiones errandi, ita acommodata sunt naturę communi, vt nullo modo liceat ea trāsferre ad relationes. Huius generis sunt substantia, essentia, & si quæ alia, quæ non nisi singulariter de Deo prædicantur. *Nec sicut tres personas*, inquit Concilium Toletanum vndecimum, *ita tres substantias prædicamus, sed vnam substantiam*. Et Concilium Lateranense in capite, *Firmiter*, tres fatetur personas, vnam tantùm essentiam, substantiam, naturam. Alia sunt, quæ licet ab extrinseca authoritate limitata non sint ad solam naturam communem, quia tamen illa ex communi modo concipiendi, & loquendi determinantur ad solam essentiam communem, vtpote ad rem perfectissimam significandam, non licet, nisi cum addito determinante ad perfectionem relatiuam, illa de Deo prędicare; qualia sunt aliqua transcendentia, vt Ens, Res, Aliquid, Vnum, Verum, Bonum, Existentia, Duratio; quæ cum addito possunt de Deo pluraliter enunciari. *Concilium Toletan. XI. Concilium Lateranēse.*

183. Alia demum sunt, quę in suo conceptu semper includunt aliquid absolutum. Atque hæc neque cum addito possunt de Deo pluraliter, nisi tantùm adiectiuè, prædicari. Nam ad adiectiuam prædicationem sufficit pluralitas suppositorum. Talia sunt natura, æternitas, Sapientia, & reliqua attributa,

quæ

quæ in Deo dicunt perfectionem simpliciter simplicem. Est enim natura principium & fundamentum omnium operationum, quod nulla ratione competit relationi. Æternitas est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio; quæ in sui definitione includit existentiam vitæ perfectissimæ, & interminabilis. Quare licet in Deo sint tres durationes relatiuæ, non tamen sunt tres æternitates; quia æternitas inuoluit perfectionem vitæ prorsus immutabilis, quæ Deo competit ratione essentiæ. Nec obstat, quòd duratio diuinarum relationum careat principio & fine. Nam ex hoc tantùm sequitur, quòd reductiuè illa sit in specie æternitatis, non autem per se: nam æternitas per se superaddit perfectionem vitæ interminabilis.

184. Nonnulli renuunt cõcedere in Deo tria entia, aut tres entitates, seu realitates, aut tria aliqua. Tum quia ens dicitur ab esse: esse autem in Deo est vnum; ergo & ens. Tum quia, si relatio esset entitas, non omnem entitatem Pater communicaret Filio: quod falsum est; nam omnem entitatem, quam habet Pater, communicat Filio. Tum quia nomina neutra referuntur ad significandam essentiam. Vnde non dicitur, in Deo est aliud & aliud, sed alius & alius. Igitur non possunt tria aliqua de Deo prædicari; quia denotaretur multiplicatio essentiæ. Nihilominus concedenda sunt in Deo tria entia, præsertim cum addito, relatiua, tres entitates, tres realitates, nec non tria aliqua relatiua. Tum quia hæc passim in Deo concedunt Patres. *Patres.* Tum quia sicut in Deo conceduntur tria esse relatiua, ita & tria entia non solùm adiectiuè, sed etiam substantiuè. Tum quia implicat, tres personas realiter inter se distingui, nisi per reales entitates distinctas. Eadem ratione probatur, esse tria aliqua, quia ens & aliquid conuertuntur.

185. Ad primam verò rationem in oppositum. Nego minorem, est enim in Deo triplex esse relatiuum, ac proinde triplex ens substantiuè. Ad secundam, Patrem communicare Filio omnem entitatem absolutam formaliter; virtualiter verò & per *circumincessionem* etiam perfectionem relatiuam, ratione cuius *circumincessionis*, Pater dicitur esse in Filio, & Filius in Patre, & vterque in Spiritu sancto. Ad tertiam respondeo, nomina neutra non posse prædicari de singulis personis: non enim dici potest, Pater est aliud à Filio; vel Filius aliud à Patre: posse tamen de omnibus dici, quòd sint tria aliqua. Ratio discriminis est, quia applicata singulis referuntur ad essentiam, non autem applicata omnibus simul; idque ex vsu & lege sapientum.

186 DICES. Si transcendentia in Deo multiplicantur, quia intrinsecè includuntur in ipsis personis multiplicatis: ergo etiam multiplicari debet diuinitas, quia hæc etiam intrinsecè includitur in personis realiter multiplicatis. Respondeo, nego transcendentia propterea multiplicari, quia vtcunque includuntur in rebus ipsis multiplicatis, sed quia includuntur in vltimo & explicito conceptu vniuscuiusque rei. Etenim paternitas secundùm explicitum, & formalissimum conceptum Paternitatis, est ens, vnum, aliquid; non tamen secundùm vltimum & explicitum conceptum est diuinitas, quia diuinitas dicit fundamentum omnium diuinarum perfectionum, quod non dicit Paternitas, vt præcisa à natura.

187. Ad quartam. Concedo sequelam. Etenim cùm relatio spirationis actiuæ nequeat formaliter existere existentiâ filiationis; tum quia hæc producitur, spiratio autem actiua non producitur, sed communicatur cum ipsa natura diuina: tum quia tota spiratio actiua supponitur existens origine prior in Patre, quàm producatur filius. Nec existere possit existentiâ Paternitatis: nam hæc est solius Patris propria: spiratio verò actiua est etiam communis filio. Nequit autem proprium, & commune existere vnâ indiuisibili existentiâ secundùm rationem. Nam quatenus est proprium requirit existentiam propriam: quatenus est commune requirit existentiam communem: quoniam, vt dictum est, existentia proportionari debet quidditati, quam immediatè actuat. Nego tamen hinc sequi, dari quatuor existentias relatiuas in Deo: quoniam ad multiplicandas existentias relatiuas in Deo non sufficit distinctio rationis, sed requiritur distinctio realis.

188. Ad quintam, quæ solùm est de modo loquendi, dico, eam tantùm probare, absolutè loquendo sine vlla limitatione & addito, vnum tantùm concedendum esse in Deo *Esse*, seu *Existere*: eò quòd tres illæ relatiuæ existentiæ eò tendunt, vt naturam in triplici hypostasi perfectissimè compleant. Qua de causa vnum quoque dicitur *Existere* in quouis supposito creato, quia licet illud ex duplici ad minimum componatur existentia, scilicet naturæ, & subsistentiæ; quia tamen ambæ illæ existentiæ per se ordinantur ad constituendum vnum perfectum existere totale, ideo absolutè loquendo vnum dicitur *Existere* in illo. Hinc tamen negari non potest, quin cum addito dici queat, in quouis supposito creato duplicem esse existentiam partialem, alteram naturæ, subsistentiæ alteram. Eadem ratione & in Deo triplex existentia relatiua, quæ tamen partiales dici nequeunt, quia cum nulla alia componunt. Non cum natura, à qua non distinguuntur, compositio autem realis realem supponit extremorum distinctionem; non inter se, quia nullam faciunt inter se compositionem. Præterea falsum est, vnam existentiam non posse aliam modificare, vt constat de existentia partiali creata, modificante aliam ad componendum vnum existere totale. Falsum quoque est, relationem diuinam esse modum naturæ, cùm sit potiùs entitas in suo genere perfectissima; alioqui diuinæ personæ, quæ solis relationibus distinguuntur, non nisi modaliter

daliter distinguerentur: nam tanta est distinctio inter extrema, quanta est distinctio ipsa rationum formalium, quibus extrema ipsa distinguuntur. *Damascen.* Damascenus autem loquitur secundùm modum concipiendi nostrum, per analogiam ad creata. Sed esto relatio diuina sit modus, adhuc tamen modus suam affert modalem existentiam re, vel ratione condistinctam ab existentia fundamenti, secundùm quod modus ipse re vel ratione à fundamento distinguitur.

189. Ad sextam, Nego consequentiam. Ratio discriminis est, quia tunc illa persona esset absoluta, atque adeo apta existere existentia naturæ; nunc autem personę diuinæ sunt relatiuæ, proinde incapaces existere existentia absoluta naturæ.

190. Ad septimam, distinguo maiorem. Sequeretur existentiam absolutam vlteriùs terminari existentijs relatiuis in ratione existentiæ, nego; cùm in ratione existentię natura diuina non egeat existentijs relatiuis: Sequeretur vlteriùs terminari in ratione subsistentiæ, concedo; quia cùm natura diuina nullam habeat subsistentiam absolutam, vt infrà probabitur, vlteriùs postulat terminari tribus subsistentijs relatiuis, ob sui fœcunditatem & perfectionem. Ex his etiam patet ad confirmationem.

191. Ad octauam respondeo, quamlibet existentiam relatiuam esse completam in suo dumtaxat genere, veluti existentia relatiua paternitatis est completa in genere paternitatis, non autem in genere existentię relatiuæ filiationis, & spirationis passiuę. Quia igitur natura ob sui fœcunditatem & perfectionem, non solùm est capax existentię relatiuę paternitatis, sed filiationis, & spirationis passiuæ, postulat omnes tres existentias, tanquam adæquatum terminum suæ fœcunditatis. Vnde neutrum absurdum in argumento adductum ex nostra sententia sequitur. Non primum, quia licet vnaquæque existentia relatiua sit in suo genere completa, quia tamen non est completa in omni genere relatiuę existentię, potest in natura, cum qua identificatur, relinquere capacitatem ad vlteriorem existentiam relatiuam, cuius natura diuina est capax. Non secundum, cùm vnaquęque existentia relatiua sit in suo genere completa: neque vna exigit habere complementum alterius, cùm vna non exigat formaliter existere per existentiam alterius.

## SECTIO VIII.

### *An Relationes diuinæ superaddant essentiæ perfectionem ratione diuersam?*

*Scotus. Richardus.* 192. PRIMA sententia negat. Est Scoti quodlib. 5. Richardi in 1. dist. 24. art. 1. q. 3. ad 1. Mayroni dist. 20. q. 1. in fine, Durandi in 3. dist. 1. q. 3. num. 13. Ariminensis in 1. dist. 19. ar. 1. Capreoli dist. 17. q. 1. ad 3. contra primam concluſ. Ægidij dist. 4. art. 1. ad 11. Caietani 1. p. q. 28. ar. 2. in fine, Ferrariensis 2. contra gent. cap. 9. Molinæ 1. p. q. 42. art. 6. disp. 2. qui omnes auctores concludunt, relationes diuinas neque perfectionem dicere, neque imperfectionem, sed abstrahere ab vtroque. *Mayronus. Durandus. Ariminensis. Capreolus. Ægidius. Caietanus. Ferrariensis Molina.*

193. Probant 1. Si relatio diuina, quâ relatio est formaliter, perfectionem diceret, vel diceret finitam, vel infinitam: non finitam, quia implicat in Deo perfectio finita & limitata; non infinitam, quia de ratione perfectionis infinitæ est, vt sit plurificabilis, & communicabilis: atqui relatio diuina est plurificabilis, & incommunicabilis: ergo non dicit perfectionem infinitam. Maior probatur, quia de ratione infinitè perfecti est, vt nullam perfectionem excludat: ergo de ratione infinitæ perfectionis est, vt sit implurificabilis & communicabilis. Nam hoc ipso quòd vna perfectio plurificaretur, excluderet aliâ.

194. Secundò. Si paternitas vt paternitas diceret perfectionem, cùm paternitas non sit formaliter in Filio, aliqua perfectio esset in Patre, quæ non esset in Filio; atque adeo plus perfectionis esset in omnibus personis simul, quàm in singulis contra Augustinum *Augustin.* 6. de Trinit. c. 7. 8. & 10. vbi docet, tantùm esse Patrem solùm, vel Filium solùm, vel Spiritum sanctum solùm, quantus Pater, Filius, & Spiritus simul. *In summa*, inquit, *Trinitate tantùm est vna, quantum tres simul sunt: nec plus aliquid sunt duæ, quàm vna.*

195. Tertiò sequeretur, in Deo esse tres perfectiones, ac proinde tria perfecta substantiuè, quia quidquid conuenit Deo ratione relationum, potest pluraliter, & substantiuè de Deo prædicari.

196. Quartò sequeretur, vnam personam esse perfectiorem alia; quia cùm tres istæ perfectiones non sint eiusdem, sed diuersæ speciei, nequeunt personæ, ex illis constitutę, æqualis esse perfectionis.

197. Quintò. Perfectio ex Anselmo dicitur illa, quæ in vnoquoque melior est ipsa, quàm oppositum eius, sed Filio non est melior paternitas, quàm filiatio, & è conuerso; alioqui aliqua perfectio deesset Patri, & Filio, quam melius esset in eis esse, quàm non esse: quod derogat personæ diuinæ. *Anselmus.*

198. SECVNDA sententia affirmat. Est Aureoli in 1. dist. 19. p. 2. art. 3. propos. 2. Ochami q. 1. ad 1. dub. Bacconi dist. 23. q. 1. art. 1. §. 2. & art. 3. & in 3. dist. 1. q. 1. ar. 2. §. 2. Gabrielis in 1. dist. 7. q. 3. ar. 3. & dist. 19. q. 1. notabili 4. & dubit. 5. Bannez 1. p. q. 28. art. 2. dub. 1. Zumel ibid. disp. 3. Vasquez disp. 122. cap. 6. Suarez lib. 3. de Trinit. cap. 9. Albertini ex prędicamento Ad aliquid corol. 1. Zunigæ de Trinit. disp. 5. dub. 5. memb. 2. Quæ sententia verior est. Pro cuius explicatione, *Aureolus. Ochamus. Bacconus. Gabriel. Bannez. Zumel. Vasquez. Suarez. Albertin. Zuniga.*

199. DICO 1. Relationes diuinæ, etiam quâ rela-

quà relationes sunt formaliter & explicitè ab essentia virtualiter distinctæ, perfectionem important; eamque infinitam, non simpliciter, sed in suo dumtaxat genere. Prima pars
S. Thomas. assertionis est S. Thomæ 1. p. q. 29. art. 3. vbi, *Persona*, inquit, *significat id, quod est perfectissimum in tota natura, scilicet subsistens in rationali natura. Vnde, cùm omne illud, quod est perfectionis, Deo sit attribuendum, eò quod eius essentia continet in se omnem perfectionem, conueniens est, vt hoc nomen persona de Deo dicatur:* & ibid. ad 2. approbat communem illam definitionem personæ, nempe quòd sit hypostasis proprietate distincta ad dignitatem pertinente. Quæ definitio eruitur ex Patribus, signanter
Damascen. ex Damasceno lib. de decretis primæ institutionis cap. 1. vbi, *Hypostases*, inquit, *& personæ Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Vnusquisque enim eorum perfecta est hypostasis, &*
Syluius. *perfecta persona.* Vide Syluium cit. loco S. Th.

200. Probatur primò. Relatio diuina, quà relatio est, explicitè concepta, vt virtualiter ab essentia, & ob opposita correlatione realiter distincta, est ens reale actuale: ergo aliquam perfectionem includit; cùm perfectio nil aliud sit, quàm entitas cõmensurata rei; quælibet autem relatio diuina est per se conueniens & commensurata Deo; nam sicut paternitas est conueniens & commensurata Patri, ita filiatio Filio. Nec obstat, quòd hæc conuenientia & commensuratio sit rationis: quia perfectio non consistit formaliter in ipsa conuenientia & commensuratione, sed in reipsa, quæ dicitur conueniens & cõmensurata, quæ realis est. Confirmatur. Implicat, vt relatio diuina à parte rei abstrahat ab entitate reali; ergo & à perfectione reali. Antecedens patet quia implicat, vt res à parte rei abstrahat ab eo, quo formaliter constituitur in ratione rei. Atqui relatio diuina constituitur in ratione rei, formaliter per entitatem realem. Consequentia verò liquet, quoniam perfectio necessariò consequitur entitatem rei.

201. Secundò. Relationes diuinæ, quà relationes sunt formaliter, constituunt personarum Trinitatem: sed hæc est perfectio Dei: ergo relationes, quà relationes sunt formaliter, perfectionem dicunt. Consequentia probatur, quia hæc perfectio non est tantùm naturæ; nam hæc tota esse posset in vna tantùm persona, in quo casu deesset Deo perfectio Trinitatis, & non perfectio naturæ, prout natura dicit perfectionem absolutam: igitur relationes vt relationes sunt formaliter, aliquam perfectionem superaddunt naturæ.

202. Tertiò. Relatio diuina reddit naturam fœcundam, cùm sit vel ipsa potentia notionalis productiua, vel saltem ad illam essentialiter prærequisita: atqui fœcunditas est maxima perfectio naturæ diuinæ; igitur & relatio ipsa, quæ talem fœcunditatem constituit.

203. Quartò. Filiatio diuina, quà relatio est formaliter, sustentat humanitatem Christi: ergo quà relatio est formaliter, perfectionem dicit. Consequentia elucet, quia implicat sustentare realiter naturam, & nullam in se perfectionem dicere. Antecedens probo, quia filiatio, vt opposita cæteris relationibus, sustentat humanitatem; alioqui etiam reliquæ personę sustentarent eandem humanitatem; ac proinde etiam reliquæ personæ dici possent incarnatæ, quod est hæreticum. Igitur filiatio, quà relatio est formaliter perfectionem dicit. Confirmatur, nam filiatio diuina supplet in humanitate Christi perfectionem positiuam, eam scilicet, quam conferret personalitas propria: ergo dicit in se perfectionem positiuam. Consequentia patet, quia implicat supplere positiuam perfectionem in alio in genere causæ formalis, quo pacto filiatio diuina supplet perfectionem positiuam in natura humana Christi, & illam non continere in se; cùm nulla forma dare possit effectum formalem, quem in se non habet. Antecedens supppono ex probabiliore sententia, quæ affirmat, personalitatem creatam formaliter consistere in aliqua perfectione positiua.

204. Probatur secunda pars assertionis primò ab absurdo: nam si relatio diuina, quà relatio est formaliter, esset finitæ perfectionis, posset à creato intellectu comprehendi; consequens est contra Patres: ergo. Se- *Patres.*
quelam probo, quia quod est finitæ perfectionis, est finitæ intelligibilitatis; quod est finitæ intelligibilitatis, comprehendi potest ab intellectu creato. Maior patet, quia intelligibilitas adæquatè consequitur entitatem rei. Minor probatur, quia comprehensio est cognitio adæquata in claritate & intelligibilitate obiecto: sed intelligibilitas finita adæquari potest cognitione finita. Igitur obiectum finitæ intelligibilitatis comprehendi potest ab intellectu creato. Secundò à priori. Omnis perfectio in Deo est illimitata, nam omnis limitatio est ab aliquo agente, limitante illam per ideam. Nec obstat, quòd filiatio, & spiratio passiua sint ab alio per originem; quia non sunt ab alio liberè agente per ideam, sed necessariò producente ex inclinatione naturæ.

205. Tertia pars assertionis declaratur, nam perfectio simpliciter simplex dicitur illa, quæ cum nulla alia maiore, vel æquali pugnat: siue vt Scholastici cum Anselmo definiunt, quæ in quolibet supposito est melior ipsa, quàm non ipsa, hoc est, quàm oppositum eius. At vna relatio diuina pugnat in eodem supposito cum alia opposita correlatione. Nec est melior in eodem indiuiduo Deitatis Paternitas, quàm eius opposita Filiatio, cùm vtraque constituat personam diuinam. Quanquam, si eædem relationes aut singulæ, aut omnes cum natura comparentur, cum nulla perfectione ipsius pugnant; sunt que vt sic meliores ipsæ, quàm non ipsæ: quia comparatæ cum natura nullam habent oppositionem ad illam, vel ad aliquam perfectionem absolutam illius. Melius namque est naturæ diuinæ, esse *Scholastici cum Anselmo.*

in trini-

In Trinitate personarum, per realem identitatem cum illis, quàm esse in vna tantùm persona: meliusque est eidem naturæ diuinæ, esse in Patre, quàm non esse in Patre; & esse in Filio, quàm non esse in Filio; & esse in Spiritu sancto, quàm non esse in Spiritu sancto. Non est tamen melius illi esse in Patre, quàm esse in Filio, & esse in vtroque, quàm esse in Spiritu sancto; quia æquè bonum atque perfectum est Deo, esse Patrem, atque esse Filium & Spiritum sanctum.

*Aureolus. Vasquez. Ruiz.*

206. Dico secundò. Perfectiones relatiuæ in Deo multiplicantur. Est Aureoli loco præcitato, & aliorum contra Vasquez & Ruiz opinantes, in Deo non esse tres perfectiones concedendas, eò quòd perfectio significat integritatem rei: integritas autem rei vna est, licet ex pluribus integretur; quia sicut ex pluribus fit vnum, ita ex pluribus vna resultat integritas atque perfectio rei: licet igitur in Deo relationes sint plures, quia tamen omnes constituunt vnum Deum integrum, atque perfectum, vna erit in Deo perfectio, non triplex. Verùm nostra assertio probatur, quia licet relationes diuinæ comparatæ cum essentia, sint vna entitas, integritas, atque perfectio; comparatæ tamen inter se, & cum personis, quas constituunt, sunt plures entitates integrantes, atque perfectiones: ergo licet comparatæ cum essentia non sint dicendæ plures perfectiones; quia vt sic non constituunt plura entia, sed vnum infinitè perfectum; comparatæ tamen inter se, & cum personis, quas realiter ad inuicem distinguunt & constituunt, dici possunt plures, non simpliciter; nam perfectio simpliciter stat pro perfectione absoluta, sed cum addito relatiuæ.

207. Hinc constat, concedenda esse in Deo tria infinita, & perfecta substantiuè cum addito limitante ad tria infinita & perfecta relatiua, nam quotiescunque multiplicatur forma, multiplicatur concretum formę: sed cum ipsis relationibus multiplicatur perfectio; ergo multiplicatur & ipsum concretum perfectionis, quod est perfectum. Contrà verò, quia nec diuinitas, nec vllum attributum multiplicatur cum relationibus, non dicuntur tres Dij, aut tres Sapientes, vel omnipotentes substantiuè, sed tantùm tres diuini, tres Sapientes, & tres Omnipotentes adiectiuè: quoniam adiectiua multiplicantur ad multiplicationem solius suppositi, aut subiecti, etiamsi non multiplicetur forma ipsa in subiecto. Secus substantiua, quæ non multiplicantur, nisi multiplicetur forma ipsa significata per nomen substantiuum.

208. Ad argumenta primæ sententię, ad primum respondeo, relationem diuinam dicere perfectionem infinitam in suo dumtaxat genere; probatio verò procedit de perfectione infinita in omni genere.

209. Ad secundum, concedo sequelam loquendo de perfectione relatiua, & vt formaliter constitutiua personæ. Nam hoc est tam certum, quàm certum sit Patrem non esse Filium, & Filium non esse Patrem. Quoad modum verò loquendi nunquam concedendum est simpliciter, aliquam perfectionem esse in vna persona, quę non sit in alia; aut plus perfectionis esse in omnibus simul, quàm in singulis, vt cum Augustino in argumento citato reliqui etiam Patres docent: tum quia perfectio simpliciter importat perfectionem absolutam, quæ æqualis est & eadem in omnibus personis. Tum maximè, quia eadem perfectio relatiua, quæ est in vna persona, est etiam in alia, non formaliter & constitutiuè, cum nequeant oppositæ relationes constituere eandem personam; sed virtualiter, & vt Patres & Theologi loquuntur, per *Circumincessionem.*

*Augustin. & reliqui Patres.*

210. Quæ *Circumincessio* diuinarum personarum in eo consistit, vt quælibet persona diuina ad sui complementum essentialiter postulet reliquas, vel tanquam terminum suæ vitalis & immanentis operationis, vel tanquam intimum principium vitæ, quam persona producta communem habet cum producente, in eadem numero natura. Etenim Pater ad essentiale complementum, non quidem constitutiuum, sed terminatiuum suæ personalitatis intrinsecè postulat Filium & Spiritum sanctum, vnum tanquam terminum & Verbum suæ intellectionis; alterum tanquam terminum & fructum sui amoris. Similiter Filius ad essentiale complementum suæ personalitatis postulat Patrem, vt intimum principium suæ vitæ, à quo procedit; & Spiritum sanctum, vt vitalem terminum mutui amoris cum Patre. Demum Spiritus sanctus Patrem & Filium postulat, vt adæquatum principium suæ vitæ, à quo indissolubili vitalique nexu procedit. Quam personarum *Circumincessionem* optimè expressit Anselmus in monologio cap. 57. *Iucundum est*, inquit, *intueri in Patre & Filio & vtriusque Spiritu, quomodo sint in se inuicem tanta æqualitate, vt nullus alium excedat. Præterhoc enim, quia vnusquisque eorum sic est perfectè summa essentia, vt tamen omnes tres simul non sint, nisi essentia vna summa; quæ nec sine se, vel extra se, nec maior, vel minor seipsa esse potest. Est enim totus Pater in Filio, & communi Spiritu, & Filius in Patre & eodem Spiritu, & idem Spiritus in Patre & Filio: quia memoria summæ essentiæ tota est in eius intelligentia & amore, & intelligentia in memoria & in amore, & amor in memoria & intelligentia. Totam quippe suam memoriam summus intelligit Spiritus & amat, & totius intelligentiæ meminit & totam amat, & totius amoris meminit & totum intelligit. Intelligitur autem in memoria Pater, in intelligentia Filius, in amore vtriusque Spiritus. Tanta igitur Pater & Filius, & vtriusque Spiritus æqualitate sese complectuntur & sunt in se inuicem, vt eorum nullus alium excedere, aut sine eo esse probetur.* Hæc Anselmus. Ob hanc igitur mutuã *circumincessionem*, & continentiam

*Anselm.*

nentiam personarum nequit absolutè negari perfectio de vna persona, quæ affirmatur de alia, nisi cum duplici limitatione, Relatiuè scilicet & Formaliter, siue Constitutiuè. Siquidem negatio reddit sensum vniuersalem, & negat formam de subiecto secundum omnem modum, quo illi competere potest.

211. Dices. Si quælibet persona diuina ad essentiale complementum suæ hypostasis poscit reliquas: non ergo possunt dici tres perfectiones, sed vna tantùm; quia sicut non sunt tres, sed vna integritas, ita nec tres, sed vna perfectio. Respondeo. Nego consequentiam, quia licet sub hac ratione, sub qua quælibet persona postulat reliquas, vel vt terminum suæ immanentis operationis, vel vt principium suę vitę, dici non possint tres, sed vna duntaxat integra perfectio: sub alia tamen ratione, qua quælibet persona postulat suam hypostasim, vt constitutiuam suę duntaxat personæ, & distinctiuam à cæteris, dici possunt tres perfectiones relatiuæ: quia vt sic non est vna, sed triplex perfectio hypostatica, constitutiua trium personarum realiter distinctarum, cum quibus transcendentaliter multiplicatur perfectio.

212. Ad tertium patet ex dictis. Ad quartum, nego sequelam, eiusque probationem. Nam possunt aliqua esse diuersa, & tamen in perfectione æqualia: æqualitas enim respicit intensionem perfectionis, diuersitas verò, entitatem; velut albedo & nigredo vt octo diuersæ sunt quoad entitatem, æquales quoad intensionem. Cùm igitur diuinę relationes omnes sint infinitæ in suo genere, omnes à se, omnes essentiam includant, erunt æquales in perfectione, diuersæ tantũ in entitate. Secundo dico, relationes diuinas esse eiusdem & æqualis perfectionis ratione naturæ, quam singulæ essentialiter includunt; ratione cuius vnaquæque cum natura ipsa virtualiter, & per circuminsessionem includit reliquas omnes.

213. Ad quintum, allata descriptio per se tantùm competit perfectioni simpliciter simplici, non autem ad certum genus limitatæ. Quamquam vt suprà ostensum est, si relationes comparentur cum natura, cum qua nullam habent oppositionem, vt sic illis competit allata definitio. Cæterùm dupliciter potest perfectio aliqua ad certum aliquod genus limitari: vno modo propter imperfectionem & finitudinem entitatis: alio modo propter essentialem oppositionem. Diuinæ autem relationes limitantur ad certum genus perfectionis secundo modo, non autem primo: quia prior modus limitationis pugnat cum ente increato, & à se.

## SECTIO IX.

### *An relationes Diuinæ differant specie, aut numero inter se?*

214. Prior ratio dubitandi est: quoniam ea differunt specie, quæ diuersis constant rationibus; atqui relationes Diuinæ diuersis constant relationibus: igitur relationes Diuinæ differunt specie. Maior constat. Minor probatur, nam alia est ratio paternitatis, alia filiationis, alia spirationis: nam ratio paternitatis dicit *Ingignentiam*, ratio filiationis dicit *Gignentiam*, ratio verò spirationis *Processionem*, quę omnia ratione differunt. Vnde Basilius lib. 2. contra Eunomium, relationes diuinas appellat *specificas proprietates*. *Genitum*, inquit, *atque ingenitum specificæ, ac declaratiuæ quædam sunt proprietates*. *Basilius.*

215. Posterior ratio dubitandi est, quoniam ea differunt numero, de quibus numeralis ratio prædicatur. Atqui de diuinis relationibus numeralis ratio prædicatur: igitur differunt numero. Maior patet, nam ea tantùm prędicantur, quæ insunt: igitur si ratio numeralis prædicatur de diuinis relationibus, necesse est, vt in eis talis differentia insit. Minor probatur, nam diuinæ relationes dicuntur esse tres personales proprietates, realiter inter se distinctæ, quod ad rationem numeralem sufficit. Vnde Nazianzenus Oratione 25. ad Arianos, diuinas relationes vocat *proprietates per se subsistentes, numero distinctas*: Et in 6. Synodo Constantinopolitana, actione 11. cædem relationes diuinæ dicuntur *subsistentia numero diuisibiles*. His tamen non obstantibus, *Nazianzenus.* *Synodus Constantinopolitana.*

216. Dico 1. Relationes diuinę non differunt propriè specie inter se. Assertio est omniũ Scholasticorum cum Magistro in dist. 19. Litera H. quod probat ex Augustino 7. de Trin. cap. 6. vbi fusè ostendit, in Deo non esse genus & speciem. Cuius ratio duplex est. Prima, quia species componitur ex duobus conceptibus, quorum vnus perfectè præscindit ab alio; homo enim, qui est species animalis, componitur ex animalitate & rationalitate, quarum vna perfectè præscindit ab alia. In Deo autem, vt suprà probatum est, talis compositio esse non potest. Vnde ratio ipsa relationis, quæ abstrahitur ab omnibus relationibus diuinis, tanquam ratio communis à particularibus, non prędscindit perfectè ab inferioribus, sed eas implicitè includit; & vicissim ab ipsis includitur, nam vnaquæque relatio Diuina includendo quidditatiuè essentiam, includit simul cum illa reliquas omnes relationes, si non formaliter & constitutiuè, saltem virtualiter & terminatiuè. *Magister, Augustin.*

217. Secunda ratio est Augustini. Quoniam vna species non debet continere eandem indiuisibilem *Ratio Aug.*

diuisibilem naturam, quam continet alia species sub eodem genere posita, sed multiplicatam re, sola ratione & abstractione communem, equus enim & homo, qui sunt duæ species sub animali positę, non continent eandem indiuisibilem naturam animalis, sed re ipsa multiplicatam, atque diuersam. Atqui relationes Diuinæ continent eandem numero indiuisibilem naturam: ergo nequeunt propria specie differre. Confirmatur, quia quæ specie differunt, diuersam habent definitionem: relationes autem Diuinæ diuersam definitionem non habent: nam ea tantùm diuersam habent definitionem, quę diuersis constant essentijs: relationes autem Diuinæ vna duntaxat constant essentia Diuina: igitur diuersas non habent definitiones.

*S. Thomas.* 218. Cæterùm etsi relationes Diuinæ propria specie non differant, differunt tamen quasi specie, vt S. Thomas, & reliqui Scholastici loquuntur. Nam alia est ratio paternitatis in Patre; alia filiationis in Filio; alia spirationis in Spiritu sancto. Prima enim constituit principium generatiuum; & quatenus relatio est, formaliter consequitur ad generationem actiuam primæ personæ. Secunda constituit genitum & Verbum; & quatenus est relatio formaliter consequitur ad passiuam generationem Filij. Tertia constituit amorem & terminum spiratum; & quatenus est relatio formaliter consequitur ad passiuam processionem Spiritus sancti. Iuxta hanc doctrinam intelligendi & explicandi sunt Patres, cùm relationes Diuinas *specificas proprietates* appellant.

*Patres.*

219. Ex his constat ad primam rationem dubitandi. Distinguenda est enim maior: illa propriè differunt specie, quæ diuersis constant rationibus perfectè sese excludentibus, diuersisque constantibus naturis ac definitionibus, concedo; quæ diuersis constant rationibus non sese perfectè excludentibus, nec diuersis constantibus essentijs ac definitionibus, nego.

220. Dico secundò: Relationes Diuinæ non differunt propriè indiuidualiter. Est Magistri loco præcitato, & reliquorum Scholasticorum. Quam assertionem eodem modo probat Augustinus suprà citatus, sicut probauerat eas non differre specie: quia nimirum, quæ indiuidualiter differunt, non habent vnam eandemque numero naturam, sed multiplicem: Petrus enim & Paulus, qui indiuidualiter differunt, non habent eandem numero naturam, sed multiplicem; propterea non vnus, sed duo dicuntur homines. Atqui relationes Diuinæ habent eandem numero naturam & essentiam, vt propterea non plures, sed vnus dicantur Deus: igitur non differunt propriè indiuidualiter. Dici tamen possunt impropriè differre indiuidualiter, quatenus alia est numero relatio paternitatis, alia filiationis, alia spirationis passiuæ.

*Magister cum Scholasticis. August.*

221. Ex his constat, relationes Diuinas non esse propriè indiuidua ob rationem assignatam, quia scilicet indiuidua non conueniunt in eadem numero natura. Cæterùm non displicet modus loquendi, quem indicat Cyrillus Alexandrinus lib. 1. thesauri cap. 8. vt relationes & personæ Diuinæ non dicantur positiuè numero differre, sed tantùm negatiuè, vt denotetur, non esse eandem numero relationem, aut personam: *Pater*, inquit, *in Filio est, & Filius in Patre, non tamen vt idem numero.* *Cyril. Alex*

222. Ex dictis patet responsio ad secundam rationem dubitandi. Etenim concedo, de relationibus Diuinis prædicari rationem numeralem, sed inadæquatè, & secundùm quid, non adæquatè & simpliciter: siquidem ratio numeri, non competit Deo, de quo prędicatur, secundùm adæquatam rationem Deitatis, eò quòd illi non competit ratione essentiæ, sed tantùm ratione personarum & hypostasum. Vnde non potest prædicari, nisi cum addito declarante, & limitante ad solas personas, iuxta illud Ioannis epist. 1. cap. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt.* Iuxta hanc doctrinam explicatur Nazianzenus, & alij Patres. *Ioan. ep. 1.* *Nazianzenus & alij Patres explicantur.*

223. Dubitari posset, an in Diuinis sit ratio Totius & Partis. Negat S. Thomas; & meritò. Cuius ratio est, quia pars importat propriè diuisionem & separationem à cæteris. Nulla autem persona Diuina importat diuisionem, & separationem à cęteris personis; sed vnaquæque per circuminsessionem, modo suprà declarato includit reliquas. *S. Thomas.*

DISPV-

# DISPVTATIO XX.

## De formali constitutiuo Diuinarum Personarum.

POST Disputationem de Relationibus, sequitur Disputatio de Diuinis Personis. Quoniam verò doctrinalis methodus exigit, vt semper communia præmittenda sint proprijs, & vniuersalia particularibus, priùs disputandum erit de Personis Diuinis in communi; tum de ijs, quæ ad singulas personas in particulari spectant. Primum autem, quod de Personis Diuinis in communi disputandum occurrit, est, quodnam sit formale constitutiuum earum, quod simul eas in seipsis constituat, & mutuò etiam illas inter se distinguat.

### SECTIO I.

*An concedendæ sint in Deo proprietates personales, quibus Personæ constituantur & distinguantur?*

*S. Thomas. Syluius, cũ reliquis Theologis.*

1. SVPPONO primò cum S. Tho. 1. p. q. 29. a. 3. Syluio ibid. & cum reliquis Theologis, Deo verè & propriè conuenire rationem personæ; siquidem hæc ad dignitatem pertinet naturæ intellectualis. *Est* enim *persona*, vt ibidem S. Doctor ad secundum definit', *hypostasis proprietate distincta ad dignitatem pertinente.*

2. Secundò suppono personam directè & formaliter importare hypostasim, indirectè verò & materialiter naturam: alioqui non possent dici tres personæ in Deo, quia nequit substantiuum multiplicari, nisi multiplicetur totum significatum formale. At qui natura Diuina non multiplicatur in tribus suppositis; ergo non est formale significatum personæ. His adnotatis, quæritur, an admittendę sint in Deo proprietates personales, quibus personæ Diuinę constituantur, & distinguantur inter se.

*Gregorius Arminensis*

3. PRIMA sententia est Gregorij Ariminensis in 1. distinct. 22. quæst. 1. negantis, personas Diuinas distingui proprietatibus, sed se ipsis constitui, & distingui. Probat primò: quia quælibet persona Diuina est simplex: ergo nequit alio in suo esse constitui. Nam vel illud esset ipsamet persona; & sic idem constitueret se ipsum, quod implicat, cùm constituens sit aliquo modo causa constituti: præterea de eo quæri posset, an aliquo alio constituatur; & similiter de illo alio, & sic in infinitum. Vel est aliquid personæ, & sic persona, quæ illo constituitur, non esset simplex, cùm iam componatur ex aliquo, quod non est ipsa.

4. Secundò. Non minùs est simplex in Deo persona, quàm essentia, aut quæuis proprietas personalis: sed essentia & proprietas personalis, ob summam sui simplicitatem non constituitur aliquo: ergo nec persona.

5. Tertiò. Si personæ constituerentur ex proprietate, constituerentur etiam ex essentia; atqui ex essentia constitui non possunt, quia tunc persona de essentia prædicari non posset; cùm nequeat constitutum in recto, & quidditatiuè de suo constituente prædicari: non enim dicitur, anima est homo, sed hominis. Vnde Pater, si constitueretur essentia & Paternitate, prædicari non posset de essentia: quod est contra Concilium Lateranense, & contra Patres, qui passim de Diuina essentia personas prædicant.

*Concilium Lateranense Patres.*

6. Quartò. Sequeretur, Patrem esse aliquo modo principiatum, quia omne constitutiuum est quodammodo principium sui constituti: igitur si Pater constitueretur paternitate, tanquã formali constitutiuo sui, esset respectu paternitatis principiatus. Quod idem ostendi potest de reliquis personis.

7. Quintò. Si aliqua proprietas esset in Patre, quæ non communicaretur filio, non totam substantiam, sed partem suę substantiæ Pater communicaret Filio, contra Concilia.

8. Sextò. Sequeretur, quòd non eadem res esset Pater, quæ est Filius, & Spiritus sanctus, contra præcitatum Concilium Lateranense. Sequela patet, quia Pater non solùm est essentia communis, quæ est Filius, sed etiam proprietas illa personalis, quæ non est Filius.

*Conc. Later.*

9. Septimò. Si quæuis persona Diuina, præter essentiam communem, habet aliquã proprietatem, cùm illa non possit esse nisi Deitas; quia nihil in Deo est, quod Deus non sit; sequitur, quòd vnaquæque persona præter Deitatem communem, habeat suam propriam Deitatem. Vnde non vna, sed quatuor essent Deitates, vna communis, tres propriæ; ratione quarum vnaqueque persona dici posset alius Deus ab alia.

10. Quòd si ab hoc Auctore quęras per quid Pater distinguatur à Filio: respondebit, eadem planè re, quâ Pater est idem cum

Filio, distingui personaliter à Filio. Vnde concedit has propositiones: *Pater per essentiam est distincta persona à Filio. Pater est eadem natura cum Filio per essentiam; Pater paternitate est eadem essentia cum Filio*, quia vna & eadē simplicissima res est essentia & Paternitas; ac proinde non minùs dici potest, Pater essentia, quàm paternitate distingui, vel esse idem cum Filio.

*cholastici*

11. SECVNDA sententia est communis Scholasticorum affirmantium, in diuinis dari proprietates, quibus personæ constituantur, & inter se distinguantur. Assertio hæc colligitur ex Concilio Lateranensi relato capite *Firmiter* de summa Trinitate & fide Catholica: *Hæc sancta*, inquit, *Trinitas secundùm communem essentiam indiuidua, secundùm personales proprietates discreta.* Eadem veritas colligitur ex Concilio Florentino sess. 18. post medium: *Nos verò*, inquit, *dicimus subsistentiam, & personam, siue hypostasim esse idem re, differre autem nostro modo intelligendi: ita vt persona constet ex subsistantia, & proprietatibus.* Ibidem etiam docetur, substantiam communicari, proprietates verò esse incommunicabiles: item substantiam differre ab hypostasi, sicut commune à proprio. Et sess. 19. in fine: *Persona*, inquit Ioannes Latinus, *constat ex diuina substantia, & proprietate. Et secundùm proprietatem distinguuntur realiter inter se personæ; at verò secundùm substantiam sunt vnum.* Idem docuit Sophronius in epist. approbata à sexta Synodo actione 11. *Hoc idem*, ait, *propter naturam & identitatem, illud verò propter alterificas horum trium proprietates, propterque dissimilitudines proprietatum, quę in confuso vnamquamque figurant personam.* Eamdem doctrinam profitetur Ecclesia in præfatione de Trinitate dum canit, *Et in personis proprietas.* Propter quæ testimonia Canariensis Gregorij opinionem erroris nota sugillat: certè illa temeritatis notam non effugiet, cùm in re tam graui recedat à communi modo loquendi Patrum & Conciliorum.

*Concilium Lateranense*

*Concilium Florentin.*

*Ioannes Latinus.*

*Sophronius.*

*Ecclesia.*

*Canariensis Censura opinionis Gregorij.*

12. Fundamentū verò est, quia licet in Deo persona sit res simplicissima, excludens omnē compositionem, etiam Metaphysicam; quia tamen in quauis persona est aliquid, quod à parte rei est commune, & aliquid, quod est vnicuique proprium, licet sine distinctione inter proprium & commune; possumus, quod est proprium abstrahere à communi, illudque ad instar proprietatis concipere, & sic conceptum non solùm in concreto, sed etiā in abstracto significare. Quare sicut non falsò concipimus, personas Diuinas aliquo inter se cōuenire, aliquo differre; nam quamuis modus cōcipiendi distinctionem inter id, quo conueniunt, & quo differunt, verus non sit; res tamen ipsa quoad vtramque perfectionē concepta vera est, & à parte rei existens: ita nec falsò illas significamus per aliquid, quo conueniunt, & quo differunt, quia nomina imponuntur ad significandas res, prout à nobis cōcipiuntur, & alioqui res ipsa quoad duplicem illam perfectionem, duplici voce, *Communis, & Proprij* significata in seipsa existit. Præterea Diuinæ simplicitati non repugnat, eamdē essentiam cōcipere tribus suppositis communem, eamque de omnibus prædicare; ergo nec personalitatē vnicuique personæ propriam, eamque de vna tantùm hypostasi enunciare.

13. Ad argumenta oppositæ sententiæ. Ad primam rationem negatur Consequentia. Non enim simplicitati diuinæ repugnat constitutio per intellectum ad modum includentis & inclusi, siue impliciti & expliciti. Ad probationem verò respondeo, in diuinis personis principia constitutiua à parte rei esse quidem rem ipsam constitutam, conceptu tamen & ratione, saltem inadæquata distingui inter se. Vnde non sequitur, quòd eo modo, quo est constitutio per intellectum, idem se ipsum constituat: quia sicut principium constituens ratione distinguitur à re ipsa constituta, ita per conceptum idem seipsum non constituit. Neque oportet de ratione constituente vlteriùs quærere, per quid illa constituatur: nam sicut, cùm deuenimus ad principia constituentia ex natura rei, non licet vlteriùs quęrere, per quid illa à parte rei constituātur; ita cùm deuenimus ad principia cōstituentia per rationem, non licet de illis vlteriùs quærere, per quid constituantur, cùm sint ipsæmet simplices ac formales rationes per intellectum abstractæ ac præcisæ.

14. Ad secundam. Concedo, re ipsa non minùs simplicem esse personam, quàm essentiam, aut proprietatem personalem in Deo; tamen per intellectum maius esse fundamentum, vt potiùs persona, quā essentia, aut proprietas vlla personalis cōstituatur: quia in persona re ipsa est aliquid commune & propriū, quod non est in quauis proprietate personali.

15. Ad tertiam. Respondeo, vtrumque esse verum, & personam Diuinam constitui essentia & nihilominus de essentia ipsa personam prædicari. Cùm enim hæc constitutio summæ simplicitati, quæ inter essentiam & personas reperitur, non præiudicet, rectè de essentia persona prædicari poterit.

16. Ad quartam. Negatur sequela: quia cùm hęc constitutio, quoad distinctionem principiorum constituentium, non sit, nisi per intellectum, non sequitur, Diuinas personas causari à rationibus constituentibus, quia nulla potest esse causalitas, vbi nulla est distinctio.

17. Sed contrà, nam constitutio personarum in Diuinis est realis: quod sic probo, quia non est maior ratio, cur distinctio personarum sit realis, & non etiam ipsa constitutio personarum, quæ distincta proprietate constituuntur. Respondeo, constitutionem Diuinarum personarum esse realem fundamentaliter, & quoad rationes ipsas constituentes; formaliter verò, & quoad ipsam formalem constitutionem esse tantùm rationis. Nec est eadem ratio de distinctione ipsarum personarum; quia hæc respicit terminos realiter distinctos, non autem constitutio, quæ non coalescit ex rationibus cōstituentibus distin-

ctis;

ctis; coalescit enim, non ex proprietate vnius, & ex proprietate alterius personæ, quæ à parte rei distinguuntur, sed ex ratione communi & propria, quæ in Deo sunt vnum re, virtualiter tantùm, & conceptu distincta.

18. Ad quintam negatur Consequentia: quia loquendo de substantia, quæ est essentia absoluta, tota communicatur filio: loquendo verò de substantia seu entitate, quæ est paternitas, tam falsum est, eam Patrem communicare Filio formaliter, quàm Patrem non esse alium à Filio. Nec tamen inde sequitur, partem tantùm substantiæ Patrem communicare Filio, sed tantùm illi communicare essentiam absolutam, non communicata personalitate, non per diuisionem essentiæ à propria personalitate, à qua, illam Filio communicando, non separat: sed per relatiuam oppositionem, quia seipsa remanet distincta à personalitate Filij, sine vlla partitione, aut diuisione substantiæ communis à propria.

19. Ad sextam negatur sequela. Nam quamuis Pater aliquam realitatem habeat, quam non habet Filius formaliter, ratione cuius dicitur, & est alius à Patre; ratione tamen essentiæ communis dicitur Pater esse eadem res, quæ est Filius & idem, vnumque cum Filio.

20. Ad septimam nego sequelam: quia Deitas conuenit relationi ratione essentiæ. Vnde sicut illa non multiplicatur ad multiplicationem relationum; ita nec dici possunt in Deo tres Deitates, sicut nec tres essentiæ. Quòd si quis vrgeat. Relatio diuina, etiam ratione præcisa ab essentia est DEVS, quia vt sic præcisa adhuc est perfectio increata & à se. Respondendum erit relationem, vt sic ab essentia præcisam, non esse formaliter Deum, sed perfectionem Dei, quia Deus dicit perfectionem simpliciter simplicem, & fundamentum, seu plenitudinem omnium perfectionum, quam non dicit relatio sic concepta. Verùm sicut huiusmodi præcisio non est in re ipsa, sed tantùm per intellectum; ita quòd Diuina relatio Deus non sit, non est in re ipsa, sed in nostra tantùm apprehensione.

21. Instabis. Ergo hæc relatio sic concepta erit creatura, cùm inter Deum & creaturam non cadat medium. Respondeo negando consequentiam. Nam licet in re inter Deum & creaturam non cadat medium, cadit tamen in nostra conceptione, quæ ab vtroque aliquid præscindere possumus, & considerare rem illam sub præciso dumtaxat conceptu talis, vel talis perfectionis: quanquam res ipsa concepta, quæ nostræ apprehensioni respondet, creator aut creatura sit, necesse est. Quamuis responderi etiam possit, quòd talis relatio sic concepta non sit formaliter creator, quia hîc dicit plenitudinem omnium perfectionum, sed sit perfectio creatoris.

22. Ex dictis infertur, quid dicendum sit de illis propositionibus, quas suprà concessit Gregorius: *Pater per essentiam est distincta persona à Filio. Pater paternitate est eadem essentia cum Filio*: nam quamuis essentia, & paternitas sit vna res simplicissima; quia tamen in ea formalissimè est perfectio absoluta naturæ, & respectiua personæ, non minùs quàm si illę re ipsa distinctæ essent; falsæ sunt huiusmodi propositiones, non minùs, quàm si illæ fierent de re continente vtramque perfectionem, à parte rei distinctam. Nam per has propositiones significatur, Patrem per id formaliter distingui à Filio, quo est idem formaliter cum Filio; & per id formaliter esse vnum cum Filio, quo formaliter distinguitur à Filio. *Gregorius.*

## SECTIO II.

### *An proprietates Personas constituentes sint relatiuæ?*

33. PRIMA sententia est Ioannis de Ripa, & Guilielmi Parisiensis Episcopi apud Carthusianum in 1. dist. 26. quæst. 2. quam vt probabilem defendit Scotus in 1. dist. 26. asserentium, personas Diuinas constitui & distingui proprietatibus absolutis. Probat primò Scotus, quia omnis relatio aliquid referre debet, sed hoc non potest esse natura, quia hæc non distinguitur à termino ad quem relatio ipsa refert; non ipsa relatio, tum quia relatio non refertur, nec distinguitur, sed supponit extrema distincta; ideo enim, teste Philosopho 5. Metaphysicorum cap. *De eodem*, identitas non est relatio realis, quia non supponit extrema distincta realiter: tum quia omne relatiuum præsupponitur priùs natura, quàm referatur per ipsam relationem; atqui hoc in diuinis non est natura, sed suppositum: igitur suppositum præsupponitur ad relationem: ergo non potest ea formaliter constitui; quia nullum prius constitui potest suo posteriori. Vnde Augustin. 7. de Trinit. c. 6. docet, personam Patris non ad Filium, vel ad Spiritum sanctum, sed ad se dici. *Ioannes de Ripa. Guilielmus Carthus. Scotus.* *Aristoteles.*

24. Secundò. Omnis relatio terminatur ad absolutum. Sed terminus relationis vnius personæ Diuinæ est alter à persona, & non essentia, quia hæc sicut non refertur, ita nec terminat relationem ad se: ergo erit persona: igitur persona terminans relationem alterius personæ Diuinæ, est absoluta.

25. Tertiò. Originans est prius originato: sed relatiuum nō est prius, sed simul suo correlatiuo. Ergo suppositum Diuinum nō constituitur in ratione personæ originātis per relationē. Confir. Si personæ Diuinę essent relatiuæ, nihil aliud esset Patrem originare Filiū, quàm Patrem habere Filiū, vt correlatiuum sui: sed Pater ex eo, quòd Pater est, circumscripta omni origine, habet Filium vt correlatiuum sui; cùm in nullo instanti naturæ, aut originis intelligi possit absque Filio. Etenim

sola paternitate posita, & omni actione circumscripta, necessariò ponitur filiatio, vt correlatio oppositа paternitati. Igitur si Pater sola paternitate constitueretur in ratione personæ, ex sola natura paternitatis, absque vlla origine haberet Filium, vt correlatiuum sui.

*Aristoteles.*

26. Quartò. Relatio non potest originari, nisi aliquo absoluto priùs originato; quia teste Philosopho 5. Physic. *Ad aliquid non est per se motus*: ergo persona Diuina, quæ primò originatur, non potest esse relatio, sed aliquid absolutum, ad hoc vt sit primus terminus originis.

27. Quintò. Si persona producta esset relatio, cùm omne relatiuum naturaliter respiciat suum correlatiuum, æquè naturaliter Spirator respiceret spiratum, ac generans generatum: ergo non erit duplex productio, vna per modum naturæ altera per modum voluntatis: quia non est maior ratio, cur potiùs Filius, quàm Spiritus sanctus producatur per modum naturæ: cùm vterque producatur vt correlatiuum producentis.

28. Sextò. Suppositum præcedit actionem, quia res priùs est, quàm operetur: Sed relatio est simul natura, & notitia cum correlatione, quia nequit esse aut intelligi sine illa. Ergo nequit Pater in ratione suppositi paternitate constitui; alioqui Filius præcederet suam generationem, nam in eo signo intelligeretur Filius esse, in quo intelligeretur esse ipsum suppositum Patris: atqui si suppositum Patris constitueretur paternitate, præintelligeretur generationi: igitur Filius vt correlatiuum Patris præintelligeretur suæ generationi; proinde Filus præintelligeretur esse, antequam produceretur.

29. Septimò. De ratione suppositi est incommunicabilitas: ergo si paternitas constituit primum suppositum, oportet vt ei repugnet communicabilitas: at ei non repugnat communicabilitas: tum quia, cùm paternitas non sit infinita, non est de se hæc; omnis autem incommunicabilitas supponit singularitatem. Tum quia omnis relatio æqualiter se habet ad essentiam; ergo aut omnis est incommunicabilis, aut nulla, quia omnem communicabilitatem, aut incommunicibilitatem habet ab essentia: atqui non omnis relatio incommunicabilis est, vt constat de spiratione actiua, quæ Patri & Filio communis est. Tum quia si per impossibile productio Spiritus sancti præcederet generationem Verbi, paternitas esset communis Patri, & Spiritui sancto, sicut modo communis est spiratio actiua Patri & Filio; quia tunc vterque per eandem intellectionem communē, & vim generatiuam gigneret Filium: non secus, ac nunc Pater, & Filius per eandem volitionem, & vim spiratiuam communem spirant Spiritum sanctum.

30. Octauò. Relatio est alterius generis ab absoluto; ergo nequit cum eo constituere vnum per se: ideo enim in rebus creatis relatio non constituit vnum per se cum absoluto, quia est alterius generis. Confirmatur. Quia prima identitas est naturę cum proprio supposito: ergo illa debet esse maximè vna; ergo non debet includere aliquid alterius generis: alioqui maior esset identitas, & vnitas naturæ creatæ cum proprio supposito, quàm increatæ cum suo, quia illud est absolutum, hoc respectiuum.

31. Nonò: Persona *est intellectualis naturæ indiuidua substantia*, vt omnes Theologi cum Boëtio docent: quæ definitio competit personæ Diuinæ: atqui in hac definitione nulla importatur relatio: igitur persona Diuina non constituitur relatione. Hanc eandem sententiam probabilem putat Michaël Palatius in 1. distinct. 26. disputat. vnica concluſ. 1.

*Boëtius.*

*Palatius.*

32. Secvnda sententia est S. Thomę 1. part. quæst. 40. artic. 1. & 2. Syluij ibid. & reliquorum Scholasticorum cum Magistro in 1. distinct. 26. affirmantium, Personas Diuinas constitui & distingui relationibus. Vnde oppositam sententiam Ioannis de Ripa, & Guilielmi Parisiensis erroris insimulant: quare illam ad minimum errori proximam existimat Didacus Ruiz de Trinit. disputat. 87. sect. 1.

*S. Thomas. Syluius. Scholastici cum Magistro. Ioa. de Ripa Guilielmus Ruiz.*

33. Hæc sententia colligitur primò ex Concilijs, & Patribus passim docentibus, personas Diuinas relationibus distingui, & constitui. Ex Concilio Toletano XI. *In relatiuis personarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad vtrumque refertur.* Et paulò pòst ita subdit: *Ergo hoc solo numerum insinuat quod ad inuicem sunt; & in hoc numero caret, quod in se sunt.* Ex Florentino sessione 18. *Ita vt in nullo*, inquit, *alio differat, nisi quòd Pater est Pater, Filius est Filius.*

*Conc. Toletanum 11.*

*Conc. Flor.*

34. Et sanè quoad distinctionem personarum sentit Vasquez disputatione 158. cap. 3. hanc sententiam ad fidem accedere; quoad constitutionem verò non item; quia putat, in Diuinis principium constitutiuum non esse idem cum distinctiuo. Sed quidquid sit de hoc, certè in doctrina Scoti idem est principium distinguens, & constituens in Diuinis. Et Concilia ipsa non modò affirmant vnum, sed etiam docent aliud: *Persona*, inquit, citato loco Florentinum, & sessione 19. in fine, *constat ex Diuina substantia, & proprietate.* Et Oratione pro Vnione: *Priùs tamen*, inquit, *& principaliter secundùm modum intelligendi per relationes distinguuntur, per quas etiam constituuntur Diuinæ personæ.* Ergo non tantùm relationes personas Diuinas distinguunt, sed etiam constituunt. Confirmatur, nam citata sess. 18. Concilium docet, nil aliud in Patre esse, præter essentiam communem & paternitatem. Et in decreto ipso Pontifex affirmat, Patrem omnia Filio communicare, *præter esse Patrem*: si autem persona Patris constitueretur aliqua proprietate absoluta, non tantùm in eo esset essentia communis, & paternitas; neque omnia communicaret Filio, præter esse Patrem; si quidem non communicaret illi proprietatem absolutam, quâ constituetur

*Vasquez.*

*Scotus.*

*Conc. Flor.*

fueretur persona incommunicabilis cæteris suppositis.

35. Secundò probatur prędicta sententia à priori. De ratione personę est incommunicabilitas: nulla autem perfectio absoluta in Deo incommunicabilis est: ergo nulla perfectio absoluta potest personas constituere. Maior cum consequentia constat. Minor probatur, quia omnis perfectio absoluta dicit conceptum simpliciter simplicem, cui non repugnat communicari; omnis quippe incommunicabilitas aut est ex limitatione, qua res limitatur ad certum genus perfectionis, aut ex oppositione relatiua: prior, cùm imperfectionem inuoluat, in Deo esse non potest: ergo necessariò erit posterior. Non igitur possunt personę Diuinę absolutis proprietatibus constitui. Confirmant hoc duo illa vulgata axiomata Theologorum, alterum desumptum ex Boëtio, alterum ex Anselmo. Primum, est *sola relatio Trinitatem multiplicat*. Secundum est, *In Diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio*. Confirmatur ad hominem, quia cùm in sententia Scoti relationes Diuinæ ex natura rei distinguantur, non solùm ab essentia, à qua etiam distinguuntur ipsæ personalitates absolutę, sed etia à personis, essent verè & propriè accidentia, non modò quia adueniunt personis perfectè constitutis, sed etiam quia adueniunt, vt formaliter distinctæ.

*Boëtius.* *Anselmus.*

36. Vna hîc supereſt non dissimulanda difficultas, quæ etsi à nemine agitetur, mihi tamen graue negotium facessit. Est autem hæc, quia non videtur repugnare; personas Diuinas constitui proprietatibus absolutis, & simul referri proprietatibus relatiuis aduenientibus personis iam constitutis per suas proprietates absolutas. Assumptum probo: nam de facto Pater & Filius constituuntur in ratione personæ per paternitatem & filiationem, per quas tamen non opponuntur relatiuè Spiritui sancto. Nam per eam tantùm rationem Pater & Filius opponuntur relatiuè Spiritui sancto, per quam constituuntur proximum principium productiuum illius: atqui Pater & Filius, non constituuntur proximum principium productiuum Spiritus sancti per paternitatem & filiationem, sed per virtutem spiratiuam: ergo per hanc, & non per paternitatem & filiationem relatiuè opponuntur Spiritui sancto. Confirmatur, nam ideo per spirationem actiuam Pater & Filius non opponuntur inter se in ratione Spiratoris, quia per spirationem nec Pater constituitur proximum principium Filij, nec Filius Patris.

37. Dices, rationem discriminis esse, quia licet Pater & Filius per paternitatem & filiationem non opponantur Spiritui sancto in ratione relationis, aut originis, vel virtutis productiuæ; opponuntur tamen in ratione hypostasis & principij producentis vt *Quod*: per spirationem verò actiuam nullo pacto Pater & Filius in ratione Spiratoris opponuntur inter se.

38. Sed contrà, nam idem dici posset de proprietatibus illis absolutis, nempe quod per illas personæ Diuinæ opponerentur inter se, non in ratione relationis, aut originis, vel virtutis productiuæ; sed in ratione hypostasis & principij producentis vt *Quod*. Nam ita se haberent proprietates illæ absolutę in ratione constitutiua personarũ, sicut de facto se habẽt paternitas & filiatio in ratione cõstituendi Patrem & Filium: Ergo sicut paternitas & filiatio distinguunt Patrem & Filium à Spiritu sancto, licet eos non opponant relatiuè formaliter, neque in ratione producentis vt *Quo*, neque in ratione originantis, aut referẽtis, sed tantùm in ratione hypostasis, & principij productiui vt *Quod*: ita posset proprietas absoluta distinguere vnam personam ab alia, solùm in ratione hypostasis & principij producentis vt *Quod*; esto illam nõ opponeret in ratione producẽtis vt *Quo*, aut originantis, vel referentis. Aut certè assignanda est ratio, cur potiùs vna ratio respectiua possit in Diuinis constituere suppositum incommunicabile, non solùm respectu personæ relatiuè oppositę, sed etiam respectu personæ non relatiuè oppositæ, & non possit ratio aliqua absoluta constituere suppositum incommunicabile respectu cuiuscunque personæ. Nam quòd de facto suppositum Diuinum constituatur incommunicabile personæ relatiuè oppositæ non tollitur, quin re ipsa constituatur incommunicabile etiam alteri personæ non relatiuè oppositæ; ergo ex conceptu suo non repugnat, vt possit suppositum Diuinum constitui incommunicabile per proprietatem absolutam. Confirmatur, quia posset à persona Patris auferri respectus ad Filium, & relinqui sola ratio per quam hypostaticè opponitur Spiritui sancto: sed in tali casu persona Patris maneret constituta in ratione personæ condistinctæ à persona Spiritus Sancti, & non per proprietatem relatiuam, cùm illa supponeretur iam sublata.

39. Ad propositam difficultatem Respondeo, magnum esse discrimen inter perfectionem diuinam absolutam & respectiuam: quia perfectio absoluta, cùm ex conceptu suo dicat perfectionem simpliciter simplicem, & infinitam in omni genere, nullam ex natura rei distinctionem admittere potest à quacunque alia perfectione, nam hoc ipso non esset infinita simpliciter, & in omni genere. At verò perfectio respectiua, cùm ex suo conceptu quidditatiuo non dicat perfectionem simpliciter infinitam & in omni genere, sed in vno dumtaxat; Paternitas enim solùm dicit perfectionem infinitam in genere paternitatis, filiatio in genere filiationis, spiratio in genere passiuæ processionis; non solùm admittit realem distinctionem à sua opposita correlatione, passiua origine, & termino producto formaliter; sed etiam ab opposita correlatione passiua origine, & termino producto radicaliter; quia hoc non pugnat cum natura ipsa perfectionis respectiuæ, limitatæ ad vnum tantùm genus perfectionis. Ergo quamuis paternitas & filiatio non re-

spiciat spirationem passiuam, vt oppositam correlationem, vt originem passiuam, & terminum productum formaliter; (nam sub hac ratione formali ista respiciuntur tantùm à spiratione actiua, siue à Patre & Filio, vt spiratore formaliter,) tamen respicit illa radicaliter, & vt principium *Quod*. Quoniam paternitas & filiatio, quà paternitas & filiatio Diuina est, essentialiter exigunt respicere radicaliter, & vt principium *Quod* media spiratione actiua, vt principio *Quo* Spiritus sancti processionem, atque adeo ab illa realiter distingui. Vnde sola radicalis oppositio sat erit in Diuinis, vt vna relatio realiter distingui possit ab alia.

40. Consistit autem hæc radicalis oppositio, vt tale suppositum essentialiter exigat proximum principium productiuum talis termini, & præterea vt sit illi hypostaticum complementum ad talem terminum producendum. Sic Pater & Filius, vt talia suppositа sunt, essentialiter exigunt proximam vim productiuam Spiritus sancti; suntque hypostaticum complementum ad huiusmodi terminum producendum. Defectu huius radicalis oppositionis spiratio actiua non distinguitur à Patre & Filio, quia nec Pater exigit illam, vt proximam vim productiuam Filij, nec contrà ipsa spiratio actiua exigit paternitatem, vt hypostaticum complementum ad producendum Filium. Siquidem Pater supponitur completè constitutus tam in virtute producendi, quàm in ratione subsistendi in ordine ad Filium per solam paternitatem. Defectu eiusdem radicalis oppositionis Filius non distingueretur à Spiritu sancto, in casu quo illum non produceret: quia si illum non produceret, non exigeret spirationem actiuam, vt proximam vim illum producendi, mediante qua illi opponeretur, vt formale correlatiuum.

41. Ex dictis manet soluta proposita difficultas. Solùm superest respondendum ad vltimam confirmationem. Ad quam dico, in ea hypothesi, in qua ratio respectiua auferretur à Paternitate, eo ipso destructum iri perfectionem respectiuam, quæ sola est capax radicalis oppositionis, propter limitationem ad ad vnum tantùm genus perfectionis. Nam in eo casu perfectio respectiua paternitatis, eo ipso, quo ab illa auferretur respectus ad Filiũ, euaderet perfectio absoluta, ac proinde incapax radicalis oppositionis ad personam Spiritus sancti. Nam eo ipso tunc fieret perfectio infinita & illimitata in omni genere; atque adeo cum nulla alia perfectione posset habere oppositionem. Ad rationes oppositæ sententiæ respondebimus sectione sequenti.

## SECTIO III.

### *Sub qua ratione Diuinæ relationes constituant personas.*

42. RATIO dubitandi est, quia relatio paternitatis supponit personam Patris iam constitutam: igitur non potest ipsam constituere. Consequentia patet, quia nullum posterius constituere potest suum prius. Antecedens probatur, quia relatio paternitatis consequitur actionem generationis. Generatio autem supponit personam ad generandum constitutam. Quæ difficultas solùm militat in persona Patris, nam reliquæ personę non præcedunt, sed consequuntur originem, ad quam consequitur relatio ipsa personalis, vt immediatus terminus ipsius. Propter hanc difficultatem variant Scholastici in assignanda proxima & formali ratione, sub qua Diuinæ relationes personas constituunt. *Scholastici variant.*

43. PRIMA sententia est Bonauenturæ in 1. dist. 26. q. 3. affirmantis, Diuinas personas constitui & distingui relationibus sub ratione originis. Fundamentum est, quia circumscripta origine, impossibile est in Diuinis intelligere personarum pluralitatem; quia licet in Deo idem sit originari, & ad alium referri: id tamen quod formaliter constituit personas, est origo. Antecedens probatur, quia sublata origine per intellectum, tollitur relatio in origine fundata: contrà verò sublata relatione, non necessariò tollitur origo: igitur origo, non relatio formaliter constituit personas Diuinas. *Bonauent.*

44. Hanc sententiam impugnat S. Doctor 1. p. qu. 40. art. 2. hoc vnico fundamento, quia principium constituēs concipi debet vt intrinsecum & permanens in re ipsa cōstituta, cùm debeat concipi vt forma dans esse rei constitutæ. Origo autem non concipitur vt ratio intrinseca & permanens in re ipsa originante, vel originata; sed vel tanquam via egrediens ab originante, si sit actiua, vel tanquam via ad originatum, si sit passiua. Cęterùm negari non potest, per origines, tanquam à posteriori argui distinctionem personarum. In quo sensu interdum Patres docent, personas Diuinas distingui per origines, hoc est à posteriori & quoad nos. *S. Thomas hanc opinionem impugnat.*

45. SECVNDA sententia est Caietani 1. p. q. 40. art. 4. asserentis, personam Patris constitui formaliter sub expressa ratione paternitatis, vt concepta, non vt exercita; quia vt concepta præcedit generationem, vt exercita verò subsequitur. Hoc modo saluat, quo pacto eadem relatio personam constituat & referat: constituit, quatenus in esse hypostatico relatiuo ordine rationis præcedit generationem; refert, quatenus in esse relatiuo generationem exercitè subsequitur. Est autem relatio vt concepta & exercita in doctrina Caietani eadem forma indiuidualis atoma, importata secundùm duplicem modum significandi diuersum & secundùm esse constitutiuum personæ, & secundùm esse relatiuum eiusdem, ita vt vtrumque præstet relatio ipsa formaliter, vnum vt concepta ante generationem in esse relatiuo hypostatico, alterum vt exercita post generationem in esse relatiuo exercitè. *Caietanus.*

46. Sed contra hanc sententiam Caietani primò: quoniam formam exercere suum a-

ctum circa aliud, nil aliud est, quàm conferre illi suum effectum formalem, sicut albedinem exercere suum proprium actum circa subiectum, est illud reddere formaliter album: sed effectus formalis relationis, vt relatio est, est constituere aliquid formaliter relatum. Implicat igitur concipere paternitatem constituere personam Patris; sub expressa ratione paternitatis, & illam ad Filium non referre, cùm hic sit formalis effectus ipsius, quem non potest non exercere in supposito, quod intrinsecè & formaliter constituit.

47. Secundò. Relatio vt concepta denominatur talis ab intellectu concipiente, & solùm differt à seipsa vt exercita, sicut res in seipsa existens, & vt terminus creatæ cognitionis. Sed relatio non constituit hypostatim Diuinam, quatenus terminus est nostræ cognitionis; sed quà talis est in seipsa à parte rei independenter à nostra conceptione; non igitur vt concepta, sed vt exercita personam constituit. Confirmatur, nam si intellectus verè concipit id, quod à parte rei personam Patris constituit, sicut illa est paternitas secundùm esse relatiuum paternitatis, à parte rei existens, ita secundùm illud idem esse concipi debet personam constituere. Implicat autem secundùm esse relatiuum paternitatis personam constituere, & secundùm tale esse eandem personam non referre; quia talis constitutio sit secundùm propriam differentiam paternitatis, quæ formaliter includit esse ad Filium. Ergo implicat personam Patris formaliter constitui paternitate, & illam ad Filium actu non referri; sicut implicat formam esse in subiecto, & illi suum effectum formalem non tribuere.

*Capreolus. Ferrarienſ.*

48. TERTIA sententia. Est Capreoli in 1. dist. 26. q. 1. a. 2. Ferrariensis 4. contra gentes c. 26. §. penult. aientium, relationem Diuinam constituere personam Patris non sub expressa ratione relationis, sed formæ subsistentis incommunicabilis, sub qua ratione præcedit generationem, & nullum includit respectum ad correlatiuum, quia vt sic concipitur vt quid absolutum abstrahens ab ordine ad terminum. Addit Ferrarien. Personam Patris ante originem constitui quidem in esse hypostatico subsistente, nondum tamen distingui à Filio, quia à Filio non distinguitur, nisi per rationem relatiuè oppositam, quæ est ipsa Paternitas sub expressa ratione paternitati originem consequentis.

49. Fundamentum huius opinionis est, quia cùm in Diuinis nulla sit distinctio ex natura rei inter absolutum & respectiuum, sed sola ratione, quæ eandem rem simplicissimam concipit vt absolutam, quatenus præstat munus formæ absolutæ; eandem concipit vt relatiuam, quatenus exercet munus formæ relatiuæ; potest intellectus eandem perfectionem relatiuam concipere sub ratione absoluta, quatenus præstat munus formæ hypostaticæ, eandem concipere potest sub expressa ratione relatiua, quatenus exercet munus referendi. Nam sicut re vera est hæc perfectio in relatione Diuina, eaque ex natura sua non postulat concipi respectiuo conceptu, sed absoluto; ita poterit sub tali ratione formali concipi conceptu absoluto, cui correspondeat perfectio à parte rei quidem respectiua, exercens tamen munus perfectionis absolutæ, proinde conceptibilis conceptu absoluto. Tum quia talis perfectio in creaturis, per ordinem ad quas illa concipitur in Deo distincta, absoluta est. Tum demum quia constituere personam subsistentem, formaliter est constituere aliquid ad se, non ad aliud.

*Scotus & Durandus illam impugnant.*

50. Hanc sententiam impugnant Scotus in 1. distinct. 28. quæst. 3. & Durandus distinct. 26. quæst. 1. Summa impugnationis est. Quoniam aut ratio illa hypostatica constitutiua primę personæ, est absoluta, aut respectiua, aut abstrahens ab vtroque. Si absoluta; ergo constituitur proprietate absoluta, quod est contra Concilia & Patres, & Authores ipsos, quos impugnamus. Si respectiua; ergo relatio vt relatio est formaliter, constituit. Abstrahere autem ab absoluto & respectiuo non potest: tum quia, cùm ratio illa singularis sit & indiuidua, determinata ad hanc personam particularem, non poterit ab absoluto & respectiuo abstrahere. Tum quia nequit forma constituens ab ea formalitate abstrahere, quam essentialiter postulat constitutum ipsum. Sed persona Diuina, vt constituta proprietate personali essentialiter postulat oppositionem & incommunicabilitatem ad reliquas personas; quæ oppositio & incommunicabilitas non habetur, nisi per conceptum ipsum, vt formaliter relatiuum. Ergo relatio, vt constitutiua personę Diuinę, abstrahere non potest à conceptu & formalitate relatiua.

*Concilia & Patres.*

51. Confirmatur, quia vel ratio illa constitutiua primæ personæ, per intellectum præcisa à relatione, est respectiua, vel absoluta. Si respectiua; ergo formaliter constituit, vt relatio. Si absoluta; ergo pertinet ad essentiam; quia quidquid relatiuum non est, ad essentiam spectat: ac proinde non potest sub hac ratione præcisa personam constituere, quia persona non constituitur, nisi per rationem incommunicabilem: nulla autem ratio absoluta in Deo incommunicabilis est. Neque hîc valet distinctio eorum, qui dicunt, relationem, vt relatio est *specificatiuè*, non *reduplicatiuè*, personam constituere. Nam constituere, vt relatio est *reduplicatiuè*, est constituere secundùm propriam differentiam relationis. Constituere autem, vt relatio est *specificatiuè*, est constituere secundùm rationem generica abstrahentem ab absoluto & respectiuo: atqui probatum est, illam non posse personam constituere secundùm rationem generica, ab absoluto & respectiuo abstrahentem: ergo non potest, nisi vt relatio *reduplicatiuè* personam constituere.

*Ferrarienſis.*

52. Falsum etiam est, quod Ferrariensis addit, personam Patris solùm constitui in esse hypostatico ante originem, non autem di-

stingui

stingui à Filio, nisi post originem per relationem ipsam paternitatis: tum quia in Diuinis eadem est ratio constitutiua personę, & distinctiua eiusdem ab omni alia. Tum quia persona Patris non solùm distinguitur à Filio in esse relatiuo, sed etiam in esse productiuo, quod habet ante originem; cùm non minùs implicet, eandem personam se ipsam producere, quàm ad seipsam referri.

*Ferrariensis* 53. Demum falsum est, quod idem Ferrariensis ibidem docet, §. *Attendendum tertio*, nempe relationem Diuinam non constituere personam, vt relatio est ratione ab essentia distincta, sed ratione ipsius essentię, cum qua identificatur, & ex qua habet, vt subsistat; & tantùm ex propria ratione habere, vt constituat personam in esse incommunicabili, & distincto à cęteris personis: falsum, inquam, est, quia personæ Diuinæ non solùm in esse incommunicabilis, sed etiam in esse suppositi subsistentis distinguuntur inter se: alioqui non essent tres subsistentiæ relatiuæ, contra Concilia & Patres, in Deo. Confirmatur, quia iuxta Conciliorum & Patrum doctrinam, vnio hypostatica facta est in subsistentia, & nō in natura Verbi. Ergo Verbum habet peculiarem subsistentiam, ratione condistinctam ab ipsa natura Verbi, per quam subsistentiam Verbum immediatè vnitum est naturæ hūmanæ. Atqui hęc subsistentia propria Verbi, alia esse non potest, quàm relatio; cùm nihil possit habere Verbum, vt condistinctum à natura communi, nisi relationem.

*Contra Cōcilia & Patres.*

54. Ad fundamentum relatæ sententiæ nego, rationem illam constitutiuam personæ Diuinæ naturæ sua postulare, vt à nobis concipiatur conceptu absoluto. Etenim cum illa constituat personam incommunicabilem, persona autem Diuina incommunicabilis esse non possit, nisi relatione, natura sua postulat concipi conceptu relatiuo. Falsum autem est, relationem Diuinam constituere aliquid ad se, cùm constituat personam, quæ essentialiter est ad alterum. Quòd si ad se, dicat non purum respectum ad terminum, sed substantialem constitutionem personæ, vltro concedo, illam constituere aliquid ad se: nego tamen id esse munus solius formæ absolutæ, nam hæc ipsa constitutio personæ est ad alterum: vt constat de relatione transcendentali creata, quæ non abstrahit à respectu ad terminum. Nec est eadem ratio de persona creata, quę quia incommunicabilis est, non propter relatiuam oppositionem, sed propter limitationem, conceptibilis est conceptu absoluto. Vnde quamuis ad instar huius in personis Diuinis distingui possit ratio constituens & ratio referens; non tamen potest ad instar huius illa concipi conceptu absoluto, quia hoc inuoluit limitationem in ipsa ratione concepta. In Deo autem non solùm repugnat ratio limitationis in re ipsa, sed etiam in ipso conceptu obiectiuo, quia non debemus in Deo concipere aliter, atque perfectiones ipsæ isi Deo existentes concipi postulant. Confirmatur, quia propterea non admittimus in Deo compositionem metaphysicam, ne admittamus huiusmodi conceptus & rationes obiectiuè limitatas, quas compositio ipsa Metaphysica essentialiter inuoluit.

*Durandus. Gabriel.* 55. QVARTA sententia est Durandi in 1. dist. 26. & 27. q 1. Gabr. q. 1. affirmantium, personas diuinas constitui relationibus, vt relationes sunt formaliter. Quam sententiā etiam docuit Scotus, qui licet in primo loco citato opinionem Ioannis de Ripa, vt probabilem defendat, & cum eo etiam prędictus Palatius, tamen distinctione 28. & quolibeto 4. *ad argumentum principale*, sequitur hanc, quam etiam sequitur Palatius, & cum eo multi recentiores. Pro qua suppono, dupliciter nos posse de constitutione Diuinarum personarum loqui. Vno modo, prout est in se, alio modo, prout à nobis concipitur. Et hoc dupliciter, vel conceptu distincto, & adęquato exprimente rem, vt est in se, aut confuso & inadæquato.

*Scotus. Ioa de Ripa. Palatius.*

56. DICO 1. Personæ Diuinæ re ipsa constituuntur relatione, vt relatio est formaliter. Fundamentum est, quia per id à parte rei relatio personas diuinas formaliter constituit, per quod est incommunicabilis: est autem incommunicabilis vt relatio: ergo vt relatio formaliter constituit. Maior constat, nam de ratione personæ est incōmunicabilitas. Minor probatur, quia relatio est incommunicabilis formaliter vt oppositа: opponitur autem formaliter vt relatio: ergo vt relatio formaliter est incommunicabilis. Confirmatur, quia si non constitueret vt relatio formaliter; sed sub alia formalitate; aut ista formalitas esset absoluta, aut relatiua: si relatiua; ergo constituit vt relatio formaliter: si absoluta; ergo hæc sententia non discrepat à sententia suprà impugnata de constitutione personarum per proprietates absolutas. Nam ad hoc vt personæ Diuinæ dicantur constitui formalitate absoluta, non est necesse, vt talis formalitas à parte rei sit distincta à formalitate relatiua; sed sufficit, si sola ratione ratiocinata ab illa distinguatur. Sicut eadem distinctio rationis sufficit, vt persona Diuina dicatur constitui relatione, & non essentia.

*Thomistæ.* 57. Hinc reiecta manet sententia quorundam Thomistarum asserentium, personas Diuinas constitui per relationes secundùm esse *In*, non autem secundùm esse *Ad*. Nam si à relatione præscindatur esse *Ad*, tollitur propria differentia relationis, & solùm relinquitur id, quod illi commune est cum reliquis entibus absolutis. Vnde non constitueret, secundùm formalitatem relationis.

58. DICES. Pater paternitate non solùm constituitur persona incommunicabilis Filio, cui relatiuè opponitur, sed etiam Spiritui sancto, cui relatiuè non opponitur. Similiter Filius filiatione constituitur persona incommunicabilis non solùm Patri, cui relatiuè opponitur, sed etiam Spiritui sancto, cui relatiuè non opponitur. Ergo persona Diuina non constituitur relatione, vt relatio est formaliter; siquidem Pater & Filius constituuntur, vt

Personæ

Personæ distinctæ & incommunicabiles Spiritui sancto per paternitatem & filiationem, per quas non opponuntur formaliter Spiritui sancto. Resp. Ex disputatis sectione præcedente, Patrem & Filium constitui distinctas personas à Spiritu sancto Paternitate & filiatione, quatenus radicaliter opponuntur Spiritui sancto.

59. Vrgebis. Vel ista radicalis oppositio est de se sufficiens ad constituendam, & distinguendam vnam personam Diuinam ab alia, vel non: si non est sufficiens; ergo non poterit per illam Pater & Filius sufficienter distingui à Spiritu sancto. Si est sufficiens; ergo non est semper necessaria formalis oppositio ad constituendas, & distinguendas personas Diuinas. Vnde poterunt personę Diuinæ sufficienter constitui, & distingui per solam oppositionem radicalé, atque adeo per proprietates absolutas, radicaliter tantùm oppositas. Resp. Iuxta superiùs concluſa, radicalem oppositionem relatiuam esse quidem sufficientem ad constituendas, & distinguendas personas Diuinas, suppositа tamen formali oppositione relatiua earum; non esse autem sufficientem, nulla suppositа formali oppositione relatiua earundem. Cuius ratio est, quia radicalis oppositio supponit aliam formalitatem priorem in ipsa persona Diuina, in qua talis oppositio radicalis fundatur. Vnde vel illa erit absoluta, vel respectiua: si absoluta, implicat per illam cõstitui personam Diuinam, cum omnis perfectio absoluta in Diuinis sit illimitata in omni genere perfectionis, atque adeo nulli alteri opposita & incommunicabilis. Si respectiua, rursus illa non poterit esse respectiua radicaliter, ne procedatur in infinitum: ergo erit respectiua formaliter. Omnis autem perfectio respectiua formaliter, essentialiter limitatur propter formalem oppositionem ad certum genus perfectionis; nam saltem limitatur ad non includendam oppositam correlationem, à qua essentialiter distinguitur. Porrò perfectioni essentialiter limitatæ ad certum genus non repugnat radicalis oppositio, per quam opponatur & distinguatur ab alia perfectione, etiam radicaliter oppositа & distincta. Repugnat autem perfectioni illimitatæ in omni genere. Nam hoc ipso, quod supponitur illimitata in omni genere, non potest vllam à se excludere, ac proinde opponi & distingui nequit. Contrà verò perfectio, quæ suapte natura supponitur limitata ad certum genus, non solùm potest distingui & opponi perfectioni, cui tantùm formaliter, sed etiam cui radicaliter opponitur.

60. Instabis. Ergo poterit filiatio Diuina non modò distinguere Filium à Patre, sed etiam à Spiritu sancto, etiamsi illum per impossibile non produceret. Imò posito quòd filiatio per formalem oppositionem ad Patrem limitaretur ad certum genus perfectionis, non repugnaret, illum opponi Spiritui sancto per radicalem oppositionem in ratione personæ incommunicabiliter tantùm subsistentis. Respondeo. Nego consequentiam. Nam in eo casu neque radicaliter filiatio opponeretur spirationi passiuæ. Sicut, quia neque radicaliter spiratio actiua opponitur paternitati & filiationi, à neutra distinguitur, sed cum vtraque identificatur. Nec sat est dicere, in eo casu fore radicalem oppositionem inter filiationem & spirationem passiuam in ratione personæ incommunicabiliter subsistentis; quia cùm de ratione personalitatis sit incommunicabilitas, hoc ipso quòd tunc filiatio constitueret personam Filij, redderet illam incommunicabilem Spiritui sancto. Non, inquam, hoc sat est dicere, quia incommunicabitas supponit in persona Diuina rationem aliquã oppositam, in qua proximè fundetur: nam ideo est incommunicabilis, quia opposita; non contrà, ideo opposita, quia incommunicabilis. Cùm igitur in eo casu nulla supponeretur oppositio in filiatione respectu spirationis passiuæ, in qua proximè fundari posset incommunicabilitas ipsa personalitatis Filij respectu Spiritus sancti, non posset in eo casu Filius distingui personaliter à Spiritu sancto; nec sufficeret formalis oppositio, quę in filiatione supponeretur respectu Patris: nam hæc esset remota, & insufficiens ad fundandam proximam incommunicabilitatem, quam Filius deberet habere respectu Spiritus sancti. Sicut nec de facto sufficit remota oppositio formalis, quam habet paternitas respectu Filij ad hoc, vt spiratio actiua mediante paternitate opponatur filiationi.

61. Dico 2. Relatio non constituit personam Diuinam, vt transcendentalis tantùm nec vt prædicamentalis tantùm; sed vt transcendentalis & prædicamentalis simul, seclusis imperfectionibus; quæ in vtraque relatione creata reperiri possunt. Explico. Relatio Diuina etsi prædicamentalis propriè non sit, cùm nec prædicamento claudatur, nec vt accidens adueniat personæ completè constitutæ, vt adueniunt relationes prædicamentales suppositis creatis perfectè constitutis; verumtamen in se vna claudit quidquid perfectionis est tam in relatione prædicamentali, (hoc autem est actu respicere terminum existentem, & simul durationе, natura, & cognitione esse cum sua oppositа correlatione) quã in relatione transcendentali, quod est non tantùm actu respicere terminum, sed aliquod etiam munus exercere circa illum. Assertionem sic explicatam probo. Relatio Diuina non solùm refert actu personam ad terminum quidditatiuè existentem, quę simul durationе, natura, & cognitione est cum illo; sed etiã constituit personam, quam actu refert, in ratione suppositi perfectè subsistentis, & fœcũdi ad producendum. Priora sunt munia relationis prædicamentalis, posteriora verò transcendentalis. Igitur relatio non constituit personam Diuinam, vt prædicamentalis tantùm, neque vt transcendentalis tantùm, sed vt prædicamentalis & transcendentalis simul. Minorem suppono ex Philosophia. Maior constat ex dictis, & ex dicendis ampliùs.

62. Dico 3. Personę Diuinæ re ipsa non

solùm

solùm constituuntur relationibus, sed etiam originibus, quatenus origines sumuntur pro productionibus vel actiuis principiorũ producentium, vel passiuis terminorum productorum. Assertio probatur primò à posteriori. Nam alioqui origines non essent perfectiones quidditatiuæ, sed accidentales personis Diuinis. Nam quidquid est extra constitutionem personæ, accidentale est: Ergo si origines à parte rei essent extra constitutionem Diuiuarum personarum, essent illis accidentales, quia aduenirent illis completè constitutis in esse personali. Probatur secundò à priori. Persona Diuina non solùm in esse naturæ, sed etiam in esse personę debet esse actualissima: non esset autẽ actualissima, si in suo quidditatiuo cõceptu personali originem non includeret: ergo. Maior constat, nam persona Diuina est actus purissimus: ergo quidditatiuè & formaliter includere debet omnem perfectionem sibi compossibilem. Minor probatur, quia si in quidditatiuo conceptu personali persona diuina non includeret originem, non esset actuata omni perfectione sibi possibili; atque adeo in esse personæ non esset actualissima, cùm posset actuari vlteriori formalitate & perfectione sibi debita.

63. Cæterùm diuerso modo personam diuinam constituit origo passiua, atque illam constituit origo actiua. Nam origo actiua constituit personam in ratione actu producentis, vnde supponit illam constitutam in ratione productiui. Origo verò passiua partim est via, & tendentia ad constitutionem personalem in esse formato & perfecto; partim, vt perfectio quædam perseuerans, constituit personam in esse producto, actu respiciente principium producens.

64. Dico quartò. Si personæ diuinæ adæquatè & distinctè concipiantur, concipi debent conceptu relatiuo, non absoluto. Fundamentum est, quia conceptui adæquato & distincto correspondet res prout est in se ipsa: sed diuinæ personæ re ipsa constituuntur relatione, vt relatio est, vt suprà probatum est: ergo vt tales concipi debent, si adæquatè & distinctè concipiantur.

65. Dico quintò. Quamuis conceptu confuso & inadæquato personæ diuinæ non concipiantur sub expressa ratione relatiua, non tamen concipi possunt sub expressa ratione absoluta, sed sub præcisiua dumtaxat ratione subsistentis incommunicabiliter. Prima pars assertionis probatur, quia conceptu confuso non concipimus diuinas personas prout sunt in se, sed per analogiam ad personas creatas: ergo vt sic non concipimus illas sub expressa ratione relatiua. Antecedens probatur, nam ratio, sub qua illas expresè concipimus, est analogicè eadem, qua constituuntur personæ creatæ, ad instar quarum concipimus increatas: sed hæc non est relatiua: ergo.

66. Dices. Etsi ratio, sub qua personas diuinas concipimus, sit subsistentia creata, per cuius speciem concipimus personas increatas; tamen ratio, quam sub illa concipimus, est subsistentia increata, quæ relatiua est. Respondeo. Concedo rationem, quæ vltimò terminat conceptum nostrum, esse ipsam subsistentiam increatam relatiuam; non tamen sub expressa ratione relationis, quia sub ea tantùm ratione expressa terminat, sub qua immediatè repræsentatur per speciem desumptam ex persona creata.

67. Secvnda pars assertionis probatur, nam alioqui talis conceptio esset falsa, quia exprimeret rem sub oppositа ratione, qua est in se. Nam licet conceptus confusus, & inadæquatus non exprimat rem secundum adæquatam perfectionem, quam habet; non tamen illam exprimere debet secundùm diuersam perfectionem ab ea, quam in se habet. Alioqui non solùm talis conceptus non adæquaretur, sed etiam difformaretur obiecto à parte rei existenti. Vnde non tantùm esset negatiuè imperfectus, sed etiam positiuè falsus. Nam prior conceptio licet non exprimat totam perfectionem obiecti, falsa tamen non est; quia quod exprimit, in re ipsa est, quamuis non id tantùm, quod conceptio ipsa exprimit. Posterior verò falsa est, quia exprimit obiectum aliter, atque in seipso est. Cùm igitur personæ diuinæ reipsa constituantur perfectione relatiua, non possunt vero conceptu concipi, si concipiantur sub ratione absoluta; possunt tamen concipi conceptu pręcisiuo sub ratione subsistentis incommunicabiliter; quia licet hæc perfectio à parte rei non præscindat à relatione, in re ipsa tamen est, ac proinde conceptio illam exprimens falsa non est, etsi non secundùm totam perfectionem, quam reipsa includit, illam exprimat.

68. Ad rationem dubitandi nego Antecedens. Non enim paternitas supponit personam Patris, sed constituit illam. Ad probationem nego paternitatem, quà relatio est, reipsa, sed tantùm ratione & modo concipiendi nostro generationem consequi. Constat, quia paternitas est prima relatio competens Deo ante omnem originem: ergo non potest re ipsa generationem consequi: nam omnis realis consecutio fit media aliqua origine. Ergo si paternitas re ipsa generationem consequeretur, fieret media generatione, tanquam origine. Consequitur autem paternitas generationis actum secundùm rationem, quà assueta concipere increata ad instar creatorum, primò concipit illam, vt constituentem personam sub ratione subsistentis incommunicabiliter, abstrahente à relatiuo & absoluto: secundò sub ratione generantis; tertiò sub ratione referentis ad Filium iam productum. Quæ tres rationes sunt quidem in diuina paternitate, sine vlla tamen prioritate, aut posterioritate actuali, sed tantùm virtuali seu fundamentali inadæquata. Quia vbi nulla est actualis distinctio, nulla esse potest prioritas & posterioritas. Nam

omnis

omnis realis prioritas importat realem distinctionem à suo posteriori. Quo fit, vt eadem paternitas re ipsa constituat, originet, & referat. Neque prout constituit, diuersa est à se ipsa, prout orignat, & refert, nisi penes connotata. Nam prout constituit, dicit tantùm personam constitutam; prout originat, includit actum essentialem, connotando terminum in produci; prout refert, explicitè dicit terminum productum, ad quem refert. Quia igitur in creatis constitutio personæ præcedit originem, & origo relationem, in intellectu nostro, qui ista concipit ad instar rerum creatarum, constitutio personæ in Diuinis præcedit originem, & origo relationem.

69. Atque in hac prioritate & posterioritate in concipiendo fundatur prioritas & posteritas in significando, quæ immediatè consequitur prioritatem & posterioritatem in concipiendo. Vnde verè dicimus: Ideo Pater refertur, quia generat; ideo generat, quia supponitur constitutus ad generandum: sunt enim istæ causales veræ: tum quia conformantur modo nostro concipiendi, fundato in rebus creatis, ad instar quarum Diuina concipimus. Tum propter ipsas perfectiones Diuinas à parte rei existentes, quę licet in se ipsis non existant cum ea prioritate & posterioritate actuali, cum qua enunciantur; existunt tamen cum prioritate & posterioritate virtuali; quæ in hoc consistit, vt si hæ rationes distinguerentur in Diuina relatione, prior esset ratio constituens quàm originans, & originans, quàm referens.

70. Cæterùm si Diuina personalitas concipiatur, vt ipsa exigit concipi, concipi debet, vt quidditatiuè includens omnes has tres formalitates, nempè subsistentiæ incommunicabilis, originis siue actiuæ in persona producente, siue passiuæ in persona producta, & actualis referentiæ ad terminum relatiuè oppositum. Vnaquæque enim relatio Diuina personalis, quà Diuina est, essentialiter includit omnes istas perfectiones: quia vt Diuina concipienda est omni perfectiori modo, quo concipi potest: atqui perfectiori modo concipitur, si concipiatur, vt essentialiter claudens intra suam quidditatem omnes istas formalitates, quàm si tantùm identicè, & concomitanter includat. Quo fit, vt quando concipitur Diuina personalitas secundùm vnam tantùm formalitatem, non concipiatur adæquatè, & perfectè secundùm omnem perfectionem, quam quidditatiuè includit, sed tantùm inadæquatè, & imperfectè.

71. Dices. Pater re ipsâ est prior origine Filio: ergo non potest re ipsa simul esse cum Filio; esset autem re ipsa simul cum Filio, si in ratione personæ constitueretur paternitate, quia paternitas essentialiter postulat existentiam Filij, cùm sit actualis respectus ad illum. Respondeo. Concedo consequentiam de simultate originis; implicat namque, Patrem priorem esse origine Filio, & simul origine cum illo: nego tamen consequentiam de simultate durationis, & naturæ, quia non repugnat, Patrem priorem esse origine, & simul durationе, & naturâ cum Filio; vt patet in rebus creatis, in quibus causa est prior origine suo effectu, cum quo tamen potest esse simul durationе. Ratio est, quia istæ prioritates & posterioritates sunt diuersæ rationis; & prioritas vnius non destruit posterioritatem alterius, & contrà. Nam prioritas originis solùm postulat, vt vnum sit principium alterius, cui tantùm repugnat posterioritas originis, quæ est posterioritas eiusdem ordinis & rationis: Simultas verò durationis solùm postulat simultatem existentiæ in eadem durationе, cui tantùm repugnat prioritas & posterioritas in eodem genere. Non ergo repugnat, Deum Patrem esse priorem origine Filio, & simul durationе, & naturâ cum illo. Quia licet Filius sit à Patre, in nullo tamen signo existit Pater, in quo non existat Filius. Et consequenter nullum est signum, in quo Pater sit constitutus paternitate, & non respiciat Filium actu existentem. Vnde cùm dicitur, Pater vt prior origine non habet Filium productum, sed producendum: ergo vt prior origine non habet terminum præsentem, ad quem referatur, sed futurum, ad quem non refertur, sed referetur: nego antecedens: nam in eo prioritas originis confunditur cum prioritate durationis. Præsens enim & futurum important prioritatem & posterioritatem durationis; quæ cum prioritate & posterioritate originis non necessariò connectuntur, quia potest principium in eo signo durationis, in quo existit, producere suum terminum, atque adeo in omni signo durationis respicere illum, vt productum à se, & in nullo signo respicere illum, vt producendum. Tota igitur fallacia est, quia quod est prius tantùm origine, concipimus vt prius etiam durationе. Vnde in signo, in quo Patrem concipimus priorem origine Filio, nondum concipimus Filium productum, sed producendum in posteriori signo originis, ac si posterius signum originis Filij esset signum durationis: quod falsum est, quia posterioritas originis non dicit, nisi esse ab alio, quod stare potest cum simultate existendi in quouis signo cum illo. Vnde modus imperfectè concipiendi noster applicatur rebus ipsis conceptis: ac proinde magna committitur fallacia, argumentando ab imperfecto modo concipiendi nostro ad modum existendi rerum.

72. Ad rationes verò oppositæ sententiæ sectionis præcedentis à Scoto adductas respondeo. Ad primam nego, relationem Diuinam non posse se ipsam referre, quia cùm sit subsistens, non repugnat, vt se ipsam referat ad oppositum terminum: sicut relatio transcendentalis creata cōstituit essentiam, & simul se ipsam refert ad terminū possibilē.

Ad illud quod dicitur, omne relatiuum priùs naturâ præsupponitur, quàm referatur, intelligendum est de relatiuo, quod denominatiuè tantùm, non essentialiter refertur. *Augustin. explicatur.* Nec mirum si relatio identitatis realis non est, quia illa nec supponit, nec secum affert distinctionem extremorum. Cæterùm Augustinus explicandus est, vt tantùm velit, hoc nomen *Persona*, quoad modum significandi, non quoad rem ipsam significatam, in Deo importare perfectionem absolutam, vt patebit textum legenti. Cuius ratio est; quia hoc nomen, *Persona*, desumptum est à personalitate creata, quæ importat perfectionem absolutam.

73. Ad secundam neganda est vniuersaliter maior. Nam licet illa vera sit de relationibus creatis, quæ distinctionem supponunt in rebus ipsis absolutis; falsa tamen est de increatis, quæ distinctionem non supponunt, nisi in relatiuis.

74. Ad tertiam concessa maiore de prioritate originis, distinguenda est minor. Nam si ea intelligatur de prioritate durationis, naturæ, vel cognitionis, vera est, non tamen contra nos, qui tantùm in originante concedimus prioritatem originis, quæ stare potest cum simultate durationis, cognitionis, & naturæ cum termino originato. Si verò intelligatur de prioritate originis, falsa est, quia cum simultate relatiuorum stare potest prioritas originis in principio producente, & posterioritas in termino producto. *S. Thomas. Syluius.* Legendus est S. Thomas 1. p. q. 42. art. 6. ad 2. Syluius ibid.

75. Ad confirmationem nego. Patrem originare Filium, nil aliud esse, quàm Patrem habere Filium, vt correlatiuum sui; sed est habere illum per originem à se productum. Vnde assignata hypothesis destruit se ipsam, nempe quòd sola paternitate posita, & omni alia actione circumscripta, ponenda esset Filiatio. Nam ex vna parte paternitas essentialiter postulat filiationem; ex alia verò parte Filius non nisi origine à Patre procedere potest. Igitur implicat in adiecto, quòd posita paternitate, & circumscripta actione generatiua, ponatur Filius. Nec repugnat, relatiuum producere suum correlatiuum; quia non repugnat, vt relatiua sint simul natura, duratione, & cognitione, & tamen vnum sit prius origine altero. Vnde etiamsi non possit Pater non intelligi prior origine Filio, cùm non possit intelligi, tanquam is, à quo Filius; tamen non potest non intelligi simul natura, duratione, & cognitione cum Filio, quia non potest non intelligi, vt correlatiuum Filij.

76. Ad quartum nego, relationem non posse esse terminum originis, præsertim si sit subsistens, qualis est relatio Diuina. *Aristoteles.* Philosophus autem intelligendus est de relatione prædicamentali creata, quæ est purus respectus, nec per se primò ab agente intenta, sed consequitur ad productionem alicuius absoluti.

77. Ad quintam negandum est, eodem modo generans respicere genitum, ac spirans spiratum. Nam generans respicit genitum, vt simile similitudine naturali, & intentionali vi suæ processionis formalis. Spirans verò respicit spiratum, vt simile similitudine tantùm naturali, quæ ad generationem intellectualem non sufficit. Et licet genitor non referatur ad genitum secundùm id, quòd genitus assimilatur genitori, quia secundùm id non opponitur; adhuc tamen diuerso modo genitor refertur ad genitum, ac spirans ad spiratum. Nam genitor refertur ad genitum, tanquam ad personam subsistentem, sibi adæquatè similem vi suæ processionis formalis. Demum productio non dicitur generatio, nisi ex termino formali. Cùm igitur terminus formalis non sit relatio, sed natura, ex eatali vel tali modo communicata, sortitur rationem generationis. Ac proinde maior est ratio, cur potiùs vna, quàm alia productio, tendat ad productum per modum naturæ, etiamsi vtraque terminetur ad relationem subsistentem, quia cum ipsa productione relationis essentialiter connectitur communicatio naturæ, quæ vt stat sub hoc vel illo modo communicationis, constituit productionem sub tali vel tali specie productionis.

78. Ad sextam nego, suppositum Diuinum re ipsa præcedere suam originem actiuam vel relationem, qua refertur ad productum, etiamsi præcedat originem passiuam, & terminum à se productum, prioritate tantùm originis, non autem naturæ, durationis, aut cognitionis. Vnde à parte rei non priùs Pater est potens ad producendum, quàm actu producat: sicut non priùs est potens ad intelligendum, quàm actu intelligat, quia in Diuinis posse & esse sunt idem. Quare illa causalis; *Ideo Pater producit, quia potens est ad producendum*; vera tantùm est ex modo concipiendi nostro per analogiam ad creata, cum fundamento in re, modo suprà explicato. Hinc tamen non sequitur, Filium præcedere suam generationem, quia licet sit simul naturâ, & cognitione cum Patre, qui prior est passiua generatione Filij; non tamen licet vnam prioritatem ex alia inferre; cùm prioritas generationis sit prioritas originis, quæ diuersæ rationis est à prioritate naturæ & cognitionis.

79. Ad septimum nego, paternitati non repugnare communicabilitatem. Ad primam probationem nego, paternitatem Diuinam non esse de se hanc & singularem: neque ad hoc requiritur infinitas: vt constat de supposito creato, quod quamuis finitum sit, singulare tamen est, & incommunicabile alteri supposito. Nam hoc ipso, quòd talis entitas est, singularis sit, necesse est; quanquam Diuina paternitas infinita est in genere paternitatis. Ad secundam probationem, nego consequentiam. Nam quamuis relationes Diuinę æqualiter

se

se habeant ad essentiam, non tamen æqualiter se habent inter se, quia inter se distinguuntur, & opponuntur suis proprijs rationibus formalibus, quarum vna potest esse communicabilis, altera incommunicabilis. Ad tertiam probationem distinguendum est. Nam vel ea hypothesi data, paternitas Diuina esset eiusdem rationis & naturæ, ac nunc est; & sic talis hypothesis se ipsam destrueret: nam ex eo quòd esset subsistens incommunicabiliter, vt nunc est, esset incõmunicabilis Spiritui sancto. Quotiescunque autem in hypothesi ponitur ratio aliqua destruens rationem formalem antecedentis positi, tunc ex oppositis in antecedente sequuntur opposita in consequente: vt si ponas, quòd simul quis sit homo & leo, sequitur quod simul sit rationalis & irrationalis, proinde homo & non homo. Vel talis paternitas foret diuersæ rationis, ac nunc est, eò quòd non esset incommunicabiliter subsistens, vt nunc est; & tunc nil mirum, si foret communicabilis, quoniam esset diuersæ rationis ac nunc est.

80. Ad octauum nego, relationem Diuinam non constituere vnum per se cum essentia, etiamsi sit diuersi quasi generis ab essentia. Tum quia relatio Diuina est substantia, non accidens. Tum quia est perfectissimè vnum cum essentia maiori vnitate, quàm quæuis subsistentia creata cum sua natura. Vnde falsum est, magis per se esse vnum suppositum creatum, quàm increatum; quia magis vnum dicitur, quod in sui constitutione minorem inuoluit distinctionem. Nec refert, quòd illud constituatur ex rationibus formalibus magis diuersis, absoluto scilicet & respectiuo. Nam hæc diuersitas rationum formalium sicut non obstat vnitati, ita neque suppositio per se vni; cũ enim suppositum constare debeat natura & subsistentia incommunicabili, & in Diuinis nulla ratio, præter relationem, incommunicabilis esse possit, iure sequitur, suppositum Diuinum absoluto & respectiuo constituendum esse.

81. Ad nonum. Cùm definitio illa communis sit personæ creatæ & increatæ, & creata non constituatur proprietate relatiua, sed absoluta, non debuit per relationem dari, sed per aliquid relatiuo & absoluto commune.

# DISPVTATIO XXI.

## *An Personæ Diuinæ præter proprias subsistentias relatiuas habeant aliam subsistentiam absolutam communem naturæ propriam.*

1. PRIMA sententia affirmat. Est Scoti in 3. dist. 1. quæst. 2. §. *ad quæstionem*. Durandi quæst. 2. & 4. Capreoli qu. vnica, art. 3. *Ad argumenta Durandi*. Argentinæ in 1. dist. 26. qu. vnica, art. 4. ad 9. Caietani 1. p. q. 39. art. 4. §. *ad euidentiam*, & 3. p. q. 3. art. 2. & 3. Zumel 1. p. q. 30. art. 1. disput. vnica, concl. 1. Molinæ q. 29 art. 2. disp. 3. Suarez 3. p. disp. 13. sect. 1. & lib. 4. de Trinit. c. 11. Granadi 1. p. tomo 3. controuersia, 5. disp. 5. sect. 3. Verùm hi authores ex diuerso procedunt fundamento. Etenim Durãdus Capreolus, & alij, ad quos etiam inclinare videtur Scotus; supponunt in Deo vnum tantùm subsistere absolutum, sicut & vnum esse, quo omnes Diuinæ personæ per se existunt & subsistunt, ita vt relationes non superaddant naturæ, nisi solam rationem incommunicabilitatis.

*Scotus. Durandus. Capreolus. Argentin. Caietanus. Zumel. Molina. Suarez. Granadus.*

2. Fundamentum Durandi est, quia subsistere dicit perfectissimum modum essendi: perfectissimus autẽ modus essendi, est ad se, non ad aliud existere: sola autem natura Diuina facit existere ad se, non autem relatio, quæ tantùm facit existere ad aliud. Ergo subsistere est solius naturæ Diuinæ. Confirmat id ipsum authoritate Augustini 7. de Trinit. c. 4. vbi, *Omnis*, inquit, *res ad se ipsam subsistit, quantò magis Deus?*

*Augustin.*

3. Reliqui verò authores supponentes, personas Diuinas subsistere proprijs subsistentijs relatiuis, vlteriùs probant, admittendum esse aliud subsistere absolutũ naturę, ratione distinctum à triplici subsistere relatiuo personarum. Probant autem hoc primò authoritate Patrum, qui huiusmodi subsistere absolutum in Deo videntur admittere vltra subsistere relatiuum personarum. Nam primò Agatho in epistola, quę habetur in 6. Synodo actione 4. *Confitemur*, inquit, *trium subsistentiarum, seu personarũ vnam subsistentiam*. Secundò Hieronymus in epist. ad Damasum: *Natura*, inquit, *Dei id quod subsistit non habet aliunde, sed suum est*. Et ibidem vnam tantùm concedit hypostasim in Deo. Sed hypostasis idem est quod subsistentia: ergo. Pro eodem facit Augustinus paulò antè citatus. Tertiò Cyrillus Alexandrinus & Anastasius in compendiaria fidei explicatione, quæ habetur tomo 4. Bibliothecæ: *Quid*, aiunt, *est Deus? res, quæ per se est, neque altero indiget ad hoc, vt ipsa subsistat.*

*Agatho. 6 Synodus. Hieronym. Augustin. Cyrillus. Anastasius Biblioth. Patrum.*

Boetius. Patres.

Quartò Boëtius libro de duabus naturis: *Dicimus*, inquit, *vnam esse essentiam, vel subsistentiam Deitatis.* Et passim alij Patres perfectionem subsistendi naturæ Diuinæ tribuunt.

4. Secundò probant ratione. Prima sit. Subsistentia est perfectio simpliciter simplex: ergo non est naturæ Diuinæ neganda. Antecedens constat ex definitione perfectionis simpliciter simplicis, quę in quolibet ente est melior ipsa, quàm non ipsa, siue oppositum eius; quæque cum maiore, vel æquali perfectione non pugnat. Talis autem est subsistentia absoluta. Nam perfectior concipitur natura Diuina, si adhuc à relationibus præcisa concipiatur subsistens, quàm non subsistens; cumque illa communis sit omnibus personis, cum nulla maiore vel æquali perfectione Diuina pugnabit. Consequentia verò probatur, quia natura Diuina debet ex se independenter à relationibus includere omnem perfectionem simpliciter simplicem; alioqui ex se non esset ens perfectè completum. Confirmatur primò, quia subsistentia est complementum substantiæ: sed natura Diuina adhuc præcisa à relationibus est cõpleta substãtia: ergo adhuc pręcisa à relationibus est subsistens. Confirmatur secundò, nam subsistentia relatiua non est perfectio simpliciter simplex: ergo si hãc perfectionem non habet natura à se, non poterit illam habere à relationibus.

5. Secvnda ratio sit. Subsistentia est de essentia Dei, vt Deus est: igitur Deus vt Deus includit essentialiter subsistentiam. Consequentia constat, quia Deus essentialiter includit, quidquid cõstituit ipsum formaliter vt Deum. Antecedẽs probatur, quia de essentia Dei, vt Dei, est esse perfectissimum: non est autem esse perfectissimum, nisi sit subsistens; sublata enim subsistentia manet esse imperfectum & incompletum, indigum vlteriori complemento per se.

6. Tertia ratio sit. *Hic Deus* est communis Patri, Filio & Spiritui sancto: sed *hic Deus* includit subsistentiam: ergo Deus secundùm communem rationem Deitatis, includit subsistentiam. Maior patet, nam *hic Deus* prædicatur de omnibus & singulis personis. Minor probatur, quoniã *hic Deus* importat Deitatem in habente; ergo in subsistente, cùm nequeat Deitas haberi, nisi à subsistente; quia omnis alius modus dicit imperfectionem. Confirmatur. *Hic Deus* importat completum principium intelligendi, volendi, & creandi: ergo *hic Deus* includit aliquam subsistentiam; non relatiuam, quia hæc nequit esse communis omnibus personis, quæ per idem principium simul intelligũt, volũt, & creant; ergo absolutam.

7. Qvarta ratio sit. Subsistentiæ relatiuæ personarum non sunt ex se sufficientes, vt per eas natura Diuina completè subsistat: ergo pręter subsistentias relatiuas personarum concedenda est subsistentia absoluta naturæ, per quam illa completè subsistat. Consequentia patet; alioqui natura Diuina non haberet suum adęquatum & naturale complementum: est enim subsistentia naturale complementum substantiæ. Antecedens probatur, quoniam subsistentiæ relatiuæ immediatè fundãtur in actibus notionalibus, quibus illæ immediatè producunt, aut producuntur. Vt subsistentia Patris immediatè fundatur in actu intelligendi, tanquam in proximo principio generandi, subsistentia Filij in eodem actu intelligendi, tanquam in passiua origine; subsistentia Spiritus S. in actu diligendi, tanquam in proxima via & origine procedendi. Ergo non possunt immediatè reddere subsistentes, nisi solos actus intelligendi, & volendi; quia non possunt immediatè reddere subsistentes, nisi eas perfectiones, quas immediatè afficiunt. Igitur danda est alia subsistentia, quæ omnes Diuinas perfectiones immediatè afficiat, & reddat formaliter subsistentes; quæ alia esse non potest, quàm subsistentia absolutæ naturæ. Confirmatur, quia subsistentia est immediatum çomplementum & comprincipium naturæ substantialis in ordine ad omnes operationes, tam immanentes, quam transeuntes; igitur supponi debet antè omnes naturæ operationes. Atqui subsistentiæ relatiuæ non supponuntur, sed consequuntur operationes immanẽtes intelligendi & volendi naturæ Diuinæ: igitur non sufficienter illam complere possunt in ordine ad tales operationes.

8. Secvnda sententia negat, præter subsistentias relatiuas, omnem subsistentiam absolutam in Deo. Est Richardi in 1. dist. 26. art. 1. q. 1. in corp. & ad 2. & 5. Hẽrici quodlibeto 5. q. 8. sub finem, Vasquez 1. p. disp. 125. c. 3. Zunigæ de Trinit. disput. 5. dubio. 10. memb. 1. Ruiz disp. 34. à sectione 5. Hæc sententia duplicem inuoluit quęstionem, alteram de re, de nomine alteram. De re quæstio est, an natura Diuina præcisa à relationibus ex se ipsa habeat, quidquid requiritur ad perfectè existendum? ita vt si fingatur casus, quo natura Diuina sic præcisa à relationibus poneretur à parte rei, vi solius existentiæ absolutæ sufficienter existeret: an verò ita exigat proprietates relatiuas, & quodammodo ab illis pendeat in existendo, vt si per impossibile ab illis separaretur, non posset vi propriæ existentię absolutæ sufficienter & completè existere? ad eum ferè modum, quo si natura angelica separaretur à propria subsistentia, non posse ex se sufficienter existere, nisi aliundè talis defectus suppleretur. De nomine verò quæstio est, an posito, quòd natura Diuina vi propriæ existentiæ absolutæ habeat, quidquid ad perfectè & sufficienter existendum requiritur, talis existentia nuncupanda sit subsistentia, an potiùs existentia.

Richardus. Henricus. Vasquez. Zuniga. Ruiz.

9. Dico primò. Natura Diuina ratione solius existentiæ absolutæ, independenter à proprietatibus relatiuis habet, quidquid requiritur ad perfectè & completè existendum: & consequenter à pro-

prietatibus

prietatibus relatiuis non habet vt perfectè existat, sed tantùm vt incommunicabiliter existat, vltimò terminata terminis personalibus ipsius fœcunditatem explentibus. Assertio hæc est contra plerosque auctores secundæ sententiæ, qui dum negant Deo absolutam subsistentiam, negare etiam videntur perfectam existentiam, dum docent, naturam Diuinam sine proprietatibus relatiuis non perfectè extituram in se ipsa. Vnde videntur eodem modo ad existentiam naturæ Diuinæ subsistentias relatiuas requirere, quo pacto requiritur subsistentia creata ad existentiam ipsam naturæ creatæ: & consequenter sicut natura creata non sufficienter existeret sine propria subsistentia; ita nec natura increata sine suis relatiuis subsistentijs.

*Authores secundæ sententiæ.*

10. Nostra tamen assertio probatur hoc vnico fundamento. Existentia debita naturæ Diuinæ, etiam vt ratione præcisæ à subsistentijs relatiuis, est in genere existentiæ perfectissima; ergo ex se sufficiens ad reddendam illam perfectè existentem. Consequentia patet. Antecedens probo, nam essentia Diuina adhuc ratione præcisa à relationibus, manet in suis perfectionibus absolutis, quas adhuc vt præcisa includit illimitata secundùm omnem gradum possibilem: sed vt sic præcisa includit existentiam absolutam: ergo includit illam, vt illimitatam secundùm omnem gradum possibilem existentiæ: non includeret autem illam illimitatam secundùm omnem gradum existentiæ possibilem, si adhuc deberet in ratione existentiæ perfici per ipsas existentias relatiuas. Ergo independenter ab existentijs relatiuis natura Diuina supponi debet perfectè existens. Maior constat, nam præcisio à solis rationibus non tollit à natura Diuina perfectiones absolutas, sub omni gradu illi debitas. Minor assumpta patet, quia natura Diuina non existit formaliter per existentias relatiuas, sed per absolutam sibi propriam; natura autem præcisa à relationibus solũ excludit perfectiones relatiuas. Minor verò subsumpta probatur, quia perfectio illimitata sub omni gradu possibili nullum admittit augmentum aut complementum; alioqui quâ parte augmentum vel complementum admitteret, illimitata non esset.

11. Confirmatur, nam sicut in reliquis attributis essentia Diuina etiam à relationibus præcisa, manet infinita & illimitata, nullius augmenti, aut complementi capax in eo genere, in quo vnumquodque attributum supponitur infinitum & illimitatum; ita & in ipsa existentia absoluta, cùm non sit maior ratio de attributis, quàm de existentia.

12. Dices, maiorem rationem esse, quia nullum attributum est à proprietatibus relatiuis complebile, sicut ab ijs complebilis est existentia absoluta naturæ Cuius discriminis ratio est, quia complementum debet esse eiusdem rationis cum re complebili, nullum autem attributum est eiusdem rationis cum proprietatibus relatiuis; est autem eiusdem rationis cum illis existentia absoluta naturæ, quia vtraque est in genere existentiæ. Vnde vna compleri poterit per aliam. Confirmatur, quia sicut existentia relatiua personarum completur per existentiam absolutam naturæ; ita existentia absoluta naturæ completur per existentiam relatiuam personarum.

13. Sed contrà, quia licet vtraque sit in genere existentiæ; vna tamen est in genere existentiæ absolutæ, altera verò in genere existentiæ relatiuæ. Vnde vna non complet aliam in genere existentiæ formaliter, cùm vtraque supponatur in sua vltima ratione perfecta; sed in alio genere, nempe personalitatis, & suppositi incommunicabiliter subsistentis: natura verò complet relationes in ratione essentiæ, & principij perfectè operatiui. Hinc patet ad confirmationem: falsum quippe est, existentias relatiuas personarum compleri ab existentia absoluta, in ratione existentiæ formaliter, sed in ratione essentiæ & principij operatiui.

14. Confirmatur ad hominem. Nã nonnulli ex citatis Authoribus docent, relationes Diuinas nullam secum afferre existentiam, condistinctam ab existentia absoluta naturæ; ergo non possunt existentiam absolutam naturę in ratione existentię formaliter complere: cùm nulla forma possit subiectum complere secundùm perfectionem, quam in se non habet.

15. *Obijcies* primò. Relationes Diuinæ habent in nostra sententia proprias existentias relatiuas, virtualiter condistinctas ab existentia absoluta naturæ: ergo addendo illas naturæ, complent eam in ratione existentis formaliter. Consequentia probatur, quia si existentia respectiua relationum non compleret existentiam absolutam naturæ, non posset constituere vnum existens per se cum illa, cùm nequeat ex duobus entibus completis constitui vnum per se. Respondeo negando consequentiam. Ad cuius probationem nego sequelam. Etenim ad constituendum vnum per se sufficit, vt constituentia sub aliqua ratione se mutuò compleant in ordine ad constitutum. Vnde relatio Diuina complet naturam Diuinam sub ratione suppositi vltimò terminati incommunicabiliter; natura verò relationem sub ratione essentiæ & principij perfectè operatiui in ordine ad tertium constitutum, quod est persona ipsa Diuina. Etenim hoc est discrimen inter constituentia increata, & creata: quòd creata, quia suaptè natura sunt intrinsecè limitata, & non continent, neque in proprio genere omnem perfectionem possibilem, perficiunt seſe mutuo etiam secundùm rationes proprias. Subsistentia enim creata complet, & perficit naturam, non

solùm in ratione suppositi incommunicabiliter subsistentis, sed etiam in ratione per se existentis, quia sine propria subsistentia natura creata non est apta existere per se. Increata verò, quia sunt illimitata, & in se continent omnem perfectionem in suo genere possibilem, non sese perficiunt & complent in proprijs rationibus, sed in alijs, & in ordine ad tertium constitutum. Vnde relatio Diuina non perficit naturam Diuinam sub ratione existentiæ, sub qua supponitur illimitata & incapax omnis incrementi eiusdem rationis, sed sub ratione subsistentiæ, siue existentiæ incommunicabilis.

16. *Obijcies* secundò. In nostra sententia relationes Diuinæ integrant essentialiter naturam Diuinam; ergo & earum existentia existentiam absolutam naturæ: Igitur sine respectiua existentia relationum non concipitur completa existentia absoluta naturæ. Respondeo distinguendo primum consequens. Existentia relationum integrat existentiam naturæ in eodem genere existentiæ, nego: quia vt sic supponitur omninò completa: integrat in ratione existentiæ incommunicabilis, concedo. Quæ perfectio incommunicabilitatis est essentialiter debita naturæ Diuinæ, ac proinde quidditatiuè inclusa, conceptu saltem implicito in illa, vnde ad secundum consequens respondeo. Sine respectiua existentia relationum non concipitur existentia absoluta naturæ completa in ratione existentiæ absolutæ explicitè conceptæ, nego; in ratione existentiæ incommunicabilis, concedo. Neque ex eo, quòd existentia absoluta naturæ essentialiter includit impicitè existentias relatiuas personarum, existentia absoluta naturæ non est de se perfecta & sufficiens ad reddendam naturam Diuinam à parte rei existentem, si per impossibile separaretur ab existentijs relatiuis personarum, quia non includit illas cum dependentia & imperfectione, sed sine vlla dependentia & imperfectione.

17. Dices. Nulla res existere potest sine sua adæquata essentia: ergo si existentiæ relatiuę personarum sunt de essentia existentię absolutæ naturæ Diuinæ, non poterit existentia absoluta naturæ Diuinæ per se existere absque existentijs relatiuis personarum. Respondeo, non posse existentiam absolutam naturæ Diuinæ per se existere absque existentijs relatiuis personarũ, quantũ est ex parte existentiæ absolutæ naturæ, quæ nunc est, & nego; quia si per impossibile, præcisis existentijs relatiuis, maneret existentia absoluta naturæ cum eadem perfectione, quâ nunc est, ex vi illius existeret perfectè natura Diuina: non posse aliunde existere ex mutatione ipsius existentiæ absolutæ, quæ in tali casu necessariò fieret, & concedo. Nam hoc ipso, quòd existentia absoluta naturæ Diuinæ non haberet existentias relatiuas personarum, non contineret eam plenitudinem existendi, quam nunc continet.

18. Dico secundò. In Deo non est subsistentia absoluta distincta à subsistentijs relatiuis personarum, esto in eo sit perfectissima existentia absoluta, ratione distincta ab existentijs relatiuis personarum. Primum fundamentum sumitur ex Concilijs & Patribus, qui tres tantùm agnoscunt subsistentias relatiuas in Deo, quas Græci hypostases vocant. Vnde apud Concilia & Patres subsistentia, hypostasis, suppositum, & persona sunt idem. Legatur Concilium Florentinum sess. 19. versus finem: *Substantiâ hæc*, inquit, *quæ ita subiectum est*, (loquitur autem ibi de prima substantia, quæ in recta linea prædicamentali est idem quod suppositũ) *vocatur aliquando hypostasis, quãdoque subsistentia.* Et paulò pòst: *ita vt in specie intellectiua subiectum* (hoc est suppositum) *dicatur subsistentia & persona.* Interdum verò expresè negant, in Deo esse subsistentiam absolutam communem, ratione condistinctam à subsistẽtijs relatiuis proprijs personarũ. Damascenus in Epist. de Trisagio: *Non est*, inquit, *ipsarum communis vna hypostasis, Deitas autem communis est trium hypostasum vna existens.* *Concilium Florent.* *Damascen.*

19. Confirmatur primò: quoniam si ex Concilijs, & Patribus *subsistentia, hypostasis, suppositum, & persona* in natura intellectuali sunt idem, admittentes in Deo communem *subsistentiam*, ex eorundem Patrum doctrina admittere cogentur communem *hypostasim, suppositum, & personam.* Quod quàm sit absurdum, & alienum à fide, nemo est, qui non videat. Vnde Caietanus præcitato loco tertiæ partis, ex vna parte sequelam, quæ ex antecedente admisso euidenter deducitur, negare non potuit; ex alia verò parte sequelæ absurditate territus, non est ausus integrum suppositum, integramque personam absolutam in Deo concedere. Vnde vtrique se satisfacturum putauit, fingendo in Deo quoddam semisuppositum & incompletam personam absolutam. Sed, me iudice, neutri satisfecit. Tum quia, non minùs absurdum est, admittere in Deo semisuppositum, ac semipersonam absolutam, quàm integrum suppositum, integramque personam. Propter quem nouum & inusitatum loquendi modum malè audit inter Theologos Caietanus. Tum quia si semel Caietanus in Deo admittat absolutam subsistentiam, absolutamque hypostasim, admittere etiam cogetur integrum suppositum, integramque personam absolutam. Quod sic probo. Subsistentia ista, quam Caietanus cum suis Asseclis naturæ Diuinæ concedit, non est partialis & incompleta, sed totalis & completa: ergo non constituit suppositum incompletum, sed integrum & completum. Consequentia patet, nam sicut subsistẽtia incompleta nequit constituere suppositum completum, ita nec subsistentia completa constituere potest suppositum incompletum: Vnumquodque enim constituens *Caietanus.* *Caietanus.*

tuens constituit sicuti est; si completum cõpletum, si incompletum incompletum, cùm non constituat, nisi per formalem exhibitionem. Antecedens verò probatur, quia subsistentia proportionari debet naturæ, à qua exigitur. Sed natura Diuina est totalis & completa in ratione naturę; ergo non potest exigere, nisi subsistentiam completam & totalem.

*Patres contra Eutychetem.*

20. Confirmatur secundò. Nam Patres, contra Eutychetem disputantes, ex eo, quòd vnio hypostatica facta est in persona Verbi, necessariò concludunt, illam non esse factã in natura ipsa Verbi: ergo supponunt, nullam esse in natura communi subsistentiam, condistinctam à substantijs relatiuis personarum; alioqui nulla fuisset horum Patrum contra Eutychetem illatio: siquidem talis vnio fieri potuisset in subsistentia absoluta naturæ, quæ media est inter personam & naturam. Vt ergo horum Patrum argumentum concludat, supponere debere, nullam esse subsistentiam absolutam naturæ, in qua fieri potuisset vnio hypostatica.

21. Secundum fundamentum desumitur ab absurdo, hoc pacto. Subsistentia absoluta derogat maiori perfectioni Diuinæ; igitur non est admittenda. Consequentia patet, cùm nulla sit admittenda perfectio in Deo, quæ maiori perfectioni Diuinæ deroget. Antecedens probo: nam hæc subsistentia absoluta derogat existentiæ naturæ Diuinæ; quia supponit illam, non esse sufficientem ex se ad reddendam naturam Diuinam perfectè existentem, independenter à quacunque alia formalitate superaddita, spectante ad eandem lineam & formalitatem existentiæ. Quòd autem hæc subsistentia spectet ad eandem lineam & formalitatem essentialis existentiæ probatur, quia non addit diuersum conceptum, & formalitatem à formalitate existentiæ essentialis naturæ: nam si quam adderet, esset formalitas ipsa subsistendi: at hæc formalitas integrat ipsissimam formalitatem existentiæ increatæ, quæ, vt talis, claudere debet omnem perfectionẽ & formalitatẽ existendi possibilem. Minor verò probatur, nam conceptus subsistendi addit supra conceptum existendi existere per se, & ex se independenter ab omni alio: atqui hic conceptus non est extra conceptum existentiæ infinitæ & à se, quæ vt talis dicit existentiam per se sufficientem ad perfectè & completè existendum.

22. Dices. Istæ formalitates eo modo sunt concipiendæ, & distinguendæ in Deo, quo modo reperiuntur distinctæ in rebus creatis: atqui in rebus creatis conceptus subsistendi etiam communicabilis est extra conceptum existendi simpliciter: ergo etiam in Deo tales conceptus erunt ratione distincti. Minor probatur; quia anima rationalis separata à corpore non modò existit, verùm etiam subsistit communicabiliter; nam per hunc modum subsistentiæ est communicabilis corpori. Sed talis subsistentia addit perfectionem diuersam ab existentia eiusdem animæ. Ergo etiã in Deo subsistentia absoluta naturæ concipienda est, vt diuersa ab existentia eiusdem. Respondeo, Maiorem esse veram, quando non derogatur maiori perfectioni Diuinę: in proposito autem derogaretur infinitæ existentiæ Diuinæ, quę intra formalitatem existentiæ claudere debet omnem perfectionem possibilem spectantem ad formalitatem existentiæ. Vnde ad minorem concedo, in rebus creatis conceptum subsistendi, etiam communicabilem esse extra conceptum existendi simpliciter. Hoc autem non prouenit ex essentiali conceptu existendi vt sic, sed tantùm ex conceptu existendi creato, qui ex eo, quòd limitatus & imperfectus est, non est ex se solo sufficiens existere, nisi adminiculo alterius modi superadditi. Vnde retorqueo argumentum. Nam sicut in creatis nulla est subsistentia, quæ saltem partialiter suppositum non componat, atque adeò, quæ non addat perfectionem diuersam ab existentia naturæ. Contrà verò subsistentia absoluta naturæ Diuinæ, sicut neque per aduersarios de se apta est integrare aliquod suppositum, alioqui deberent cũ Caietano in Deo admittere aliquod suppositum, vel semisuppositum absolutum, quod præter Caietanum nullus hactenus admisit; ita supra existentiam infinitè perfectam nullam addit formalitatem ratione diuersam; nam hæc in Deo non additur, nisi per subsistentiam incommunicabilem.

*Caietanus.*

23. Tertium fundamentum desumendum est ex natura ipsa subsistentiæ, de cuius quidditatiua ratione est incommunicabilitas: igitur competere non potest Deo præciso à relationibus. Consequentia constat, cùm nulla incommunicabilitas competere possit Deo, nisi per relatiuam oppositionem. Antecedens probo, nam subsistentia est vltimus terminus naturæ substantialis: sed de ratione vltimi termini est incommunicabilitas. Minor patet; alioqui non esset vltimus terminus, si natura vlteriorem terminum exigeret. Maior probatur, quoniam subsistentia, præsertim Diuina, debet supponere naturam perfectè existentem, cùm omnis perfectio Diuina debeat in suo genere supponi vltimò completa: quidquid autem superadditur existentiæ vltimò completæ in ratione existentiæ, non potest esse, nisi vltimus terminus naturæ. Minorem ostendo, quoniam existentia vltimò completa in ratione existentiæ includit perfectam existendi, tanquam complementum spectans ad formalitatem perfectissimæ existentię. Igitur quod supra talem existentiam addit subsistentia, debet esse aliquid extra conceptum existentiæ existentis per se: hoc autem aliud esse non potest, quàm proxima & positiua radix incommunicabilitatis, atque adeo vltimus terminus naturæ; nam quidquid aliud addit super hoc, spectabit

ad

ad formalitatem ipsam existentiæ existentis per se.

24. *Obycies.* Natura Diuina terminatâ paternitate adhuc communicabilis est Filio. Ergo non est contra quidditatem subsistentiæ posse vlteriori termino terminari. Respondeo, de ratione subsistentiæ, vt sic, non esse reddere naturam, quam terminat, incommunicabilem specificatiuè & materialiter; sed vt ipsa formaliter & per se sit incommunicabilis, & ratione ipsius natura, vt formaliter subsistens reddatur incommunicabilis reduplicatiuè & formaliter. Vnde Patet non communicatur Filio formaliter, vt Pater, sed vt Deus. Si autem daretur subsistentia absoluta, non solùm natura tali subsistentiâ terminatâ, esset specificatiuè communicabilis tribus suppositis Diuinis, sed etiam reduplicatiuè & formaliter, vt subsistens: quin ipsamet subsistentia communis esset tribus Diuinis suppositis.

25. Ad argumenta oppositę sententiæ. Ad fundamentum eorum, qui ponunt vnum tantùm subsistere absolutum in Deo, concessâ maiore: distinguenda est minor. Nam si per esse ad aliud, excludat esse ad se & per se, concedo, perfectissimum modum essendi, non esse ad aliud esse: si verò esse ad aliud, non excludat esse ad se & per se, nego, talem modum essendi non esse in suo genere perfectissimum, modò relatio Diuina non ita refert personam, quam constituit, ad aliud, vt non etiam illam constituat ad se. Ad eum modum, quo relatio transcendentalis creata ita refert subiectum ad terminum, vt etiam illud constituat ad se. Et ratio est, quia ipsum esse ad aliud relationis Diuinæ, est etiam esse ad se, & vt sic etiam personam constituit; constituit enim illam referendo, & refert formaliter constituendo.

*Augustin. explicatur.*

29. Ad Augustinum autem dico, illum locutum fuisse de subsistere, prout recurrit cum perfecto existere, quo pacto competit Deo ratione naturæ. Quæ interpretatio colligitur ex discursu ipsius, qui ex tali subsistere colligit substantiam, & è conuerso ex substantia infert subsistere. Quod non potest, nisi de perfecto existere intelligi, quia hoc tantùm est proprium substantiæ, quâ substantia est formaliter, vt condistincta ab omni alia ratione superaddita.

*Patres & Concilia exponũtur.*

27. Ad argumenta verò aliorum, qui non obstante triplici subsistere relatiuo, adhuc ponunt subsistere absolutum in Deo; Ad primum ductum ex Patribus respondeo, cùm iam de mente Patrum & Conciliorum nobis satis constet, illos præter subsistentias relatiuas nullam absolutam agnouisse in Deo, intelligendos esse de subsistentia, prout conuertitur cum perfecta existenria. Legantur Vasquez & Ruiz, qui non minùs accuratè, quàm eruditè eos referunt & explicant pro nostra sententia. Solum dubium superest de Hieronymo, qui vnum tantùm subsistere absolutum in Deo admittere videtur dum negat triplicem in Deo hypostasim, & vnam tantùm concedit. Sed fortasse eo tempore, vt præcitati Authores notarunt, nondum erat perfectè explorata à Patribus & Concilijs notio huius vocis, *Hypostasis*, vt staret pro sola subsistentia, vti postea fuit in varijs Concilijs & Conuentibus Patrum definitum.

*Vasquez. Ruiz.*

*Hieronym.*

28. Ad primam verò rationem respondeo, illam tantùm probare de subsistentia, prout recurrit cum perfecta existentia, non autem prout importat perfectionem ratione diuersam ab existentia: quia cùm hęc non possit esse, nisi vltimus terminus naturæ, ac proindè radix ipsa incommunicabilitatis, non potest competere Deo ratione naturæ, sed ratione solius proprietatis relatiuæ. Ex his patet ad primam confirmationem. Etenim complementum substantiæ est duplex, alterum vt formaliter importatum ab ipsa substantia actuali, & perfecta vt sic; & hoc intrinsecè pertinet ad ipsam existentiam substantiæ: quod complementum Deus habet, etiam vt à relationibus præcisus. Alterum complementum est, vt quod exigitur tantũ à substantia, nõ vt intrinsecè & formaliter inclusum in ipsa explicita ratione perfectæ substantiæ. Atque hoc, quoniam spectat ad suppositalitatem, quæ est ipsa positiua radix incommunicabilitatis, non competit Deo, vt à relationibus præciso.

29. Ad secũdam confirmationẽ concedo, nullam relationẽ, vt comparatam cum personis, esse perfectionẽ simpliciter simplicem; secùs verò comparatam cùm natura ipsa, cui melior est triplex subsistere relatiuũ, & quodlibet eorum, quàm opppsitum.

30. Ad secundam rationem distinguo antecedens: Subsistentia est de essentia Dei, vt Deus est, secundùm ea, quæ dicit tantùm explicitè, nego: quia vt sic importat Deitatem secundùm absolutas duntaxat perfectiones, in quibus nulla includitur subsistentia, quia hæc dicit proximam radicem incommunicabilitatis, quę Deo non competit, nisi ratione proprietatis relatiuæ. Subsistentia est de essentia Dei, vt Deus est, secundũ ea, quæ explicitè & implicitè importat, concedo. Sed tunc nego, Deum vt sic, dicere subsistentiam aliquam absolutam naturę, sed triplicem respectiuam personarum. Ad probationem autem antecedentis concedo, Deum etiam secundùm ea, quæ tantùm dicit explicitè, importare perfectissimum esse; sed hoc, vt probatum est, non dicit de formali subsistentiam, sed existentiam infinitè perfectam

31. Ad tertiam rationem distinguendum est: nam vel hîc Deus sumitur adæquatè secundùm omnia, quæ tã explicitè, quàm implicitè essentialiter includit, & tunc verum est, quòd includat subsistentiam, non absolutam naturæ, sed triplicem respectiuam personarum. Et in hoc sensu

negandum

negandum est, hunc Deum esse communem singulis personis formaliter & constitutiuè, quia vt sic importat oppositas relationes. Si autem sumatur secundùm ea, quæ explicitè tantùm importat, tunc nego, dicere subsistentiam aliquam, sed solam naturam indiuiduam perfectè existentem, & ad summum connotare tantùm aliquam subsistentiam indeterminatam; atque vt sic esse communem singulis personis.

*Concilium Rhemense.*

32. Hinc soluitur quoddam testimoniũ Concilij Rhemensis, quod afferri solet cõtra nostram sententiam. *Credimus*, inquit, *simpliciter, naturã Diuinitatis esse Deum, nec aliquo sensu Catholico posse negari, quin Diuinitas sit Deus, & Deus Diuinitas.* Ex quo testimonio colligunt aduersarij; Diuinitatem aliquam dicere subsistentiam; alioqui posset aliquo sensu Catholico negari, Diuinitatem esse Deum, quia *Deus* supra Diuinitatem aliquã importat subsistentiam. Sed solutio pendet ex mente Concilij, contra Gilbertum definientis, veras esse has propositiones, *Diuinitas est Deus, & Deus est Diuinitas*, non propter aliquam subsistentiam communem, quam importat *Deus*, sed propter identicam, vel, vt ego puto, essentialem inclusionem omnium Diuinarum personarum cum ipsa Diuinitate; ratione cuius inclusionis in nullo sensu Catholico negari potest, quin *Deitas sit Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus*, vt Lateranense Concilium definit: & à fortiori, quin *Deus sit Deitas.* Ad confirmationem nego, *hic Deus*, de formali & explicitè importare aliquam subsistentiã, sed solùm indiuiduum concretum Deitatis, & tantùm connotare aliquam subsistentiam indeterminatè. Quòd sufficit, vt sit principiam omnium operationum.

*Gilbert.*

*Concilium Lateranen.*

33. Ad quartam rationem nego antecedens. Ad cuius probationem nego, subsistentias relatiuas reddere subsistentes solos actus notionales, sed etiam naturam ipsam: tum quia omnis subsistentia per se primò respicit naturam, cùm sit naturale complementum illius. Tum quia cum ipsis actibus notionalibus immediatè etiam communicatur natura: quia cùm actus notionales sint actus vitales intellectionis & volitionis, & ad actus vitales per se immediatè concurrat substantia ipsa viuentis, cum actibus ipsis notionalibus, immediatè communicatur etiam natura Diuina, tanquam immediatum & proximum principium communicationis. Et consequenter subsistentię personales non solùm reddunt subsistentes actus ipsos notionales intelligendi & volendi, sed etiam naturam, & totam substantiam Dei.

34. Ad confirmationem distinguendũ est de operatione, vel quâ subsistentia ipsa producitur, & nego, ad eam præsupponi subsistentiam ipsam, quæ producitur; alioqui illa esset, antequam produceretur: sed vel præsupponi aliam subsistentiam, quæ non producitur, sicut ad subsistentiam Filij, & Spiritus sancti præsupponitur subsistentia Patris, quæ competit Deo ante vllam originem: vel certè nullam præsupponi subsistentiam, vt cùm in aliquorum sententiâ natura creata propriam sibi producit subsistentiam. Illa enim non præsupponitur ad productionem sui, tametsi præsupponatur ad reliquas omnes operationes naturę. Dixi, *in aliquorum sententiâ*: nam in meâ sententiâ, subsistentia creata non producitur à propriâ naturâ, sed ab extrinseco agente, à quo natura ipsa producitur, vt in sexto tomo de Incarnatione ostendo.

# DISPVTATIO XXII.

## De Prioritate & Posterioritate Diuinarum Personarum, reliquorumque Diuinorum attributorum.

### SECTIO PRIMA.

*An, & quæ prioritas & posterioritas admittenda sit in Diuinis Personis, Diuinisque attributis?*

1. Dvplex considerari potest Prioritas & Posterioritas in Deo, vna realis, seu actualis, altera virtualis, seu rationis. Illa necessariò postulat distinctionem realem inter extrema ipsa, quæ inuicem comparantur vt priora, & posteriora. Cuius ratio est, quia prioritas & posterioritas formaliter consistit in habitudine vnius ad aliud: ergo qualis erit habitudo, talis erit prioritas & posterioritas. Implicat autem habitudo realis inter ea, quæ non sunt

distincta

distin-ta realiter. Ergo pariter implicabit prioritas & posterioritas realis inter ea, quę non sunt distincta realiter. Hæc verò postulat solum fundamentum, & exigentiam naturalis præcõceptibilitatis vnius formalitatis ad aliam, absque vlla distinctione in re.

*Durand.* Quæ prioritas apud Durand. in 1. dist. 12. q. 1. num. 25. appellatur ordo naturalis præsuppositionis seu exigentiæ, per quam res præbet intellectui fundamentum concipiendi illam cum tali ordine prioritatis & posterioritatis. Nam eo ordine concipienda sunt, quæ in re solâ ratione differunt, qualem habet ea ipsa, quæ differunt realiter. Vt quia in nobis actus intellectus realiter præsupponitur ad actum voluntatis; in Deo, in quo actus intellectus ratione tantùm differt ab actu voluntatis, à nobis, qui vno conceptu non valemus vtrumque exprimere, actus intellectus Diuini pręconcipiendus est actui voluntatis Diuinæ. His adnotatis,

2. PRIMA sententia negat omnem prioritatem & posterioritatem, tam realem, quã rationis inter ipsas personas Diuinas producentes & productas, solumque admittit inter illas realem ordinẽ originis, absq; vlla prioritate & postetioritate reali, vel rationis, tametsi eandem prioritatẽ & posterioritatem rationis non neget in alijs perfectionibus & attributis Diuinis. *Alensis. S. Thomas. Bonauent. Richardus. Durandus. Capreolus. Molina.* Est Alensis 1. p. q. 46. mẽb. 2. S. Th. 1. p. q. 33. art. 1. ad 3. & q. 42. art. 3. & alibi, Bonauenturæ in 1. dist. 20. q. vltima. Richardi q. 3. Durandi dist. 9. q. 2. & dist. 12. q. 1. & dist. 20. q. 2. Capreoli dist. 29. art. 1. concluſ. 4. Molinæ 1. p. q. 42. art. 3. & aliorum. Quorum duplex est fundamentum. Primum nititur authoritate Patrum expresse negantium prioritatem in posterioritatem inter Diuinas personas, & solùm admittentium ordinem realis originis. *Athanasius* Athanasius in Symbolo: *In Trinitate*, inquit, *nihil prius aut posterius.* *Nazianz.* Nazianzenus Oratione 37. de Spiritu sancto: *Nec enim*, inquit, *hoc magis, illud minus est Deus, nec hoc prius, illud posterius.* *Augustin.* Augustinus lib. 3. contra Maximinum c. 14. *Non genitorem ab eo, quem genuit, sed genitum à genitore mitti oportebat. Verùm hoc non est inæqualitas substantiæ, sed ordo naturæ; non quòd alter prior esset altero, sed quòd alter esset ex altero.*

*Durandus.* 3. Secundum fundamentum dicitur ex re ipsa: quoniam, vt argumentatur Durandus præcitato loco dist. 9. Si vna persona esset prior altera, aut esset ratione essentię, aut ratione relationis. Non ratione essentiæ, quia cùm sit vna numero in omnibus personis, non potest ratione illius vna persona esse prior altera, nam prius requirit distinctionem à suo posteriori. Non ratione relationis, quia relationes, quibus Diuinæ personæ constituuntur, sunt oppositæ: relationes autem oppositę sunt simul naturâ & ratione, neutra enim esse, aut concipi potest sine altera. Confir. quia prius & posterius important excessum, & defectum: ergo admittenda non sunt in Diuinis, in quibus nullus excessus, nullus defectus admittendus est.

4. SECVNDA sententia negat inter Diuinas personas prioritatem & posterioritatem realem, admittit tamen inter eas, & reliquas perfectiones Diuinas prioritatem & posterioritatem rationis. *Herueus. Argentin. Torrez.* Est Herueiin 1. dist. 12. q. 1. Argentinæ dist. 9. q. 1. art. 4. Torres 1. p. q. 42. art. 3. Fundamentum prioris assertionis est idem, quod præcedentis sententiæ. Posterioris verò est, quia licet personæ diuinæ consideratę secundùm formalitatem oppositarũ relationum, quibus se mutuo respiciunt, sint simul cognitione, neque vna ratione pręcedat aliam; consideratę tamen secundùm formalitatem hypostasum, constituentium personas in esse productiuo & producibili seu producto, vna præcedit aliam ratione, nempe productiua producibilem. Sicut licet causa nequeat intelligi secundùm formalitatem causæ sine expresso ordine ad effectũ, potest tamen pręintelligi ad suum effectum secundùm formalitatem virtutis causatiuæ, quia hęc non inuoluit expressum ordinem ad effectum, præsertim considerata specificatiuè & naturaliter, non autem reduplicatiuè & formaliter.

5. TERTIA sententia admittit in diuinis non solùm prioritatem & posterioritatem realem originis inter personas producentes & productas, sed etiam realem prioritatem & posterioritatem inter ipsas perfectiones absolutas, quam prioritatem & posterioritatem naturæ Scotus & Scotistæ appellant. *Scotus.* Est Scoti in 1. dist. 5. q. 2. §. *secunda difficultas*, & dist. 7. §. *contra istud*, sed fusiùs in 2. dist. 1. q. 1. §. *quantum ad hoc.* Distinguit igitur Scotus tria instantia naturæ in diuinis.

6. Primum, in quo natura diuina considerata per se ante omne suppositum, est infinitè perfecta, ex quâ pullulabiles sunt relationes, non tanquam formæ dantes illi esse, cùm ex se ipsa sit simpliciter ens; sed tanquam suppositа accipienria esse ab ipsa Deitate, per quod esse ipsa suppositа formaliter sint, & per quod sint ipsemet Deus eadem prorsus Deitate, non quidem vt forma informante, sed vt quidditate per perfectissimam identitatem ipsis communicata. Huius instantis meminit Scotus in 1. dist. 5. *Scotus.*

7. Secundum instans naturæ est, in quo eadem natura diuina habet obiectum primarium sibi intimè præsens per intellectum & voluntatem, quod est ipsa nuda essentia Dei, vt infinitè intelligibilis & amabilis. Quę intima præsentia essentię cum intellectu & volũtate in ratione obiecti intelligibilis & amabilis constituit memoriam fœcundã in prima persona, eamque proximè potentẽ ad intelligendã & volendam suam essentiam, nec non ad gignendum & spirandum de sua propria substantia infinitum Verbum & Amorem.

8. Tertium instãs seu signum rationis est, in quo omnes personæ diuinæ simul producunt intra se creaturas in esse ideali & intelligibili, ante quod signum creaturæ non

erant

erant ex se intelligibiles. Horum duorum postremorum signorum meminit in secundo dist. 1. q 1. vbi etiã subdiuidit duos ordines originis, alterum simpliciter, alterum secundùm quid. Primus est, quo Pater producit Filium, & vterque Spiritum sanctum. Secundus est, quo omnes tres diuinæ personæ producunt creaturas in esse intelligibili & ideali: sed Pater per virtutem à se, Filius autem per virtutem sibi communicatam à Patre, Spiritus verò sanctus per virtutem acceptam ab vtroque. Prior ordo originis est verus & realis, & ideo dicitur simpliciter talis, quia per illum realiter producũtur personæ diuinæ Posterior verò non est verus & realis, sed ad similitudinem duntaxat ordinis & originis realis; & ideo dicitur ordo secundùm quid, quia per illum non producũtur personæ diuinæ, sed supponuntur productæ, & illis quasi accidentaliter, seu concomitanter talis ordo aduenit.

9. Docet præterea hos duos ordines, nempe *Naturæ & originis* esse diuersę rationis; eosque ita combinat, vt in primo ordine naturæ nullus sit ordo originis; in secundo verò ordine naturæ sit totus prior ordo originis, quò pater gignit, & Filius gignitur; & quo vterq; spirat, & Spiritus sanctus spiratur. In tertio ordine naturæ collocat posteriorem ordinem originis, quo Pater à se, reliquæ verò personę per virtutem sibi ab alio communicatam producunt: Nõ enim, repugnat, vt in eodem instanti naturæ simul sint plura instantia originis, cuiusmodi sunt quo Pater gignit, & Filius gignitur; & quo vterque spirat, & Spiritus sanctus spiratur. Nam sicut in creaturis possunt in eodem instanti durationis esse plura instantia naturæ, & in eodem instanti naturę plura instantia causalitatis: ita in diuinis in eodem instanti æternitatis esse possunt plura instantia naturæ, & in eodem instanti naturæ plura instantia originis.

10. Fundamentum verò asserendi hunc ordinẽ naturæ diuersum ab ordine originis est, quia intellectus & voluntas diuina non solũ sunt productiua per generationem & Spirationẽ, sed etiam operatiua per intellectionẽ & volitionem: quamuis vt operatiua præcedant se ipsa, vt productiua; & rursus vt operatiua priùs comparentur ad obiectum primariũ, quàm ad secundarium. Ergo non solũ in diuinis assignandus est ordo originis, quo persona producens præcedit productã; sed etiam ordo naturę, quo principium operatiuum præcedit productiuum, & quo idem principium operatiuum priùs natura fertur ad obiectum primarium, quàm ad secundarium. Demum quia personæ diuinæ producuntur per operationes terminatas ad solum obiectum primarium, ideò ordo originis, quo diuinæ personæ producuntur, assignari debet in secundo instanti naturæ, in quo intellectus & voluntas diuina habet obiectum primarium sibi intimè prẹsens; & non in primo, in quo nondum intellectus & voluntas habent obiectum primarium sibi intimè præsens, vel in tertio, in quo assignatur obiectum secundarium.

11. Hanc Scoti sententiã sequũtur & defendunt Scotistę omnes. Mayronus in 1. dist. 12. q. 2 Rubio. dist. 9 q. 1. Fauentinus in 1. dist 2. disp. 25. Quòd autem hic ordo naturæ in sententia Scoti sit realis, & non tantùm rationis, testatur ipsemet Scotus in 1. dist. 10. q. vnica §. *contra idem est principium*, vbi docet, differentiam rationis non esse pro ordine naturæ sufficientẽ. Et apertè sequitur ex ipsius doctrina de distinctione formali inter diuinas perfectiones, nam qualis est distinctio, talis est ordo: ergo si in doctrina Scoti distinctio formalis inter diuinas perfectiones est à parte rei, etiam ordo inter illas in eius doctrina erit à parte rei. Antecedens patet, quia ordo fundatur in distinctione. *Scotistæ. Mayronus. Rubio. Fauentin. Scotus.*

12. Ex hac doctrina colligit Scotus primò. Verbum Diuinum procedere ex sola notitia essentiæ diuinæ, & non personarum ac creaturarum, sicut & Spiritũ S. ex solo Amore essentiæ. Tum quia procedere debent ex notitia, & amore solius obiecti primarij, cuiusmodi est sola essẽtia Diuina. Tum quia in secundo signo naturæ nondum Verbum, & Spiritus sanctus sunt in memoria fœcunda Patris per intuitiuam notitiam ipsorum, cùm in eo signo nondum supponantur producti & existentes in se ipsis formaliter, sed tãtùm eminenter in essentia: & multò minùs in eo signo supponuntur creaturæ, quæ in esse intelligibili & ideali producuntur in tertio signo naturæ ab omnibus personis simul. Non potest autem Verbum procedere per notitiam intuitiuam obiecti, quod non præsupponitur priùs naturâ existens ad productionem ipsius Verbi, cùm notitia intuitiua præsupponere debeat existentiam obiecti naturâ priorem. *Scotus.*

13. Secundò colligit, diuinas personas omnes simul ad extra creare; etsi primam, per virtutem à se, cæteras verò per virtutem sibi communicatam ab alio; quia in signo creationis omnes personæ supponuntur existentes in se ipsis cum eadem omnino virtute & potentia creatiua.

14. Qvarta sententia solùm admittit prioritatem & posterioritatem realem originis inter personas producentes & productas non autem realem prioritatem, & posterioritatem naturæ, vel inter ipsas personas producentes & productas, vel inter reliquas perfectiones diuinas; inter quas tantùm admittit prioritatem & posterioritatem virtualem naturalis exigentiæ & conceptibilitatis respectu nostri. Est Henrici 2. p. summæ, art. 54. q. 5. nec contrarium docet art. 52. quæst. 3. vbi realem prioritatem negat, quia vt hic expresè testatur, intelligit cum Sanct. Patribus disputantibus contra Arium de sola prioritate durationis, & perfectionis: quamuis hanc prioritatem Originis ipse appellet prioritatem naturæ. Est etiam Aureoli in 1. distinct. 1. artic. 5. ad 4. Ochami distinct. *Henricus. S. Patres. Aureolus. Ocham.*

*Ariminen. Gabriel. Marsilius. Palatius. Zumel. Vasquez. Suarez. Ruiz.* distinct. 9. quæst. 3. conclusion. 6. Ariminensis quæst. vnica, artic. 2. concl. 2. Gabrielis quæst. 3. artic. 2. propos. 3. Marsilij quæst. 13 art. 2. concl. 2. Palatij disput. 1. Zumel 1. p. quæst. 42. artic. 3. disput. vnica, propos. 2. Vasquez disput. 167. & 168. cap. 2. Suarez lib. 7. de Trinit. cap. 7 circa finem, Ruiz disput. 105. sect. 5. & aliorum. Nec dissentiũt

*Caietanus. Bannez.* Caietanus 1. p. quæst. 42. artic. 3. & Bannez ibidem, qui solùm dicunt, modum loquendi non esse vsurpandum propter periculum errandi.

15. Dico 1. In diuinis est ordo talis originis inter personas producentes & productas. In hac assertione conueniunt omnes

*Augustin.* Scholastici, eamque expressè docet August. libr. 3. contra Maximinum pro prima sententia citatus, vbi hunc ordinem appellat

*Aristotel.* *Naturæ*, non in sensu Philosophico ab Aristotele definito 5. Metaph. in quo sensu infrà negabimus, illum esse in diuinis; sed in sensu Theologico, qui recurrit, cum ordine originis, vt

*S. Thomas.* S. Thomas docet 1. p. q. 42. art. 3. ad 3. dicitur enim ordo naturæ seu naturalis

*Conueniũt omnes Scholastici.* originis, vt ibidem S. Doctor explicat, prout distinguitur ab ordine productionis liberæ.

16. Probatur hæc assertio primò, quia vbi est realis pluralitas sine ordine, ibi necessariò est confusio: atqui in diuinis est pluralitas personarum sine confusione, cùm hęc imperfectionem importet Deo repugnantem: est ergo realis ordo vnius personæ ad aliam. Probatur secundò, quia inter diuinas personas est quidam ordo naturaliter prædefinitus, quem non licet inuertere; ergo est ordo realis. Consequentia patet, quia realis ordo est, quem natura ipsa prædefinit, & sola ratio ad libitum inuertere non potest. Antecedens demonstro: nam quòd Pater sit principium Filij, & vterque Spiritus Sancti, & non è conuerso, non est ab aliqua extrinseca ratione præscriptum, sed ab ipsa intrinseca rei natura prædefinitum; quia nulla ratio ad libitum mutare potest, quod essentialiter exigit ipsa natura Patris, Filij, & Spiritus sancti, vt Pater sit à quo Filius, & vterque à quo Spiritus sanctus, & non è contrà.

17. Dico 2. Inter Diuinas Personas est realis prioritas & posterioritas originis, non autem naturæ. Prior pars assertionis

*Augustin.* probatur primò ex Patribus. Augustinus de triplici habitaculo: *Tunc iustis manifestum erit, quomodo Pater non præcesserit Filium tempore, sed origine.*

*Origenes.* Origenes homil. 2. in primum Ioannis: *Præcedit Pater Verbum, non naturâ, sed causâ.*

*Basilius.* Accipit causam pro principio, more Græcorum Basilius libr. 1. contra Eunomium: *Nos autem secundùm habitudinem causarum ad ea, quæ ex ipsis sunt, Patrem Filio præponi dicimus.*

*Richardus Victorin.* Richardus Victorinus l. 5. de Trinit. c. 7. *Quod non potest esse prius temporaliter, potest esse prius causaliter.*

18. Probatur 2. Ratione. Prima ratio sit, In diuinis personis est ordo à natura præscriptus, quo vna persona est naturaliter prima, alia secunda, alia tertia. Ergo datur inter diuinas personas prioritas & posterioritas realis originis. Antecedens est certum: quia quòd pater sit prima in Trinitate persona, Filius verò secunda, & Spiritus sanctus tertia, non pendet ex numerantis arbitrio, sed ex ipsa naturalis originis quidditate, quæ essentialiter postulat, vt Pater sit origine primus, Filius verò secundus, Spiritus sanctus tertius. Consequentia verò probatur, quia quod ex natura rei est primum & secundum, ex natura rei est prius & posterius, quia prius & posterius essentialiter includitur in primo & secundo. Nam primum ex conceptu suo antecedit secundum antecessione aliqua: ergo quod re ipsa est primum & secundum, re ipsa primum aliqua antecessione antecedit secundum: igitur si Pater re ipsa est primus, Filius secundus, Spiritus sanctus tertius, re ipsa Pater erit prior Filio, vterque Spiritu sancto. Confirmatur: nam quidquid ab aduersarijs adduci potest cõtra prius & posterius, adduci etiam potest contra primum & secundum.

19. Nec satisfacit Durandus asserens, *Durandus.* primum & secundum denotare solùm ordinem; prius verò & posterius superaddere excessum & defectum. Nam hoc gratis dicitur, & qua ratione cohærere simul possunt primum & secundùm, sine vllo excessu & defectu, cohærere etiam poterunt prius & posterius. Est enim prius & posterius, vt rectè notauit Mayronus, naturalis passio or- *Mayronus.* dinis realis.

20. Secvnda ratio sit. Vbicunque est ordo realis, & secundùm talem ordinem non est simultas; necessariò est aliqua prioritas & posterioritas, saltem sub ea ratione, sub qua est ordo. Inter diuinas autem personas producentes & productas, seu productiuas & producibiles, est ordo realis originis, & secundũ talem ordinem non est simultas. Ergo necessariò est prioritas & posterioritas. Consequentia patet. Minor quoad primam partem, nempe quoad realem ordinẽ originis inter diuinas personas, constat ex præcedente assertione. Quoad secundã verò, nempe quod secundùm talem ordinem non sit inter diuinas personas simultas probatur; quia esse simul origine est esse simul quoad productiuitatem & producibilitatem. Nam sicut ordo originis formaliter consistit in productiuitate vnius, & producibilitate alterius: ita esse simul ordine originis, est esse simul quoad productiuitatem & producibilitatem: ita vt eandem vim productiuam, & eodem modo habeat vna persona, atque altera: hoc autem implicat: alioqui eadem vis productiua, & eodem modo esset in principio productiuo, atque in termino producibili; eademque vis producibilitatis, & eodem modo esset in termino producibili, atque in principio ipso productiuo. Vnde applicando ad rem nostram, eadem

perfectio

perfectio generandi, & eodem modo esset in Patre, atque in Filio, eademque perfectio nascendi, & eodem modo esset in Filio, atque in Patre. Similiter esset de virtute spiratiua & termino spirabili respectu spiratoris & spirati. Maior verò patet, quia simultas contradictoriè opponitur prioritati & posterioritati, cùm inter eas non detur medium. Simultas enim duorum negat prioritatem & posterioritatem eorundem. Ergo si inter diuinas personas non est simultas originis necessariò erit prioritas & posterioritas eiusdē originis, quæ non est aliud, quàm esse, à Quo alius, & Qui ab alio: sed Pater est, à quo Filius, & Filius, qui à Patre; & vterque, à quo Spiritus sanctus; & Spiritus sanctus qui ab vtroque: ergo.

*Aristoteles.* 21. Posterior autem pars assertionis constat: nam prioritas naturæ, vt illam definit Aristoteles 5. Metaph. cap. 11. est, quando vnum potest esse sine alio, non contrà. At vna persona diuina non potest esse sine alijs: ergo vna non est natura prior alijs. Et à fortiori nulla perfectio absoluta intrinseca Deo est natura prior alia perfectione absoluta, vel relatiua. Quia nulla est perfectio absoluta, vel relatiua in Deo, quę sine alia perfectione eiusdem Dei esse possit.

*Rubio.* 22. Nec satisfacit Rubio, prioritatem naturæ definiens esse, non solùm qua vnum re ipsa existere, aut duratione præcedere potest aliud, sed etiam cui minùs repugnat existere, quàm alteri. Et quia, inquit, in diuinis minùs repugnat personam producentem existere, aut etiam duratione præcedere productam, quàm contrà; ideo condenda erit inter diuinas personas naturæ prioritas & posterioritas. Non, inquam, satisfacit: tum quia hæc prioritatis naturæ definitio gratis confingitur, cùm neque ab Aristotele, neque ab vllo alio probato Authore tradita sit: alioqui concedere possemus Deo prioritatem & posterioritatem dignitatis, aliter definiendo prioritatem & posterioritatem dignitatis, quàm Patres & Theologi definiunt. Tum quia, cum omnes perfectiones diuinæ sint ipsum *Necesse esse*, æqualis repugnantia est in omnibus, vt vna existere possit sine alia; atque adeo non poterit re ipsa minùs vni, quàm alteri repugnare, vt sine alia existere possit. Quòd si quando Patres, aut graues aliqui Scholastici videntur Deo concedere prioritatem naturæ, explicandi sunt de prioritate originis naturalis, prout distinguitur ab origine & productione libera.

*Patres & Scholastici explicandi.*

23. Ex his, Deducitur 1. Patrem non eo formaliter priorem origine, quòd ipse à nullo sit, sed eo formaliter, quòd sit alterius productiuus. Ratio est, quia prioritas originis est positiua habitudo producentis ad productum: sicut è conuerso posterioritas originis, est positiua habitudo producti ad producens: producens autem non dicit habitudinem ad productum ex eo formaliter, quod ipse non sit ab alio productus: tū quia posset nō esse ab alio productus, & tamen nullius esse productiuus, & tunc nulla esset in eo prioritas, quia prioritati respondet posterioritas in eodem ordine: at tunc nulla foret originis posterioritas, cùm hæc sit ipsa passiua productio termini à suo principio producente; tum quia prioritas originis est positiua perfectio principij producentis: non esse autem ab alio, est pura negatio productionis ab alio.

24. Deducitur 2. Hanc prioritatem & posterioritatem non solùm esse inter personas producentes & productas, sed etiam inter potentias productiuitatis & producibilitatis; nec non inter ipsas formales origines actiuas & passiuas. Vnde æternus Parens non solùm est prior origine Filio ratione personalitatis, sed etiam ratione virtutis generatiuæ, nec non ratione formalis originis, quæ in ipso est actiua generatio. Similiter Pater & Filius non modò sunt priores origine Spiritu sancto ratione suppositorum, sed etiam ratione virtutis spiratiuæ & formalis originis, quæ est ipsa Spiratio actiua Patri Filioque communis. Hæc enim omnia in ratione prioritatis & posterioritatis sibi proportionatè correspondent: præcedit enim suppositum productiuum; terminum producibilem, tanquam principium *Quod*. Virtus verò productiua præcedit vim producibilē, vt ratio *Quæ*, siue *per Quam*; origo actiua originem passiuā, vt ratio *Qua*; quorū omnium ea est ratio, quia in omnibus his reperitur realis habitudo vnius ad aliud spectans ad eundem ordinem originis: Nam omnes istæ tres rationes suppositi producentis, virtutis productiuæ, & formalis productionis complent vnum & eundem ordinem originis, atque adeo eundem ordinem prioritatis & posterioritatis.

25. Deducitur 3. Hanc prioritatem & posterioritatem non esse inter relationes diuinas, quatenus ad instar relationum prædicamentalium concipiuntur resultare ex originibus: quia sub hac formalitate nullum exercent munus, nisi puri respectus. Vnde non esset maior ratio, cur vna potiùs præcederet aliam, quàm contrà, quoniam idem munus puri respectus, quod exercet vna, exercet & alia. Vnde quatuor formalitates seu quasi partes eiusdem integræ formalitatis considerandæ sunt in qualibet persona diuina. Prima est formalitas constitutiua personæ vt sic. Secunda formalitas est constitutiua personæ vt productiuæ, vel vt producibilis. Tertia vt originantis, vel originatæ. Quarta vt referentis & relatæ.

26. Deducitur 4. Prioritatem & posterioritatem realis originis non intercedere, nisi inter realiter distincta. Tum quia realis prioritas & posterioritas supponit realem distinctionem extremorum, in quibus talis ordo prioritatis & posterioritatis fundatur: idem enim respectu sui prius & posterius origine esse nequit. Tum quia ordo realis originis non intercedit nisi inter ea, quorum vnum se habet vt producens, alterum vt productum: sed hæc necessariò distinguuntur realiter, cùm nequeat idem producere seipsum. Vndè

nec Pater est origine prior respectu generationis actiuæ, nec Spirator respectu spirationis actiuæ: quia nec Pater actiuam generationem, nec Spirator actiuam spirationem producit. Præterea nullum absolutum, quatenus constituit naturam Patris formaliter & per se, est origine prius Filio: quia nullum absolutum quatenus constituit naturam Patris distinguitur à Filio, vel est illius productiuum, vt suprà probauimus, & fusiùs disp. sequente. Quod autem nullo modo distinguitur ab alio, neque est illius productiuum, non potest formaliter & per se esse prius origine illo.

27. Deducitur 5. Patrem priùs origine per generationem actiuam respicere Filium, quâ per spirationem actiuam Spiritum sanctum, non autem priùs origine respicere ipsam generationem actiuam, quàm passiuam. Hoc secundum patet, quia respectu generationis, & spirationis actiuæ, nullo modo Pater est principium productiuum. Primum probatur, quia tam generatio passiua, quàm spiratio passiua originantur à Patre: atqui spiratio passiua præsupponit essentialiter generationẽ passiuam. Quotiescunque autem plures actiones originantur ab eodem principio, cum essentiali præsuppositione vnius ad aliam, vna est prior alia; atque adeo principium ipsum dicitur priùs originare vnam, quàm aliam. Sed generatio passiua, & spiratio passiua originantur ab eadem persona Patris, cum essentiali præsuppositione generationis ad spirationem: ergo generatio est prior spiratione, & consequenter Pater per generationem actiuam priùs origine respicit Filium, quàm per spirationem actiuam Spiritum sanctum; atque adeo priùs dicitur generare quàm spirare.

28. Deducitur 6. Patrem priùs prioritate secundùm quid spirare, quàm Filium, & vtrumque prius ad extra producere, quàm producat ipse Spiritus sanctus. Hæc est Doctrina Scoti suprà adducta, quę mihi vel ex eo probatur, quoniam sicut prioritas originis simpliciter, dicta, est qua producens dat esse producto; & posterioritas originis simpliciter dicta, est qua productum accipit esse à producente: ita prioritas originis secundùm quid erit illa, qua vna persona per virtutem à se, alia per virtutem ab alio acceptam ad eundem terminum producendum concurrunt. Etenim producere per virtutem à se, & producere per virtutem ab alio acceptam, constituunt diuersitatem habendi eandem virtutem: quæ diuersitas habendi eandem virtutem aliquo modo redundat in diuersitatem producendi eundem terminum: quæ cùm sit diuersitas secundùm quid, reduci debet, ad aliquam diuersitatem simpliciter: hæc autem alia esse non potest, quàm diuersitas originis.

*Scotus approbatur.*

29. Dico 3. Præter realem prioritatem & posterioritatem originis, concedenda est in diuinis virtualis prioritas, & posterioritas naturalis exigentiæ & obiectiuæ conceptibilitatis. Fundamentum est, quia licet in Deo sit vna simplicissima perfectio, nullam admittens ex natura rei distinctionem, præterquam inter oppositas relationes: propter plenitudinem tamen essendi, & eminentissimum modum vnitissimè continendi omnes perfectiones possibiles, naturaliter exigit, vt si ab intellectu, nõ valente vnico actu totam eius perfectionem exprimere, rectè & ordinatè concipiatur, priùs concipi debeat secundùm vnam perfectionem, quàm secundùm aliam. Nam eo ordine concipienda sunt vbi virtualiter tantùm distinguuntur, quo ordine existunt vbi eadem realiter differunt, quia omnis ordo & distinctio secundùm quid reducenda est ad ordinem & distinctionem simpliciter. Sed vbi tales perfectiones realiter differunt, vna præcedit aliam aliquo ordine prioritatis. Ergo eodem ordine proportionali sunt concipiendæ, vbi tantùm virtualiter distinguuntur. Quia sicut realis identificatio plurium perfectionum in eadem formalitate non tollit intrinsecam perfectionem vniuscuiusque, vt patet de diuinis relationibus, quæ identificatæ cum essentia non amittunt intrinsecam oppositionem, quam adhuc identificatę cum essentia mutuò retinent: ita nec tollit naturalem exigentiam, quam eædem perfectiones habent ad concipi. Nam conceptibilitas est passio consequens entitatem. Igitur qua ratione tales perfectiones identificatæ retinent propriam entitatem, eadem ratione retinebunt eandem conceptibilitatem.

30. Hinc deducitur, absoluta pręconcipienda esse respectiuis; & inter absoluta communiora minùs communibus, vt ratio substantiæ præconcipienda est intellectiuitati, & hæc appetiuitati; & actus intellectus actui voluntatis; actus verò voluntatis actui externę executionis. Item ratio immaterialitatis præconcipienda est prior, quàm ratio intellectiuitatis. Eodem modo de cæteris perfectionibus, tam absolutis, quàm respectiuis, vel ad inuicem comparatis, vel seorsim consideratis discurrendum erit proportionaliter ad ea, quę actu distinguuntur.

31. Dico 4. Concedenda est in Deo prioritas secundùm subsistendi consequentiam, non quidem realis, sed rationis. Primum patet quia prioritas secundùm subsistendi consequentiam, vt Philosophus definit, est quando ab vno non conuertitur consequentia ad alterum. Vt animal est: ergo homo est. Animal est prius homine subsistendi consequentia, quia ab animali ad hominem non conuertitur consequentia: conuertitur autem ab homine ad animal, quia valet; homo est, ergo animal est. Vnde homo est posterior animali subsistendi consequentia. Atqui multę sunt perfectiones in Deo, in quibus non conuertitur subsistendi consequentia ad alias: ergo datur in Deo huiusmodi prioritas. Minor constat in omnibus perfectionibus absolutis, à quibus non conuertitur consequentia ad respectiuas. Non enim sequitur: Hęc persona est Deus; ergo est Pater, contrà verò conuertitur subsistendi consequentia à respectiuis ad

*Aristoteles*

absoluta

absoluta, vt Pater est, ergo Deus est.

32. Secundum verò patet, quia nullum priùs prioritate subsistendi consequentia in Deo esse potest sine posteriore secundùm eandem subsistẽdi consequentiã: ergo talis prioritas in Deo non est realis, sed rationis. Antecedens est euidens, nam absoluta, quæ in Deo priora sunt subsistendi consequentia respectiuis, nequeunt esse sine respectiuis. Consequẽtia verò probatur, nam eatenus hæc prioritas in rebus creatis est realis, quatenus priùs separabile est ex natura rei à suo posteriore. Vt animal ex natura rei existere potest sine homine, licet non possit homo existere sine animali. Igitur si in Deo priùs non est ex natura rei separabile à suo posteriore, non erit priùs reale, sed rationis. Confirmatur, nam hęc prioritas coincidit cum ea quæ est inter vniuersalia & particularia, siue inter superiora & inferiora: sed talis prioritas & posterioritas in Deo non est realis, sed rationis, quia in Deo commune & proprium, siue superius, & inferius non distinguuntur realiter, sed sola ratione. Sola difficultas esse posset de prioritate secundùm subsistendi consequentiam inter actus necessarios & liberos, an sit realis de qua infrà.

33. Ex dictis deducitur in diuinis nullam esse prioritatem & posterioritatem *in Quo*, sed tantùm *à Quo*. Fundamentum est, quia prioritas & posterioritas *in Quo*, aut est ipsa prioritas & posterioritas durationis, aut certè ad illam reducibilis, tanquam imperfecta ad perfectam eiusdem ordinis. A diuinis autem non solùm abest omnis prioritas & posterioritas durationis simpliciter, sed etiam secundùm quid; quia in diuinis non modò omnia re ipsa sunt simul in eadem mensura æternitatis, sed neque concipi possunt, vt existentia in diuersa durationis mensura, quia concipi non possunt in oppositа mensura ab ea, in qua de facto sunt, alioqui falsa esset conceptio. Nam etsi possint à mensura æternitatis præscindi, non concipiendo illa, vt positiuè existentia in eadem æternitatis mensura, concipi tamen non possunt, vt positiuè existentia in diuersis instantibus durationis. Vnde non rectè à Scotistis in diuinis ita assignantur diuersa instantia & signa, vt ipsi vocant *Naturæ*, ac si re ipsa non omnia responderent eidem instanti durationis. Vt cùm dicunt, Patrem in primo instanti seu signo naturæ esse perfectè beatum, absque notitia intuitiua personarũ & creaturarum: nam cùm notitia dicatur intuitiua per ordinem ad obiectum præsens in eodem signo & instanti durationis, esto non sit in eodem signo & instanti originis, non poterit dici, Patrem in priori signo originis non habere intuitiuam notitiam personarum & creaturarum: quia cum prioritate originis stat simultas durationis principij producentis & termini producti; atque adeo cum prioritate originis in Patre stat intuitiua notitia de personis productis & actu existentibus in eodem signo æternitatis.

34. Ad argumenta primæ sententię. Ad primum ductum ab authoritate Patrum Resp. *Patres.* Patres solùm negasse in diuinis prioritatem & posterioritatem dignitatis, & durationis. Argumentabantur enim contra Arium, qui vtramque prioritatem & posterioritatem fingebat in diuinis personis; asserebat enim, Patrem esse Filio maiorem, atque priorem. *Arius.* Constat ex eodem citato Symbolo Athanasij, vbi *Athanasius* ea tantùm prioritas & posterioritas negatur diuinis personis, cuius simultas in eodem Symbolo affirmatur. Atqui sola simultas durationis & dignitatis in eodem Symbolo affirmatur, vt patet cùm dicitur, *Et in hac Trinitate nihil prius, aut posterius; nihil maius, aut minus: sed totæ tres personæ coæternę sibi sunt & coæquales.* Tum ex reliquis Patribus, qui expresè negant in diuinis solàm prioritatem & posterioritatem durationis & dignitatis, vt manifestum erit eos perlegenti. Tum quia, cũ prioritas & posterioritas simpliciter prolata stet pro suo principali analogato, quod est prius & posterius durationis, noluerunt illam simpliciter Deo concedere, sed semper cum addito limitante ad solam prioritatem & posterioritatem originis, vt suprà vidimus.

35. Ad secundum ductum ex ratione Respondeo, personam diuinam producentem esse priorem origine persona ipsa producta, non ratione essentiæ, sed relationis; non vt formaliter exercet munus referentis, sed originantis, & constituentis tum potentiam producendi, tum suppositum ipsum producens. Ad confirmationem nego antecedens. Fundamentum verò secundæ sententiæ, quatenus conuenit cum fundamento primę, negandum est: quemadmodum & fundamentum tertiæ, quod ex dictis satis impugnatum manet.

## SECTIO II.

### *An ea, quæ in diuinis sunt priora in vno genere, possint esse posteriora in alio?*

36. Hanc quæstionem non reperio sub his terminis ab aliquo Authore propositam, facilè tamen colligi potest ex ijs, quæ de prioritate & posterioritate originis Scholastici de Deo disputant: & alioqui ea necessaria est ad plurimas implexasque difficultates, quæ in hac materia de Trinitate sæpe occurrunt, enodandas. Quare operę pretium duxi illã sub his terminis vniuersaliter examinare, vt ex ea vniuersales regulę pro occurrentibus difficultatibus nobis submininistrentur ad rectè concipiendum, & loquendum de prioritatibus & posterioritatibus, quæ in Deo assignari solent. *Scholastici.*

37. Prima sententia negat: eaque apertè colligitur ex doctrina Scoti, negantis Verbum procedere ex intuitiua notitia personarum, & creaturarum possibilium. Eo quòd notitia, qua Verbum ipsum producitur, *Scoti doctrina.*

origine præcedit, sicut & ipsum Verbum natura præcedit creaturas possibiles, quæ sententia apertè supponit, non posse eandem notitiam, qua Verbum producitur, esse priorem origine ipso Verbo, & simul posteriorem eodem Verbo, & creaturis possibilibus, in ratione obiecti ad cognitionem præsuppositi. Fundamentum esse potest, quia quod est prius origine, est prius simpliciter: quod autem est prius simpliciter, nullo pacto potest esse posterius respectu eius, respectu cuius est priùs simpliciter. Minor constat, quia quod est prius simpliciter, supponitur sub omni modo & ratione independens ab alio: igitur neque secundùm quid potest esse posterius & dependens ab alio. Maior probatur, quia quod est prius origine, debet suo posteriori communicare esse simpliciter: quod autem debet esse simpliciter alteri communicare, debet ab illo esse omnino independens, & prius omni prioritatis genere.

38. Secvnda verò sententia affirmat: eaque colligitur ex oppositа doctrina eorum, qui docent, Verbum diuinum aut de facto procedere ex notitia intuitiua personarum & & creaturarum possibilium, aut certè ex hoc capite mutuæ prioritatis & posterioritatis in diuerso genere non repugnare, quin illud hoc modo procedat. Colligitur etiam ex doctrina eorum, qui mutuam prioritatem & posterioritatem admittunt in actibus intellectus & voluntatis diuinæ; nec non in obiectis ipsis tales actus terminantibus; cùm sit eadem ferè vtriusque ratio. Pro propositæ controuersiæ explicatione,

39. Dico. Nulla sequitur contradictio, vt ea, quæ in diuinis sunt priora in vno genere, sint simul, aut etiam posteriora in alio genere; atque adeo ita de facto asserendum est ad meliùs faciliusque saluandas multas difficultates Theologicas, quæ sine hac mutua prioritate & posterioritate in Deo vix saluari possunt. Assertio constat primò in rebus creatis, in quibus sine vlla contradictione, quæ in vno genere sunt priora, non repugnat in alio genere esse posteriora. Vt materia est prior forma in genere subiecti primi receptiui. Rursus forma est prior materia in genere actus substantialiter actuantis. Item agens est prius subiecto in genere efficientis eductiui, rursus subiectum est prius agente in genere subiecti substentatiui. Finis est prior agente in ratione mouentis: agens est prius fine in ratione exequentis. Quælibet substantia creata est prior suis proprietatibus in genere causæ originantis: proprietates sunt priores substantia in genere formæ informantis, & disponentis. Ergo ascendendo ad diuina, non repugnat, vt Pater sit prior Filio in ratione principij originantis, & simul cum Filio in ratione correlatiui referentis ac mutuo respicientis; imò & posterior Filio in ratione obiecti & termini specificantis, ac terminantis ipsam transcendentalem relationem paternitatis: cùm non minùs Pater supponat Filium in ratione obiecti, & termini specificantis ipsam transcendentalem relationem paternitatis, quàm Filius Patrem in ratione originantis, & communicantis naturam.

40. Confirmatur primò. Nam in omnium ferè sententia personæ diuinæ sunt simul natura, duratione, & cognitione: natura, quia nequit vna persona diuina existere sine alijs; duratione siue æternitate, quia vna est omnium interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio; cognitione, quia repugnat, vnam perfectè cognosci sine alia. Cum hac tamen triplici simultate stat prioritas vnius, & posteriotas alterius in ratione originantis & originatæ. Ergo cum eadem in prioritate & posterioritate stare poterit simultas, aut etiam prioritas & posterioritas in quolibet alio genere, Deo non repugnante. Cuius ratio à priori est, quia vt aliquid sit posterius altero sufficit, vt habeat talem connexionem cum illo, vt eo implicante, implicet & hoc, & eo non existente, neque hoc existere possit. Talem connexionem habet Pater cum Filio & Spiritu sancto. Igitur Pater est aliqua ratione posterior Filio & Spiritu sancto. Minor patet, quia implicante, Filio, vel Spiritu sancto implicaret & Pater, vel secundùm rationem paternitatis respectu Filij, vel secundùm rationem spiratoris respectu Spiritus sancti. Atque hoc non tantùm identicè, & per locum extrinsecum, sed formaliter, & per locum intrinsecum.

42. Confirmatur secundò, quia licet repugnet, vt vna & eadem formalitas sit, aut concipi possit prior & posterior simul respectu eiusdem; nam etiam secundùm rationem implicat, vt vna & eadem formalitas concipiatur cum oppositа affirmatione, & negatione simul: concipitur autem cum oppositа affirmatione & negatione simul, si concipiatur vt prior & posterior respectu eiusdem. Nam quatenus concipitur prior, concipitur vt independens ab alia: quatenus verò concipitur vt posterior, concipitur vt dependens ab eodem. Non tamen implicat, vt vna & eadem res secundùm diuersas formalitates, virtualiter tantùm distinctas, possit concipi prior, & posterior respectu diuersorum. Cuius ratio est, quia si illæ formalitates essent à parte rei distinctæ, possent esse priores & posteriores respectu diuersorum: ergo etiam identificatæ, & virtualiter tantùm distinctæ, poterunt esse priores & posteriores respectu diuersorum. Consequentia probatur, quia identificatio non tollit quidditatiuam exigentiam identificatorum, vt patet de relationibus diuinis, quæ ex eo quòd identificentur cum essentia, non amittunt quidditatiuam oppositionem ad inuicem. Ergo etiam plures formalitates à parte rei identificatæ continere possunt prioritatem & posterioritatem respectu diuersorum; quam prioritatem & posterioritatem, si essent distinctæ à parte rei, illæ haberent.

43. Ex

43. Ex hac doctrina, multa deduci possunt, quæ in proprijs materijs ex professo tractantur. Sed ne eadem repetantur, remitto ea ad proprias tractationes. Solùm hic adnoto, hanc mutuam prioritatem & posterioritatē in diuerso genere non modo admittendam esse inter diuinas personas, secundùm diuersas rationes consideratas, sed etiam inter diuina attributa, nec non inter actus diuini intellectus & voluntatis; atque inter obiecta ipsa, vt tales actus terminantia. Item inter perfectiones absolutas & respectiuas inuicem comparatas. Quo fit vt non semper hæc mutua prioritas & posterioritas sit realis, sed interdum realis ex vna parte, rationis verò seu virtualis ex alia: interdum autem rationis seu virtualis ex vtraque parte, iuxta naturalem exigentiam extremorum, quæ mutuò comparantur vt priora & posteriora secundùm diuersas formalitates & rationes.

44. Ad fundamentum primæ sententiæ Respondeo, distinguendo maiorem: nam si per prius simpliciter, intelligatur prius non tantùm secundùm originem, sed etiam secundùm alias rationes prioritatis, neganda est maior, quæ potiùs erat probanda, quàm supponenda. Siquidem cum prioritate originis non repugnat posterioritas in alio genere, vt probatum est. Saluatur enim prioritas originis, si producens habeat suum esse independens à producto, in eo duntaxat genere, in quo illud debet communicare producto. Si verò per prius simpliciter, intelligatur prius secundùm potiorem & principaliorem rationem prioritatis, concedenda est maior. Nam inter omnes prioritates, quæ Deo conuenire possunt, potissima est originis, per quam vna persona realiter communicat esse alteri. Alioqui quæ inter omnes prioritates principem locum tenet, auctore Philosopho in Prædicamentis cap. de Priore, est prioritas durationis, secundùm quam vnum dicitur antiquius alio. Cæterùm sicut cum prioritate durationis, quæ est omnium potissima, stare potest posterioritas in alio genere: ita cum prioritate originis non repugnabit posterioritas in alio genere. Ex his patet ad probationem maioris; cuius neganda est minor.

*Aristoteles*

## SECTIO III.

### *Quo pacto ordinanda sint signa prioritatis & posterioritatis in actibus intellectus & voluntatis diuinæ?*

45. SVPPONENDVM est, hæc signa non esse signa Prioritatis, & Posterioritatis realis, sed tantùm rationis, & virtualis duntaxat præsuppositionis vnius formalitatis ad aliam, quatenus secundùm rectum ordinem rationis vna formalitas concipienda est prior alia ab intellectu, non valente vnico actu concipere totam perfectionem obiecti. Vt posito, quòd non possit vnico actu simul concipi perfectio intellectionis & volitionis diuinæ, rectus ordo concipiendi, fundatus in rebus ipsis poscit, vt intellectio concipiatur prior volitione, tum quia in rebus creatis, ad instar quarum increatas concipimus, intellectio præcedit volitionem: tum quia ipsa plenitudo diuini actus postulat, vt priùs concipiatur secundùm vnam formalitatem, quàm secundùm aliam. Nam sicut formalitates intellectionis & volitionis per mutuam identificationem non amittunt proprium esse intellectionis & volitionis in Deo, ita nec naturalem exigentiam, vt vna concipienda sit prior alia.

46. Est autem hoc suppositum tum contra Scotum opinantem, hæc signa non esse tantùm rationis, sed ex natura rei, qui propterea, vt suprà vidimus, appellat signa siue instantia naturæ, ad cuius prioritatem & posterioritatem docet, non sufficere solam distinctionem rationis. Tum contra Ochamum in 1. dist. 9. quæst. 3. ad finem, & Gabrielem in 3. dist. 2. dubit. 3. in fine, negantes huiusmodi signa & instantia rationis in actibus diuini intellectus & voluntatis. Nos tamen prædicto suppositio, vt certo admisso, tum ex Patribus, qui sæpe huiusmodi signis vtuntur ad explicandum mysterium diuinæ prædestinationis, vt patet ex Augustino pluribus in locis, & ex Prospero in epist. ad Aug. posita ante librum de Prædestinatione Sanctorum; tum ex communi sententia Theologorum, qui hæc signa admittunt ad explicandas varias dependentias, quas obiecta ipsa vt à Deo volita important. Vlteriùs explicandum superest, quo pacto, & vnde sumenda sit hæc proprietas, & posterioritas in actibus intellectus, & voluntatis diuinę.

*Scotus.* *Ocham. Gabriel.* *Patres.* *Augusti. Prosper.* *Theologi.*

47. PRIMA sententia est Caietani 3. p. qu. 1. art. 3. §. *Ad euidentiam horum*, distinguentis Vniuersum hoc in tres ordines, naturę, gratiæ, & vnionis hypostaticæ. In primo ordine collocat res omnes naturales; earumque defectus, tam purè naturales, vt monstra, ægritudines, ignorantiam; quàm morales, vt peccata, quę collocat in ordine naturæ, quia solius naturæ viribus committuntur. In secundo collocat omnia dona gratuita, & supernaturalia naturę superaddita. In tertio vnionem Verbi cum natura creata. Porrò hos ordines ita combinat, vt in diuina mente primus præsupponatur ad secundum, secundus verò ad tertium. Quare iuxta hunc ordinem ita docet coordinanda esse signa & instantia rationis in actibus intellectus, & voluntatis diuinæ; vt quæ spectant ad ordinem naturę, prę-concipienda sint priora ijs, quæ spectant ad ordinem gratiæ; & quę ad ordinem gratiæ pertinent, prę-concipienda sint priora, quàm quę pertinent ad ordinem vnionis.

*Caietanus.*

48. Ex qua doctrina colligit, Incarnationem CHRISTI, vtpotè spectantem ad tertium ordinem, prædestinatam esse post prę-uisum peccatum originale, in cuius remedium illa est

illa est decreta, aliàs non decernenda: & prædestinationem cuiuslibet puri hominis ad gloriam decretam esse post præuisa omnia naturalia ipsius; nec non post defectus, tam naturales, quàm morales; atque adeo post ipsius peccata commissa præuisa. Fundamentum huius opinionis est: quoniam eo ordine concipienda sunt hæc instantia rationis in mente diuina, quo res ipsæ mutuo se supponunt. Atqui natura supponitur ad gratiam, tanquam substratum ad formam indebitam; gratia verò ad vnionem hypostaticam, tanquam ordo medius ad summum.

*Scotus.* 49. SECVNDA sententia est Scoti in 1. dist. 41. qu. vnica, §. *Potest aliter*, & in 3. dist. 7. qu. 3. §. *Sed hic sunt duo*, & dist. 19. qu. vnica. §. *In ista quæstione*, talem ordinem in actibus diuinę voluntatis assignantis, qualis est inter finem & media. Vnde sicut finis est prior medijs; & inter media, quæ sunt nobiliora, & propinquiora fini, priora sunt ijs, quæ sunt ignobiliora & remotiora à fine: ita in Deo intentio finis est prior electione mediorum; & electio mediorum nobiliorum & propinquiorum fini, est prior electione mediorum ignobiliorum, & à fine remotiorum. Ex quo principio deducit, Christum, qui est nobilissimum inter omnia media, & ad Dei gloriam manifestandam, qui est finis omnium operum Dei ad extra, aptissimum & propinquissimũ, fuisse primum inter omnes prædestinatos. Ex quo vlteriùs infert, illum venturum fuisse, saltem in carne impassibili, etiamsi Adamus non peccasset; eò quòd eius prædestinatio ordine naturæ in æterno decreto Dei præcesserit prædestinationem aliorum hominum, tam quoad gloriam, quàm quoad gratiam: ac proinde quoad ipsam præuisionem peccati originalis, quod præsupponit gratiam Adamo collatam, cùm sit priuatio illius. Probatur autem, hunc ordinem signorum assignandum esse in mente Dei hoc argumento. Ordinatè volens priùs vult finem, quàm media; & inter media, priùs eligit, quæ sunt nobiliora, & fini propinquiora. Igitur talis ordo assignandus est in mente Dei, qualis est inter finem & media ipsa ad finem relata.

*Suarez.* 50. TERTIA sententia est Suarez 3. p. disp. 5. sect. 1. alio modo ordinantis hæc instantia rationis in actibus intellectus, atque in actibus voluntatis Diuinę. Nam in actibus intellectus, ait, ordinanda esse iuxta ordinem prioritatis & posterioritatis, quam res ipsæ seruant ex naturali connexione inter se: vt quæ re ipsa sunt priores, priùs ratione intelligantur à nobis actum diuinæ cognitionis terminare: quæ verò sunt posteriores, posteriùs ratione intelligantur, eundem actum diuinæ cognitionis terminare. Contrà verò in actibus diuinæ voluntatis ordinem prioritatis & posterioritatis sumendum esse, non ex intrinseca, & naturali connexione, quam res ipsę habent ad inuicem, sed ex extrinseca & libera ordinatione, quam sortiuntur ex voluntate Dei: vt illæ concipiantur priùs ratione à Deo volitæ, quę sunt volitæ vt finis; illæ verò posteriùs ratione, quæ sunt volitæ vt media ad finem; idque sine vlla mutatione rerum, per extrinsecam duntaxat ordinationem Dei, liberè ordinantis vnam rem ad aliam.

51. Fundamentum prioris assertionis est, quia res ita se habent ad cognosci, sicut ad esse. Ergo is ordo concipiendus est in intellectu res perfectè cognoscente, qui est in rebus ipsis. Fundamentum verò posterioris assertionis est, quoniam talis ordo secundùm rationem constituendus est in actibus diuinæ voluntatis, qualem ordinem secundùm rem seruant actus voluntatis creatę: quia omnis ordo rationis concipiendus est per analogiam ad aliquem ordinem realem, sed talem ordinem secundùm rem seruant actus voluntatis creatæ: ergo similem ordinem secundùm rationem concipere debemus in actibus voluntatis increatæ. Minor probatur, quia voluntas creata non solùm priùs vult finem, quàm media, sed etiam media ipsa ordinat ad finem, absque intrinseca mutatione mediorum, per extrinsecam duntaxat ordinationem sui actus.

52. QVARTA sententia conuenit cum præcedente de coordinatione instantium rationis in actibus diuini intellectus, ex connexione & ordine rerum inter se: discrepat autem ab illa de coordinatione eorundem in actibus diuinę voluntatis, absque intrinseca mutatione ipsarum rerum, quæ ordinantur. Putat enim hæc sententia, non posse vnam rem ordinari ad aliam, tanquam medium ad finem, ad quam non est natura sua ordinata, per extrinsecam duntaxat voluntatem Dei; sed necessariam esse intrinsecam aliquam mutationem in re ipsa, quæ ordinatur. Fundamentum est, quia implicat, fieri transitum de contradictorio in contradictorium sine aliqua mutatione reali. Sed cùm vna res ordinatur ad aliam, ad quam non est natura sua ordinata, fit transitus de contradictorio in contradictorium, quoniam ex non ordinata fit talis res ordinata: igitur aliqua realis mutatio intercedat, oportet. Atqui hęc realis mutatio non potest esse ex parte liberi actus diuini, quia ille non mutatur, cùm ex necessario transit in liberum; ergo ex parte ipsius rei, quæ ordinatur.

53. Pro explicatione propositæ controuersiæ notandum est, hæc instantia prioritatis & posterioritatis in actibus intellectus & voluntatis diuinæ, non deseruire intellectui increato, eò quòd ipse non concipit suum actum cum prioritate ad alium, ne quidem virtuali, nisi per respectum ad intellectum creatum, concipientem vnum priùs alio; sed deseruire tantùm intellectui creato, qui, quoniam non valet vnico actu concipere quidquid perfectionis est in vnico actu Dei, illum concipit per varios conceptus inadæquatos. Vt autem isti conceptus sint ordinati ex parte obiecti, priùs concipiendus est actus diuinus terminari ad vnam rationem obiecti, quàm ad aliam; quoniam, etsi indiuisibiliter terminetur

ad omnes

ad omnes rationes in obiecto existentes, attamen secundùm rationem cum fundamento in re, & per analogiam ad actus creatos, possumus eumdem actum concipere priùs terminari ad vnam rationem, quàm ad aliam. Et propter hoc assignantur huiusmodi instantia rationis, vt nobis deseruire possint ad rectè & ordinatè concipiendas varias rationes & formalitates, quæ in vno simplicissimo actu Dei vnitissimè continentur.

54 Dico primò. Prioritas & posterioritas inter actus intellectus, & voluntatis diuinæ sumenda est ex virtuali præsuppositione vnius, & naturali subordinatione alterius. Etenim, quia actus intellectus in Deo virtualiter præsupponitur ad actum volũtatis: contrà verò actus voluntatis virtualiter subordinatur actui intellectus, cùm nihil possit esse volitum, quin præcognitum; actus intellectus concipiendus est priùs ratione, quàm actus voluntatis circa idem obiectum. Fundamentum est, quia talis ordo concipiendus est inter ea, quę sola ratione distinguuntur, qualis intercedit inter ea, quæ distinguuntur realiter. Sed vbi isti actus distinguuntur realiter, actus intellectus præcedit actum voluntatis: actus verò voluntatis consequitur actum intellectus. Ergo similis ordo concipiendus est in actibus diuinis, in quibus sola interuenit distinctio rationis.

55. Dixi, *Circa idem obiectum*. Quia si actus intellectus comparetur circa vnũ obiectum, & actus voluntatis circa aliud disparatum, nulla inter eos intercedet prioritas & posterioritas: quia hæc non intercedit nisi inter ea, quæ ordinem aliquem & connexionem habent ad inuicem penes aliquod tertium. Hinc autem non excluditur, quin idem actus voluntatis secundùm aliam formalitatem possit esse virtualiter prior eodem actu intellectus. Idem enim actus voluntatis, consideratus quasi elicitus à voluntate, est posterior ratione actu intellectus; quia vt sic actus voluntatis præsupponit actum intellectus, in ratione proponentis obiectum. Idem verò actus voluntatis, consideratus vt obiectum eiusdem actus intellectus comprehendentis omnes perfectiones diuinas, atque adeo actus ipsos voluntatis, quibus ipsemet actus intellectus obiectum volibile proponit, est virtualiter prior illo; quia vt sic præsupponitur vt ratio, saltem inadæquatè specificans talem actum. Vt amor, quo Deus diligit se, consideratus quasi elicitus à voluntate Diuina, est virtualiter posterior cognitione, quâ Deus seipsum, suasque perfectiones comprehendit. Consideratus verò vt obiectum eiusdem comprehensionis, est illa virtualiter prior; quia vt sic præsupponitur, vt ratio inadæquatè specificans illam.

56. Confirmatur, nam ex assignato principio is ordo concipiendus est inter ea, quæ sola ratione distinguuntur, qualis intercedit inter ea, quæ realiter distinguuntur. Sed inter actum intellectus & voluntatis creatæ, vbi ista realiter distinguuntur, talis ordo intercedit; nam actus voluntatis creatę, vt elicitus à voluntate, est realiter posterior actu intellectus dirigentis voluntatem. Idem verò actus, tanquam obiectum, ad quod tendere potest intellectus, est prior eodem actu intellectus, vt ratio specificans illum.

57. Ex hac doctrina soluitur primò, qua ratione Verbum diuinum procedat ex cognitione intuitiua omnium personarum. Quia nimirum, licet cognitio, ex qua procedit Verbum, sit origine prior ipso Verbo, est tamen sub alia ratione posterior Verbo, nempe sub ratione obiecti & termini specificantis. Sub qua ratione Verbum, & Spiritus sanctus sunt priores ratione cognitione ipsa, qua procedit Verbum. Neque hoc præiudicat vel prioritati originis, quâ prior est ipsa cognitio, quâ procedit Verbum; vel posterioritati ipsius Verbi. Quia prioritas specificatiua, vt constat etiam in rebus creatis, non tollit prioritatem, vel posterioritatem originis, cùm sit alterius generis & rationis: & quod in vno genere est prius, potest in alio esse posterius. Confirmatur, nam Pater in ratione originantis est prior Filio, & tamen in aliquo genere est posterior Filio; quia nisi Filius esset, Pater non esset. Quod autem talem habet connexionem in essendo cum alio, vt nisi illud sit, neque hoc esse possit, est aliqua ratione posterius illo: nam esse posterius aliquam importat dependentiam, aut saltem necessariam exigentiam illius, respectu cuius dicitur posterius.

58. Soluitur secundò, quo pacto æternus Parens gignat Filium voluntate complacentiæ. Ratio dubitandi est; quoniam actus complacentiæ, cùm sit actus voluntatis, supponit actum intellectus, per modùm obiecti actu existentis, circa quod versatur. Igitur nequit Pater æternus complacere sibi de generatione Filij, nisi voluntate cõsequente generationem; cùm generatio includat actũ intellectus quo proponitur & producitur obiectum ipsum cõplacentię, quo Pater sibi complacet de generatione Filij; atque adeo actus complacentię supponitur ad generationem. Soluitur autem hæc difficultas per assignatum principium. Quia licet generatio supponat actum complacentię de eadem generatione in ratione obiecti actu existentis, ac præsentis in eadem æternitate; in ratione tamen actus quasi eliciti à voluntate consequitur ad actum ipsum generatiuum. Et sic non repugnat, quo minùs se mutuo præsupponant sub diuerso genere ac ratione.

59. Soluitur tertiò, qua ratione æternus Parens in priori signo originis, quo præcedit Filium, non solùm cognoscat se ipsum, suamque essentiam, sed etiam Filium & Spiritum sanctum, quorum perfectâ notitia beatur, contra Scotum asserentem, in priori signo originis Patrem cognoscere tantùm se ipsum, suamque essentiam, eaque tantùm cognitione beari. Soluitur autem, quoniam Patrem præcedere prioritate ori- *Contra Scotum.*

ginis Filium, non est illum habere esse in aliquo signo, in quo eodem signo non habeat simul esse & Filius, ac proinde non posse Patrem in eo signo cognoscere Filium, vtpote nondum existentem. Sed Patrem prioritate originis præcedere Filium, est Patrem habere esse à se, Filium verò à Patre, cum omnimoda simultaneitate in essendo, atque adeo in cognoscendo. Vnde nullum est assignabile signum, in quo sit Pater, & nondum sit Filius: sed in quocunque signo est Pater, est etiam Filius, cum hoc tamen discrimine quòd Pater est à se, Filius verò à Patre, ac proinde nullum est assignabile signum, in quo Pater cognoscat se ipsum, & non cognoscat Filium actu existentem.

60. Quapropter falsa est illa propositio, quã Scotus assumit; *In priori originis Pater est, & nondum est Filius*: vt inde inferat, Patrem in eo priori cognoscere seipsum, suamque essentiã, non autem Filium nondum existentem. Etenim aliud est, Filium in priori originis non esse à se, sed à Patre, aliud non esse simpliciter: & quia intuitiua notitia terminatur ad esse rei simpliciter, etiamsi Filius in priori originis non sit à se, adhuc tamen, quia est simpliciter, cognoscitur intuitiuè à Patre; atque adeo nullum est signum in quo Pater intuetur se, & nõ intueatur Filium, & Spiritum sanctum. Dices. Pater priùs existit, quàm existat Filius: ergo non existit simul cum Filio. Resp. Pater priùs prioritate *à quo* existit, quàm Filius, concedo; prioritate *in quo*, nego. Cæterùm, quod est valde notandum, etsi nos ob imperfectum concipiendi modum concipiamus Patrem priùs existentem quàm Filium, & Spiritum sanctum; tamen hic modus cum imperfectionem importet, non est tribuendus Deo, qui res concipit iuxta naturalem exigentiam ipsarum.

61. Dico 2. Prioritas & posterioritas in actibus diuini intellectus, circa obiecta necessaria assignanda est iuxta prioritatem & posterioritatem ipsorum obiectorum. Prioritas verò & posterioritas in ijsdẽ, circa obiecta libera assignanda est iuxta ordinem diuinæ voluntatis, vt quę à diuina voluntate sunt priùs volita, sint etiam priùs ratione cognita: quæ autẽ sunt posteriùs volita, sint etiam posteriùs ratione cognita. Vtraque pars assertionis cõstat. Nam obiectum præcedit cognitionem, cognitio autem, quæ perfecto modo repræsentat obiectum, proponit illud iuxta ordinem, quo ad ipsam cognitionem præsupponitur. Atqui obiecta necessaria ad actum diuinæ cognitionis præsupponũtur cum ordine, quem habent ab ipsa natura. Contrà verò obiecta libera prę supponuntur cum ordine, quem sortiuntur à libera voluntate Dei. Ergo cum tali ordine repręsentantur ab actu diuinæ cognitionis, quæ obiectum repræsentat, & proponit perfectissimo modo.

62. Ex his deducitur primo scientiam, quã Deus habet de se ipso, esse virtualiter priorem scientiã, quam habet de creaturis: & scientiam, quã habet de creaturis, priorem esse eam, quæ versatur circa possibilia, quàm quæ versatur, circa futura conditionalia: & hanc ratione præcedere eam, quæ versatur circa futura absoluta. Quorum ratio est, quia scientia cõmensuratur obiecto; ergo iuxta prioritatem & posterioritatem obiectorum concipienda est prioritas, & posterioritas in ipsa scientia. Sicut igitur inter obiecta diuinæ sciẽtiæ Deus prȩcedit creaturas: inter creaturas autem, possibilia præcedunt conditionalia; conditionalia verò absolutè futura: ita scientia, quam Deus habet de se, est ratione prior scientia, quam habet de creaturis; quę versatur circa creaturas, scientia possibilium est prior, scientia conditionalium; & hæc prior, quàm scientia absolutè futurorum. Quin eadem scientia, quæ versatur circa vnum & idem obiectum, concipienda est prior, vt repræsentat illud secũdùm vnam perfectionem, quam secundùm aliam. Quo pacto scientia, quã Deus habet de seipso, vt terminata ad essentiam cõcipienda est prior, quàm vt terminata ad personas; & quæ terminatur ad creaturas, ea concipienda est prior, quę ad rationes priores, & vniuersaliores terminatur.

63. Deducitur secundò. Scientiam visionis supponere in Deo notitiam liberi decreti absoluti de re, cuius est scientia visionis; quẽadmodum & scientiam de effectu conditionato notitiam decreti conditionati de re, cuius est scientia conditionata: scientiam verò simplicis intelligentiæ nullam supponere notitiam decreti in Deo, nisi tantùm possibilis. Ratio primi est, quia scientia visionis est notitia obiecti existentis in aliqua differentia tẽporis. Quidquid autem in tempore existit, vi alicuius liberi decreti Dei existit. Ratio secundi est: nam eo modo, quo effectus creatus est futurus, supponere debet in causa, quæ ad sui futuritionem necessaria sunt, inter quæ est decretum conditionatum Dei; ergo illud supponi debet ante notitiam effectus sub conditione futuri. Ratio tertij est; quia scientia simplicis intelligentiæ versatur circa possibilia: possibilia autem in esse possibili non dependent ab aliquo decreto Dei, cùm ante omne decretum Dei habeant esse possibile vi solius omnipotentiæ diuinæ, præcedentis quodcunque decretum actuale. Igitur scientia simplicis intelligentiæ nullam supponit notitiam decreti diuini nisi tantùm possibilis.

64. Deducitur tertiò. Interdum notitiam vnius effectus futuri præsupponere notitiam alterius effectus futuri: vt cùm Deus ex existentia vnius rei mouetur ad decernendam existentiam alterius: vt cùm ex peccato finali impœnitẽtiæ prȩuiso decernit ȩternam damnationem peccatoris: & ex meritis finalibus præuisis decernit æternam gloriam iustis.

66. Dico 3. Prioritas & posterioritas in actibus diuinæ voluntatis circa obiecta necessaria sumenda est ex prioritate & posterioritate obiectorum; circa obiecta verò contingentia ex libera ordinatione ipsius voluntatis diuinæ circa talia obiecta. Prior pars assertionis patet: quoniam voluntas diuina ad obiecta

necessa-

necessaria fertur necessariò, non modò quoad specificationem, verùm etiam quoad exercitium, & secundùm omnem modum, quo obiecta ipsa natura sua postulant; nam hæc est propria perfectio voluntatis diuinæ, vt non possit aliter ad obiecta ferri, quã obiecta ipsa natura sua postulãt. Vnde sicut nõ potest diligere malum, & odisse bonum: ita nec primariò amare creaturas, secũdariò seipsum: vel inter creaturas ipsas possibiles, perfectiùs amare imperfectiores, imperfectiùs verò perfectiores; sed vnamquãque iuxta perfectionẽ, quã propria natura obiecti exigit: licet subiectiuè & ex parte actus omnes æqualiter diligat. Habet autem hanc perfectionem diuina voluntas ex eo, quòd est prima regula in operãdo, vt non possit nisi perfectissimum modum operandi habere. Hinc constat, Deum priùs diligere seipsum, suasque perfectiones, quàm creaturas, quia seipsum diligit vt obiectũ primarium, & causam creaturarũ; creaturas verò vt obiectum secundarium, & effectus suæ omnipotentiæ: Item priùs diligere creaturas, quæ sibi sunt proximiores, & quoad essentiales perfectiones similiores.

66. Posterior pars assertionis probatur: nã sicut obiecta cõtingentia quoad futuritionẽ, & mutuam ordinationem inter se pendent ex libera voluntate Dei: ita prioritas & posterioritas in actibus diuinæ voluntatis circa talia obiecta sumenda est ex libera ordinatione eiusdem volũtatis diuinæ; vt quæ sunt ordinata vt finis, sint priùs volita; quæ verò vt media, posteriùs; ac proinde idem actus diuinæ voluntatis, vt terminatus ad obiectum vt finẽ præconcipiendus est virtualiter prior seipso, vt terminato ad aliud vt medium. Intelligendum est autẽ hoc de actu terminato ad finem, & ad media propter eumdem finem, non autem de actu terminato ad vnum vt finem, & ad aliud vt medium propter alium finẽ. Nam tota prioritas & posterioritas in actibus diuinis sumenda est penes obiecta, cùm in se nullam habeant prioritatem & posterioritatem, sed potiùs sit vnus & idem indiuisibilis actus. Obiecta autem nullam habent prioritatem & posterioritatem inter se, nisi certo ordine ad inuicem comparentur vi libertatis diuinæ; intendentis vnum vt finem, aliud verò vt medium propter eumdem finem.

67. Ex his deducitur, Intentionem esse in Deo virtualiter priorem electione; quia illa est circa finem, hæc circa media. Finis autem præcedit media, cùm sit ratio eligendi media. Cæterùm hoc intelligendum est, quando finis intenditur independenter ab aliquo medio determinato: nam tunc voluntas finis adæquatè præcedit voluntatem mediorum; cùm nullam dependentiam dicat ab hoc vel illo medio in particulari, sed tantùm ab aliquo in communi; vnde semper manet eadem voluntas finis, quocunque medio electo. At verò, quando finis intenditur dependenter ab aliquo determinato medio, absque quo finis ipse non intenderetur, tunc voluntas finis non est simpliciter & adæquatè prior voluntate medij, sed solùm secundũ quid, & inadæquatè: quia licet sit prior in ratione causæ finalis, est tamen posterior in aliquo alio genere causæ. Vt voluntas, quâ Deus voluit Christum, vt caput & finem omnium prædestinatorum, fuit secũdùm probabiliorem opinionem dependens à remedio peccati originalis, sine quo Christus non fuisset incarnatus: ac proinde talis voluntas eligendi Christum in caput prædestinatorum non fuit simpliciter, & adæquatè prior voluntate eligendi eumdem in remedium peccati, sed tantùm secundùm quid, & in vno dumtaxat genere, nempe in ratione finis, dependentis à remedio peccati in ratione medij; quia si hoc futurum non fuisset, nec Christus electus fuisset.

68. Vnde vlteriùs sequitur, tale decretum in Deo non esse duplex, alterum ad finem, alterum ad medium; sed vnum adæquatè terminatum ad finem dependenter à medio, & ad medium dependenter à fine. Quo fit, vt non possit mutari circa vnum, quin mutetur circa alterum, quoniam ad vtrumque terminatur indiuisibiliter per mutuam connexionem vtriusque. Contrà verò, quando finis intenditur independenter ab aliquo determinato medio, decretum est duplex: nam tunc, integra manente voluntate finis, variari potest volũtas mediorum particularium. Vt secundùm opinionem Scoti manere potuisset voluntas de Incarnatione Christi simpliciter, esto futurum non fuisset peccatum: quoniam in eius opinione Christus fuit electus independenter à remedio peccati. Vnde etiã peccato non futuro, futurus fuisset Christus saltem in carne impassibili. Quare in hac opinione voluntas eligendi Christum est adæquatè prior voluntate redemptionis, sicut & distinctum decretum ab ipso decreto redemptionis, quia vnum separari potuisset ab alio, integro manente principali decreto de fine.

69. Dico 4. impossibilis est libera ordinatio mediorum ad finem, absque aliqua physica mutatione in rebus ipsis ordinatis. Assertio constat ex fundamento quartæ sententiæ. Nam rem vnam liberè ordinari ad aliam, est realis aliqua denominatio, de nouo aduenientis rei, quæ ordinatur: ergo prouenire debet ab aliqua noua forma reali; hæc autem esse non potest actus ipse liber diuinæ voluntatis, quia hic non est liber formaliter antecedenter ad physicam mutationem creaturæ, sed fit formaliter liber per ipsam physicam mutationem creaturæ, tanquam per essentiale connotatum. Hoc autem contra tertiam sententiam vt certo posito, difficultas insurgit, quænam mutatio sit necessaria, vt vna res à Deo liberè ordinetur ad aliam, ad quam non est suaptè natura ordinata.

*Arrubal.*

70. Arrubal 1. p. disp. 58. cap. 4. id effici putat peculiari actione, quæ ex indiuidua sua differentia sit ad talem finem intrinsecè ordinata. Quæ peculiaris actio est adæquatũ fundamentum denominationis, qua vna res dicitur esse propter aliam. Cùm igitur vult Deus ordinare aliquod medium ad finem, ad quem

non

non est suapte natura ordinatum, efficit illud peculiari actione, distincta ab ea, qua illud effeciſſet, ſi ad talem finem non ordinaſſet; ratione cuius peculiaris actionis tale mediū intrinsecè respicit talem finem, ad quem dicitur liberè à Deo ordinari. Fundamentum ipsius est, quoniam ordinatio vnius rei in aliam, aut debet conuenire rei ab extrinseca voluntate ordinantis, aut ab intrinseca forma respiciēte rem ipsam, in quam ordinatur: nequit autem hoc cōuenire rei ab extrinseca voluntate Dei liberè ordinantis; quia libera volitio Dei per se spectata non habet intrinsecū ordinem ad finē creatum, vt per extrinsecam denominationem possit talem ordinem rebus impertiri. Ergo si neque res habet à propria essentia, vti habet terra intrinsecum ordinem ad centrum mundi, habere illum debet ab aliqua forma superaddita: quæ alia esse non potest, quàm peculiaris actio, qua talis res intrinsecè ordinetur ad aliam, tanquam ad finem accidentalem & extrinsecum.

*Vasquez.* 71. Vasquez 1. p. disp. 82. cap. 6. id effici censet per naturalem proportionem rerum, qua inuicem comparantur. Vt quia opus iusti in gratia factum proportionem condignitatis habet cum gloria, si ei gloria datur, dari dicitur intuitu talis operis, quod suapte natura proportionem habet cum gloria. Item quòd quis oratione, aut alio pio opere sibi, vel alteri peculiarem gratiam impetret, proportionē congruitatis habet cum tali gratia, quam sibi vel alteri impetrat. Et propterea dicitur Deus talem gratiam conferre intuitu talis operis; sine qua proportione dici non posset Deū gratiam, vel gloriam cōferre intuitu taliū operū.

*Arrubal. Vasquez.* 72. Ego verò nec priorem modum Arrubalis necessarium, nec posteriorem Vasquez adæquatum existimo. Primum constabit ex dicendis. Secundum probo. Tum quia sæpe Deus operatur vnum propter aliud, etiamsi nulla sit vnius ad aliud proportio, aut naturalis connexio; vt 4. Reg. 13. *Si percussisses*, inquit propheta Eliseus, Ioam regi Israel, *quinquies, aut sexies, siue septies, percussisses Syriam vsque ad consummationem.* Cùm tamen nulla sit naturalis proportio, aut cōnexio inter percussionem terræ & consummationem Syriæ, quam Propheta regi prædixerat, si quinquies, aut sexties, vel septies iaculo terram percussisset. Tum quia, stante eadem proportione naturali vnius ad aliud, potest Deus vnum nō operari propter aliud. Vt stante naturali proportione operis iusti in gratia facti, posset Deus gloriam conferre iusto, & non intuitu talis operis; quod inde patet, quia etiamsi tale opus non præcessisset, adhuc Deus potuisset eamdem gloriam conferre iusto. Cùm autem Deus vnam rem operatur independenter ab alia, quia nimirum etiam illa non existente, adhuc operaturus esset aliam, non dicitur operari vnum intuitu alterius. Quia vnum operari intuitu alterius, importat aliquam dependentiam & causalitatem vnius ab alio.

*4. Reg. 13.*

73. Quare dicendum est, hanc mutationem fieri in rebus ordinandis, vel per dependentiā in esse vnius ab alio, vel per peculiarē modū, quo res ordinanda à Deo producitur. Priori modo mutationis vtitur Deus, cùm vnū operatur dependenter ab altero, vt vastationē Syriæ dependenter à quinta percussione terræ. In quo casu Syriæ vastatio pendet à quinta percussione terræ; quia ea existente extitisset Syriæ vastatio: & è contra, ea non existente, non extitit Syriæ vastatio. Atque hæc mutatio satis est, vt vna res dicatur ordinari ad aliā, ad quā nō est suapte natura ordinata. Etenim hoc ipso quòd Syriæ vastatio connotat quintam percussionem terræ, tāquam conditionē, sine qua ipsa futura non esset, ex ordinatione diuina, pendet ab illa, ac proinde quinta terræ percussio dicitur extrinseco actu libero Dei ordinata ad Syriæ vastationem. Confirmatur, quia frustra ponitur huiusmodi actio peculiaris, intrinsecè ordinans vnū ad aliud: cùm omni intrinseco ordine præciso, ex sola volūtate Dei liberè producente vnum dependenter ab alio, fit vnum dependēs ab alio, ac proinde ordinatum ad aliud. Posteriore modo vtitur Deus, quando permittit, vel operatur aliquid, vt inde occasionem sumat operandi aliud, vt permisit venditionē Ioseph, vt ex ea occasionem sumeret exaltandi illum: imò etiā cooperatus est cum Ægyptijs ad emendū illū, vt postea exaltaret illū supra totam Ægyptū.

74. Ex dictis ferri potest iudicium de reliquis opinionibus. Nam prima Caietani, etsi verificari possit respectu scientiæ simplicis intelligentię, quæ ad obiecta tendit iuxta ordinem & connexionem, quam res ipsæ seruant inter se; ea tamen de scientia visionis verificari nequaquam potest: nam hæc ad obiecta fertur iuxta ordinem & dependentiam, quam sortiuntur ex diuina voluntate: quę res exequendas ordinare potest prout vult. Potuit enim velle Incarnationem Verbi, vt finem independenter à quocunque determinato medio, homines verò dependenter ab hoc fine, tam secundùm esse naturæ, quàm secundùm esse gratiæ & gloriæ, & consequenter potuit scientia visionis, quæ ad obiecta fertur secundùm ordinem, quem sortiuntur ex libera ordinatione Dei, priùs ratione exprimere ordinem vnionis hypostaticę, quàm naturæ aut gratiæ. Vnde respectu huius scientiæ falsum est Caietani fundamentum. *Caietanus*

*Caietanus Scotus.*

75. Secvnda opinio Scoti falsum supponit fundamentum, nempe quòd Deus necessariò debeat prius eligere quæ sunt fini suapte natura propinquiora, ac nobiliora. Nam potest Deus pro sua innata libertate priùs, hoc est independentiùs eligere quæ natura sua sunt ignobiliora, & à fine remotiora, vt ex disputandis de Incarnatione suppono.

76. Tertia sententia in eo tantùm deficit, quòd asserat, posse diuinam voluntatem rem vnam ordinare ad aliam, ad quam non est suapte natura ordinata, per liberam dumtaxat ordinationem Dei, absque vlla intrinseca mutatione rei ordinandæ. Vnde falsum est fundamentum, quod ad id probandum assumit, nempe quia id potest voluntas creata;

quoniam

quoniam voluntas creata id potest mutatione sui actus: increata verò voluntas, cùm sit immutabilis, nequit hoc præstare per mutationem sui actus; ergo per mutationem obiecti.

77. QVARTA sententia est planè nostra. Atque hæc de signis prioritatis & posterioritatis in communi; plura in materijs proprijs.

# DISPVTATIO XXIII.

## De Potentia productiua Diuinarum Personarum.

### SECTIO PRIMA.

*An in Diuinis personis sit potentia productiua notionalis realis.*

*Aureolus.*

1. PRIMA sententia negat. Est Aureoli in 1. dist. 7. p. 1. ar. 2. quod multis probat. Summa probationis est. Vbi nulla est productio elicita, nullum est principium productiuum: in diuinis nulla est productio elicita: igitur nullum principium productiuum. Maior liquet, quia vbi nulla est productio elicita, nulla est distinctio productionis & producentis: vbi nulla est distinctio productionis & producentis, nullum potest esse principium producens, cùm inter productionē & productū intercedere oporteat distinctio. Minor primi syllogismi probatur; nam in diuinis duę tantùm sunt productiones, generare, & spirare: at nulla ex his est elicita, sed vtraque identificata cum principio ipso generante, & spirante. Confirmatur, quia Pater non habet potentiam realem, vt sit Pater; alioqui haberet potentiam realèm ad seipsum producendum: ergo nec habet potentiam realem ad gignendum Filium. Consequentia probatur, nam ideo Pater est Pater, quia Filium gignit: ergo si haberet potentiam ad gignendum Filium, haberet potentiam ad esse Patrem.

*S. Thomas. Syluius. Magister. Scholastici*

2. SECVNDA sententia affirmat. Est S. Thomæ 1. p. q. 41. art. 4. Syluij ibid. & communis Scholasticorum cum Magistro in 1. dist. 7. quæ adeo vera est, vt nequeat sine maxima temeritate negari. Fundamentum est. In Deo est realis productio, à producente realiter distincta; ergo est realis potentia productiua. Antecedens constat ex disputatis de processionibus in communi. Consequentia verò patet, quia vbi est productio à producente realiter distincta, est realis potentia: si igitur in Deo est realis productio à producente distincta, erit realis potentia productiua. Non igitur potentia productiua in Deo dicit solam non repugnantiam, & actualem connexionem terminorum, vt Aureolus autumat, sed veram & realem rationem principij.

3. DICES. Potentia dicitur respectu termini possibilis. Atqui in Deo nihil est possibile. Igitur in Deo non est potentia realis. Minor patet, nam quidquid in Deo est, actu est, vtpote ens necessariū & à se. Maior probatur, nam potentia productiua origine præexistit termino producendo: ergo concipi, & esse potest sine termino actu existente. Respondeo cum distinctione minoris: in Deo nihil est possibile, prout possibile dicit contingens, concedo, prout possibile continetur sub necessariò producto, nego. Ita S. Thomas loco præcitato ad 2. Ad probationem distinguo antecedens: quidquid in Deo est, actu est, prout actu esse excludit potentiam passiuam, & temporis durationem, concedo; prout actu esse excludit potentiam actiuam, & prioritatem originis, nego: quia hoc non repugnat actui puro. Nego autem, potentiam actiuam in Deo concipi, aut esse posse sine termino actu existente; quia licet terminus originetur à potentia, quoniam tamen originatur necessariò, & essentialiter, nequit intelligi potentia productiua in Deo, quin simul intelligatur actu producens, atque adeo cum termino actu originato. Neque enim implicat, aliquid esse prius origine, & tamen concipi non posse absque termino à se originato; quando actu originare est de essentia principij originantis, vti est respectu potentię productiuæ notionalis diuinę. Neque esse prius origine aliud importat, quàm esse id, à quo est originatum: quod stare potest cum simultaneitate conceptionis originantis cum ipso originato.

*S. Thomas*

4. Ad fundamentum oppositæ sententiæ distinguo minorem: in Deo nulla est productio elicita actiua, concedo; nulla est productio elicita passiua, seu quasi passiua, nego. Atque hæc sufficit ad potentiam productiuam realem, vt per se patet. Ad probationem concedo minorem, de generare & spirare actiuo; nego autem de generare & spirare passiuo, respectu cuius tantùm ponitur potentia productiua in Deo. Ad confirmationem nego consequentiam. Ad cuius probationem distinguo antecedens: ideo Pater est

Pater

Pater finaliter, vt Filium gignat, concedo: ideo est Pater causaliter, seu originaliter, nego; Pater enim non habet esse Patris media generatione Filij; licet sit Pater, vt Filium gignat.

## SECTIO II.

### *An potentia productiua notionalis formaliter importet essentiam, an relationem, an vtramque simul?*

5. HÆc est omnium, me iudice, maxima, quæ circa hoc altissimum mysterium agitatur, difficultas: nam ex decisione huius maxima ex parte pendet perfecta intelligentia huius mysterij.

6. PRIMA sententia docet, solam essentiam esse proximum & immediatum principium productiuum; relationem verò solùm requiri vt conditionem, sine qua non ad hoc, vt potentia distinguatur à termino producendo. *Magister. S. Thomas. Caietanus. Ægidius. Scotus. Capreolus. Bassolus. Argentinas. Gabriel. Palatius. Ferrariensis Bannez. Syluius. Zumel. Molina. Vasquez. Torres. Suarez.* Est Magistri in 1. dist. 7. litera F, S. Tho. 1. p. qu. 41. art. 5. Caietani ibid. Ægidij in 1. dist. 7. art. 1. qu. 2. Scoti q. 1. §. *Loquendo*, Capreoli q. 1. art. 1. concl. 2. Bassoli qu. 1. art. 3. Argent. ar. 1. Gabrielis q. 1. & 2. Palatij disp. vnica, Ferrariensis 4. contra gentes cap. 17. §. *Considerandum etiam*, Bannez 1. p. qu. 41. ar. 5. Syluij, Zumel, Molinæ ibid. Vasquez disp. 164. cap. 3. Suar. lib. 6. de Trinit. cap. 5. Torres 1. p. q. 41. art. 5. & aliorum.

7. Probatur 1. Hæc sententia authoritate Patrum communiter affirmantium, generationem in diuinis esse opus naturæ: item Filiũ & Spiritum sanctum procedere de substantia ipsa producentis. Speciatim verò *Anselmus.* Anselmus in monologio c. 52. vbi loquens de processione Spiritus sancti: *Non ex eo* inquit, *procedit, in quo plures sunt Pater & Filius, sed ex eo, in quo vnũ sunt. Nam nõ ex relationibus suis, quæ plures sunt, sed ex ipsa sua essentia, quæ pluralitatem non admittit, emittunt Pater & Filius tantùm pariter bonum.* Quin etiam oppositam sententiam idem Auctor in epist. de processione Spiritus sancti c. 10. notat his verbis. *Nisi fortè quis dicat, Spiritum sanctum non procedere de Deitate Patris, sed de paternitate; nec per Deitatem Filij, sed per filiationem, quæ opinio sua se patenti fatuitate suffocat.* Hæc Anselmus.

8. Probatur secundò. Authoritate Concilij Florentini sess. 18. & 19. vbi Ioannes Theologus agens partes Latinorum expressè docet, *Conc. Flor. Ioannes Theologus.* principium quo persona in diuinis producit, esse naturam: *Principium*, inquit, *quo persona generat est id, quod solùm est communicabile.* Atqui sola natura in diuinis est communicabilis. Igitur sola natura in diuinis est principium *Quo* generationis. Id ipsum confirmat exemplo generationis humanæ: cuius sicut principium *Quo*, est humanitas, principium verò *Quod* est homo: ita in generatione diuina principium *Quo* est Deitas, principium verò *Quod* est ipsum suppositum Patris; eò quòd actiones tribuantur supposito.

9. Tertiò probat eandem sententiã S. Thomas ratione, qua reliqui ferè Theologi vtuntur. Illa est potentia agendi in quolibet agente, in qua agens sibi assimilat productum: sed in diuinis persona producens sibi assimilat personam productam in sola natura: igitur potentia producendi in diuinis est sola natura. Minor constat: nam in persona producta sunt duo; natura & personalitas: atqui persona producta non procedit similis producenti in personalitate, cùm in ea potiùs procedat dissimilis & opposita principio producenti; ergo in sola natura. Maior probatur, nam omne agens agendo intendit assimilare sibi productum in forma, qua agit, vt inductione constat in omnibus agentibus. Homo enim gignendo assimilat sibi genitum in natura humana, cuius virtute homo fit potens ad gignendum; non autem in perfectione indiuiduali, quę est tantùm conditio ad gignendum. *S. Thomas*

10. Quartò probat Scotus. Si Deus produceret Deum natura distinctum, produceret illum per Deitatem, tanquam per rationem proximam producendi, non autem per proprietatem aliquam relatiuam: ergo neque nunc producit illum per proprietatem aliquam relatiuam, tanquam per potentiam proximè productiuam, sed per ipsam Deitatem. Consequentia probatur, quia nunc producit Deum cõmunicando illi eandem numero naturam: tunc verò produceret Deum, communicando illi diuersam numero naturã. At minus est communicare eandem, quàm diuersam numero naturam. Igitur, si tunc principium proximum producendi *Quo* esset Deitas, à fortiori etiam nunc principium proximum producendi *Quo* erit eadem Deitas. *Scotus.*

11. SECVNDA sententia affirmat, naturam simul & relationem esse proximum principium productiuum in diuinis: ita vt relatio non se habeat tantùm vt conditio, sed vt formalis ratio integrans proximum principium producendi. Est Alensis 1. p. q. 42. membr. 3. artic. 1. ad 7. & art. 2. in fine, Henrici in summa quodlib. 3. qu. 3. & in summa ar. 54. q. 6. ad 8. & artic. 59. qu. 2. §. *De potentia*, qui tamen putat, principaliùs ad producendum concurrere relationem, quàm essentiam. Est etiam Richardi in 1. dist. 7. q. 1. Bacconi dist. 5. ar. 4. & 5. Valentię 1. p. qu. 15. puncto. 2. Arrubalis disp. 143. c. 3. Zunigæ disp. 16. dub. 6. memb. 3. Philippi Gamachęi, Et videtur etiam Didaci Ruiz disp. 100. sec. 5. Fundamentum est, quia potẽtia productiua duo essentialiter importat, & realem distinctionem à termino, & virtutem assimilatiuam termini. Atqui potentia productiua notionalis in Deo importat distinctionem à termino per proprietatem relatiuam; virtutem verò assimilatiuam termini per ipsam essentiam: igitur vtramque essentialiter includit ex æquo. *Alensis. Henriq. Richardus. Bacconus. Valentia. Arrubal. Zuniga. Gamachæus Ruiz.*

12. TER-

12. TERTIA sententia asserit, formalem & proximam rationem producendi esse solam relationem. Est Bonauenturę in 1. dist. 7. art. 1. q. 1. Durandi q. 2. num. 29. Rubionis q. 2. art. 2. concluſ. 2. Aliacensis q. 7. art. 2. concluſ. 2. & 3. Ariminensis q. vnica, art. 2. Carthusiani quæst. 1. prope finem. Quæ sententia vel ex eo mihi maximè probatur, quod aptior sit, ad hoc mysterium, de se alioqui difficillimum, explicandum. Pro cuius declaratione,

*Bonauent. Durandus Rubio. Aliacensis. Ariminens. Carthusianus.*

13. Nota, duplex distingui principium, alterum *Quo*, alterum *Quod*. Principium *Quo* est illud, quo producens influit in productum, & à quo totum suppositum denominatur producens. Principium verò *Quod* est illud, quod complet principium formale *Quo*, siue per rationem aliquam productiuam, siue per conditionem sine qua non, vt principium *Quo* producendi in supposito creato est natura: principium verò *Quod* est suppositum ipsum, quod complet naturam non vt ratio formalis producendi, sed vt pura conditio, sine qua natura ipsa non produceret. Omnes conueniunt, principium producendi *Quod* in diuinis realiter distingui à termino producto. Controuersia sola inter eos est de principio producendi *Quo*: nam qui docent potentiam productiuam notionalem formaliter constitui sola essentia, consequenter affirmant, principium producendi *Quo* non distingui realiter à termino producto, sed identificari tam cum termino producto, quàm cum principio ipso producendi *Quod*. Hoc adnotato,

14. DICO 1. Implicat essentiam vel vllam rationem absolutam in diuinis esse principium producendi *Quo*. Fundamentum est, quia principium producendi *Quo* debet realiter influere in terminum ipsum productum. Implicat autem vnum realiter influere in aliud, & non realiter distingui ab illo. Igitur implicat, essentiam vel vllam rationem absolutam in diuinis esse principium producendi *Quo*. Consequentia liquet, quia in diuinis nulla ratio absoluta ex natura rei distinguitur à persona producta. Maior patet ex notabili posito, & admittitur ab omnibus. Cuius ratio est, quia in tantum principium *Quo* dicitur principium reale, in quantum realiter influit in aliud; non enim potest dici principium reale denominatiuè ab alio, sicut principium *Quod*, dicitur principium reale ab ipso principio *Quo*, quia principium *Quo*, non supponit aliud principium realiter influens, à quo ipsum posset denominari realiter influens. Minor est Aristotelis 5. Ethic. c. 8. *Non enim*, inquit, *principium est, si vnum solùm est: principium enim cuiusdam aut aliquorum est.* Et ratio est euidens, quia nequit terminus realiter egredi à principio, & simul identificari cum illo, cùm vnum destruat alterum. Nam quatenus realiter egreditur à principio, necessariò distinguitur ab illo; cùm nequeat idem realiter egredi, & produci à seipso: quatenus verò identificatur cum principio nõ egreditur realiter ab illo; atque adeo non producitur realiter ab illo; quia principiũ reale constituitur formaliter per productionem realem: productio autem realis esse non potest, quę realem distinctionem à principio, cuius est realis productio, non importat.

*Aristoteles.*

15. Resp. aduersarij, ad realẽ productionem, atque adeo ad reale principium producendi sufficere, si tantùm principium *Quod* realiter distinguatur à producto. Nã vbi productio est infinita, & adæquata termino producendo, identificat productum producenti in omni eo, in quo illi non opponitur formaliter. Sed contrà, nam præcisa & formalis ratio, cur principium *Quod* distingui debeat à producto non est alia, nisi quia debet realiter influere in ipsum productum: atqui principium *Quod* realiter influit in productum per ipsum principium *Quo*. Igitur si propter hanc rationem debet principium *Quod* realiter distingui à producto, à fortiori debet & ipsum principium *Quo*, realiter distingui à producto. Maior patet. Minor est ipsa aduersariorum sententia, qui, dum negant relationes diuinas realiter influere, consequenter affirmant, rationem producendi formaliter consistere in sola essentia absoluta. Nec refert, quòd productio sit infinita, quia non debet tollere id, quod est essentiale productioni: est autem essentiale productioni, vt distinguatur realiter à principio producente, siue illud sit principium *Quo*, siue *Quod*. Nam sicut principium *Quo* non abstrahit à ratione principij realis; ita nec à reali distinctione productionis, per quam formaliter constituitur omne principium productiuum reale.

16. Confirmatur, quia vel principium *Quo* distinguitur à termino producto, vel non: si distinguitur, habetur intentum; si non distinguitur, destruitur ratio ipsa principij realis, quia vbi non est distinctio realis inter producens & productum, non potest esse aut cõcipi ratio principij realis. Implicat igitur, essentiam in diuinis, aut vllam rationem absolutam esse principium productiuum *Quo*.

17. Probatur nostra assertio secundò. Si essentia esset principium *Quo* producendi diuinas personas, valeret hæc propositio, *Essentia diuina producit*: atqui hæc damnata est in Concilio Lateranensi: ergo. Sequelam maioris probo, tum à pari: nam quia Deus creat ratione essentiæ, valet hæc, *Essentia Diuina creat*: ergo si Pater generat ratione essentiæ, valeret hæc alia, *Essentia Patris generat*. Tum à priori sic: De illo principio prædicari potest actus, à quo reipsa actus fluit: sed ab essentia Patris fluit passiua generatio Filij: igitur de illa prædicari poterit passiua generatio Filij. Respondent Aduersarij, ideo de essentia non posse prædicari actum notionalem, quia denotaretur distinctio inter essentiam, & terminũ ipsum productum: atque in hoc tantùm sensu prædicta propositio damnatur.

*Concilium Lateranẽse.*

18. Sed contrà, tum quia in eo sensu damnatur hæc propositio, *Essentia generat*, quo

damnatur hæc alia, *Essentia generatur*: atqui hæc, *Essentia generatur* non solùm damnatur, quia per eam denotatur distinctio inter essentiam generatam, & generantem; sed etiam quia per eam essentia importatur, vt terminus generationis: ergo similiter damnatur & illa, non solùm quia per eam denotatur distinctio inter essentiam, & terminum productum; sed etiam quia importatur essentia, vt principium producendi. Tum quia ideo formaliter per eam importatur distinctio essentiæ à termino producto, quia importatur essentia, vt principium producendi; cùm nequeat concipi principium sine reali distinctione eius, cuius est principium: ergo si prædicta propositio damnatur propter distinctionem, quam formaliter importat, à termino producto, à fortiori damnatur, quia importatur, vt principium productionis, quod est sola ratio distinctionis. Vnde neque per accidens conuenit essentiæ diuinę generare, vel generari; quia neque per accidens essentia, quæ est in Patre, distinguitur ab essentia, quæ est in Filio.

19. Confir. Si essentia diuina esset principium *Quo* realiter influens in personas, Verbum procedens ab essentia esset vera & propria imago ipsius. Consequens est contra omnes Scholasticos, asserentes, Verbum esse solius Patris imaginem. Sequelam probo, quoniam ad veram rationem imaginis duo tantùm ex Augustino Theologi requirunt, similitudinem, & passiuam originem. Defectu primi nullus effectus æquiuocus est imago sui principij, defectu secundi nullum principium est imago sui termini, etiam si sit illi simillimum; quia licet actiuè originet illum, non autem passiuè originatur ab illo. Atqui Verbum diuinum est simillimum essentiæ, cùm sit per identitatem vnum cum illa, & passiuè originatur ab illa, igitur est vera & propria imago illius.

*Contra Scholasticos Augustin.*

20. Tertiò. Probatur assertio. Si essentia diuina realiter influeret in personas productas, fundaret realem respectum relationis ad illas: atqui essentia non fundat realem respectum relationis ad personas productas: ergo non influit realiter in illas. Sequelam maioris probo. Nam omne principium influens realiter esse in aliud, fundat realem respectum ad illud: ideo enim Pater fundat realem respectum ad Filium, quia influit realiter esse in illum: ideo Pater & Filius fundant realem respectum ad Spiritum sanctũ, quia influunt realiter esse in illum. Ergo si essentia influit realiter esse in personas productas fundabit realem respectum ad illas. Nec dici potest huiusmodi respectum non fundare defectu realis distinctionis. Nam hoc ipsum probat argumentum: cùm non possit realiter influere, nisi in realiter distinctum. Imò ipse realis influxus realiter distinguit principium à termino, cùm non possit realis influxus esse ad seipsum.

21. Ex dictis deducitur; essentiam diuinã, aut vllam rationem absolutam ne quidem esse posse partialem rationem producendi. Nam quâ ratione illa realiter influeret in terminũ, deberet realiter ab illo distingui; cùm nequeat realiter influere in terminum, & esse idem realiter ac formaliter cum illo, alioqui quâ ratione realiter influeret in terminum, & esset idem realiter & formaliter cũ illo, per eandem rationem produceret seipsum: quod est cõtra primum principium lumine naturæ notum.

22. Dico 2. Sola proprietas relatiua in diuinis est formalis ratio producendi terminum à se distinctum, non sub expresso conceptu hypostasis, aut relationis respicientis terminum productum, sed sub ratione proprietatis constituentis suppositum proximè fœcundum ad producendum. Explico. Relatio diuina non solùm habet formalitatem puræ relationis respicientis terminum productum, quo pacto assimilatur relationi prædicamentali; nec non constituentis suppositum per se subsistens, & incommunicabile alteri suppositio sub quâ ratione respondet subsistentiæ & personalitati creatæ; sed etiam habet perfectionem virtutis & potentiæ constituentis suppositum proximè fœcundum ad producendum alterum suppositum intra se: quomodo assimilatur relationi transcendentali. Relatio igitur diuina est formalis ratio producendi, non vt respondet relationi prædicamentali, aut subsistentiæ creatæ, sed vt respondet virtuti & potentiæ productiuæ cum transcendentali ordine ad terminum producendum.

23. Assertio sic explicata probatur primò authoritate tum Athanasij, qui in primo dialogo de Trinitate, quærens discrimen, quo pater gignat & condat: respondet, *Hypostasi gignit, & mandato condit*: tum Ambrosij 4. de fide ad Gratianum, cap. 4. *Generatio*, inquit, *Paternæ proprietatis est, non potentiæ*. Secundò ratione hoc pacto. Nequit principium reale saluari absque distinctione reali eius, cuius est principium. Sola autem proprietas relatiua distinguitur realiter à termino producto in diuinis: ergo sola proprietas relatiua erit principium reale diuinarum processionum. Quòd autem illa non sit formalis ratio producendi, quatenus prædicamentaliter respicit terminum productum, sed quatenus transcendentaliter ordinatur ad terminum producendum, patet: nam quatenus prædicamentaliter respicit terminum productum, ratione subsequitur productionem, cùm tamen vt principium debeat ratione præcedere illam.

*Athanasius.* *Ambrosius.*

24. Confirmatur. Si ratio absoluta, & non respectiua esset potentia productiua ad intra, non esset necessaria spiratio actiua in Patre & Filio ad producendum Spiritum sanctum. Consequens est falsum, & contra Concilia & Patres: ergo. Sequelam probo, nam si ratio absoluta esset productiua Spiritus sancti, ea sola paternitate & filiatione terminata constitueret sufficiens principium productiuum Spiritus sancti. Igitur necessaria non esset spiratio actiua. Nam eatenus hæc

*Contra Concilia & Patres.*

necessaria

necessaria est, quatenus constituere debet proximam potentiam productiuam Spiritus sancti: ergo si ea sufficienter constituitur per rationem absolutam, sola paternitate & filiatione terminatam, non esset necessaria spiratio actiua. Nam duo requiruntur ad potentiam proximè productiuam, ratio ipsa producendi, & realis distinctio inter ipsam & terminum producendum, hæc duo haberentur per rationem absolutam, tanquam per rationem producendi, & per paternitatem & filiationem, tanquam per rationes distinguendi; ergo.

25. *Obijcies* 1. Si sola relatio in diuinis produceret, non saluaretur primò, quòd Filius generaretur intellectu, Spiritus sanctus spiraretur voluntate, cùm ille immediatè procederet à paternitate, hic à spiratione actiua. Non saluaretur secundò, quòd Filius vi originis procederet vt Verbum, Spiritus verò sanctus vt Amor. Quia procedere vi originis vt Verbum, est procedere vt immediatũ terminum intellectionis: procedere verò vi originis vt Amorem, est procedere vt immediatum terminũ volitionis. Sed tam Filius, quàm Spiritus sanctus procedit vt immediatus terminus solius proprietatis relatiuæ ergo nec ille procedit vt Verbum, nec iste vt Amor. Tertiò non saluaretur discrimen generationis vnius, & processionis alterius, quia hoc desumitur ex diuerso modo procedendi intellectus & voluntatis.

26. Resp. negando omnes sequelas. Nam licet Filius producatur à Patre ratione solius paternitatis, & Spiritus sanctus à Spiratore ratione solius spirationis actiuæ, adhuc tamen & Filius procedit ab intellectu, & Spiritus sanctus à voluntate via communicationis; ratione cuius Filius dicitur gigni intellectu vt Verbum & genitum Patris, & Spiritus sanctus spirari volũtate vt Amor, & donũ vtriusque. Ratio huius est, quia in quolibet principio, & præcipuè diuino, nõ solùm attendi debet ratio productiua, sed etiam ratio communicatiua, quæ simul cum productiua constituit vnum principium adæquatũ. Quare principium generatiuum non solùm dicit principium productiuum suppositi, sed etiam communicatiuũ naturæ, vel specificæ, vt in creatis, vel numericæ, vt in diuinis. Est autẽ principium generatiuum in diuinis immediatè communicatiuum naturę per intellectionem, vi cuius terminus productus accipit eandem similitudinem, tam naturalem, quàm intentionalem principij generantis. Similiter principium spiratiuum non appellat solùm principium productiuum, sed etiam communicatiuum, quod est ipsum volitiuum; vi cuius terminus spiratus accipit eandem naturam principij spirantis, & simul vitalem inclinationem ad obiectum volibile. Paternitas enim, ex eo quòd est prima hypostasis naturæ diuinæ, immediatè modificat ipsum intelligere diuinũ, quod est prima operatio naturę intellectualis; ac proinde producendo hypostasim Verbi, vi talis productionis per se illi communicat naturam diuinam vt formaliter intelligentem. Similiter spiratio actiua, ex eo quòd est secũda proprietas naturæ diuinæ, immediatè modificat velle diuinum, quod est secunda operatio naturę intellectualis, atque adeo producendo hypostasim Spiritus sancti, vi talis productionis per se illi communicat naturam diuinam, vt formaliter volentem: nam id tantùm communicatur vi originis personæ productæ, quod immediatè modificatur ab ipsa relatione personæ producentis: atqui à paternitate immediatè modificatur solùm intelligere, à spiratione verò actiua solùm velle: igitur hi tantùm actus immediatè communicantur vi formalis originis

27. Atque ex his patet ad singulas probationes. Nam procedere à paternitate, & spiratione non tollit, quin simul per se Filius, & Spiritus sanctus procedant ab intellectu & voluntate, tanquam à proximo principio communicatiuo, atque adeo ille vt Verbum, iste vt Amor, & nexus vtriusque. Eodemque modo assignatur discrimen generationis vnius, & processionis alterius, quod potissimum spectatur penes diuersum principium communicatiuum, vt constat ex disputatis de generatione Verbi.

28. *Obijcies* 2. Si sola proprietas relatiua esset ratio producendi, non saluaretur æqualitas diuinarum personarum. Sequela probatur, tum quia relatio producens est perfectior relatione non producente. Vnde Pater & Filius essent perfectiores Spiritu sancto, qui constituitur relatione non productiua. Tum quia relatio producens debet continere relationem producendam: sed non potest continere illam formaliter, ergo eminenter: igitur relatio producens perfectior est productâ, atque adeo persona ex illa constiturâ. Respondeo 1. hoc argumento vrgeri etiam Authores secundæ sententiæ, qui docent relationes diuinas partialiter saltem concurrere ad productionem personarum.

29. Resp. 2. neque ab hac difficultate immunes esse Authores primæ sententiæ: tum quia in eorum sententia natura diuina est cum aliqua perfectione in persona producente, cum qua non est in persona producta. Quia in persona producente est cum virtute proximè productiua, imò cum productione ipsa, cum qua non est in persona producta. Tum quia secundùm conceptum explicitum maiorem perfectionem dicit personalitas Patris, cui essentialiter competit esse à se, & non posse esse ab alio, quàm personalitates Filij & Spiritus sancti, quibus essentialiter competit esse ab alio, & non posse esse à se. Nam cæteris paribus maior est perfectio habere esse à se, quàm habere esse ab alio; quoniam habere esse à se addit nouam formalitatẽ spectantem ad perfectionem simpliciter simplicem, quam formalitatem non dicit habere esse ab alio. Tertiò in omnium sententia Pater & Filius præter proprietates personales, habent aliam proprietatem relatiuam, nempe communem spirationem, quam non habet

Spiritus sanctus, qui tantùm habet proprietatem personalem spirationis passiuæ.

31. Respondeo igitur quartò, æqualitatem diuinarum personarum non esse spectandam penes explicitos dumtaxat conceptus, quos vt inuicem distinctæ important, nam secundùm huiusmodi explicitos conceptus persona producens dicit perfectiorem conceptum, quàm persona producens; sed spectandam esse penes conceptus tam explicitos, quàm implicitos, quos vt diuinæ important. Quia igitur quælibet persona diuina includit essentialiter naturam, in quâ quidditatiuè continentur omnes perfectiones tam relatiuæ, quàm absolutæ, quælibet persona dicitur ratione ipsius naturæ, quam essentialiter includit continere reliquas perfectiones relatiuas intensiuè; quia omnes perfectiones relatiuæ constituunt illam intensiuè perfectam. Præterea eadem perfectiones relatiuas vnaquæque persona dicitur continere extensiuè virtualiter; quia continendo intensiuè naturam, simul continet extensiuè virtualiter reliquas perfectiones relatiuas. Atque hoc modo saluatur æqualitas diuinarum personarum, quia quidquid continet vna persona, cõtinent & reliquæ, tã intensiuè formaliter, quàm extensiuè virtualiter in ipsa natura diuina, quam vnaquæque persona essentialiter includit.

*Augustin.* 32. Confirmatur, quia Patres, præsertim Augustinus, non modò docent vnam personam diuinam esse æqualem alteri, verùm etiam non plus perfectionis continere vnam personam, quàm reliquas omnes simul. Hoc autem verificari non potest ratione relationis præcisè; sic enim plus perfectionis continent omnes personæ simul, quàm singulæ per se sumptæ; sed ratione naturæ, in quâ, quia & intensiuè, & extensiuè continentur omnes perfectiones relatiuæ, vnaquæque persona includens essentialiter naturam, includit etiam cum illa reliquas perfectiones tam intensiuè formaliter, quàm extensiuè virtualiter per circuminsessionem, modo suprà declarato. Vnde ad priorem probationem sequelæ, distinguo assumptum: relatio producens est perfectior non producente secundùm conceptum explicitum, concedo; secundùm conceptum explicitum & implicitum simul, quem essentialiter includit, nego: quia vt sic cum natura ipsa implicitè includit etiam perfectiones relatiuas, tam intensiuè formaliter, quàm extensiuè virtualiter. Ad posteriorem verò dico, relationem producentem continere producendam, non formaliter, neque eminenter, sed virtute & æquialenter.

33. *Obijcies* 3. Si sola relatio in diuinis produceret, sequeretur, processionem diuinarum personarum non esse vniuocam, sed æquiuocam contra omnes Doctores. Respondeo negando sequelam. Ad vniuocam enim processionem sufficit, vt terminus productus sit similis & vniuocus producenti ratione communicationis; vi cuius persona diuina producta accipit eandem naturam personæ producentis. Idem dicere tenentur aduersarij: nam nec persona producta in eorum, & in omnium sententia, est vniuoca producenti ratione relationis, quę producitur, sed ratione naturæ, quę tantùm communicatur.

34. *Obijcies* 4. Proprietas relatiua increata respondet proprietati indiuiduali creatę: at hęc non est ratio producendi, sed sola natura specifica: ergo nec in diuinis ratio producendi erit proprietas relatiua, sed sola natura absoluta. Respondeo primò negando minorem, vt constat ex maiore similitudine quoad proprietates indiuiduales, relucentes in vno indiuiduo producto, quæ non relucent in alio indiuiduo eiusdem specie. Quæ maior similitudo aliunde prouenire non potest, quã ex virtute indiuiduali vnius agentis fortiùs sibi effectum assimilante, quàm virtus indiuidualis alterius agentis. Respondeo secundò negando consequentiam: quoniam agens creatum sufficienter distinguitur à termino producendo per solam rationem specificam; quę distinctio essentialis est principio producenti. Agens verò diuinum non nisi proprietate relatiua distinguitur à termino producendo; atque adeo ea sola constitui potest, vt ratione producendi.

35. *Obijcies* 5. Si relatio, non essentia, esset ratio producendi in diuinis, ex vi cognitionis omnium possibilium in Verbo non cognosceretur principium productiuum ad intra; quia ex vi cognitionis omnium possibilium in Verbo non cognoscitur formaliter relatio, sed essentia. Confirmatur, nam id tantùm cognoscitur formaliter ex vi cognitionis omniũ possibilium in Verbo, quod necessarium est ad productionem possibilium: atqui ad productionem possibilium est tantùm necessaria essentia, non relatio: igitur sola essentia & non relatio formaliter cognoscitur ex vi cognitionis possibilium in Verbo. Quod est contra ea, quæ de comprehensione suprà docuimus. Respondeo negando sequelam. Ad cuius probationem nego, ex vi cognitionis omniũ possibilium in Verbo cognosci solam essentiam. Ad confirmationem. Vera est maior, quando cognitio causæ est abstractiua, & habetur per solam cognitionem effectus; falsa verò, quando est intuitiua, & habetur à priori per intuitionem ipsius causæ in se: qualis est cognitio Dei in se, vt causa est omniũ possibilium. Nã tunc penetrata causa in seipsa quoad omnia possibilia, penetratur etiam quoad terminos intrinsecos; cùm non maior perfectio requiratur ad vnum quàm ad aliud, & aliunde ex vi prioris penetrationis supponitur penetrata causa infinitè quoad infinitam perfectionem actus puri, vt fusiùs præcitato loco.

36. *Obijcies* 6. Si sola relatio esset productiua ad intra, sequeretur perfectiorem fore potentiam productiuam ad extra, quoniam hęc est ipsa diuina essentia, vt actus purus infinitus in tota latitudine entis; quàm potentia productiua ad intra: quia hæc est sola relatio infinita in vno tantùm genere. Hoc autem falsum est, nam perfectio potentiæ

desumitur

desumitur ex perfectione termini: atqui terminus potentiæ productiuæ ad intra est perfectior termino potentiæ productiuæ ad extra, quoniam ille est increatus, hic creatus. Respondeo negando sequelam. Ad cuius probationem nego, solam relationem esse potentiam productiuam ad intra, prout potentia productiua includit etiam principium communicatiuum; vt sic enim includit ipsam essentiam secundùm totam latitudinem suæ perfectionis.

37. Cæterùm loquendo de potentia productiua secundùm præcisum conceptum productiui, non considerato principio communicatiuo, quod essentialiter includit, concedo secundùm hunc explicitum conceptum perfectiorem esse potentiam productiuam ad extra, quàm ad intra: quia potentia productiua ad extra explicitè & immediatè importat actum purum infinitum in omni genere perfectionis: potentia verò productiua ad intra immediatè tantùm importat infinitam perfectionem in genere entis relatiui. Idque ex eo, quòd terminus producibilis ad intra formaliter sumptus est sola relatio; terminus verò producibilis ad extra sunt omnia possibilia. Quæ licet in se sint imperfectior terminus, supponunt tamen, maiorem perfectionem explicitè in principio productiuo, quia supponunt illud infinitum non tantùm in genere relatiuo, sed etiam in genere absoluto.

38. Vnde negandum est vniuersaliter, perfectiorem potentiam desumendam esse ex perfectiore termino producibili. Nam licet hoc verum sit de potentia vniuoca, falsum tamen est de potentia æquiuoca; qualis est potentia Dei productiua ad extra. Cuius discriminis ratio est, quia terminus vniuocus supponit eandem perfectionem, saltem quoad speciem, in principio, quam habet in se. Vnde quò maiorem perfectionem habebit in se, eò maiorem supponit in principio ipso; cùm nequeat perfectior terminus ab imperfectiore principio produci. Atque adeo rectè sequitur, ex perfectiore termino perfectiorem argui potentiam in ipso principio, terminus verò æquiuocus, quia non supponit eandem specie perfectionem, sed longè præstantiorem in principio productiuo; quippe cùm virtus æquiuoca debeat esse altioris ordinis termino ipso producibili; non rectè infertur, quòd si terminus potentiæ æquiuocæ sit imperfectior termino potentiæ vniuocæ, ipsa quoque potentia æquiuoca sit imperfectior potentia vniuocâ, habente perfectiorem terminum: eò quòd maior aut minor perfectio potentiæ æquiuocæ non sumitur præcisè ex maiore, aut minore perfectione termini, sed ex ipsius causæ & virtutis perfectione.

39. *Obijcies* 7. Si relatio est potentia producendi ad intra, erit etiam potentia producendi ad extra. Sequelam probo: nam siqua ratio obstaret, esset, quia relatio, vt virtualiter distincta ab essentia, non contineret in sua virtute omnes creaturas possibiles, quæ sunt terminus potentiæ productiuæ diuinæ ad extra: sed potest potentia, quæ continet terminum perfectiorem, continere terminum minùs perfectum. Cùm igitur perfectior sit terminus producibilis ad intra, quàm quicumque terminus producibilis ad extra, poterit quilibet terminus producibilis ad extra contineri in potentia productiua ad intra. Atque adeo poterit relatio, quæ est potentia productiua ad intra, esse potentia productiua ad extra. Respondeo negando sequelam. Ad cuius probationem, concessa maiore, nego minorem, quando termini sunt diuersæ rationis, vt sunt terminus producibilis ad intra, & terminus producibilis ad extra. Nam vnus est increatus, & producibilis productione vitali intra ipsum principium producens; alter creatus, & producibilis actione creatiua extra ipsum principium producens.

40. Confirmatur, nam potentia intellectiua angelica habet pro termino intellectionem, quæ est perfectior quolibet accidente corporeo: & nihilominus eadem potentia intellectiua angelica producere non potest vllum accidens corporeum, præter motum localem, vt hic suppono ex disputandis in sequenti tomo de Angelis. Idque ex eo, quia, quando termini habent diuersam producibilitatem, non sequitur, quòd terminus imperfectior contineri debeat sub perfectiore: ac proinde, quòd potentia productiua termini perfectioris producere possit terminum imperfectiorem. Cuius ratio est, quia potentia habet modum producendi à natura ipsa determinatum, quem trāsgredi nō potest.

41. *Obijcies* 8. Si relatio esset principium producendi in diuinis, Pater & Filius essent duo, non vnum principium respectu Spiritus sancti contra Patres & Concilia, præsertim Florentinum in decreto Eugenij quarti, vbi docet Pontifex, Spiritum sanctum ex Patre & Filio *tanquam ab vno principio æternaliter* procedere. Respondeo negando sequelam: Nam Pater & Filius sunt vnum principium Spiritus sancti ratione vnius spirationis actiuæ in vtroque indiuisibiliter existentis. Non enim Pater & Filius producunt proximè Spiritum per paternitatem & filiationem, sed per ipsam spirationem actiuā, quę est virtus proximè fœcundans suppositum Patris & Filij in ordine ad tertiam personam spirandam, quod colligitur ex ijsdem Concilijs & Patribus docentibus, Patrem & Filium vnica spiratione producere Spiritum sanctum. *Concilium Florentin.*

42. DICES. Saltem possent dici duo principia productiua ad intrà, nempe Pater respectu Filij, & vterque respectu Spiritus sancti, ac proinde duo potentes contra Athanasij Symbolum, *Non tres, sed vnus omnipotens.* Resp. Nego sequelam: ratio est, quia paternitas, quę est proximum principium producēdi Filium, non distinguitur à spiratione actiua, quæ est proximum principium producendi Spiritum sanctum; vnde licet sint duo suppositā producentia, Pater scilicet, & Filius, non tamen, sunt duo principia productiua, quia

principium productiuum Spiritus Sancti non constituitur proximè ex paternitate & filiatione, quo pacto esset distinctum principium à principio productiuo Filij; quia hoc constituitur sola paternitate illud constitueretur paternitate & filiatione simul; sed proximè tantùm constituitur ex spiratione actiua à paternitate & filiatione indistincta; ac proinde principium generatiuum non distinguitur realiter à principio spiratiuo, & consequenter non sunt duo principia productiua in diuinis, sed vnum, licet sint duo suppositа producentia.

43. *Obijcies* 9 Si relatio esset proximum principium producendi ad intra, posset de relatione ipsa producente prædicari actus notionalis hoc pacto: *paternitas generat, spiratio spirat:* quia potest operatio prædicari de proximo principio operatiuo, etiam abstractè significato, vt constat in his propositionibus: *Intellectus generat: Voluntas spirat: Misericordia miseretur. Iustitia punit.* Confirmant, nam propterea suprà contra aduersarios deduximus, posse de Deo abstractè sumpto prædicari actum notionalem, si Deitas ipsa esset proximum principium talis actus. Resp. negando sequelam: quoniam principium æternæ generationis & spirationis non est tantùm paternitas, sed etiam natura, quia principium generatiuum, & spiratiuum essentialiter includit principium communicatiuum, quod est natura. Cæterùm, si actus notionalis sumeretur pro sola productione hypostasis, nō incongruè posset prædicari de ipsa relatione in abstracto significata, tanquam de proximo & formali principio producendi: quia tamen id vsus non obtinuit; & vocibus non debeamus vti, nisi prout sapientum vsus firmauit, ideò non sunt huiusmodi prædicationes vsurpandæ. Ad confirmationem Respondeo, rectè nos contra aduersarios suprà deduxisse, si sola essentia esset prnximum principium actus notionalis, posse de illa huiusmodi actum prædicari: quia illi putant, solam essentiam esse adæquatum & totale principium producendi *Quo*.

*Ad authoritatem Patrum.*

*Arius.*

*Ioannes Latinus. Concilium Florentin. Anselmus.*

44. Ad argumenta primæ sententię. Ad primum ductum ex authoritate Patrum. Resp. illud intelligendum esse de principio communicatiuo. Quod sic probo: nam finis & scopus horum Patrum erat contra Arium probare, Filium & Spiritum sanctum esse verum Deum, & eiusdem naturæ & essentiæ cum Patre, ad quod probandum asserebant, eos naturaliter, non liberè; de substantia Patris non ex nihilo, vti Arius blasphemabat, procedere. Hoc modo explicat has locutiones Patrum Ioannes Latinus in Conc. Florentino sess. 18. circa medium; eodem modo intelligitur citata authoritas Anselmi. Nam procedere de substantia alterius non tam importat principium productiuum, quàm communicatiuum; quia importat consubstantialitatem cum ipso principio producente, quæ aduersarijs etiam concedentibus, formaliter habetur per ipsam communicationē naturæ. Vnde Filium procedere de paternitate, vi sermonis importat, Filium vi suæ originis accipere ipsam paternitatem: quod non solùm est falsum, sed fatuum, vt Anselmus rectè infert. Alioqui, si procedere de paternitate Anselmus intellexisset, solùm Filium procedere ab illa productiuè, ad summum eam sententiam vocasset falsam, non fatuam: nam fatuum est, quod à nullo sanæ mentis authore asseri potest, cùm tamen, vt suprà vidimus, hæc sententia à multis, ijsque grauissimis Scholasticis asseratur.

*Ioan. Lat. Concilium Florentin.*

45. De eodem principio communicatiuo naturæ, vt ad secundum argumentum respondeamus, loquitur Ioannes Latinus in Concilio Florentino: tum quia ille loquitur more Patrum, ipsorum vestigijs insistendo. Tum quia sæpè adhibet aliquam clausulam, per quam determinat, vel potiùs coniungit principium productiuum cum principio communicatiuo, vt constat tota sessione 18. & 19. & ad hoc tantùm confirmandum affert exemplum de generatione humana. Cæterùm hæc propositio, *Principium, quo persona generat est id, quod solùm est communicabile*, quæ contra nos ex eodem Concilio affertur, cùm huiusmodi expressa taxatiua in citatis sessionibus non habetur, vt eas perlegenti constabit; & etiamsi haberetur, rectè explicari posset de principio communicatiuo.

46. Tertium argumentum solùm concludit de principio communicatiuo. Nam in hoc præcipuè agens assimilat sibi terminum. Vnde propterea in generatione est maior assimilatio, quàm in cæteris productionibus naturalibus, quia principium generatiuum debet, aut totam, aut partem saltem suæ propriæ substantiæ communicare genito, vt constat in generatione humana, per quam genitor medio semine partem eiusdem numero substantiæ, quam habet in se, communicat genito. Pater autem æternus totam suam substantiam vi generationis communicat æterno suo genito. Ratio verò est, quia nunquam fit maior assimilatio, quàm quando agens communicat eandem numero formam & naturam, quam habet in se: hoc autem exequitur agens formaliter per principium communicatiuum; nam per productiuum potiùs dissimilat sibi terminum.

*Scotus.*

47. Ad quartum Scoti, nego consequentiam. Nam tunc realis distinctio inter Deum producentem, & Deum producibilem, saluaretur in sola natura producentis & producti, in quâ, quia nunc propter identitatem eiusdem numero naturæ saluari non potest, recurrendum est ad proprietatem relatiuam, quæ sola distinguitur realiter à termino producibili. Adde, quod sicut tunc non esset producenda sola hypostasis, sed etiam natura ipsa termini producibilis: ita non sufficeret pro ratione producendi sola hypostasis principij producentis; alioqui perfectior terminus, qualis esset tunc Deitas producta, produceretur à principio imperfectiori, cuiusmodi esset sola hypostasis relatiua: nunc autem sicut

sola

sola hypostasis relatiua termini producitur; ita sola hypostasis relatiua personæ producentis sufficit vt ratio producendi.

48. Fundamentum secundæ sententiæ solùm probat, quòd essentia ingrediatur potentiam, non vt ratio formalis producendi, nam hæc, vt probatum est, essentialiter postulat distinctionem à termino producto, sed vt ratio tantùm communicandi, quæ per se distinctionem à termino producto non postulat.

49. Ex dictis soluitur celebris illa inter Scholasticos controuersia, an potentia productiua ad intra contineatur sub omnipotentia Dei. Affirmant Argent. in 1. dist 20. q. vnica art. 1. Marsil. q. 23. art. 2. secunda parte articuli & alij docti recentiores. Fundamentum eorum est, quoniam potentia productiua ad intra, est vera, propria, & realis potentia: ergo cõtinetur sub omnipotentia, potiori iure quàm potentia ipsa creatiua. Consequentia probatur, quoniam nobilissima potentia, qualis est productiua ad intra, continetur sub potentia communi, sicut nobilissima species sub genere. Confirmatur 1. nam sub ente reali continetur primum & præstantissimum ens, quod est Deus. Sub productione reali continetur præstantissima productio, qualis est productio ad intra, sub producibili communi continetur præstantissimum producibile increatum. Ergo sub omnipotentia continetur prima & præstantissima potentia productiua ad intra. Confirmatur 2. ex August. l. 3. contra Maximinum c. 7. vbi potentiam generatiuam Patris appellat omnipotentiam: *Vbi*, inquit, *est omnipotentia Dei Patris, si æqualem sibi gignere Filium non potuit.*

*Argentinas. Marsilius. Docti Recent.*

*Augustin.*

50. Negant verò Scotus in 1. dist. 20. q. vnica §. *Quantum ergo ad istum articulum*, Durand. q. 1. Aureol. art. 3. Ocham q. vnica. Rubio. q. 2. art. 2. Grego. Ariminen. q. vnica, art. 2. Gabriel q. vnica, Vasq. 1. p. disp. 165. cap. 2. Suarez l. 4. de Trinit. c. 10.

*Scotus. Durandus. Aureolus. Ochamus. Rubio. Ariminens. Gabriel. Vasquez. Suarez.*

51. Quorum sententia, vt omnino vera, & nostris principijs conformior sequenda est. Eaque colligitur ex S. Th. 1. p. q. 25. art. 3. & q. 42. art. 6. & q. 2. de potentia art. 5. Ratio verò duplex est, altera à posteriori, à priori altera. A posteriori ratio hæc est. Ad fidei dogma spectat, omnes & singulas personas diuinas esse omnipotentes iuxta Athanasij Symbolum. *Omnipotens Pater, Omnipotens Filius, Omnipotens Spiritus sanctus.* Ad fidei autem dogma non spectat, quòd vel in Filio sit potentia generatiua, quæ est in Patre; vel in Spiritu sancto potentia spiratiua, quæ est in Patre & Filio; imò plerique id negant, siue tota vis producendi ad intra sit sola natura diuina, siue sola proprietas relatiua, siue vtraque simul. Igitur potentia productiua ad intra non continetur sub omnipotentia. Consequentia probatur, quia si potentia productiua ad intra contineretur sub omnipotentia, qui negaret in Filio potentiam generatiuam, & in Spiritu sancto potentiam spiratiuam, consequenter censeretur etiam in illis negare omnipotentiam: sed qui negat in Filio potentiam generatiuam, & in Spiritu sancto potentiam spiratiuam non statim censetur in illis negare omnipotentiam, alioqui non posset absque præiudicio fidei illis negari potentia generatiua, & spiratiua. Igitur potentia generatiua & spiratiua nõ continetur sub omnipotentia.

*S. Thomas.*

*Athanasius.*

52. Ratio autem à priori est, quoniam omnipotentia non importat in Deo nisi potentiam productiuam ad extra. Nam ad hanc tantùm significandam vsi sunt hoc nomine *Omnipotentia* SS. Patres, vt Ochamus, Gregorius & alij adnotarunt. Cuius significationis ratio fuit, quoniam, vt ijdem Auctores aduerterunt, SS. Patres disputantes contra hæreticos, qui negabant, Filium & Spiritum sanctum habere eandem naturam, & consequenter eandem potentiam cum Patre, eam tantùm potentiam intelligebant, de qua inter ipsos & hæreticos erat controuersia; atqui inter ipsos & hæreticos controuersia non erat de potentia notionali, sed tantùm de essentiali, quæ consequitur naturam absolutam. Igitur hæc tantùm intelligitur nomine *Omnipotentiæ*, cùm de illa loquuntur & disputant Patres.

*Patres. Ochamus. Gregorius.*

53. Vnde ad fundamentum aduersariorum, negatur consequentia. Ad cuius probationem negandum est, omnipotentiam distribuere pro omnipotentia quæ est in Deo; sic enim procul dubio comprehenderet potentiam productiuam ad intra, tanquam vniuersale particulare, aut superius inferius, vt argumentum rectè probat; sed distribuere tantùm pro omni obiecto & termino factibili, vt S. Thomas & Caietanus adnotarunt prima parte p. 25. art. 3. Ad priorem confirmationem negatur consequentia. Nam de facto omnipotentia, vt de illa Patres, & Scholastici disputant, non est signum distribuens pro omnipotentia, quæ in Deo est: sicut esse ens reale, productio, aut terminus producibilis, vniuersaliter sumptus. Vnde tandem controuersia hæc ad solam quæstionem de nomine reuocatur, vt rectè adnotarunt Ochamus & Rubio, quo pacto scilicet, vsurpetur hoc nomen, *Omnipotentia*, pro signone distributiuo potentiæ realis, an termini factibilis?

*S. Thomas. Caietanus.*

*Patres & Scholastici.*

*Ochamus. Rubio.*

54. Ad posteriorem confirmationem Respondeo cum præcitatis Scholasticis, Augustinum eo loco sub alio significato vsurpasse nomen *Omnipotentiæ*, quam vsurparunt reliqui Patres: nam ipse eo loco vsurpauit pro potentia communicatiua naturæ diuinæ, cuius priuatio magnam arguit imperfectionem in persona Patris, quam tamen imperfectionem non arguit in persona Filij aut Spiritus sancti: quia ad perfectionem Patris, tanquam ad primam personam Trinitatis spectat, posse perfectè & adæquatè naturam diuinam communicare Filio: quod tamen non spectat ad perfectionem Filij, aut Spiritus sancti.

*Augustin.*

# DISPVTATIO XXIV.

## De Diuinis Notionibus.

### SECTIO PRIMA.

### *An admittendæ sint aliquæ Notiones in personis Diuinis?*

1. PRÆMITTENDA est diuisio *Notionis*, in formalem, & obiectiuam. Formalis est notitia, quâ vna res ab alia dignoscitur. Obiectiua verò est proprietas seu forma, qua vna res ab alia distinguitur; quæque notioni formali respondet: in præsenti autem cum communi Theologorum disputamus de notione obiectiua, qua vna persona diuina discernitur ab alia, connotando tamen notionem formalem. In quo sensu notionem definit S. Thomas 1. p. quæst. 32. artic. 2. & 3. vt sit propria ratio cognoscendi personam diuinam in abstracto significatam, de qua nunc quærimus, an sit in diuinis personis admittenda.

*S. Thomas.*

2. PRIMA sententia fuit præpositiui relati à S. Thoma art. 2. præcit. negantis, in diuinis personis esse vllas notiones admittendas. A qua sententia non multum recedit Ariminensis in 1. dist. 26. vbi solùm concedit in Diuinis personis proprietates *intransitiuè*, non autem *transitiuè*, hoc est, vt ipse explicat, proprietates, quæ sunt ipsæmet personæ, non autem quæ sint aliquo modo à personis distinctæ, etiam secundùm modum concipiendi nostrum, nisi tantùm secundùm voces & conceptus formales. In quo sensu explicat authoritatem illam Ecclesiæ in præfatione de Trinitate, *Et in personis proprietas, & in essentia vnitas, & in maiestate adoretur æqualitas.* Vbi docet, vnitatis numerum positum esse pro numero multitudinis; nam potiùs legendum esset, *Et in personis proprietates*, quę sunt ipsæmet personæ realiter inter se distinctæ. Fundamentum vtriusque est, quoniam in Deo ob summam simplicitatem nulla est distinctio cõmunis à proprio: ergo nulla notio importans proprium à communi distinctum.

*Præpositiuus.*
*S. Thomas.*
*Ariminens.*
*Ecclesiæ authoritas.*

3. SECVNDA sententia est S. Thomę, Syluij loco paulò antè citato, & reliquorum Scholasticorum communis in 1. dist. 26. 27. & 28. cum Magistro ijsdem locis, admittentium in diuinis personis notiones, quibus tanquam characteristicis notis vna persona discernitur ab alia. Eaque apertè colligitur ex Patribus, qui sæpe ad dignoscendas diuinas personas vtuntur nominibus abstractis, importantibus proprietates personarum in abstracto significatas. Legatur Damascenus lib. 1. de fide cap. 11. *Secundùm omnia*, inquit, *vnum sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus, præter (si ita dicamus) ingignentiam, gignentiam, & processionem. Nam vnum agnoscimus Deum, in solis proprietatibus Paternitatis, Filiationis, & Processionis differentiam intelligimus.* Vbi per nomina abstracta explicat hypostaticas differentias diuinarum personarum, quas lib. 3. cap. 6. *Characteristicas, signalesque proprietates* appellat. Easdem notiones in diuinis personis expressè admisit Augustin. lib. 5. de Trinit. cap 6. *Alia est*, inquit, *notio, qua intelligitur Genitor, alia, qua Ingenitus.* Et passim cæteri Patres tam Græci, quàm Latini. Vt meritò recentiores Theologi opinionem Præpositiui notiones in diuinis negantis, erroris nota censeant: & sanè ad minimum temeritatis notam non effugiet, cùm sit contra omnes Scholasticos, & communem modum loquendi & sentiendi Patrum in re grauissima, in qua non modò res, sed etiam nomina & loquendi modi, non sunt sine authoritate & approbatione Conciliorum & Patrum admittendi.

*S. Thomas, Syluius & reliqui Scholastici cum Magistro.*
*Damascen.*
*Augustin.*
*Patres Græci & Latini.*
*Præpositiui opinio à Scholasticis notatur.*

4. Potissimum fundamentum admittendi notiones in diuinis est, vt perfectiùs possit vnaquæque persona sua quasi characteristica nota & proprietate à nobis dignosci & significari. Nam licet potuissemus per nomina complexa, & concreta vnam personam ab alia discernere ac distinguere, commodiùs tamen id præstamus per voces incomplexas & abstractas: expeditiusque respondemus hæreticis interrogantibus & vrgentibus, quo Pater differat à Filio, & vterque à Spiritu sancto? paternitate scilicet, filiatione, & processione in abstracto significatis. Etenim, sicut rectè dicitur Pater Deitate est vnum cum Filio & Spiritu sancto; ita paternitate est alius à Filio & Spiritu sancto. Nam, vt rectè docet S. Thomas præcit. art. 2. sicut essentia significatur vt *quid*, persona verò vt *quis*; ita proprietas significatur vt *Quo*. Confirmatur, quia cùm in Patre duplex sit relatio Genitoris ad Genitum, & Spiratoris ad spiratum: similiter in Filio duplex sit relatio Geniti ad Genitorem, & spiratoris ad spiratum, nisi haberemus nomina abstracta, vix possemus has duas relationes in Patre & Filio designare.

*S. Thomas.*

5. Ad fundamentum autem Præpositiui negandum est, hanc distinctionem proprij à communi, per nomen abstractum importatam, præiudicare diuinæ simplicitati:

*Ad fundamentum Præpositiui.*

quoniam

quoniam hæc distinctio fundatur tantùm in modo significandi, qui immediatè sequitur modum concipiendi nostrum. Vnde sicut absque præiudicio diuinæ simplicitatis concipimus, proprium præcisum à communi: ita absque præiudicio eiusdem possumus per nomina abstracta, & incomplexa significare proprium vt præcisum à communi.

## SECTIO II.

### *Quot Notiones admittendæ sint in diuinis personis?*

*S. Thomas & reliqui Scholastici.*

6. COMMVNIS sententia Theologorum cum S. Thoma prima parte quæst. 32. art. 3. & Scholasticorum in 1. dist. 26. 27. & 28. est, quinque nec plures, nec pauciores admittendas esse notiones in diuinis, Innascibilitatem, paternitatem, filiationem, processionem, & spirationem Patri Filioque communem. Hic notionum numerus primo colligitur ex Patribus: nam Damascenus, vt sectione præcedente vidimus, quatuor numerat, *Ingignentiam*, *Paternitatem*, *Filiationem*, & *Processionem*. Ex alijs verò Patribus, saltem sub alijs vocibus, *Emittentis*, *proferentis*, & *donatoris* manifestè colligitur quinta notio spirationis communis.

*Damascen. Reliqui Patres.*

*S. Doctor.*

7. Secundò idem numerus notionum eruitur ex natura ipsa *notionis*, quæ, vt cum S. Doctore suprà diximus, *est propria ratio cognoscendi personas diuinas in abstracto significata*, sed quinque sunt proprietates, quæ velut characteristicæ notæ intellectum nostrum ducunt in perfectam cognitionem diuinarum personarum, nempe innascibilitas, paternitas, Filiatio, processio, & communis spiratio. Igitur quinque tantùm sunt notiones, nec plures, nec pauciores in diuinis.

*Patres & Scholastici.*

8. Ad vim huius rationis altiùs penetrandam, eamque à multis obiectionibus faciliùs tuendam, Nota, ad propriam rationem *Notionis*, de qua Patres, & Scholastici loquuntur, quinque esse necessaria. Primum est, vt non sit perfectio communis omnibus personis. Defectu huius conditionis nullum attributum est notio. Non est tamen necessarium, vt sit proprietas vnius tantùm personæ, vt putauit Mayronus infrà citandus: nam potest esse notio discretiua duarum personarum à tertia, vt est spiratio actiua discretiua Patris & Filij à Spiritu sancto.

*Mayronus.*

9. Secundum est, vt non sit forma diuinis personis conueniens per solam præcisionem nostri intellectus, sed reipsa existens vna vnitate singularitatis vnius, vel duarum personarum propria. Defectu huius conditionis ratio principij productiui, in qua Pater & Filius; & ratio termini producibilis, in qua Filius & Spiritus sanctus conueniunt, non est notio. Ratio huius conditionis est, quia notio ducere debet intellectum ad cognoscendas personas diuinas secundùm proprietates, quas in seipsis realiter includunt: quibus perfectè cognitis cognoscuntur omnes conuenientiæ, quæ per præcisionem intellectus possunt ab illis abstrahi.

10. Tertium est, vt non sit ratio vel formalitas quasi partialis, & inadæquata vnius eiusdemque completæ proprietatis, sed adæquata & totalis proprietas vnius, vel duarum personarum. Defectu huius tertiæ conditionis ratio fontalis principij, locutoris, & radicis totius fœcunditatis, non est distincta notio in Patre, sicut nec ratio Verbi, imaginis, characteris in Filio; aut doni, vinculi, & mutui nexus erit specialis notio in Spiritu sancto. Ratio huius conditionis est, quia omnes istæ quasi partiales & inadæquatæ formalitates cognoscuntur cognita totali proprietate personæ, in qua omnes istæ formalitates formalissimè includuntur. Vnde qui per innascibilitatem & paternitatem cognoscit Patrem, statim cognoscit illum vt fontem & radicem totius diuinæ fœcunditatis, & vt locutorem & prolatorem æterni Verbi. Et qui per filiationem cognoscit Filium, statim cognoscit illum, vt verbum, imaginem, & characterem æterni Patris. Tandem qui per processionem cognoscit Spiritum sanctum, statim cognoscit illum, vt donum, vt vinculum, vt nexum mutui amoris Patris & filij.

*Scholastici & Patres.*

11. Quartum est, vt sit aliquid pertinens ad dignitatem personæ notificabilis. Hanc conditionem omnes ferè Scholastici requirunt, & colligitur ex Patribus. Cuius ratio est, quia notio debet aliquam perfectionem de persona notificare. Omnis autem perfectio ad dignitatem aliquam pertinet. Defectu huius conditionis improductiuitas in Spiritu sancto non est propria notio ipsius: quia licet inter omnes personas diuinas sola persona Spiritus sancti sit improductiua, cum in ea terminetur, & expleatur tota fœcunditas ad intra; quia tamen hæc non pertinet ad dignitatem personæ, cùm potiùs sit negatio perfectionis, non erit ipsius peculiaris notio.

12. Quintum est, vt proprietas per notionem expressa non importetur per modum viæ & tendentiæ ad aliud, sed per modum formæ permanentis, & dantis esse stabile personæ, cuius est proprietas. Defectu huius conditionis excluduntur à propria ratione notionis origines, quæ sunt eædem relationes personarum, significatæ per modum viæ & essentialis tendentiæ ad terminos producendos. Ratio huius conditionis est, quia notio importat proprietatem ad dignitatem personæ spectantem: at magis ad dignitatem personæ spectat proprietas secundùm esse firmum ac stabile, quàm secundùm esse fluxile, & ad aliud tendens: ergo potiùs secundùm illum, quàm secundùm hunc modum essendi debet notio proprietatem personæ diuinæ importare.

13. His conditionibus à plerisque vel explicitè, vel saltem implicitè admissis, sic vis propositæ rationis de quinario numero diui-

narum

narum notionum ostenditur. Nam per paternitatem discernitur prima persona à secunda; per filiationem verò secunda à prima. Quoniam verò in diuinis nulla persona formaliter discernitur ab alia, nisi per relationes immediatè fundatas in origine producentis & producti; paternitas autem & filiatio, cùm non sint relationes immediatè fundatæ in origine spirantis & spirati, sed generantis & geniti, non possunt formaliter discernere Patrem & Filium à Spiritu sancto; ideò assignandæ fuerunt aliæ duæ notiones, quibus tertia persona discerneretur à prima & secunda; & vice versa prima & secunda à tertia. Hæ autem sunt spiratio passiua in Spiritu sancto, quæ illum formaliter discernit à Patre & Filio; & spiratio actiua in Patre & Filio, quæ illos formaliter discernit à Spiritu sancto. Atque ex his habetur quaternarius numerus diuinarum notionum. Rursus quia inter diuinas personas debet esse vna improducta, quæ sit primum principium & quasi fons reliquarum: hęc autem sola paternitate discerni non poterat; cùm non repugnet esse Patrem, & esse ab alio, vt constat in humanis, in quibut omnes patres, excepto Adamo, sunt ab alio; ideò necessaria fuit quinta notio, quâ dignosceretur talis persona, vt improducta & à se; atque hæc est Innascibilitas, quæ non solùm dicit negationem natiuitatis, sic enim competit etiam Spiritui sancto, cuius tamen non est peculiaris notio, sed dicit negationem cuiuscunque passiuæ productionis, & communicationis ab alio: quo pacto est peculiaris nota & characteristica proprietas solius Patris, qui à nullo habet esse, sed est principium & fons, seu radix, vt Patres & Concilia loquuntur, totius esse & fœcunditatis ad intra. Atque hoc modo quinque erunt notiones, Innascibilitas, & Paternitas in Patre, Filiatio in Filio, Processio in Spiritu sancto, & communis spiratio in Patre & Filio.

*Patres & Concilia.*

14. Ex his colligitur, notionem esse quid superius ad relationes, relationes verò ad ipsas personales proprietates: nam omnes proprietates personales sunt relationes; & omnes relationes sunt notiones: non contrà, omnes notiones sunt relationes; nec omnes relationes sunt proprietates personales: nam Innascibilitas est notio, & non est relatio, sed potiùs negatio relationis producti; & spiratio actiua est relatio, & tamen non est proprietas personalis, cùm nullam personam constituat. His tamen non obstantibus,

*Gabriel.*

15. *Obiycit* 1. Gabriel in 1. dist. 28. quęst. vnica, art. 3. dub. 1. corol. 3. vbi negat quinque notiones in diuinis, & tantùm concedit tres Paternitatis, Filiationis, & Processionis. Quoniam si in Deo essent quinque notiones, esset in eo quinitas rerum: quod damnatum est in Concilio Lateranensi. Sequelam probat: nam quinque notiones ponunt in Deo quinque res: igitur si in eo sunt quinque notiones, in eodem erit quinitas rerum. Respondeo negando sequelam. Etenim quinque notiones non important in Deo quinque res realiter distinctas, quod necessarium est ad quinitatem rerum; nam præter tres notiones personales, reliquæ duæ non sunt res distinctæ realiter: spiratio enim actiua non est res distincta realiter à paternitate & filiatione. Innascibilitas verò, cùm sit negatio productionis passiuæ, non est res à paternitate distincta, sed pura dumtaxat negatio productionis ab alio. Confirmatur, nam etiamsi in Deo sint quatuor relationes, non est tamen in eo quaternitas rerum: eò quòd ad quantitatem rerum requiruntur quatuor res realiter, ac subiecto distinctæ.

*Concilium Lateranẽse.*

16. *Obiycit* 2. Mayronus in 1. dist. 28 q. 1. in fine, vbi negat spirationem actiuam esse notionem; quia de ratione notionis est, vt sit vnius tantùm personæ. Atqui spiratio actiua non est vnius tantùm personæ, sed duarum communis. Ergo. Confirmatur, quia huius notionis nullam mentionem fecerunt Patres; ergo non debet inter notiones annumerari. Respondeo, negando maiorem. Etenim de ratione notionis est, vt sit nota discretiua personarum: sed non minùs potest esse nota discretiua duarum personarum ab vna tertia, quàm vnius ab alia: igitur. Ad confirmationem nego, Patres nullam huius notionis mentionem fecisse, nam etiamsi illius mentionem non fecerunt quoad ipsam vocem spirationis, mentionem tamen fecerunt quoad rem sub alijs nominibus, nempe *Emittentis & emissi*, *Donatoris & Doni*, *Proferentis & Procedentis*. Legatur Augustinus 5. de Trinit. cap. 11. vbi loquendo de Spiritu sancto, *Donum*, inquit, *est Patris & Filij. Donum ergo Donatoris, & Donator doni cùm dicimus, relatiuè vtrumque ad inuicem dicimus.*

*Mayronus.* *Patres.* *Augustin.*

17. *Obiycit* 3. Scotus in 1. dist. 28. q. 2. vel in alia impressione q. 1. §. *Ad argumenta huius quæstionis* in solutione tertij, vbi præter quinque notiones assignatas, admittit sextam Inspirabilitatis, propriam Filij: Nam sicuti innascibilitas est propria notio Patris, per quam innotescit eius improductibilitas: ita inspirabilitas est propria notio Filij, per quam innotescit eius improductibilitas per modum spirati. Confirmat, nam sicut tempore Ambrosij & Anselmi non erant nisi tres notiones Paternitatis, Filiationis, & Processionis, non quod reliquæ duæ reipsa tunc nonfuerint, sed quia nondum erant ipsis notæ; & ideo Doctores, Ambrosio & Anselmo posteriores, addentes alias duas, non contradixerunt prioribus; quia illi has non negarunt, etsi non cognouerunt. Ita posteriores Doctores addentes sextam, non contradicunt prioribus, qui illam non cognouerunt.

*Scotus.* *Ambrosius.* *Anselmus.*

18. Resp. Nego paritatem: quoniam Innascibilitas negat in Patre omnem productionem passiuam, quæ erat necessariò cognoscenda, vt discerni posset prima persona improducta sanctissimæ Trinitatis. Illa autem discerni non poterat per solam notionem paternitatis,

ternitatis, quia nō repugnat esse Patrem, & simul ab alio esse productum, vt constat in humanis: igitur cognoscenda fuit per peculiarem notionem Innascibilitatis. At verò inspirabilitas cognoscitur in Filio, cognito proprio modo producendi ipsius: nam hoc ipso, quod cognoscitur vt procedens per intellectum, cognoscitur vt inspirabilis per voluntatem: at non hoc ipso, quòd Pater cognoscitur, vt gignens Filium, cognoscitur innascibilis siue ingenitus, & à se, quia hoc non est necessariò connexum cum illo. Ad confirmationem nego, tempore Ambrosij & Anselmi non fuisse, nisi tres tantùm notiones cognitas, quoad rem ipsam, licet illæ non fuerint sub proprijs nominibus expressæ. Vt constat ex Magistro in 1. dist. 19. in fine, vbi rem ipsam agnoscit, licet proprium nomen non habeat.

*Ambrosius.*
*Anselmus.*
*Magister.*

19. *Obijcies* 4. Innascibilitas est negatio; ergo non potest esse notio alicuius personæ diuinæ. Antecedens constabit ex dicendis. Consequentia probatur, quia notio, vt suprà ostendimus, est proprietas pertinens ad dignitatem personæ: negatio autem, cùm nullam perfectionem ponat in persona, non poterit ad dignitatem personæ pertinere. Respondeo negando consequentiam: quoniam ad notionem sufficit, vt saltem mediatè ducat ad notitiam positiuæ proprietatis & dignitatis personæ. Innascibilitas autem, esto formaliter sit negatio, est tamen mediatè notificatiua positiuæ dignitatis & proprietatis personalis Patris, quatenus per illam dignoscitur prima persona, vt à reliquis distincta, per esse improductum & à se.

20. *Obijcies* 5. Omnis proprietas est relatiua, Innascibilitas non est relatiua, sed potiùs negatio relationis, negat enim formaliter relationem ad genitorem; ergo non potest esse notio. Rspondeo. Nego omnem notionem debere esse relatiuam; sufficit enim, vt sit alicuius dignitatis notificatiua. Licet igitur omnis relatio sit notio: non tamen è conuerso omnis notio est relatio.

21. *Obijcies* 6. Non solùm Pater est ingenitus, sed etiam essentia est ingenita: ergo ingenitum non est propria notio Patris. Respondeo ingenitum sumi dupliciter, vno modo vt positiuè repugnans, cuicunque productioni & communicationi passiuæ: alio modo vt indifferens ad communicationem vel productionem passiuam. Primo modo est propria notio Patris, cui positiuè repugnat quæcunque passiua productio personalitatis, aut communicatio naturæ; cùm illam essentialiter habeat à se. Secundo modo conuenit etiam naturæ; quæ considerata ex se, vt præcisa à personalitatibus, est indifferens, vt communicetur in Filio & Spiritu sancto per passiuam productionem Filij & Spiritus sancti, aut non communicetur in Patre per Ingignentiam Patris.

22. Ex dictis sequitur, non posse vnam notionem de alia prædicari: quia notio inuoluit secundam intentionem, per quam vna, vt concepta distinguitur ab alia; quemadmodum nec vnum attributum, vt stat sub secunda intentione, prædicari potest de alio. Non enim rectè dices, *attributum sapientiæ est attributum bonitatis*: etiamsi rectè dicatur *sapientia est bonitas*. Ita nec rectè dices, *notio paternitatis est notio innascibilitatis, paternitas est spiratio activa*; & vice versa. Ratio est, quia in prima propositione prædicatur attributum siue notio, vt stat sub secunda intentione, siue vt connotans conceptum formalem concipientis: & quia vnum attributum siue notio, vt connotans conceptum formalem concipientis, non est aliud attributum, & notio connotans alium conceptum formalem concipientis; ideo falsa est prædicatio. In secunda verò propositione, quia prædicatur vnum attributum de alio, vel vna notio de alia, prout est à parte rei; & quia à parte rei vnum attributum includit formaliter aliud, & vna notio aliam notionem eiusdem personæ, ideò valida est prædicatio.

# DISPVTATIO XXV.

## De Persona Patris.

EXPEDITIS ijs, quæ ad omnes personas Diuinas in communi spectant, disputandum supereſt de reliquis, quæ ad singulas personas in particulari pertinent: & primò de persona Patris, quæ est in Trinitate prima. De qua tria disputanda occurrunt. Primum est, an illi conueniat ratio Principij, Authoris, & Causæ. Secundum est, an ratio Ingeniti sit proprium Patris. Tertium quid illud de formali importet.

SECTIO

# SECTIO I.

## An Pater sit principium totius Deitatis, & Author, vel Causa Filij, & Spiritus sancti?

1. PRIMA ratio dubitandi est, quoniam ratio principij non solùm conuenit Patri, sed etiam Filio; nam etiam Filius est productiuus Spiritus sancti.

*Aristoteles Theologi.*

2. SECVNDA est, quoniam principium, vt cum Aristotele 5. Metaph. cap. 1. definiunt Theologi, est *Vnde aliquid procedit*. Sed Deitas non procedit à Patre, cùm sit idem cum Patre: idem autem nequit à seipso procedere. Non igitur Pater est principium Deitatis. Confirmatur, nam ideò Pater est principium Deitatis, quia illam communicat reliquis personis Diuinis: atqui etiam Filius illam totam communicat Spiritui sancto: ergo etiam Filius dici potest principium totius Deitatis.

*Hæresis Ariana.*

3. TERTIA ratio dubitandi est, quoniam authoritas importat superioritatem & maioritatem respectu eius, cuius quis author dicitur: At Parens æternus nullam habet superioritatem, vel maioritatem respectu Filij & Spiritus sancti: alioqui Filius & Spiritus sanctus essent subiecti Patri, & minores illo: quæ est hæresis Ariana.

*Aristoteles.*

4. QVARTA ratio dubitandi est, quia principium & causa, teste Philosopho loco paulò antè citato, sese mutuo consequuntur. Ergo si Pater est principium Filij & Spiritus sancti, est etiam causa ipsorum. Pro pleniore controuersiæ explicatione nota, *Principium* dupliciter de Deo dici posse; vno modo *notionaliter*; alio modo *essentialiter*. *Notionaliter* dicitur per ordinem ad productiones ad intra; *essentialiter* verò per respectum ad productiones ad extra. In præsenti autem controuersia, vt ex titulo sectionis constat, solùm disputamus de principio *notionali*, ad pleniorem tamen doctrinam nonnihil etiam dicemus de *essentiali*.

*Concilium Lugdunense sub Greg. X. Concilium Florentin. sub Eugenio IV.*

6. DICO 1. In Diuinis est ratio principij notionalis respectu productionum ad intra, eaque in omni rigore Scholastico. Prior pars est definita in Concilio Lugdunensi secundo, sub Gregorio X. & refertur capite *Fideli* de summa Trinitate in Sexto, & in Cõcilio Florentino sub Eugenio IV. in decreto ipso Pontificis. Posterior verò nõ est sub his terminis in Concilijs definita, apertè tamen ex eorum definitionibus colligitur, dũ totam rationem principij in diuinis fundant in ipsa origine producentis: propterea namque docent, Patrem & Filium esse principium Spiritus sancti, quia illum producunt. Atqui proprijssimum & in omni rigore principium est, quod realiter influit esse in terminũ à se distinctũ.

*Aristoteles. Scholastici.*

Vnde illud definit Aristoteles 5. Metaph. c. 1. *Id vnde aliquid est, aut fit.* Eodẽ modo Scholastici omnes in omni rigore Philosophico. Principium definiunt, *Id vnde aliquid procedit*. Cùm ergo in Diuinis sit verus & realis influxus vnius personæ in aliam; vi cuius vna persona realiter procedit ab alia, erit vera & propria ratio principij.

*Aureolus.*

7. Vnde nemo hactenus ex Scholasticis ausus est expresè negare in Diuinis veram ac propriam rationem principij notionalis: nam licet Aureolus in Diuinis neget veram rationem potentiæ notionalis, non tamen est ausus negare veram rationem principij notionalis. Eò quòd, vt ipse docet in 1. dist. 29. ar. 3. vera ratio principij saluari potest etiã in eo, in quo nulla est ratio potẽtiæ productiuæ: quoniam ad veram rationẽ principij sufficit purũ agere, absque vlla potentia productiua propria; & quia in Diuinis est purũ agere absque potentia productiua, est vera ratio principij, esto in eo nulla sit ratio potentiæ. Quæ, an cohærenter dicta sint, alijs examinanda relinquo.

8. DICO 2. Tametsi ratio principij notionalis peculiari modo conueniat Patri, non tamen à vera ratione principij notionalis excluditur Filius. Prima pars constat: nam sumptum principium secundùm omnem rationem primitatis, est sola notio Patris: quoniam solus Pater est sub omni ratione primus in originando: quia solus Pater ita originat, vt non originetur. Et quia principium propriè dictum dicitur à primitate originandi, ideò Pater habens omnem primitatem in originando, habet omnem primitatem principij notionalis; atque adeò solus ipse est peculiari modo principium notionale in Diuinis. Vnde ad hanc peculiarem rationem principij Patris propriam denotandam, Patres & Scholastici cum Magistro in 1. dist. 29. Patrem appellant absolutè *principium*, Filium verò *principium de principio*.

*Patres & Scholastici. Magister.*

*Arist.*

9. SECVNDA pars probatur, quoniam ad veram rationem principij sufficit primitas in vno tantùm genere: non enim, vt aliquid sit principium in genere efficientis, debet habere primitatem in genere finis, aut contrà; sed sufficit, si primitatem habeat in suo dumtaxat genere, vt in eo sortiri possit veram rationem principij. Vnde cùm Aristoteles præcitato loco Metaphysices docuit, commune esse omnibus principijs esse primum, statim exempla subiungit, in quibus de vnoquoque primitas verificatur in suo dumtaxat genere: atqui Filio Dei conuenit primitas in originando per voluntatem: ergo Filio Dei conuenit vera ratio principij spiratiui. Minor probatur, quoniam primitas principij in eo consistit, vt in quo genere quis principiat, non sit ipse ab alio principiatus, esto supponatur in alio genere principiatus. Etenim punctum dicitur principium lineæ, materia & forma principia compositi naturalis, etiamsi tam punctum in linea, quàm materia & forma in composito naturali supponantur in alio genere, nempe in genere efficientis ab alio principiata. Ergo etiamsi Filius Dei supponatur

originatus

originatus per intellectum à Patre, quia tamen non supponitur originatus ab eodem per voluntatem, erit simpliciter primus in ratione principij originantis per voluntatem, atque adeò in ratione spirandi.

10. Confirmatur, quia Filius non dicitur primus in spirando respectu Patris, cum quo vna & eadem indiuisibili virtute & origine spirandi producit, sed respectu termini duntaxat spirabilis: respectu cuius tam Filius, quàm Pater dicitur vnum principium spiratiuum, origine prius. Nec refert, quòd Filius virtutem spirādi accipiat à Patre, quia non accipit illam per eandem originem, per quam constituitur principium Spiritus sancti; nam accipit illam per originem generatiuam, constituitur autem principium Spiritus Sancti per originem spiratiuam. Neque hinc sequitur, duo esse in Diuinis principia notionalia; quia licet Pater & Filius sint duo suppositа distincta realiter, non tamen sunt duo principia proximè productiua: quoniam Paternitas, quæ proximè constituit principium generatiuum, non distinguitur à spiratione, quæ constituit proximum principium spiratiuum. Filius enim non constituit vnum principium spiratiuum cum Patre per filiationem à Paternitate distinctam, sed per spirationem, quæ est vna & eadem in Patre & Filio. Atque adeò principium spiratiuum non distinguitur à principio generatiuo, nisi tantùm terminatiuè, penes terminos producibiles realiter distinctos.

11. *Obijcies* primò: Si in Diuinis est verum principium: ergo erit vera principiatio, & verum principiatum. Consequentia probatur, quia hæc sunt correlatiua: correlatiua autem sunt simul. Admittunt Bonauentura in 1. dist. 29. art. 1. q. 1. Scotus quodlib. 8. art. 3. Richardus dist. 28. art. 2. quæst. 1. & 2. Durandus ibidem. q. 1. num. 5. & alij consequentiam quoad rationem principij & principiati. Aureolus verò eadem dist. art. 3. propos. 2. vltra hæc admittit etiam principiationem, tam actiuam in persona principiante, quàm passiuam in persona principiata. Sed cautiùs S. Thomas 1. p. q. 33. art. 1. ad 2. & plerique Theologi cum ipso negant hęc omnia in Diuinis, admissâ solâ ratione principij. Eò quòd hæc nomina imperfectionem important; denotant enim ex modo significandi inceptionem productionis & termini producibilis. Vnde negandum est, quando vnum correlatiuorum ex modo significandi, importat imperfectionem, si admittitur vnum, admittendum esse alterum in Diuinis. Nam, vt rectè ibidem docet S. Thomas, admittimus in Diuinis perfectionē authoris, vt mox probabitur, & tamen non admittimus imperfectionem subiectionis, quæ illi correlatiuè respondet.

12. *Obijcies* secundò. Si in Diuinis admittitur ratio Principij, pari modo admitti debet & ratio initij, quę cum ratione ipsa principij recurrit. Admittunt hoc aliqui Patres Græci, sed tutiùs hoc negat Magister in 1. dist. 29. c. penult. cum Hilario lib. 4. de Trinit. circa initium, S. Thomas in expositione textus, Bonauentura art. 1. q. 1. & tota ferè Schola Theologorum. Cuius discriminis ratio est; quia *Initium* importat primitatem durationis, *Principium* verò originis. Quin negat ibidem Magister hanc propositionem, *Filius habet principium: nam licet*, inquit, *Filius sit principium de principio: non est tamen concedendum quòd Filius habeat principium.* Verùm nullum in hac propositione video periculum, posito, quòd Principium sit determinatum ex institutione sapientum ad solam primitatem Originis significandam. Cæterum Patres & si qui alij graues Authores, in Diuinis vtuntur nomine *Initij*, benignè explicandi sunt, vt nomen *Initij* confundant cum nomine *Principij*.

13. Dico tertiò: Spiritus sanctus non est principium notionale, est tamen simul cum Patre & Filio principium essentiale respectu productionis ad extra. Assertio quoad vtramque partem est de fide. De fide namque est, Spiritum sanctum non esse ad intra productiuum. De fide etiam est, Spiritum sanctum esse æquè Deum ac Patrem & Filium. De fide quoque est, Omnia opera ad extra esse à Deo, vt Deo. Igitur de fide est, Spiritum sanctum esse vnā cum Patre & Filio essentiale principium productionis ad extra. Ad quod significandum Catholici Doctores vti solent eo modo loquendi, *Spiritus sanctus est principium de vtroque principio.* In qua propositione principium non sumitur *notionaliter*, sed *essentialiter*, connotando simul ordinem originis, quam Spiritus S. ad Patrem & Filium habet. Legendus est Alensis 1. p. q. 70. memb. 3. & Bonauentura in 1. dist. 29 in expositione textus dubio 2.

14. Dico quartò: Hæc propositio, Pater est principium & fons totius Deitatis, non solùm est Catholica, sed etiam tuta, & absque limitatione admittenda; nullo tamen pacto est ad Filium extendenda. Assertio hæc aliquo modo est contra Bartholo. Torres 1. p. q. 33. art. 1. vbi docet, prædictam propositionem non esse absolutè concedendam, sed explicandam. Verùm nostra sententia est communior inter Theologos: quam probo per singulas partes. Et primò quòd sit Catholica & tuta, euidenter ostendit authoritas tot Patrum & Conciliorum, quę illam sub his terminis vsurpant. Dionysius de Diuinis nominibus cap. 2. *Solus fons supersubstantialis Deitatis est Pater.* & versus finem: *Primordialis & fontana Deitas Pater. Filius verò & Spiritus sanctus fœcundæ Deitatis (si fas est dicere) germina plantata diuinitus, & velut flores, ac supersubstātialia lumina, à Scripturis sanctis accepimus.* Et Augustinus lib. 4. de Trinit. c. 20. ad finem. *Totius*, inquit, *Diuinitatis (vel si melius dicitur) Deitatis principiū Pater est.* Ex Concilijs verò Toletanum XI. in professione fidei initio: *Confitemur*, inquit, *ineffabilem Trinitatem, Patrem, Filium,*

*Magister. Hilarius. S. Thomas. Bonauent.. Tota schola Theologorum.*

*Patres benignè explicandi.*

*Doctores Catholici.*

*Alensis. Bonauent.*

*Torres.*

*Dionysius.*

*Anastasius.*

*Concilium Toletanum XI.*

*Bonauent. Scotus. Richardus Durandus.*

*Aureolus.*

*S. Thomas. Et reliqui Theologi.*

*S. Thomas.*

*Patres Graci.*

*& Spiritum sanctum ; & Patrem quidem ingenitum, ipse enim à nullo originem ducit, ex quo & Filius natiuitatem, & Spiritus sanctus processionem accepit. Fons ergo ipse est & origo totius Diuinitatis.* Pari modo Concilium Florentinum in decreto de processione Spiritus sancti, Patrem appellat fontem & principium totius Deitatis. *Concilium Florentin.*

15. Secundò, quòd sit absque limitatione admittenda, probat tum citata authoritas Patrum & Conciliorum, quæ illam absque vlla limitatione admittunt : quoad res autem dogmaticas licitum nobis est in modo loquendi conformari Concilijs, præsertim à summo Pontifice approbatis. Tum ratio ipsa : nam, vt rectè Sanctus Thomas in 1. dist. 29. in expositione textus in fine, & 1. p. q. 39. art. 5. ad vltimum, dupliciter sumi potest Deitas in hac propositione, vno modo pro essentia à personalitatibus præcisa; alio modo pro personis ipsis in Deitate subsistentibus : vtroque modo sumpta verum reddit sensum. Nam sumpta primo modo reddit hunc sensum : Pater est principium communicandi Deitatem omni modo possibili, quo illa communicabilis est, siue Filio per intellectionem, siue Spiritui S. per volitionem. Sumpta verò secundo modo facit hunc sensum: Pater est principium producendi personas, in Deitate subsistentes. Neque hinc sequitur, Patrem esse principium sui ipsius : quoniam, vt rectè S. Thomas & Bonauentura in 1. dist. 29. a. 1. q. 1. huiusmodi locutiones intelligendæ sunt in sensu accommodo, sicut inquit, S. Thomas loc. cit. 1. p. ad vlt. *aliquis de populo dicitur rector totius populi, non tamen sui ipsius.* *S. Thom.* *S. Thomas. Bonauent.*

16. Cęterùm Concilia & Patres in 2. sensu illam vsurpare videntur, expresse hoc indicat citatum Concilium Toletanum: siquidem ex productione Filij & Spiritus sancti concludit, Patrem esse fontem & principium totius Deitatis. Idem indicat Concilium Florentinum, Cæterùm vterque sensus verus est, veramque reddit sine vlla limitatione propositionem. In vtroque tamen sensu, *Totalitas*, non cadit supra Deitatem, sed iuxta priorem sensum cadit supra modos communicabilitatis ; iuxta posteriorem verò supra personas producibiles in Deitate subsistentes. Ratio verò est, quoniam Concilia & Patres hanc propositionem pronunciant, tanquam Patris propriam. Solus autem Pater communicat totam Deitatem, quoad omnem modum communicabilitatis possibilem, & quoad omnes personas, in ea subsistentes producibiles ; nam solus Pater communicat illam per intellectionem & volitionem, quibus illa communicabilis est : & per productionem filiationis & processionis, quæ in Deitate subsistentes, producibiles sunt.

17. Tertiò; quòd talis locutio nullo pacto sit ad Filium extendenda, constat tum ex eadem authoritate Patrum & Conciliorum, quæ nunquam illam ad Filium extendunt, tum ex proxima assignata ratione : quoniam esse fontem & principium totius Deitatis, est esse principium communicandi Deitatem omnibus personis, & modo communicationis possibili. Quâ ratione non potest competere Filio, qui illam non communicat, nisi Spiritui sancto, & tantùm via spirationis per voluntatem.

18. Dices. Saltem poterit Filio competere fons & principium Deitatis, quo modo talem propositionem correxit Augustinus, cùm dixit, *Siue vt melius dicitur principiũ Deitatis :* vbi omisit particulam *Totius*, sine qua potest Filio competere, quòd sit principium Deitatis, nam illam verè communicat Spiritui sancto, etsi non omni modo, quo illa communicabilis est. Respondeo. Nego etiam cum hac limitatione posse talem locutionem ad Filium extendi : tum quia neque cum hac limitatione illam Augustinus, vel aliquis Patrum, aut Conciliorum ad Filium extendit : tum quia vel illa construitur cum termino *Fons* & *Origo* ; & idem sonat, quòd primum principium simpliciter in genere communicationis & productionis, quo pacto competit soli Patri, vel cum solo termino *Principiũ*. Et tunc, licet spectatâ intrinsecâ ratione, videatur etiam ad Filium extendi posse; spectatâ tamen extrinsecâ authoritate, quæ in propositionibus dogmaticis plurimis est facienda, ad Filium extendi non potest; cùm illa ex tacita institutione & approbatione Patrum & Conciliorum sit tantùm determinata ad Patrem. *Augustin.*

19. Dico quintò : Pater est Author Filij & Spiritus sancti, similiter Filius Spiritus sancti Author absolutè dici potest. Prior assertio sine controuersia recipitur ab omnibus Scholasticis, qui eam expresse cum Magistro in 1. dist. 9. cap. penult. & dist. 15. cap. vlt. docent. Eamque passim vsurpant Patres. Et licet Augustinus contra Maximinum ca. 14. illam distinguat : *Nam si propterea*, inquit, *Deum Patrem de Filio dicis Authorem, quia ille genuit, genitus est iste : quia iste de illo est, non ille de isto, fateor & concedo : si autem per nomen Authoris minorem vis facere Filium, Patremq; maiorem, nec eiusdem substantiæ Filium, cuius est Pater, detestabor & respuam.* Cęterùm propterea id Augustinus fecit, non quia propositio ipsa per se spectata talẽ sensum ingerat ; sed quia illa ex intentione proferentis detorquebatur ad falsum sensum, quod apertè colligitur ex ipsis verbis Augustini, dum talem propositionem non distinguit per ordinem ad intrinsecam significationem propositionis, sed per ordinem ad extrinsecam intentionem hęretici proferentis. Etenim, vt ex materia de Fide suppono, sæpè aliqua propositio suspecta esse potest, non ex intrinseca significatione, sed ex extrinseca intentione proferentis. Fundamentum verò assertionis est, quia nomen *Authoris* non importat, nisi rationem principij, vel ad summum rationem principij, connotando negationem originis ab alio. *Scholastici. Magister. Patres. Augustin.*

20. Posterior

S. Thomas. Caietanus.

20. Posterior assertio est contra S. Thomam in 1. dist. 29. q. 1. art. 1. & Caietanum 1. p. q. 32. art. 1. Quorum fundamentum est, quia nomen *Authoris* supra rationem principij addit negationem passiuæ originis ab alio. Nostra tamen sententia communior est inter Theologos, præsertim recentiores. Vnde

Torres.

Bartholomæus Torres 1. p. q. 33. art. 1. putat, S. Thomam mutasse sententiam in summa. Fundamentum verò assertionis est, quia etiam secundùm rigorem nominis, vt ex peritis Latinæ linguæ constat, *Author* non addit supra rationem principij negationem passiuę originis; cùm in humanis Pater sit verus Author Filij, etiamsi sit ab alio principio. Sufficit enim ad rationem *Authoris*, vt in eo, in quo est, principium non sit ab alio. Vnde

Hilarius.

nomen *Authoris* tribuit Filio Hilarius lib. 2. de Trinit. *Spiritus*, inquit, *sanctus de Patre & Filio Authoribus confitendus est*. Cæterùm notat citato loco Torres nomen *Authoris*, prout

Torres.

Filio tribuitur, non esse scribendum litera *C*. sed *T*. eò quòd cum litera *C* augmentum significat, vtpote à verbo *augeo* deriuatum; Cum litera verò *T* solùm significat eum, qui aliquid producit, etiamsi quod producit, non augeat.

21. Verùm non tantùm vt attribuitur Filio, sed etiam vt attribuitur Patri scribendum est litera *T* & non *C*, quia nec Pater producendo auget personam, quam producit, sed illam simpliciter producit. Etenim augere est superaddere nouam perfectionem præexistẽti eiusdem rationis cum perfectione, quæ in præexistente supponitur; at nec Pater, nec Filius producendo superaddunt nouam perfectionem termino præexistenti eiusdem rationis cum perfectione, quæ in præexistente supponitur; sed primò illam producunt. Dixi *perfectionem eiusdem rationis*, vt excluderem perfectionem absolutam naturæ, cui quodammodo præxistenti superadditur perfectio relatiua hypostasis productæ: quia cùm hæc non sit eiusdem rationis cum natura, dici non potest per productionem hypostasis natura quodammodo augeri; quoniam augmentum debet esse eiusdem rationis cum perfectione, cui superadditur.

22. Dico sextò. Nec Pater respectu Filij, nec vterque respectu Spiritus sancti causa propriè dici potest. Assertio communis

Theologi Latini.

est inter Latinos Theologos, quam Eugenius

Eugenius.

IV. in decreto de processione Spiritus sancti, tanquam communem sentẽtiam Latinorum Doctorum declarat & approbat: *Declarantes*, inquit, *quod id, quod SS. Doctores & Patres dicunt ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, vt per hoc significetur, Filium, quoque esse secundùm Græcos quidem causam, secundùm Latinos verò principium subsistentiæ Spiritûs S. sicut & Patrem*. Quin & ipse Patriarcha Constantinopolitanus

Bessarion. Patriarcha Constantinop.

Bessarion in oratione habita ad Concilium Florentinum de vnione cap. vlt. initio, hanc Latinorum sententiam contra Græcos approbare videtur; dum, *Quòd SS. Doctores orientales*, inquit, *in Diuinis vtuntur nomine causæ, & causati, largo modo, non quidem vt limitationẽ & dependentiam importat, sed prout productionẽ & emanationem à principio eius, quod est à principio, significat*. Vbi Patriarcha planè sentit, nomen causæ & causati non nisi impropriè (hoc enim sonat modus ille loquendi, *Largo modo*) Diuinis personis tribuit.

23. Ratio verò assertionis est, quia causa imperfectionem & dependentiam respectu eius, cuius est causa, denotat. Porrò imperfectio, quam causa respectu eius, cuius dicitur causa, importat, duplex est. Prima est diuersitas naturę quam, causa per se importat respectu causati, nam, vt ex Aristotele causam Philosophi definiunt, *Est vnde aliud sequitur*. Porrò *aliud* naturæ diuersitatem importat; propter quod in Diuinis non dicimus esse *aliud* & *aliud*, sed *alium* & *alium*: quoniã *aliud* naturæ, *alius* suppositi tantùm diuersitatem importat. Non sic autem Principium, quod, quia abstractius est, quippe quod alijs conuenit, quę causa non sunt, huiusmodi naturæ diuersitatem per se non importat. Vnde potest competere etiam ijs, quæ naturæ diuersitatem non important, sed solam suppositi distinctionem. Secunda imperfectio est, quia nunquam causatum habet esse cum tanta necessitate, cum quanta illud habet causa ipsa. Nam causa habet esse necessariò necessitate saltem suppositionis, quâ necessitate non habet esse ipsum causatũ, quia causatum potest saltem Diuinâ potentiâ impediri, ne recipiat esse à causa. Propter hanc duplicem imperfectionem, quam importat causa respectu causati, nequit Diuinis personis ad intra producentibus propriè tribui.

Aristotel.

24. Confirmatur, nam omnis causa vel est materialis, vel formalis, vel finalis, vel idealis, vel efficiens: nulla ex his in Diuinis tribui potest. Non materialis & formalis, vt per se patet. Non finalis, quia semper finis præstantior est ijs, quæ sunt ad finem. Vnde si vna persona esset finis alterius, vna esset nobilior aliâ. Non idealis; quoniam hæc definitur, *Id, ad cuius instar aliud exemplatur*; vnde essentialem diuersitatem ideati ab idea importat. Non demum efficiens: nam etiam hæc naturæ diuersitatem importat.

25. Ex his colligitur, quòd licet persona producta accipiat esse à persona producente; nec non vna persona alteram ad essentiale sui complementum exigat, non tamen vna persona est dependens, vel indiga alterius personæ: quoniam hæc acceptio, vel exigentia non est per aliquam causalitatem, & contingentiam, sed per solam originem, & omnimodam necessitatem.

26. Ad rationes dubitandi. Prima constat ex secunda assertione. Secunda cum sua confirmatione, ex quarta. Tertia ex quinta. Etenim nego, *Authorem* per se importare superioritatem, vel maioritatem respectu eius, cuius dicitur *Author*, sed solam rationem principij

principij cum negatione passiuæ originis in eo genere, quo constituitur principium. Ad quartam nego antecedens. Nam licet omnis causa sit ptincipium, non tamen contrà, omne principium est causa, nam priuatio est principium mutationis, non tamen est causa illius. Aristoteles autem explicandus est de principio realiter influente, quod licet in rebus creatis recurrat cum causa, in ordine ad quas Aristoteles principium influens definiuit, non tamen in Diuinis, quorum productricem virtutem Aristoteles ignorauit.

*Aristoteles.*

27. Ad complementum doctrinæ inquirunt hîc Scholastici, an ratio principij analogicè tantùm dicatur de principio notionali & essentiali, an etiam vniuocè. Variant plerumque Scholastici. Mihi iuxta data principia omninò dicendum est, rationem principij analogicè tantùm dici de notionali & essentiali. Fundamentum est, quia vel principium sumitur formaliter pro ipso formali respectu ad terminum producibilem, vel fundamentaliter pro subsirato talis respectus: neutro modo ratio principij potest vniuocè, sed tantùm analogicè conuenire principio essentiali & notionali: ergo. Prior pars minoris constat, quoniam respectus ad terminum producibilem in principio notionali est realis, in principio verò essentiali est rationis: Atqui enti reali & rationis non potest vna ratio vniuoca conuenire: ergo.

*Scholastici.*

28. Posterior verò pars Minoris probatur, quia nulla ratio perfectè vna ex Diuinis perfectionibus abstrahi potest. Ergo nequit ex principio notionali & essentiali vniuoca ratio abstrahi: igitur nequit ratio principij vniuocè prædicari de principio notionali & essentiali. Hæc posterior consequentia patet, quia non alia ratio prædicatur de inferioribus, quàm quæ ab illis abstrahitur; ergo si nequit à principio notionali, & essentiali abstrahi vna ratio vniuoca perfectè communis, nequit vniuoca ratio de illis prædicari. Prior consequentia etiam patet: siquidem principium notionale & essentiale sunt perfectiones intrinsecæ Deo. Antecedens verò probo, quoniam si posset vniuoca ratio ex perfectionibus Diuinis abstrahi, sequeretur in Diuinis perfectionibus dari metaphysicam compositionem, nam ad hanc sufficit concursus duorum conceptuum sese perfectè excludentium ad vnum tertium constituendum. Igitur si ex principio notionali & essentiali abstrahi posset ratio vna perfectè præcisa, à rationibus inferioribus, talis ratio proprijssimè constitueret vnum compositum metaphysicum cum ratione inferiore, à qua perfectè abstrahitur: non minùs quàm ratio animalis constituit vnum compositum metaphysicum cum rationalitate, à qua perfectè præscindit.

## SECTIO II.

### *An ingenitum tribui possit Patri, sitque ipsius tantùm proprium?*

29. PRIMA dubitandi ratio est, quoniam multi Patres, hoc nomen, tanquam præstigiosum, profanum, & à sacris Scripturis alienum à Diuinis remouebant. Legendi sunt Athanasius Orat. 2. contra Arianos, Epiphanius hæresi 73. Ambros. lib. de Incarnationis Dominicæ mysterio c. 8 & 9. vbi *In Scripturis*, inquit, *Ingenitum nusquam inuenio, non legi, non audiui.*

*Athanasius Epiphanius. Ambrosius.*

30. SECVNDA dubitandi ratio est, quoniam, vt Damascenus aduertit, lib. 1. fidei cap. 9. hoc nomen *Ingenitum* maximam continet æquiuocationem: *Nosse autem*, inquit, *oportet, Ingenitum, Homonymum esse, & nunc non factum significare, nunc verò non genitum.* Nam vel illud negat productionem inuoluentem mutationem, & sic conuenit omnibus Diuinis personis. Vel negat solam productionem per generationem, & sic conuenit etiam Spiritui sancto, qui per generationem non procedit; vel negat omnè productionem actualem, & sic conuenit etiam creaturis possibilibus; nam etiam illæ sunt hoc modo ingenitæ. Vel demum negat productionem etiam possibilem, quo pacto ingenitum conuenit etiam naturæ Diuinæ, nec non entibus impossibilibus; nam tam naturæ Diuinæ, quàm entibus impossibilibus repugnat quælibet productio. His tamen non obstantibus,

31. Dicendum est, ingenitum esse proprium Patris, nec posse alij, quàm ipsi attribui. In hac assertione omnes Scholastici conueniunt cùm Magistro in 1. dist. 28. & apertè colligitur ex perpetuo vsu totius Ecclesiæ, quæ semper hoc nomen, tanquam Patris proprium vsurpauit in Concilijs & Hymnis. Eadem veritas traditur à Patribus, qui vnanimi consensu hoc nomen attribuunt soli Patri, non tanquam in Scripturis contentum, sed disputantium consuetudine introductum, vt Augustinus testatur 15. de Trinit. cap. 26. ad finem: *Pater solus*, inquit, *non est de alio, ideò solus appellatur ingenitus, non quidem in Scripturis, sed in consuetudine disputantium.* Quòd si interdum illud reijcere videntur, id propterea faciunt, ne, vt Basilius testatur lib. 1. contra Eunomium, ansam præbeant Arianis, qui ex hoc nomine occasionem arripiebant, vrgendi Catholicos, vt, si ingenitum Patrem, genitum Filium fatererentur, naturæ diuersitatem inter eos admittere cogerentur: cùm, vt ipsi inferebant, impossibile sit, eiusdem naturæ esse genitum & ingenitum. *Ego*, inquit Basilius, *Ingeniti, siue*

*Scholastici. Magister. Perpetuo Ecclesiæ vsu firmatum.*

*Augustin.*

*Basilius.*

*Innascibilis*

*Innascibilis appellationem, quamuis summopere cogitationibus nostris congruat, tamen quoniam nullo modo in Scripturis ipsam inuenio, & quoniam primum est elementũ blasphemiæ istorum, silentio tradendam meritò dixerim.* At vbi ista hæreticorum calumnia cessauit, nullũ est periculũ, nulla suspicio in talis nominis vsurpatione. Vnde qui nunc oppositum sentiret, non solùm temerarius, sed etiam erroneus iudicio Bartholomæi Torres 1.p.q.33.art. 4. & Didaci Ruiz de Trinitate disput. 52. sect. 3. habendus esset. *Torres. Ruiz.*

32. Antequam autem demonstremus, hoc nomen *Ingenitum* esse proprium Patris, nec posse Filio aut Spiritui sancto simpliciter attribui, videndum est, in qua significatione illud accipiendum sit: ergo, vt soli Patri conueniat, sitque illius à reliquis omnibus condistinctiuum, negare debet omnem omninò passiuam producibilitatem, siue per originem hypostasis, siue per communicationem naturæ. Atqui hoc modo esse solius Patris proprium, facilè ostenditur. Nam solus Pater non est ab alio, neque per originem hypostasis, neque per communicationem naturæ: igitur solus Pater est ingenitus. Consequentia patet ex *Ingeniti* supposita notione. Antecedens sic demonstro. Etenim, posito, quòd in Deo sint aliquæ personæ realiter productæ, necessariò concedenda est vna omnino improducta, à qua reliquæ productæ originem trahant.

33. Hoc autem sic ostendo. In quauis serie producentis & producti, necessariò sistendum est in aliquo primo principio, à quo ita reliqua sint, vt ipsum à nullo alio esse possit: ergo etiam in serie Diuinarum personarum producentium & productarum sistendum erit in vno primo principio, à quo ita reliquæ personæ sint, vt ipsum à nullo alio esse possit. Consequentia constat à fortiori. Nam ratio, quæ demonstrat, in quauis serie producentis & producti sistendum esse in aliquo primo omnino improducto, euidentiùs ostendit, id asserendum esse in serie ipsa Diuinarum personarum. Etenim ratio, quæ in quauis alia serie id apertè conuincit, sunt manifesta absurda, quæ secum affert infinitas producentium & productorum, quæ necessariò admittenda esset, si sistendũ non esset in vno primo principio omnino improducto: atqui hęc potiori iure & ratione conuincunt in serie ipsa diuinarum personarum, quarum infinita multiplicatio multò magis repugnat, quàm quæuis alia infinita rerum multitudo, propter illimitationem perfectionis, quam vnaque persona Diuina debet in suo genere cõtinere. Nam hoc ipso, quòd personæ diuinæ essent infinitæ, singulæ essent imperfectæ, & finitæ perfectionis in suo genere. Quia cùm hæc multiplicatio personarum necessariò deberet esse numerica, hoc ipso vna persona non contineret omnem numericam perfectionem possibilem, siquidem non contineret numericas perfectiones reliquarum personarum. Antecedens verò constat ex disputatis de existentia Dei. Posito igitur, quòd in processu Diuinarum personarum sistendum necessariò sit in aliquo primo principio omninò improducto: hoc aliud esse non potest, quàm Pater: igitur solus Pater erit ingenitus. Minor probatur, nam hoc esse non potest natura ipsa Diuina, aut aliqua alia persona, à Patre distincta: ergo necessariò erit Persona ipsa Patris.

34. Quòd non possit esse natura ipsa Diuina, constat: nam hæc non distinguitur à paternitate. Inter producens autem & productum debet realis intercedere distinctio. Nec sufficit, sola distinctio formalis, aut modalis, qualem inter natutam Diuinam & personalitates ponunt Scotus & Durandus: quia non posset maiore distinctione distingui paternitas à reliquis personalitatibus, quàm distingueretur ab ipsa natura Diuina, si ab ipsa produceretur: atqui de facto paternitas non distinguitur à reliquis personalitatibus Diuinis solâ formalitate, aut modalitate. Sed realitate: ergo eadem realitate distingueretur à natura, si ab ipsa produceretur. Minor cum consequentia claret. Maior probatur, quia non per aliud paternitas distingueretur à reliquis personalitatibus, quàm per id, quod vi productionis acciperet à natura: ergo si à natura vi productionis non acciperet, nisi solam formalitatem, aut modalitatem, non posset à reliquis personalitatibus distingui realitate. Antecedens constat in omnibus Diuinis personalitatibus, quæ non per aliud inter se distinguuntur, quàm per id, quod vi productionis singulæ accipiunt à producente. Cuius ratio est, quia tota ratio distinctionis in Diuinis fundatur in ipsa ratione productionis: nam in quo non producuntur, nullo modo distinguuntur, alioqui distinguerentur in entitate absoluta. *Scotus. Durandus.*

35. Occurri posset huic argumento per quandam doctrinam assignatã in additionibus Scoti in 1. dist. 28. q. 3 §. *Præterea tertio*, quòd quando producens est suppositum, tunc debet inter ipsum & productum realis distinctio intercedere; secus quando producens non est suppositum, sed tantùm indiuiduum singulare, quale esse natura Diuina paternitatem producens. Cuius discriminis ratio est, quia indiuiduum singulare potest producendo se totum communicare producto. Etenim quâ singulare est, non repugnat ei productio; quâ verò non suppositum, non repugnat ei cõmunicatio. Suppositio autem non repugnat productio, repugnat tamen communicatio; & ideo si producit, semper distinctum producit, quia proprium suppositi est, esse incommunicabile. *Scotus.*

36. Sed contrà, nam siue producens sit suppositum, siue solùm naturæ indiuiduum, implicat, vt realiter producat, & sit idem realiter cum producto: quia realis distinctio inter

inter producens & productum non fundatur in eo, quòd producens sit suppositum, sed in eo præcisè quòd sit producens: quoniam vt producens debet realiter influere in productum: nequit autem idem realiter influere in se ipsum; quia cùm realis influxus sit realis egressio termini à virtute productrice, implicat, vt sit idem cum ipsa virtute producẽte. Fateor hanc rationem assignari non posse ab ijs, qui docent proximum principium producendi in Diuinis esse naturã: imò nec posse ab ijs conuincentem rationem reddi, cur nequeat paternitas à natura produci, esto ab illa non distinguatur: sicut nec ab ipsa distinguitur filiatio: cùm tamen filiatio sit à sola natura, vt à principio realiter influente.

37. Quòd autem eadem paternitas non possit esse ab aliqua alia persona, ab ipsa paternitate distincta, sic ostendo. Nam vel hæc esset aliqua ex personis ab ipsa persona Patris productis; & hoc implicat non minùs, quàm implicet idem produci à se ipso: nam æqua implicantia est, idem produci à se ipso, atque à suomet producto: vel esset alia persona improducta; & tunc non foret maior ratio, cur potiùs sistendum esset in hac persona improducta, quàm in ipsa persona Patris. Vnde vlteriùs sciscitandum esset, quo genere productionis produceretur à tali persona Pater, generationisne, an spirationis, an alterius generis? non generationis, alioqui non posset Pater alium Filium gignere, cùm tota vis generatiua tunc adæquata esset in prima productione. Vnde Pater non esset Pater, sed Filius. Non Spirationis, tum propter eandem rationem: tum quia illa esset prima productio, quæ in Diuinis non potest esse spiratio, quia hæc est per voluntatem, quæ intellectus productionem supponit. Non alterius generis: quia in agente per intellectum non datur alia productio, quàm per intellectum & voluntatem.

38. Occurri posset huic argumento, ponendo vtramque personã & Patrem & quæ ponitur à Patre distincta, improductã. Vnde tunc saltem sequeretur, *Ingenitum* non esse solius Patris proprium, sed alterius etiam personæ, quæ ponitur à Patre distincta.

39. Sed contrà, tum quia si admitterentur, duæ personæ improductæ, non esset maior ratio, cur non admitterentur plures. Tum quia vel vtraque persona concurreret ad productiones aliarum, vel non. Si vtraque concurreret, assignanda esset tertia notio communis, per quã illæ ambæ simul concurrerent ad productionem Filij & Spiritûs S. sicut assignatur in Patre & Filio communis notio spirationis actiuæ ad producendum Spiritum S. Si non vtraque produceret: ergo alterutra esset otiosa, quo nihil repugnantius in Diuinis, cùm ibi omnia sint summè necessaria. Tum maximè, quoniam talis distinctio personarum necessariò secum ferret realem distinctionem naturarum. Quod sic ostendo. Nam istæ personalitates necessariò essent in suo genere imperfectæ, cùm neutra per se sumpta adæquaret capacitatem naturæ Diuinæ, quam habet ad simpliciter subsistendum. Quia cùm tales personalitates non ponerentur, vt termini fœcunditatis Diuinæ, quippe cùm non essent productæ, sed à se, necessariò deberent poni ad explendam capacitatem naturæ Diuinæ, quam habet ad simpliciter subsistendum. Ergo neutra per se sumpta esset sufficiens explere infinitam capacitatem naturæ Diuinæ: ergo singulę per se sumptę essent finitę virtutis: ergo etiam simul sumptæ essent finitæ perfectionis: ergo etiam natura, quam istæ personalitates suppositarent, esset finita: ergo illa non esset vna, sed plures realiter inter se distinctæ. Prima consequentia patet, quia si quælibet personalitas per se sumpta, sufficiens esset ad explendam capacitatem naturæ Diuinæ, quam habet ad subsistendum simpliciter, superfluè ponerentur duæ; cùm non ob aliam rationem illę ponantur, quàm vt reddant naturam simpliciter subsistentem. Secunda consequentia probatur, quia infinitum est, quod continet omnem perfectionem possibilem illius generis, in quo ponitur infinitum: vnde hoc ipso, quòd quælibet subsistentia non esset per se sufficiens explere capacitatem naturæ ad subsistendum simpliciter, non contineret omnem perfectionem possibilem in genere subsistentiæ simpliciter. Tertia consequentia patet, nam ex duabus perfectionibus finitis, non potest consurgere vna infinita; sicut neque ex duobus numeris finitis, tertius numerus infinitus. Quarta consequentia ostenditur: quia cũ subsistentia sit cõnaturalis perfectio quę à natura exigitur, & natura nõ exigat, nisi perfectionem sibi adæquatam, hoc ipso, quòd duę istæ subsistentię essent finitę, essent à natura finita: cùm non possit natura infinita naturaliter exigere subsistentiam finitam. Vltima verò consequentia euidenter infertur ex præcedente: nam si talis natura esset finita, necessariò esset multiplicata, cùm infinitum in esse nullam admittere possit multiplicitatem in esse.

40. Ex his euidenter concluditur, *Ingenitum* prout importat negationem omnis passiuæ originis, & communicationis, esse proprium Patris, nulloque pacto conuenire posse alteri personæ, aut naturæ Diuinæ; nam ei saltem in supposito Filij & Spiritus sancti non repugnat cummunicatio passiua, cui tamen repugnat in supposito Patris; quia prout est in supposito Patris, non potest illi conuenire passiua communicatio ab alio.

41. Quæres. An saltem in alijs significationibus possit *Ingenitum* attribui Filio & Spiritui sancto? Respondeo posse, sed semper cum addito declarante & limitante illud ad significatum personæ, cui attribuitur, conueniens. Cæterùm simpliciter & absolutè non posse: nam quodlibet nomen absolutè pro-

tè prolatum stat pro significato, ad quod ex voluntate & consensu institutoris est principaliter impositum. Atqui ex communi consensu Patrum, Ecclesiæ, & Scholasticorum hoc nomen *Ingenitum* principaliter est impositum ad significandam negationem omnis passiuæ originis & communicationis: ergo simpliciter prolatum stabit pro ea: atque adeo non poterit simpliciter sine termino declarante & limitante attribui alteri à Patre.

*Communis consensus Patrum Ecclesiæ, & Scholasticorum.*

42. Ex dictis patet ad primam rationem dubitandi, nam non ideò Patres negabant nomen *Ingenitum* Patri, quia putabãt, illud non congruere cum ipsa notione Patris, quin expressè Basilius fatetur, illud summoperè congruere, & aptum esse ad explicandam proprietatem æterni Patris; sed ad euitandam calumniam hæreticorum, qui per huiusmodi nomen vexabant simplices. Secunda verò soluta manet, declarato multiplici notionis significato, & in quo illud sit accipiendum, vt sit proprium Patris.

*Ad Patres.*

*Basilius.*

43. Solùm supereſt, respondendum, quo pacto *Ingenitum*, prout dicit negationem omnis passiuæ productionis & communicationis, conueniat etiam entibus impossibilibus. Ad quod respondeo, ex opposita omninò ratione *Ingenitum* conuenire æterno Patri, & impossibilibus. Nam impossibilibus conuenit propter summam eorum imperfectionem; Patri verò propter summam eius perfectionem. Nam ex eo, quòd illa sunt essentialiter non entia, nullius perfectionis, ne per passiuam quidem productionem & communicationem possunt esse capacia. Æternus verò Pater contrà, quia quidditatiuè est ens à se, & per omnimodam improductionem & incommunicationem habet omnia à se, non est capax vllius productionis vel cõmunicationis ab alio. Quare æternus Pater dicitur *ingenitus* ratione fundamenti positiui, essentialiter includentis omnem perfectionem à se. Impossibilia verò dicuntur *ingenita* ratione fundamenti negatiui, essentialiter excludentis omnem capacitatem participandi vllam perfectionem, etiam per communicationem ab alio.

## SECTIO III.

### *Quid de formali importet, Ingenitum prout est proprium Patris?*

44. PRIMA sententia affirmat, importare aliquid positiuum, conueniens Patri ex eo formaliter, quòd non est ab alio. Hanc rationem positiuam explicant aliqui per vniuersalem authoritatem seu primitatem in originando, quam Pater habet supra cæteras personas Diuinas: alij per fontalem plenitudinem Diuinæ fœcunditatis: alij per relationem oppositam relationi geniti, ad eum modum, quo inæqualitas & dissimilitudo dicit positiuam relationem, oppositam relationi æqualitatis & similitudinis. Hanc sententiam referunt, & impugnãt Alensis 1. p. q. 69. mem. 2. Bonauen. in 1. dist. 28, a. 1. q. 1. S. Tho. 1. p. q. 33. art. 4. ad 1. Scotus dist. 28. q. 2. art. 2 & reliqui ferè Scholastici, Fundamentum huius sententiæ, quia *Ingenitum* seu *innascibilitas* est propria notio Patris pertinens ad dignitatem ipsius, distinguens illum à reliquis personis Diuinis: igitur est aliquid positiuum: cùm non possint hęc munia, nisi à ratione positiua præstari.

*Alensis. Bonauent. S. Thomas. Scotus. Reliqui Scholastici.*

45. Confirmatur, nam ita se habet filiatio & nascibilitas in Filio, sicut paternitas & innascibilitas in Patre: sed Filiatio & nascibilitas important rationem positiuam in Filio, ergo & paternitas & innascibilitas in Patre. Vnde Augustin. 5. de Trinit. c. 7. *Non ergo*, inquit, *receditur à relatiuo prædicamento, cùm ingenitus dicitur. Sicut enim genitus non ad se ipsum dicitur, sed quòd ex genitore sit: ità cùm dicitur ingenitus, nõ ad se ipsum dicitur, sed quòd ex genitore non sit, ostenditur. In eodem tamen prædicamento, quod relatiuum vocatur, vtraque significatio vertitur.* Vnde concludit: *Quia sicut Filius ad Patrem, & non Filius ad non Patrem refertur: ita genitus ad genitorẽ, & non genitus ad non genitorem referatur, necesse est.*

*Augustin.*

46. Secundò, Eandem sententiam probat Aureolus apud Capreolum mox citandum hoc pacto. Esse in se est positiuus modus essendi substantiæ: ergo esse à se erit positiuus modus subsistendi in Patre: sed talem modũ dicit Innascibilitas Patris: ergo. Tertiò esse à se non videtur aliud dicere, quàm habere sufficientiam subsistendi ex se sine alio: hoc autem est positiuum: ergo innascibilitas, quæ talem modum significat, importat aliquid positiuum. Quartò esse infinitum & indiuisum importatur priuatiuè, & tamen dicunt modum positiuum: ergo etiam esse ingenitum & innascibile.

*Aureolus. Capreolus.*

47. SECVNDA sententia docet, *Ingenitum* importare solã negationẽ productionis ab alio. Est Capreoli in 1. dist. 28. q. vnic. art. 1. concl. 1. Mayroni q. 1. art. 1. inclinãt S. Th 1. p. q. 33 art. 4. & in 1. dist. 28. q. 1. art. 1. ad 1. & Scotus q. 2. art. 2. Fundamentum Mayroni est, quoniam in Patre non est nisi essentia & relatio. sed *Ingenitum* non importat essentiam, vt, vt per se patet; nec relationem; quia vel hæc esset paternitas: vel actiua spiratio: neutra autem potest nomine ingeniti importari; non paternitas, *quia* vt docet Augustinus 5. de Trin. cap. 6. *etsi Pater Filium non genuisset, nihil prohiberet, eum dicere ingenitum:* non actiuam spirationem, nam hæc communis est Filio. Restat ergo, vt solam importet negationem productionis ab alio: sicut incorruptibile importat solam negationem corruptionis.

*Capreolus. Mayronus. S. Thomas. Scotus. Augustin.*

48. TERTIA sententia docet, importare vtrumq; & negationẽ productionis ab alio, & proximũ fundamentum talis negationis.

Verùm

Verùm adhuc dissensio est inter Authores huius sententiæ, quid *Ingenitum* importet de formali per se primò, positiuumne, an negatiuum? *Aureol.* Aureol. in 1. dist. 28. art. 2. circa finem censet, *Ingenitum* siue *innascibile* de formali importare positiuum, de materiali verò & connotatiuè negatiuum. Fundamentum eius est, quia *Ingenitum* & *innascibile* sunt nomina substantiua, quæ de formali & in recto important suppositum, denominatiuè autem & in obliquo formam affirmantem, vel negantem: velut Immensus substantiuè significat in recto & de formali suppositum, in obliquo verò & denominatiuè formam ipsam immensitatis. Alij contrà existimant, de formali importare negationem, de materiali verò & consequenter positiuum fundamentum negationis. Ita *Alensis* 1. p. q. 79. mem. 2. *Bonauentur.* in 1. dist. 28. art. 1. q. 1. *Durandus* q. 1. num. 5. *Richard.* art. 2. q. 1. *Lychetus* q. 2. in fine, *Vasquez* 1. p. q. 140. c. 3. *Suarez* libr. 8. de Trinit. cap. 2. & reliqui ferè recentiores Theologi. Pro cuius controuersiæ explicatione,

*Aureolus.*

*Alensis. Bonauent. Durand. Richardus. Lychetus. Vasquez. Suarez. Reliqui Theologi.*

49. Nota primò, dupliciter importari posse aliquod positiuum nomine negatiuo, vno modo connotatiuè, seu in obliquo, & per modũ subiecti connotati: quo pacto omnis priuatio connotat subiectum, in quo veluti inhæret; est enim priuatio, negatio in subiecto apto: alio modo in recto quidem, & per modũ partialis significati integrantis significationem totalem, secundariò tamen & consequenter. Præsens controuersia non est, an *ingenitum* seu *innascibile* importet aliquid positiuum primo modo; quia cùm importet remotionem passiuæ originis per modum priuationis, necessariò importabit aliquid positiuum per modum subiecti obliquè connotati: sed cõtrouersia est, an hoc positiuum importet secundo modo, per modum partialis significati, & in recto, licet secundariò & consequenter.

50. Nota Secundò, *Ingenitum* & *innascibile* dupliciter accipi posse, vno modo concretè pro subiecto habente ingignentiam & innascibilitatem, alio modo abstractè pro ipsa ingignentia & inascibilitate: in vtraque acceptione videndũ erit, quid illis vt directũ & integrum significatum respondeat.

51. Dico Primò: In vtraque acceptione tam concretè, quàm abstractè *ingenitum* & *innascibile* non important solùm negatiuum, aut solùm positiuum, sed vtrumque simul; negatiuum quidem principaliter & de formali, positiuum verò secundariò & de materiali. Est contra *Torres* 1. part. quæst. 33. articul. 4. docentem, hæc nomina tantùm concretè accepta de materiali importare subiectum, abstractè verò solam importare negationem essendi ab alio. Fundamentum tamen nostræ assertionis est, quia non possunt hæc nomina per se primò importare aliquid positiuum, nec solam negationem: ergo vtrumque simul. Atqui non important æquè primò vtrumque: igitur vnum primariò & de formali, alterum secundariò & de materiali. Antecedens quoad priorem partem patet, quia nomina negatiua nequeunt per se primò importare aliquid positiuum. Nam id per se primò importat nomen, ad quod significandum principaliter imponitur. Principaliter autem negatiuum nomen imponitur ad remouendam aliquam positiuam formam de subiecto: igitur illius negationem principaliter Importat.

*Torres.*

52. Confirmatur primò, Nam *ingenitum* & *innascibile* per se primò negant relationem geniti & nascibilis; nam particula *In*, vim habet priuandi: sed relatio geniti & nascibilis est perfectio positiua, vt constat in ipso Filio Dei: ergo nequeunt *ingenitum* & *innascibile* per se primò importare perfectionem aliquam positiuam.

53. Confirmatur secundò, nam idẽ sonat esse *ingenitũ* & *innascibile*, prout est Patri proprium; quod esse à se: sed esse à se de formali negat esse ab alio productũ, vt cùm dicimus Deũ esse à se, primariò & formaliter significamus, Deum à nullo esse productum. ergo.

54. Probatur idem Antecedens quoad posteriorem partem ex eodem assignato principio. Nam id totum importat nomen, ad quod significandum est impositum. At nomen *ingenitum* & *innascibile* non solùm est impositum ad remouendam omnem passiuam productionem & communicationem à Patre, sed etiam ad significandam positiuam perfectionem, propter quam conuenit Patri talis negatio. Cùm enim nequeamus hanc positiuam perfectionem immediatè & per se in Patre concipere, illam circumloquimur, & explicamus per negationem productionis & communicationis ab alio. Confirmatur, nam similibus nominibus vtimur ad explicandas positiuas perfectiones essentiæ Diuinæ, vt sunt *Immensus*, *Infinitus*, *Immutabilis* & similia. Nam omnia hæc simul cum negatione, quam explicitè & de formali important; implicitè etiam & secundariò important perfectionem illam positiuam, propter quam talis negatio Deo conuenit. Prima verò consequentia claret. Minor autem primi syllogismi probatur, nam id importat per se primò nomen, quod illo audito primo concipimus. Atqui audito hoc nomine *ingenito*, sicut & quolibet alio negatiuo de Deo, per se primò concipimus negationem, secundariò verò perfectionem, in qua talis negatio fundatur. Minor patet, nam id primò concipimus audito nomine, quòd nomen ipsum immediatè offert intellectui concipienti: sed nomen negatiuum immediatè offert intellectui concipienti negationem: ergo.

55. Cęterũ quod hæc nomina non solùm in concreto, sed etiam in abstracto de materiali & secundariò importent positiuum fundamentum negationis, sic probatur. Nam etiam per talia nomina abstracta significare intendimus perfectionem aliquam posi-

tiuam

tiuam in Deo, ratione cuius illi talis negatio conueniat: nisi quod per nomina concreta hanc positiuam perfectionem significamus in concreto; per abstracta verò eandem perfectionem significamus in abstracto.

56. Non minor controuersia inter Authores supereſt, quid sit hoc positiuum, quod hoc nomẽ *ingenitum*, seu *innascibile* in æterno Patre importat. Dnplex autem perfectio est in Patre, natura absoluta, & hypostasis relatiua. Certum est, hanc negationem non fundari proximè in natura absoluta: nam quidquid proximè fundatur in illa, est commune omnibus personis. Nam quamuis natura præcisè spectata dici queat *ingenita*, quatenus esse *ingenitum* importat intrinsecam improducibilitatem: quia tamen illi non repugnat, saltem ratione personæ, cui communicatur, ratio geniti, sicut nec ratio passiuæ communicationis, quam etiam negat *ingenitum*, prout est Patris proprium, non potest hæc negatio proximè & immediatè fundari in natura, vel in aliqua perfectione absoluta, sed in sola hypostasi relatiua. Porrò in ipsa hypostasi relatiua Patris duo sunt, Paternitas, per quam constituitur proximum principium productiuum Filij, & Spiratio actiua, per quam constituitur proximum principium productiuum Spiritus sancti. Certum est, hanc negationem *ingeniti* fundari non posse in spiratione actiua, quia hæc communis est Filio, cui tamen non conuenit ratio *ingeniti*, sed potiùs ratio geniti. Supereſt igitur, vt in sola Paternitate fundetur: in ea autem fundari obstant duo, primum est, quoniam, vt Augustinus 5. de Trinit. cap. 6. docet, Nihil *prohibet Patrem fuisse ingenitum, etsi Filium non genuisset*: nam si vna tantùm fuisset persona in Deo, proculdubio illa fuisset ingenita: Contrà verò, nihil prohibet esse Patrem, esto *ingenitus* non sit, vt constat de Patribus creatis. Igitur ratio *ingeniti* nequit in Paternitate proximè fundari. Nam de ratione proximi fundamenti est, vt eo sublato, tollatur, & eo posito, ponatur ratio in eo proximè fundata. Secundum est, quia *Innascibilitas* est diuersa notio à paternitate, vt ex disputatione præcedente constat: non esset autem diuersa notio, nisi aliquid ab ea distinctum importaret. His tamen non obstantibus,

*Augustin.*

57. Dico Secundò: Formalis ratio proximè & immediatè fundans negationem geniti seu producti in æterno Patre est paternitas, non sub explicito conceptu generantis, aut spirantis; nec sub ratione Authoris, primi principij, fontalis plenitudinis, aut patriarchalis dignitatis; nec sub explicita formalitate essendi à se; sed sub expressa ratione primæ hypostasis, naturam Diuinam adæquatè terminantis, & cum illa adæquatè constituentis personam, sub ratione primæ personæ. Dico primam, non per ordinem ad alias personas, nam etiamsi aliæ personæ non essent, adhuc illi conueniret ratio ingeniti: neque per exclusionem alterius personæ prioris; nam hæc formaliter importat negationem, nos autem inquirimus proximum principium positiuum. Sed dico primam per respectum ad naturam Diuinam, quam per positiuam exigentiam quidditatiuè postulat adæquatè primò terminare, & constituere cum illa personam, in ratione primæ adæquatam. Assertio sic explicata probanda est per singula membra.

58. Primò, quòd fundamentum talis negationis sit paternitas, euidenter concluditur per exclusionem aliarum perfectionum & formalitatum, quæ in Patre considerari possunt.

59. Secundò, quòd non sit sub explicito conceptu generantis, aut spirantis, satis constat ex rationibus proximè adductis.

60. Tertiò, quòd neque sit sub ratione Authoris, primi principij, fontalis plenitudinis, aut patriarchalis dignitatis, adhuc probatur. Nam omnes istæ formalitates supra rationem principij productiui non addunt in Patre, nisi solam negationem essendi ab alio: sed negatio essendi ab alio nequit fundare rationem ingeniti: ergo. Maior patet: nec puto ab aduersarijs negari posse, cùm præter assignatam negationem, non sit assignabilis alia ratio, quam illæ addere possint. Minor probatur, nam negatio essendi ab alio, est ipsissima negatio, quam ingenitum ipsum importat. At nequit negatio esse fundamentum sui ipsius.

61. Quartò, quòd neque hæc ratio fundandi sit paternitas sub explicito conceptu essendi à se, constat ex proxima ratione assignata: siquidem esse à se formaliter importat negationẽ essendi ab alio, quòd formalissimè importat ratio ipsa ingeniti. Respondent verò aliqui, esse à se explicitè quidem importare negationem essendi ab alio, per hanc tamen negationem explicari positiuam perfectionem, per quam Diuina paternitas est sibi ipsa sufficiens ad essendum, independenter à quacunque passiua origine: atque secundùm hanc rationem positiuam esse fundamentum negationis omnis passiuę productionis & communicationis. Sed contrà, nam hæc ipsa positiua ratio erat ab illis explicanda: hanc enim ipsam quærimus, dum inquirimus, in quo immediatè fundetur, ingeniti, innascibilisque ratio in Patre. Respõdere autẽ, quòd illa immediatè fundetur in ipsa ratione essendi à se, prout hæc importat perfectionem positiuam explicatam per ipsam negationem essendi ab alio, non assignatur aliquid diuersum ab eo, quod quærimus, & in controuersiam vertitur.

62. Quintò demum, quòd proximũ fundamentum huius negationis sit paternitas sub expressa ratione primæ hypostasis, naturam Diuinam adæquatè terminantis, & constituentis cum illa primam personam, modò in assertione explicato, sic probatur. Nam hæc est positiua ratio in sola paternitate

incluſa, quæ formaliter non includitur in reliquis Diuinis perſonalitatibus; &, eâ poſitâ, formaliter ponitur; eaque ſublatâ, formaliter tollitur ratio ingeniti ſeu innaſcibilis in Patre: ergo illa eſt proxima ratio fundandi negationem, quam ingeniti innaſcibiliſque ratio in Patre formaliter importat. Confirmatur, nam ex hac perfectione, tanquam ex prima & immediata radice habet Pater, vt non modò ſit ingenitus & improductus, ſed etiam vt ſit author reliquarum perſonarum, primum principium, origo & fons totius Deitatis, ac Patriarchalis dignitatis. Nam ex eo, quòd eſt prima hypoſtaſis quidditatiuè terminans primò naturam Diuinam, adequatè in ratione primæ perſonæ, formaliter habet, vt nullam aliam hypoſtaſim eiuſdem ordinis & primitatis in Deo admittat; ac proinde vt non modò ipſa ſit prima atque improducta, cùm non poſſit niſi ab alia hypoſtaſi produci; verùm etiam vt ipſa tantummodo ſit improducta, & principium ac fons reliquarum perſonarum. Nam hoc ipſo, quòd eſſet alia perſona æquè improducta, paternitas non eſſet prima hypoſtaſis adæquatè terminans naturam ſub ratione primæ perſonalitatis: eò quòd tunc inadequatè tantùm, ſub ratione primæ perſonæ naturam terminaret.

63. Dices. Prima radix, cur paternitas quidditatiuè exigat primò adæquatè terminare ſub ratione primæ perſonalitatis naturam Diuinam, eſt ipſa natura Diuina: ergo non paternitas, ſed natura ipſa Diuina eſt prima radix talis negationis. Antecedens probatur, quia cùm ſubſiſtẽtia ſit prima proprietas ſubſtantialis naturæ, ab ipſa habet, vt ſit talis vel talis quidditatis ſeu exigentiæ. Reſpondeo. Concedo naturam eſſe primam radicem, non tamen proximam & immediatam, ſed remotam & mediatam talis negationis.

64. Ex dictis deducitur primò, rationem ingeniti & innaſcibilis eſſe poſteriorem paternitate, non quidem ſub explicito conceptu Patris, vt refertur ad Filium; ſed ſub explicito conceptu primæ hypoſtaſis, adæquatè Diuinam naturam terminãtis ſub ratione primæ perſonalitatis. Ratio eſt, quia omne fundamentum eſt prius ratione in eo fundata. Ergo paternitas ſub explicito conceptu primæ hypoſtaſis naturam Diuinam adæquatè terminantis, eſt prior ſecundùm rationem negatione, quam ingeniti innaſcibiliſque ratio importat, tanquam fundamentum ratione in eo fundata.

65. Deducitur ſecundò, quo pacto *ingenitum* priuatiuè, & non merè negatiuè dicatur de Patre abſque vlla imperfectione ipſius: quod cum S. Thom. 1. p. q. 33. art. 4. ad 2. docent reliqui ferè omnes Theologi. Cuius ratio eſt, quia hanc priuationem geniti ſeu producti non importat in ſubiecto, de quo dicitur, ſecundùm rationem indiuiduã, ſed ſecundùm rationem ſpecificam, quatenus nimirum importat negationem formæ, quæ in alio ſubiecto conſimilis naturæ nata eſt ineſſe. Sic enim *ingenitum* importat negationem productionis, quam Filius & Spiritus ſanctus perſonæ eiuſdem naturæ cum Patre aptæ ſunt habere. Vnde ex hoc nulla arguitur imperfectio in Patre, qui non vt Pater, ſed vt perſona ſpecificè conueniens cum Filio & Spiritu ſancto, aptus eſt talem formam habere.

*S. Thomas. Reliqui Theologi.*

66. Verùm in hac doctrina vna remanet difficultas non diſſimulanda; nam videmur in perſona Patris admittere aliquam perfectionem abſolutam, conſtitutiuam perſonæ Patris. Nam ratio primæ hypoſtaſis, cùm præſcindatà reſpectu ad Filium & Spiritum ſanctum, non eſt formaliter reſpectiua: ex alia verò parte illa primò & immediatè conſtituit perſonam Patris; eſt enim prima & immediata ratio terminandi hypoſtaticè naturam, & reddendi illam incommunicabiliter ſubſiſtentem, ac primum principium productiuum reliquarum perſonarum. Nec refert, quòd hæc ratio ſit inadæquata, & quaſi partialis, non adæquata, & quaſi totalis perſonalitatis Patris: tum quia neque inadæquatam & partialem rationem abſolutam admittere debemus in perſona Patris: tum quia per talem rationem inadæquatam ſufficienter concipitur natura Diuina hypoſtaticè terminata, in ratione primæ perſonæ, quippè cui reſpectus ille ab Filium & Spiritum ſanctum aduenit, vt conſtitutæ iam & ſubſiſtenti in ratione primæ perſonæ.

67. Reſpondeo, non repugnare in Diuinis perſonis concipere aliquam rationẽ abſolutam partialem, & incompletam. Nam in primis Diuinas perſonas concipimus ſub ratione entis, ſubſtantiæ, formæ hypoſtaticæ, qui conceptus formaliter ſunt abſoluti. Cuius ratio eſt, quia perſonalitates Diuinæ, cùm ſint perfectiones reales & ſubſtantiales, neceſſariò includunt reales conceptus entis, ſubſtantiæ, & ſubſiſtentis formæ: Sed ſolùm repugnare, concipere illas ſub vltimo & quaſi differentiali conceptu conſtitutiuo perſonæ, vt abſolutas. Vnde negandum eſt, reſpectum ad Filium ſupponere perſonam Patris perfectè conſtitutam, etiam in ratione primæ perſonæ, ſed illam in ſua conſtitutione complere ac perficere: eò quòd ipſa conſtitutio primæ perſonæ plenè & completè conſiderata eſt per reſpectum ad terminum, quem eſſentialiter reſpicit: nam conſtitutio perſonæ Diuinæ eſt conſtitutio hypoſtaticè incommunicabilis, quæ eſſe non poteſt, niſi per rationem formaliter reſpectiuam; cùm nulla ratio abſoluta in Deo ſit incommunicabilis. Cæterùm alia eſt ratio de reſpectu ad Spiritum ſanctum, qui quoniam communis eſt Filio, Perſonam Patris nullo modo conſtituit, ſed tantùm conſtituit proximum principium ſpirandi, Patri Filioque commune.

68. Ad Fundamentũ primæ ſententiæ Reſpondeo, illud tantùm concludere de perfe-

ctione

ctione positiua secundariò & materialiter importatâ. Cęterùm ad distinctam notionem sufficit eadem personalis proprietas, vt manifestatiua nouæ dignitatis, qualis est in Patre notio ingeniti, quæ per negationem essendi ab alio manifestat peculiarem dignitatem Patris, quam habet essendi à se, cùm primitate hypostaticè terminandi naturam Diuinam adæquatè in ratione primæ hypostasis. Ad confirmationem, falsa est maior: nam filiatio & nascibilitas important solam rationem positiuam, ipsam nimirum positiuam relationem Filij ad Patrem, ac Nati ad Genitorem. *Ingenitum* verò & *Innascibile*, cùm sint priuatiua, de formali important oppositam negationem Geniti ac Nati.

*Augustin. explicatur.*

69. Augustinus autem apertè eo loco fatetur, *Ingenitum* nihil positiuum de formali importare, sed solùm negare relationẽ Geniti ad Genitorem. Vnde idem prorsus significare ait *Ingenitum*, quòd non genitus, ac non Filius: *Relatiuè autem*, inquit, *negamus dicendo, non Filius; relatiuè igitur negamus, dicendo non genitus. Ingenitus porrò quid est, nisi non genitus?* Cùm autem concludit. *Non ergo receditur à relatiuo prædicamento, cũ Ingenitus dicitur:* Non vult affirmare, *Ingenitum* importare positiuã rationem prædicamenti relationis, sed solùm vult docere, nullum aliud prædicamentũ per se importare, sed tantùm negare illud ipsum, quod genitus affirmat: & quia genitus relationẽ, non substantiam affirmat; *Ingenitus* quoq; relationem, nõ substantiam negat. *Negatiua porrò*, inquit, *ista particula, non id efficit, vt quod sine illa relatiuè dicitur, eadem præposita substantialiter dicatur, sed id tantùm negatur, quod sine illa aiebatur: velut cùm dicimus, homo est, substantiam designamus. Qui ergo dicit, non homo est, non aliud genus prædicamenti enunciat, sed tantùm illud negat.* Ex quibus apertè colligitur mentem Augustini fuisse, *Ingenitum* solam negationem geniti importare.

*Aureolus.*

70. Ad secundùm Aureoli negatur consequentia. Nam esse in se importat positiuũ modum, quo substantia in se ipsa existit: esse verò à se, licet fundetur in aliqua ratione positiua, formaliter tamen & primariò importat solam negationem essendi ab alio. Ad tertium nego, esse *à se* de formali & principaliter importare positiuam sufficientiam essendi *à se*, licet illam importet de materiali, & secundario. Ad quartum nego minorem: est enim eadem ratio de his nominibus, ac de reliquis priuatiuis. Ad fundamentum secundæ sententiæ patet ex dictis.

*Ad fundamentũ Aureoli.*

71. Ad fundamentum verò Aureoli pro tertia sententia adductum negandum est, nomina substantiua per se primò importare suppositum, sed formam, quam explicitè & directè significant, siue illa positiua sit, siue negatiua, alioqui, si per se primò importarent suppositum, eo tantùm multiplicato, multiplicaretur denominatio ipsa nominis; quia multiplicato principali significato, multiplicatur ipsa nominis denominatio. Vnde dici possent tres Dij; siquidem supposita, quæ per se primò in sententia Aureoli importat nomen Deus, multiplicatur, esto nõ multiplicetur forma ipsa Deitatis, quæ in sententia eiusdem minùs principaliter importatur. Quare dicendum est, *Ingenitum* & *Innascibile* substantiuè accepta per se primò importare tantùm negationẽ, secundariò verò & de materiali suppositum. Ex his etiam patet ad primam & secundam rationem dubitandi adductas pro opposita sententia secundæ assertionis.

# DISPVTATIO XXVI.

## De Persona Filij.

### SECTIO PRIMA.

### *An Filius sit propriè Verbum, eique tantùm proprium?*

*Alogiani.*

*Augustin.*

1. FVIT antiquus error Alogianorum siue Alogorum, qui omne Verbum in Deo negabant: quorum meminit Aug. lib. de Hæresibus, hæresi 30. qui propterea Alogiani siue Alogi, id est sine Verbo dicti sunt, eò quòd Dei Verbum credere noluerunt. Qua de causa, vt testatur ibidem August. Ioannis Euangelium, eiusque Apocalypsin, in quibus Dei Verbum expresè habetur, vt libros canonicos agnoscere noluerunt. Sed hi apertè conuincuntur alijs Scripturæ testimonijs, quibus expresè Dei Verbum reuelatum est: Sapientiæ 18. *Omnipotens sermo tuus de cœlo à regalibus sedibus prosiluit* &c. Ecclesiastici 1. *Fons Sapientiæ Verbum Dei in excelsis*: Psal. 44. *Eructauit*, vt de æterno Parente omnes Patres interpretantur,

*Sapient. 18.*

*Eccles. 1.*

*Psalm 44.*

*Patres.*

*cor meum*

*cor meum Verbum bonum.* Fuerunt & alij, qui Dei Verbum negarunt, quos ex professo referre & confutare, non est nostri instituti, qui, vt in proœmio de Deo Trino testati sumus, eas tantùm controuersias examinandas suscepimus, quæ solùm inter Catholicos agitari solent. Quare omissis Hæreticorum erroribus, ad Catholicorum sententias accedamus, qui concedentes proprium Verbum in Deo, solùm dubitant, an illud dicatur essentialiter, an personaliter, an vtroque modo.

*Durandus.* 2. PRIMA sententia est Durandi in 1. distinct. 27. quæst. 3. Affirmantis: Verbum in Diuinis dici tantùm essentialiter, non autem personaliter, nisi per appropriationem, sicut Sapientia: appropriatur Filio, Amor Spiritui sancto. Fundamentum ipsius est duplex, alterum quod tradiderat distinct. 6. quæst. 2. quia nimirum Filius non producitur per actum intellectus; sicut nec Spiritus sanctus per actum voluntatis; sed vterque per actum naturæ, præcedentem actum intellectus & voluntatis Sed Verbum quidditatiuè includit actum intellectus: igitur non potest propriè dici de Filio, aut Spiritu Sancto. Alterum fundamentum ipsius est, quod tradit hic. Quoniam *Verbum* vi nominis importat tantùm actum intelligendi, qui essentialis est, licet ex vniuersali consuetudine loquentium & scribẽtium approprietur soli Filio: sicut ex eadem consuetudine soli Spiritui sancto appropriatur *Charitas.* *Anselmus.* Maiorem probat primo ex Anselmo in Monologio cap. 60. vbi, *Nihil aliud est,* inquit, *summo Spiritui dicere, quàm quasi cogitando intueri.* Quod idem docuerat cap. 30. & 34.

3. Secundò de ratione Verbi est, esse expressiuum & manifestatiuum obiecti: hoc autem competit Deo ratione solius actus essentialis: ergo. Maior supponitur vt certa. Minor probatur, quia actus notionalis supra essentialem non addit nisi solam relationem producti, aut producentis; atqui sola relatio producti, aut producentis non habet vim exprimendi aut manifestandi obiectum, vt per se patet: alioqui aliqua obiecti repræsentatio esset in vna persona; quæ non esset in alia, sicut aliqua relatio est in vna persona, quæ non est in alia.

4. Tertiò. Præcisa omni productione intra Deum, æquè perfectè se ipsum diceret, & reliqua omnia Deus, atque nunc. Sed implicat esse *Dicere* absque Verbo: ergo Verbum non importat aliquid personale, sed essentiale. Maior probatur, quia Verbum nõ ponitur in Deo propter indigentiam, vt per illud simpliciter intelligat, vel vt meliùs intelligat, quod sine illo vel simpliciter, vel non æquè bene intelligeret.

5. Quartò, *Dicere* non est actus personalis: ergo nec Verbum est terminus personalis. Consequentia patet, nam *dicere* se habet ad Verbum, sicut productio ad terminum productum: sed productio & terminus productus sibi mutuo proportionantur: ergo si *dicere* non est actus personalis, nec Verbum eius terminus erit personale. Antecedens probatur: nullus actus personalis conuenit omnibus personis, cadit supra creaturas, aut reflectitur supra personam ipsam dicentem. Atqui *dicere* conuenit omnibus personis; cadit supra creaturas, & reflectitur supra ipsam personam dicentem: ergo non est personalis. Maior constat, nam omnis actus personalis est productiuus alicuius personæ Diuinæ: ergo si conueniret omnibus personis omnes personæ producerent: si caderet supra creaturas, vel reflecteretur supra personam ipsam dicentem, produceret creaturas, & personam ipsam dicentem: quod implicat. Minor probatur, nam quælibet persona Diuina se ipsam dicit, & creaturas omnes. Pater enim dicit se ipsum & creaturas: pariter Filius se ipsum dicit & omnia; eodem modo Spiritus sanctus. Ergo *dicere* conuenit omnibus personis, cadit supra creaturas, & reflectitur supra personam dicentem.

6. Quintò. Nullus vocaliter dicit, verbo ab alio, sed à se vocaliter prolato. Ergo nullus dicit verbo mentali ab alio, sed à se mentaliter prolato. Si autem solus Filius in Diuinis esset Verbum, solus Pater se ipsum Verbo diceret, quia solus Pater tale Verbum profert. Constat autem, quòd quęuis persona se ipsam dicit & reliqua omnia: ergo Verbo essentiali, non personali.

7. Sextò. Verbum est actus vitalis immanens, quo intelligens constituitur vitaliter immanenter intelligens. Sed omnes personę Diuinæ sunt vitaliter immanenter intelligentes: ergo per Verbum essentiale: nam solùm Verbum essentiale, est vitaliter immanens in omnibus. Personale enim solùm manet in persona, cuius est, atque adeò nequit esse in omnibus immanens.

8. Septimò. Omne intelligens intelligendo concipit Verbum: omnes personæ Diuinæ sunt intelligentes: ergo omnes concipiunt Verbum non personale, ergo essentiale. Maior probatur, nam ideò ponitur Verbum, vt sit intelligenti ratio intelligendi.

9. Octauò. Si Deus vna tantùm esset persona, adhuc haberet Verbum, quo intelligeret; non productum, cùm nulla tunc in Deo esset productio. Nam omnis productio intra Deum terminatur ad aliquam personam, quæ tunc nulla esset in Deo producta; ergo identificatum cum propria essentia: Igitur Verbum non est personale, sed essentiale.

10. Nonò. Verbum creatum non consistit formaliter in relatione producti, sed in qualitate ipsa absoluta exprimente & repræsentante obiectum: ergo & Verbum ipsum increatum. Consequentia constat, quoniam ex Verbo creato nos deuenimus in cognitionem Verbi increati. Antecedens probatur, nam præcisâ omni relatione, manente

nente sola qualitate absoluta exprimente & repræsentante obiectum, manet integra essentia Verbi creati. Confirmatur, nam Verbum formaliter consistit in ipsa manifestatione obiecti, quę non in relatione, sed in aliqua ratione absoluta saluatur.

11. SECVNDA sententia affirmat, Verbum tam essentialiter quàm personaliter verè & propriè de Deo dici. *S.Thoma. Capreol. Ferrariẽsis.* Est S. Thomæ in 1. dist. 27. q. 2. art. 2. & q. 4. de verit. art. 2. Capreoli in 1. distinct. 27. art. 1. concl. 4. Ferrar. 4. contra gentes c. 13. §. *Considerandum secundo.* Fundamentum S. Thomæ est, quoniam *Verbum* vi nominis non importat relationem tantùm, nec rem absolutam tantùm, sed rem absolutam simul cum respectu ad dicentem; significat enim quandam emanationem, siue exitum intellectus in manifestationem sui: Atqui ad quidditatem Verbi non requiritur, vt iste respectus ad dicentem importatus sit realis, sed sufficit si sit rationis: Ergo Verbum in Diuinis non solum dicitur personaliter, sed etiam essentialiter. Consequentia constat, nam tota ratio, cur Verbum in Diuinis non dicatur essentialiter est, quia Verbum quidditatiuè includit respectum realem ad dicentem; ergo, si hic ad essentiam Verbi non requiritur, non est cur de Deo essentialiter dici non possit, cùm solus respectus rationis non pugnet cum essentialibus. Minor probatur, nam Verbum in nobis, à quo translatum est ad Deum, est similitudo rei intellectę, prout concepta in intellectu, & ordinata ad manifestationem sibi, vel alteri: sed talis species in Diuinis sumi potest dupliciter, vel vt realiter distincta ab eo, cuius similitudinem gerit, & sic conuenit Deo personaliter; vel vt ratio tantùm intelligendi, & sic, cùm ipsa essentia Diuina sit sibi ipsa ratio intelligendi & manifestandi se ipsam, ipsa essentia vt species & similitudo sui cum respectu rationis ad se ipsam, vt dicentem, erit Verbum essentiale. *S.Thomas.* Vtrobique tamen monet Angelicus Doctor, secundùm sanctos, & communiter loquentes, Verbum accipi personaliter: & quia secundùm *Philosophus* Philosophum vsus est maximè æmulandus in significationibus nominum, ideò tandem concludit, hoc modo loquendum esse Theologis.

12. TERTIA sententia docet, Verbum non nisi personaliter de Deo propriè dici. *S.Thomas.* Est S. Thomæ 1. p. quæst. 34. artic. 1. vbi retractata sententia, quam sub formidine alibi tradiderat, absolutè definit, Verbum non nisi personaliter, idque de solo Filio propriè dici. Eandem sententiam docet *Magister.* Magister in 1. distinct. 27. cum tota Schola Theologorum. *Sylnius. Durand. Torrez. Molina. Ruiz.* Vide Syluium 1. p. cit. loco. Quin sententiam Durandi vt erroneam, & in fide periculosam censent Torres 1. p. quæst. 27. art. 1. quæst. 3. concl. 1. Molina q. 34. art. 1. Suarez l. 9. de Trinit. c. 2. num. 6. Ruiz disp. 57. sect. 4. n. 5. Nam quamuis non neget simpliciter proprium Verbum in Diuinis, cùm illud in omni proprietate concedat in actu essentiali, in quo differt ab errore *Alogi.* Alogiorum, qui simpliciter negabant omne Verbum in Deo, negat tamen proprium Verbum de Filio, quod tamen non negat secunda sententia; sed solùm affirmat, illud æquè propriè, dici de actu essentiali, quæ propterea nullam meretur censuram, præsertim si declaret, hanc acceptionem non esse propriam: alioqui absolutè illam affirmando, nulla adhibita declaratione, temeritatis notam non effugiet, cum sit contra communem modum loquendi Patrum & Scholasticorum in re grauissima. Pro explicatione huius sententię; *Modus loquendi Patrum & Scholasticorum.*

13. Prœmittenda est *Verbi* notio, quæ duplex est, propria, & impropria. Impropria adhuc duplex, altera pro qualibet re Verbo manifestabili, quæ extenditur etiam ad nutus & Scripturas; atque hæc frequentissima est in sacris literis, vt Exodi 9. *Cras faciet Dominus Verbum istud in terra.* *Exod. 9.* Est autem hæc impropria *Verbi* notio, quia *Verbum* ex primaria sua institutione impositum est ad significandum non res ipsas immediatè, sed signa rerum notificatiua: notio autem propria nominis dicitur illa, quam ex primæua sua institutione nomen sortitur. Vnde contradicit sibi ipse Durandus, dum fatetur, *Verbum* ab omnibus sumi personaliter, & tamen vi nominis importare aliquid essentiale: nam propria nominis notio est illa, ad quam significandam nomen imponitur. Cùm enim nomina non significent ex natura sua, sed ad placitum, illam rem propriè significabunt, ad quam ex placito Sapientum significandam imponentur. Quare contradictio est, dicere *Verbum* ab omnibus personaliter vsurpari, & tamen vi sua aliquid essentiale significare; cùm nomina non alium modum significandi habeant, quã ex impositione Sapientum, quam impositionem vsus ipse & consuetudo confirmat. *Durandus.* Altera impropria *Verbi* notio est, pro actu ipso imaginationis, cum quo externam vocem proferimus. Est etiam hæc impropria *Verbi* notio, quia *Verbum* propriè est terminus locutionis; est enim impositum ad significandum medium, quo naturæ intellectuales vel secum ipsæ, vel cum alijs loquuntur. Vnde in sola potentia locutiua propriè reperitur, hæc autem sola est potentia intellectiua, & vocis externæ prolatiua, quatenus instrumentum est intellectiuę. Propria autem *Verbi* notio est tum externa ipsa vocis prolatio ad significandum alteri formata; tum interna mentis conceptio ad manifestandum sibi, vel alteri obiectum, quod in specie intelligibili latebat, expressa.

14. Conueniunt autem Verbum vocale & mentale primò, quia vtrumque est signum ad manifestandum aliquid ordinatum. Secundò, quia vtrumque est aliquid à dicente productum. Differunt verò primò, quia vocale rem dictam manifestat non ex natura sua, sed ex alterius ordinatione. Mentale verò ex natura sua, cùm sit naturalis imago rei, quam repræsentando significat. Secundò, vocale non est actus immanens, sed transiens à principio proferente in extrinsecũ am-

biens, in quo formatur sonus rei manifestandæ significatiuus, quæ vox dicitur. Mentale verò manet in ipso principio dicente, in quo recipitur ad manifestandam rem dictam. Tertiò, Vocale non manifestat rem dictam formaliter, sed efficienter emittendo speciem sui in organum auditus, qua excitatus auditor format sibi phantasma vocis significatiuæ: ex quo phantasmate per intellectum agentem eruit sibi speciem intelligibilem, quâ determinatus intellectus possibilis elicit conceptum rei dictę ac significatæ per vocem. Mentale verò rem, quam repræsentando significat, manifestat formaliter, se ipso intellectum informando. Quartò, mentale essentialiter ordinatur ad manifestandum formaliter soli intellectui, à quo gignitur, tanquam actus vitalis essentialiter addictus proprio subiecto. Dixi *formaliter*, nam obiectiuè potest etiam ordinari ad manifestandum alijs, vt cùm Angelus obiectiuè manifestat suum Verbum alteri Angelo. Vocale autem, quia non manifestat rem, quam significat, formaliter, sed efficienter, potest idem numero significare pluribus.

15. Ex his patet, quòd etiamsi hoc nomen impositum sit à principio ad significandum Verbum vocale, vtpote nobis magis notum, propter conuenientiam tamen, quam vocale habet in primaria significatione cum mentali, extunc censetur significasse vtrumque. Nam qui nomina imponit principaliter intendit ad primariam rationem rerum, in qua si multa conueniunt, omnia censentur eodem nomine, tanquam sigillo obsignata. Constat in hoc nomine, *Scientia*, quod licet à principio impositum sit ad significandam scientiam creatam, vt nobis magis notam, quia tamen in primaria ratione, quæ est certum reddere intellectum de rebus, conuenit scientia creata cum increata; & qui tale nomen imposuit principaliter attendit ad primariam rationem scientiæ, iam ex tunc censetur sub hoc nomine comprehensam fuisse scientiam increatam. Propter eandem conuenientiam in principali significato Verbi vocalis & mentalis, tam creati, quàm increati, omnia hæc tria Verba censentur vno eodemque nomine per se primò ab institutore virtualiter saltem comprehensa: ac proinde tam per se hoc nomine importari significatum Verbi vocalis, quàm mentalis, tam creati, quàm increati. Ita vt nullum fuerit tempus, quo tantùm de vocali diceretur propriè, de reliquis verò impropriè, donec ad illa significanda per nouam impositionem extenderetur, cùm in ipso principio impositionis statim illud extensum fuerit ad omnia hæc tria Verba significanda. *Augustin.* Quod non obscurè significare videtur August. 15. de Trinit. c. 11. vbi: *Verbum*, inquit, *quod foris sonat, signum est Verbi, quod intus lucet, cui magis Verbi competit nomen. Nam illud quod profertur carnis ore, vox verbi est, verbũq; & ipsum dicitur propter illud, à quo vt foris appareret, assumptum est.* Quibus verbis colligitur, hoc nomen, *Verbum*, principaliùs à principio significasse Verbum internum.

16. Ex dictis hanc possumus Verbi in communi definitionem elicere: *Verbum est signum ad aliquid manifestandum à dicente expressum.* Quatenus *signum*, duplicem importat respectum, alterum ad rem significatam, alterum ad eum, cui res significata manifestatur: omne quippe signum ad aliquid alicui manifestandum ordinatur. Quatenus *à dicente expressum*, importat respectum producti ad producens. Quare *Verbum* his tribus respectibus essentialiter constituitur, signi ad significatum, ad percipiẽtem significatum, & producti ad producens. Primi duo respectus nõ necessariò sunt reales, vt patet tum in Verbo vocali creato, tum in Verbo mentali increato, in quibus vterque respectus ad rem significatam, & ad eum, cui res significata manifestatur, sunt rationis: in increato propter summam identitatem ipsius cum re significata, & cum eo, cui res significata manifestatur: in vocali autem creato defectu intrinsecæ ordinationis tam ad rem significatam, quàm ad eum, cui res significata manifestatur. Tertius verò respectus in omni Verbo est realis, vtpote fundatus in passiua origine producti ad producens. Quamuis in Verbo mentali creato omnes isti tres respectus sint reales, vtpote omnes fundati in causalitate reali. Ex quo colligitur, Verbum vt sic quidditatiuè constitui tribus hisce respectibus, sed vno duntaxat reali dicti à dicente, reliquis verò duobus abstrahentibus à reali & rationis: tum quia hic tantùm reperitur realis in omni Verbo: tum quia absque isto respectu reali non saluatur ratio manifestatiui, quæ essentialiter constituit rationem Verbi vt sic, vt infra constabit. His de natura Verbi præmissis,

17. Dico 1. Verbum non nisi personaliter de Deo propriè dicitur, idque tantùm de Filio. Assertio constat authoritate Scripturæ, *qua*, teste S. Thoma quæst. 4. de veritat. artic. 3. *aut vix, aut nunquam Verbum, vel imaginem ponit nisi pro Filio.* Quod signum est, de solo Filio propriè dici: nam quod de vna persona dicitur appropriatè, interdum etiam prædicatur de reliquis: vt *sapientia* non solùm prædicatur de Filio, cui tantùm appropriatur, sed etiam de Patre & Spiritu Sancto. Et *potentia* non solùm dicitur de Patre, cui soli conuenit per appropriationem, sed etiam de Filio & Spiritu Sancto. Similiter & *charitas*, quæ appropriatur Spiritui Sancto, sæpè etiam prædicatur de Patre & Filio, quod notauit August. 15. de Trinit. cap. 7. Sola autem illa, quæ sunt propria vniuscuiusque personæ, nunquam solent de omnibus prædicari. Igitur si Verbum nunquam de Patre & Spiritu Sancto, sed de solo Filio scriptura prædicat, signũ est, illud esse personale solius Filij proprium. Quod autem hoc nomẽ *Verbum* scriptura semper vsurpet vt proprium Filij, colligitur primo ex Ioan. 1. vbi Euangelista in eadem significatione vsurpat *Verbũ* & *Vnigenitũ*, illudque soli Filio tribuit, vt con-

*Sciptura authoritat. S. Thom.*

*Augustin.*

*Ioan. 1.*

distin-

distinctæ personæ à cæteris: *Et Verbum*, inquit, *caro factum est, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre*. Vbi eundem, quem appellauerat *Verbum*, appellat *vnigenitum* Patris: eumque sub nomine *Verbi* docet, hominem factum esse: est autem *vnigenitus* Patris homo factus vt persona condistincta à cęteris. Secundò primæ Ioan. 5. *Tres sunt*, inquit Apostolus, *qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*. Quæ tria nomina designat Trinitatem personarum, vt inuicem condistinctas, & respondere videntur tribus illis nominibus, quibus eadem personarum distinctio designatur Matthæi vltimo: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Tertiò, Apocalypseos 19. Tanquam proprium Filij nomę assignatur *Verbum*: *Habens*, inquit, *nomen scritũ, quod nemo nouit nisi ipse: & vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocatur nomẽ eius Verbũ Dei*.

Ioan. 5.

Matt. 28.

Apoc. 19.

Durand.

18. At instat Durandus, idem Filius Dei ibidem vocatur *fidelis & verax*, quæ nomina non sunt propria, sed appropriata: ergo idem censendum de nomine *Verbi*. Sed contrà, nam ex peculiari modo, quo hoc nomen præ cæteris Filio Dei assignatur, apertè colligitur, hoc esse proprium, cætera verò appropriata. Nam dum de appropriatis loquitur: *Et vocabatur*, inquit, *fidelis & verax*: quasi per sensibiles effectus, ita vocabatur ab hominibus. Dum verò loquitur de nomine *Verbi*: *habens*, ait, *nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse, & vocatur nomen eius, Verbum Dei*. Etenim sicut illud est proprium nomen vniuscuiusque, quod ab initio suæ natiuitatis media parentum institutione accepit: ita proprium nomen Filij Dei est illud, quod ab origine suę natiuitatis media æterni Patris dictione, indelebili charactere accepit. Et hoc nomen solus ipse Filius Dei nouit, tum ad distinctionem aliorum nominum, quæ eidem Filio Dei ab hominibus imposita sunt: nam alia etiam homines ipsi nouerunt, quippe quę desumpta sunt ab effectibus ipsis hominibus notis: hoc verò, cùm significet propriam Filij hypostasim, solus ipse Filius nouit, sicut solus ipse suam hypostasim nouit. Tum ad distinctionem reliquarum personarum Diuinarum, inter quas solus Filius vi suæ formalis originis nascendo proprium nomen cognoscit. Quia solus Filius vi originis procedit vt *Verbum* subsistens, ac proinde vt se ipsum, suamque hypostasim formaliter cognoscens. Demum, cùm non quo nomine aliquem cæteri vocent, sed quodnam sit ipsius nomen, quæritur, non commune, sed proprium assignari solet. Priora nomina de Filio Dei assignantur, tanquam ea, quibus illum homines vocabant. Posterius tanquam proprium ipsius à cæteris communibus condistinctum assignatur.

19. Eidem veritati ferè omnes subscribunt Patres tam Græci, quàm Latini, Ignatius epist. ad Magnesianos: *Per Iesum Christum*, inquit, *Filium suum, qui est Verbum ipsius, non pronunciatum, sed substantiale*. Clemẽs Romanus epist. 1. ad Iacobum Fratrem Domini, columna 7. circa finem: *Deus ergo Pater secreti Sacramenti vocabulum est, cuius verè Filius est Verbum*. Alexander Alexandrinus epist. 2. ante primum Concilium Nicænum columna 6. æternum parentem, *Patrem Verbi* appellat. Porrò Pater relatiuè dicitur ad eum, cuius est pater. Ex professo Cyrillus l. 7. thesauri contra Eunomium probat, Filium Dei verè & propriè secundùm vocabuli proprietatem dici *Verbum Dei*; propterea quę fuisse hoc nomen à Ioanne in principio sui Euangelij vsurpatum, tanquam maximè proprium & expressiuum proprietatis Filij Dei. Qua de causa negat, posse Patrem Verbum appellari. *Verum igitur*, concludit ca. 1. *Patris Verbum Filius est, neque est aliud verum Patris Verbum, quàm Filius*. Et in fine capitis secundi. *Qui*, scilicet Ioannes, *appellationem hanc*, nempe Verbi, *tanquam maximè propriam Filio Dei posuit*. Et cap. 4. occurrens obiectioni Eunomij, contendentis vocabulo Verbi non propriè Filium Dei significari: *Quid*, inquit, *prohibebit Verbum etiam propriè Filium Dei appellari, & hoc vocabulo maximè ipsum esse Filij, prout homines percipere possunt significari? quamuis multa quoque alia verba sint abusiuè, & ad imitationem veri Verbi appellata*. Damascenus l. 1. Fidei cap. 6. *Verbum* appellat *genitum* & *Filium*, & à Patre secundum subsistentiam discretum; & in epistola de Trisagio pag. 2. docet, Filium & Verbum *vnius hypostaseos esse ostensiua*. Quinta Synodus generalis in cõfessione Fidei, quæ habetur tomo secundo Conciliorum in fragmentis eiusdem Synodi, solum Filium fatetur Verbum Dei, his Verbis: *Non alium Deum Verbum esse, qui miracula operatus est, & alium Christum, qui passus est, cognoscimus: sed vnum eundemque Dominum nostrum Iesum Christum Dei verbum incarnatum, & hominem factum*. Quam doctrinam ibidem sæpè repetit.

Ignatius.

Clemens.

Alexander

Cyrillus.

Damascen.

20. Inter Patres verò Latinos omnium copiosissimè Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 13. *Dicitur*, inquit, *relatiuè Filius, relatiuè dicitur & Verbum & Imago, & in omnibus his vocabulis ad Patrem refertur*. Et lib. 6 cap. 2. *Verbum quidem solus Filius accipitur, non simul Pater & Filius, tanquam ambo vnum Verbum*. Et infrà in eodem capite. *Sicut Verbum de Verbo dici non potest, quia non simul ambo Verbum, sed solus Filius*. Atqui si Verbum in Deo esset essentiale, dici posset Verbum de Verbo, sicut dicitur sapientia de sapientia, potentia de potentia, magnitudo de magnitudine, vt idẽ Augustinus alibi docet. Et lib. 7. c. 2. *Sicut Filius*, ait, *ad Patrẽ refertur, non ad se ipsum dicitur: ita & Verbũ ad eum, cuius Verbum est, refertur. Eo quippe Filius, quo Verbum: & eo Verbum, quo Filius*. Et vt omnem omninò dubitationem excludat, non appropriatè, sed propriè Verbi nomen se Filio tribuere, comparat illud cum nomine *sapientiæ*, quod tantùm appropriatè de Filio dicitur, subditque: *Non eo Verbum, quo Sapientia, quia Verbum non ad se dicitur, sed tantùm relatiuè ad eum cuius Verbum est, sicut Filius ad Patrem. Sapientia verò eo quo essentia, & ideo*

Augustin.

*quia vna essentia, vna sapientia. Quoniam verò, & Verbum sapientia est, sed non eo Verbum, quo sapientia. Verbum enim relutiuè, sapientia verò essentialiter intelligitur.* Eandem doctrinam sæpè repetit alibi.

*Basilius.*

21. Solus inter Patres Basilius lib. 5. contra Eunomium cap. 11. *Verbi* nomen ad Spiritum Sanctum extendit: *Et Dei quidem Verbum*, inquit, *Filius est, Filij autem Verbum Spiritus Sanctus.* Sed explicandus est, vti Sanctus Thomas explicat prima parte quæst. 34. artic. 2. vel de figurata locutione, quòd sicut Filius dicitur Verbum, quia, vt Augustinus testatur lib. de Fide & Symbolo cap. 3. à Patre procedit, vt manifestatiuus ipsius, & secretorum eius: ita Spiritus Sanctus dicitur Verbum Filij, quia à Filio procedit, vt manifestatiuus ipsius, & secretorum eius, iuxta illud Ioannis 16. *Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Vel, vt idem S. Thomas explicat opusc. 1. cap. 12. & quæst. 4. de verit. articulo tertio: Dicitur Spiritus Verbum Filij effectiuè, quatenus Sanctis & Prophetis inspirat vt de Filio Dei loquantur.

*S. Thomas.*

*Augustin.*

*Ioan. 16.*

*S. Thomas.*

22. Vltimò propositam assertionem confirmat ratio. Etenim sola persona Filij participat propriam naturam Verbi: igitur sola persona Filij est propriè Verbum. Consequentia patet, nam ei competit propriè nomen, cui competit notio ipsa nominis. Antecedens probo, quoniam de ratione Verbi, vt probauimus, est esse signum ad manifestandum aliquid expressum. Quod eleganter docuit Augustinus lib. de Fide, & Symbolo supra citato his verbis: *Verbum autem Patris ideo*, inquit, *dictum est, quia per ipsum innotescit Pater. Sicut ergo verbis nostris id agimus, vt noster animus innotescat audienti, & quidquid secretum in corde gerimus per signa huiusmodi ad alterius cognitionem profertur: sic illa sapientia, quam Deus Pater genuit, quoniam per ipsam innotescit signis secretissimis Pater, Verbum eius conuenienter nominatur.* Atqui sola persona Filij in Diuinis est signum ad manifestandum Patrem, & omnia, quæ in intellectu Patris sunt, expressum: Igitur sola persona Filij est propriè Verbum. Minor probatur, nam sola persona Filij vi suę originis procedit vt terminus locutionis paternæ: ergo sola persona Filij vi suæ originis procedit vt substantiale signum ad manifestandum Patrem, & omnia, quæ in Patre sunt, expressum. Consequentia claret; nam omnis locutio essentialiter tendit ad manifestandum loquentem; cùm nil aliud sit locutio, quàm ipsa loquentis manifestatio. Antecedens constat; nam sola persona Filij procedit per actum intellectus: solius autem intellectus est, loqui, & loquendo propria sensa exprimere ac significare. Hinc constat à priori, cur Spiritus Sanctus non sit Verbum, quia nimirum procedit per voluntatem, cuius non est loqui & significare; nam eius tantum potentiæ est loqui & significare, cuius est exprimere & manifestare: solius autem intellectus est exprimere & manifestare per obiecti repræsentationem: voluntatis autem tantùm est, in obiectum tendere & inclinare. Et licet etiam Spiritui Sancto communicetur intellectio, quia tamen illi non communicatur formaliter vi propriæ originis, sed concomitanter ratione essentialis inclusionis, non dicitur Verbum; quia Verbum est quod vi propriæ originis procedit vt immediatus terminus locutionis.

*August.*

23. Dices. Ad rationem Verbi sufficit, vt sit manifestatiuum loquentis, absque reali processione ipsius à loquente, per solam distinctionem ac processionem rationis. Confirmatur primò, nam non quidquid est de essentia Verbi creati, est de essentia Verbi increati: nam de essentia Verbi creati non solùm est realiter procedere à dicente, vt terminum locutionis ipsius, sed etiam vt actum intelligendi eiusdem: atqui hoc non est de essentia Verbi increati; ergo neque illud. Confirmatur secundò. Species intelligibilis, actus intelligendi, & Verbum in nobis sibi correspondent: sed in Deo reperitur species intelligibilis, & actus intelligendi, absque reali distinctione à principio intelligente; ergo & Verbum absque reali processione à principio dicente.

24. Respondeo negando assumptum. Ad primam confirmationem nego consequentiam: etenim ea tantùm sunt extra essentiam Verbi, vt sic, quæ imperfectionem inuoluunt, & sine quibus consistere potest quidditas Verbi. Realiter autem procedere per modum actus intelligendi à principio intelligente, imperfectionem inuoluit, & sine quo consistere potest quidditas Verbi. Contrà verò realiter procedere per modum termini locutionis nullam dicit imperfectionem, & sine eo constare non potest quidditas Verbi; igitur hoc, & non illud est de essentia Verbi vt sic. Maior patet, Minor quoad priorem partem probatur, & primò, quòd imperfectionem inuoluat, certum est. Secundò, quòd sine eo consistere possit quidditas Verbi, patet; quoniam de ratione Verbi, vt sic, non est esse actum realiter informantem: nam Verbum vocale est proprium Verbum, & tamen non est actus realiter informatiuus, sed tantùm prolatiuus.

25. Quoad posteriorem verò partem probatur, & primò, quod talis productio realis nullam dicat imperfectionem, constat; quia de facto talis productio reperitur in Deo, in quo nihil imperfectum esse potest. Secundò, quòd sine illa saluari non possit quidditas Verbi, sic ostendo. Quidditas Verbi cõsistit in signo manifestatiuo loquentis: hoc autem absque reali processione termini locutionis à loquente saluari non potest, quod sic probo. Nam dupliciter potest Verbum esse manifestatiuum loquentis, & secretorum ipsius, vno modo per transitum de habitu in actum, quo pacto transit Verbum mentale creatum de specie intelligibili habituali in speciem expressam actualem, per quod Verbũ loquimur nobis ipsi, dum

si, dum per illud nobis ipsi manifestamus, quæ in specie intelligibili & memoria latebant. Alio modo per communicationem eiusdem notitiæ actualis loquentis audienti: quo pacto nos loquimur alteri, communicando illi nostram notitiam actualem, quam de rebus habemus, medio Verbo vocali. Cùm igitur nequeat Verbum Diuinum esse manifestatiuum loquentis, & secretorum ipsius, primo modo, cùm illud non transeat de habitu in actum, aut de specie intelligibili & habituali in expressam & actualem, sed sit ipsemet actus secundus essentialiter, ita vt ne concipi quidem possit transire de habitu in actum, necessariò erit manifestatiuum secundo modo per communicationem eiusdem notitiæ actualis loquentis audienti, hæc autem communicatio, vt patet, essentialiter requirit personalem distinctionem loquentis & audientis; cùm nequeat idem suam sibi actualem notitiam realiter communicare: igitur quidditas Verbi postulat, vt realiter procedat, vt terminus locutionis ab ipso principio loquente; tametsi ipsius quidditas non sit, vt realiter procedat, vt actus intelligendi à principio intelligente: quia hoc saluari potest per solam identitatem actus cum principio intelligente, non potest autem per solam identitatem locutionis cum principio loquente saluari realis locutio, quia hæc non importat solam perceptionem obiecti, sed etiam manifestationem loquentis, quæ in Deo necessariò importat distinctionem personalem. Hinc constat, Verbum increatum in hoc magis assimilari Verbo creato vocali, quàm mentali: siquidem vocale non transit de habitu in actū, sicut mentale, sed de actu in actum per communicationem eiusdem notitiæ actualis loquentis audienti.

26. Ad Secundam Confirmationem concedo hæc in nobis sibi correspondere, quoniã in nobis actus ipse intelligendi, cùm transeat de specie habituali in actualem, habet veram & propriam rationẽ Verbi manifestatiui eorum, quæ in specie intelligibili latebant. In Diuinis autem, cùm actus intelligendi non transeat ex specie habituali in actualem, non potest habere veram & propriam rationem Verbi, cuius essentia postulat, vt sit manifestatiuum loquentis.

27. Instabis. Ad rationem Verbi sufficit, vt sit tantùm manifestatiuum ad extra; nam per talem aptitudinem saluari potest quidditas Verbi increati. Confirmatur, quia, vt sequenti disputatione probabimus, saluatur quidditas doni increati per solam aptitudinem communicabilitatis ad extra: igitur per solam aptitudinem manifestationis ad extra, saluabitur quidditas Verbi increati. Respondeo. Nego antecedens. Ad Confirmationem nego consequentiam. Ratio discriminis est, quia donum essentialiter consistit in liberali & gratuita communicatione donatoris; Verbum autem in perfecta manifestatione loquentis: nequit autem saluari liberalis & gratuita communicatio ad intra, cùm omnis communicatio ad intra sit summè necessaria. Contrà verò nequit saluari perfecta manifestatio loquentis ad extra, quia hæc consistit in perfecta communicatione notitiæ actualis loquentis audienti: nulla autem creatura capax est totalis communicationis notitiæ actualis Dei loquentis, cùm nulla creatura capax sit comprehensionis Dei: igitur nequit saluari perfecta ratio Verbi increati per solam manifestationem ad extra: cõtrà verò, nequit saluari perfecta ratio doni increati per solam cõmunicationem ad intra.

28. Dico Secundò: Relatio Verbi est eadem cum relatione Filij, sola ratione inadæquata diuersa. Est Damasceni suprà citati: Vnius namque eiusdemque hypostaseos ostensiua sunt Filius & Verbum. *Damascen.* Est etiam Augustini: *nam eò Filius, quò Verbum; & eò Verbum quò Filius.* *Augustin.* Non igitur alia relatione est Filius, alia Verbum, sed vna eademque adæquatè sumpta & Filius est, & Verbum, licet vna magis exprimat, quod non exprimit altera: nam relatio filiationis magis exprimit identitatem naturæ, & ordinem ad genitorem; relatio autem Verbi similitudinem intentionalem, & respectum ad dicentem. Vtraque tamen relatio constituit essentialiter Filium. Nam cùm Filius debeat vi suę processionis procedere adæquatè similis principio producenti, & principium producens in Diuinis non solùm constituatur ex natura, sed etiam ex obiecto proximo determinante principium productiuum ad producendum, debet Filius, vi suæ processionis, vtramque similitudinem & naturalem, & intentionalem accipere; ac proinde per vtramque relationem, & quâ respicit principium communicatiuũ naturæ, & quâ respicit principiũ communicatiuũ similitudinis intentionalis obiecti, constituitur in esse Filij. Rursus, quia Verbum Diuinum procedit vt subsistens in eadem natura cum principio dicente, procedit essentialiter vt Filius: quia non solùm procedit vt simile intentionaliter obiecto intelligibili, quod habet vt Verbum, sed etiam vt simile in natura principio producenti, quod habet vt Diuinum, atque adeò vt adæquatè simile principio intelligenti, quod est de ratione Filij vt sic. Vnde si non esset Verbum, non esset Filius, quia non haberet similitudinem intelligibilem; atque adeò non esset adæquatè simile principio producenti. Neque si Filius non esset, Verbum Dinum esse posset, quia Verbum Diuinum essentialiter postulat consubstantialitatem cum principio dicente: & consequenter cum similitudine intentionali essentialiter postulat similitudinem in natura: quæ duplex similitudo constituit Filium intellectualem. Hinc patet, correlatiuum Verbi increati, quâ Verbum increatum est, esse Patrem, quâ pater est, quod apertè docuit Augustinus suprà citatus: vbi *Relatiuè*, inquit, *dicitur Filius, relatiuè dicitur & Verbum, & imago, & in omnibus his vocabulis ad Patrem refertur.* *Augustin.*

29. Dico Tertio: Verbum Diuinum non connotatiuè, & in obliquo, sed formaliter & in recto importat relationem realem ad dicentem. Est S. Thomę, 1. p. quæst. 34. art. 1. 3. Syluij ibid. idque expresse docuit Augustinus illis verbis: *Eo Filius, quò Verbum, & eò Verbum, quò Filius.* Atqui Filius non connotatiuè, & in obliquo, sed formaliter & in recto importat relationem Filij ad Patrem: ergo & Verbum ad dicentem. Ratio verò est, quoniam Verbum increatum importat relationem integrantem & complentem relationem Filij intellectualis. Atqui Filius formaliter & in recto importat relationem ad genitorem: ergo & Verbum ad dicentem.

*S. Thomas. Syluius. Augustin.*

30. Dico quartò: Verbum non tantùm de materiali, & in obliquo, sed de formali & in recto importat expressionem obiecti. Est S. Thomæ q. 4. de verit. art. 5. & colligitur ex Augustino 7. de Trinit. c. 2. vbi docet, in conceptu Verbi includi sapientiam; nec aliud esse Verbum, quàm natam sapientiam. Sapientia autem non de materiali, & in obliquo, sed de formali & in recto importat expressionem obiecti. Fundamentum verò est, quoniam Verbum est intellectualis imago omnium obiectorum, ex quorum vel habituali notitia, vt in nobis, vel ex actuali, vt in Deo procedit. Atqui intellectualis imago non materialiter & in obliquo, sed formaliter & in recto expressionem obiecti, cuius est imago, importat: ergo. Maior est Augustini loco præcitato, & probatur; nam Verbum est quædam intellectualis manifestatio: omnis autem intellectualis manifestatio fit per expressionem obiecti, cuius est manifestatio; cùm nequeat intellectus aliter se ipsum manifestare, quàm per vitalem expressionem sui.

*S. Thomas. August.*

*Augustin.*

31. Dubitari autem vlteriùs potest, quid principaliùs ex his duobus importet Verbũ, relationemne ad dicentem, an expressionem obiecti? dubitandi ratio est, quoniam expressio obiecti est quid absolutum, Verbum autem principaliùs significare videtur respectum ad dicentem. Hoc tamen non obstante, dicendum est cum S. Thoma loco præcitato, & Ferrariensi 4. contra Gentes cap. 13. §. *Ad secundum dub.* Verbum principaliùs importare expressionem obiecti. Ratio, quâ moueor, est: quia sicut verbum vocale ex hominum placito; ita mentale creatum ex natura sua principaliter ordinatur ad significandam manifestationem loquentis; minùs verò principaliter relationem ipsius ad dicentem: ita & Verbum increatum, ad quod per analogiam ad creatum translatum est hoc nomen Verbum, principaliùs institutum videtur ad denotandam manifestationem Patris loquentis, minùs verò principaliter relationem ipsius ad dicentem. Cæterùm expressio obiecti, quæ in Verbo increato principaliter importatur, non est expressio obiecti creati, sed increati; creati verò expressio non nisi secundariò & materialiter. Etenim sicut æternus Pater æterno suo Verbo primariò intendit manifestare seipsum, & omnia, quæ ipsum essentialiter constituunt; secundariò verò & consequenter creaturas, tanquam terminos extrinsecos suæ potentiæ: ita expressio obiecti, quę principaliter importatur in Verbo increato, non est expressio obiecti creati, sed increati.

*S. Thom. Ferrarien.*

32. Dices. Verbum importat proprietatem personalem; sed hæc principaliter dicit respectiuum, non absolutum: ergo. Confirm. 1. Verbum importat respectum formaliter complentem relationem Filij intellectualis: sed relatio Filij intellectualis principaliùs importat respectum ad dicentem. Confir. 2. Eo modo Verbum includit respectum ad dicentem, quo Filius ad generantem: sed Filius principaliùs importat relationem ad generãtem, minùs principaliter naturam: ergo & Verbum principaliùs importabit relationem ad dicentem, minùs verò principaliter expressionem obiecti. Confir. 3. Verbum est nomen personæ: sed persona principaliùs in Diuinis significat relationem, minùs verò principaliter naturam; quia illam formaliter, hanc verò materialiter importat.

33. Respondeo. Concedo Verbum importare proprietatem personalem, sed non æquè primò, ac proprietatem absolutam. Eodem modo respondetur ad primam confirmationem, Verbum importare quidem respectum complentem filiationem intellectualem, non tamen ęquè principaliter, atque ipsam repræsentationem obiecti. Ad secundam neganda est maior: nam aliquid explicitè dicit Verbum, quod explicitè non dicit Filius. Verbum enim explicitè dicit manifestationem obiecti, quam explicitè non dicit Filius. Et quia ista nomina ex humanis translata sunt ad Diuina: sicut in humanis Verbum principaliùs importat manifestationem obiecti; nam ad hanc est principaliùs impositum, ita translatum ad Diuina principaliùs significabit eandem obiecti manifestationem. Ad tertiam concedenda est minor de persona significata sub explicito nomine personæ; neganda verò de persona non significata sub explicito nomine personę, sed Verbi manifestatiui loquentis.

34. Dico quintò: Solus Pater soli Filio in Diuinis propriè loquitur. Est contra Ruiz disput. 60. sect. 6. opinantem, omnes personas in Diuinis loqui tum sibi ipsis, tum inter se mutuò. Fundamentum nostræ assertionis est hoc. Propriè loqui est se ipsum manifestare: atqui solus Pater soli Filio se ipsum propriè manifestat: igitur solus Pater soli Filio in Diuinis propriè loquitur. Maior constat, quia nil aliud est loqui, quàm se ipsum sibi, vel alteri manifestare. Minorẽ ostendo: & primò quòd solus Pater se ipsum propriè manifestet, constat: nam se ipsum manifestare, est notitiam sui alteri communicare, quâ fiat alteri notus. Solus autem Pater sui notitiam communicat, quâ fiat alteri notus: nam Spiritus Sanctus nullam sui notitiam alteri personę communicat, cùm nulla possit esse communicatio in Diuinis, nisi per realem productionem: atqui Spiritus Sanctus

*Ruiz.*

nihil

nihil ad intra producit; igitur nequit se ipsum alijs personis manifestare. Eadem ratio probat de Filio respectu Patris, cui sicut nihil Filius communicat; ita se ipsum illi manifestare non potest.

35. Sola difficultas est de Filio respectu Spiritus Sancti, cui simul cum voluntate communicat vnà cum Patre notitiam & sui & Patris. Verùm quia talem notitiam Pater & Filius nõ communicat Spiritui Sãcto per actum intellectus, sed voluntatis, non dicuntur Pater & Filius ad Spiritum Sanctum propriè loqui: quia locutio formaliter est actus intellectus, quo loquens se ipsum manifestat audienti.

36. Secundò, quòd soli Filio æternus Pater propriè loquatur, sic probo: Nam si cui alteri propriè loqueretur, vel loqueretur Spiritui Sancto, vel sibi ipsi: (loquimur enim de locutione ad intra) atqui ex dictis constat, Patrem ad Spiritum Sanctum propriè non loqui, cùm illi sui notitiam non communicet per actum intellectus, cuius tantùm est loqui.

37. Quod autem neque ad se ipsum loquatur, patet: quia Pater non producit Verbum, vt in eo se ipsum cognoscat, & quasi se ipsum sibi manifestet; sed potiùs, vt se ipsum manifestet alteri, nempe Filio. Igitur solus Pater soli Filio propriè loquitur. Loquitur autem Pater Filio, communicando illi perfectam notitiam sui. Est enim locutio ipsa notionalis intellectio Patris, vt actu se ipsam communicans & manifestans Filio: est verò auditio ipsa passiua intellectio notionalis Filij, aut actu communicata Filio, iuxta illud Ioan. 15. *Omnia, quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Persona verò loquens est ipse Pater, sicut audiens est ipse Filius. *Ioan. 15.*

38. Ex his constat primò: Non modò realiter distingui personam loquentem ab audiẽte, sed ipsam locutionem ab auditione. Nam locutio est ipsa notitia Patris, terminata relatione dicentis: auditio verò est eadem notitia communicata Filio, terminata relatione Verbi dicti.

39. Constat secundò: Patrem proferre Verbum, vt manifestatiuum non sibi, sed Filio: quia non profert illud ex notitia habituali, vt in eo actu ipse cognoscat, quod tantùm habitu sciebat, sed ex notitia actuali, vt in eo Filius cognoscat, quidquid Pater ipse cognoscebat, quidquid in oppositum doceat Vasquez disp 144. c. 2. *Vasquez.*

40. DICES. Pater non solùm dicit Verbum, sed se ipsum, Spiritum Sanctum & totam Trinitatem, vt docet S. Thomas 1. p. q. 34. art. 1. ad 3. & cum eo ferè omnes Theologi: ergo non solùm loquitur ad Filium, sed etiam ad se ipsum, ad Spiritum Sanctum, & ad totam Trinitatem. Consequentia probatur, nam loqui & dicere sunt idem. Respondeo negando consequentiam. Ratio discriminis est, quoniam *dicere* præter respectum ad Verbum productum, importat explicitè respectum ad res Verbo dictas: *loqui* verò præter respectum ad Verbum productum, importat explicitè respectum manifestantis ad eum, cui fit manifestatio. Vnde Pater producendo Verbum, non solùm dicit se ipsum & totam Trinitatẽ, sed etiam creaturas omnes possibiles, ad quas tamen non loquitur, quia ijs non se manifestat, cùm nihil sint. *S. Thomas. Omnes ferè Theologi.*

41. Confirmatur, nam ita se habet *dicere* & *loqui* Diuinum ad intra, sicut *dicere* & *loqui* Diuinum ad extra: sed *dicere* Diuinum ad extra præter productionem rerum, terminatur ad res ipsas externo Verbo dictas: contrà verò, *loqui* Diuinum ad extra præter productionem Verbi externi, terminatur ad eos, quibus per locutionem se ipsum manifestat. Minor constat Ps. 148, *Ipse dixit, & facta sunt*: & Hebræor. 1. *Multifariam multisq; modis olim Deus loquens Patribus*, &c. Vbi vides, *dicere* terminari ad res dictas; *Loqui* verò ad personas, ad quas dirigitur locutio. Propter hoc ergo discrimen potest Pater producendo Verbum se ipsum & reliquas personas, imò & creaturas omnes *dicere*, non potest autem *loqui* ad personas omnes; quia *dicere* importat respectum repræsentantis, quem Verbum prolatum habet ad obiecta repræsentata; qui respectus, cũ sit tantùm cognoscentis ad cognitum, potest esse in ordine ad omnia cognita. *Loqui* verò, cùm præter respectum ad Verbum prolatum, importet respectum manifestantis ad eũ, cui fit manifestatio, & non quęuis persona Diuina cuilibet personæ Diuinæ se ipsum manifestet; cùm hoc requirat communicationem notitiæ personæ loquentis audienti, non quęuis persona cuilibet personæ loqui potest, sed tãtùm illa, quæ se per actualem notitiam communicat; & illi soli, cui actualis notitia vi propriæ originis communicatur: hæc autem est solus Pater, & solus Filius. *Psalm. 148. Hebr. 1.*

42. Pro maiore explicatione distinguenda sunt hęc quatuor in Diuinis: *Intelligere, Dicere, Loqui, Producere. Intelligere* importat solùm respectum intelligentis ad intellectum, qui in Diuinis est tantùm rationis: nam in Diuinis intelligens, ratio intelligendi, & intellectum sunt idem: vnde competit omnibus personis respectu quorumcunque obiectorum.

43. *Producere* importat solum respectum producentis ad productum, qui realis est, & non competit, nisi certæ personæ in ordine ad certum terminum ab ipso producente distinctum.

44. *Dicere* cum ipso respectu reali ad Verbũ productum, importat respectum rationis ad obiecta ipsa Verbo dicta & significata. Vnde etsi soli Patri propriè competat, quia solus Pater dicit Verbum, eoque mediante se ipsum, & res omnes Verbo significatas & expressas; propter huiusmodi tamen respectum ad obiecta Verbo significata, tribui potest cuilibet personæ: quia sicut quælibet persona ratione cognitionis essentialis dicit respectum rationis ad obiecta Verbo repræsentata: ita quælibet persona in aliquo sensu Verbo se ipsam dicit, & omnia Verbo expressa. Vnde & Pater se ipsum & omnia Verbo dicit: & Filius se ipso, tanquam Verbo se ipsum & omnia dicit: & Spiritus Sanctus pariter se

ipsum

ipsum Verbo,& reliqua omnia dicit. Est tamen notandum discrimen inter *intelligere* & *dicere* sumptum essentialiter, quod etiam notauit Ruiz disp. 59. sect. 4. n. 8. & disp. 60. sect. 6. n. 8. quòd *intelligere* vi nominis solùm importat respectum intelligentis ad intellectum, nullo connotato termino notionali: *Dicere* verò cum respectu ad obiecta dicta connotat Verbum terminatum relatione producti, abstrahendo, an illud sit productum à persona, quæ eo mediante intelligit, an ab aliqua alia. Ruiz.

45. *Loqui* verò in sua explicita ratione importat respectum, tùm ad Verbum à loquente prolatum, tum ad personam, ad quam locutio ipsa dirigitur. Qui respectus, licet sit vnus & idem, habet tamē duas rationes inadæquatas, alteram quâ terminatur ad Verbum productum; alteram, quâ terminatur ad personam, cui mediante Verbo manifestatur ipsa notitia Patris loquentis. Vnde sicut terminus ipse productus includit duas rationes inadæquatas, alteram Verbi manifestantis loquentem, alteram personæ percipientis manifestationem, tali Verbo factam: ita & respectus ipse. Vnde ratione neutrius respectus potest *loqui* competere, nisi soli Patri, respectu solius Filij: quia sicut solus Pater mediante Verbo à se producto communicat notitiam sui Filio: ita solus Pater soli Filio se ipsum manifestat; adeoque solus Pater ad solum Filium propriè loquitur.

46. Ex dictis deducitur primò, Verbum, *Dici*, ad Diuina translatum sumi posse dupliciter, vno modo propriè, quo pacto sumitur notionaliter, & est proprium Filij: solus quippè Filius dicitur; nam solus Filius producitur actione expressiua Verbi, quæ est propriè dictio: sicut enim solus Pater *dicit* Verbum exprimendo; ita solus Filius *dicitur* vt Verbū expressum subsistens. Secundo modo minùs propriè, quâ ratione sumitur absolutè, & conuenit omnibus personis: quælibet enim persona *dicitur*, imò & creaturæ omnes *dicuntur*. Etenim *Dici* essentialiter sumptum idem est, ac Verbo repræsentari: atqui omnes personæ & creaturæ Verbo repræsentantur: igitur omnes personæ, & creaturę *dicuntur*. Quo fit, vt secūda persona dupliciter *dicatur*, vno modo notionaliter, vt Verbum locutione prolatum; alio modo vt obiectum cognitione expressum.

47. Deducitur secundò: Filium non solùm esse Verbum Patris, vt *Dicentis*, sed etiā vt *Dicti*: quia non solùm *dicitur* à Patre, tanquam à principio realiter proferente; sed etiā *dicit* ipsum Patrem, tanquam obiectum expressum, & se ipso manifestatum.

48. Controuertitur autem inter Scholasticos, an sicut *dicitur* Verbum Patris: dici etiā possit Verbum creaturarum. Negant Alensis 1. p. q. 62. memb. 1. art. 4. in fine, Bonauentura in 1. dist. 27. p. 2. art. 1. q. 2. ad penult. Rich. art. 2. qu. 3. ad 3. Ruiz disp. 62. sect. 3. in fine. Quorum fundamentum est, tum authoritas Anselmi in monolog. c. 32. vbi: *Verbum*, inquit, *quo creaturam dicit, nequaquam similiter est Verbum creaturæ, quia non est eius similitudo, sed principalis essentia.* Tum ratio, nam sicut Spiritus Sanctus, inquit Bonauentura, non dicitur donum creaturæ; ita nec Filius dicetur Verbum creaturæ; cùm non minùs in processione Spiritus Sancti includatur respectus ad creaturas, quàm in processione Verbi. Alensis. Bonauent. Richar. Ruiz. Anselmus.

Affirmant verò S. Thomas 1. p. q. 34. a. 3. ad vlt. & quæst. 4. de verit. art. 5. ad 2. & 4. contra gentes cap. 13. Ferrariensis ibidem §. *Nec obstat.* Aureol. in 1. distin. 27. part. 2. art. 3. circa finē, Mayronus quæst. 4. vbi concedit, Filium dici posse Verbum creaturarum terminatiuè, non autem principiatiuè, Torres 1. part. quæst. 27. art. 1. disp. 6. quæst. 3. propos. 5. Vasquez disp. 143. cap. 3. num. 12. Suarez lib. 9. de Trin. ca. 9. in fine, qui prædictam locutionem admittit cum limitatione declarante, vt ly *creaturarum* stet terminatiuè, non principiatiuè: & capite 6. eandem locutionem absolutè admittit, absque vlla limitatione. Quorum sententia mihi probabilior est. S. Thomas. Ferrar. Aureolus. Mayronus. Torres. Vasquez. Suarez.

50. Moueor primò ad hanc sententiam asserendam, quia Verbum duplicem importat respectum, & realem ad dicentem, & rationis ad dicta: ergo licet Verbum creaturarum dici non possit secundùm priorem respectum, vt notauit Mayronus, dici saltem potest, secundùm posteriorem. Secundò, quia hęc propositio: *Deus est Verbum creaturarum*, non plus importat, quàm hæc: *Deus est Scientia creaturarum*. Etenim non alio modo Deus est Verbum creaturarum, quàm exprimendo & repræsentando creaturas: atqui hæc est propria propositio; ergo & illa. Confirmatur, nam hæc est propria locutio, & à Patribus vsurpata, *Filius est Verbum expressiuum, & operatiuum creaturarum, ratio & ars omnium creabilium*: ergo & hæc, *Filius est Verbum creaturarum*. Consequentia constat, nam quod illa dicit explicitè; hæc dicit implicitè. Eadem ratione, vt notat ibidem Ferrariensis, Spiritus Sanctus non solùm dicitur amor Patris & Filij essentiæ, & totius Trinitatis, sed etiā creaturarum: cùm non minùs Spiritus Sanctus sit amor creaturarum, quàm Filius verbum earundem. Ferrar.

51. Ad Anselmum respondet S. Thomas quæst. cit. de verit. quòd ille tantùm noluerit, Filium dici posse Verbum creaturarum eo modo, quo dicitur Verbum Patris, cuius non solùm est Verbum expressiuè, sed etiam originatiuè. Anselmus. explicatur à S. Thoma.

52. Ad rationem dico, magnum esse discrimen inter Spiritum Sanctum, vt donum creaturarum, & Filium, vt Verbum earundem. Nam Spiritus Sanctus non est donum creaturarum per actualem, sed per aptitudinalem duntaxat communicationem sui ad creaturas: est autem Filius Verbum creaturarum per actualem repræsentationem earum. Quia verò in his propositionibus importatur actualis communicatio, actualisque expressio creaturarum, ideò impropriè dicitur: Spiritus Sanctus est donum creaturarum: propriè verò dicitur, Filius est Verbum creaturarum:

quia

quia actualis communicatio Spiritus Sancti ad creaturas, quam hæc propositio importat, non includitur in ipsa persona Spiritus Sancti, quatenus donum est: sicut includitur in persona Filij, quatenus Verbum est actualis expressio creaturarum: sola autem aptitudinalis communicatio ad creaturas includitur in persona Spiritus Sancti, quà donum est. Vnde retorqueo potiùs argumentum: Nam sicut propria est hæc locutio, *Spiritus Sanctus est donabilis creaturis*: ita & hæc, *Filius est Verbum creaturarum*: nam ita se habet donabilitas in Spiritu Sancto; sicut expressio creaturarum in Verbo.

53. Deducitur tertiò, quo pacto de solo Filio dicatur Ioan. 1. *Per ipsum facta sunt omnia*, quia cùm solus Filius sit Verbum Patris, & in agente intellectuali Verbum sit principium operis, quia Verbum in mente artificis est exemplar, quo artifex determinatur ad opus producendum, rectè per Verbum dicitur Deus omnia fecisse. Quod eleganter expressit Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 11. *Animaduertenda*, inquit, *est in hoc anigmate etiam ista Verbi Dei similitudo, quod sicut de illo Verbo dictum est*; Omnia per ipsum facta sunt, *vbi Deus per vnigenitum Verbum suum prædicatur vniuersa fecisse: ita hominis opera nulla sunt, quæ non priùs dicuntur in corde. Vnde scriptum est Ecclesiastici* 37. Initium omnis operis Verbum. Et paulò pòst: *Et est hæc in ipsa similitudine Verbi nostri similitudo Verbi Dei, quia potest esse verbum nostrum, quod non sequatur opus; opus autem esse non potest, nisi præcedat Verbum: sic & Verbum Dei potuit esse nulla existente creatura; creatura autem nulla esse potest, nisi per ipsum*, per quod facta sunt omnia. Cæterùm notandum, Verbum Diuinum esse tantùm expressiuum Patris, & totius Trinitatis; creaturarum autem non modò esse expressiuum, verùm etiam & operatiuum, quia non solùm repræsentat illas, sed etiam est principium exemplandi & operandi illas.

*Augustin.*

*Eccles. 37.*

54. Deducitur quartò, Deum loqui etiam ad extra creaturis intellectualibus, se ipsum illis per communicationem suæ notitiæ manifestando: Et primò quidem beatis per claram visionem suę notitiæ: Secundò, Prophetis per euidentem communicationem suæ locutionis, quæ *euidentia in attestante* à Theologis dici solet: Tertiò, reliquis viatoribus per obscuram reuelationem suæ cognitionis. In quibus omnibus proportionaliter distinguenda sunt, & locutio in Deo loquente, & auditio in creatura auscultante. Est autem locutio Dei, actus ipse Diuini intellectus, quatenus per externum signum ordinatur ad manifestandum se ipsum creaturę. Est verò auditio, actus ipse intellectus creati, quo formaliter percipit locutionem Dei per externum signum sibi manifestatam. Dicitur etiam Deus loqui ad creaturas rationis expertes, sed impropriè, cùm illæ non sint propriæ auditionis capaces.

## *Solutio argumentorum.*

55. AD argumenta primæ sententię. Respondeo, vtrumque fundamentum Durandi falsum esse, vt constat tum ex disputatione de processionibus sectione 4. tum ex disputatis hîc. Nec est eadem ratio de amore, quoniam hîc ex vi nominis non importat, nisi actum voluntatem informantem, respondetque intellectioni, quæ pariter informationem importat actus cum potentia.

*Ad fundamentum Durandi.*

56. Ad primam probationem ex Anselmo respondet S. Thom. 1. p. q. 34. art. 1. ad 3. Anselmum impropriè eo loco accepisse *Dicere* pro intelligere. Cęterùm Anselmus eodem libro c. 37. expresè docet, Verbum relatiuè dici ad eum, cuius est Verbum: *Verbum*, inquit, *hoc ipsum, quod Verbum est, aut imago ad alterũ est, quia non nisi alicuius Verbum est, aut imago.*

*Explicatur Anselmus à S. Thoma.*

57. Ad secundam dico, de ratione verbi esse, vt sit manifestatiuum & expressiuum per modum mentalis locutionis, quæ in Deo esse nequit, nisi per communicationem actualis notitiæ vnius personæ ad alterã: cùm nequeat eadem persona in Diuinis sibi ipsa loqui, quia non potest persona Diuina ex scientia habituali transire in actualem, ac proinde per eam sibi obiecta manifestare, ac proinde sibi ipsa loqui.

58. Ad tertiam nego, in Deo fore propriũ *Dicere*, præcisa omni productione ad intra: quia *Dicere*, præter respectum ad obiecta dicta, importat respectum ad terminum productum, mediante quo obiecta dicuntur & repræsentantur, quare præcisa productione in Deo solùm remaneret intelligere, quo se & reliqua à se cognosceret, non autem *Dicere*, quo Verbum producendo se ipsum, & reliqua in Verbo repræsentata cognosceret.

59. Ad quartam nego antecedens. Ad cuius probationem cõcedo, actum personalem, vt sic, non cadere supra creaturas, nec reflecti posse supra principium, à quo est; cadere tamen posse supra creaturas, & reflecti supra principium, à quo est, ratione actus essentialis, quem essentialiter includit. Quia igitur *Dicere*, præter respectum realem producentis ad productum, importat respectum rationis ad res dictas, & repræsentatas medio Verbo producto, potest ratione huius cadere supra creaturas, & reflecti suprà principium, cùm non minùs principium, quàm creaturæ, & reliqua omnia in Verbo dicantur, & exprimantur, vt ex dictis constat.

60. Ad quintam, distinguendum est Ly *Dicere*: nam propriè sumptum non nisi personæ Verbum producenti competit: vnde soli Patri propriè conuenit, qui medio Verbo à se producto dicit se, & omnia à se: sumptum verò absolutè pro ipso intelligere competit omnibus personis. In quo sensu negandum est, neminem *Dicere* posse Verbo ab alio produ-

cto: nam licet hoc verum sit de verbo creato, falsum est de Verbo increato. Cuius discriminis ratio est, quia Verbum increatum ratione notitiæ absolutę, quam includit, identificatur cum omnibus personis, atque adeò aliqua persona potest intelligere Verbo ab alio producto: Verbum autem creatum non potest vniri, nisi cum eo, à quo producitur; & quia ad intelligendum requiritur, vt intelligens informetur actu ipso intelligendi, nequit vnus intelligere Verbo ab alio producto.

61. Ad sextam, distinguo maiorem: Verbum est actus vitalis immanens, terminatus relatione producti ad dicentem, concedo: est actus vitalis immanens, nulla relatione producti ad dicentem terminatus, nego. Vnde ad Minorem concedo, personas Diuinas esse vitaliter immanenter intelligentes, non per Verbum essentiale, quod nullum est, sed per actũ ipsum intelligendi essentialem, communem omnibus personis.

62. Ad septimam, concedo Maiorem, quando Verbum non supponitur adæquatè productum. Quia igitur in Diuinis Verbum supponitur adæquatè productum à Patre, reliquæ personæ intelligentes, Verbum non producunt, sed intelligunt tantùm verbo à Patre producto. Ad probationem Maioris concedo, Verbum in nobis poni propter necessitatem intelligendi; nego autem ob eandem necessitatem poni in Deo, sed tum propter necessitatem loquendi, tum propter fœcunditatem naturæ. Nam sine Verbo, nec esset propria locutio intra Deum, quia hæc in Deo saluari nequit, absque reali distinctione personarum loquentis & audientis; nec fœcunditas naturæ, quę essentialiter postulat adæquatam communicationem sui, non solùm per actum volendi, sed etiam per actum intelligendi.

63. Ad octauam, neganda est sequela. Etenim in eo casu Deus non intelligeret Verbo à se producto, sed actu ipso absoluto intelligendi: quia, vt diximus, Verbum in Deo non est necessarium ad intelligendum, sed tantùm ad loquendum, & ad naturæ fœcunditatem. Vnde solùm sequeretur, in eo casu Deum non fore loquentem, nec fœcundum intra se.

64. Ad nonam, nego consequentiam. Ratio discriminis est, quia distinctio, quæ inter Verbum prolatum & proferentem intercedere debet, in verbo creato saluatur in sola qualitate absoluta cum relatione transcendentali ad proferentem, quia per solam qualitatem absolutam cum relatione transcendentali ad proferentem verbum creatum sufficienter distinguitur ab ipso proferente. At in Verbo increato talis distinctio saluari nequit in aliqua perfectione absoluta, quia omnis perfectio absoluta in Diuinis communis est omnibus personis: igitur saluari debet in aliqua perfectione respectiua, quæ est ipsa formalis relatio producti ad producens. Ad probationem verò consequentię Respondeo, nos ex Verbo creato deuenire in cognitionem Verbi increati, præcisis imperfectionibus, quæ cum ipso Verbo creato sunt annexæ, inter quas vna est, vt distinguatur à proferente secundum perfectionem absolutam. Ad Cõfirmationem concedo, Verbum increatum non esse expressiuum, & manifestatiuum obiecti formaliter per relationem producti, quam supra notitiam essentialem superaddit, sed per ipsam notitiam absolutam, quam essentialiter includit.

## SECTIO II.

### *An Verbum Diuinum importet respectum ad creaturas ratione proprietatis personalis, an ratione notitiæ absolutæ, quam essentialiter includit?*

65. OMnes conueniunt, Verbum Diuinum, præter respectum ad Patrem dicentem, importare etiam respectum ad res, se ipso dictas & manifestatas. Fundamentum est, quia Verbum non solum est terminus à Patre productus, sed etiam actualis manifestatio, & declaratio omnium obiectorum, quæ sunt in mente Patris: ergo non solùm vt terminus productus dicit respectum ad Patrem dicentem, sed etiam vt actualis declaratio obiectorum, ad obiecta declarata, & se ipso manifestata.

66. Consentiunt etiam omnes, priorem respectum ad Patrem dicentem esse realem; posteriorem verò rationis, eò quòd ille constituat Verbum in esse personali, fundeturque in ipsa passiua origine producti; hic tantùm consequitur ad primum, & fundatur in sola repræsentatione, & manifestatione obiectorum, quę in Deo realis non est: tametsi aliqui contendant, hunc respectum Verbi ad res dictas esse transcendentalem. Vocant autem respectum transcendentalem, omnem respectum, sine quo vnum sine alio intelligi non potest, qui interdum est tantùm secundùm dici & solus respectus rationis, licet supponat fundamentum reale; vt in præsente materia intentionalis expressio & declaratio obiectorum, in qua proximè fundatur iste respectus rationis, est realis perfectio in Verbo: consistit enim in reali repræsentatione & comprehensione omnium obiectorum, quę à quouis loquente dici, & repręsentari possunt. Hoc autem maximam dicit perfectionem in Deo; dicit enim infinitam cognitionem declaratiuam & comprehensiuam rerum. Vltimò conueniunt, Verbum Diuinum principalem respectum manifestantis dicere ad obiectum primarium, minùs verò principalem ad obiectum secundarium. Etenim principaliùs Verbum manifestat essentiam Diuinam, & totam Trinitatem, quę est obiectum primarium, quàm creaturas, quæ sunt obiectum secundarium. Vterque tamen respectus tam ad obiectum

prima-

primarium, quàm ad secundarium est rationis; atque adeò ad vtrumque se extendit præsens controuersia, licet de solo obiecto secundario explicitè proponatur.

67. PRIMA sententia affirmat, hunc respectum conuenire Verbo, ratione solius notitiæ absolutę, in ipso essentialiter inclusæ. Est S. Thomę 1. p. quæst. 34. artic. 3. ad 1. & quęst. 4. de verit. artic. 5. ad 4. & 4. cont. gent. ca. 13. Scoti quolib. 8. artic. 3. & in 2. distinct. 1. quęst. 1. Richardi in 1. distinct. 27. articul. 2. quæst. 3. ad 1. Mayroni quęst. 4. Lycheti ibid. quæst. vnica, Capreoli quęst. 2. artic. 1. concluſ. 5. & ar. 3. Ad argumenta cōtra 5. conclusionem, Cajet. & Ferrarienſis locis prędcit. Molinę 1. p. quæst. 27. artic. 1. disput. 7. Suarez lib. 9. de Trinit. cap. 6. in fine, Zumel 1. p. loco cit. quæst. 2. Fundamentum est, quia Verbum non habet respectum manifestantis, nisi in quantum exprimit obiectum manifestandum: exprimit autem illud ratione cognitionis essentialis, non autem ratione proprietatis personalis: quia cùm hæc sit pura relatio producti ad producens, non habet vim exprimendi obiecta.

*S. Thomas.* *Scotus.* *Richardus.* *Mayronus.* *Lycheus.* *Capreolus.* *Caietan.* *Ferrarien.* *Molina.* *Zumel.*

68. SECVNDA sententia docet, hunc respectum conuenire Verbo ratione solius proprietatis personalis. Est Henrici in summa p. 2. artic. 59. quæst. 5. Aureoli in 1. dist. 27. p. 2. artic. 3. circa finem. Probatur hęc sententia, nam si iste respectus conueniret Verbo ratione essentię, ęquè importaretur per Filium ac per Verbum: atqui per filium talis respectus non importatur: igitur non conuenit Verbo, ratione essentiæ, sed proprietatis personalis, quâ Verbum est formaliter Verbum. Maior patet, quoniam essentia æquè importatur per Filium ac per Verbum: igitur si talis respectus conueniret Verbo ratione essentiæ, æquè importaretur per Filium, atque importatur per Verbum. Minor constat authoritate Augustini libro 83. quæstionum, quęst. 63. vbi exponens illud, *In principio erat verbum*, docet, meliùs hîc interpretari Verbum, *vt significetur*, inquit, *non solùm ad Patrem respectus, sed ad illa, quæ per Verbum facta sunt, operatiua potentia.* Confirmatur, nam quod secundum propriam rationem nequit sine alio intelligi, connotat illud. Sed Verbum, quà Verbum est, nequit sine eo, cuius est Verbum, intelligi: igitur connotat illud. Maior clara est. Minor probatur, tum ex Augustino 7. de Trinitate cap. 3. *Si enim hoc verbum*, inquit, *quod nos proferimus, temporale & transitorium, & se ipsum ostendit, & illud, de quo loquimur: quanto magis verbum Dei, per quod facta sunt omnia ostendit Patrem sicuti est?* eadem ratione dicere possumus, quòd ostendat omnia per ipsum dicta & manifestata. Tum ratione, nam Verbum, alicuius est Verbum: implicat igitur, cognoscere Verbum absque eo, cuius est Verbum: Ergo de ratione Verbi est, connotare omnia per ipsum dicta & manifestata.

*Henricus.* *Aureolus.* *August.* *Augustin.*

69. TERTIA sententia docet, huiusmodi respectum ad creaturas conuenire Verbo, ratione vtriusque & proprietatis personalis, & notitię essentialis. Ita Vasquez 1. p. disput. 144. cap. 2. Ruiz disp. 62. sect. 2. & 3. Zuniga disp. 9. dubio vlt. Quæ sententia probabilior est, pro cuius explicatione,

*Vasquez.* *Ruiz.* *Zuniga.*

79. DICO primò. Verbum Diuinum non dicit respectum ad creaturas se ipso dictas & manifestatas, ratione solius notitiæ essentialis. Fundamentum, quia quod conuenit Verbo ratione solius notitiæ essentialis, conuenit omnibus personis: atqui dicere respectum ad creaturas quatenus dictas & manifestatas, non conuenit omnibus personis: igitur non conuenit Verbo ratione solius notitiæ essentialis. Maior cum consequentia patet. Minorem probo, nam si dicere respectum ad creaturas, quatenus dictas & manifestatas, conueniret omnibus personis, æquè benè creaturæ dicerentur Patre & Spiritu Sancto, ac dicuntur Verbo: at falsum est, creaturas dici Patre & Spiritu Sancto, sicut dicuntur Verbo. Igitur dicere respectum ad creaturas, quatenus dictas & manifestatas, non conuenit omnibus personis, sed soli Verbo.

71. DICO secundò. Verbum Diuinum non dicit respectum ad creaturas, quatenus dictas & manifestatas ratione solius proprietatis personalis. Fundamentum, quia dicere respectum ad creaturas, vt dictas & manifestatas, essentialiter includit respectū ad creaturas, vt repręsentatas. Nequit autem Verbum Diuinum dicere respectum ad creaturas, vt repręsentatas ratione solius proprietatis personalis. Minor patet, quoniam proprietas personalis Verbi est sola relatio producti ad producentem. Nulla autem relatio Diuina, vt sic est repręsentatiua & expressiua alicuius obiecti: alioqui aliquod obiectum cognosceret vna persona, quod non cognoscerent reliquæ. Maior probatur, nam dicere respectum ad creaturas, vt dictas & manifestatas, est connotare illas, vt ab aliquo alicui locutione manifestandas: hoc autem essentialiter inuoluit notitiam essentialem expressiuam & declaratiuam obiecti manifestandi, non enim loquens manifestat alteri obiectum, nisi media notitia expressiua & declaratiua ipsius obiecti manifestandi, vt patet cùm volumus aliquam rem alteri locutione manifestare, manifestamus illam medio Verbo vocali significatiuo mentalis, quo mediante exprimimus rem ipsam, quam alteri intendimus manifestare.

72. DICO tertiò. Verbum Diuinum respicit creaturas, vt dictas & manifestatas ratione vtriusque perfectionis tam essentialis notitiæ, quam quidditatiuè includit, quàm personalis proprietatis, qua constituitur in ratione verbi vt sic. Fundamentum est, quia respicere creaturas, formaliter vt dictas & manifestatas, siue potiùs vt dicendas & manifestandas, non dicit purum respectum repræsentantis ad repræsentatum, siue cognoscentis ad cognitum, alioqui competeret omnibus Personis, cùm omnes personæ ratione

tione notitiæ essentialis cognoscant & repręsentent sibi creaturas & reliqua obiecta: sed dicit peculiarem respectum ad res locutione dicendas & significandas, qui præter notitiam essentialem expressiuam rerum dicendarum, superaddit peculiarem respectum locutionis seu dictionis, quâ res per Verbum locutione seu dictione prolatum, sunt ab aliquo alicui dicendæ ac manifestandæ. Qui respectus, vt patet, non conuenit Verbo Diuino, nisi ratione proprietatis personalis, quâ vt terminus locutionis dictionisque paternæ peculiari ratione connotat res, se ipso à Patre sibi ipsi dicendas ac manifestandas.

73. Confirmatur primò. Quia si Pater non produceret Verbum, sed solùm intelligeret, res ab ipso intellectæ non dicerentur dictæ & manifestatæ, sed tantùm intellectæ & repræsentatæ. Igitur ratio dicti & manifestati superaddit aliquem respectum supra rationem intellecti & repræsentati: atqui hic alius esse non potest, quàm respectus prouenies ex personali proprietate Verbi producti: nam eo tantùm sublato tollitur iste respectus, & eo tantùm posito ponitur.

74. Confirmatur secundò. Nam hæc omnia in Diuinis sibi correspondent, locutio actiua dicentis, locutio passiua Verbi, & res Verbo dicta ac manifestata. Atqui locutio actiua, præter notitiam essentialem, includit proprietatem notionalem personæ proferentis: locutio passiua, præter eandem notitiam essentialem, includit proprietatem notionalem Verbi prolati: ergo & res ipsæ Verbo dictæ, præter respectum, quem dicunt vt cognitæ & repræsentatę, prouenientem ab essentiali notitia cognoscente & repræsentante, superaddunt peculiarem rationem dicti & manifestati, prouenientem remotè quidem à dictione & manifestatione actiua loquentis, proximè verò à dictione & manifestatione passiua Verbi producti.

75. Dices hinc tantùm sequi, hunc respectum conuenire Verbo ex peculiari modo, quo illi ex vi propriæ originis debetur notitia communis manifestatiua rerum, non autem ex vi propriæ personalitatis. Respondeo negando sequelam, nam ideò vi proprię originis debetur Verbo notitia communis manifestatiua rerum, quia vi suæ personalitatis exigit illam, vt complementum dictionis passiuæ, qua constituitur personalitas Verbi, mediante qua, Verbum ipsum peculiarem respectum dicit ad res, se ipso dicendas & manifestandas.

76. Atque hæc tertia sententia conciliat inter se duas præcedentes. Nam prima intelligitur de respectu expressionis & repræsentationis rerum, qui essentialiter includitur in ipso respectu dictionis & manifestationis earundem. Talem enim respectum repręsentationis & expressionis habet Verbum formaliter ratione notitię communis, cuius tãtum est res exprimere & repræsentare. Secunda verò intelligitur de peculiari respectu dicentis & manifestantis, quem Verbum addit supra communem rationem expressionis & repręsentationis.

77. Ad fundamentum verò secundæ sententię, neganda est sequela maioris. Nam aliquid vi nominis explicitè importat Verbum tam ratione naturę communis, quàm proprietatis personalis, quod formaliter non importat Filius, nam Verbum importat naturam sub explicita formalitate sapientiæ: Filius verò eandem importat sub explicita formalitate essentiæ. Item Verbum importat personalitatem sub explicita ratione dictionis seu locutionis passiuæ: Filius verò eandem proprietatem personalem importat, sub explicita ratione generationis passiuæ: & quia respectus ad creaturas, vt Verbo dictas & manifestatas, immediatè fundatur in Sapientia essentiali. & dictione seu locutione personali, ideò potior est ratio, cur Verbum, quàm Filius talem respectum dicat. Reliqua verò argumenta confirmant potiùs nostram sententiam.

78. Vltimò obiter hîc adnotabo, non cohærenter philosophari eos, qui docent Verbum vi suæ processionis formalis non procedere ex cognitione creaturarum possibilium, & tamen docent vi suæ proprietatis personalis dicere respectum ad creaturas possibiles. Etenim si Verbum vi suæ processionis formalis non procedit ex cognitione creaturarum possibilium, non potest vi suæ proprietatis personalis habere proximum fundamentum talis respectus ad creaturas. Sequela probatur, quia respectus ad creaturas supponit in Verbo aliquod fundamentum, à quo proximè oriatur: hoc autem aliud esse non potest, quàm ipsa proprietas personalis vi suæ originis per se ex cognitione creaturarum producta: alioqui non esset maior ratio, cur Verbum potiùs, quàm Spiritus Sanctus vi suæ proprietatis personalis talem respectum importaret. Nam licet talis respectus formaliter sumptus sit tantùm rationis, fundamentum tamen, à quo proximè oritur, est reale, & intrinseca perfectio Verbi. Si autem ponatur, Verbum nullo modo per se procedere ex cognitione creaturarum, nulla peculiaris perfectio assignari poterit in Verbo, in qua talis respectus ad creaturas proximè fundetur.

79. Confirmatur, nam eiusdem perfectionis personalis esset Verbum, si per impossibile nulla cognitio creaturarum præcederet eius productionem, ac est nunc, cuius productionem de facto prędcedit cognitio creaturarum possibilium. Atqui si nulla præcederet cognitio creaturarum, nullum dicere posset respectum ad creaturas: ergo nec de facto talem respectum dicit nunc. Minor patet, quia si nulla præcederet notitia creaturarum, nullum esset in Verbo fundamentum ad talem respectum fundandum. Maior probatur, nam perinde se habet nunc ista cognitio creaturarum respectu productionis Verbi, ac si re ipsa non esset, cùm nihil per se

influat

influat in productionem Verbi. Ea namque solùm variant productionem alicuius termini, quæ per se ad talem productionẽ concurrunt: quæ verò tantùm per accidens & concomitanter tantùm concurrunt, nullo pacto variare possunt productionẽm termini; nam eodem modo se habent ad illam, ac si re ipsa non essent. Vnde implicat in adiecto dicere, aliquid per accidens & concomitanter se habere ad productionem alicuius termini, & tamen substantialiter variari talem productionem, variato eo, quod tantùm per accidens, & concomitanter se habet. Hinc constat, non bene philosophari Vasquez, qui dum negat, Verbum per se procedere ex cognitione creaturarum possibilium, tamen affirmat, Verbum per se importare respectum ad creaturas possibiles, non solùm ratione notitię communis, sed etiam proprietatis personalis. *Vasquez.*

## SECTIO III.

### *An Verbum procedat ex notitia omnium, quæ formaliter sunt in Deo?*

80. CVM Verbum diuinum vi suæ originis procedat, vt notitia genita à Patre generante, non solùm respectum dicit ad generantem, sed etiam ad obiectum intelligibile, ad quod exprimendum procedit. Hinc grauis insurgit controuersia, ex quibus obiectis illud per se procedit. Dixi *per se*, nam concomitanter sicut omnia quæ sunt in scientia Patris, communicantur Filio; ita concomitanter procedit ex notitia omnium, quæ sunt in intellectu Patris, siue necessaria, siue libera illa sint. Est autem *per se* procedere, ita procedere, vt si cognitio talis obiecti non esset, nec productio Verbi esset, aut certè non cum ea perfectione, cum qua de facto est, posita tali obiecti cognitione. *Concomitanter* autem ex cognitione talis obiecti procedere, est ita procedere, vt si cognitio talis obiecti non esset, adhuc productio Verbi esset cum eadem omnino perfectione, cum qua de facto est. Porrò quatuor sunt, quæ per modum obiecti terminant scientiam Patris, ex cuius notitia gignitur Verbum; essentia Diuina eiusque attributa, personalitates, creaturæ possibiles, futura contingentia siue absoluta; siue conditionata. In hac sectione disputabimus, an Verbum procedat ex cognitione omnium, quæ formaliter sunt in Deo. (Sunt autem hæc essentia Diuina, attributa, & personalitates) in sequenti verò, an etiam ex cognitione eorum, quæ eminenter in Deo continentur: sunt autem hæc creaturæ tum possibiles, tum futuræ.

81. PRIMA sententia negat, Verbum per se procedere ex notitia omnium, quæ formaliter sunt in Deo, sed tantùm ex notitia essentiæ & attributorum. Est Scoti in 1. dist. 10. in fine, & dist. 32. & in 2. dist. 1. q. 1. & quodlibeto 14. Fundamentum est, quoniam ex illa notitia, per se procedit Verbum, cuius obiectum per se est principium productionis Verbi, quia omne obiectum est comprincipium intellectus ad Verbi productionem: hoc autem non potest esse, nisi essentia in sola paternitate existens; quia Filius & Spiritus sanctus, cùm sint origine posteriores, nequeunt esse principium productionis Verbi: cùm nullum posterius possit esse principium sui prioris. Igitur Verbum per se tantùm procedit ex notitia essentię, non autem personarum. Reliqua argumenta pro hac sententia afferentur infrà. *Scotus.*

82. SECVNDA sententia affirmat, Verbum per se procedere ex cognitione essentiæ, attributorum, & personarum tum Patris, tum sui ipsius. Non autem ex cognitione Spiritus sancti, tanquam obiecti per se mouentis, & determinantis intellectum Patris ad productionem Verbi, sed solùm concomitanter; necessariò tamen, eadem necessitate, qua cognitio Patris simul est cognitio essentiæ, & omnium personarum in eadem essentia subsistentium; non autem ea necessitate, qua principium requiritur ad productionem termini. Est Vasquez 1. p. disput. 142. cap. 4. qui putat, quod per se requiritur, vt obiectum ad productionem Verbi, per se etiam requiri, vt principium motiuum secundùm esse intelligibile ad productionem Verbi. Quia igitur Spiritus sanctus non est principium motiuum secundùm esse intelligibile ad productionem Verbi, per consequens nec erit per se obiectum Verbi. Probat autem hanc sententiam duplici ratione. *Vasquez.*

83. PRIMA ratio est. Illud dicitur principium se alicuius operationis, quo posito ponitur, & quo sublato tollitur operatio, saltem secundùm nostram considerationem. Atqui sublato Spiritu sancto, eiusque processione, hoc est à nobis non considerata, adhuc intelligimus integrè productum Verbum à Patre, cum ijs omnibus perfectionibus, quæ illum constituunt perfectum Deum. Igitur Spiritus sanctus eiusque processio, vt cognita non est per se requisita ad Verbi productionem. Minorem probat, nam tria tantùm sunt principia per se requisita, & sufficiẽtia ad productionem Verbi, essentia eiusque attributa, tanquam terminus formalis per generationem Verbo communicanda: Paternitas, tanquam relatio principij proprij & per se generationis; & filiatio, quæ tanquam correlatio simul intelligitur & generatur intellectione notionali Patris. Cętera verò concomitanter tantùm se habent ad rationem principij, per se requisiti ad productionem Verbi.

84. SECVNDA ratio est. Si Verbum procederet ab Spiritu sancto, tanquam ab obiecto per se requisito, esset imago ipsius: conse-

quens est falsum, vt ex dicendis constabit: ergo. Sequela probatur. Nam ad perfectam rationem imaginis duo tantùm requiruntur, perfecta similitudo, & origo. Sed Verbum est perfecta similitudo Spiritus sancti, cùm sit ipsius personalitatis perfectè expressiuum; ergo si insuper ab ipso procederet, tanquam ab obiecto per se cognito, haberet etiam ab ipso originem: igitur haberet omnia ad perfectam imaginem requisita. Posterior consequentia patet. Prior verò probatur, nam ad hoc vt imago originari dicatur ab aliquo, sufficit, vt ab illo procedat modo intelligibili: procedit autem modo intelligibili, si ab eo procedat, tanquam ab obiecto per se cognito. Vt constat de imaginibus ante depictis, quæ sunt veræ rerum, quas repræsentant, imagines, esto ab illis non procedant, nisi modo intelligibili.

*Zumel.* *Caietanus.*

85. TERTIA sententia affirmat, Verbum procedere ex cognitione sui, & Spiritus sancti, non quidem intuitiua & visionis, sed abstractiua & simplicis intelligentiæ. Hanc Zumel 1. part. quæst. 34. artic. 3. quæst. 1. post 4. Conclusionem tribuit quibusdam Thomistis; eaque colligi videtur ex Caietano 1. part. quæst. 34. art. 3. §. *Circa prædicta* versus finem. Fundamentum est, quia cognitio intuitiua est rei existentis vt existentis. Sed cognitio, qua procedit Verbum, non est ipsius Verbi & Spiritus sancti vt existentium: igitur cognitio, qua procedit Verbum non est intuitiua, sed tantùm abstractiua Verbi & Spiritus sancti. Minor probatur, quia cognitio, qua procedit Verbum est origine prior Verbo, quia per ipsam tanquam per originem producitur Verbum: origo autem per se est prior originato. Eadem ratio à fortiori probat de Spiritu sancto, qui est origine posterior Verbo: ac proinde nequit Verbum ex intuitiua notitia ipsius vt existentis procedere, cùm nondum supponatur productus Spiritus sanctus in signo, quo producitur Verbum.

*Molina. Zumel. Suarez. Ruiz. Granadus. Zuniga.*

86. QVARTA sententia docet, Verbum procedere ex intuitiua notitia omnium, quæ formaliter sunt in Deo, tam essentiæ & attributorum, quam personarum & relatiuorum. Hęc sententia sub his terminis expressè asseritur à Molina 1. part. quæst. 34. in fine, Zumel loco suprà citat. Suarez lib. 9. de Trinitat. cap. 4. & 5. Ruiz disput. 61. Granado 1. part. tractat. 9. disput. 5. Zuniga disput. 9. dubio 4. & 5. Sub alijs verò terminis, nempe sub notitia perfectissima & comprehensiua omnium, quę sunt in Deo docetur à Barthol. Torres 1. p. q. 27. art. 5. disput. vnica, 3. p. disput. à Dom. Bannez 1. part. qu. 34. art. 3. à Valentia ibidem puncto 2. & colligitur ex S. Thoma 1. p. qu. 34. art. 1. ad 3. Bonauentura in 1. distinct. 27. part. 2. art. 2. qu. 2. Richardo ar. 2. q. 3. Gabriele q. 3. art. 3. pro cuius explicatione,

*Torres. Bannez. Valentia. S. Thomas. Bonauent. Richardus. Gabriel.*

87. DICO primò. Verbum per se procedit ex cognitione essentiæ & omnium personarum. Hanc assertionem expressè docuit Augustinus 15. de Trinitate cap. 14. *Pater*, inquit, *genuit Verbum sibi æquale per omnia. Non enim seipsum integrè perfectèque dixisset, si aliquid minus, aut amplius esset in eius Verbo, quàm in ipso. Et ideo Verbum hoc verè veritas est, quoniam quidquid est in ea scientia, de qua genitum est, & in ipso est. Quod autem in ea non est, nec in ipso est.* Et paulò pòst: *Nouit itaque omnia Deus Pater in seipso, nouit in Filio; sed in seipso tanquam seipsum, in Filio, tanquam Verbum suum, quod est de his omnibus, quæ sunt in seipso.* Fundamentum est, quia Verbum Diuinum per se procedit ex cognitione comprehensiua Deitatis: ergo per se procedit ex cognitione essentiæ & omnium personarum. Antecedens patet, alioqui Verbum non procederet ex cognitione perfectissima, qualis est sola cognitio comprehensiua Deitatis. Consequentia verò probatur, quia cognitio comprehensiua Deitatis se extendit ad omnia ea, quę vel essentialiter, vel saltem identicè integrant ipsam Deitatem. Atqui non solùm essentia, & attributa, sed personalitates, & relatiua omnia identicè saltem integrant Deitatem: igitur si Verbum procedit ex cognitione comprehensiua Deitatis, procedit ex cognitione omnium, quæ formaliter sunt in Deo.

*Augustin.*

88. Confirmatur 1. Quia Verbum per se procedit ex notitia comprehensiua Patris: Ergo per se procedit ex notitia omnium, quæ formaliter sunt in Deo. Antecedens constat, alioqui ex vi suæ originis Verbum non procederet per omnia simile & adæquatum Patri contra Aug. suprà citatum. Consequentia verò probatur, quia nequit comprehendi Pater, quin cum ipso comprehendatur fœcunditas ipsius: nequit autem comprehĕdi eius fœcunditas, quin cum ipsa & in ipsa comprehendantur reliquæ personæ, tanquam germina in radice, & fructus in arbore contenti. Implicat namque, comprehendi vim generatiuam & spiratiuam Patris, quin cum ipsa & in ipsa comprehendantur Verbum & Spiritus sanctus, tanquam termini in sua propria virtute contenti.

89. Confirmatur 2. quia vt infrà ex communi sententia Patrum & Scholasticorum demonstrabimus, Verbum diuinum per se procedit, vt perfectissima & adæquata imago sui parentis: repugnat autem, procedere vt perfectissimam & adæquatam imaginem sui Parentis, quin procedat ex cognitione omnium, quæ formaliter sunt in Deo. Minor probatur, quia perfectissima & adęquata imago debet per omnia adæquari suo prototypo: ergo procedere debet vt expressiua omnium, quæ sunt in suo prototypo. Cùm igitur in intellectu Patris per modum obiecti intelligibilis contineantur omnia, quę formaliter sunt in Deo, debet ipsius Verbum procedere vt expressiuum omnium, quæ in intellectu Patris, per modum obiecti intellgibilis continentur; alioqui non procederet vt adæquata imago ipsius.

90. *Obijcies* 1. Ex illius obiecti notitia per se procedit Verbum à quo specificatur Pa-

tris co-

tris cognitio. Atqui à solo obiecto primario specificatur Patris cognitio; hoc autem est sola essentia, eiusque attributa: igitur ex solius essentiæ, & attributorum notitia per se procedit Verbum. Resp. quidquid sit de primo syllogismo, de quo infra: neganda est minor subsumpta, nempe solam essentiam, exclusis personalitatibus, esse primarium obiectum paternæ cognitionis: sed totam Deitatem, vt complectitur omnes personalitates, esse adæquatum obiectum primarium illius: atque adeo ex notitia omnium, quæ formaliter sunt in Deo, procedit per se Verbum.

91. *Obijcies* 2. Ex cognitione illius obiecti procedit per se Verbum, ex cuius obiecti notitia beatur Patris intellectus: atqui ex solius essentiæ attributorumque notitia beatur Patris intellectus: igitur ex solius essentiæ attributorumque notitia procedit per se Verbum. Minor probatur, alioqui Pater in sua beatifica cognitione penderet à Filio & Spiritu sancto, tanquam ab obiecto per se; ergo aliquid acciperet ab illis, quod non haberet ex se. Respondeo. Quidquid sit de maiore, de qua infrà: neganda est minor. Etenim ad obiectum beatificum non solùm spectat essentia, sed etiam personæ, nam etiam personæ constituunt Deitatem, quę est adæquatum obiectum beatitudinis Diuinæ. Ad probationem verò minoris, nego antecedens. Nam dependere ab alio, tanquam ab obiecto beatificæ cognitionis, non est solùm terminari ad illud, tanquam ad purum obiectum, sed est insuper accipere ab illo vim & rationem ipsam cognoscendi. Pater autem, etsi in sua cognitione beata terminetur ad Filium & Spiritum sanctum tanquam ad obiectum beatitudinis per se, nihilominus non dicitur ab illis in sua beatitudine pendere, quia non accipit ab illis vim & rationem ipsam beatæ cognitionis, quam ex seipso habet virtute suæ propriæ essentiæ, quæ sicut est intelligibilis species omnium, ita est actualis notitia omnium.

92. *Obijcies* 3. Ex illius obiecti notitia per se procedit Verbum, ex cuius obiecti cognitione procedit vt Patris imago: Atqui ex solius essentiæ cognitione Verbum procedit vt Patris imago: Ergo ex solius essentiæ cognitione procedit per se Verbum. Maior constat, nam Verbum vi suę originis non solùm procedit vt Verbum Patris, sed etiam vt imago eiusdem; procedit enim vt intellectuale Verbum ad suum prototypum, à quo producitur, manifestandum. Minor probatur, nam
S. Thomas. authore S. Tho. 1. p. q. 35. art. 2. ratio imaginis in diuinis non attenditur penes notionalia, sed penes essentialia. Igitur Verbum non procedit per se ex notitia personarum, sed solius essentiæ. Respondeo negando minorem. Ad cuius probationem nego consequentiam. Etenim intelligibiliter exprimere notionalia non est perfectio notionalis, sed essentialis, quam habent omnes personę ratione notitiæ essentialis, cuius tantùm est exprimere tam notionalia, quàm essentialia. Aliud namque est Verbum assimilari Patri in notionalibus constitutiuè, aliud expressiuè. Verbum igitur vi suæ originis assimilatur quidem Patri, cæteriśque personis, imò & sibi ipsi expressiuè, quoniam vi suæ originis procedit vt Verbum expressiuum & declaratiuum omnium diuinarum personarum, non tamen constitutiuè; quia constitutiuè non accipit nisi solam personalitatem Verbi, per quam formaliter non exprimit obiectum, sed tantùm refertur ad principium producens.

93. *Obijcies* 4. Si per impossibile Spiritus sanctus non produceretur, adhuc Verbum procederet à Patre: ergo Verbum non procedit per se ex cognitione Spiritus sancti. Consequentia patet, nam quod per se requiritur ad productionem termini, eo deficiente, deficit terminus. Antecedēs probatur, quia Spiritus sanctus producitur origine posterior Verbo: ergo eius improductio non impediret Verbi productionem, quia nullum posterius impedire potest prius. Confirmatur, quia Spiritus sanctus de facto reperit Verbum iam productum in priori signo originis; igitur eius improductio non obstaret productioni Verbi. Respondeo. Nego Verbum cum ea perfectione processurum à Patre, cum qua de facto procedit, si Spiritus sanctus non produceretur: quia tunc non procederet vt expressiuum & manifestatiuum virtutis spiratiuæ, & termini spirabilis, quæ sicut nunc est maxima perfectio in diuinis, quę tamen ex data hypothesi non esset: ita maxima perfectio est in Verbo, hanc eandem perfectionem exprimere ac manifestare. Vnde tantùm demitur de perfectione Verbi, quantum tollitur de expressione obiecti ab eodem Verbo; cùm expressio obiecti sit primaria perfectio Verbi, qua Verbum est formaliter.

94. Dices. Idem Verbum fuisset, & cum eadem omnino perfectione, cum qua nunc est, etiamsi in Deo nulla fuisset cognitio creaturarum existentium, vti potuit non esse, si Deus illas liberè non condere decreuisset: atqui non minùs Verbum diuinum est expressiuum creaturarum existentium, quàm Spiritus sancti: ergo si non obstante, quòd nulla fuisset creaturarum existentium cognitio, nulla caruisset Verbum intrinseca perfectione: igitur pari ratione non obstante, quòd nulla fuisset Spiritus sancti cognitio, nihilominus Verbum nulla caruisset intrinseca perfectione.

95. Respondeo negando Minorem. Ratio discriminis est, quia quidquid est reale obiectiuè expressibile in creaturis existentibus, exprimitur à Verbo diuino per ipsam expressionem & repræsentationem creaturarum possibilium. Nihil enim manet obiectiuè expressibile in creaturis existentibus, quod non sit obiectiuè expressum per cognitionē creaturarum possibilium, nisi extrinseca tantùm connotatio, qua connotantur creaturæ ipsæ realiter existere in seipsis. Quæ connotatio nullam addit nouam perfectionem in Verbo exprimente, sed tantùm mutationem in rebus ipsis in propria natura existentibus, vt constat ex ijs, quæ suprà disputata sunt de sciētia Dei.

At verò si Spiritus sanctus non existeret, nullo modo exprimeretur à Verbo: eò quòd si ille non existeret, nullo pacto supponeretur possibilis: implicat namque aliquid in diuinis esse possibile, & actu non existere. Nam quidquid in Deo existit, summa necessitate existit, ac proinde si actu non existit, neque etiam possibile esse potest; atque adeo nec exprimi vt possibile à Verbo diuino, vti exprimuntur creaturæ, etiamsi actu non existant. Quo fit, vt aliqua intrinseca perfectione careret Verbum, si Spiritus sanctus non existeret, qua tamen perfectione non careret idem Verbum, esto nulla creatura existeret, eò quòd omnes creaturæ à Verbo exprimuntur secundùm esse possibile; neque vlla perfectio realis expressibilis est in creatura existente, quæ non sit adæquatè expressa in eadem vt possibili.

96. Ad probationem verò antecedentis negatur consequentia: nam esto productio Spiritus sancti sit origine posterior productione Verbi, eius tamen cognitio est prior & ipsius, & Verbi productione, & vt sic complet principium productiuum Verbi. Ad Confirmationem concedo, productionem Spiritus sancti supponere productionem Verbi origine priorem, dependenter tamen, vt more nostro loquar, ex ipsius cognitione, quæ in Patre præcedit productionem vtriusque.

97. Dico secundò. Verbum non procedit ex notitia abstractiua, sed intuitiua personarum. Fundamentum est, quia notitia abstractiua, vel est cognitio obiecti per alienam speciem, vt ego puto, vel obiecti absentis vt absentis formaliter: neutro autem modo Verbum Diuinum procedit ex cognitione personarum: igitur non procedit ex cognitione abstractiua, sed intuitiua earum. Maior constat ex adæquata partitione cognitionis abstractiuæ. Minor probatur quoad priorem partem: quia notitia ex qua procedit Verbum, vel determinatur modo nostro intelligendi à diuina essentia, tanquam à specie intelligibili sui & personarum; sui quidem formaliter, personarum verò eminenter; vel ab ipsismet personis diuinis immediatè determinantibus intellectum Patris ad claram notitiam ipsarum. Vtrouis modo procedat, semper procedit per notitiam determinatam à propria specie personarum. Et quidem si procedit secundo modo res est clara. Si primo, etiam patet. Nam diuina essentia ex eo, quòd est species eminentialis personarum, non tollitur, quin sit propria & perfectissima species singularum. Sicut ex eo quòd est species eminentialis creaturarum, non tollitur, quin sit propria & perfectissima species earum. Quod expressè docuit Scotus supra citatus, qui quamuis neget, Verbum gigni ex scientia personarum in seipsis cognitarum, concedit tamen illud gigni ex scientia personarum eminenter in essentia diuina cognitarum, quam cognitionem ipse appellat intuitiuam. Ratio verò est, quia causa eminentialis perfectissimo modo continet effectum. Vnde quando talis effectus non inuoluit imperfectionem, potest formaliter à causa eminentiali suppleri. Sed species propria diuinarum personarum nullam inuoluit imperfectionem; ergo potest formaliter à diuina essentia suppleri: atque adeo poterit intellectus Patris determinari ad propriam & intuitiuam notitiam diuinarum personarum ab ipsa increata essentia, tanquam ab eminentiali specie ipsarum.

Scotus

98. Probatur eadem Minor quoad secundam partem, nam cognitio, ex qua gignitur Verbum, non est cognitio personarum absentium, vt absentium formaliter. Nam cognitio obiecti absentis, vt absentis formaliter, est cognitio obiecti, non præsentis & existentis in eadem duratione, in qua existit ipsa cognitio. At cognitio, ex qua procedit Verbum, non est cognitio personarum non præsentium, sed existentium in eadem duratione, in qua existit ipsa cognitio. Minor patet, quia nullum assignabile est instans aut signum reale durationis in ipsa æternitate, in qua diuinæ personæ non semper simul coëxtiterint cum ipsa cognitione Dei. Maior probatur, nam cognitio obiecti absentis formaliter excludit obiectum ab eodem signo, in quo ipsa existit; non potest autem ab alio signo illud excludere, quàm à signo durationis; patet, nam ab eo signo abstractiua cognitio excludit obiectum, in quo illud includit cognitio intuitiua; cùm opposita debeant circa idem versari. Atqui intuitiua cognitio includit obiectum præsens & existens in eodem durationis signo: ergo ab eodem signo durationis quoad existentiã illud excludit abstractiua cognitio.

99. Confirmatur, nam tria signa possumus in diuinis distinguere, durationis, originis, & præcisionis vnius ab alio cum fundamento in re. Priora duo sunt realia. Tertium est tantùm rationis, & in ordine ad intellectum imperfectè & inadæquatè concipientem diuina per analogiam ad creata. Porrò cognitioni intuitiuæ non obstat posterioritas originis obiecti cognoscibilis, si aliunde illi præsens sit in eadem duratione: quia non obstante huiusmodi posterioritate, potest cognitio ferri ad illud existens in eadem duratione, atque adeo intueri illud in eadem duratione præsens. Nec obstat posterioritas præcisionis, ratione tantùm separantis & præscindentis cognitionem ab obiecto. Nã sicut hæc præcisio, cùm sit mentalis & in nostro duntaxat intellectu, non tollit, quin cognitio ipsa diuina actu, intueatur obiectum sibi in eadem æternitate præsens: ita nec tollit, quin re ipsa talis cognitio sit intuitiua: atque adeo terminus, qui ex illa procedit, re ipsa procedat ex cognitione intuitiua, & non abstractiua. Nam vt cognitio sit intuitiua, vel abstractiua, non pendet à consideratione nostri intellectus, sed ex natura ipsa cognitionis repræsentantis, aut non repræsentantis obiectum in eadem duratione quoad actualem existentiam sibi præsens. Sola igitur posterioritas durationis obiecti cognoscibilis tollit rationem intuitiui in cognitione; quæ obiecti posterioritas cum respectu diuinarum personarum in cognitione

diuina esse non possit, consequenter nec illa abstractiua cognitio respectu diuinarum personarum esse poterit.

100. DICO tertiò. Verbum non procedit à seipso, & Spiritu sancto cognitis vt existentibus in seipsis per se originatiuè, sed per se tantùm terminatiuè. Assertio hæc ponitur ad explicandum modum, quo cognitio hæc intuitiua personarum cognitarum, vt existentium in seipsis prærequiratur ad Verbi processionem. Prima igitur assertionis pars probatur, nam ex ijs tantùm procedit originatiuè Verbum, ex quibus tanquam à principio originante producitur: atqui Verbum non producitur à seipso & Spiritu sancto cognitis, vt existentibus in seipsis: ergo. Maior cum consequentia constat. Minor probatur, tum quia implicat, Verbum Diuinum vel à seipso, vel à Spiritu sancto; seipso origine posteriore, tanquam ab obiectis cognitis vt existentibus in seipsis produci. Tum quia & est ratio à priori. Obiectum solùm originatiuè concurrit ad actum repræsentatiuum sui. Verbum autem diuinum non originatur, quatenus actus est repræsentatiuus obiecti, sed quatenus hypostasis est & persona genita: igitur per se originatiuè non procedit à seipso, & Spiritu sancto cognitis vt existentibus in se ipsis. Consequentia patet, quia vt persona genita non postulat originari ab obiecto; sed à persona producente, licet ab eadem persona producente postulet communicationem totius obiecti intelligibilis. Minor etiam cõstat, nam Verbum, quatenus est actus expressiuus obiecti, est ipsum intelligere essentiale, quod in Deo non producitur, cùm sit ipsum intelligere per essentiam. Maior verò probatur, quoniam obiectum nõ potest actiuè concurrere, nisi ad quod eius actiua virtus per se ordinatur: atqui actiua virtus obiecti per se tantùm ordinatur ad mouendam potentiam cognoscitiuam ad actum sui repræsentatiuum: cùm enim obiectum per se tantùm sit ad repræsentandum seipsum cognoscenti, non poterit actiua virtus ipsius, nisi ad actum sui repræsentatiuum per sese extendere.

101. SECVNDA assertionis pars constat, quia cùm Verbum & Spiritus sanctus cogniti, vt existentes in seipsis per se requirantur ad productionem Verbi, tanquam obiecta per se terminantia intuitiuam notitiam Patris, ex qua per se procedit Verbum, & non requirantur originatiuè, necessariò requiri debent saltem per se terminatiuè, cùm non sit alius modus, quo illi possint per se requiri. Nec dici possunt requiri concomitanter, alioqui Verbum non procederet per se ex cognitione intuitiua personarum vt existentium in seipsis.

*Argumentũ Scotistarum*

102. Ex dictis soluitur palmare illud Scotistarum argumentum, quo euidenter putant se omnino concludere; Verbum gigni non posse ex cognitione personarum vt existentium in seipsis. Sic enim argumentantur: Pater in eo priori, in quo Verbum gignit, nondum Verbum & Spiritus sanctus existunt. Atqui non potest Pater cognoscere Verbum & Spiritum sanctum vt in seipsis existentes, nisi præsupponantur in seipsis existere. Implicat igitur, Verbum gigni ex cognitione personarum vt existentium in seipsis. Alioqui idem esset antequam produceretur, quia supponeretur in seipso existere, antequam ex notitia sui vt existentis procederet.

103. Respondeo igitur in forma ad hoc argumentum, distinguendo Maiorem. In priori originis, quo Pater gignit Verbum, Verbum & Spiritus sanctus non existunt prioritate originis, concedo; siquidem non existunt à se, quod est existere prioritate originis, sed ab alio, quod est existere vt posteriores origine: non existunt simultate durationis, & in eodem signo in quo, nego: atque hanc simultatem durationis non tolli per prioritatem & posterioritatem originis, constat in rebus creatis, in quibus cum perfecta prioritate causę, & posterioritate effectus stat omnimoda simultas durationis eiusdem effectus cum causa. Cuius ratio est, quia sunt prioritates & posterioritates diuersi ordinis: ac proinde sicut vna non infertur ex alia; ita neque vna tollit aliam. Atque hæc simultas durationis satis est, vt Pater prior origine possit Verbũ & Spiritum sanctum posteriores origine, vt existentes in seipsis, in eodem signo æternitatis intueri. Ex quo non sequitur, quod illi existant antequam producantur, sed potiùs quòd semper existant vt producti in eodem signo durationis cum Patre producente. Quoniam etsi sint origine posteriores Patre, sunt tamen semper simul duratione cum Patre, cùm nullum sit instans, in quo non sint coëxistentes Patri, licet semper ab ipso producti & origine posteriores. Tota igitur fallacia huius argumentationis est, quia ex posterioritate originis & *à quo*, infertur posterioritas durationis & *in quo*. Nam ex eo, quòd Pater est prior origine Filio & Spiritu sancto, inferunt, illum vt origine priorem non posse intueri, vt in seipsis existentes Filium & Spiritum sanctum origine posteriores. Qui discursus apertè supponit in signo, in quo existit Pater, non existere Filium & Spiritum sanctum: & hoc ex eo, quia Pater est origine prior, Filius verò & Spiritus sanctus sunt origine posteriores. Ac si non possent, quæ sunt origine priora & posteriora, simul esse duratione, atque adeo seipsa vt existentia in eadem duratione intueri.

104. Confirmatur, quoniam negare non possunt aduersarij, quòd Pater saltem in aliquo signo cognoscat Filium & Spiritum sanctum in seipsis actu existentes: igitur semper illos nouit in se ipsis actu existentes. Consequentiam probo, tum quia nunquam cognitio Patris mutata est ex vno signo in aliud, sed semper perseuerauit eadem. Tum quia personæ ipsæ non magis extiterunt in vno signo, quàm in alio: igitur si in aliquo signo eas Pater cognoscit, vt actu in seipsis existentes, semper eas nouit eodem modo in seipsis actu existentes. Consequentia patet, quia di-

uina cognitio nunquam in seipsa variatur, nisi ratione obiecti: ergo si obiectum in seipso nunquam est variatum, nec cognitio ipsa variata est. Antecedens ostendo, nã semper illæ eodem modo coëxtiterunt Patri, sicut coëxistunt nunc: ergo sicut nunc coëxistunt Patri posteriores origine, simul tamen duratione cum illo: ita semper extiterunt posteriores origine, simul tamen duratione cum Patre producente. Ergo sicut nunc, non obstante posterioritate originis, cognoscuntur vt actu existentes à Patre: ita, non obstante eadem posterioritate originis, semper sunt cognitæ vt actu existentes à Patre; cùm non minùs nunc existant posteriores origine, simul tamen duratione cum Patre, quàm in tota æternitate. Cuius ratio est, quia prioritas, vel posterioritas originis non facit, vt vna persona magis vel priùs prioritate durationis & *in quo* existat, quàm aliæ: sed tantùm quòd vna existat à se, aliæ verò ab alio.

105. Est & aliud genus fallaciæ in huiusmodi argumentationibus: nam quod est proprium concipientis tribui solet rebus ipsis conceptis. Qui modus argumentandi, non minùs quã præcedens deceptorius est. Ex eo enim, quòd noster intellectus ex imperfecto suo modo concipiendi concipit Patrem, vt priùs seipsum intelligentem, quàm intelligat Filium & Spiritum sanctum, putant eodem modo procedere æternum Patrem in sua æterna conceptione, vt priùs cognoscat seipsum suamque essentiam, quàm Filium & Spiritum sanctum. Sic enim arguunt, cognitio Patris priùs fertur in id, quod est origine prius, quã quod est origine posterius: sed Pater est origine prior, Filius verò & Spiritus sanctus sunt origine posteriores: ergo priùs Pater cognoscit seipsum, quàm Filium & Spiritum sanctum. Falsum namque est, priùs Patrem sua cognitione ferri ad seipsum, quàm ad Filium & Spiritum sanctum prioritate aliqua reali, & in re ipsa existente, sed tantùm virtuali, & per ordinem ad imperfectum nostrum concipiendi modum: quæ prioritas non sufficit, vt cognitio Patris dicatur abstractiua, respectu Filij & Spiritus sancti: quia hæc, vt ab intuitiua re ipsa distinguatur, debet obiectum, quod repræsentat, re ipsa excludere, & non tantùm per signum nostræ rationis, ab aliquo signo reali æternitatis.

106. Ex dictis deducitur 1. Falsò docuisse
*Ferrarien.* Ferrariensem 4. contra gentes cap. 13. §. *Ad primum videtur*, notitiam Patris priùs terminari ad Verbum, vt productionem ipsius, quàm vt notitiam eiusdem & reliquorum obiectorum: eò quòd Pater producit Verbum, vt in eo intelligat seipsum, & reliqua omnia: nam hic est intrinsecus finis Verbi; alioqui frustraneum esset in Deo Verbum. Etenim falsum est, Patrem producere Verbum, vt in eo seipsum & cætera intelligat; alioqui non produceret illud ex sola fœcunditate naturæ,
*August.* vt Patres, præsertim Augustinus sæpe testantur, sed ex mera necessitate intelligendi. Vnde contra Augustinum 15. de Trinit. cap. 14. Non omnia Pater in seipso nosset, sed tantùm in Verbo; quin insanum esse putat 7. de Trinit. cap. 1. dicere, Patrem non esse sapientem, nisi sapientia, quam ipse genuit. Et licet hæc propositio: *Pater est sapiens Sapientia genita*, fuerit aliquando ab Augustino admissa lib. 83. quæstionum, quæstione vigesima tertia, ea tamen postea fuit ab ipso retractata, lib. primo retractationum capit. vigesimo sexto.

107. Deducitur secundò. Id quod dictum est de productione Verbi, idem prorsus dicendum esse de processione Spiritus sancti. Quòd sicut illud procedit, ex intuitiua notitia sui, & Spiritus sancti; ita hic ex perfectissimo amore sui, & reliquarum Diuinarum personarum. Cùm non minùs Spiritus sanctus vi suæ originis postulet procedere, ex perfectissimo amore omnium, quæ formaliter sunt in Deo, quàm Verbum ex perfectissima notitia omnium, quæ formaliter sunt in ipso Deo.

108. Ad fundamentum primæ sententiæ. Respondeo negando maiorem. Non enim ex illa tantùm notitia per se procedit Verbum, cuius obiectum per se est productiuum Verbi; (siquidem nullum obiectum, vt probatum est, per se est productiuum Verbi increati:) sed ex illa etiam notitia per se procedit Verbum, cuius obiectum per se requiritur vt terminus ad notitiam, quæ vi originis communicatur Verbo. Cùm igitur ad intuitiuam notitiam, quæ vi originis communicatur Verbo, per se requirantur personæ diuinę, vt obiecta actualia, actu existentia, per se illam terminantia, rectè ex tali notitia personarum per se dicitur procedere Verbum. Ad probationem verò maioris distinguenda est illa vniuersalis propositio, *Omne obiectum est comprincipium intellectus ad productionem Verbi*, vt sit tantùm vera respectu intellectus, cuius esse non est suum intelligere, qualis est creatus; non autem respectu intellectus, cuius esse est suum intelligere, qualis est increatus, qui non producit Verbum, vt eo intelligat, sed vt eo personaliter subsistat, & ad intra loquatur. Cæterùm concedenda est minor cum sua probatione de per se requisito, vt principio productiuo; neganda verò de per se requisito, vt obiecto per se tantùm terminante. Quare neganda est consequentia.

109. Ad primam rationem secundæ sententiæ, neganda est minor. Etenim inter potissimas perfectiones æterni Verbi est, vt vi suæ originis procedat expressiuum Spiritus sancti, quam perfectionem non haberet, sublato Spiritu sancto eiusque processione. Ad probationem verò minoris, negandum est, solùm illa tria esse per se tantùm requisita ad perfectam & adæquatam productionem Verbi: quamuis illa tantùm sint per se requisita per modum principij originantis.

110. Ad secundam rationem neganda est sequela. Etenim ad rationem imaginis requiritur, vt actiuè procedat ab obiecto, cuius est imago, vt infrà in peculiari sectione de ima-

gine

gine ostendemus. Cùm igitur Verbum non procedat actiuè ab Spiritu sancto, esto illum exprimat & perfectè repræsentet, non dicitur illius imago: sicut ob eandem rationem Verbum non dicitur imago creaturarum, quarum tamen est perfectè expressiuum & manifestatiuum. Exemplum verò de imaginibus arte depictis potiùs facit pro nobis. Nam illæ eatenus dicuntur imagines rerum, quas repræsentant, quatenus ab illis producuntur medijs speciebus, quæ fuerant actiua principia idearum, à quibus externæ imagines proximè exemplantur.

111. Ad fundamentum tertiæ sententiæ, neganda est Minor, quod constat ex dictis. Ad cuius probationem concedo, notitiam intuitiuam Verbi sub ratione originis esse priorem Verbo; sub ratione verò obiecti actu terminantis illam, esse simul cum illo, aut etiam posteriorem illo, non posterioritate aliqua reali; cùm cognitio Patris non pendeat originatiuè à Verbo & Spiritu sancto, vt ab obiectis, sed posterioritate rationis, & naturalis connexionis, quam cognitio notionalis Patris habet cum Verbo & Spiritu sancto, tanquam cum obiectis in seipsis actu existentibus: talis enim cognitio, vt formaliter terminata ad Verbum & Spiritum sanctum actu existentes, naturaliter exigit à nobis concipi vt simul, vel etiam posterior ipsis obiectis, vt actu specificantibus illam; & simul etiam prior vt actiua origo & communicatio totius esse intelligibilis. Non enim repugnat, vt ex disputatione 22. sect. 2. constat, quę sunt sub vno genere & ratione priora, esse sub alio genere & ratione posteriora.

## SECTIO IV.

### *An Verbum per se procedat ex cognitione creaturarum possibilium?*

112. HACTENVS disputatum est, an Verbum per se procedat ex ijs, quæ formaliter sunt in Deo: superest disputādum, an per se procedat ex ijs, quæ tantùm eminenter continentur in Deo, quæ sunt obiecta ipsa creata, quatenus terminant cognitionem Patris. Hæc autem vel sunt creaturæ ipsę possibiles, vel futuræ & existentes in aliqua differentia temporis. In hac sectione disputabimus, an per se procedat ex notitia creaturarum possibilium, in sequenti verò, an procedat ex notitia futurarum.

113. PRIMA sententia negat, Verbum per se procedere ex cognitione creaturarum possibilium. Est Scoti citati sect. præced. Ochami in 1. dist. 27. q. 3. in fine, Vasq. 1. p. disp. 143. à cap. 3. Probatur hæc sententia 1. authoritate Anselmi in monologio, c. 30. & 31. vbi docet, adhuc futurum esse Verbum in Deo, etiamsi nulla possibilis esset essentia creata. Igitur ex sententia Anselmi Verbum Diuinum per se non procedit ex cognitione creaturarum, quandoquidem, his non possibilibus, adhuc productum fuisset Verbum diuinum.

*Scotus. Ocham. Vasquez. Anselmus.*

114. Secundò, ex ijs tantùm per se procedit Verbum, ex quibus originatur Verbum; atqui ex creaturis possibilibus non originatur Verbum: ergo ex ijs non per se procedit Verbum.

115. Tertiò, nequit terminus habere maiorem necessitatem essendi, quàm habeat principium & origo, vnde ipse procedit: sed Verbum diuinum habet summam necessitatem essendi: creaturæ possibiles non habent summam necessitatem essendi: ergo Verbum diuinum non potest procedere ex creaturis possibilibus, tanquam ex principio per se requisito ad ipsius productionem. Maior constat, quia totum esse termini pendet à principio, à quo producitur: igitur non potest habere maiorem necessitatem essendi, quàm habeat eius principium, alioqui excederet suum principium. Minor probatur, nam Verbum habet eam necessitatem essendi, quam habet Deus, hæc autem est, qua maior excogitari non potest. Creaturæ autem possibiles non habent eandem necessitatem essendi, quam habet Deus: quod inde constat, quoniam sublato per impossibile Deo, per locum intrinsecum tolluntur creaturę possibiles, at sublatis creaturis possibilibus, non tollitur per locum intrinsecum Deus: ergo.

116. Quartò. Deus est in seipso absolutus ab omni respectu & ordine ad creaturas; ergo independenter à quacunque notitia creaturarum producit in se Verbum. Antecedens patet, quia nemo in Deo in ordine ad creaturas ponit respectum plus quàm rationis, alioqui Deus dependeret à creaturis. Consequentia verò probatur, nam alioqui Deus in perfectione sibi maximè intrinseca & propria, cuiusmodi est productio Verbi, dependeret à creaturis; atque adeo non esset in seipso omnino absolutus ab omni respectu & ordine ad creaturas.

117. Quintò. Si nullę forent creaturę possibiles, adhuc produceretur Verbum eodem modo perfectum, sicuti nunc est: ergo productio Verbi non pendet ex notitia creaturarum. Consequentia patet, quia quod per se requiritur ad productionem termini, eo sublato tollitur productio ipsius termini, saltem quoad eam perfectionem, quam acciperet ab illo, alioqui si nullam perfectionem acciperet ab illo, non esset per se requisitum ad ipsius productionem. Antecedens probatur, nam esto nullæ essent possibiles creaturę, adhuc non tolleretur à Verbo necessitas essendi, quam habet vt Deus. Confirmatur, quoniam absurdum est dicere, ex eo quòd possibilis non esset formica, futurum non fuisse Verbum, aut certè non cum ea perfectionis plenitudine, cum qua de facto est.

118. Sextò. Cognitio Patris priùs ratione terminatur ad suam essentiam, quam ad creaturas vt possibiles; ergo priùs ratione terminatur ad productionem Verbi, quàm co-

gnoscat creaturas vt possibiles. Antecedēs patet, quoniam ad suam essentiam terminatur tanquam ad obiectum primarium, quod solùm per se mouet intellectum Patris ad intuitiuam notitiam sui; ad creaturas verò tanquam ad obiectum secundarium, quod nec per se mouet, nec per se primò terminat notitiam Patris, nisi in virtute obiecti primarij. Consequentia probatur, nam in id per se priùs tendit cognitio notionalis Patris, quod est maior, & intimior perfectio Dei: atqui maior & intimior perfectio Dei est productio Verbi, quàm repræsentatio creaturarum possibilium: ergo.

119. Septimò. Cognitio creaturarum possibilium nullam addit intrinsecā perfectionē Deo: ergo ex earum notitia non procedit per se Verbum. Consequentia patet, quia Verbum per se tantùm procedit ex notitia dicente intrinsecam perfectionem in Deo, quia procedit ex illa vt ex principio per se communicante aliquod esse. Antecedens probatur, nam ita se habet notitia possibilium ad notitiam essentię: sicut notitia futurorum ad notitiam possibilium: sed notitia futurorum non addit nouam perfectionem supra notitiam possibilium; ergo neque notitia possibilium supra notitiam essentiæ. Minor constat. Maior probatur, quia vtraque notitia tam futurorum, quàm possibilium est extrinseca Deo; & vtraque implicante, non minùs perfectus esset Deus, quàm nunc est.

120. Octauò. Si Verbum procederet ex creaturis possibilibus tanquam ex obiecto per se requisito, sequeretur, Verbum procedere vt imaginem creaturarum: cōsequens est contra Patres: ergo. Sequela probatur, quoniam ad rationem imaginis præter similitudinem cum imaginato, nil aliud requiritur, quàm origo ab eodem, cuius similitudinem gerit; sed Verbū procedit simile creaturarum quoad esse intentionale & repręsentatiuum; ergo si ab illis etiam tanquam ab obiecto per se requisito procedit, erit propria imago earum.

121. Nonò. Spiritus sanctus non procedit per se ex amore creaturarum; ergo nec Verbū ex notitia earundem. Antecedens constat, tū quia amor creaturarum est liber, processio verò Spiritus sancti est summè necessaria; tum quia alioqui Spiritus sanctus diceretur amor creaturarum. Consequentia verò probatur, nam ita se habet dilectio creaturarum ad processionem Spiritus sancti, sicut cognitio earundem ad productionem Verbi, vtraque enim est extrinseca Deo, & nullam addit nouam perfectionem Deo.

122. Decimò. Ex illo obiecto per se procedit Verbum, ex cuius notitia beatur intellectus Patris: sed ex notitia creaturarum non beatur intellectus Patris: igitur ex earum notitia non procedit per se Verbum. Minor patet, alioqui Deus in sua beatitudine penderet à creaturis. Et confirmatur, quia nostra beatitudo non pendet à notitia creaturarum; ergo multò minùs ab ea pendebit beatitudo Dei. Maior probatur, quia Verbum Diuinum procedit vt intellectualis imago, & vt intrinsecum complementum essentialis fælicitatis & beatitudinis æterni Patris.

123. Vndecimò. Si Verbum procederet ex cognitione creaturarum sequeretur, Patrem priùs cognoscere creaturas, quàm eas cognoscerent Filius & Spiritus sanctus: consequens est falsum: nam omnes tres personę ex æquo respiciunt creaturas. Nam sicut omnes tres personæ ex æquo eas producunt, & amant; ita ex æquo eas cognoscunt.

124. Duodecimò. In Deo priora sunt illa, quæ nullum dicunt respectum ad extra ijs, quę aliquem respectum dicunt ad extra: productio Verbi nullum dicit respectum ad extra; cognitio verò creaturarum dicit respectū ad extra. Igitur prior est productio Verbi, quàm cognitio creaturarum. Minor patet. Maior probatur, nam ea sunt priora in Deo, quæ sunt intimiora: intimiora autem sunt, quę nullum dicunt respectum ad extra, nam hæc præsupponuntur ad ea, quæ respectum dicunt. Confirmatur, quia non esset cognitio diuina ordinata, si priùs cognosceret creaturas, quàm productionem Verbi; nam priùs cognosceret aliena & extrinseca, quàm propria & intrinseca.

125. Decimo tertiò. Priùs ratione, quàm Deus cognoscat creaturas vt possibiles, cognoscere debet seipsum vt completum principium earum: ergo priùs ratione, quàm cognoscat creaturas vt possibiles, cognoscit seipsum subsistētem in tribus suppositis relatiuis: ergo priùs ratione, quàm cognoscat creaturas vt possibiles, producit Verbum. Antecedens constat: etenim qui cognoscit effectus per causam, sicut cognoscit Deus creaturas possibiles per suam omnipotentiam, debet priùs cognoscere causam in ratione principij productiui perfectè completam, quam cognoscat effectus ab ipsa producibiles; cùm prior sit causa in seipsa perfectè completa in ratione principij, quàm sint possibiles effectus ab ipsa promanabiles: nam hi necessariò supponunt illam. Prior consequentia patet, quia causa non est vltimò completa in ratione principij productiui, nisi per suppositū: sunt enim actiones suppositi, non naturę, vt est cōmune Philosophorū ac Theologorum proloquium. Sed Deus non nisi in tribus suppositis relatiuis Patris & Filij & Spiritus S. completè subsistit. Ergo. Posterior verò consequentia probatur, quia cùm debeat Deus necessariò præcognoscere seipsum, vt in tribus suppositis subsistentem, & non possit seipsum in tribus suppositis subsistentem præcognoscere abstractiuè, cùm hæc cognitio imperfectionem inuoluat in DEO; sed intuitiuè, necessariò hæc cognitio supponit personas actu existentes, atque adeo productas. Ergo priùs, quàm cognoscat creaturas vt possibiles, producit Verbum.

126. SECVNDA sententia affirmat, Verbum per se procedere ex notitia creaturarum possibilium. Hæc sententia communior est

inter

S. Thomas. Alensis. Benauent. Richardus. Gabriel. Palatius. Caietanus. Zumel. Bannez. Molina. Valentia. Torres. Suarez. Ruiz. Granadus. Zuniga.

Augusti.

inter Scholasticos, eaque colligitur ex S. Thoma 1. p. q. 34. art. 1. ad 3. Alensi 1. p. q. 62. membr. 1. artic. 4. Bonauentura in 1. dist. 27. p. 2. artic. 1. qu. 2. Richardo art. 2. qu. 3. eamque expresse docent Gabriel in 1. dist. 27. qu. 3. artic. 3. Palatius disput. 2. circa finem, Caietanus 1. p. quæst. 34. artic. 3. Zumel, Bannez. Molina, Valentia ibidem, Torres qu. 27. ar. 5. 3. p. suę disp. Suarez lib. 9. de Trinit. capit. 6. Ruiz disput. 63. sec. 1. Granadus disp. 6. Zuniga disput. 9. dubio 6. Pro cuius explicatione,

127. DICO 1. Verbum diuinum vi suæ originis per se procedit ex notitia creaturarum possibilium. Probatur primo ex Augustino 15. de Trinitat. cap. 14. vbi docet, Verbum diuinum esse de his omnibus, quę sunt in scientia Patris. Particula autem, *De*, præsertim in doctrina Augustini processionem per se importat ab eo, de quo dicitur terminus procedere. Nam eodem modo in sententia ipsius Verbum dicitur procedere de his, quæ sunt in scientia Patris, ac de substantia ipsa Patris. Sed respectu substantiæ Patris paticula *De*, denotat perfeitatem principij: ergo etiam respectu eorum, quæ sunt in scientia Patris, denotabit perfeitatem; saltem termini per se terminantis, vt infrà explicabo. Vnde hocipsum Augustinus magis declarans, addit: *Sciunt igitur inuicem Pater & Filius; sed ille gignendo, hic nascendo.* Atqui Verbum per se procedit ex ijs, quæ accipit vi suæ natiuitatis: quia quæ accipit vi suę natiuitatis per se requiruntur ad eius productionem: est enim natiuitas seu origo passiua Verbi, principium ipsum communicatiuum Verbi, vt modificatum relatione producti. Igitur si Verbum vi suę natiuitatis & originis accipit omnia, quæ sunt in scientia Patris, ea omnia sunt per se requisita ad productionem ipsius. Non potest autem hęc authoritas Augustini intelligi etiam de creaturis vt futuris, quia licet cum notitia futurorum, non tamen de notitia futurorum procedit Verbum.

128. Probatur eadem sententia triplici ratione. Prima sit. De ratione Verbi vt sic, est procedere vt declaratiuum & manifestatiuum Dicentis: ergo de ratione Verbi increati est, procedere vt perfectè declaratiuum & manifestatiuum æterni Patris Dicentis. Ergo de ratione Verbi increati est, procedere vt declaratiuum & manifestatiuum creaturarum possibilium. Igitur de ratione eiusdem erit, procedere ex cognitione earundem creaturarum possibilium. Antecedens constat ex ipsa quidditate Verbi, cuius potissimum munus est declarare ac manifestare dicentem, à quo procedit. Prima consequentia patet, nam de ratione Verbi increati est, procedere illimitatum & infinitum, in tota latitudine Verbi possibilis. Sicut de ratione Dicentis increati est dicere illimitatè & infinitè in tota latitudine dictionis possibilis. Et vniuersaliter de ratione cuiuscunque perfectionis increatę est, esse illimitatam & infinitam in tota latitudine eius perfectionis, in qua supponitur. Cuius ratio à priori est, quoniam ratio increati est ipsa ratio illimitationis & infinitatis, cùm sit ratio entis à se à nullo dependentis: ergo coniuncta cum qualibet perfectione reddit illam formaliter illimitatam & infinitam in ea ipsa ratione, in qua illam contrahit. Secunda verò consequentia probatur, nam esse declaratiuum & manifestatiuum creaturarum possibilium est aliqua perfectio intrinseca Verbo, nam per illam constituitur exemplar & practicum principium productiuum creaturarum: vnde maxima perfectio deesset Verbo, si hanc perfectionem non haberet. Igitur si vi suæ originis procedere debet perfectè declaratiuum & manifestatiuum omnium declarabilium & manifestabilium, vi eiusdem originis procedere debebit vt declaratiuum & expressiuum creaturarum possibilium: siquidem hæ continentur inter obiecta declarabilia & manifestabilia, ad quæ Verbum increatum vi suæ infinitæ perfectionis se extendere debet. Vltima verò consequentia elucet, quia non potest Verbum vi suæ originis procedere, vt declaratiuum & manifestatiuum creaturarum possibilium, nisi vi suæ originis procedat ex notitia earum: cùm non alio modo Verbum manifestet obiecta, quàm per eorum notitiam, quàm vi suæ originis accipit à Dicente.

129. Confirmatur. Ea perfeitate Verbum diuinum adæquatur notitiæ Patris, qua perfeitate notitia Patris adęquatur propriæ essentiæ, vt est species intelligibilis omnium: sed notitia Patris per se adęquatur propriæ essentię, vt est species intelligibilis tam sui, quàm creaturarum: ergo etiam Verbum per se adæquatur notitiæ Patri, vt est notitia tam essentię, quàm creaturarum. Maior probatur, nam ea perfeitate, Verbum procedit ex notitia dicentis, qua perfeitate notitia ipsa dicentis procedit ex specie intelligibili obiecti dicibilis: ergo ea perfeitate Verbum diuinum procedit ex notitia Patris dicentis, qua perfeitate notitia ipsa Patris dicentis procedit, vt more nostro loquar, ex diuina essentia, tanquam specie intelligibili omnium dicibilium. Minorem ostendo, quia quidquid per se includit species obiecti, per se etiam includit notitiam actualis obiecti; cùm hæc sit propria proles & partus illius. At diuina essentia per se includit perfectionem speciei intelligibilis creaturarum possibilium; ergo & eius actualis notitia; nam hæc per se postulat adæquari & commensurari illi.

130. SECVNDA ratio sit. Verbum diuinum per se, & vi propriæ originis procedit cum omnis perfectione, quam per se dicit cognitio increata Patris. Sed cognitio increata Patris, per se dicit expressionem creaturarum possibilium: ergo hanc per se accipit Verbum vi suę originis. Maior constat, nam eas perfectiones per se vi originis accipit Verbum, quæ per se includuntur in eius formali origine: cùm igitur formalis origo Verbi sit ipsa increata notitia Patris, quidquid per se includitur in notitia ipsa increata Patris, per se

etiam

etiam & vi originis accipit Verbum. Minorem probo, quia notitia increata est per se illimitata in tota latitudine notitiæ possibilis: ergo per se dicit expressionem totius entis possibilis. Nec refert, quòd talis notitia sit obiecti extrinseci: nam esto obiectum expressum sit extrinsecum, ipsa tamen exprimendi vis intrinseca est, & vitalis in Deo. Sicut esto effectus ad extra producibilis sit extrinsecus Deo, quia tamen ratio ipsa producendi est intrinseca Deo, potentia productiua ad extra est intrinseca perfectio Dei: nam sicut effectus ad extra producibilis supponit positiuam perfectionem productiuam ad intra: ita obiectum ad extra expressibile, supponit positiuam perfectionem expressiuam ad intra: quæ non minùs, quàm virtus ipsa producendi, est perfectio intrinseca Deo.

131. Confirmatur. Ita se habet in Deo cognitio expressiua diuinæ essentiæ respectu cognitionis expressiuæ creaturarum: sicut se habet potentia productiua diuinarum personarum respectu potentię productiuę creaturarum: nam sicut illa ad essentiam comparatur tanquam ad obiectum primarium, ad creaturas verò tanquam ad obiectum secundarium: ita hæc ad diuinas personas comparatur tanquam ad terminum primarium, ad creaturas verò tanquam ad terminum secundarium. Sed potentia non solùm dicit perfectionem intrinsecam in Deo, vt est productiua termini primarij, sed etiam vt est productiua termini secundarij. Ergo & cognitio non solùm dicit perfectionem intrinsecam in Deo, vt est expressiua obiecti primarij, sed etiam vt est expressiua obiecti secundarij.

132. Tertia ratio. Verbum per se procedit ex cognitione comprehensiua Deitatis; ergo per se procedit ex cognitione possibilium. Consequentia constat, quoniam impossibile est, comprehendi Deitatem, non comprehensa eius omnipotentia. At nequit comprehendi omnipotentia, non cõprehenso eius obiecto: obiectum autem omnipotentię est ens possibile: igitur nequit comprehendi Deitas, non comprehensis creaturis possibilibus: atque adeo, si Verbum per se procedit ex comprehensione Deitatis, per se etiam procedit ex cognitione creaturarum possibilium. Antecedens verò probo, tum quia Verbum per se procedit ex cognitione perfectissima; hæc autem est cognitio comprehensiua Deitatis. Tum quia alioqui, contra Augustinum *August.* supra citatum, Verbum vi suæ originis non procederet per omnia simile & adæquatum Patri; siquidem non adæquaretur illi in notitia creaturarum possibilium, quam per se includit cognitio notionalis Patris, qua increata notitia est. Vnde vi suæ originis Verbum non acciperet omnem perfectionem per se spectantem ad notitiam Patris. Quare siue dicamus, Deum vnico intuitu formaliter & virtualiter indiuisibili cognoscere suam omnipotentiam, & creaturas possibiles, cum ea essentialiter connexas, tanquam effectus cum causa, siue diuerso intuitu virtualiter distincto; semper verum erit, cognitionem creaturarum possibilium per se pertinere ad comprehensionem omnipotentiæ; atque adeo ad completam originem Verbi, quod per se postulat procedere ex notitia comprehensiua Deitatis.

133. Dico 2. Creaturæ possibiles vt cognitæ non concurrunt ad productionem Verbi per se originatiuè, sed per se tantùm terminatiuè. Assertio constat ex sectione præcedente: in qua similiter ostendimus, Verbum non procedere à seipso & Spiritu sancto cognitis vt actu existentibus, originatiuè, sed solùm terminatiuè: quod à fortiori verum erit respectu creaturarum. Ratio verò est, quia tunc solùm obiectum concurrit originatiuè, quando concurrit vt species intelligibilis ad actum sui repræsentatiuum. Verbum autem increatum non producitur, quatenus est actus repręsentatiuus obiecti, cùm ille sit essentialiter improductus, & solùm communicetur Verbo, sed quatenus est persona, ad quam per se non concurrit obiectum, sed suppositum ipsum Patris. Vnde ipsummet suppositum Patris considerari potest dupliciter, vno modo vt obiectum paternæ intellectionis, & sic ad productionem Verbi non concurrit, nisi vt primarius terminus intellectionis, quæ per se vi originis communicatur Verbo: eodem modo concurrunt reliquæ personæ, & creaturę possibiles, nisi quòd creaturæ concurrant vt terminus secundarius, per se tamen requisitus ad completam originem Verbi. Alio modo considerari potest, vt naturale suppositum Patris; & sic ad productionem Verbi concurrit, vt principium originatiuum. Eodem modo considerari potest essentia diuina & quodlibet attributum ipsius, vel in ratione obiecti per se primariò terminantis intellectionem Patris, vel in ratione principij communicatiui: primo modo terminatiuè tantùm; secundo modo communicatiuè concurrit ad productionem Verbi.

134. Ex his colligitur, falsas esse has locutiones. *Verbũ est à seipso* vel *ex seipso*, *Spiritu sancto*, vel *creaturis*; rectè tamen dici, *esse à Patre*, vel *ex Patre*. Ratio est, quia particulæ *A*, & *Ex*, denotant originem vnius ab alio. Cùm igitur Verbum non procedat à seipso, vel à Spiritu sancto, aut à creaturis originatiuè, sed solùm à Patre, respectu solius Patris, erunt prædictę locutiones veræ. Præterea falsæ etiam sunt istæ. *Verbum est de seipso*; *de Spiritu sancto*; aut *de creaturis*: rectè tamen dicitur, *esse de Patre*, vel *de substantia*, aut *de sapientia & virtute Patris*. Ratio: quoniam particula, *De*, importat consubstantialitatem termini cum principio, connotata origine inter terminum & principium. Quia igitur hanc cõsubstantialitatem non habet Verbum cum creaturis, non dicitur *esse*, vel *procedere de creaturis*: & licet hanc consubstantialitatem habeat cum seipso, & cum Spiritu sancto, quia tamen non habet à seipso, vel à Spiritu sancto originem, quam connotat particula, *De*, dici non potest, *esse de seipso*, vel *de substan-*

*tia Spi-*

tia Spiritus sancti. Vnde respectu creaturarum ex duplici defectu hæc locutio est falsa, & defectu consubstantialitatis, & defectu originis; respectu verò sui, & Spiritus sancti solùm defectu originis & actiuæ cõmunicationis. Hinc tamen non obstat, quin Verbum dici possit *sui ipsius Spiritus sancti, & creaturarum Verbum*; quia hoc importat respectum repræsentantis ad repræsentata, & manifestantis ad manifestata: Verbum autem perfectissimè repræsentat, & manifestat seipsum, Spiritum sanctum, & creaturas.

## *Solutio argumentorum oppositæ sententiæ.*

*Ad auctoritatem Anselmi.*

135. AD 1. ductum ab authoritate Anselmi Respondeo, Anselmum apertè loqui de creaturis, existentibus in aliqua differentia temporis. Nam cæterùm de creaturis possibilibus c. 33. docet, eas eodem Verbo, eademque necessitate dici, qua Deus dicit seipsum: quoniam illæ semper manent in ipsa arte Dei inuariatæ & immutabiles, siue in seipsis existant, siue factæ dissoluantur.

136. Ad 2. Neganda est simpliciter maior: quoniam vt probatum est, Verbum non solùm per se procedit ex ijs, quę ad eius productionem requiruntur originatiuè, sed etiam ex ijs, quæ requiruntur terminatiuè.

137. Ad 3. Neganda est minor quoad secundam partem. Etenim tam Verbum diuinum, quàm creaturæ ipsæ possibiles summam habent necessitatem essendi, licet Verbum illam habeat positiuè & à se; creaturæ verò negatiuè & ab alio. Dupliciter enim considerari possunt creaturæ possibiles, vno modo per respectum ad omnipotentiam Dei, à qua denominantur possibiles, quo pacto consequuntur ipsam omnipotentiam Dei, tanquam passio suum principium. Alio modo in ordine ad seipsas, per non repugnantiam, quam habent ad existendum; quo pacto præsupponuntur ad omnipotentiam Dei, tanquam obiectum ad suam potentiam. Vtroque modo consideratæ creaturæ possibiles summam habent necessitatem essendi. Nam consideratę primo modo habent eandem necessitatem, quam habet omnipotentia ipsa Dei, quæ talem possibilitatem creaturarum ex se necessariò infert, ob summam plenitudinem suæ perfectionis. Licet talem necessitatem Deus habeat à se, creaturę verò à Deo: sicut eandem necessitatem essendi habet passio & principium; licet illa dependenter, & ab alio; hoc independenter, & à se. Quæ diuersitas non facit, vt vna necessitas sit maior alia in ipsa formali ratione necessitatis, sed tantùm vt vna sit perfectior alia. Nec minorem necessitatem habent consideratę secundo modo per ordinem ad non repugnantiam, quam habent ad existendum. Nam cùm hęc non repugnantia sit pura negatio, vt ex Philosophia suppono, & pura negatio à nullo pendeat, neque ab ipsomet, à quo non potest, nisi positiuum existendere, habebit necessitatem in suo genere summam. Nam summa necessitas est, quæ vt sit vel non sit, à nullo pendet; ideo quippe Deus in suo esse positiuo est summè necessarius, quia in suo esse positiuo à nullo pendet, ne à seipso quidem, nisi in genere causę formalis. Cùm igitur creaturæ secundùm hanc non repugnantiam à nullo pendeant, neque à Deo, cùm secundùm hanc non repugnantiam sint purum nihil, habebunt necessitatem in suo genere summam. Dixi *in suo genere*; nam hæc summa necessitas fundatur in summa imperfectione & nihilitate totius entis: contrà verò necessitas, quam habet Deus, fundatur in summa perfectione & plenitudine totius entis possibilis.

138. Ad probationem verò secundæ partis minoris concedo, Verbum diuinum habere eandem necessitatem essendi, quam habet Deus ipse, nempe positiuam & à se; eandem verò non habere creaturas; nego tamen eas nõ habere aliam necessitatem in suo genere etiam summam, modo suprà declarato. Ad aliam verò probationem eiusdem minoris concedo, sublatis creaturis possibilibus, non tolli Deum quoad eas perfectiones, quæ nullam connexionem habent cum creaturis; nego tamen non tolli quoad eas saltem perfectiones, quæ connexionem habent cum creaturis possibilibus. Quare sublatis creaturis possibilibus tolleretur à Deo perfectio omnipotentiæ, artis, & exemplaris, non quidem propter dependentiam harum perfectionem à creaturis, sed propter perfectionem, quam creaturæ ipsæ possibiles necessariò supponunt in Deo.

139. Ad 4. Aliqui negant antecedens, putãt enim in Deo esse realem ordinem & respectum transcendentalem ad creaturas possibiles. Sed falsum est, cùm omnis ordo & respectus realis aliquam importet dependentiam, præsertim quando talis ordo est ad terminum diuersę naturæ. Quare distinguendum est antecedens. Est Deus absolutus ab omni ordine reali ad creaturas, concedo; ab omni cõnexione cum creaturis, nego: idque non ob imperfectionem, aut dependentiam ipsius à creaturis, sed ob summam plenitudinem essendi, & dependentiam creaturarum ab ipso. Vnde distinguendum est etiam consequens: producit Deus Pater Verbum independenter à notitia creaturarũ originatiuè; concedo; terminatiuè, nego. Nam hoc non est aliud, quàm non posse producere Verbum, nisi ex perfecta notitia Deitatis, quæ per se etiam affert notitiã creaturarum, tanquam termini per se connexi cũ omnipotentia Dei. Eodem modo respõdetur ad probationem consequentię: Deum nõ producere Verbum dependenter à creaturis originatiuè, sed solùm terminatiuè; idque propter connexionem, quam creaturæ possibiles habent cum omnipotentia Dei, ex cuius notitia per se procedit Verbum.

140. Ad 5. Nego antecedens. Etenim sublatis creaturis possibilibus, Verbum non procederet, vt exemplar, ars, & virtus productiua

creatu-

creaturarum; quæ perfectiones cùm sint intrinsecæ Verbo, non procederet Verbum cum omnibus perfectionibus, cum quibus de facto procedit, sublatis creaturis possibilibus. Ad confirmationem respondeo, sublata qualibet creatura possibili, non processurum Verbum cum tota ea plenitudine essendi, cum qua de facto procedit, non propter sublationem creaturæ, sed propter sublationem illius perfectionis diuinæ, quam talis creatura possibilis per se supponit in Deo. Cùm enim creaturæ possibiles supponant intrinsecam perfectionem in Deo, à qua formaliter habent, vt sint possibiles, hoc ipso, quod tollitur aliqua creatura possibilis, tollitur aliqua perfectio in Deo, quam talis creatura possibilis supponebat in Deo, & à qua formaliter denominabatur possibilis. Sicut sublato aliquo effectu sublunari possibili, tollitur plenitudo virtutis solaris, quam talis effectus de facto supponit in virtute ipsa productiua solis.

141. Cæterùm, vt hæc, & similia argumenta aliquid concludant, supponere debent possibilitatem creaturarum, eaque supposita concludere, cognitionem earum non esse per se requisitam ad productionem Verbi: Nam in hoc tantùm consistit prǫsens controuersia. Alioqui si supponatur impossibilitas creaturarum, tollitur ista necessitas, vt debeat Verbum procedere ex cognitione earum, sed potius tunc processurum Verbum ex cognitione impossibilium. Verũ sicut tunc, propter necessariã connexionem, quã creaturæ possibiles de facto habent cũ omnipotentia & scientia Dei, sequeretur, aliam in Deo fore potẽtiam atque scientiam; non propter dependentiam Dei à creaturis, sed propter necessariam exigentiam & connnexionem Deitatis cum creaturis: quę exigentia & cõnexio esse potest sine vlla dependentia à creaturis: ita sequeretur tũc aliud fore Verbum ab isto, quod de facto in Deo est: eò quòd illud non haberet eam perfectionem potentiæ & scientiæ, quam nunc habet, licet sub ea hypothesi talis perfectio non esset per modum priuationis, sed puræ negationis, quia non esset debita Verbo; cùm iam supponeretur impossibilis, & nulla perfectio impossibilis sit debita Deo.

142. Ad 6. Negatur consequentia, quia licet priùs Pater cognoscat suam essentiam, quã creaturas possibiles, non tamẽ priùs producit Verbum, quàm cognoscat creaturas: nã priùs ratione, quàm producat Verbum, cognoscere debet suam omnipotentiam, quę ratione præcedit productionem ipsam Verbi; nequit autẽ cognoscere suam omnipotentiam, nisi cognitis creaturis possibilibus tanquam terminis per se cum illa connexis: atque adeo priùs ratione, quàm producat Verbum cognoscere debet creaturas possibiles, tanquam terminos cum omnipotentia necessariò connexos. Ad probationem verò consequentiæ nego, cognitionem Patris priùs ratione terminari tantùm ad ea, quę sunt perfectiora & intimiora, sed etiam ad ea, quæ cum prioribus essentialem connexionem habent: quia igitur creaturæ possibiles essentialem connexionem habent cum omnipotentia Dei, quæ prior est productione Verbi, etiam ipsæ creaturæ priùs ratione cognoscuntur, quam producatur Verbum.

143. Ad 7. Nego antecedens. Ad cuius probationem neganda est maior, tum quia creaturæ vt futuræ nullam habent essentialem connexionem cum Deo, sicuti habẽt creaturæ vt possibiles. Tum quia cognitio futurorũ nihil exprimit, quod nõ exprimat cognitio ipsa possibilium: at non quidquid exprimit cognitio essentiæ diuinæ, exprimit cognitio creaturarũ possibiliũ. Siquidem cognitio essentiæ diuinæ non exprimit creaturas secũdùm esse creatum & participatum vniuscuiusque, quod exprimit cognitio ipsa creaturarũ possibiliũ. Atque adeo cognitio creaturarum possibilium addit nouam aliquam expressionem supra expressionem essentiæ: cognitio verò futurorum nullã addit nouam expressionem supra expressionẽ possibilium. Eò quòd quidquid est futurum priùs fuit possibile: ac proinde nihil noui exprimi potest cõgnitione futurorum, quod non fuerit expressum cognitione possibilium.

144. Ad 8 Nego sequelam. Etenim ad rationem propriæ imaginis non sat est, procedere ab aliquo tanquam ab obiecto per se terminante, nisi etiam procedat ab obiecto, vel principio per se originante. Cùm igitur verbum diuinum non procedat à creaturis possibilibus tanquam ab obiecto, vel principio per se originante, sed solùm tanquam ab obiecto per se terminante, non procedit vt propria imago earum.

145. Ad 9. Aliqui negant consequentiam, cuius discriminis rationem reddunt, quoniã, vt in argumento dicitur, amor creaturarum possibilium est liber, cognitio verò earundem necessaria. Mihi verò iuxta iacta principia de voluntate Dei, negandum potiùs est antecedens. Etenim Deus, vt in præcitata disputatione docui, non solùm diligit necessariò seipsum, suamque essentiam, sed etiam omnes creaturas possibiles, vt terminos suæ omnipotentiæ. Vnde qua ratione Verbum procedit ex cognitione creaturarum possibilium, tanquam ex obiecto necessariò & per se cognito cũ ipsa omnipotentia Dei: eadem ratione procedit Spiritus S. ex amore earũdem creaturum possibilium tãquam ex obiecto necessariò & per se dilecto cum ipsa omnipotentia Dei. Ex his constat ad probationem antecedentis. Neque vllum est absurdum, Spiritum S. dici amorem creaturarum, sicut Verbum dicitur verbum creaturarum.

146. Ad 10. Distinguo maiorem: ex illo tãtùm obiecto per se procedit Verbum, ex cuius notitia intellectus Patris beatur essentialiter, nego; ex cuius notitia beatur saltem completiuè & connaturaliter, cõcedo: modò ex notitia creaturarum possibilium intellectus patris nõ beatur essentialiter, cùm essentialiter tantùm beetur ex notitia essentiæ & personarum, beatur tamen completiuè & connaturaliter: quia non censetur naturaliter completa beatitudo Patris, nisi se extendat ad terminos suæ omnipotentiæ

nipotentiæ: nam vt sic creaturæ possibiles aliquo modo pertinent ad omnipotentiam Dei. Confirmatur, quia sine distincta notitia creaturarum non est cognitio ipsa Deitatis completa in ratione perfectæ comprehensionis; ergo nec in ratione beatitudinis; cùm beatitudo Dei consistat in perfectissima cognitione deitatis. Eodem modo respondetur ad confirmationem, nempe beatitudinem nostram compleri saltem connaturaliter à notitia creaturarum in Verbo.

147. Ad 11. Distinguo consequens: sequeretur Patrem priùs Filio & Spiritu S. cognoscere creaturas cognitione notionali, concedo; cognitione essentiali, nego. Neque hoc est absurdum, sed planè necessariũ, vt Pater cognitione notionali priùs cognoscat creaturas, quàm eas cognoscant Filius & Spiritus Sanctus, licet cognitione essentiali non priùs Pater, quàm omnes personæ simul, eas cognoscat. Pari modo philosophandum est de amore creaturarum. Nam, quatenus eo Pater & Filius constituuntur vt proximum principiũ spiratiuum Spiritus sancti, dicitur amor notionalis, eoque priùs ratione Pater & Filius diligunt creaturas, quàm eas diligat Spiritus sanctus. Quatenus verò est amor essentialis, non priùs eo vna persona, quàm reliquæ omnes simul creaturas diligunt. Neque vllum est absurdum, vt eadem notitia & dilectio secundùm vnam rationem sit prior & notionalis, vniusque tantùm personæ propria, secundùm alias verò essentialis & omnibus personis communis.

148. Ad 12. Primò nego minorem: constat enim ex communi sententia Scholasticorum, Verbum inuolucre respectum ad creaturas, non realem, sed rationis. Nam hoc ipso quod procedit ex notitia creaturarum, procedit cum respectu rationis ad illas. Secundò. Nego maiorem: nam omnipotentia in omnium sententia est prior productione Verbi, cùm ex illius cognitione procedat Verbum, & tamen omnipotentia dicit respectum rationis ad creaturas, cùm nequeat cõcipi sine illis. Ad probationem autem maioris, primò; falsa est maior: etenim, cùm in Deo omnia sint essentialia, non sunt alijs alia intimiora, sed omnia æquè intima & quidditatiua. Secundò. Concedo maiorem; quando aliquid non obstat; obstat autem interdum prioritas alicuius perfectionis connexionem habentis cum extrinsecis obiectis, qualis est perfectio omnipotentiæ, ratione præcedentis productionem Verbi, & simul connexionem habentis cum creaturis possibilibus. Esto igitur productio Verbi sit intimior omnipotentia, quia tamen Verbum procedere debet ex cognitione omnipotentiæ, & cum ipsa cognitione omnipotentiæ est per se necessariò connexa cognitio creaturarum possibilium, priùs ratione cognoscuntur omnipotentia & creaturæ possibiles, quàm producatur Verbum. Tertiò. Non valet in diuinis ex vna prioritate aliam inferre. In proposito autem ex prioritate cognoscendi Verbum infertur prioritas producendi Verbum: nam ex eo quòd productio Verbi, vt intimior omnipotentiæ, quæ tota est per respectum ad creaturas, cognosci debeat priùs, quàm omnipotentia, & consequenter quàm creaturæ, infertur, productionem ipsam Verbi debere præcedere cognitionem omnipotentiæ & creaturarum: cùm tamen ex vi argumenti tantùm sequatur, productionem Verbi debere priùs ratione cognosci, quàm cognoscãtur omnipotentia & creaturę possibiles.

149. Ad confirmationem neganda est sequela: nam creaturas cognoscit vt necessariò connexas cum propria perfectione omnipotentiæ. Vnde non cognoscit illas, vt omnino alienas, sed vt terminos propriæ perfectionis. Cæterùm ex eo quòd debeat Verbum posteriùs produci, quàm cognoscatur omnipotentia & creaturæ possibiles, non necessariò sequitur, quòd debeat etiam posteriùs cognosci, quàm cognoscatur omnipotentia & creaturæ ipsæ possibiles: nam posset posteriùs produci, quàm cognoscatur omnipotentia & creaturæ possibiles, & simul priùs ratione cognosci, quàm eadem potentia & creaturæ cognoscantur, vt mox constabit.

150. Ad 13. Nego vltimam consequentiam: siquidem non implicat, Deum, priùs ratione, quàm producat Verbum, cognoscere ipsum Verbum, & reliquas personas diuinas; atque adeo priùs ratione, quàm cognoscat suam omnipotentiam & creaturas possibiles, cognoscere se ipsum, vt completum principium productiuum creaturarum per triplicem subsistentiam relatiuam. Quod quâ ratione fieri possit, sic explico. Etenim dupliciter potest Pater priùs ratione, quàm Filium & Spiritum sanctum producat, illos cognoscere: vno modo ex vi cognitionis comprehensiuæ propriæ essentiæ; alio modo ex vi cognitionis comprehensiuæ virtutis generatiuæ & spiratiuæ. Primo modo cognoscit illos priùs ratione, quàm cognoscat suam omnipotentiam, & creaturas possibiles. Nam comprehendendo suam essentiam, cognoscit illam vt essentialiter exigentem tres personalitates relatiuas; & quia hæc exigentia est priùs cognoscibilis, quàm omnipotentia, cùm sit in ordine ad perfectiones intrinsecas, omnipotentia verò per ordinem ad terminos extrinsecos, priùs ratione Deus cognoscit tres personalitates, tanquam terminos intrinsecos quos exigit essentia, quàm omnipotentiam & creaturas possibiles. Cognoscit autem in hoc signo rationis Deus tres personalitates, vel vt eminenter contentas in essentia, vel vt ego probabiliùs puto, etiam vt existentes in se ipsis priùs ratione, quàm eas producat: cùm non repugnet, idem secundùm diuersas rationes concipiendum esse priùs & posteriùs ratione, vt suprà probatum est.

Nam hoc non est aliud, quàm idem secundùm vnam formalitatem concipiendum esse cum connexione ad vnam perfectionem, secundùm aliam verò formalitatem concipiendum esse cum connexione ad aliam perfectionem. Secundo modo; non priùs Deus cognoscit suas personalitates, quàm cognoscat omnipotentiam & creaturas possibiles. Ratio, quia hoc secundo modo cognoscit Deus suas personalitates ex cõprehensione virtutis generatiuæ spiratiuæ, quæ in mea sententia consistunt in ipsis relationibus paternitatis & spirationis actiuæ, quæ sunt ratione posteriores omnipotentia; quia hæc immediatè sequitur ad Deitatem, illæ verò ad deitatem, vt determinatam per notionalia: ac proinde priùs ratione cognoscitur omnipotentia & creaturæ possibiles, vt immediatus terminus ipsius, quàm vis generatiua & spiratiua; & consequenter quàm Filius & Spiritus sanctus vt immediati termini earum.

151. Dices. Intimiorem connexionem habet omnipotentia Dei cum reliquis perfectionibus intrinsecis Dei, quàm cum creaturis possibilibus: ergo priùs ratione cognoscitur cum connexione ad reliquas prefectiones intrinsecas, quàm cum connexione ad creaturas extrinsecas: atque adeò priùs cognoscitur productio Verbi, & personæ omnes, quàm creaturæ possibiles. Resp. Negando antecedens: nam licet creaturæ sint extrinsecę omnipotentiæ, quia tamen pertinent ad obiectum quasi specificatiuum illius, absque quo cognosci non potest, sunt magis in cognoscendo intrinsecæ, quàm perfectiones intrinsecę Deo. Repugnat enim cognosci specificatum absque suo specificatiuo, vel quasi specificatiuo. Reliquæ verò perfectiones diuinæ solam habent connexionem subiectiuam cum omnipotentia Dei, quæ est longè minor connexio, quàm connexio in ratione specificantis, vel quasi specificantis. Atque ex his abundè responsum est ad totum argumentum, etenim concedo, priùs ratione, quàm Deus cognoscat suam omnipotentiam, & creaturas possibiles, cognoscere se ipsum, vt completum principium productiuum ad extra per triplicem hypostasim, ex vi cognitionis comprehensiuæ suæ essentiæ, ratione præcedentis cognitionem omnipotentiæ & creaturarum possibilium. Nego tamen inde sequi, debere priùs ratione producere Verbum & Spiritum sanctum: nam sufficit, vt illos intuitiuè cognoscat vel vt eminenter contentos in ipsa essentia, vel in se ipsis actu existentes, priùs ratione sub vno tantùm genere, licet sub alio eos cognoscat origine posteriores.

## SECTIO V.

### *An Verbum per se procedat ex cognitione futurorum?*

152. Futura in duo duiduntur genera, in absoluta, & conditionata. Absoluta sunt, quæ vi alicuius decreti diuini in aliqua differentia temporis extitura sunt: Conditionata verò, quæ nunquam extitura sunt, extitura autem fuissent, si hæ aut illæ circumstantiæ appositæ fuissent, quæ quia appositæ non sunt, de facto nunquam futura sunt. Ea tamen certò cognoscit Deus per ordinem ad illud idem esse, quod sub conditione habent, quodque actu habitura essent, si hæ aut illæ circumstantiæ apponerentur. De vtriusque controuersia est, an Verbum per se procedat ex cognitione eorum.

153. Prima sententia affirmat. Est Valentiæ 1. p. q. 34. puncto 2. & l. 4. de Trinit. c. 3. Zunigæ disp. 9. dubio 7. Ruiz disp. 63. sect. 4. qui nõ absolutè, sed ex suppositione, quòd in aliqua differentia temporis producendæ fuerant aliquæ creaturæ, docet Verbum diuinum per se procedere ex cognitione earum vt existentium. Eodem modo prædicti authores philosophãtur de productione Spiritus S. qui per se non solùm postulat procedere ex amore necessario creaturarum possibilium, sed etiam ex libero amore earundem vt existentium. *Valentia. Zuingia. Ruiz.*

154. Probatur hæc sententia 1. authoritate Augustini 15. de Trin. c. 14. vbi docet, Verbum nasci de his omnibus, quæ sunt in scientia Patris: atqui in scientia Patris non solùm sunt creaturę possibiles, sed etiam existentes. Expressiùs in tractatu 21. in Ioannem super illa verba Ioan. 5. *Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit. Dicendo enim* inquit, *Filio quod facturus erat Pater per Filium, ipsum Filium genuit, per quem faceret omnia.* Idem docet Anselmus in monologio à cap. 28. ad 44. cui subscribit S. Th. 1. p. q. 34. art. 1. ad 3. *Pater*, inquit, *intelligẽdo se, & Filiũ, & Spiritum S. & omnia alia, quę eius scientia continentur, concipit Verbũ, vt sic tota Trinitas Verbo dicatur.* Nec potest intelligi de creaturis tantùm possibilibus, nam ex earũ creaturarũ notitia in sententia S. Th. procedit Verbum, ex quarum creaturarũ amore procedit Spiritus S. atqui in eius sententia Spiritus S. non solũ procedit ex amore necessario creaturarum possibiliũ, sed etiam ex amore libero existentiũ. Minor constat ex q. 37. art. 2. ad 3. vbi *Pater*, inquit, *non solũ Filium, sed etiã se, & nos diligit Spiritu S. quia diligere, prout notionaliter sumitur non solũ importat productionem diuinæ personę, sed etiam personam productam per modum amoris, qui habet habitudinem ad rem dilectam. Vnde sicut Pater dicit se, & omnem creaturam Verbo, quod genuit, in quan-* *Ioan. 5.* *Augustin.* *Anselmus.* *S. Thomas.*

tum

*tum Verbum genitum sufficienter repræsentat Patrem & omnem creaturam; ita diligit se & omnem creaturam Spiritus sancto in quantum Spiritus sanctus procedit vt amor bonitatis primæ, secundùm quam Pater amat se & omnem creaturam.*

155. Secundò probatur ratione. Prima sit: Verbum increatum per se postulat procedere, vt forma & exemplar omnium, quæ sunt in mente paterna, teste Aug. 6. de Trin. c. 10. *Verbum*, inquit, *perfectum, cui non desit aliquid, & ars quædam omnipotentis atque sapientis Dei plena omnium rationum viuentium incommutabilium.* Est autem exemplar & ars, etiam respectu creaturarum futurarum in aliqua differentia temporis. *Augustin.*

156. Secvnda: Verbũ Diuinum per se postulat procedere ex notitia perfectè cõprehensiua Dei: at hæc non solùm dicit comprehensionẽ Deitatis omnipotentiæ, & creaturarũ possibilium, sed etiam liberorũ decretorum Dei, & creaturarum futurarum. Minor probatur, nam perfectissima cõprehensio est cognitio omniũ, quæ quocunque modo spectant ad rem comprehensam: sed cõtingentia spectant ad Deum, vt effectus ipsius liberæ voluntatis: ergo. Confir. 1. Decretum liberũ, supposito quod est in Deo, est aliquid Dei; ergo spectat ad obiectum Diuinæ cõprehensionis. Confirmatur 2. Diuina cognitio est summa, & adęquata Diuinę cognoscibilitati, & quâ maior excogitari non potest: ergo non solùm se extendit ad obiecta necessaria, sed etiam ad contingentia connexa cum libero decreto Dei; alioqui excogitari posset cognitio maior, quàm quæ de facto in Deo esset.

157. Tertia. Scientia visionis est perfectio in Deo, quamuis non distincta à sciẽtia simplicis intelligentiæ: ergo Verbum per se postulat procedere cum tali perfectione. Cõsequẽtia patet, quia Verbũ postulat procedere cum omni perfectione, quæ supponitur in scientia Patris: quippe quod procedit illi per omnia adæquatè simile. Antecedens probatur, quia Deus non respicit cõtingentia puro respectu rationis, aut solâ connotatione extrinseca, sed intrinseca & vitali expressione eorum, licet non diuersa à simplici intelligẽtia. Confirm. nam hęc scientia est in Deo infinita, & origine prȩcedens in Patre non tantũ radicaliter, sed etiam formaliter; ergo non est minus fæcunda, quàm simplex intelligentia. Antecedens probatur, quia hanc habet Pater à se, non communicatam ab alio.

158. Qvarta. Pater non solũ loquitur Filio de rebus possibilibus, sed etiam de contingentibus: atqui Pater non est sufficienter constitutus in actu primo ad loquendũ cum Filio de rebus contingentibus per scientiam simplicis intelligentiæ, sed per scientiam visionis. Ergo principium producendi Verbũ non est sola scientia simplicis intelligentiæ sed etiam visionis. Minor constat, quia per scientiam simplicis intelligentiæ, Pater non cognoscit contingentia, sed tantùm necessaria. Nec potest loqui, nisi de ijs, quæ nouit, cũ nequeat Verbum esse de incognitis. Maior probatur, quia Pater omnia dicit Verbo suo. Confir. quia Verbum Diuinum est ipsum imperium Patris, quo creaturarum productionẽ imperauit: ergo Verbum diuinum per se terminatur ad creaturarum existentiam: ergo per se procedit ex earũ notitia. Hæc vltima consequentia patet, quoniã imperium diuinũ est practica cognitio eorum, quæ imperantur: at non est practica cognitio rerum possibiliũ, quia illæ non imperantur, vt fiant; ergo existentium: igitur ex earum notitia procedit per se Verbum.

159. Qvinta. De ratione Verbi est procedere ex scientia omnium, quorum est expressiuum & declaratiuum: atqui Verbum diuinum non solùm est expressiuũ & declaratiuum veritatum necessariarum, sed etiam contingentium: quia Pater non solùm manifestat Filio veritates necessarias, sed etiam cõtingentes. Confir. Quidquid habent personæ productæ, habent à producente: sed Filius habet scientiam, & Spiritus S. amorem contingentium: igitur non à se, sed à producente.

160. Sexta. Etsi Verbum diuinum simpliciter & absolutè, nulla facta suppositione per se non postulet procedere ex cognitione futurorũ, quia hæc potuerũt simpliciter non esse, cùm tamẽ Verbũ non potuerit non esse; ex suppositione tamen, quòd in aliqua differẽtia tẽporis futuræ erant aliquæ creaturæ. Verbum diuinũ per se postulat procedere ex cognitione earum. Sicut licet Scientia diuina per se non postulet exprimere creaturas cõtingenter futuras, ex suppositione tamen, quòd illæ sunt contingenter futuræ, per se scientia diuina postulat illas exprimere; & imperfectio esset, eas non exprimere. Et à fortiori, sicut ex suppositione, quòd aliquæ creaturæ, quæ de facto sunt possibiles, possibiles nõ essent, scientia diuina nõ postularet illas exprimere: ex suppositione tamẽ quòd de facto illæ possibiles sunt, per se postulat illas exprimere. Quemadmodũ è contrario, si aliqua quę possibilia non sunt, de facto possibilia essent, per se scientia diuina postularet illa in se exprimere. Ergo & Verbum Diuinum, quod per omnia debet diuinæ scientiæ adæquari, qualibet suppositione facta, debet hæc omnia exprimere; idque per se, & vi suę perfectionis, quâ debet scientiæ diuinæ per omnia adæquari.

161. Secvnda sententia negãs est communior inter Theologos, quam expresè docent Caietanus 1. p. q. 34. art. 3. Palatius in 1. dist. 27. in fine, Molina, Bannez ibidem ad 3. Zumel q. sua 1. Concl. 5. Vasquez disputat. 163. cap. 3. Suarez. libr. 9. de Trinit. cap. 7. Granadus disp. 7. & à fortiori sequitur ex sententia Scoti, qui non solùm negat, Verbum procedere ex cognitione possibilium, sed etiam personarum. Pro huius sententiæ declaratione, *Caietanus. Palatius. Molina. Bannez. Zumel. Vasquez. Suarez. Granadus. Scotus.*

162. Dico 1. Verbũ diuinum non procedit

cedit per se ex cognitione creaturarum existentium. Fundamentũ triplex est: primum, quia omnia libera in Deo sunt posteriora necessarijs, omni posterioritatis genere: atqui scientia visionis creaturarum existentium est libera; productio verò Verbi necessaria: ergo non potest Verbum per se procedere ex scientia visionis creaturarum existentium. Consequentia constat, quia nequit Verbum procedere ex scientia visionis, nisi scientia ipsa visionis sit prior Verbo, eiusque productione; cùm omne principium sit prius eo, cuius est principiũ. Minor clara est, nã scientia visionis pendet à rebus futuris; res autem futuræ à libero decreto Dei, quod potuit esse & non esse pro libertate Dei. Maiorem autem sic probo, omnis prioritas, & posterioritas in Deo, aut est actu, aut virtute: actu est sola prioritas & posterioritas originis: virtute sunt reliquæ prioritates & posterioritates, fundatæ in essentiali connexione & exigentia, quàm ipsæ diuinæ perfectiones mutuo inter se habent. Sed quæ sunt libera in Deo neutram habent prioritatem respectu necessariorum: igitur quæ sunt libera in Deo nequeunt esse priora necessarijs. Minorem ostendo primò, quòd non possint habere prioritatẽ virtualem: Nam hęc fundatur in essentiali connexione & exigentia, quam vna perfectio diuina habet cum alia, sine qua vna nequit esse, aut concipi sine alia. Ideo enim intellectio est prior volitione, quia volitio habet necessariam connexionem cum intellectione, tanquam cum perfectione ad volitionem essentialiter præsuppositа. Rursus ideo volitio in ratione obiecti est prior intellectione vt comprehensiua, quia hęc in ratione intellectionis comprehensiuæ habet necessariam connexionẽ cum volitione in ratione obiecti naturaliter pręsuppositi. Atqui necessaria nullam habent connexionẽ cum liberis in diuinis; alioqui non essent libera. Nam libera sunt, quæ possunt esse, & non esse: quæ autem necessariam connexionem habẽt cum perfectionibus necessarijs, non possunt esse, & non esse, sed necessariò sunt.

163. Secundò quòd neque habere possint prioritatem originis, sic probo. Omnis prioritas originis in Deo, supponit aliquã prioritatem virtualẽ respectu eius, cuius est origine prius. Atqui perfectio libera nullam supponitur habere prioritatem virtualem respectu eius, cuius est origine prior. Minor constat ex dictis. Maior probatur. Nam ideo Pater est prior origine Filio, & Spirator Spiritu sancto, quia tam Pater respectu Filij, quàm Spirator respectu Spiritus sancti habet virtualem prioritatem, ratione cuius nequit Filius sine Patre, aut Spiritus sanctus sine Spiratore intelligi. Cuius ratio à priori est, quia quod est prius origine alio, est illi communicatiuum alicuius perfectionis: sed hoc ipso, quòd est illi communicatiuum alicuius perfectionis, connexionem habet cum eo; atque adeo præter prioritatem originis, habet etiam prioritatem virtualem, quę in huiusmodi connexione fundatur.

164. Confirmatur 1. Quia quæ sũt libera, pendent à Communi consensu, & deliberatione omnium personarum: igitur nequeũt origine præcedere personas. Antecedens non potest negari: quia quæ sunt libera non sunt magis vnius, quàm alterius personæ, sed omnium communia, non enim procedunt ex aliquo principio notionali alicuius personæ proprio, sed ex essentiali communi omnium, nempe ex intellectu & voluntate omnium personarum communiũ. Consequentiam verò probo. Nam quæ origine præcedunt, supponuntur habere esse independens ab ijs, quibus sunt origine priora, saltem quoad illud esse, quo sunt origine priora. Sed implicat, vt liberũ decretum Dei quoad esse liberum, secundùm quod præsupponitur origine prius respectu Filij & Spiritus sancti, sit independens à Filio & Spiritu sancto. Minor probatur, quia secundùm esse liberum pendet ab omnibus personis simul, quia secundùm hoc esse pendet à volũtate communi omnium personarum. Ergo implicat, vt liberum decretum Dei quoad esse liberũ origine præcedat Filium, & Spiritum sanctum. Ex quo colligitur; in Deo necessaria præcedere libera prioritate subsistendi consequentia reali, in quâ re ipsa priùs est separabile à posteriori. Quam prioritatem nonnulli vocant prioritatem *in quo*, quia videlicet vnum esse potest sine altero.

165. Confirmatur 2. Nequit terminus habere maiorem necessitatem essendi, quàm habeat eius principium & origo: sed scientia visionis, & amor creaturarum existentium habent esse contingens; Verbum autem & Spiritus sanctus habent esse necessarium: ergo nequeunt per se procedere ex scientia visionis, & amore creaturarum existentium. Respondet Zuniga 1. Negãdo priorem partem minoris: quia licet Deus carere potuerit determinata scientia visionis mundi futuri, non tamen carere potuit alterutra scientia, aut libera voluntate mundi futuri, vel negationis eiusdem mundi futuri. Secundò concedendo Verbum & Spiritum sanctum esse liberos secundùm quid, nempe quoad respectum illum, quem dicunt ad creaturas existentes. Sed contra vtramque respondeo, quia cùm processiones Verbi & Spiritus sancti sint maximè naturales, & ab intrinseco determinatæ ad certum modum, debent habere semper vnum eundemque modum procedendi inuariabilem: non haberent autem talem modum procedendi inuariabilem, si modò procederent ex scientia visionis, & amore libero mundi futuri, modò ex scientia visionis negationis mundi futuri. *Zuniga.*

167. Secundum fundamentum est. Nequit Verbum diuinum ex ea scientia per se procedere, ex cuius communicatione non accipit aliquam intrinsecam perfectionem: sed ex scientia visionis Verbum diuinũ non

accipit

accipit aliquam intrinsecam perfectionem, quam non acceperit ex scientia simplicis intelligentiæ. Igitur ex scientia visionis creaturarum existentium non procedit per se Verbum. Maior admittitur ab omnibus, & patet ex terminis: nam per se procedere ex aliquo, est aliquam perfectionem ex illo accipere. Minor verò probatur, nam quidquid intrinsecum potest Verbum diuinum accipere ex scientia visionis, accipit ex scientia ipsa simplicis intelligentiæ. Nam quidquid est per se expressibile, repræsentabile, aut cognoscibile per scientiam visionis, id totum exprimitur, repręsentatur, & cognoscitur per scientiam ipsam simplicis intelligentię. Ergo nihil remanet intrinsecè exprimendum, repræsentandum, aut cognoscendũ per scientiam visionis. Antecedens probo, nam scientia simplicis intelligentiæ exprimit res secundũ omnes rationes intrinsecas, & extrinsecas, & secundùm omnes circumstantias, & variabilitates, quas sub omni dispositione & hypothesi possibili subire possunt: igitur nulla ratio intrinseca, aut circumstãtia extrinseca exprimi potest per scientiam visionis, quæ non exprimatur per scientiam simplicis intelligentiæ.

168. Confirmatur, nam si quid addit scientia visionis supra scientiã simplicis intelligentiæ, est sola extrinseca connotatio obiecti existentis in se ipso: sed hæc non potest esse fundamentum, vi cuius per se procedat Verbum ex scientia visionis. Minor probatur, quia nequit extrinseca connotatio esse ratio per se requisita ad processionem Verbi diuini. Nam talis connotatio nullam intrinsecam perfectionem cõmunicat Verbo. Maior probatur, quia cùm scientia visionis sit libera, & potuerit in Deo non esse, nõ potest supra scientiam simplicis intelligentiæ addere aliquid intrinsecum, sed solam connotationem obiecti intrinseci. Quod explico hoc exemplo. Nam si quis per visionẽ corpoream haberet obiectum visibile, ita perfectè expressum quoad omnia, antequam illud actu existeret, vt sub nulla noua circumstantia posset vlteriùs exprimi, nullo modo mutaret intrinsecam visionem intuẽtis, quando illud postea actu existeret; eo quòd nihil noui in eo existente videret, quod non vidisset per eius vitalem expressionem. Vnde solũ adderetur extrinseca connotatio obiecti, actu in se ipso existentis.

169. Tertium fundamentum est. Nequit terminus per se procedere ex eo, quod accidit illi, & sine quo æquè perfectè processisset. Atqui accidit Verbo diuino, quòd de facto connotet creaturas existentes, sine quibus æquè perfectè processisset quoad omnes suas intrinsecas perfectiones: igitur nequit ex earum notitia per se procedere. Minor patet, nam accidens est, sine quo saluatur tota essentia rei: atqui sine connotatione creaturarum existentium saluatur integra essentia Verbi diuini quoad omnes suas intrinsecas perfectiones. Nec talis creaturarum connotatio aliquam addit perfectionem Verbo, alioqui aut Verbum carere potuisset aliqua perfectione, quam de facto habet, aut habere aliam, quam de facto non habet. Quod clariùs elucet in processione Spiritus S. qui carere potuit libero amore creaturarum existentium, vel habere alium aliarum creaturarum existentium. Maior verò probatur, quia non potest aliquid maiore perfeitate requiri ad productionem rei, quàm requiratur ad constitutionem eiusdem. Igitur si ad constitutionem Verbi Diuini connotatio creaturarum existentium non requiritur per se, sed tantùm concomitanter, nec illa per se requiretur ad productionem eiusdem. Antecedens probatur, quia productio ordinatur ad ipsius rei constitutionem: ergo non potest aliquid magis per se requiri ad productionem, quàm ad constitutionem rei. Confirmatur, nam hoc est confundere terminos ipsos, *Per se*, & *Concomitanter*. Nam *Per se*, requiri dicitur, quo deficiente deficit terminus, aut perfectio aliqua per se termino debita: *concomitanter* verò requiri dicitur, quo deficiente adhuc non deficeret terminus, nec perfectio vlla per se debita termino. Atqui deficiente connotatione creaturarum existentium, nõ deficeret Verbum, nec perfectio vlla per se debita Verbo. Igitur ex tali notitia non per se, sed concomitanter tantùm procedit Verbum.

170. Dico 2. Verbum diuinum non procedit per se ex scientia conditionalium. Est contra Molinam supra citatum, docentem Verbum per se procedere ex notitia cõprehensiua Deitatis: ad notitiam autem comprehensiuam Deitatis putat per se pertinere cognitionem omnium rerũ sub qualibet hypothesi futurarum. Fundamentum nostræ assertionis est idem, quod præcedentis. Nam etiam hæc scientia est libera obiectiuè: nam quòd per hanc scientiam Deus potiùs nouerit pœnitentiam, quàm impœnitentiam Tyriorum, fuit omninò contingens, pendens à libera voluntate Tyriorum, qui vti de facto cum tali auxilio sub conditione illis oblato liberè se determinarunt ad pœnitentiam; ita poterant cum eodem auxilio liberè se determinare ad impœnitentiam. Igitur non potest hæc scientia esse principium, à quo per se procedat Verbum; tum quia Verbum vnicum duntaxat habet modum procedendi: tum quia licet hæc scientia nullum supponat liberum decretum actu existens in Deo, supponit tamen liberũ decretum sub conditione obiectiuè præuisum, atque adeò supponit illud sub conditione pendens ex libero consensu omnium diuinarum personarum. *Molin.*

171. Vltimò quæri potest, an Verbũ diuinum per se procedat ex cognitione non entium. Ad quod respondeo distinguendo duplex genus non entium, alterũ essentialiũ, alterum accidentalium. Essentialia non entia sunt, quæ per nullam potentiam existere

possunt, vt Chimæra & reliqua entia prohibita. Accidentalia verò sunt, quæ existere quidem possunt, ex libero tamen decreto Dei non existunt. Ex notitia non entium prioris generis per se procedit Verbum, non autem ex notitia non entium posterioris generis. Ratio discriminis est, quia priora non pendent à libera voluntate Dei, vt sint non entia; & actu non existant, sed ex intrinseca essentia ipsorum. Posteriora verò, ne actu existant pendent à libera voluntate Dei, vi cuius poterant existere, atque adeò non potest Verbum per se ex cognitione horum procedere, quia ex nullius obiecti contingentis notitia potest per se procedere. Dices. Quo ergo modo supra diximus, Verbum ex se procedere ex notitia creaturarum possibilium? Respondeo, non quoad negationem esse, in quâ negatione quasi liberè à Deo conseruantur, sed quoad positiuas essentias, quas à Deo participare possunt: secundùm quas non pendent à voluntate, sed ab ipsa essentia Dei, vt est primum exemplar omnium exemplabilium.

## *Responsio ad argumenta oppositæ sententiæ.*

*Augustin. Anselmus S. Thomas Explicantur.*

172. AD authoritatem Augustini, Anselmi, & S. Thomæ Respondeo primò: Augustinum intelligendum esse proportionaliter, vt nimirum Verbum procedat de his omnibus, quæ sunt in scientia Patris aut formaliter aut radicaliter. Quia igitur in scientia Patris solæ creaturæ possibiles vt cognitæ formaliter, existentes verò, solùm vt cognitæ radicaliter origine præcedunt Verbi productionem, ideo de his omnibus, quæ sunt in scientia Patris, Verbum procedit proportionaliter.

*Anselm.*

173. Secundò Anselmus potiùs est pro nobis. Nam dum capite 30. loquitur de creaturis existẽtibus, ita in fine capitis concludit: *siue igitur ille cogitetur nulla alia existẽte essentia, siue aliis existentibus, necesse est, Verbum illius coæternum illi esse cum ipso.* Dum verò idem Doctor capite 33. de creaturis possibilibus loquitur, ita ratiocinatur: *Sed quomodo tam differentes res, scilicet creans, & creata essentia dici possunt vno Verbo, præsertim cùm Verbum ipsum sit dicenti coæternum, creatura autem non sit illi coæterna? Forsitan quia ipsa est summa Sapientia & summa ratio, in qua sunt omnia, quæ facta sunt: quemadmodum opus, quod fit secundùm aliquam artem non solùm quãdo fit, verùm & antequam fiat, & postquam dissoluitur, semper est in ipsa arte non aliud, quàm quod est ars ipsa. Idcirco cùm ipse summus Spiritus dicit se ipsum, dicit omnia, quæ facta sunt. Nam & antequam fierent, & cùm iam facta sunt, & cùm corrumpuntur, seu aliquo modo variantur, semper in ipso sunt, non quod sunt in se ipsis, sed quod est idem ipse.* Quibus apertè docet, alio modo ad Verbi productionem concurrere scientiam possibilium, atque scientiam futurorum: ac proinde non eodem modo Verbum procedere ex scientia futurorum; atque ex scientia possibilium.

*S. Thomas.*

174. Tertiò S. Thomas explicandus est de cognitione possibilium, vt plerique Thomistæ explicant, & se ipsum apertè explicauit q. 4. de veritate a. 5. in fine corporis, vbi docet accidentarium esse Verbo, procedere ex cognitione creaturarum: *Quia*, inquit, *Pater principaliter dicit se generando Verbum suum, & ex consequenti dicit creaturas, ideò principaliter, & quasi per se Verbum refertur ad Patrem, sed ex consequenti & quasi per accidens refertur ad creaturam. Accidit enim Verbo, vt per ipsum creatura dicatur.* Qui ne sibi in summa contradicere videatur, intelligendus est, de creatura existente, non autem de possibili. Eodem modo intelligendus est de amore creaturarum respectu Spiritus S. vt non per se & antecedenter, sed concomitanter Pater diligat nos Spiritu S.

175. Ad rationes: ad primam Respondeo, distinguendo minorem: est Verbum ars & exemplar futurorum ratione scientiæ visionis, nego. Quia cùm hæc consequatur res futuras, tanquam pura intuitio earum, nequit habere rationem artis & exemplaris, quæ vt causa præcedere debet res futuras, proponendo voluntati modum, quo sint res fabricandæ: est ars & exemplar futurorum ratione scientiæ simplicis intelligentiæ, concedo.

176. Ad secundam neganda est minor. Ad cuius probationẽ distinguẽda est maior: perfecta comprehensio est cognitio omnium, quæ spectant ad rem comprehensam naturaliter & necessariò, concedo; quæ spectant ad rem comprehensam liberè & contingenter, nego. Alioqui nulla daretur creata comprehensio, quoniam nulla creatura cognoscit libera decreta alterius, imo nec omnia decreta propria, quæ ipsa factura est. Ad perfectam igitur rei comprehensionem sat est, nosse omnia, quę rem naturaliter constituunt, & cum ipsa necessariam habent connexionem. Ad primam confirmationem concedo, liberum decretum Dei esse aliquid Dei, sed aliquid liberum, atque adeò ad comprehensionem minimè necessarium. Ad secundam cõcedo, cognitionem Dei esse summam & adæquatam toti cognoscibilitati diuinæ, tam quoad necessaria, quàm quoad contingẽtia, sed non in ratione comprehensionis formaliter, ad quam sat est vt sit summa & adæquata quoad necessaria tantùm.

177. Ad tertiam nego, scientiam visionis creaturarum, secundùm id, quod formaliter addit supra scientiam simplicis intelligentiæ, esse perfectionem intrinsecam Dei, sed sola connotatione obiecti extrinseci in se ipso existentis. Alioqui aliqua intrinseca perfectione carere posset Deus, quã de facto habet, vel nouam acquirere quam de facto non habet. Ad probationem antece-

dentis

dentis concedo, Deum non respicere contingentia solo respectu rationis, sed intrinseca & vitali expressione eorum, sed eadem omnino, quâ respicit necessaria; atque adeo nullam nouam perfectionem addit supra scientiam simplicis intelligentiæ. Ad Confirmationem concedo, scientiam visionis esse infinitam, tum ratione obiecti primarij, quod est ipse Deus, qui se ipsum cognoscit scientia visionis: tum fundamentaliter ratione simplicis intelligentiæ; nego tamen sumptam formaliter, & respectu obiecti secundarij esse infinitã, nisi extrinsecè & connotatiuè. Nego etiam illam origine præcedere in Patre formaliter, sed tantùm radicaliter. Ad probationẽ verò antecedentis, concedo, hanc habere Patrem à se; nego tamen illam habere priorẽ origine, quàm Verbum producat. Nam etiam productionem mundi Pater habet à se, non tamen priorem origine, quàm Filium producat. Sunt enim hæc diuersa, habere aliquid à se & habere illud priùs origine. Nam habere à se, est non habere illud ab alio communicatum: habere verò priùs origine, est habere illud per modum principij alterius personæ productiui: potest autẽ Pater habere aliquid à se, & nõ habere illud per modum principij alterius personæ productiui: liberum enim decretum creaturarum, imò & ipsam productionem creaturę habet Pater à se, & non per modum principij alterius personæ productiui.

178. Ad quartam concedo, æternum Patrem loqui æterno Filio non solùm de rebus necessarijs, sed etiam de contingentibus, diuerso tamẽ modo; nam de necessarijs loquitur formaliter, de contingentibus verò fundamentaliter. Loquitur autem de necessarijs formaliter, cõmunicando Filio formalẽ notitiam necessariorum; de cõtingentibus verò fundamentaliter, cõmunicando illi proximũ fundamẽtum veritatũ contingentiũ, quę est ipsa scientia simplicis intelligentiæ, nondum actu connotãs contingentia, apta tamẽ connotare statim ac positum fuerit liberũ decretum, & res ipsæ aliquando futuræ. Vt si quis vno verbo non solùm mihi communicaret notitiam actualẽ vnius obiecti, sed etiam virtualem reliquorum, quam in mente haberet, non solũ diceretur loqui mecum formaliter ratione actualis notitię, sed etiam virtualiter ratione virtualis notitiæ mihi cõmunicatæ. Nec est necesse, vt eodem modo Pater loquatur Filio de necessarijs, ac de contingẽtibus. Cùm enim hęc locutio sit necessaria, & necessaria in Deo præcedat libera omni prioritatis genere, non potest in eodem signo rationis, & independentiæ formaliter loqui de necessarijs & contingentibus simul, sed de necessarijs formaliter, de cõtingentibus tantùm fundamentaliter. Ad confirmationem concedo, Verbum Diuinũ esse ipsum Patris imperium, quo creaturarum executionẽ imperat, sed appropriatum, non proprium: quo pacto propria Patris dicitur ipsa externa operatio. Ratio, quia cùm imperium sit proximum principium directiuum operationis ad extra, & omnis operatio ad extra sit indiuisa, & communis toti Trinitati, non potest imperium, quo Deus res ad extra imperat, esse solius Patris.

179. Ad quintã distinguenda est maior: de ratione Verbi est, procedere ex scientia siue formali, siue radicali omnium, quorum est expressiuum & declaratiuum, concedo: de ratione Verbi est, procedere ex scientia formali omnium, quorũ est expressiuum & declaratiuum, nego. Ad confirmationẽ distinguenda est pariter maior: quidquid habent personæ productæ, habent à producente siue formaliter, siue radicaliter, cõcedo: quidquid habent personæ productæ, habent à producente formaliter, nego. Clarum exemplum est de origine actiua Spiritûs S. quam habet Filius à Patre non formaliter; alioqui non posset ipse actiuè concurrere ad productionem Spiritûs S. quia tunc ipse non se haberet vt principium eliciens, sed tantùm vt recipiens actiuam originem Spiritûs sancti, vnde tantùm denominatiuè diceretur Spiritum sanctum producere; sed radicaliter, quia accipiendo virtutem spiratiuam, cum ipsa simul radicaliter accipit actiuam originem Spiritûs S. quam vnà cum Patre simul eliciunt simultate originis in ordine ad Spiritum sanctum. Quemadmodum igitur se habet virtus spiratiua ad originem ipsam spirandi, ita scientia simplicis intelligentiæ ad scientiam visionis. Atqui originem spirandi non communicat Pater Filio immediatè & formaliter, sed mediatè & radicaliter in ipsa virtute spiratiua, quam solùm communicat formaliter; ergo nec scientiã visionis communicat Filio immediatè & formaliter, sed mediatè & radicaliter in ipsa scientia simplicis intelligentiæ, quam communicat formaliter.

180. Ad sextam. Neganda est minor. Etenim cùm ea suppositio libera sit, mutare non potest intrinsecum modum procedendi Verbi. Vnde si nulla facta suppositione, Verbũ postulabat procedere ex sola notitia possibilium, ex eadem tantùm procedere postulabit, facta quacunque libera suppositione. Præterea ea suppositione facta, nõ potest libera notitia creaturarum origine præcedere necessariam productionem Verbi, ob præassignatam rationem. Ergo ea suppositione facta, non potest Verbum per se procedere ex notitia futurorum. Nec est par ratio de ipsa scientia, quę facta suppositione futurorum, necessariò connotat futura, quia in huiusmodi connotatione nulla inuoluitur repugnantia. Nec est eadem ratio de suppositione impossibili. Etenim concedo, ex suppositione quòd aliqua, quę de facto sunt impossibilia, forent possibilia, Verbum per se ex notitia illorum fore processurum: nego tamen ex suppositione, quòd aliqua, quæ de facto non sunt futura, essent futura, Verbum per se ex illorum notitia processurum. Ratio discriminis est, quia prior suppositio

mutaret

mutaret intrinsecam perfectionem Dei, quã non mutaret posterior : & hoc ideo, quia posterior est circa obiectum liberum, prior verò circa necessarium : Deus autem necessariam connexionem habet cum obiecto necessario, non autem cum libero. Cùm igitur Verbum Diuinum per se postulet procedere ex quacunque perfectione intrinseca Dei, facta tali suppositione circa obiectum necessarium, per se postularet procedere ex scientia talis obiecti.

## SECTIO VI.

### *An in Deo sit vera & propria Imago, eaque solius Filij propria ?*

*Durandus.* 181. PRIMA sententia Durandi in 1. dist. 28. q. 3. negantis in Diuinis esse propriã & veram rationem imaginis, sed impropriam & analogam ; eamq; conuenire tã Filio, quàm Spiritui S. quia vterque procedit in similitudine & æqualitate producentis, licet ex vi nominis magis approprietur Filio, quã Spiritui Sancto : quoniam Filius vi nominis importat similitudinem Patris, à quo procedit per modum naturæ : Spiritus sanctus autem procedit per modum voluntatis, cuius est producere, non qualis est ipsa producens, sed quale vult ipsa producere.

182. Quòd in Deo non sit propria ratio imaginis, sic probat Durandus. De ratione propriæ imaginis est, vt sit aliquid productũ ad alterius imitationem. Nulla persona Diuina est ad alterius imitationem producta. Igitur nulla persona Diuina est propriè imago. Maior constat ex definitione imaginis *Augustin.* ab Augustino assignata lib. 83. quæstionum, q. 74. Minorem probat, quia vbi est summa identitas, nulla esse potest propria imitatio, nam propria imitatio postulat distinctionem in ea ipsa re, in qua est imitatio. Cùm igitur vna persona Diuina nequeat imitari, & esse similis alteri in personalitate, cui potiùs est dissimilis & opposita, sed in natura ; & in natura omnes personæ sint idem ; non poterit vna persona esse vera & propria imago alterius.

183. Secundò. De ratione propriæ imaginis est, vt procedat ab exemplari præcognito : nulla persona Diuina procedit ab exemplari præcognito, igitur nulla persona Diuina est propria imago. Maior constat, quoniam imago est, ad suum exemplar repræsentandum expressa : igitur procedere debet ab suo exemplari præcognito. Minor probatur, quia quod procedit ab exemplari præcognito importat dependentiam exemplati ab exemplari : tum quia exemplar importat superioritatem, & perfectionis excessum supra exemplatum. Tum quia personæ diuinæ non habent ideam in mente Diuina, ad instar cuius producantur : nam hæc requirit distinctionem ab ideato non tantùm in persona, sed etiam in natura.

184. Terriò. Si Deo conueniret propria imago, conueniret illi ratione intellectionis : nequit autẽ Deo ratione intellectionis propria imago conuenire : ergo. Maior constat, quia de ratione propriæ imaginis est, manifestare imaginatum, illum repræsentando & exprimendo : sola autem intellectio imaginatum manifestat repræsentando & exprimendo : igitur ratione solius intellectionis conueniret Deo propria ratio imaginis. Minor verò primi syllogismi probatur, quia de ratione propriæ imaginis est, vt originem habeat ab eo, cuius est imago : intellectio autem diuina à nullo originatur, cùm sit essentialiter improducta.

185. Quartò. Potissimum fundamentum, cur in Deo sit propria ratio imaginis est, quia scriptura Deo tribuit rationem imaginis : at etiam rationem imaginis Scriptura tribuit homini respectu Dei. Genes. 1. *Genes. 1. Eccles. 17. 1. Cor. 11.* Eccles. 17. 1. Corinthiorum 11. & tamen nemo concedit, hominem esse propriam imaginem Dei : ergo etiamsi scriptura tribuat rationem imaginis Deo, non statim inde sequitur, in Deo esse propriam rationem imaginis.

186. Secunda sententia affirmat, in Deo esse veram & propriam rationem imaginis, eique conuenire tantũ personaliter, non tamen esse solius Filij propriam, sed etiã Spiritus S. Hanc docuerũt nonnulli Patres Græci, Thaumaturgus in regula Fidei : *Spiritus S.* *Thaumaturgus.* inquit, *imago Filij perfecta* : Basilius l. 5. con- *Basilius.* tra Eunomium c. 6. *Imago quidem Dei Christus est : imago verò Filij Spiritus.* Idem repetit c. 12. Cyrillus l. 13. thesauri c. 1. *Quomodo* *Cyrillus.* *igitur Spiritus sanctus, cùm sit incommutabilis imago Filij Dei, inter creaturas connumerabitur?* & paulò pòst : *Deus igitur verus Spiritus Sanctus est, quoniam Filij Dei imago perfectissima est.* Damascen. l. 1. Fidei c. 18. *Imago,* in- *Damascen.* quit, *Patris est Filius, & Filij Spiritus Sanctus.* Fundamentum est, quia non minùs Spiritus Sanctus, quàm Filius habet omnia requisita ad rationem perfectæ imaginis ; procedit enim à Patre & Filio in vnitatem eiusdem numero naturæ ; idq; vi proprię originis, non minùs quàm Filius ipse procedit à Patre : igitur est perfecta imago sui principij, non minùs quàm Filius Patris.

187. Confirmatur. Ideo in humanis Filius est perfecta imago sui parentis, quia vi suæ originis procedit similis in eadem natura specifica cum illo : sed Spiritus S. vi suæ originis procedit similis in eadem natura numerica cum spiratore. Ergo potiore iure Spiritus sanctus, quàm Filius in humanis, est perfecta imago sui principij. Nec refert, quòd Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio simul : tum quia non est contra rationẽ perfectæ imaginis, procedere simile duorum ; Filius enim creatus non solùm est imago Patris, sed etiam Matris. Tum quia non procedit ab illis, vt à duobus distinctis, sed vt ab vno eodemque principio spirandi.

188. TERTIA

188. TERTIA sententia docet, Deo conuenire perfectissimam rationem imaginis, idque personaliter tantùm, & ratione tolius Filij. Est omnium Theologorum cum Magistro in 1. dist. 27. & 28. & cum S. Th. 1. p. q. 35. art. 1. & 2. Vnde meritò Zumel Durandi opinionem appellat falsam, & in fide nimis periculosam; Molina verò singularem, & scripturis sacris parum consonam: Ego verò à temeritatis nota non excuso. In cuius sententiæ explicationem,

*Omnes Theologi. Magister. S. Thomas. Zumel. Durand. Molina.*

189. Præmittenda est perfecta imaginis definitio, quam Theologi communiter tradunt, eamque colligunt ex Augustino lib. 83. quæstionũ q. 74. *Imago est perfecta similitudo ad suum prototypum repræsentandum expressa.* Duo igitur ad perfectã imaginem requirunrur, perfecta similitudo cum suo prototypo, & realis origo ab eodem. Defectu primi vermis productus ab homine non est imago hominis producentis, quia non est illi perfectè similis in eadem natura specifica, sed tantùm in gradu generico animalitatis. Defectu secundi, vnum ouum, vt docet Augustinus, non est imago alterius oui, quia vnum non est expressum de altero, licet sit simile alteri. Ratio autem, cur hæc duo ad naturam perfectæ imaginis requirantur, hæc est: quoniam finis perfectæ imaginis est, perfectè suum prototypum imitando exprimere; nequit autem suum prototypum perfectè imitando exprimere, nisi sit illi perfectè similis, & ab eo originem ducat. Etenim vbi perfecta similitudo deest, perfecta etiam repræsentatio desit, oportet: quantum enim de perfecta similitudine deest, tantundem de perfecta repræsentatione deesse necesse est. Vbi verò origo non est, imitatio esse non potest, quæ ad rationem imaginis necessaria est. Est enim imitatio, productio vnius ad expressionem alterius. Vnde non dicitur alterum imitari, quod ab illo originem non habet.

*Augustin.*

190. DICES. Statua Cæsaris dicitur vera imago Cæsaris, esto ab illo producta non sit: & notitia, quam habet angelus de lapide, est vera imago lapidis, esto à lapide originata non sit, sed à specie immediatè à Deo infusa. Igitur ad perfectam naturam imaginis non est necessaria origo. Respondeo, statuam Cæsaris originari à Cæsare, media specie & idea, quam statuarius intra se de Cæsare concipit: similiter notitiam lapidis originari à lapide, media specie lapidis, quam Deus supplet in intellectu angeli: sicut diceretur Petrus producere Paulum, etiamsi solus Deus immediatè suppleret semen Petri in productione Pauli. His adnotatis,

191. DICO 1. Ratio imaginis nequit Deo conuenire essentialiter, sed tantùm personaliter. In hac assertione omnes conueniunt. Ratio fundamentalis desumitur ex prædeclarata definitione imaginis, cuius essentia originem postulat ab eo, quem repræsentat. Atqui nulla perfectio absoluta in diuinis originem habet ab aliquo, cuius imago esse possit; cùm nulla perfectio absoluta in Diuinis sit producibilis. Vnde si quãdo Scriptura & Patres rationem imaginis tribuunt essentię Diuinæ, sumunt imaginem pro exemplari; inter quod & imaginem hoc interest, quod exemplar est quidem simile suo exemplato, ab eo tamen originem non habet, sed potiùs est illius originatiuum: imago verò & similis est, & originem habet à suo exemplari.

192. DICO 2. In Diuinis solus Filius est propria imago. Assertio constat primò ex Scriptura sacra, quæ solùm Filium appellat imaginem, aut nominibus æquiualentibus imagini. Ad Rom 8. *Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui.* *Roman. 8.* Secundæ ad Corinth. 4. *Qui*, nempe Christus, *est imago Dei.* Ad Coloss. 1. *Qui est imago Dei inuisibilis.* Sapien. 7. *imago bonitatis Dei.* Idem Hebræor. 1. appellatur *figura substantiæ* Dei, siue *character*: quæ nomina apud Patres idem sonant, quod *imago*. Nam sicut *character* est proprium signum, in quo author characteris; ita *imago* est signum, in quo imaginatum cernitur. Dicitur etiam *Sigillum* Ioannis 6. *Hunc Pater signauit Deus*, loquens de se ipso Christus. Nam quemadmodum in *sigillo* imprimi solet figura obsignantis: ita in Filio imprimitur imago Patris, se ipsum in Filio obsignantis. Et quemadmodum *sigillo* reconduntur secreta obsignantis: ita Verbo Diuino reconduntur secreta Patris. Appellatur etiam *Facies*. Psalm. 79. *Ostende faciem tuam & salui erimus.* Nam quemadmodum ex *facie* cognoscitur homo; *ita*, inquit Nysse-nus lib. de differentia essentiæ & hypostaseos, *Filij hypostasis quasi facies est, qua Pater cognoscitur.* Dicitur etiã *speculum* Sapient. 7. quia sicut in *speculo* apparent effigies rerum; ita in Filio effigies Patris. Tandem dicitur *candor lucis æternæ* ibidem, & *splendor gloriæ*, Hebr. 1. quia sicut proprium *lucis* & *splendoris* est, esse manifestatiuum rerum: ita Verbi increati proprium est, esse manifestatiuum Patris, & eorum omnium, quæ sunt in Patre.

*Ioan. 6.* *Psalm. 79.* *Nyssenus.* *Sapient. 7.* *Hebr. 1.*

193. Secundò constat authoritate Patrum, Clementis Romani epist. 1. ad Iacobum Fratrem Domini, Cyrilli lib. 3 in Ioannem cap. 29. Anselmi in monologio cap. 32. & 37. August. 5. de Trinit. cap. 13. & alibi, & reliquorum ferè Latinorum Patrum, vt testatur S. Thom. 1. p. quæst. 35. art. 2. Variæ autem assignantur à Doctoribus rationes, cur solus Filius in Diuinis, & non Spiritus sanctus, sit propria imago, cùm etiam Spiritus sanctus procedat similis principio spiranti, ab eoque originem ducat. Sed relictis aliorum rationibus, quas insufficientes puto, hanc ego vnicam, ex meis principijs erutam ad præsentem veritatem confirmandam, adduco.

*Clemens.* *Cyrillus.* *Anselm.* *Augustin.* *S. Thomas.*

194. Solus Filius in Diuinis habet omnia requisita ad perfectam rationem imaginis: igitur, solus Filius in Diuinis est propriè imago. Antecedens probo, nam, vt prænotauimus,

uimus, duo requirit perfecta imago, adæquatam similitudinem cum suo prototypo, & realem originem. Atqui solus Filius vi suę processionis cum reali origine accipit adæquatam similitudinem sui prototypi: igitur solus Filius est propriè imago. Minor probatur, nam prototypus Filij est Pater, ad operandū constitutus per naturam & obiectum intelligibile; cuius adæquatam similitudinē tam naturæ, quàm obiecti intelligibilis accipit Filius vi suæ processionis formalis, quia vi suæ processionis formalis non solùm procedit vt consubstantialis Patri, sed etiam vt species expressa omniū intelligibilium, quæ sunt in mente Patris. Patet autem, cùm à nullo originetur, non potest habere rationem imaginis, sed exemplaris. Spiritus verò sanctus, etsi vi suæ processionis procedat similis in natura cum suo principio producente, quia tamen non procedit similis obiecto volibili, quod est vltimum constitutiuum principij spiratiui, non procedit adæquatè similis suo principio producenti, atque adeo vt perfecta imago sui prototypi. Confirmatur, nam ideo vermis procedens ab homine non est imago hominis producentis, quia non procedit illi adęquatè similis. Ergo nec Spiritus sanctus erit imago Patris & Filij, quia non procedit illis adæquatè similis.

*Basilius. Nyssenus.* 195. Hanc nostram rationem apertè expressit Basilius epist. 37. ad Gregoriū Nyssenum in fine: *Perinde*, inquit, *atque in speculo quodam puro, qui impressam illi formam considerat, euidentem habet imaginati vultus cognitionem: ita & qui Filium cognouerit, paternæ simul hypostaseos characterem per Filij cognitionem in corde suo iam suscepit, ita vt hypostasis Filij, instar formæ ac faciei sit paternæ cognitionis: & contrà, Patris hypostasis in forma Filij cognoscatur*; Eandem docuit Ambrosius lib. de mysterio Dominicę Incarnationis capite vltimo: *Cur solus*, inquit, *Filius imago inuisibilis Dei dicitur, & character substantiæ eius, nisi quia in eo naturæ eiusdem vnitas, & maiestatis expressio est?*

*Ambrosius.*

196. Dices. Tam Verbum creatum est perfecta imago sui obiecti, quàm figura artificialis sui exemplaris: & tamen neutra est adæquata similitudo sui prototypi: cùm neutra sit eiusdem naturæ & essentiæ cum illo: cùm nec Verbum substantiæ sit substantia; nec figura Cæsaris sit ipsa natura Cæsaris. Ergo ad rationem perfectę imaginis non requiritur adæquata similitudo, cum suo prototypo. Resp. 1. Negando maiorē: nam quantò aliquid recedit à perfecta similitudine sui prototypi, tantò recedit à perfecta ratione imaginis, & ratio à priori est, quia tota quidditas imaginis est ad repræsentandum suum prototypū: ergo quò erit illi similior, eò perfectiorem rationem imaginis participabit: & è contra quò erit illi dissimilior, eò imperfectiorem rationē imaginis continebit. Quam imaginis naturam optimè expressit Basilius præcitata epistola ad Gregorium Nyssenum propè finem, his verbis: *Non enim consistere poterit imaginis ratio, nisi per omnia ad archetypum expressa suis omnibus numeris sit, nihilq; variet.* Cùm igitur nec Verbum creatum participet totam similitudinē obiecti, cùm non participet illius similitudinem naturalem, sed tantùm intentionalem; nec imago artificialis participet naturam, sed externam duntaxat figuram sui exemplaris, neutra erit perfecta imago sui prototypi.

*Basilius.*

197. Respondeo 2. Distinguendo duplicem similitudinē, vnam genericam & communem, alteram specificam & propriam. Similitudo, quæ constituit propriam rationem imaginis non est generica & communis, sed specifica & propria. Cùm igitur Verbum creatum habeat simulitudinem non genericam naturæ intelligentis, sed specificam obiecti intelligibilis; similiter statua Cæsaris, non habeat similitudinem genericam & communem, sed specificam & propriam figuræ Cæsaris, tam Verbum respectu obiecti, quàm statua respectu prototypi erit propria imago. Cur autem similitudo specifica, non autem generica constituat propriam rationem imaginis, ea est: quoniam finis imaginis est repræsentare imaginatum: atqui per rationem communem & genericam non repræsentatur imaginatum, quia cùm talis ratio sit communis cum alijs, non potiùs per illam imago repræsentabit vnum, atque aliud, quæ in ea ratione communi conueniunt. Repræsentatur autem per rationem propriam & specificam, quia ratio specifica ducit ad propriam cognitionem differentiæ imaginati, per quam differt ab omni alio.

198. Hinc deducitur solida ac fundamentalis ratio, cur Spiritus sanctus non sit imago Spiratoris, etiamsi habeat vi originis eandem numero naturam cum illo: quia nimirum hæc similitudo respectu spiratoris non est propria & quasi specifica, nam propria & specifica similitudo in ijs, quæ procedunt ex principio intellectiuo & volitiuo, desumitur ex obiecto; nam hoc est proprium & vltimum specificatiuum horum principiorum, vt constat ex suprà disputatis de generatione Verbi disp. 18. sec. 7. sed cōmunem & quasi genericam. Vnde non potest per hanc similitudinem Spiritus sanctus constitui propria imago sui Spiratoris, sicut Filius sui genitoris. Quia Filius præter communem & quasi genericam similitudinem naturæ, accipit etiam propriam & quasi specificam obiecti intelligibilis.

## *Solutio Argumentorum.*

199. Ad argumenta primę sententiæ. Ad primum nego minorem. Ad cuius probationē distinguendū est antecedens: vbi est summa identitas, & nulla realis distinctio, nulla esse potest imitatio, concedo: vbi est summa identitas cum reali distinctione, nulla esse potest imitatio, nego. Etenim, posita reali

distinctione

distinctione inter exemplar & exemplabile, identitas naturę confert potiùs, quàm tollat similitudinem ad perfectam rationem imaginis requisitam. Neque est necesse, vt intercedat realis distinctio in ipsa ratione, in qua est imitatio, sed sat est, si distinctio intercedat inter terminum ipsum imitatiuum & principium imitabile.

200. Ad secundũ respondeo 1. Maiorẽ esse tantùm veram de imagine intellectuali, & artificiali, non autem de naturali, sicuti est Filius creatus respectu sui parentis, qui est vera imago Patris, cùm tamen non procedat ab exemplari præcognito. Quidquid nonnulli sentiant opinantes, etiam filium creatum procedere ab exemplari præcognito, saltem ab authore naturæ mouente ex præcognitione operis. Respondeo 2. Negando minorem, nam Filius increatus procedit ab exemplari præcognito; siquidem eadem notitio, qua producitur Verbum, simul etiam cognoscitur. Ad priorem verò probationem nego, nos hic sumere exemplar, prout dicit perfectionis excessum, quamuis hoc importat nomen exemplaris, sed prout dicit solùm principium per cognitionem imitabile & expressibile, absque vlla dependentia termini exprimentis & imitantis. Ad posteriorem concedo, diuinas personas non habere propriè ideam sui, prout idea importat essentialẽ distinctionem inter ideam & ideatum; sed solùm prout idea dicit principium per cognitionem imitabile.

201. Ad tertium distinguo consequens maioris: si conueniret Deo ratio imaginis, conueniret illi ratione intellectionis essentialis, nego: conueniret illi ratione intellectionis notionalis, concedo. Circa quod argumentum infrà iterum redibit sermo.

202. Ad quartum concedo, potissimum fundamentum asserendi in Deo veram rationem imaginis esse sacram Scripturam, accedente authoritate Patrum vnanimi consensu illam interpretantiũ de imagine propria. *Authoritas Patrum.* Secus verò illam explicant de homine, dum à sacra Scriptura appellatur imago Dei: nam ex peculiari modo, quo illi rationem imaginis scriptura tribuit, apertè colligunt, hominem non esse perfectam, sed imperfectam imaginem Dei. Ad quam imperfectionem denotandam, vt rectè S. Thomas 1. p. q. 35. art. 2. ad. 3. notauit, non solùm dicitur homo in Scriptura *imago Dei*, sed ad *imaginem Dei*: *S. Thomas.* ad significandam imperfectionem motus tendentis, & nunquam attingentis ad perfectam rationem originis.

203. Ad argumenta secundæ sententiæ. *Ad Authoritatem Patrum.* Ad authoritatem Patrum respondeo, eos tantùm contra Arianos ostendere voluisse, Spiritum sanctũ esse verum Deum, eiusdem naturæ cum Patre & Filio: ad hoc autem ostendendum vrebantur hoc argumento: *Filius est imago Patris*, vt Scriptura testatur; *Spiritus S. est imago Filij: igitur Spiritus S. est eiusdem naturæ cum Filio, & consequenter cum Patre*; in qua argumentatione præcipuus Patrum scopus erat, contra Arianos probare Spiritum sanctum esse eiusdem naturæ & substantiæ cum Filio & Patre. *Ariani.*

204. Ad fundamentum verò negandum est antecedens. Ad cuius probationẽ dicendũ, esto Spiritus sanctus vi suę originis procedat à Patre & Filio in vnitatem eiusdem numero naturæ, quia tamen non procedit in similitudinem propriam & quasi specificam principij volitiui, cùm non procedat similis illi in obiecto volibili, quod est procedere similem illi in ratione propria & specifica, non dicitur procedere vt propria imago sui principij: sicut Filius, qui vi suę originis non solùm procedit similis principio intelligenti in ratione quasi generica naturæ, sed etiam in specifica ratione obiecti intelligibilis; cũ non solùm procedat vt consubstantialis & eiusdem naturæ cum Patre, sed etiam, vt adæquata species expressa totius obiecti intelligibilis Paterni.

205. Ad confirmationem respondeo, nõ ideo præcisè Filiũ in humanis esse perfectam imaginem sui parentis, quia vi suæ originis accipit eandem naturam specificam cum illo, sed quia cũ natura ipsa specifica accipit adæquatam similitudinem principij generantis: cùm præter similitudinem eiusdem naturæ specificæ, nulla superfit similitudo principij communicanda termino. At Spiritus sanctus accipiendo eandem numero naturam cum principio spirante, non accepit adæquatam similitudinem totius principij producentis, quia non accipit similitudinem intentionalem obiecti volibilis, quæ est propria & specifica similitudo principij volitiui, à quo Spiritus sanctus procedit. Et quia de ratione propriæ imaginis est, procedere adæquatè simile suo exemplari, aut saltem procedere illi simile in vltima & propria ratione specifica, vti procedunt Verbum creatum respectu obiecti intelligibilis, & figura artificialis respectu sui exemplaris, ideo Spititus sanctus non est propria imago Spiratoris.

## SECTIO VII.

### *An Imago conueniat Filio ratione proprietatis personalis, an ratione essentiæ communis?*

206. PRIMA sententia docet, conuenire ratione solius proprietatis personalis. Est Bonauenturæ in 1. dist. 31. p. 2. a. 1. q. 1. & 2. præsertim ad vltimum, Aureoli dist. 27. p. 2. art 3. Fundamentum Aureoli est, quoniam imago est obiectiua apparentia rei, ad id vi suæ originis ordinata. Atqui Verbum Diuinum ratione solius proprietatis personalis est obiectiua apparentia æterni Patris. ad id vi suæ originis producta. Ergo Verbum ratione solius proprietatis personalis *Bonauent. Aureolus.*

est

est imago. Maior probatur, quia quidquid facit aliud apparere vi suæ originis, dicitur imago illius, quod vi suæ originis facit apparere. Minor probatur, nam Verbum ratione illius perfectionis est obiectiua apparentia Patris, ratione cuius distinguitur à spiritu sancto: atqui non distinguitur à Spiritu sancto ratione essentiæ communis, sed ratione proprietatis personalis: ergo.

207. Confirmatur 1. Nam res posita in esse obiectiuo apparenti non est imago rei existentis in se ipsa, ratione alicuius absoluti, quia in hoc non est aliud à re in se ipsa existente; rosa enim, quæ lucet in mente, non est alia à rosa in se ipsa existente; sed ratione obiectiuæ apparentiæ. Ergo Verbum non est imago Patris ratione essentiæ absolutæ, quia in hoc non est aliud à Patre; sed ratione solius obiectiuæ apparentiæ, quæ est proprietas personalis, quam habet Verbum vi suæ originis & peculiaris modi emanandi.

*Augustin.* 208. Confirmatur secundò ex Aug. 5. de Trin. c. 13. vbi docet, eodem modo relatiuè dici imaginem, sicut & Filium: sed Filius relatiuè dicitur ratione solius proprietatis personalis: ergo & imago.

*Alensis. S. Thomas. Zumel. Granadus.* 209. SECVNDA sententia affirmat, rationem imaginis conuenire Filio vi solius essentiæ, connotata tantùm proprietate personali. Est Alensis 1. p. q. 61. memb. 2. art. 1. & 2. S. Thomæ in 1. dist. 28. q. 2. art. 2. Zumel 1. p. q. 35. licet inclinet in tertiam sententiam citandam. Videtur etiam Granadi 1. p. tract. 9. disp. 11. sect. 3. Fundamentum est, quia imago importat similitudinem ad suum prototypum. Hanc autem similitudinem importat Verbum ad suum prototypum Patrem, ratione essentiæ, non autem proprietatis personalis. Est igitur Verbum imago Patris, ratione essentiæ, non autem ratione proprietatis personalis. Maior constat ex definitione imaginis ab Augustino tradita: Est enim similitudo ad repræsentandum expressa. Minor probatur, quia in personalitate Filius potiùs opponitur & dissimilatur Patri, quàm assimiletur. Confirmatur, nam ratione illius Verbum est imago Patris, ratione cuius est expressiuum & repręsentatiuum Patris: est autem expressiuum & repræsentatiuum Patris, ratione solius essentiæ communis, non autem ratione proprietatis personalis: nam ratione solius essentiæ est expressa species ac naturalis, intentionalisque imago illius: cùm personalitas nec sit expressiua Patris, nec naturalis, intentionalisque imago illius.

*Alensis. Vasquez. Suarez. Zumel.* 211. TERTIA sententia docet, Verbum esse imaginem ratione vtriusque tam essentiæ communis, quàm proprietatis personalis. Est aliquorum apud Alensem loco præcit. art. 2. Vasquez 1. p. disp. 145. c. vlt. Suarez l. 9. de Trinit. c. 9. in quam inclinat Zumel suprà citatus. Quæ sententia probabilior est & sequenda. Cuius fundamentũ est, quoniam imago duo essentialiter importat, similitudinem, & orignem; vtramque in recto, licet principaliùs similitudinem, quàm originem, vt de Verbo suprà docuimus. Ergo ratione vtriusque imago conuenit Filio Dei. Consequentia patet, quia nec similitudinẽ dicere potest ratione solius proprietatis personalis, nec originem ratione solius essentiæ communis; cùm nec proprietas personalis sit ratio fundandi similitudinem ad suum prototypum; nec essentia communis ratio fundandi originem ad suum principium producens. Antecedens quoad primam partem constat ex definitione imaginis, quæ est similitudo ad representandum expressa. Quoad secundam probatur, nam vtraque relatio integrat rationem imaginis; alterutra enim sublata, tollitur quidditas imaginis. Ergo vtraque importatur in recto: nam quando duo concurrunt ad vnam rationem integrandam, vtrumque importatur in recto. Tertia pars antecedentis constat, nam imago principaliùs importat id, in quo cum imaginato cõuenit: conuenit autem cũ imaginato in vnitate & cõuenientia naturæ, aut externæ speciei. Dicitur enim imago ab *imitãdo*; imitatur autẽ imago suũ prototypũ in natura, aut externa figura, vt illud quoad fieri potest, in se ipsa referat & exprimat.

212. Ad primum primæ sententiæ Respondeo 1. allatam descriptionem imaginis competere tantùm imaginiartificiali, & intentionali, non autem naturali, quæ consistit in conuenientia eiusdem naturæ cum imaginato, cuiusmodi est in humanis genitus respectu sui genitoris, quẽ in se ipso per naturæ specificæ vnitatem refert ac repræsentat. Respondeo secundò, falsum esse Verbum Diuinum esse obiectiuam apparentiam æterni Patris, ratione solius proprietatis personalis, sed etiam ratione essentiæ communis. Est enim Verbum Diuinum obiectiua apparentia Patris, tum ratione eiusdem numero naturę cũ Patre, tum ratione intentionalis similitudinis, ratione cuius æternum Parentem in se ipso intelligibiliter exprimit: exprimit autem Verbum in se ipso intelligibiliter æternum parentem, ratione notitiæ communis. Vnde ad probationem minoris concedo, Verbum per aliquam perfectionem à Spiritu sancto distinctam esse obiectiuam apparentiam Patris: siquidem est obiectiua apparentia Patris complerè non solùm per notitiam communem, sed etiam per proprietatem personalem, per quam distinguitur à Spiritu sancto.

213. Ad primam confirmationem neganda est maior, eiusque probatio, est enim Verbum creatum repræsentatiuum rei ad extra formaliter per aliquid absolutum, nempe per ipsam qualitatem absolutam, à potentia & obiecto simul productam. Falsum item est, rem, quæ lucet in mente, esse eandẽ cum re in se ipsa existente, sed distinguitur in nobis realiter, tanquam Verbum mentis, in quo relucet res ad extra in suo esse intentionali, à re ipsa in propria natura existente. Licet in Deo cognitio repræsentans,

&

& obiectum repræsentatum sit idem, quia in Deo ratio cognoscendi, & cognitum sunt idem.

214. Ad secundam confirmationem. Respondeo, ex allata auctoritate August. tãtùm sequi, imaginem includere relationem producti ad producens, eamque reipsa esse eandem cum relatione Filij ad Patrem, quod vltrò concedimus: non autem, quòd eodem modo importetur ab vna, atque ab alio. Nam à Filio relatio geniti ad genitorem importatur principaliùs, minùs verò principaliter importatur essentia. Contrà verò ab imagine principaliùs importatur essentia, ratione cuius est expressiua & imitatiua sui prototypi; minùs verò principaliter relatio ipsa producti ad producens. Cæterùm aduertendum est apud Augustinum non esse illam comparationem, *Sicut Filius, ita & imago relatiuè dicitur*, sed simpliciter, *Relatiuè dicitur Filius, relatiuè dicitur & imago.* Vnde in forma ad argumentum: distinguo maiorem; eadem relatione refertur Filius ad Patrem, & imago ad prototypum concedo: eodem modo; nego.

*Augustin.*

*Augustin.*

215. Argumenta verò secundæ sententiæ, quatenus probant, conuenire Verbo, perfectionem imaginis, ratione essentiæ communis, concedenda sunt: quatenus verò negant, eandem perfectionem illi etiam conuenire ratione proprietatis personalis, neganda. Nec refert, quòd personalitas non sit formalis ratio assimilandi, sed potiùs dissimilandi personam productam producenti, quia personalitas non importatur ab imagine, vt ratio formaliter assimilatiua prototypi, sed potiùs vt ratio originata à prototypo, quę essentialiter includitur in ipsa quidditate imaginis, cuius est esse imitatricem sui prototypi: in qua ratione intrinsecè inuoluitur passiua origo imitabilitatis sui prototypi.

## SECTIO VIII.

### *An Verbum sit imago solius Patris?*

216. RAtio dubitandi est duplex. Prima, quoniam eorum omnium videtur Verbum esse imago, ex quorum notitia per se procedit: procedit autem per se non modò ex notitia Patris, sed sui ipsius, Spiritus sancti, essentiæ Diuinæ, & creaturarum possibilium: ergo non solùm est imago Patris, sed etiam sui ipsius, Spiritus sancti, essentiæ Diuinæ, & creaturarum possibilium. Secunda, respectu illius Verbum est formaliter imago, quod respicit vt formaliter simile; atqui solam essentiam respicit vt formaliter similem: igitur solius essentiæ est formaliter imago. Minor constat, quia Verbum id tantùm respicit vt formaliter simile, cum quo formalem habet conuenientiam & vnitatem; cum sola autem essentia habet formalem conuenientiam & vnitatem, eò quòd cum personalitate Patris potiùs habeat disconuenientiam & oppositionem. Maior probatur, quoniam imago essentialiter est similitudo ad suum exemplar repręsentandum expressa.

217. DICO 1. Verbum Diuinum solius Patris est imago. Fundamentum, quia respectu solius Patris est originata similitudo ad illum repręsentandum expressa. Igitur solius Patris est imago. Consequentia patet, quoniam illius tantùm est imago, respectu cuius habet essentialia imaginis. Essentialia autem imaginis sunt similitudo, & origo ad repræsentandum accepta. Antecedens probo, nam Verbum à solo Patre producitur, & vi eiusdem productionis communicatur illi adæquata similitudo tam naturæ, quàm obiecti intelligibilis ad illum perfectè repræsentandum. Maior probatur, nam etsi Verbum, vt ab obiecto per se cognito procedat non solùm à Patre, sed etiam à seipso, à Spiritu sancto, & à creaturis possibilibus, vt à principio tamen originante non nisi à solo Patre procedit; atque adeò non nisi respectu solius Patris habet essentialia imaginis.

218. DICO 2. Verbum est imago Patris, non solùm vt habentis essentiam, vt naturam, & paternitatem, vt hypostasim productiuam; sed etiam vt habentis naturam, Paternitatem, & reliqua omnia, vt obiectum intelligibile. Fundamentum, quia Verbum non solùm repræsentat Patrem naturaliter per eandem numero naturam, quam vi originis accipit, sed etiam intelligibiliter per intellectionem, quam etiam vi originis accipit ab illo; ergo non solùm est imago illius, vt habentis essentiam, vt naturam, & paternitatem, vt hypostasim productiuam; sed etiam vt habentis hæc ipsa, & reliqua omnia, vt obiectum intelligibile.

219. DICES. Id tantùm formaliter respicit imago, à quo formaliter producitur. Sed per nos Verbum Diuinum formaliter tantùm producitur à paternitate, tanquam à ratione formali proximè productiua: ergo illam tantùm formaliter respicit. Maior probatur, quoniam id tantùm formaliter respicit imago, à quo tanquam ab exemplari respicit esse; ergo id tantùm formaliter respicit, à quo tanquam ab exemplari producitur. Respondeo negando maiorem. Ad cuius probationem distinguo antecedens: à quo recipit esse tantùm productiuè, nego; à quo recipit esse saltem communicatiuè, concedo. Verbum autem etsi productiuè tantùm recipiat esse à paternitate, tanquam à ratione formali proximè productiua, communicatiuè tamen accipit esse etiam à natura, & à tota persona Patris.

220. DICO 3. Verbum non est imago Patris, neque per solam naturam formaliter, neque per solam intellectionem formaliter, sed per vtrumque simul: per naturam tanquam per rationem quasi genericam, per intellectionem tanquam per rationem quasi specificam. Fundamentum, quia Verbum est perfectissima imago: perfectissima autem

imago postulat, vt perfectissimè repręsentet suum exemplar. Atqui Pater non solùm est repręsentabilis secundùm esse naturæ, sed etiã secũdùm esse intelligibile: ergo Verbum non solùm repræsentat illum per esse naturæ, quod vi productionis accipit, sed etiam per esse intellectiuum, quod vi eiusdem productionis sibi communicatur.

221. Confirmatur 1. Quia verbum non solùm est imago Patris naturalis, sed etiam intentionalis: ergo debet per vtramque rationem simul illùm repræsentare. Confirmatur 2. nam sola similitudo in natura in diuinis non sufficit ad rationem propriæ imaginis, vt ex dictis constat: sola autem similitudo intentionalis est imperfecta, cùm non adæquet perfectionem sui exemplaris: igitur ad perfectissimam rationem imaginis, qualis est Verbum diuinum, vtraque similitudo & naturalis, & intentionalis necessaria est.

222. Dices. Imago intentionalis est similitudo producta ab exemplari prægnito: Verbum diuinum non est similitudo producta ab exemplari prægnito: ergo non est imago intentionalis. Minor patet, quia Verbum diuinum non producitur à Patre, vt ab obiecto intentionaliter mouente, sed vt à suppositio naturaliter operante. Maior probatur, quia imago intentionalis respicit exemplar, vt principium intentionaliter mouens media cognitione; alioqui imago intentionalis non distingueretur à naturali, quæ est similitudo à principio naturaliter operante. Respondeo, imaginem intentionalem esse quidem similitudinem procedentem ab exemplari prægnito, ad ipsum repræsentandum expressam, non tamen debere necessariò produci ab ipso exemplari intentionaliter mouente, sed sat esse, si ab ipso exemplari prægnito habeat communicatam similitudinem ad ipsum intentionaliter repræsentandum, & simul passiuam originem, quomodocunque illam habeat, siue vt ab obiecto intentionaliter mouente, siue vt à suppositio naturaliter operante. Cuius ratio est, quoniam intentionalis imago quidditatiuè tantùm dicit intentionalem similitudinem, ab exemplari prægnito procedentem ad ipsum repræsentandum expressam: siue autem hanc similitudinem accipiat imago ab exemplari via communicationis, siue via productionis, modò ab ipso exemplari cum communicatione intentionalis similitudinis realem ducat originem, ex quacunque ratione formali talem originem ducat, saluatur ipsius quidditas, quæ principaliter consistit in ipsa intentionali expressione obiecti: origo autem solùm requiritur, vt distinguat imaginem ab imaginato, vt inter ea fundari possit realis ordo exprimentis & expressi.

223. Ad primam rationem dubitandi nego maiorem: cùm enim ad rationem imaginis per se requiratur origo, & non à quocunque procedit Verbum, vt ab obiecto per se cognito, simul originem ducat, sed à solo Patre, non quorumcunque, ex quorum notitia per se procedit, sed solius Patris, erit imago. Ad secundam Respondeo, quod quemadmodum in imagine aliud est, in quo relatio imaginis fundatur, aliud imago ipsa: ita in termino aliud est, in quo ratio terminandi respectum imaginis ad se fundatur, aliud terminus ipse, terminans vt *Quod*. Etenim ratio, in qua imaginis relatio in Verbo diuino fundatur, est vnitas tum naturæ, tum intellectionis; imago verò est ipsa persona Verbi, vt realiter à Patre originata. Eodem modo in Patre id, in quo ratio terminandi respectum imaginis ad se fundatur, est vnitas eiusdem naturæ & intellectionis; terminus verò terminans vt *Quod* hunc respectum ad se, est ipsa persona Patris, vt realiter originans Filium. In forma igitur ad argumentum, distinguo maiorem: eius tantùm Verbum est imago, vt rationis terminandi *Qua* quod respicit vt simile formaliter, concedo: eius tantùm est imago, vt rationis terminandi *Quæ*, quod respicit vt simile formaliter & reduplicatiuè, nego: nam hæc est tota persona Patris, quæ non secundùm totum esse & reduplicatiuè respicitur, vt similis formaliter, sed tantùm specificatiuè, & secundùm esse absolutum.

224. Ex omnibus dictis de persona Filij constat, eam adæquatè constitui per omnes hos tres respectus, Filiationis, Verbi, & Imaginis; omnesque per se requiri ad rationem Filij & geniti increati. Quia cùm Filius increatus sit Filius intellectualis; nequit autem esse Filius intellectualis, nisi vi processionis procedat adæquatè similis principio intelligenti, vt intelligenti formaliter; principium autem intelligens, vt intelligens formaliter constituatur ex natura, & obiecto intelligibili; vt Filius procedat adæquatè similis principio intelligenti, vt intelligenti formaliter, debet procedere similis illi, & quoad naturam, & quoad obiectum intelligibile; ac proinde relatio Filij increati, quidditatiuè inuoluit relationem Verbi intelligibiliter manifestantis obiectum, ex cuius cognitione per se procedit; & relationem imaginis adæquatè exprimentis suum prototypum. Omnes tamen isti respectus sunt vnus & idem, sola connotatione diuersi; nam relatio Filij magis exprimit vnitatem naturæ cum ipso principio producente: relatio Verbi magis exprimit similitudinem intentionalem cum obiecto intelligibili; relatio verò imaginis magis exprimit repræsentationem sui exemplaris.

# DISPVTATIO XXVII.

## De Persona Spiritus sancti.

### SECTIO PRIMA.

### *An Spiritus sanctus sit nomen proprium tertiæ personæ?*

1. PRIMA dubitandi ratio partis affirmantis est, quia non solùm tertia in Trinitate persona & Spiritus, & Sancta est, sed reliquæ etiam & Spiritus & Sanctæ sunt: *Et Pater*, inquit Aug. 15. de Trinit. c. 19. *Spiritus, & Filius Spiritus & Pater sanctus, & Filius sanctus est.* Et Basilius l. 2. contra Eunomium: *Non est*, ait, *solùm hoc nomen sanctitatis cum Patre & Filio ipsi Spiritui sancto commune, sed ipsa etiam spiritus appellatio.* Igitur non est solius tertiæ personæ proprium. Secunda. Proprium nomen in Diuinis propriam hypostasim, propriumque subsistendi modum exprimit. Atqui hoc nomen *Spiritus sanctus* nõ exprimit propriam hypostasim, propriumque modum subsistendi tertiæ personæ, qui est subsistere, vt terminum reciproci amoris Patris & Filij: igitur non est ipsius propriũ nomen. Cõfirmatur, nam quælibet persona Diuina constituitur in sua hypostasi per relationem ad suum correlatiuum, vt Pater per relationem ad Filium, & Filius per relationem ad Patrem: sed huic nomini *Spiritus sanctus*, nulla respondet correlatio ex parte Patris & Filij, à quibus procedit: nam etsi dicatur Spiritus Patris, Spiritus Filij; non tamen è cõuerso dicitur Pater Spiritus sancti, Filius Spiritus sancti. Igitur nomen *Spiritus sancti* non est proprium tertiæ personæ.

2. Ratio dubitandi partis negantis est Authoritas Scripturæ Matth. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Et 1. Ioan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.* Atqui Pater & Filius sunt propria nomina primæ, & secundæ personæ: ergo & *Spiritus sanctus* erit proprium nomen tertiæ. Accedit Patrũ, Conciliorum, totiusque Ecclesiæ authoritas, quæ hoc nomen *Spiritus sanctus*, vt tertię personæ characteristicum agnoscit & profitetur. Vnde August. 11. de Ciuit. c. 10. *Qui spiritus*, inquit, *Patris & Filij, Spiritus sanctus propria quadam notione huius nominis in sacris litteris nuncupatur.* Et Chrysostomus homil. 3. de Spiritu sancto interpretans hoc nomen Spiritus sanctus: *Ista enim*, ait, *est prima & propria appellatio, & vt euidentiorem habens intelligentiam Spiritus sanctus naturam demonstrat.*

3. Pro præsentis controuersiæ declaratione, notandum, quod etiam notarunt Richardus in 1. dist. 10. ar. 2. q. 3. & Durand. q. 1. & indicauit S. Th. 1. p. q. 36. ar. 1. ad 2. hoc nomẽ *Spiritus* dici posse vel à *spiritualitate*, vel à *spiratione*: & ab hac, vt notauit Alẽsis 1. p. q. 63. mẽb. 1. dupliciter, vno modo à *spiratione actiua*, alio modo à *spiratione passiua*. His adnotatis,

4. DICO 1. Spiritus à passiua spiratione dictus est nomen personale, & solius tertiæ personę proprium. Fundamentum, quoniam eius personæ proprium est, esse spiritũ, prout *spiritus* dicitur à *passiua spiratione*, cuius est passiuè spirari. Atqui solius tertiæ personæ proprium est, passiuè spirari. Igitur solius tertiæ personę proprium est, esse spiritum, prout *spiritus* dicitur à *passiua spiratione*. Dixi à *passiua spiratione*. Nã dictus à *spiratione actiua*, vel est toti glorioſissimæ Trinitati communis, si *actiua spiratio* sumatur pro virtute spirandi ad extra, iuxta illud Ioan. 3. *Spiritus vbi vult, spirat.* Vel communis Patri & Filio, si accipiatur pro virtute spirãdi ad intra. In hac autem notione sumptus *Spiritus*, idem est quod *spiratus*: vnde absque adiuncto, *Sanctus*, est proprium tertiæ personæ, non secus ac, *Genitus*, est propriũ secundę. Adiungitur autẽ *sanctus*, potiùs tertiæ, quàm secundæ personæ, ad denotandum peculiarem modum emanationis tertiæ personæ, qui est per voluntatem, ad quam spectat sanctitas.

5. Cæterùm adhuc in hac significatione sumptus Spiritus multùm differt à proprijs nominibus reliquarũ personarum: nam propria nomina reliquarum personarum, cuiusmodi sunt *Pater* & *Filius*, *Genitor* & *Genitus*, non solùm in Diuinis, sed etiam in humanis habent idem commune, saltem analogicè significatum; quod est relatio paternitatis & filiationis, genitoris & geniti, fundata in perfecta cõmunicatione naturę. At verò *Spiritus* etiam à *passiua spiratione* dictus, non eandem notionem habet in Diuinis, atque in humanis: nam in Diuinis significat personam ex vi reciproci amoris duorum suppositorũ Patris & Filij procedentem: in humanis verò significat halitum ex corde & ore animalis, ministerio pulmonis ad nimium æstum vitalis caloris tẽperandum causatum. Ex hac tamen qualicũque analoga similitudine, vtpote sensibili & nota nobis, voluit idem Spiritus sanctus peculiarem suę emanationis modũ nobis insinuare. Quod & præstitit Christus Dominus Ioa. 20. quando authore Cyrillo lib. 9. in Ioan. & alijs Patribus,

*Augustin.* *Basilius.* *Matth. 28* *1. Ioan. 1.* *Concilia & Patres.* *Augustin.* *Richardus.* *Durandus.* *S. Thomas.* *Alensis.* *Ioan. 3.* *Ioan. 20.* *Cyrillus.*

Patribus, ad ostendendum Apostolis modum, quo Spiritus sanctus à Patre Filioque procedat, *Insufflauit, & dixit, Accipite Spiritum sanctum.*

6. Consistit autem hęc analoga similitudo inter emissionem vitalis halitus, & processionem Sancti Spiritus, in hoc: quòd sicut vitalis halitus emittitur à corde, quod est fons & principium vitæ totius animalis, nec non prima sedes amoris sensitiui; & simul ab ore, quod est index & nuncius cordis, ita Spiritus sanctus à Patre, qui est fons totius Deitatis, & primum principium vitæ amorisque increati, & simul à Filio, quod est Verbum & index Patris. Et sicut halitus vitalis formatur ex reciproco motu cordis & oris, qui componitur ex pulsu & tractu vtriusque: ita Spiritus sanctus ex reciproco amore Patris & Filij mutuo sese diligentium. Demum sicut vitalis Spiritus ex quodam naturali impetu efferuescētis æstuantisq; natiui caloris erumpit: ita Spiritus sanctus ex naturali, vitaliq; impulsu æstuantis reciprocantisque amoris Patris, & Filij felicissimè erumpit. Propter hanc igitur similitudinem & analogiam translatum est hoc nomen *Spiritus* ad processionem tertiæ personæ gloriosissimæ Trinitatis significandam.

7. Dico 2. Spiritus sanctus à spiritualitate dictus, non est proprium, sed tantùm appropriatum tertiæ personæ. Fundamentum est, quia à *spiritualitate* dictus neque *cōplexè*, hoc est in vi duarum dictionū; neque *incomplexè*, hoc est in vi vnius tantùm dictionis, importat ex se aliquid notionale tertiæ personæ proprium: importat enim immaterialitatem, & sanctitatem, quæ sunt perfectiones omnibus personis æquè communes. Appropriatur tamen ex vsu Scripturæ, Patrum, & Conciliorum soli tertiæ personæ. Quo pacto semper accipitur *incomplexè* in vi vnius tantùm dictionis. Rationem verò huius appropriationis reddit Aug. lib. 5. de Trinit. c. 11. his verbis: *Ergo Spiritus sanctus ineffabilis est quædam Patris Filijq; communio: & ideo fortasse sic appellatur; quia Patri & Filio potest eadem appellatio conuenire. Nam hoc ipse propriè dicitur, quod illi communiter, quia & Pater Spiritus, & Filius Spiritus, & Pater Sanctus, & Filius Sanctus. Vt ergo ex nomine, quod vtrique conuenit, vtriusque communio significetur, vocatur donum amborum, Spiritus sanctus.* Eandē rationē repetit lib. 15. c. 19. propter quam rationem ibidem etiam docet, appellari *charitatem*, quę communis est etiam Patri & Filio.

8. Aliam etiam rationem huius appropriationis assignat S. Thomas 1. p. q. 36. art. 1. Nam sicut Spiritus in rebus corporeis, à quibus primò desumptum est hoc nomen *Spiritus*, significat substantiam tenuem cum quodam impulsu & agitatione: (appellamus enim Spiritum ventum aut flatum, qui sunt tenues substantiæ extrinseco quodam impulsu agitatæ:) ita tertiæ personæ ex amore procedētis proprium est, impellere & mouere voluntatem amantis in amatum: hoc quippe amoris munus est. Dicitur etiam *Sanctus*, tum quia sanctitas ad voluntatem spectat. Tum quia Sanctum dicitur, quidquid ad Deum ordinatur: ordinantur autem res ad Deum per amorem: conuenienter igitur tertia persona, per amorem procedens, *Spiritus sanctus* nominatur. Vltimò, vt doctè ex Athanasio dialogo 1. de S. Trinit. notauit Ruiz disp. 65. sect. 2. & subindicat Chrysostomus homil. 3. de Spiritu sancto, quoties in Scriptura sacra *Spiritus* coniungitur cum *genitiuo Dei*, aut *Domini*, vel *Patris*, aut *Filij*, aut *Christi*, sumi *notionaliter* pro tertia tantùm persona: nam hoc ipso sumitur, vt aliquid alterius. Nequit autem in Diuinis vnum esse alterius, nisi per processionē, dicitur enim Filius esse Patris, & Spiritus sanctus vtriusque, quia Filius à Patre, Spiritus sanctus ab vtroque producitur. Quare per cōtrariam regulam nobis colligere licebit, quoties in Scriptura sacra *Spiritus* coniungitur cum *Deo in casu recto*, sumi *essentialiter* iuxta illud Ioan. 4. *Spiritus est Deus.* Nam tunc eo ipso sumitur vt aliquid sui, & non alterius.

9. Ex dictis patet ad rationes dubitandi. Nam primæ duæ tantùm probant posteriorem nostram assertionem: Tertia verò priorem, aut etiam posteriorem quoad secundam tantùm partem assertionis. Etenim potest auctoritas Scripturæ, vel Patrum, aut Conciliorum, vel Ecclesię appropriare aliquod nomen Diuinis personis, etiam si tale nomen apud nos relationem non importet. Quod sic ostendo: nam potuit tale nomen Ecclesiæ, vel Patrum, aut Conciliorum Authoritas primò imponere ad significandam relationem Diuinam. Ergo etiam si tale nomen impositum sit alijs rebus, quę relationes non sunt, imponi poterit secundò rebus, quæ relatiuæ sunt, ad significandas earum relationes. Antecedens constat. Consequentia probatur, quia cùm nomina sint ad placitum, poterit vnum & idem nomē ex institutione imponentis plures res diuersas significare. Sola autem auctoritas Chrysostomi in ratione dubitandi pro negatiua parte adducta non videtur intelligi posse, nisi iuxta priorem assertionem.

10. Ad Confirmationem verò secundę rationis, pro parte affirmante allatam, dicendum, Spiritum sanctum vt sui correlatiuum respicere Patrem & Filium sub ratione spiratoris: qui solus per conuertentiam recurrit cū Spiritu; est enim spirator Spiritus: sicuti Spiritus spiratoris est Spiritus.

*Vsus script. Patrum & Concil.*

*Augustin.*

*S. Thomas.*

*Athanas. Ruiz.*

*Chrysost.*

*Ioan. 4.*

*Authoritas script. Patrum & Conciliorū.*

*Chrysost.*

## SECTIO II.

### *An Spiritus sanctus à Patre Filioque procedat?*

11. TRes fuerunt de Spiritu sancto principales hæreses. Prima eorum, qui illi distinctam à Patre & Filio hypostasim negabant. Hanc hæresim præter Sabellianos, qui vnam tantùm in Diuinis

*Sabelliani.*

personam

Lactantius. personam ponebant, docuerunt Lactantius Firmianus Epist. 8. ad Demetrianum, vt refert Hieronymus in epist. ad Galat. cap. 4. explicans illa verba: *Misit Deus Spiritum filij sui in corda nostra:* Vrbicus Potentinus apud Athanasium Dialogo 4. de Trinit. Hi concedentes distinctas personas Patris & Filij, negabant Spiritum sanctum habere hypostasim à Patre & Filio distinctam.

Hieronym.

Vrbicus Potentinus. Athanas. Principales hæreses contra Spiritum sanctũ.

12. Secvnda eorum, qui illum diuinitate spoliabant, puramque creaturam faciebant. Huius erroris author præter Arium, qui non solùm à Spiritu sancto, sed etiam à Filio diuinitatem auferebant, fuisse dicitur Macedonius quidam Constantinopolitanus Episcopus, qui concessâ diuinitate Patri & Filio, illam tantùm Spiritui sancto negabat. Vnde ab suo authore Macedoniana Hæresis, eiusque sectatores Pneumathomachi, hoc est Spiritus sancti impugnatores sunt dicti. Contra vtramque Hæresim expressa testimonia sunt in sacra Scriptura: accedente authoritate Patrum & Conciliorum, quæ accerrimè prædictas Hæreses impugnant, & oppositam veritatem apertissimis Scripturæ testimonijs stabiliunt.

Arius.

Macedonius.

Pneumatomachi.

13. Tertia Hæresis fuit eorum, qui confitentes Spiritum sanctum æquè ac Filium & Patrem, Deum esse, negabant tamen à Filio procedere, sed à solo Patre. Hoc errore ad hæc vsque tempora laborant Græci & Armeni. Quis autem illius fuerit author, nondum apud omnes constat. Certum tamen est, illum antiquum fuisse errorem, ad eumque abolendum plurima coacta fuisse Concilia: inter quæ vltimo loco iussu Eugenij IV. anno 1437. coactum est Concilium Florentinum, vbi post multas, accuratasque disputationes inter Patres agitatas, tandem Græci conuenerunt cum Latinis de processione Spiritus sancti, vt constat ex ipso decreto Eugenij, & ex oratione quam ad ipsum Concilium habuit Bessarion Patriarcha Constantinopolitanus de vnione Ecclesiæ Græcæ cum Latina. Sed in patriam reuersi iterum in eundem errorem sunt relapsi, in quo pertinaciter perseuerant vsque in præsentem diem, qui error est potissima causa eorum à Latina Ecclesia separationis & Schismatis. Nos igitur prioribus duabus Hæresibus omissis, quarum confutatio facilior est, magisque pertinet ad Scripturales, & Controuersistas, hanc vltimam, vt difficiliorem, magisque Scholasticam breuiter confutandam suscipimus: cum qua multæ grauissimæque Scholasticæ controuersiæ sunt connexæ.

Græci & Armeni.

Concilium Florentin. coactum ad abolendum errorem Græcorum.

Bessarion Patriarcha Constantinop.

14. Quatuor autem apparentibus fundamentis nititur hæc Hæresis. Primum desumitur ex Sacra Scriptura, quod sic formatur. Nunquam in sacra Scriptura expressè dicitur Spiritus sanctus à Filio procedere, cùm tamen apertè dicatur procedere à Patre Ioan. 13. *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Ergo Spiritus sanctus à Filio non procedit: alioqui quâ ratione Christus dixit, illum à Patre, simul etiã dixisset à seipso procedere. Confirmatur, Nam teste Dionysio nihil audendum est de supersubstantiali diuinitate dicere, nisi quod in sacris eloquijs expressum est. Cùm ergo tantùm processio Spiritus sancti à Patre sit in sacris eloquijs expressa, non est audendum dicere, quòd illa sit etiam à Filio.

Ioan. 13.

Dionysius.

15. Secundum ex Patribus: quorum aliqui expressè negant, Spiritum sanctum à Filio procedere, Damascenus l. 1. Fidei c. 11. *Dicimus autem* inquit, *Filium esse à Patre & Filium Patris, Spiritum verò sanctum & ex Patre, & Spiritum Patris nominamus. Ex Filio autem Spiritum sanctum non dicimus, sed Spiritum Filij nominamus.* Nazianzenus orat. 24. ad Episcopos, qui venerant ex Ægypto: *Si quidquid* inquit, *Pater habet, idem, excepta causa,* siue vt alij, vertunt *causalitate, Filij est: quidquid item Filius habet, idem quoque Spiritus sancti est.* Igitur Filius omnia habet à Patre, præter esse causam, seu principium Spiritus sancti. Athanasius in quæstionib. de Deo q. 4. 11. & 12. docet solùm Patrem esse causam. Basilius in epist. 37. ad Greg. Nyssenum fratrem testatur, Filium nullam habere cõmunem notionẽ cum Patre: haberet autem communem notionem spirandi, si ab eo Spiritus sanctus procederet. Maximus epist. ad Marinum affirmat, Patres Latinos nõ concedere Filium esse causam Spiritus sancti. Vltimò Dionysius c. 2. de diuinis nominibus solum Patrem appellat fontem diuinitatis. Alij verò, dum tantùm asserunt, Spiritum sanctum à Patre procedere, nulla de Filio mentione facta, tacitè negant à Filio procedere. Hos consultò omitto, cùm omnes eandem habeant solutionem.

Damascen.

Nazianzen.

Athanas.

Basilius.

Nyssenus.

Maximus.

Dionysius.

16. Tertium ex Concilijs, quod est potissimum argumentum aduersariorum, vt constat ex sess. 7. Concilij Florentini. Hoc autem sic vrgent. In Concilio Nicæno compositum fuit Symbolum fidei ab omnibus credendum, quod in primo Concilio Constantinopolitano, addita particula, *Ex Patre procedentem*, iterum fuit approbatum; & simul cautum, quemadmodum & in Synodo Ephesina, ne quis auderet aliam fidem componere, scribere, aut proferre, quàm quæ in dicto Symbolo contineretur: atqui in dicto Symbolo non continebatur, nisi processio Spiritus sancti à Patre: ergo asserere, Spiritum sanctum procedere à Filio, est contra decretum horum Conciliorum. Igitur contra decretum eorundem Conciliorum addita fuit in eodem Symbolo particula, *Filioque.* Confirmatur, nam in eodem Concilio Ephesino lectum fuit Symbolum Nestorianorũ, in quo negabatur processio Spiritus sancti à Filio; & liber Theodori impugnantis doctrinã Cyrilli de processione Spiritus sancti à Filio, approbantibus & non contradicentibus Patribus.

Concilium Nycænum. Concilium Constantinopol. Synodus Ephesina.

Symbolum Nestorianorum.

17. Quartum desumitur ex rationibus. Prima est, quoniam si Spiritus sanctus nõ tantùm procederet à Patre, sed etiam à Filio, nõ ab vno, sed à duobus procederet principijs:

quod falsum est; alioqui quodlibet principium per se sumptum esset insufficiens ad productionem Spiritus sancti. Confirmatur primò. Nam vel vterque ad Spiritum sanctum concurrit, vt principium adæquatum & sufficiens, vel vt inadæquatum & insufficiens. Si primo modo: ergo superfluè ponuntur ambo simul coucurrere. Si secundo: ergo alterutrum est imperfectum. Confirmatur 2. Pater omnia habet à se independenter à Filio: ergo etiam vim spirandi. Ergo ad Spiritum sanctum producendum non requirit cõsortium Filij. Antecedens patet, quia Pater nihil accipit ab alijs personis, cùm ipse sit origine primus. Prior consequentia constat. Posterior verò probatur, nam si ad producendum Spiritum sanctum requireret consortium Filij, ideo esset, quia ex se non haberet totam vim spirandi.

18. SECVNDA ratio. Si Spiritus sanctus procederet non solùm à Patre, sed etiam à Filio, sequeretur inæqualitas diuinarum personarum. Sequela probatur, nam Filius esset productiuus Spiritus sancti, cùm tamen Spiritus sanctus nullius personæ sit productiuus. Hæc sunt potissima argumenta Hæreticorum.

19. Catholica tamen veritas est, Spiritum sanctum non tantùm à Patre, sed etiam à Filio procedere. Hæc veritas definita est in multis Concilijs, tum per additionem particulæ, *Filioque*, factã Symbolo Nicæno. Quæ additio antiquissima est, vt constat ex Concilio Toletano VIII. celebrato Anno 653. sub Martino Papa, in quo recitatur Symbolum cum prædicta additione: *Credimus*, inquit, *in Spiritum sanctum, Dominum, viuificatorem, ex Patre & Filio procedentem.* Tum per expressam definitionem traditam primò in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. an. 1215. c. 1. *Firmiter: Spiritus sanctus*, inquit, *ab vtroque pariter absque initio & fine, Pater generans, Filius nascens, & Spiritus sanctus procedens.* Secundò, in Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. Anno 1274. cap. 1. de summa Trinitate & fide Catholica: *Fatemur*, inquit, *quòd Spiritus sanctus æternaliter ex Patre & Filio, non tanquam ex duobus principijs, sed tanquam ex vno principio, non duabus spirationibus, sed vnica spiratione procedit.* Vbi etiam damnantur contrarium sentientes. Tertiò, in Concilio Florentino in decreto ipso de vnione: in quo non solùm hæc veritas stabilitur, sed etiam declaratur, quòd eadem mens & doctrina fuerit eorum Græcorum Patrum, qui vel dixerunt, Spiritum sanctum à Patre per Filium procedere; vel omnino abstinuerunt dicere, Spiritum sanctum à Filio procedere, non quòd putarint, illum à solo Patre procedere, sed ne viderentur asserere, illum ex Patre & Filio tanquam ex duobus principijs, & duabus spirationibus procedere. Atque hæc sit prima huius veritatis probatio.

20. Secundò probatur eadem veritas ex sacra Scriptura Ioan. 16. vbi loquens Christus de Spiritu sancto: *Ille*, ait, *me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Cuius rei reddens Christus ipse rationem, *Omnia*, inquit, *quæcunque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi vobis, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* In quem locum Cyrillus Alexandrinus & ipse Græcus lib. 11. in Ioannem cap. 1. *Verùm*, inquit, *quoniam consubstantialis Filio est, procedítque per eum omnem eius habens virtutem, ideo ait*, quia de meo accipiet. Et post pauca: *Nihil igitur detrahitur Spiritui, cùm accipere à Filio credatur. Nam cùm per Filium naturaliter procedat, vt proprius eius cum omnibus, quæ absolutè habet, accipere, dicit, quæ ipsius sunt.* Idem docet l. 6. de Trinit. Idem autem est apud Græcos Patres, *Spiritum sanctum per Filium*, atque *à Filio procedere*, vt Græcis ipsis consentientibus & subscribentibus in suo decreto declarauit Eugenius IV. in Concilio Florentino. Idem docet in hunc locum Didymus l. 2. de Spritu sancto, & ipse quoque Græcus. Athanasius in vtraque Epist. ad Serapionem ex hoc loco colligit Spiritum sanctum à Patre per filium nobis dari.

21. Ex eodem loco Aug. tra. 99. in Ioannem ad finem, non solùm colligit Spiritus sancti processionem à Filio, sed etiam hæreticorum obiectionem soluit, cur potiùs Christus dixerit *de meo accipiet*, quàm *ex me*, vel *à me procedit*, vt de Patre dixerat. *Si ergo*, inquit, *& de Patre & Filio procedit Spiritus sanctus, cur Filius dixit* de Patre procedit? *cur putas, nisi quemadmodum ad eum solet referre, & quod ipsius est, de quo & ipse est? vnde illud est, quod ait*, mea doctrina nõ est mea, sed eius, qui misit me. *Si igitur intelligitur hic eius doctrina, quam tamen dixit non suam, sed Patris: quantò magis illic intelligendus est & de ipso procedere Spiritus sanctus, vbi sic ait, de Patre procedit, & non diceret de me non procedit? A quo tamen habet Filius vt sit Deus, ab illo habet vtique, vt etiam de illo procedat Spiritus sanctus: ac per hoc Spiritus sanctus, vt etiam de Filio procedat, sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre.*

22. Vnde sic formatur ratio ex hoc loco. Quæ Spiritus sanctus annunciaturus est Apostolis, accipit à Filio: ergo procedit à Filio. Consequentia probatur. Nequit in Diuinis vna persona aliquid accipere ab alia, nisi per originem: sicut è contrario nequit vna persona Diuina dare aliquid alteri, nisi per originem, cùm non sit alius modus dandi & accipiendi in Diuinis, quàm per originem actiuam dantis, & passiuam accipientis. Cuius ratio est, quia sicut dare Diuinum est fœcundum & productiuum eius rei, quæ datur: ita accipere à Deo, est produci aliquid à Deo. Ergo sicut non dat Deus, nisi per productionem eius, quod dat; ita qui accipit à Deo, nõ accipit, nisi per productionem eius, quod accipit. Igitur si Spiritus sanctus accipit à Filio, quæ annuntiaturus est Apostolis, accipit illa à Filio per productionem. Nequit autem illa accipere per productionem naturæ, quæ in Deo non producitur; ergo per productionẽ hypostasis, & communicationem naturæ.

23. Eadem

*Concilium Toletanum VIII.*
*Concilium Lateranẽse.*
*Concilium Lugdunẽse.*
*Concilium Florentin.*
*Ioan. 6.*
*Cyrillus.*
*Eugenius IV.*
*Didymus. Athanas.*
*Augustin.*

Ioan. 15.

23. Eadem veritas confirmatur ex illis verbis præcedentis capitis 15. *Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre.* Porrò vnam personam ab alia *mitti* in diuinis, est vnam personam ab alia *procedere* cum nouo modo existendi in alio, quem anteà non habebat. *Ab illo itaque*, inquit Augustinus 4. de Trinit. cap. 20. *mittitur à quo emanat. Sed non eo ipso*, ait, *quod de Patre natus est, missus dicitur Filius, sed vel eo quòd apparuit huic mundo Verbum caro factum: quia tunc vnicuique mittitur, cùm à quoquam cognoscitur atque percipitur, quantum cognosci & percipi potest pro captu, vel proficientis in Deum, vel perfectæ in Deo animæ rationalis.* Hactenus Augustinus. Cùm ergo Spiritus sanctus dicatur non solùm à Patre, sed etiam à Filio *mitti*, necesse quoque est, vt non tantùm à Patre, sed etiam à Filio *procedat*. Confirmatur, nam propterea Pater nunquam dicitur missus, etiamsi in tempore sit cognitus, quia, vt ibidem ait Augustinus; *Non habet Pater, de quo missus sit, aut ex quo procedat.* Nec refert, quòd interdum dicatur Filius mitti à Spiritu sancto; cùm tamen Filius à Spiritu sancto non procedat. Nã mittitur Filius à Spiritu sancto, & à tota Trinitate quoad humanitatem. Spiritus verò Sanctus nequit à Filio mitti, nisi quoad æternam processionem.

Augustin.

Patres Latini omnes consentiunt.

24. Tertiò probatur hęc veritas ex Patribus. Et quidem quod attinet ad Patres Latinos, omnes, aduersarijs ipsis fatentibus in hanc veritatem vnanimi consensu conspirant, vt superfluum sit singulorum testimonia in medium adducere. Quoad Græcos verò plures sunt, qui hanc veritatem expressè docent. Athanasius in Symbolo: *Spiritus sanctus*, inquit, *à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Fuisse autem hoc Symbolum Athanasij colligitur ex Augustino in Psalmum 120. vbi docens Christum esse solem ortum nobis: *De hoc sole*, inquit, *Pater Athanasius Alexandrinus Episcopus ita pulchrè locutus est: Filius*, inquit, *Dei à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.* Nec dici potest, particulam, *à Filio*, additam fuisse à Latinis: Nam cum ea particula hoc Symbolum legitur in Concilio Toletano IV. c. 1. celebrato Anno 633. sub Honorio, quando nulla inter Latinos & Græcos de hac re controuersia erat. Chrysostomus homil. 1. in Symbolo Apost. *Iste*, inquit, *est Spiritus procedens de Patre & Filio*, & homil. 2. *Istum Spiritum dicimus Patri & Filio esse coæqualem, & procedentem de Patre & Filio.* Cyrillus Alexandrin. lib. 11. in Ioannem c. 25. *Spiritus enim Dei*, inquit, *Patris proprius est; sed non minùs etiam Filij proprius est. Non vt alius atque alius, vt diuisim in vtroque: sed quoniam ex Patre, & in Patre Filius est, cùm sit fructus substantiæ eius, proprium Patris Spiritum secundùm naturam possidet: qui profunditur quidem ex Patre, per Filium autem creaturis donatur, non ministerij modo, sed sicut mox dixi, ex ipsa quidem substantia Dei Patris prodiens, profusus autem ad Sanctos per consubstantiale Verbum, à quo est secundùm emissionem ad esse atque subsistere, manetque in ipso.* Nec potest hic locus intelligi de emissione ad extra, quia Spiritus sanctus non emittitur ad extra, vt sit atque subsistat, sed vt tantùm appareat atque operetur. Et in fine eiusdem capitis: *Non est enim*, inquit, *aliud à Filio Spiritus ratione substantiæ, qui & in eo est, & per eum procedit.* Et lib. 5. in Isaiam cap. 61. ita de Spiritu sancto scribit: *Cùm natura Deus existat Vnigena, Sanctus Sanctorum, & omnem ipse naturam sanctificet, vtpotè ex Sancto Patre natus, cumque ex se procedentem Spiritum emittat superis potestatibus suis.* Didymus Alexandrin. lib. 2. de Spiritu sancto, loquens de Spiritu sancto, sic ait: *Quia non ex se est, sed ex Patre & me est, hoc enim ipsum, quod subsistit & loquitur à Patre, & me illi est.* Et inferiùs: *Spiritus quoque Sanctus*, inquit, *qui est spiritus veritatis spiritusque sapientiæ, non potest Filio loquente audire, quæ nescit, cùm hoc ipsum sit, quod profertur à Filio, id est procedens à veritate, consolator manans de Consolatore.* Hæc Didymus.

Athanas. Augustin.

Concilium Toletan IV.

Chrysost.

Cyrillus.

Didymus.

25. Alij etiam Græci Patres afferuntur à Rhodio in septima sessione Concilij Florentini, eandem veritatem apertè testantes. Simeon Metaphrastes in vitam B. Dionysij: *Finem*, inquit *habent ea, quæ corporalis erant aduentus, & incipiunt spiritualia, meusque ad cœlos euehitur Christus, & patriam redit in sedem, ac Spiritum, qui ab ipso procedit, ad gentes, quæ non credebant, instituendas mittit in discipulos.* Anastasius Sinayta sermone de rectis, quæ ipsi credimus, dogmatibus, sic scribit: *Ita enim Spiritus oris eius*, Dei scilicet, *Spiritus sanctus dicitur, cùm os sit vnigeniti.* Et rursus: *Spiritus ex ipso procedens, & missus non solùm à Patre, sed etiam à Filio.* Epiphanius in Ancorato in illud Ioan. 16. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*, sic loquitur: *Sicut enim nemo nouit Patrem, nisi Filius, nec Filium nisi Pater: ita dicere audeo, quod nec Spiritum sanctum, nisi Pater & Filius, à quo procedit, & à quo accipit.*

Rhodius in Concilio Florentino. Metaphrast.

Anastasius Sinayta.

Epiphanius. Ioan. 16.

26. Eadem veritas manifestè deducitur ex varijs principijs, quibus Græci Patres vtuntur ad explicandam Spiritus sancti processionem. Primum est, *Spiritum sanctum emitti, dari, profluere, emanare, procedere per Filium.* Atqui idem est, vt declaratum fuit in Concilio Florentino, Græcis ipsis aprobantibus, *Spiritum sanctum per Filium, atque à Filio procedere.*

Varia principia Patrũ Græcorum.

Concilium Florentin.

27. Secundum est, *Spiritum sanctum esse imaginem, Verbum, characterem, sigillum Filij.* Atqui hęc omnia essentialiter important originem ab eo, cuius sunt *imago, Verbum, character, sigillum.*

28. Tertium, *Spiritum sanctum esse naturalem Spiritum Filij, non minùs quàm Patris.* At non alia ratione Spiritus sanctus dicitur Spiritus Patris, nisi quia procedit à Patre: ergo nec alia ratione erit Spiritus Filij, nisi quia procedit à Filio. Confirmatur, nam constructio Spiritus cum *genitiuo Filij* importat aliquam authoritatem & possessionem Filij in

Spiritum sanctum, sed nō potest Filius aliam authoritatem & possessionem in Spiritum sanctum habere, quàm principij producentis: ergo.

29. Quartum. Patrem comparant *Soli*, Filium *radio*, Spiritum sanctum *splendori*. Atqui *splendor* actiuè procedit à *radio*, non minùs quàm *radius à Sole*: ergo & Spiritus à Verbo.

30. Quintum. Filium vocant *fontem*, & *authorem* Spiritus sancti. Atqui hæc important principium originatiuum: ergo.

31. Sextò. Interdum quærunt Patres, *cur Spiritus sanctus non sit Filius Filij*, vt constat ex Basilio lib. 5. contra Eunomium cap. 12. cuius titulus est: *Cur & Spiritus Filius Filij non dicitur?* hæc autem quæstio, ne puerilis sit & irrationabilis, necessariò supponit, Spiritum sanctum produci à Filio: alioqui vt notauit Bessarion in oratione ad Concilium Florentinum de vnione cap. 6. nullam difficultatem haberet quæstio, velut si quis quæreret, *cur Spiritus sanctus non sit Pater Patris, & genitor Filij?* quam quæstionem nemo mouit vnquam, eò quòd talis quæstio supponat, Spiritum producere Patrem & Filium. Vt igitur proposita quęstio difficultatem habeat, supponere debet, Spiritum sanctum produci à Filio: hoc enim posito, rationabiliter quæritur, *cur non dicatur Filius Filij*, quemadmodum Filius *dicitur Patris Filius*. Hoc ipsum apertè ostendit responsio, quam ad propositam quæstionem adhibet citato loco Basilius: *Non quia*, inquit, *non est ex Deo per Filium, sed ne Trinitas Filios ex Filijs habere suspecta, vt est in hominibus, infinita putetur multitudo.* Alioqui si putasset, Spiritum sanctum à Filio non procedere, facilis & germana responsio fuisset, *ideò Spiritum Filium Filij non dici, quia à Filio non procedit.* Robur accipit hoc argumentum ex ipsa explicatione Græcorum Patrum, qui hoc modo citatum testimonium Basilij interpretantur in Oratione de vnione facta ad Concilium Florentinum.

*Bessarion Concil. Florent.*

32. Septimò dicunt, *Spiritum sanctum esse, siue existere de essentia, de substantia, de hypostasi, seu persona Filij.* Atqui particula, *De*, præter consubstantialitatem importat etiam originem personæ existentis ab ea, de qua existit, vel subsistit. Igitur si Spiritus sanctus existit de substantia vel hypostasi Filij, originatur à Filio.

33. Octauò docent, *in Diuinis omnia esse communia exceptis proprietatibus personalibus oppositis.* Atqui non pertinet ad proprietatem personalem Filij oppositam Patri, vt Spiritus sanctus non procedat à Filio: ergo.

34. Nonò asserunt, *eodem modo se habere Spiritum sanctum ad Filium, sicut se habet Filius ad Patrem.* Atqui Filius se habet ad Patrem vt originatus: ergo & Spiritus sanctus à Filio. Tandem, vt S. Thomas opusc. 1. contra errores Græcorum c. 32. §. *Considerandum*, adnotauit, ijsdem rationibus vtuntur Græci Doctores, quibus & Latini ad probandam Spiritus sancti processionem. Quare aut pertinaciter recentiores Græci in suo errore persistunt; aut de solo nomine, vt Magister in 1. dist. 11. cap. 4. aduertit, nobiscum dissentiunt.

*S. Thomas.*

*Magister.*

35. Vltimò probatur hæc veritas rationibus. Prima ducitur ab impossibili: nam alioqui non saluaretur realis distinctio Spiritus sancti à Filio, atque adeò personarum Trinitas, vt infrà ostendam. Secunda à priori, hoc pacto. Pater per generationem omnia communicat Filio, sola paternitate excepta: ergo communicat illi vim spirandi: atqui impossibile est, existente eadem vi spirandi in Patre & Filio, Patrem spirare Spiritum sanctum, & simul illum non spirari à Filio. Igitur impossibile est Spiritum sanctum non procedere à Filio. Antecedens admittitur ab omnibus: & constat, nam Pater communicat Filio quicquid cum ipsa filiatione non opponitur: atqui sola paternitas cum filiatione opponitur: ergo. Prior consequentia patet, quia vis spirandi cum filiatione non opponitur, sed cum sola spiratione passiua. Minor verò probatur, nam processio Spiritus sancti immediatè & adæquatè est ab ipsa virtute spirandi: ergo impossibile est, vt illa sit eadem in Patre & Filio, & ab ea procedat Spiritus sanctus, vt tantùm est in Patre, & nō vt etiam est in Filio. Quemadmodum implicat, produci creaturam ab vna personâ diuinâ, & non ab omnibus simul; eò quòd virtus productiua creaturæ sit eadem in omnibus diuinis personis. Cùm igitur Pater æternus spiret Spiritum sanctum posterius origine, quàm gignat Verbum, supponitur priùs origine productum Verbum, atque adeo illi communicata virtus spiratiua, quàm producat Spiritum sanctum: & consequenter dum Pater spirat, necessariò cum ipso conspirat simul & Filius.

36. Confirmatur primò, quia Spiritus sanctus procedit vt terminus reciproci amoris Patris & Filij. Atqui terminus amoris essentialiter supponit tum notitiam obiecti amabilis, tum existentiam personarum sese mutuo amantium. Ergo Spiritus sanctus essentialiter supponit Verbum priùs origine productum; atque adeo in eo totam vim spirandi; & consequenter non solùm procedit à virtute spirandi, prout est in Patre, sed etiam prout est in Filio.

37. Confirmatur secundò: Si Spiritus sanctus non procederet à Filio, Filius non haberet omnia sibi à Patre communicata: Consequens est contra testimonium Christi Ioan. 16. *Omnia, quæcunque habet Pater, mea sunt.* Sequelam probo: nam si Filius non produceret Spiritum sanctum, ideo esset, quia non haberet vim spirandi à Patre communicatam, ac proinde non omnia Patris essent Filij. Assumptum ostendo: quia cùm Filius priùs ratione producatur, quàm spiritus sanctus, quippe cùm producatur intellectione, quæ ratione præcedit volitionem, non esset defe-

*Ioan. 16.*

ctus

ctus prioritatis originis; nam hoc ipso, quòd ipsius productio ratione præcederet productionem Spiritus sancti, posset origine præcedere Spiritum sanctum: igitur si illum non producit, est defectus solius vittutis spiratiuæ, ac proinde rectè sequitur, si Filius non producit Spiritum sanctum, Filium non habere omnia sibi à Parte communicata, præter esse Patrem, quod tantùm opponitur Filio.

## *Solutio argumentorum.*

38. AD primum fundamentum sumptum ex Scriptura distinguo antecedens: Processio Spiritus sancti non habetur in Scriptura expressè quoad Verbum *Procedendi*, concedo; quoad sensum & rem ipsam significatam, nego. Atque hoc satis est, vt potuerit hæc veritas ab Ecclesia definiri: multa enim sunt in Concilijs definita, quæ non sunt in Scriptura expressè. Non enim in Scriptura expressè habetur, quòd Spiritus sanctus sit *consubstantialis*, & *coæqualis* Patri & Filio: & tamen hoc nobiscum Græci credunt, vt fidei dogma in multis Concilijs definitum. Cur autem Christus noluerit apertè dicere, *Spiritum sanctum procedere à se*, sicut dixit *de Patre*, rationem suprà tetigit Augustinus, vt nimirum omnia referret ad Patrem, tanquam ad primum principium, & fontem totius diuinitatis. Cæterùm aliunde sufficienter processionem Spiritus sancti à se expressit, cùm dixit: *Quia de meo accipiet:* &, *Quem ego mittam vobis à Patre.* Præsertim cùm vniuersalis regula sit, quòd quidquid in Sacra Scriptura de vna persona dicitur, etiamsi dicatur cum particula exclusiua, dictum intelligitur de cæteris, vbi non obuiat relationis oppositio. Nulla autem obuiat relationis oppositio inter Patrem & Filium, quòd Spiritus procedat à Filio. Ergo etiamsi cum particula exclusiua de Patre diceretur, quòd Spiritus sanctus à solo Patre procedit, non propterea excluderetur Filius: sicut non excluditur Filius à cognitione sui, cũ Matt. 11. dicitur: *Nemo nouit Filium, nisi Pater.* Ad Confirmationem respondeo, Dionysium intelligi, quoad ea, quæ neque explicitè, neque implicitè de Deo in Scriptura continentur. Ad secundum ductum ex Patribus: quoad Damascenum censet S. Thomas 1. parte q. 36. art. 2. ad 3. illum fuisse in hoc errore. Mihi tamen de tanto Patre id sentire, par non est: tum quia, vt disp. præced. sect. 6. vidimus, hic Pater putat, Spiritum sanctum esse imaginem Filij: nequit autem esse imago Filij, nisi ab ipso procedat, cùm processio sit de quidditate imaginis, tum quia ibidem Spiritum sanctum comparat *splendori*, Filium *radio*, Patrem *Soli*; affirmatque per *radium*, hoc est per Filium nobis hunc *splendorem* dari. Tum demùm, quoniam ibidem apertè docet, Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse quoad omnia vnum, præter *ingignentiam*, *gignentiam*, & *processionem*. Ergo in sententia Damasceni Pater & Filius sunt vnum, etiam quoad rationem spirandi, cùm hæc neque sit formaliter *ingignentia*, nec formaliter *gignentia*. Quare dicendum est, hunc Patrem non simpliciter negasse, Spiritum sanctum à Filio procedere, sed solùm tanquam à fonte & primo principio, vt ex ipsius verbis colligitur, loquens enim de Patre ait: *Ipse enim fons est & rady & splendoris.*

*Explicatur Damascen.*

39. Eandem responsionem ad præcitatam auctoritatem Damascen. adhibet Bessarion Patriarcha Constantinop. in Orat. habita in Concil. Florent. de vnione cap. 6. vbi & vniuersalem rationem assignat, cur Græci Patres vsi sint potiùs particula *Per*, quàm *Ex*, ad explicandam processionem Spiritus sancti à Filio: quia nimirum præpositio *Ex* apud Græcos principalem, seu primam causam denotat.

*Explicantur reliqui Patres.*

40. Eodem modo intelligendi sunt Nazianzenus, Athanasius, Basilius, & reliqui Patres Græci, si quando videntur negare, Spiritum sanctum à Filio procedere, vt non simpliciter, sed tanquam à fonte & primo principio illum à Filio procedere negent. Cæterùm Basil. in ea epist. ad Nissen. fratrem, quando dicit, quòd Filius nullam habeat communem notionem cum Patre, explicandus est de notione personali oppositа Patri, qualis non est spiratio actiua, quæ tantùm opponitur spirationi passiuæ. Maximus verò, cùm contendit, Latinos non concedere, Filium esse causam Spiritus sancti, intelligit *causam*, vt Latini intelligunt, non pro principio productiuo simpliciter, sed pro principio productiuo cum dependentia effectus à se, vel vt præcitatus Bessarion explicat de principio primo. Ad Dionysium respondeo, illum pro fonte diuinitatis, intelligere primum principium diuinarum processionum; hoc enim apud Patres significat hoc nomen *Fons*. Ad reliquos autem Patres dico, eos nullam expressam mentionem fecisse de productione Spiritus sancti à Filio, quia nulla tunc Hæreticorum de hac re vrgebat necessitas. Attamen implicitam aliquam mentionem fecisse, constat ex diuersis principijs, quibus Spiritus sancti processionem explicarunt, vt suprà vidimus.

*Augustin.*

*S. Thomas.*

*Explicantur Cõcilia.*

41. Ad tertium ductum ex Concilijs, neganda est vtraque consequentia, etenim solùm in ijs Concilijs prohibitum fuit, ne alia fides, aut fidei explicatio doceretur, quæ diuersa esset ab ea, quæ in Symbolo Nicæno continebatur: non autem prohibitum fuit, aut prohiberi potuit, ne vrgente aliquâ necessitate, maior aliqua fieret explicatio eorum, quæ implicitè & virtute in prædicto Symbolo continebantur, qualis est processio Spiritus sancti à Filio. Alioqui, vt rectè in sess. 7. Concilij Florentini contra Græcos argumentatur Rhodius, etiam Apostolus ad Galatas 1. cauit, ne quis euangelizaret illis, præter id, quod ab ipso acceperant: & Ioan. Apocalypseos vltimo præcepit, ne quis aliquid apponeret, vel diminueret de verbis, quæ in hoc

*Concilium Florentin. Rhodius. Ad Gal. 1.*

*Apoc 22.*

libro

libro scripta sunt. His tamen non obstantibus, licitum est Doctoribus Catholicis, illa explicare, & explicando multa addere, quæ implicitè & virtute in illis continentur. Esto igitur in his Concilijs cautum fuerit, ne quis aliam fidem doceret, quàm quæ in dicto Symbolo continebatur; non propterea tamen prohibebatur, ne vrgente aliquâ necessitate explicarentur aliqua, quæ implicitè in illo continebantur. Ad confirmationem respondeo, in eo Concilio Patres ex professo tantùm disputasse contra Nestorium de vnica persona Christi, propter quam ad illud Concilium principaliter conuenerant. Cæterùm processionem Spiritus sancti à solo Patre refutarunt prędicti Patres, quando doctrinam Cyrilli, & contrariam Nestorianorum, & Theodorij Cyrillum impugnantis vnanimi consensu damnarunt.

42. Ad rationes. Ad primam nego sequelam: nam licet Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio, non tamen procedit ab illis, vt à duobus, sed vt ab vno eodemque principio, ratione vnius eiusdemque virtutis spiratiuæ, quæ est vna indiuisa in vtroque. Ad priorem confirmationem respondeo, vtrumque concurrere vt principiū adæquatum & sufficiens; nego tamen propterea superfluè vtrumque concurrere, quia non concurrunt per diuersam virtutem, sed per vnam & eandem, quæ impossibile est, dum concurrit, vt existens in vno, vt simul etiam non concurrat, vt existens in alio. Quare simultaneus iste vtriusque influxus non est propter iusufficientiam virtutis, sed propter vnitatem virtutis in vtroque indiuisibiliter existentis. Ad posteriorem verò confirmationem nego vltimam consequentiam. Ad cuius probationem, nego Patrem requirere consortium Filij ad productionem Spiritus sancti ex defectu, sed potiùs ex vnitate virtutis spiratiuæ, indiuisibiliter existentis in vtroque.

43. Ad secundam nego sequelam: tum quia eadem ratio militat de Filio respectu Patris: nam etiam Filius est æqualis Patri; cùm tamen Pater sit productiuus, non autem Filius in sententia aduersariorum. Quâ igitur ratione ipsi saluant, Filium esse æqualem Patri, etiamsi non sit productiuus, sicuti est Pater: eadem ratione saluabimus nos, Spiritum sanctum esse æqualem Filio, etiamsi non sit productiuus, vti est Filius. Tum maximè, quia æqualitas diuinarum personarum principaliter attenditur penes vnitatem essentiæ & naturæ, quæ vna est & eadem in omnibus diuinis personis.

## SECTIO III.

### *An Spiritus sanctus distingueretur à Filio, si ab illo non procederet?*

44. PROPONITVR hæc hypothesis ad exactiùs discutiendam præcedentem cõtrouersiam contra Græcos, qui nobiscum concedentes Trinitatem diuinarum personarum, nihilominùs negant processionem Spiritus sancti à Filio. Vnde si per hanc hypothesim concluderetur, Spiritum sanctum non distinctum iri à Filio, si ab illo non procederet, euidenter contra ipsos concludetur, Spiritum sanctum necessariò procedere à Filio, vt saluetur Trinitas personarum, quam Græci nobiscum defendere tenentur. Vt autem prædicta hypothesis vtilis sit, & præsenti proposito deseruiat, non sunt in ea supponendi Filius & Spiritus sanctus cum ijsdem omninò proprietatibus personalibus, cum quibus de facto sunt: alioqui inutilis esset quæstio, & præsenti nõ deseruiret proposito, quo per huiusmodi hypothesim indagamus, an personalis distinctio Spiritus sancti à Filio essentialiter pendeat à processione eiusdem Spiritus sancti à Filio. Vnde supponere illos in assumpta hypothesi cum ijsdem omninò proprietatibus & respectibus, cum quibus de facto sunt, esset supponere id, quod per talem hypothesim indagare intendimus: cùm tamen nunquam hypothesis, quæ vt medium sumitur ad indagandam veritatem alicuius propositionis, suppponere debeat, quod per talem hypothesim indagandum, probandumuè suscipitur. Vt si per hypothesim indagare velis, *an rationalitas sit ratio formalis constitutiua hominis*, non debes accipere hypothesim, quę supponat hominem esse rationalem, cùm id ipsum debeat per hypothesim probari. Quare in hac hypothesi supponendus est Spiritus sanctus cum sola processione passiua & relatione spirati ad Patrem spiratorem, & Filius cum sola generatione passiua & relatione geniti ad genitorem, prędisis omnibus ijs, quæ de facto tam cum processione passiua Spiritus sancti, quàm cum generatione passiua Filij reperiuntur intimè coniuncta, ad hoc vt videamus, an remanere posset sola processio passiua in Spiritu sancto; solaque generatio passiua in Verbo, realiter inter se distincta, absque relatione procedentis à Filio in Spiritu, & absque relatione spirantis in Verbo.

45. Præterea cùm omnis hypothesis impossibilis copulet subiectum cum aliquo prædicato incompossibili subiecto, alioqui non esset hypothesis impossibilis quæuis hypothesis impossibilis, saltem mediatè & per locum extrinsecum infert contradictorium antecedentis positi. Vnde non est contra regulas bonæ hypothesis, vt ex ea nullo pacto

sequatur

sequatur contradictorium antecedentis positi: alioqui nunquam liceret argumentari ex hypothesi impossibili, cùm quæuis hypothesis impossibilis mediatè saltem secum afferat contradictorium antecedentis positi. Sed cõtra regulas bonæ hypothesis dumtaxat est, vt ex ea immediatè & per locum intrinsecum sequatur contradictorium antecedentis positi, quia tunc, vt rectè docet Scotus infrà citandus, nulla seruari posset regula artificiosæ disputationis, concedendo sequens, & negando repugnans antecedentis positi; sed statim concedenda essent contradictoria, quæ in ipsa positione immediatè includerentur. Vt si indagare velis formale constitutiuum hominis, & ponas illum per impossibile, neque esse discursiuum, neque risiuum: talis hypothesis sustineri non potest, cùm immediatè destruat seipsam: nam ex vna parte ponit hominem vt subiectum quęstionis; ex alia parte tollit totum, quod posset esse constitutiuum hominis. Vnde nullus relinquitur propositæ quęstioni disputãdi locus: atque adeò talis hypothesis futilis est, & ad rerum veritates indagandas inutilis. Si verò ponas, hominem non esse discursiuum, relicto ei risiuo; vel contrà illum non esse risiuum, relicto ei discursiuo, adhuc locũ habere potest quęstio, an id, quod ab alijs pręcisum relinquitur, sit formale constitutiuum hominis. Atque hæc hypothesis vtilis est ad indagandas occultas rerum formalitates, quę per huiusmodi hypotheticas præcisiones meliùs dignoscuntur.

*Scotus.*

46. Talis est proposita hypothesis: *An si Spiritus sanctus à Filio non procederet, ab eo distingueretur.* Non enim tollit totum, quod vel persona Spiritus sancti vel persona Filij dicit, alioqui nullus esset disputandi locus de formali constitutiuo Filij, & Spiritus sancti, sed tantùm præscindit vnum, nẽpe processionem à Filio in Spiritu, & spirationem actiuam in Filio, & relinquit aliud, nẽpe processionem à Patre in Spiritu, & relationem geniti in Filio: & vlteriùs indagat, an id, quod relinquitur in Spiritu sancto, præcisum à processione à Filio, & quod relinquitur in Filio pręcisum à spiratione actiua, sit sufficiens constituere Spiritum personaliter distinctũ à Filio, & Filium personaliter distinctũ à Spiritu sancto.

*Gregorius.*

47. Vnde falsò Gregorius in 1. dist. 11. q. vnica art. 1. & alij hanc hypothesim tanquam inutilem reijciunt: eò quòd ex ea aptũ est quodlibet sequi: tum quia hoc modo argumentandi ex hypothesi impossibili vsi sunt

*Aristoteles.*

Aristoteles 2. de anima text. 8. & 9. in quorum primo probat, quòd si securis esset corpus naturale, acuties esset eius substantia iuxta

*Commentator.*

Commentatoris interpretationem. In secundo verò infert, si oculus esset animal, animam fore ipsius visum, quia hic est substantia oculi.

*Augustin.*

Augustinus 5. de Trinit. cap. 6. docens, quòd etiamsi Pater Filium non genuisset, adhuc nihil prohiberet, illum ingenitum

*Alij Patres.*

intelligere: Nec non alij Patres contra hæreticos disputantes. Tum quia falsum est, ex qualibet hypothesi impossibili immediatè & per locum intrinsecum sequi quodlibet, sed vnum tantùm determinatè, nempe illud, quod immediatam connexionem habet cum consequente, quod ex ea immediatè infertur. Vt, *si homo esset equus, hinniret*: licet enim mediatè, quia nimirùm cum esse equi simul ponitur esse hominis, vtrumque simul sequatur, & quòd hinniret, quà equus, & quòd non hinniret, quà homo: immediatè tamen ex vi prædicati positi vna tantùm pars sequitur determinatè, nempe quòd hinniret. In omni igitur hypothesi attendendum solùm est ad id, quod immediatè infertur ex antecedente posito. Quare licet sublatâ spiratione actiuâ à Filio, ab eodem simul tollatur & filiatio, quæ intrinsecè connectitur cum ipsa spiratione actiua, id tamen non tollitur immediatè, & per locum intrinsecum, cùm vna formalitas explicitè concepta non sit alia, sed tantùm mediatè & per locum extrinsecum, quia cùm vna intrinsecè includatur in alia, implicat tolli vnam, non sublatâ aliâ. His igitur adnotatis, vt ad propositæ hypothesis decisionem veniamus, sit

48. PRIMA sententia Henrici quodlib. 5. qu. 9. Bacconi in 1. dist. 13. qu. vnica, art. 5. Scoti dist. 11. qu. 2. Lycheti ibid. Aureoli art. 3. propos. 4. Mayroni qu. 2. Rubionis q. 1. art. 2. Ochami qu. 2. Gregorij q. vnica, art. 1. circa finem, Gabrielis quæst. 2. art. 2. concluſ. 1. Carthusiani q. 2. ad finem, Palatij disp. 3. Fauentini disp. 38. affirmantium, adhuc Spiritum sanctum distinctum iri à Filio, esto per impossibile à Filio non procederet. Probatur primò hæc sententia authoritate Anselmi, qui in epistola de processione Spiritus sancti cap. 2. sic scribit: *Hæc itaque sola causa pluralitatis est in Deo, vt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus dici non possint de inuicem, sed alij sint ab inuicem: quia prædictis duobus modis est Deus de Deo, quod totum potest dici relatio. Nam quomodo Filius existit de Deo nascendo, & Spiritus sanctus procedendo, ipsâ diuersitate natiuitatis, & processionis referuntur ad inuicem vt diuersi, & alij ab inuicem.* Et in fine capitis sic concludit: *Filius autem, vt interim aliam causam dicam, quoniam nondum constat, quòd Spiritus sanctus de illo sit & procedat, ideò non est Spiritus sanctus, nec Spiritus sanctus est Filius: quia Filius nascendo habet esse de Patre, Spiritus sanctus verò non nascendo, sed procedendo.* Vbi adhuc negata in Spiritu sancto processione à Filio, docet, illum fore distinguendum à Filio ex diuerso modo procedendi à Filio, quia nimirùm hic procedit, *nascendo* ille *procedendo*. Et capite quarto sic concludit: *Et ideò non habet hic vnitas illa vim consequentiæ, quia pluralitas obuiat, quæ ex natiuitate nascitur, & processione: nam etsi per aliud non essent plures Filius & Spiritus sanctus, per hoc solùm essent diuersi.* Vbi totam diuersitatem, & distinctionem inter Filium & Spiritum sanctum deducit ex diuersitate procedendi vnius, & alterius.

*Henricus. Baconus. Scotus. Lychetus. Aureolus. Mayronus. Rubio. Ochamus. Gregorius. Gabriel. Carthus. Fauentin.*

*Anselmus.*

49. Probatur 2. Eadem sententia rationibus.

nibus. Prima sit. Idem est formale constitutiuum rei, & distinctiuum eiusdem ab omni alio: sed formale constitutiuum Filij in esse personæ est filiatio: ergo per eam formaliter distinguitur ab omni alia persona. Solâ igitur filiatione superstite, manebit formale distinctiuum ipsius ab Spiritu sancto. Maior probatur, quoniam res per id constituitur in sua vnitate, per quod constituitur in sua entitate; actus enim distinguendi, cùm sit negatiuus, supponit actum constituendi positiuum, in quo fundetur; ergo per idem constituitur in esse indistincti à se, & distincti à quolibet alio. Minor patet, quia in Filio non sunt aliæ proprietates, quàm filiatio & spiratio actiua: sed spiratio actiua non constituit illum in esse personæ, cùm sit communis etiam Patri; proprietas autem personalis debet esse incommunicabilis. Ergo circumscriptâ spiratione actiuâ, solâ manente filiatione, manebit formale distinctiuum Filij à Spiritu sancto. Confirmatur, quoniam de facto Filius non constituitur in esse personali spiratione actiua, sed Filiatione: ergo per hanc ab omni alia distinguitur.

50. Secvnda. Si Spiritus sanctus non procederet à Patre, adhuc distingueretur à Patre: ergo etiamsi non procederet à Filio, adhuc distingueretur à Filio. Antecedens patet, quia sublata spiratione actiua à Patre, adhuc in eo maneret paternitas, quâ constituitur in esse personæ incommunicabilis & distinctæ à quacunque alia. Consequentia verò probatur, nam ideo per aduersarios, si Spiritus sanctus non procederet à Filio, non distingueretur ab illo, quia non opponeretur illi oppositione relatiua, sed tantùm disparata: at neque, si Spiritus non procederet à Patre, opponeretur Patri relatiuè, sed tantùm disparatè, nam ei tantùm relatiuè opponitur, à quo producitur: igitur ad distinguendam vnam personam ab alia in diuinis non est necessaria oppositio relatiua producentis & producti, sed sufficit disparata, qualis esset inter Spiritum sanctum & Patrem, si ab illo non procederet. Confirmatur, nam eadem esset tunc relatio inter Spiritum sanctum & Filium, quæ esset inter Spiritum sanctum & Patrem, si ab ipso non procederet: atqui relatio inter Spiritum sanctum & Patrem esset tantùm disparata: ergo si illa sufficienter distingueret Spiritum sanctum à Patre, sufficienter etiam distingueret Spiritum sanctum à Filio.

51. Tertia. Generatio & Spiratio sunt duæ processiones distinctæ formaliter. Ergo etiamsi spiratio non esset à Filio, adhuc distingueretur à generatione Filij. Consequentia patet, quia adhuc maneret formalis ratio generationis, & spirationis, per ordinem ad diuersa principia formalia generandi, & spirandi. Antecedens probatur, nam generatio est per modum naturæ, spiratio verò per modum voluntatis: ergo sunt formaliter distinctę productiones. Confirmatur; quia productio per modum naturę est prima productio: productio verò per modum voluntatis est secunda productio: sed prima productio excludit secundam; & secunda primam; alioqui non esset prima & secunda productio: ergo & terminus primæ excludit terminum secundæ productionis; alioqui daretur prima productio sine suo primo producto.

52. Qvarta. Implicat eundem terminum produci duabus productionibus adæquatis. Ergo implicat eandem personam diuinam produci generatione & spiratione simul. Antecedens constat: alioqui neutra esset productio per se: nam productio per se est illa, qua posita ponitur terminus, & qua sublata tollitur: si autem posset idem terminus produci duabus productionibus adæquatis, non qualibet productione posita, poneretur terminus; nec qualibet sublata, tolleretur. Quia cùm idem terminus esset vi alterius productionis adæquatè, nec altera posita, per se poneretur, cùm iam supponatur positus vi alterius productionis adæquatæ; nec altera sublata, tolleretur, cùm iam supponatur conseruari vi alterius productionis adæquatæ. Consequentia verò probatur, nam generatio, & spiratio sunt duæ productiones adæquatæ, cùm vnaquæque tendat ad terminum totalem diuersum.

53. Qvinta. Implicat duas productiones hypostaticas tendere ad vnum terminum: sed generatio, & spiratio sunt duæ productiones hypostaticæ: ergo implicat, eas tendere ad vnum terminum. Minor constat, quia per generationem producitur hypostasis Filij, per spirationem verò hypostasis Spiritus sancti. Maior probatur, quia productio hypostatica tendit ad subsistens per se; ergo ad terminum per se distinctum; alioqui non tenderet ad subsistens per se, nam subsistens per se excludit terminum in alio existentem. Confirmatur, nam ex eo quòd Spiritus sanctus non procederet à Filio, nec à Filio tolleretur passiua productio hypostaticæ filiationis, nec à Spiritu sancto passiua processio hypostaticę spirationis.

54. Sexta. De facto Spiritus sanctus non producitur à Filio, qua Filius est formaliter, sed quà spirator est formaliter; cùm tamen de facto non solùm distinguatur à Filio, quà Spirator est, sed etiam qua Filius est: igitur remanente in Filio sola filiatione, sublata spiratione, adhuc Spiritus sanctus distingueretur à Filio. Maior probatur, alioqui non esset vnum principium spiratiuum, si non sola spiratio, sed etiam filiatio constitueret formale principium productiuum Spiritus sancti: quia tunc principium spiratiuum constitueretur ex filiatione & paternitate, quæ sunt rationes inter se realiter distinctæ, ac proinde principium ipsum non esset vnum formaliter, sed duplex ex duplici ratione realiter distincta constitutum. Minorem ostendo, tum quia alioqui, quà Filius est, esset idem cum Spiritu sancto: sicut quia Pater, quà Spirator est, non distinguitur à Filio, est idem cum Filio: sed Filius sola filiatione constituitur in

esse

esse personæ: nam per id constituitur in esse personæ, per quod est incommunicabilis: est autem incommunicabilis per solam filiationem, non per spirationem, quæ communis est etiam Patri: igitur non solùm per spirationem, sed etiam per filiationem distinguitur à Spiritu sancto. Consequentia verò primi syllogismi probatur, quia non alio modo comparatur Spiritus sanctus ad Filium nunc, atque compararetur tunc: nam sicut nunc non comparatur ad illum, vt ad principium proximè & formaliter productiuum, sed vt ad suppositum disparatum: eodem modo compararetur tunc, si ab eo non procederet. Ergo si nunc realiter distinguitur ab illo, non obstante, quòd ad illum non comparetur, vt ad principium proximè productiuum; etiam tunc realiter distingueretur, esto ab illo non procederet.

55. Septima. Eodē modo creaturæ manerent in seipsis cōstitutæ & distinctæ à Deo, si per impossibile procederent à solo Patre, ac nunc procedentes à tota Trinitate. Ergo eodem modo Spiritus sanctus maneret in seipso constitutus & distinctus à Patre & Filio, si procederet à solo Patre, ac nunc procedens ab vtroque.

56. Octava. Amor creatus non procedit à Verbo creato, & tamen distinguitur ab illo: ergo etiamsi amor increatus non procederet à Verbo increato, adhuc distingueretur ab illo. Confirmatur, nam, etiamsi Filius actu non produceret Spiritum sanctum, quia tamen potens esset illum producere, realiter distingueretur ab illo: quia non solùm principium producens distinguitur à producto, sed etiam principium productiuum à producibili.

*Bacconus.* 57. Vnde refert Bacconus, in eo casu Spiritum sanctum distinguendum quidem fore à Filio personaliter, non tamen vt Spiritum, sed vt secūdum filium & fratrem primi. Quæ illatio falso nititur fundamento, à nobis suprà reiecto, nempe ideo Spiritum sanctum non esse Filium, quia procedit à duobus; cùm igitur in eo casu procederet tantùm ab vno, nempe à Patre, non procederet vt Spiritus, sed vt Filius, non minùs quàm procedit nunc Verbum. Cæterùm falsum est hoc principiū, quod assumit: non enim Filius distinguitur à Spiritu sancto, quia ille ab vno, hic procedit à duobus; sed quia vnus procedit adæquatè similis principio intelligenti, ac proinde vt genitus, alter non vt adæquatè similis principio volenti, ac proinde non vt genitus, sed vt spiratus.

*Aureolus.* 58. Aureolus verò opinatur, in eo casu Filium non fore distinguendum personaliter à Spiritu sancto, tametsi Spiritus sanctus distinguendus foret personaliter à Filio. Fundamentum ipsius est, quia Filius in esse personæ æquè constituitur spiratione actiuâ, atque generatione passiuâ: sed in eo casu tolleretur à Filio spiratio actiua: ergo tolleretur ipsius personalitas. Nam sublato eo, quod est de quidditate personalitatis, aufertur personalitas. Adhuc tamen remaneret in eo casu aliquid in Filio, quo realiter distingueretur à Spiritu sancto, nempe *Generari*, quod incompossibile est cum *Spirari*. Spiritus sanctus verò remaneret persona perfectè constituta, & distincta à Filio sicut nunc est: quia Spiritus sanctus in esse personæ constituitur per *Spirari*, quod in eo casu esset æquè perfectū, ac nunc est: quia non partim nunc accipit à Patre, partim à Filio, sed totum ab vnoquoque. Ergo cùm in eo casu acciperet idem spirari æquè perfectum à solo Patre, ac nunc accipit ab vtroque, foret persona æquè perfecta, ac nunc est. Sed hoc Aureoli fundamentum confutatum est à nobis suprà disp. 19. de relationibus, vbi docuimus munus spirationis actiuæ non esse personas constituere, sed eas fœcundas reddere in ratione principij proximè spiratiui.

59. Secvnda sententia S. Thomæ 1. p. q. 36. art. 2. 4. contra Gent. c. 24. de potent. q. 10. art. 5. opusculo 1. contra errores Græcorum cap. 32. Bonaventuræ in 1. dist. 11. art. 1. qu. 1. in argumentis in contrarium. Durandi q. 2. Heruæi q. 1. art. vltimo, Argent. q. 2. art. 2. Marsilij q. 15. art. 3. ad 3. Capreoli qu. vnica art. 1. Caiet. & Ferrar. Syluij locis præcit. Bart. Torres 1. p. q. 36. art. 2. Molinæ disp. 3. Bannez ibid. Zumel disp. 2. Valentię puncto 3. Vasquez disp. 147. cap. 4. Suarez l. 10. de Trinit. cap. 2. Granadi disp. 7. Zunigæ disp. 11. dub. 3. Ruiz disp. 68. sect. 4. Philippi Gamachæi cap. 2. negantium, Spiritum sanctum distinguendum à Filio, si ab illo non procederet. In eandem sententiam inclinat Richardus in 1. dist. 11. articulo vnico quæst. 2.

*S. Thomas.* *Bonauent.* *Durandus.* *Heruæus.* *Argentinas.* *Marsilius.* *Capreolus.* *Caietanus.* *Ferrarienſ.* *Syluius.* *Torres.* *Molina.* *Bannez.* *Zumel.* *Valentia.* *Vasquez.* *Suarez.* *Granadus.* *Zuniga.* *Ruiz.* *Gamacheus.* *Richardus.*

60. Quod ad censuram attinet oppositæ sententiæ, Ruiz sect. 5. numero 4. non modò illam improbabilem putat, verùm etiam in fide parum tutam censet. Alij autem erroneam & in fide periculosam appellant, quos tacito nomine citat Vasquez, cap. 3. Alij verò apud Zumel temerariam & suspectam. Verùm illam ab omni censura liberant citatis locis Vasq. & Zumel, eò quòd nullum contra illam sit apertum Ecclesię, aut Concilij testimonium; & alioqui, vt vidimus, illa graues habet Authores. Igitur non est, cur illam damnemus. Est ergo hæc tantùm probabilior sententia, & conformior principijs fidei, præsertim contra errorem Græcorum, qui iuxta hanc sententiam nequeunt nobiscum saluare Diuinarum personarum Trinitatem, nisi etiā nobiscum admittant processionem Spiritus sancti à Filio, sine qua neque per impossibilē hypothesim ab illo distinguendus foret.

*Censuræ oppositæ sententiæ.*

61. Duo autem sunt principia ad hanc sententiam probandam, alterum desumptum à paritate generationis & spirationis actiuæ in Patre; alterum à communi illo Theologorum axiomate: *In Diuinis omnia sunt vnum, vbi nō obuiat relationis oppositio.* Ex primo sic probatur. De facto generatio & spiratio actiua nō distinguuntur in Patre: ergo nec generatio & spiratio passiua distinguerentur in persona

à Patre procedente, si vna ab alia non procederet. Antecedēs saltem de distinctione reali personali est certum apud omnes. Consequētia verò probatur: nam ideò generatio & spiratio actiua non distinguuntur in Patre, quia vna non procedit ab alia: ergo cùm neque ex prædicta hypothesi Spiratio passiua procederet à generatione passiua, sed ambæ simul à Patre, vna non distingueretur ab alia. Consequentia patet. Antecedens ostendo: nam generatio & spiratio actiua habent nunc in Patre omnia, quæ haberent generatio & spiratio passiua, si vna non procederet ab alia: & tamen de facto in Patre non distinguuntur: ergo ex eo tantùm formaliter non distinguuntur, quia vna non est ab alia. Maior, in qua tantùm est difficultas, probatur: nam ideo per aduersarios in ea hypothesi generatio & spiratio passiua distinguerentur realiter personaliter inter se, quia vna esset per modum naturæ, altera per modum voluntatis: vna suapte natura esset prima, altera secunda productio: vna opponeretur alteri saltem oppositione disparata: at hæc omnia de facto habent generatio & spiratio actiua in Patre. Siquidem generatio actiua est per modum actiuæ communicationis naturæ; spiratio verò per modum actiuæ communicationis voluntatis. Generatio, cùm sit per intellectum, virtualiter præcedit spirationem, quæ est per voluntatem. Generatio actiua disparatè opponitur spirationi actiuæ; cū sint à diuersis principijs formalibus, & respiciant diuersos terminos reales: & tamen nunc neutra distinguitur ab altera in Patre; ergo neque tunc, si vna ab altera non procederet.

62. Respondent aduersarij, ideò generationem & spirationem actiuam non distingui inter se realiter, distinguendū autem fore generationem & spirationem passiuam, etiamsi vna ab alia non esset, quia non eadem vnitas requiritur in terminis productis, quæ est in principio producēte. Etenim possunt ab vno eodemque principio plures distincti termini & passiuæ productiones emanare. Confirmat *Bacconus.* Bacconus loco præcit. art. 3. §. 2. Communicare naturam contrarijs modis, non est habere naturam cōtrarijs modis: at verò communicari naturam contrarijs modis, est habere naturam contrarijs modis. Cùm ergo generari & spirari sit habere naturam contrarijs modis; generare verò & spirare non sit habere naturam contrarijs modis, generari & spirari implicabunt simul in eodem supposito, non autem generare & spirare.

63. Sed contrà, quia licet hoc verum sit de productionibus & productis, quæ non solùm distingui possunt per oppositionem relatiuam, sed etiam per limitationem, cuiusmodi sunt productiones & producta creata; falsum tamen est de productionibus & productis, quę nequeunt distingui per solam limitationem, vt sunt productiones & producta increata. Ad confirmationem negandum est, habere naturam communicatam generatione & spiratione passiua, esse illam habere modis cōtrarijs, nisi vna productio sit ab alia. Eodem quippe modo esset natura in producto communicata actu intellectus & voluntatis simul, quo est in producente communicante illam actu intellectus & voluntatis simul. Confirmatur, nam in rebus creatis eodem modo distinguuntur productiones passiuæ per intellectum & voluntatem, quo distinguuntur principia ipsa producentia, productionesque ipsæ actiuæ inter se in sententia eorum, qui actionem distinguunt à passione. Igitur quòd in Diuinis principium generandi & spirandi, quemadmodum & generatio & spiratio actiua nō distinguantur realiter inter se, non est alia ratio, quàm summa vnitas & illimitatio Diuinarum perfectionū, quæ omnem distinctionem impedit, nisi quæ oritur ex essentiali oppositione relatiua procedentis & producentis.

64. Ex secundo verò principio sic probatur: *In Diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio.* Atqui ex data hypothesi, nulla esset inter generationem & spirationem passiuam relationis oppositio: Igitur nulla distinctio. Maior est Theologorum axioma, tribuiturque potissimum Anselmo & Boëtio: eoque maximè vtuntur Patres Concilij Florentini ad probandam processionem Spiritus sancti à Verbo. Et confirmatur ex ipsa Diuina vnitate & simplicitate, quæ summa cùm sit, naturâ suâ postulat, vt quæcunque ex proprio conceptu repugnantiam non inuoluunt, sibi realiter idētificet: atqui sola relatiua procedentis & producentis ex suo conceptu repugnantiam inuoluunt. Minor primi syllogismi probatur: nam ex data hypothesi Spiritus non procederet à Filio: ergo Spiritus non haberet relatiuam oppositionem procedentis à producente; igitur nec realem distinctionem. Neque disparata oppositio sufficit: tum quia illa non sufficit inter generationem & spirationem actiuam: ergo nec inter generationem & spirationem passiuam. Tum quia de facto Patres realem distinctionem inter Diuinas personas fundant in sola relatione producentis & producti. Quod vnanimi consensu Græci, Latinique Patres amplectuntur in Concilio Florentino, præsertim in oratione sæpe citata cap. 6. vbi in confirmationem huius veritatis affertur à Bessarione testimonium Nysseni lib. ad Ablauium, vbi distinctionem inter Diuinas personas tantùm ponit in ratione causæ & causati. Ex quo testimonio ipse deducit, Spiritum necessariò procedere à Filio, vt ab illo distinguatur. *Anselmus. Boetius. Patres Concilij Florentini. Bessarion. Nyssenus.*

## *Responsio ad argumenta oppositæ sententiæ.*

65. AD auctoritatem Anselmi, multi ex nostræ sententiæ sectatoribus putant, illum contrariæ fuisse sententiæ. Verùm alij, inter quos S. Thom. q. citata de potentia ar. 5. ad 2. explicant illum, quod non definitiuè, *Anselmus. S. Thomas.*

nitiuè, sed tantùm disputatiuè id asseruerit. Idque constat ex illis verbis: *Vt interim aliam causam dicam.* Nondum enim ipse hanc controuersiam ex propria sententia definierat. Cæterùm cùm ipse in eadem epistola sæpe repetat principium illud, *In Deo omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio,* dubitari non potest de illius mente.

66. Ad rationes. Ad primam nego, formale constitutiuum Filij Dei esse filiationem, vt præcisam ab ordine ad Spiritum sanctum producendum, sed vt aptam ad illum spirandum, ac proinde vt exigentem vim ipsam spirandi. Quam aptitudinem & exigentiam non haberet filiatio, si ab ea non procederet Spiritus. Ex quo patet ad probationem minoris: nã filiatio, quæ de facto constituit Filium in esse personæ, non est quæuis filiatio, sed vt apta & habilis ad spirãdum, siue vt exigens vim ipsam spirandi. Patet etiam ad confirmationem. Atque ex his constat, de facto Filium sola filiatione radicaliter & virtualiter, seu implicitè distingui à Spiritu sancto, formaliter verò & explicitè spiratione: sicut Pater sola paternitate radicaliter & implicitè, spiratione verò formaliter & explicitè distinguitur ab eodem Spiritu. Cæterùm cùm dico sola paternitate aut filiatione, non excludo ipsam aptitudinem & exigentiam virtutis spiratiuæ, implicitè imbibitam in ipsa paternitate & filiatione, qua talis paternitas & filiatio est.

67. Ad secundam. Dupliciter potest dicta hypothesis fingi, vno modo, si ne mediatè quidem Spiritus sanctus procederet à Patre; alio modo si tantùm immediatè ab illo non procederet, interim nõ negata illi processione mediata; qualis est in humanis inter nepotem & auum. Si primo modo; tunc par ratio foret de Spiritu respectu Patris, ac de eodem respectu Filij. Nã sicut ex vna hypothesi nullo modo procederet à Filio, atque adeò nullo pacto distingueretur à Filio: ita ex alia hypothesi nullo modo procederet à Patre, atque adeò nullo pacto distingueretur à Patre. Si secundo modo; neganda est consequentia: cuius discriminis ratio est, quoniam etsi in eo casu Spiritus non procederet immediatè à Patre, quia tamen mediatè saltem procederet ab illo, sicut nepos ab auo, esset inter ipsum & Patrem mediata oppositio, sufficiens ad distinguendum illum realiter à Patre. Cùm non minùs implicet, productum producere suum productorem mediatè, quàm immediatè: si autem Pater tunc esset idem cũ Spiritu, Filius producendo immediatè Spiritum, produceret etiam mediatè Patrẽ; atque adeò mediatè saltem produceret suum productorem. Neque talis oppositio esset tãtùm disparata, sed directa, fundata in origine mediata procedentis & producentis, cuiusmodi non esset illa, quæ intercederet inter Spiritum & Filium, si ab illo non procederet, quia inter illos nulla esset, ne mediata quidem oppositio directè fundata in origine producentis & producti, sed prorsus disparata, qualis de facto est inter generationem & spirationem actiuam, quæ per se sufficiens non est ad distinguendas Diuinas personas. Ex his patet ad probationem consequentiæ, eiusque confirmationem.

68. Ad tertiam. Nego, generationem & spirationem, præciso ordine vnius ab alia, esse inter se formaliter distinctas. Constat de generatione & spiratione actiua, quæ quia ab huiusmodi ordine præscindunt, præscindunt etiam à mutua distinctione. Ad probationem antecedentis negatur cõsequentia: & affertur instantia de generatione & spiratione actiua, quarum illa est per modum naturæ, hæc per modum voluntatis; & tamen neutra distinguitur ab altera. Quoniam ad realem distinctionem nõ sufficit, vt vna sit per modum naturæ, altera per modum voluntatis necessariò spirantis, nisi inter eas realis origo intercedat. Ad Confirmationem distinguenda est maior: productio per modum naturæ, est prima productio actu & realiter, nego; virtute & ratione, concedo: atque eo modo, quo illa est prima excludit secundam, nempe virtualiter & ratione explicita; non autem realiter & ratione implicita. Quemadmodum & ipsa generatio actiua est prima virtualiter, excludens tantùm ratione explicita spirationem actiuam, non autem prima realiter, actu excludens spirationem actiuam.

69. Ad quartam. Nego consequentiam, eiusque probationem: nam licet de facto generatio & spiratio passiua sint duę productiones adæquatè distinctæ inter se, cùm vnaquæque habeat suum terminum realiter distinctũ ab alia; nego tamen ex data hypothesi, illas fore duas productiones adæquatè distinctas, sed tãtùm inadæquatè & virtualiter: quia sicut tunc vna foret persona æquialens duabus Filij & Spiritus sancti; ita vna productio æquialens duabus generationis & spirationis passiuæ. Vnde sicut neutra ab alia præcisa esset sufficiẽs productio termini adæquatè sumpti: ita neutra ab alia præcisa esset adæquata, sed inadæquata productio termini.

70. Ad quintam. Nego tũc fore duas productiones hypostaticas, sed vnam dumtaxat, terminatam ad vnam eandemque indiuisibilem personam, quæ simul esset genita & spirata. Ad probationem verò minoris, negandum est in eo casu per generationem producendam fore hypostasim Filij distinctam ab hypostasi Spiritus sancti, sed vnam & eandem æquialentem ambabus. Vnde nec sequitur, tunc producendam vnam hypostasim in alia, quia non producerentur duæ, sed vna indiuisibilis hypostasis per vnam indiuisibilem productionem. Ad Confirmationem respondeo, hoc ipso, quòd tolleretur passiua origo Spiritus sancti à Filio, sublatum iri hypostaticam distinctionem eiusdem à Filio: vnde sicut nõ esset tunc eadem distinctio inter generationem & spirationem passiuam, quæ nunc est; ita nec eadem distinctio inter hypostasim Filij & Spiritus sancti: sed vna esset hypostasis vtriusque, quemadmodum & vna productio vtriusque.

71. Ad sextam. Distinguenda est maior. De facto Spiritus sanctus non producitur à Filio, vt Filius est, tanquam à principio *Quo*, concedo; tanquam à principio *Quod*, nego. Etenim licet Filius, quà Filius formaliter, nō sit proximum principium producendi Spiritum, hoc enim est Spirator, quà Spirator, est tamen principium *Quod*. Nam ipsum principium spirandi *Quo* non intelligitur ad spirandum completum, nisi vt subsistens: subsistit autem subsistentia Patris & Filij formaliter, cùm ex se nullam habeat propriam subsistentiam. Terminus autem non solùm distingui debet à principio *Quo*, sed etiam à principio *Quod*, vt inductione constat in omnibus. Cuius ratio est, quia principium *Quod* complet hypostaticè principium *Quo*, sine quo hypostatico complemento non est principium *Quo* proximè aptum ad producendum. Vnde ad probationem maioris, nego sequelam: ad hoc enim, vt sit vnum principium spiratiuum, sufficit vt sit vnum ratione principij *Quo*, nam hoc est, quod immediatè influit in terminum productum. Hoc autem in Patre & Filio est vnum numero, ipsa scilicet spirandi virtus, à qua immediatè procedit spiratio passiua, personæ Spiritus sancti constitutiua. Vnde non eodem modo comparatur nunc Spiritus sanctus ad Filium, ac tunc ex data hypothesi: quia nunc comparatur tanquam ad principium productiuum *Quod*, ad quod non compararetur tunc.

*Thomistarū responsio.*

72. Aliter respondent Thomistæ ad hoc argumentum, negando minorem, nempe Filium distingui à Spiritu sancto filiatione, sed tantùm spiratione, tametsi filiatione constituatur in esse personæ. Putant enim in relatiuis principium constitutiuum non esse idem cum distinctiuo, sed posse rem per vnū constitui, & per aliud distingui. Vnde Filius filiatione constituitur, spiratione verò distinguitur à Spiritu sancto. Et ratio ipsorum est, quia relatio non distinguit, nisi ab oppositō correlatiuo. Quare filiatio non distinguit, nisi à Patre, tanquam ab oppositō correlatiuo; à Spiritu verò solâ spiratione, quia solâ spiratione illi opponitur. Ex quo inferunt, Filium distingui à Patre filiatione, & tāquam primo constitutiuo, & tanquam primo distinctiuo; quia respectu Patris filiatio constituit & distinguit: à Spiritu verò distingui spiratione, non tanquā constitutiuo, sed solùm tanquam distinctiuo personæ iam constitutæ per filiationem: quia spiratio non cōstituit personam Filij, sed supponit constitutam, eamque tantùm distinguit ab oppositā persona Spiritus sancti. Nec tamen prædicti Authores concedunt, Filium esse idem filiatione cum Spiritu sancto, quia licet filiatio non sit formalis ratio distinguendi à Spiritu sancto, est tamen formalis ratio constituendi personam Filij; & quia formale constitutiuum vnius personæ non potest esse idem cum formali cōstitutiuo alterius, etiamsi Filius non distinguatur à Spiritu sancto filiatione, non tamen filiatio erit idem cum persona Spiritus sancti: quia cùm relatio distinguat à suo opposito realiter, si id, cui aduenit relatio, sit persona, necesse est, vt illam distinguat personaliter, non vt personam constituens, sed vt personam constitutam relatiuè distinguens ab oppositā personā in esse personali constituta per oppositam relationem. Legantur Caietanus 1 p. q. 36. ar. 2. *Caietanus.* §. *Ad euidentiam huius difficultatis*, & Ferrariensis 4. contra Gentes cap. 24. §. *Istis suppositis*, & §. *Aduertendum tamen*. *Ferrarienſ.*

73. Verùm hæc responsio, (vt interim cætera taceam, quæ de constitutiuo & distinctiuo Diuinarum personarum falsa supponit, præsertim contra Patres Concilij Florentini, qui in oratione de vnione c. 6. testantur, Diuinas personas per relationes distingui & cōstitui) præsentem difficultatem non euacuat. Etenim difficultas erat, an manente formali constitutiuo Filij, quæ est sola filiatio, filius maneret sufficienter constitutus in esse personali distincto à Spiritu sancto. Cæterùm si per prædictos Authores Filius sufficienter & adæquatè constituitur in esse personali sola filiatione, præcisa à spiratione seu ordine ad illam; & ex alia parte implicat, personam adæquatè constitutam in suo esse personali esse idem cum quocunque alio, quod non est ipsa; rectè sequitur, quòd adhuc præciso quouis ordine originis Spiritus à Filio, Filius esset persona perfectè constituta in se, atque adeò distincta à Spiritu sancto. *Impugnatur Thomistarum responsio.*

74. Ad septimam. Nego consequentiam. Ratio discriminis est, quoniam creaturæ adæquatè procedunt à Deo, vt Deo, tam in ratione principij *Quo*, quàm in ratione principij *Quod*. Nam Deus, etiam vt præcisus à subsistentijs relatiuis, est completum principium productiuum creaturarum, quia etiam vt sic est à creaturis perfectè distinctus, perfectéq; in seipso existens: siquidem à subsistentijs relatiuis non accipit rationem existendi, sed solam incōmunicabilitatem. Spiritus verò Sanctus procedit à Deo, vt Spiratore: Spirator autem non est perfectè distinctus, perfectéq; existens, nisi subsistentiâ relatiuâ Patris & Filij. Spiratio enim, quæ est proximum principium producendi Spiritum sanctū, non perfectè existit existentiâ propriâ: vnde in existendo pendet quodammodo ab existētia paternitatis & filationis; ac proinde in ipsa ratione existendi, quę ad producendum essentialiter requiritur, pendet quodammodo ab existentia relatiua paternitatis & filationis. Natura verò Diuina, quæ est proximum principium creaturarum perfectè existit existentiâ propriâ, virtualiter distinctâ ab existentijs relatiuis personarum.

75. Ad octauam. Nego consequentiam: quoniam amor creatus, vtpotè finitus & limitatus, distinguitur à Verbo creato per suū esse absolutū: vnde etiamsi ab illo non procedat, poterit tamen ab illo realiter distingui: Amor verò increatus, vtpotè illimitatus & infinitus, non solùm in ratione absoluta amoris, sed etiam in ipsa ratione respectiua notionalis seu personalis amoris, distingui nequit à

Verbo

Verbo Diuino, nisi ab eo realiter procedat. Ad confirmationem respondeo, adhuc in ea hypothesi Spiritum sanctum distinctum iri à Filio, per aptitudinalem processionem ab illo. Nam hoc ipso, quo Filius exigeret producere Spiritum sanctum, haberet aptitudinem ad illum producendum: ergo hoc ipso haberet principium illi relatiuè oppositum in ratione productiui, cui in Spiritu sancto responderet producibilitas relatiuè oppositа productiuitati.

## SECTIO IV.

### *An Spiritus sanctus æqualiter procedat à Patre & Filio?*

76. RATIO dubitandi est multiplex: Prima desumitur ex auctoritate Patrū. *Augustin.* Augustin. 15. de Trinit. cap. 17. affirmat, Spiritum sanctum *principaliter* de Patre procedere; idque non absolutè, vt nonnulli interpretantur, sed comparatiuè ad Filium: *Ideò*, inquit, *addidit principaliter, quia & de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur.* *Hieronym.* Hieronymus, seu quis alius auctor sit in explanatione Fidei ad Cyrillum, quæ habetur in octauo tomo, docet, Spiritum sanctum de Patre *propriè esse & procedere.* *Damascen.* Damascenus l. 1. Fidei, c. 18. Spiritum sanctum appellat *medium Ingeniti, & Geniti, & per Filium Patri coniunctum.* *Nyssenus.* Nyssenus libro ad Ablauiū columna vltima: *Aliud*, inquit, *continenter, & sine medio ex primo est*; (intelligit Filium) *aliud verò per id, quod immediatè & ex continenti est*, nempe Spiritus. *Ioan. Latinus.* Ioannes Latinus in Concil. Florent. sess. 24. dū de Filio loquitur: *Producit*, inquit, *& ipse Spiritum sanctum non principaliter, vti Pater.* Huc accedit communis ille loquendi modus *Hilarius.* Græcorum Patrū, quem etiā vsurpat Hilarius libro vltimo de Trinitate in fine, & approbat *Eugen. IV.* Eugenius IV. in decreto de vnione, *Spiritum sanctum ex Patre per Filium procedere.* Quæ omnia, vt patet, aliquam inæqualitatem processionis Spiritus sancti à Patre & Filio indicāt.

77. SECVNDA dubitandi ratio sumitur ex varijs rationibus. Prima sit, Spiritus sanctus à Patre procedit per virtutem à se; à Filio verò per virtutem ab alio cōmunicatam: non igitur æquè à Patre & Filio procedit. Consequentia probatur, nam propterea effectus creatus non æquè procedit à causa prima, & secunda, esto ab vtraque eadē indiuisibili actione procedat, quoniā à prima procedit per virtutem à se, à secūda verò per virtutem ab alio cōmunicatam. Ergo etiāsi Spiritus sanctus eadem indiuisibili processione procedat à Patre, & Filio, quia tamen à Patre procedit per virtutem à se, à Filio verò per virtutem ab alio cōmunicatam, non æquè ab vtroque procedit. Confirmatur, ex illo principio Aristotelico, *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis:* Atqui Filio cōuenit spirare propter Patrem: ergo magis conuenit Patri spirare, quàm Filio. Secunda. Spiritus sanctus procedit à Filio immediatè, quia nullo mediante supposito; à Patre verò mediatè, quia mediante Filio: igitur non eodem modo procedit à Filio, atque à Patre.

78. TERTIA. Pater habet vim spirandi priùs origine, quàm Filius: ergo non eodem modo per eam Spiritus sanctus procedit à Patre, atque à Filio. Antecedens patet, nam quidquid habet Filius, habet Pater cum virtute id communicandi Filio, quod est habere priùs origine. Consequentia verò probatur, nam si priùs origine Pater habet vim spirandi, priùs etiam origine spirat: nam qui priùs origine habet virtutem, priùs etiam origine habet actum talis virtutis: ergo priùs origine Spiritus sanctus procedit à Patre, quàm à Filio. Confirmatur, quia vis spiratiua in Deo non liberè, sed necessariò producit; ergo priùs quàm illa communicetur Filio, prodit in actum spirandi, quia nihil accipit à Filio, quo compleatur in ratione productiui, cùm tota vis spirandi adæquatè sit in Patre.

79. QVARTA. Spiritus sanctus procedit à Filio, vt à Verbo bonum immediatè proponente; à Patre verò, vt à proferente Verbum: ergo immediatiùs procedit à Filio, quàm à Patre. Antecedens constat, quia Spiritus sanctus procedit vt amor: amor autem essentialiter procedit à Verbo ostendente bonū. Consequentia verò probatur, quoniam Verbum immediatiùs influit in amorem, quàm proferens Verbum: quia Verbū influit per seipsum immediatè, ostēdens obiecti bonitatem; proferens autem Verbum influit mediante ipso Verbo. Confirmatur, quia Spiritus sanctus procedit, vt amor reciprocus Patris & Filij; ergo ex amore Patris tendente in Filium, & ex amore Filij tendente in Patrem: ergo diuerso modo procedit ab vtroque.

80. QVINTA. Pater respectu virtutis spiratiuæ se habet vt *Proprietarius*; Filius verò vt *Vsuarius*. Sed *Proprietarius* magis propriè rē possidet, quàm *Vsuarius*, quia *Proprietarius* in vtenda re, quam possidet, à nullo pendet: *Vsuarius* verò pendet ab alio. Ergo magis propriè spirat Pater, quàm Filius. Maior probatur: quia Pater in spirando à nullo pendet: Filius verò in spirando pendet à Patre. Confirmatur: nam magis propriè conuenit alicui, quod conueniat à se, quàm quod conuenit ab alio. Sed spirare conuenit Patri per se; Filio verò ab alio: ergo magis propriè spirare conuenit Patri, quàm Filio. His tamen non obstantibus,

81. Dicendum est cum S. Thoma 1. p. q. 36. art. 3. & cum communi sententia Scholasticorum cum Magistro in 1. dist. 12. & 29. cap. vlt. Spiritum sanctum æquè procedere à Patre, atque à Filio. Nec priùs aut perfectiùs, nec principaliùs aut magis propriè immediatiusque esse ab vno, quàm ab alio. Hanc veritatem expressis verbis docuit Anselmus epist. de processione Spiritus sancti c. 16. *Non est*, inquit, *Spiritus sanctus priùs de Patre, quàm de Filio,* *S. Thomas. Scholastici. Magister.* *Anselmus.*

*Filio, nec de Filio, quàm de Patre: nec maior, nec minor est existens de Patre, quàm existens de Filio; nec magis, nec minùs est de vno, quàm de altero.* Vbi etiam huius veritatis rationem assignat: quia videlicet Pater & Filius producunt Spiritum sanctum per vnam eandemque virtutem spiratiuam, indiuisibiliter existentem in vtroque: vbi autem est vna virtus productiua, non potest esse inæqualitas in ipsa productione.

82. Vnde sic argumentor ad prędictam veritatem confirmandam. Omnis inæqualitas aut est durationis, aut originis, aut perfectionis, aut maioris minorisque coniunctionis, immediatiorisque præsentiæ producẽtis cum producto. Sed nulla inæqualitas ex his reperitur in processione Spiritus sancti respectu Patris & Filij: non igitur Spiritus sanctus inæqualiter procedit à Patre & Filio. Maior constat à sufficiente partium enumeratione: nam si qua alia inæqualitas excogitari potest, ad vnam ex his facilè reduci potest. Minor patet primò de inæqualitate durationis: nam omnes personæ Diuinæ sunt æternæ, cùm nulla extiterit prior alia.

83. Probatur secundò de inæqualitate originis: nam licet Pater sit prior origine Filio quoad virtutem ipsam spiratiuam, quam Pater communicat Filio simul cum ipsa natura, non est tamen origine prior quoad actũ ipsum spirandi. Cuius ratio est, quia id tantùm dicitur prius origine, quod à principio communicatur termino. Id autem à principio communicatur termino, quod origine præcedit in ipso principio: sed actus spirandi non præcedit origine in Patre, antequam eliciatur à Filio: ergo non est prior origine in Patre, quàm in Filio. Maior patet, quia illud est prius origine, quod est causa & principium essendi alteri; ac proinde quod ex vno, tanquam ex causa vel principio communicatur alteri. Minor assumpta cõstat, quia nulla causa vel principium potest actu communicare alteri, quod actu formaliter priùs origine non præhabet in se. Igitur si Pater communicat Filio actum spirandi, debet illum priùs origine præhabere in se actu & formaliter. Minor verò subsumpta probatur, quia si actus spirandi priùs origine præcederet in Patre, quàm eliceretur à Filio, nõ posset Filius Spiritum sanctum producere, quia reperiret illum productum per actum spirandi Patris origine priorem. Confirmatur, nam ita se habet actus spirandi in Patre & Filio, respectu productionis Spiritus sancti; sicut actus creãdi in omnibus Diuinis personis respectu productionis ad extra: sed actus creandi non est prior origine in vna persona, quàm in reliquis, esto virtus ipsa creandi sit priùs origine in vna, quàm in alijs: ergo nec actus spirandi, erit prior origine in Patre, quàm in Filio, esto virtus ipsa spirandi sit prior origine in Patre, quàm in Filio.

84. Probatur tertiò de inæqualitate perfectionis: nam omnis perfectionis inæqualitas, quæ in Spiritu sancto esse posset respectu Patris & Filij, vel esset ex parte virtutis spiratiuæ, vel ex parte applicationis virtutis ad spirandum: ex neutro capite esse potest: ergo. Non ex parte virtutis spiratiuæ, nam cùm hęc sit vna numero indiuisibiliter existens in vtroque, nullam patitur perfectionis inæqualitatem, cùm nihil possit sibi ipsi esse inæquale. Neque ex parte applicationis virtutis ad spirandum: nam hęc eadem necessitate & intimitate cum termino spirabili applicatur ex parte Patris, atque ex parte Filij: nam & vterque spirat necessariò, & vterque per vim spiratiuam coniungitur cum termino spirabili, per eiusdem naturæ & volũtatis identitatem. Ergo neque ex hoc capite oriri potest aliqua perfectionis inæqualitas. Confirmatur, nam si esset vna numero vis productiua in duobus suppositis eodem modo, & per eandem intimam præsentiam applicatis ad agendum, non posset effectus diuerso modo procedere ab vno, atque ab alio.

85. Reliqua ex dictis facilè deducuntur. Nam principaliùs ab vno, quàm ab alio procedere, vel connotat principaliorem virtutem in producente, vel principaliorem modum in producendo: atqui probatũ est, neutro modo Spiritum sanctum principaliùs ab vno, quàm ab alio procedere: ergo. Item magis propriè ab vno, quàm ab alio procedere, aliquam importat vel in virtute productiua, vel in modo producendi inęqualitatem: ratione cuius magis propriè competit termino procedere ab vno, quàm ab alio principio. Tandem immediatiùs ab vno, quàm ab alio procedere, vel indicat maiorem propinquitatẽ virtutis productiuæ, aut suppositi producentis; vel certè aliquam subordinationẽ virtutis inferioris ad superiorem in producẽdo, qualis est inter instrumentũ & causam principalem; inter causam secundam & primam: immediatiùs enim dicitur effectus procedere ab instrumento, quàm à causa principali; à causa secunda, quàm à prima: eò quòd instrumentum determinat causam principalem, & causa secunda primam ad agendũ: nullum autem horum in processione Spiritus sancti respectu Patris & Filij reperitur, cũ vterque æquali, imò eadem numero virtute, eademque coniunctione seu identitate eiusdem numero naturæ & voluntatis, eodemque modo, nullâ subordinatione inferioritatis ad superioritatem inter eos intercedente.

86. Atque in his, saltem quoad rem ipsam attinet, omnes ferè cõueniunt. Molestior cõtrouersia supersest de modo loquẽdi, quæ tota ferè consistit in quibusdam locutionibus, an, & quousque illæ sint admittendæ: potissimæ sunt istæ. Prima, *Pater principaliùs spirat, quatenus spirat à se.* Hanc admittunt Bonauent. in 1. dist. 12. q. 1. & 2. Durand. q. 2. Mayro. q. 1. Marsil. q. 15. art. 2. concl. 4. nec illam reijcit Scotus q. 2. *ad argumenta.* Verùm hæc cõfutata manet ex dictis. Vnde vniuersalis regula sit, omne comparatiuum in hac materia esse vitandũ, quia omne comparatiuum vi propriæ significationis importat inæqualitatem inter

*Bonauent. Durandus. Mayronus. Marsilius. Scotus.*

extrema

extrema cõparata. An autem illa admittenda sit in sensu absoluto, quo pacto illam admittunt Henricus in summa art. 54. q. 7. ad 2. Aureol. in 1. dist. 12. art. 2. Ocham. q. 3. Gabriel q. 3. in fine. Affirmant aliqui docti recentiores; quibus assentior. Fundamentum est, quia in sensu absoluto nulla fit comparatio, sed tantùm affirmatur de Patre, quod reipsa illi conuenit: non tamen in eodem sensu absoluto illa enunciari poterit de Filio, vt ijdem docti recentiores adnotarunt: quoniam vox, *Principaliter*, importat authoritatem principij, quæ soli Patri conuenit.

*Henricus. Aureolus. Ochamus. Gabriel. Docti recentiores.*

87. SECVNDA propositio est Scoti loco præcit. *Filius non ita propriè spirat, sicut Pater.* Huic persimilis est illa, quam præcit. loco docet Henricus, *Solus Pater propriè spirat*; eò quòd solus Pater spirat virtute maximè propriâ, quia spirat virtute à se, & à nullo accepta. Verùm hæc etiam est reijcienda, cùm contineat sensum comparatiuum, qui semper in hac materia est suspectus. Vnde neutra sine expressa declaratione est admittenda.

*Scotus. Henricus.*

88. TERTIA propositio est Bonauent. præcit. q. 1. & Marsilij ibidem: *Pater prius authoritate spirat.* Hanc puto admittendam, quoniam est explicatio illius, quam suprà censuimus admittẽdam, nempe; *Pater principaliter spirat*, nam quod hæc dicit implicitè, illa importat explicitè. Ratio verò est, quia verè Patri conuenit spirare vt primo principio: at hoc tantùm importat prædicta locutio: ergo.

*Bonauent. Marsilius.*

89. QVARTA propositio est Henrici loco præcit. ad 1. & Gabrielis art. 2. concl. 1. *Pater & Filius quantùm ad ordinem personarum producentium non æquè, seu vniformiter spirant:* eò quòd Pater spirat vt persona à se, & origine prior; Filius verò vt persona ab alio, & origine posterior. Hanc etiam cum prædicta declaratione puto admittendam, quidquid in oppositum opinetur Palatius in 1. dist. 12. disp. vnica in fine. Est tamen aduertendum, quòd in hac propositione ordo personarum producentium debeat tantùm se tenere *specificatiuè* pro personis, quæ spirant, non *reduplicatiuè* pro personis vt spirantibus. Quod autem sit talis propositio admittenda, patet: quia cùm iste ordo originis à parte rei intercedat inter Patrem & Filium, poterit in ipsa propositione explicari. Quòd autem illa sit admittenda cum prædicta limitatione, probatur, quia licet inter Patrem & Filium, tanquam inter personas spirantes intercedat ordo originis, non tamen talis ordo inter illas intercedit, vt formaliter spirantes; cùm non priùs spirandi actus sit à Patre, quàm à Filio: nam prioritas & posterioritas originis est tantùm inter ea, quę per realem productionem communicantur personis: actus autem spirandi non communicatur Filio à Patre per realem aliquam productionem formaliter, sed tantùm radicaliter in ipsa virtute spiratiua.

*Henricus. Gabriel. Palatius.*

90. Eodem originis ordine personarum producentium spectato, concedenda est etiam illa locutio, quam cum Richardo Victorino 5. de Tri. admittunt omnes Scholastici, *Spiritum sanctum non solùm esse à Patre immediatè, sed etiam mediatè, à Filio verò tantùm immediatè.* Quod explicant exemplo Abelis procedentis ab Adamo immediatè per generationem, & simul mediatè per Euam matrem, quæ ab eodem Adamo processerat. Eodem modo Spiritus procedit à Patre, & immediatè, quia immediatè exit à virtute spiratiua ipsius; & simul mediatè, quia simul exit à virtute Filij communicata à Patre. Vbi vides, hanc processionis mediationem à Patre non consistere formaliter in ordine ad ipsam vim spirandi, quæ cùm sit vna numero in vtroque, nullum admittit medium; sed tantùm in ordine ad personam Filij, quatenus processio Spiritus sanctus præsupponit illam origine priorem, quę est veluti medium non secundùm vim spiratiuam, sed secundùm personalitatem, quatenus supponit posterior Patre, & prior Spiritu, ac proinde vt medium inter Patrem & Spiritum sanctum ad illum spirandum. Filius verò, quia non supponit aliam personam à se productam, quæ per communicationem eiusdem virtutis simul concurrat ad eundem Spiritum producendum, non dicitur ab eo mediatè Spiritus procedere.

*Richardus. Victorin. Scholastici.*

91. QVINTA propositio est, quam omnes Scholastici admittunt cum Magistro in 1. dist. 12. & cum S. Tho. 1. p. q. 36. art. 3. *Pater spirat per Filium*, siue *mediante Filio.* Hanc docent Patres Græci: nec repugnant Latini: quam & approbat Eugenius IV. in decreto de vnione, declarans, hunc modum loquendi huc tendere, vt quod apud Latinos significat particula *Ex*, apud Græcos significare particulam *Per*: eandem locutionem sæpe vsurpat Scriptura Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Ad Colos. 1. *Omnia per ipsum creata sunt.* Cuius ratio est, quia præpositio *Per* non semper denotat causam instrumentalem, sed interdum etiam principalem; idque non tantùm apud Ecclesiasticos, sed etiam apud Prophanos sciptores: etenim non solùm dicimus, Rex operatur per Legatum, tanquam per instrumentum sed etiam Legatus per Regem, tanquam per causam principalem.

*Omnes Scholastici. Magister. S. Thomas. Patres Græci & Latini. Eugen. IV. Ioan. 1. Ad Colos. 1.*

92. Maior difficultas est, an sit admittenda eius conuersa: *Spiritus procedit à Filio per Patrem*, seu *mediante Patre.* Ratio dubitandi est, quia sicut rectè dicitur, Rex operatur per Legatum, & Legatus per Regem: ita rectè dicetur, *Pater spirat per Filium, & Filius per Patrem.* Quocirca admittunt illam Durandus in 1. dist. 12. q. 3. ad argumenta, Torres 1. p. q. 36. art. 3. Ruiz disp. 69. sect. 3. Fundamentum eorum est, quia hæc propositio habere potest proprium sensum, nempe quòd Filius spiret per virtutem communicatam à Patre. Confirmant, nam Prouer. 8. creati Reges regnare, & iusta decernere dicuntur per ipsam sapientiam increatam.

*Durandus. Torres. Ruiz. Prouerb. 8*

93. Reijcit verò illam S. Thomas loco

*S. Thomas.*

præcit. ad vltimum: cuius rationem assignat: quia operari per alium importat operari per medium: atqui Pater non est medium, per quod spiret Filius, neque ratione virtutis spiratiuæ, cùm sit eadem numero in vtroque neque ratione personæ, cùm Pater non sit origine medius inter Filium & Spiritum sanctum: ergo. Nec est par ratio de Legato respectu Regis, quia licet Rex non sit medium, per quod Legatus operatur, est tamen virtus applicans virtutem Legati ad operandum; ratione cuius applicationis rectè dici potest, Legatus operatur per Regem: & creati Reges per increatam sapientiam. At verò nullus est ordo inter Patrem & Filium secundùm virtutem spirandi, ratione cuius Filius dici possit spirare per Patrem. Vnde hæc posterior sententia tutior est, & in praxi omninò seruanda, præsertim cùm illâ nunquam vtantur Patres, aut Scriptura: licet prior sententia nullam mereatur censuram.

94. Vltimò dubitatur, an sit admittenda hæc alia: *Filius spirat propter Patrem:* nam videtur eadem cum præcedente, & habere eundem sensum cum illa; nempe propter virtutem acceptam à Patre. Vnde in hoc sensu explicat August. tract. 27. in Ioan. illam propositionem Christi, *Ego viuo propter Patrem*, quæ æquiualet huic: *Quia ipse*, inquit, *de illo, non ille de ipso est.* Quare admittit illam Palatius in 1. dist. 12. disp. vnica, per analogiam ad hanc: *Ego viuo propter Patrem* Ioan. 6. nam sicut hæc est vera ratione vitæ per originem Filio à Patre communicatæ: ita & illa ratione virtutis spiratiuæ per originem ab ipso Patre Filio communicatæ. Propter has rationes idem puto esse iudicium de hac, ac de præcedente propositione. Vnde sicut illam absolutè admittendam non censuimus, non tamen censurâ aliquâ dignam putauimus: ita neque hanc absolutè admittendâ iudicamus, tametsi nullâ censurâ dignam existimemus.

*August in.* *Palatius.* *Ioan. 1.*

## *Solutio argumentorum.*

95. AD primam rationem dubitandi ductam ex Patribus: & primò ad Augustinum concedo, illum non absolutè, sed respectiuè ad Filium dixisse, Spiritum sanctum *principaliter* procedere à Patre: Verùm in quo sensu id ipse dixerit, statim se explicat: *Ideo*, inquit, *addidi principaliter, quia & de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur: Sed hoc quoque* (nota rationem) *illi Pater dedit.* Ea igitur dumtaxat ratione sanctissimus hic Pater Spiritum sanctum respectiuè ad Filium à Patre *principaliter* procedere, dixit, quia à Patre procedit, vt à primo principio & fonte totius Deitatis.

*Augustinus & reliqui Patres explicantur.*

96. Secundò de Hieronymo apertè constat, illum non vsurpasse nomen *Propriè* comparatiuè, sed absolutè: siquidem infrà circa medium id etiam tribuit Filio: *De Patre*, inquit, *Filius & Spiritus sanctus propriè & verè de Patre Filioque procedit.*

*Hieronym.*

97. Tertiò, Damascenus ideo Spiritum sanctum *Ingeniti, Genitique medium* appellat, quia procedit vt nexus & amor reciprocus vtriusque, coniungique per Filium Patri, tanquam per medium non in ratione spirationis, aut virtutis spiratiuæ, sed in ratione dumtaxat personæ prioris origine respectu sui, posterioris verò respectu Patris. In eodem sensu locutus est Nyssenus, cùm dixit, Filium esse ex Patre *sine medio*, Spiritus verò *per id, quod immediatè ex continenti est*: intelligit enim *medium* personale, non productiuum.

*Damascen.* *Nyssenus.*

98. Quartò ad Ioannem Latinum dico, illum in eo tantùm sensu affirmasse, Spiritum non *principaliter* ex Filio procedere, vti ex Patre, in quo id soliti sunt dicere Patres, nempe vt ex primo principio & fonte totius Deitatis; statim enim ibidem subdit, *Is enim*, scilicet Pater, *est radix & fons Deitatis.* Vltimò ad modum illum loquendi Græcorum Patrum, constat ex dictis.

*Ioannes Latinus.*

99. Ad rationes respondeo. Ad primam nego consequentiam. Ad cuius probationem nego, ideò præcisè effectum creatum non æquè procedere à causa prima & secunda, quia à prima procedit per virtutem à se, à secunda verò per virtutem ab alio communicatam; sed quia à prima procedit per virtutem altioris ordinis, & in operando independentem; à secunda verò per virtutem inferioris ordinis, & in operando dependentem; licet igitur ab vtraque causa procedat eadem actione indiuisibili, non tamen ab vtraque procedit per eandem virtutem indiuisibilem, quo pacto procedit Spiritus sanctus à Patre & Filio; quodque necessarium est, vt terminus productus dicatur vniformiter procedere ab vtroque principio producente: vnde fit, vt actio ipsa effectus creati non æquè proficiscatur à prima, atque à secunda causa: nam à prima proficiscitur independentior & vniuersalior; à secunda verò dependentior & limitatior: nam iuxta modum essendi virtutis actiuæ proficiscitur actio: quippe modus agendi sequitur modum essendi.

100. Ad Confirmationem Resp. si tale principium valeret in diuinis, multò fortiùs illud valeret in genere causæ formalis, seu quasi formalis: atqui in hoc genere non valet; falsum quippe est: Filius & Spiritus sanctus est Deus, sapiens, omnipotens, iustus propter Patrem; ergo Pater est magis Deus, sapiens, omnipotens, iustus. Ratio igitur, cur in diuinis hic modus argumentandi non concludat, est, quia forma, in qua fit comparatio, non est ab extremis ipsis, quæ comparantur, distincta, sed eadem numero: eadem namque est Deitas, sapientia, omnipotentia, iustitia in omnibus diuinis personis, quæ secundùm has perfectiones comparantur: nequit autem vna & eadem numero forma in distinctis suppositis existens suscipere magis & minùs. Cùm igitur virtus spiratiua, secundùm quam inter Patrem & Filium fit comparatio, sit eadem numero in vtroque, non

potest in vno esse maior, intensior, vel perfectior, quàm in alio.

101. Ad secundam. Distinguo antecedens: procedit Spiritus sanctus à Patre mediatè, mediatione virtutis, nego; mediatione suppositi; & rursus subdistinguo, mediatione suppositi vt spirantis, nego; quia vt sic formaliter Filius non mediat, sed est idem prorsus cum Patre conspirante; in ratione suppositi specificatiuè sumpti, quatenus Filius supponitur origine medius inter Patrem & Spiritum, concedo: vnde consequentia est nulla: nam vbi vis productiua est eadem, etiamsi suppositа producentia sint diuersa, nulla sequitur in productione, vel in producto inæqualitas.

102. Ad Tertiam. Nego consequentiam: & ad eius probationem, nego sequelam. Ad cuius probationem concedo, quòd qui priùs origine habet virtutem, priùs etiam origine habet actum talis virtutis, si aliud non obstet: in proposito autem obstat, quoniam quando vis spiratiua prodit in actum spirandi, supponitur eadem virtus communicata Filio: ac proinde per illam spirat etiam Filius: quia cũ sit eadem numero, necessariò spirat in quacunque persona reperitur. Antecedens ostendo, nam actus virtutis generatiuæ in Patre præcedit actum virtutis spiratiuæ, sed per actum virtutis generatiuæ gignitur Filius, cui statim cum natura generantis communicatur vis ipsa spiratiua: igitur quando vis spiratiua prodit in actum spirandi, reperitur per generationem communicata Filio: ac proinde etiam Filius per eam spirat. Ad confirmationem negatur consequentia. Ad cuius probationem dico, rationem, cur virtus spirandi non prodeat in actum ante generationem Filij, non esse, quia à Filio expectat complementum virtutis ad spirandum, sed propter naturalem ordinem generationis, quæ essentialiter supponitur ad spirationem.

103. Ad quartam. Nego consequentiam: nam tunc Verbum influit immediatiùs in amorem, quando in illum influit per distinctam virtutem, vt contingit in nobis; secus quando in illum influit per eandem numero virtutem, vt in Deo. Ad confirmationem negatur posterior consequentia: nam amor, ex quo procedit Spiritus sanctus non est diuersus in Patre & Filio, sed vnus & idem. Vnde ipsa reciproca tendentia amoris Patris in Filium, & Filij in Patrem, est in vtroque: quia non est tendentia notionalis, sed essentialis & obiectiua: quo pacto dicitur Deus nosse & amare seipsum. Vnde sicut inter cognoscentem & cognitum, amantem & amatum nulla est distinctio realis in Deo: ita nec inter amorem, quo Pater amat Filium, & ipsum Filium vt amatum; nec inter amorem, quo Filius diligit Patrem, & Patrem ipsum vt dilectum, est aliqua realis distinctio: nam licet inter eos sit realis distinctio in ratione producentis & producti, nulla tamen est in ratione cognoscentis & cogniti, amantis & amati: eò quòd cognitio & amor nullum dicit realem respectum ad obiectum cognitum, & amatum in Deo.

104. Ad quintam. Neganda est maior: nam *Vsuarius* solùm habet vsum, non proprietatem rei. Filius autem Dei non solùm habet vsum virtutis spiratiuæ, sed etiam proprietatem æquè perfectam, ac Pater: quia cum eadem omninò perfectione, & necessitate eam possidet ac Pater: hoc tantùm discrimine, quòd Pater illam habet à se, Filius verò à Patre: quod discrimen non tollit, quin Filius illam possideat cum eadem proprietate, cum qua illam possidet Pater. Quemadmodum eadem proprietate Filius est Deus, quâ est Pater, esto Pater Deitatem habeat à se, Filius verò à Patre. Cuius ratio est, quoniam proprietas rei immediatè sequitur ad possessionem: possessio autem, quando cum eadem necessitate, & plenitudine dominij competit vtrique, licet vni competat à se, alteri ab alio, est æquè perfecta in vtroque; ac proinde eandem ponit in vtroque rei proprietatem. Ad probationem verò maioris negandum est, Filium in spirando propriè dependere à Patre: quoniam dependentia non importat solam communicationem virtutis ab alio, sed aliquam etiam imperfectionem in ea habenda, ac possidenda: cùm igitur Filius eandem virtutem spirandi cum eadem perfectione & plenitudine essendi possideat, quâ possidet Pater ipse, non poterit dici in spirando dependere à Patre.

105. Ad confirmationem distinguenda est maior: magis propriè conuenit alicui, quod conuenit à se, quàm quod conuenit ab alio extrinsecè, aut liberè producente, concedo: quod conuenit ab alio intrinsecè, & necessariò communicante cum eadem omninò perfectione, nego. Licet igitur Patri æterno cõueniat virtus spiratiua à se, Filio verò à Patre; quia tamen Filio non conuenit hæc virtus à Patre, tanquam à principio extrinseco, aut liberè producente, sed tanquam à principio intrinseco & necessario communicante, cum eadem planè perfectione & plenitudine essendi, quâ illam habet principium ipsum, æquè propriè illa est Filij ac Patris: quia non minore necessitate & intrinseca exigentia illam postulat habere Filius, quàm Pater: cùm non minùs Filius, quàm Pater sit essentialiter Deus.

106. Ex dictis definiri potest illa quæstio. An Spiritus sanctus procedat eodem modo à Patre, atque à Filio? Ratio aliqua dubitandi est: quoniam non eo ipso, quo ab illis procedit æqualiter, procedit eodem modo: nam personæ Diuinæ procedunt æqualiter à suis principijs, quia procedunt cum æquali perfectione, non tamen procedunt eodem, sed diuerso modo, quia vna procedit per generationem, altera per spirationem, qui sunt modi formaliter diuersi: ergo etiamsi Spiritus sanctus æqualiter procedat à Patre & Filio, non tamen inde sequitur, illum procedere eodem modo. Confirmatur primò: nam Spiritus sanctus vi suę proprietatis personalis per

se postulat

se postulat procedere à Patre & Filio, vt diuersis suppositis: igitur non potest eodem modo ab illis procedere: alioqui non postularet per se ab illis, vt à diuersis suppositis procedere; quia non potest terminus per se diuersa principia exigere, nisi propter diuersum modum producendi principiorum. Confirmatur secundò: nam Spiritus per se postulat procedere à Filio, vt à Verbo; à Patre verò, vt à locutore seu proferente Verbum: ergo non eodem modo procedit ab vno, atque ab alio. Nihilominus

107. Dicendum, Spiritum sanctum non solùm procedere æqualiter, sed etiam eodem modo à Patre & Filio. Docent hoc doctissimi recentiores Suarez lib. 10. de Trinit. c. 3. in fine, & Ruiz disp. præcitatâ, sectione vltimâ. Fundamentum est, quia formale principium adæquatum, à quo Spiritus sanctus procedit, est idem numero in Patre & Filio cum summa necessitate determinatum ad vnum terminum producendum, videlicet ipsa virtus spiratiua. Porrò terminus procedens ab vno eodemque principio formali summè determinato ad producendum, non potest, nisi vno eodemque modo ab illo procedere. Minor patet: nam omnis diuersitas modi procedendi oriri debet ex aliquo principio formali diuerso. Maior primò constat ex Concilijs Lugdunensi sub Gregorio X. & Florentino definientibus Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio *tanquam ab vno principio, & vnica spiratione.*

*Suarez. Ruiz.*

*Concilia Lugdun. & Florentin.*

108. Secundò ratione: nam si non sola virtus spiratiua Patri Filioque communis, esset formale principium adæquatum *Quo* Spiritus sancti, non totum principium spiratiuum esset in Patre, nec totum in Filio, sed partialiter in Patre, & partialiter in Filio. Ex quo vlteriùs sequeretur, principium spiratiuum in Patre intrinsecè compleri in ratione formaliter productiui per filiationem. Nec vnicam esse spirationem actiuam in vtroque, sed duplicem, alteram partialem in Patre, alteram partialem in Filio: nam hæc in mea sententia multiplicatur ad multiplicationem principij formalis productiui. Confirmatur, nam vna numero virtus summâ necessitate determinatâ ad vnũ numero terminum producendum, qualis est virtus spiratiua diuina, non potest, nisi vnum numero modum producendi habere: igitur si formale principium productiuum Spiritus sancti est vna numero virtus summâ necessitate determinatâ ad vnum numero terminum producendum, non potest, nisi vno numero modo illum producere.

109. Vnde ad rationem dubitandi concedo, non ex eo præcisè Spiritum sanctum procedere eodem modo à Patre & Filio, quia ab illis procedit æqualiter, hoc est, per æqualem virtutem vtriusque, sed quia ab illis procedit, vt ab vno principio formali per vnam numero virtutem, ad vnum numero terminum summâ necessitate determinatam. Ad priorẽ confirmationem concedo, Spiritum sanctum vi suæ personalis proprietatis per se postulare duo suppositа diuersa, non quidem in ratione principij formalis, quoniam hoc est vnũ & idem in vtroque, sed in ratione suppositorum producentium. Cùm enim Spiritus sanctus vi suæ personalis proprietatis procedat, vt reciprocus amor Patris & Filij, necessariò postulat Patrem & Filium sese mutuò diligentes; sed alterum postulat vt Verbum productum, alterum vt Verbi productorem: nequit enim amor æternus, absque Verbo increato infinitum bonum ostendente, produci. Vnde ex sola exigentia diuersorum suppositorum producentium non arguitur in termino exigente diuersus modus producendi, nisi cum diuersitate suppositorum producentium misceatur diuersitas principiorum formalium. Hinc etiam patet ad posteriorem confirmationem. Etenim postulat quidem Spiritus sanctus procedere à Filio, vt à Verbo producto, à Patre verò vt à Verbi productore, sed in ratione dumtaxat suppositi producentis, non in ratione principij formalis productiui.

## SECTIO V.

### *An Pater & Filius sint vnum principium spiratiuum?*

110. PRIMA sententia est Gregorij Ariminensis in 1. dist. 12. q. 1. Gabrielis q. 1. negantium, Patrem & Filium secundùm proprietatem sermonis dici posse vnum principium spiratiuum, sed duo: licet ex vsu & locutione Sanctorum talis propositio sit admittenda. Durandus verò in 1. dist. 29. q. 2. distinguit: Nam si principium sumatur pro eo, quo agens agit, sic Pater & Filius sunt vnum principiũ Spiritus sancti, quia vna est vis spiratiua in vtroque. Si verò pro eo, quòd agens agit, sic duo sunt principia, quia duo sunt suppositа spirantia realiter distincta. Fundamentum Gregorij est: nã cùm Pater & Filius dicuntur vnum principium Spiritus sancti, vel hoc nomẽ *Principium* supponit pro essentia, vel pro persona aliqua determinata, vel pro notione aliqua Patri Filioque communi: non pro essentia, quoniam essentia nec spirat, nec spiratur; sicut nec generat, nec generatur: neque pro persona aliqua determinata, nam quacunque assignata, falsum est dicere, Pater & Filius sunt hæc persona spirans: nec demũ pro notione aliqua Patri Filioque communi; nam ea demonstrata, non verè dicitur, talis notio spirat: igitur secundùm proprietatem sermonis non vnum, sed duo dicenda sunt principia spiratiua.

*Ariminens. Gabriel.*

*Durandus.*

111. Confirmatur ex Hilario l. 2. de Trinit. asserente, Spiritum sanctum esse *à Patre & Filio authoribus*: atqui author & principiũ idem sunt in diuinis: ergo. Vnde docet, cùm Patres & Concilia dicunt, Patrem & Filium esse vnum principium spiratiuum, id non dicũt ratione vnius principij, sed ratione vnius modi, quo Pater & Filius Spiritum sanctum

*Hilarius.*

producunt:

producunt: quia etsi sint duo principia, modus tamen, quo Spiritum sanctum producunt, est vnus & idem in vtroque: sed quia ex Anselmo, sect. præced. citato, non aliter ex Patre, atque ex Filio Spiritus sãctus procedit.

*S Thomas. Reliqui Scholastici.*

112. SECVNDA sententia est S. Thomæ q. 36. art. 4. & communis Scholasticorum affirmantium, Patrem & Filium in omni proprietate sermonis esse vnum principium spiratiuum. Quæ sententia verior est, & fundamentum habet primò in duobus Concilijs Lugdunẽsi sub Gregorio X. capite vnico de summa Trinit. & fide Catholica, & Florentino sub Eugenio IV. in decreto de vnione: in quibus expresè definitur, Spiritum sanctum ex Patre & Filio, *tanquam ex vno principio, & vnica spiratione* procedere: quin etiam in Lugdunensi damnatur, qui dixerit, Spiritum sanctum *ex Patre & Filio, tanquam ex duobus principijs* procedere.

*Concilia Lugdun. & Florent.*

113. Secundò. Fundamẽtum habet in Patribus. *Fatendum est,* inquit Augustinus 5. de Trinit. capit. 15. *Patrem & Filium principium esse Spiritus sancti, non duo principia.* Qui etiam rationem subiungit: *Sed sicut,* ait, *Pater & Filius vnus Deus, & ad creaturam relatiuè vnus creator, & vnus Dominus; sic relatiuè ad Spiritum sanctum vnum principium.* Anselmus de processione Spiritus sancti capit. 11. *Quoniam,* inquit, *sicut non credimus, Spiritum sanctum esse de hoc, vnde duo sunt Pater & Filius; sed de hoc, in quo vnum sunt: ita non dicimus duo eius principia, sed vnum principium:* quod etiam probat ex paritate principij creatiui, quod vnum est, esto tria sint suppositа, quæ ad creationem concurrunt: quia nimirum non in quo sunt plura, sed in quo sunt vnum, principium constituunt. Idem passim docent cæteri Patres.

*Augustin.* *Anselmus.*

114. Nec satisfacit Ariminensis respondens, ideò Patres & Concilia dixisse, Patrem & Filium esse vnum principium Spiritus sancti, propter eundem modum procedendi. Qui propterea notat, citata Concilia non absolutè dixisse, *Spiritum sanctum procedere ex Patre & Filio, vt ex vno principio, sed tanquam ex vno principio.* Sed contrà, nam dictio, *Tanquam,* quãdo reddit causam alicuius veritatis, non importat improprietatem, sed potiùs rigorem sermonis, vt constat ex illo Ioan. 1. *Vidimus eum, tanquam vnigenitum à Patre:* & ex alijs Scripturæ locis. Idque maximè, quando Concilia & Patres ea dictione vtuntur ad definiendã præcipuam controuersiam, quam contra Hæreticos agitant: præcipua autem controuersia, quam in vtroque Concilio Lugdunensi & Florentino contra Græcos Patres agitarunt, fuit, *An etiamsi Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio simul, adhuc ab illis procedat, tanquam ab vno eodemque principio.* Ergo non debuit particula, *Tanquam,* ab his Concilijs impropriè vsurpari.

*Ariminens.* *Ioan. 1.*

115. Tertiò fundatur hæc veritas manifesta ratione. Nam Pater & Filius spirant eadẽ numero virtute spiratiua existẽte in vtroque: ergo in omni rigore sunt vnum, non duo principia spiratiua. Antecedens constat ex suprà disputatis de spiratione actiua, quæ eadẽ numero est in Patre & Filio, per quam vterque constituitur potens ad Spiritum sanctũ producendũ. Consequentia verò probatur, quia nomina substantiua non multiplicantur, nisi ad multiplicationem formæ, per ea principaliter & in recto importatæ: Sed Spirator est nomen substantiuum, & in recto & principaliter importat vim spiratiuam: ergo si hæc in Patre & Filio non multiplicatur, nec nomen ipsum spiratoris multiplicabitur. Minor cum consequentia patet. Maior probatur: nã propterea Pater & Filius sunt vnus Deus, vnusque creator, quia forma Deitatis, virtutisque creatricis non multiplicatur in eis. Cuius ratio à priori est, quia nomina ab eo sumunt vnitatem, vel multiplicitatem, à quo habent directam & principalem significationem: ab eo autem habent directam & principalem significationem, ad quod principaliter significandum imponuntur; atqui nomina substantiua principaliter imponuntur ad significandam formam communem, suppositа verò non nisi indirectè, & minùs principaliter. Cùm ergo virtus spiratiua, quæ nomine spiratoris directè & principaliter significatur, sit vna & eadem in Patre & Filio, etiamsi suppositа sint distincta, vnum dicendum erit principium spiratiuum.

116. Ad fundamentum Gregorij Respondeo principium spiratiuum directè, & primario importare notionem spiratiuam Patri Filioque communem. Ad eius verò probationem nego, dici non posse, *Virtus spiratiua spirat.* Quemadmodum etiam dicitur, *Vis generatiua generat:* tametsi vsitatior modus loquẽdi sit, vt dicatur suppositum per vim actiuam producere, quàm vis ipsa actiua: quia cũ actiones sint suppositorum, debent cum virtute productiua consignificare suppositum, quod producit. Vnde cùm dicitur *Pater & Filius sunt vnum principium spiratiuum,* nõ solùm significatur in recto & principaliter virtus ipsa spiratiua, sed etiam suppositа, quatenus conueniunt in eadẽ virtute spirandi. Ad petitionem autem Gregorij respondeo, cum virtute spirandi non importari aliquã personam determinatam, sed vtramque simul, non vt formaliter distinctas, sed vt cõuenientes sub analogo conceptu personæ, sub quo conueniunt, quatenus per vim spiratiuam sunt idem principium spirandi: rectè enim dicitur, *Pater & Filius sunt vnum principiũ spirandi, quod est Pater. Et è contra Pater & Filius sunt vnũ principiũ spirandi, quod est Filius.* Item, *Pater & Filius sunt idem principium spirandi:* quemadmodum dicitur, *Pater & Filius sunt vnus & idem Deus, qui est Pater; vel vnus & idẽ Deus, qui est Filius.*

*Gregorius.*

117. Ex his patet ad argumentum Durandi. Nam siue accipiatur pro virtute spirandi, siue pro suppositis spirantibus, quia tamen semper accipitur pro suppositis, vt conuenientibus in eadem forma spiratiua, quæ directè & principaliter importatur per nomen spiratiuũ, vnum omnino dicendum est prin-

*Durandus.*

cipium

cipium spiratiuum. Cæterùm si accipiantur spirantes *adiectiuè* non *substantiuè*, duo dicendi sunt spirantes, iuxta regulam adiectiuorum, quæ quia formam important vt adiacentem subiecto, multiplicantur ad multiplicationem suppositorum, quibus applicant formam, quam significant. Iuxta hanc Doctrinam explicat S. Thomas præcitato loco ad vltimum authoritatem Hilarij, vt quando dixit, Spiritus sanctus procedit *à Patre & Filio authoribus*, nomen *authoris* non sumpserit *substantiuè*, quo pacto Pater & Filius est vnus author Spiritus sancti, sed *adiectiuè*, quo pacto sunt duo authoritatem spirandi habentes.

*Explicatur Hilarius à S. Thom.*

118. *Obijcies.* Hinc sequeretur, Patrem dici posse duo principia; quia importat duplicem formam, generatiuam respectu Filij, & spiratiuam respectu Spiritus sancti. Consequentia patet, quoniam si vnitas formæ principaliter importatæ dat vnitatem nomini, igitur multiplicitas dabit multiplicitatem. Respondeo negando sequelam. Ad cuius priorem probationem dico, ad multiplicationem nominis substantiui non sat esse multiplicationem formæ, quando illa importatur per modum potentiæ & virtutis suppositorum: vt patet in quolibet agente & artifice creato, qui esto plures habeat potentias & artes, non tamen dicitur, nisi vnum potens, vnusque artifex: secus quando forma importatur per modum naturæ: vnde si verbum diuinum duas assumeret humanitates, duo dicerentur homines: & hoc ex impositione Sapientum. Ad posteriorem verò probationem nego consequentiam, ob rationem assignatam. Legatur S. Thomas quæst. 36. art. 4. ad 2.

*S. Thomas*

## SECTIO VI.

### *An Spiritus sanctus vi suæ personalis proprietatis per se, & intrinsecè petat procedere ex duobus distinctis suppositis?*

*Scotus. Lychetus. Durandus. Mayronus. Aureolus. Ochamus. Rubio. Gabriel. Bacconus.*

11. PRIMA sententia negat. Est Scoti in 1. dist. 12. q. 1. §. *Contra istam.* Lycheti ibidem, Durandi q. 3. Mayroni q. 2. §. *Tertia* in fine, Aureoli art. 1. Ochami q. 2. Rubionis q. 2. art. 2. Gabrielis q. 2. videtur etiam Bacconi in 1. dist. 12. quæst. vnica, art. 2. Potissimum fundamentum est, quia totum principium productiuum Spiritus sancti reperitur tam in Patre, quàm in Filio seorsim sumptis; ergo dualitas suppositorum non requiritur per se ad productionem Spiritus sancti. Consequentia constat, nam terminus per se tantùm pendet à principio productiuo: nam ab eo tantùm per se pendet, à quo habet esse; habet autem esse à solo principio productiuo: ergo. Confirmatur, nam totum esse termini est per actiuam communicationem à principio: igitur ab ijs tantùm per se pendet terminus, quæ per se conferunt ad actiuam communicationem principij: hæc autem non sunt, quæ tantùm materialiter & concomitanter se habent ad rationem principij. Antecedens verò probatur, nam integrum principium productiuum Spiritus sancti est voluntas; seu amor diuinus determinatus proprietate spiratiua: atqui totum hoc reperitur tam in Patre, quàm in Filio seorsim sumptis: ergo.

120. Probatur 2. Ita se habet principium spiratiuum in duobus suppositis respectu Spiritus sancti; sicut principium creatiuum in tribus personis respectu creaturarum: atqui creaturæ non exigunt per se Trinitatem personarum; ergo nec Spiritus sanctus dualitatem suppositorum.

121. Tertiò. Virtus spiratiua non accipit à Paternitate & Filiatione vim aliquam producendi, sed puram rationem subsistendi; at pura ratio subsistendi per se non variat productionem termini: ergo. Maior constat, alioqui non tota vis spiratiua existeret in Patre, nec tota in Filio, sed partialiter in singulis. Minor probatur, nam pura ratio subsistendi per se non confert ad formalem rationem producendi: eadem quippe natura sub diuersis suppositis, vel etiam absque omni supposito; idemque accidens in diuersis subiectis, vel etiam extra omne subiectum eundem produceret effectum.

122. Quartò. Intellectus Diuinus sola proprietate generatiua determinatus est integrum principium gignendi Verbum: ergo voluntas Diuina sola proprietate spiratiua determinata erit integrum principium spirandi amorem: igitur dualitas suppositorum non requiritur per se ad productionem Spiritus sancti.

123. SECVNDA sententia affirmat. Est Richardi Victorini 3. de Trinitate à cap. 3. & deinceps, Alensis 1. parte qu. 43. memb. 3. art. 3. & memb. 4. & 5. Henrici in summa artic. 54. quæst. 6. ad argumenta, & artic. 60. quæst. 6. S. Thomæ 1. p. qu. 36. artic. 4. ad 1. & in 1. distinct. 11. quæst. 1. artic. 2. Heruæi quæst. 2. Capreoli dist. 12. conclusione 4. & ad argumenta contra 4. concluſ. Richardi distinct. 11. artic. vnico quæst. 3. Argentinæ quæst. 1. art. 3. Marsilij quæst. 15. Ariminensis dist. 12. Palatij distinct. 11. disput. vltima, Ferrariensis 4. contra Gentes cap. 15. in fine, Caiet. 1. p. quæst. 36. artic. 4. Torres ibid. in fine sui Commentarij, Bannez in fine, Molinæ disp. 5. Vasquez disp. 110. Zumel disp. 4. Granadi tract. 10. disp. 4. Zunigæ disp. 11. dubio 4. Ruiz disp. 71. Suarez lib. 10. de Trinitate cap. 6. Bellarmini lib. 2. de Christo cap. 27. & communior inter Scholasticos.

*Richardus Victorin. Henricus. S. Thomas. Heruæus. Capreolus. Richardus. Argentinas. Marsilius. Ariminens. Palatius. Ferrarienſ. Caietanus. Torres. Bannez. Molina. Vaſquez. Zumel. Granadus. Zuniga. Ruiz. Suarez. Bellarmin.*

124. Tota difficultas huius sententiæ est in assignanda ratione huius necessitatis. Alij assignant ex parte principij, siue quia Pater & Filius sunt complementum virtutis

spiratiuæ,

spiratiuæ, non modò ad subsistendum, verùm etiam ad producendum: siue quia Pater & Filius sunt complementum saltem ad subsistendum, etsi non sint complementum ad producendum; siue quia sunt conditio, sine qua virtus ipsa spiratiua non exiret in actum spirandi. Alij verò necessitatem assignant ex parte termini spirabilis, siue quia, vt amor necessariò procedere debet ex Verbo, & ex principio Verbi: siue quia, vt amor mutuus procedere debet ex reciproco amore plurium suppositorum, vt sit qui amet, & qui viciſſim redamet, siue quia non potest procedere vt persona distincta à Patre & Filio, nisi procedat ab vtroque. Alij tandē putāt ad hanc personalem proprietatem, quam de facto Spiritus sanctus habet, necessario prærequiri Patrem & Filium, vt distinctas personas à quibus procedat; non autem simpliciter, eò quòd posset Pater esse fœcundus per voluntatem, & non per intellectum; tunc enim produceretur Spiritus sanctus à solo Patre; licet non cum hac numero personali proprietate: quoniam hæc ex individua sua ratione intrinsecè respicit Patrem & Filium, vt distincta suppositа.

125. Pro intelligentia huius controuersię, quæ perdifficilis est, præmittenda sunt tria. Primum est, nos hīc non disputare de perfectate connexionis, quam virtus spiratiua habet cum distinctis suppositis, sed de sola perfectate principij, quam eadem virtus habet ad spirandum Spiritum S. An scilicet ita Spiritus S. vi suæ formalis originis, & characteristicæ proprietatis procedat à Patre & Filio distinctis suppositis, vt si per impossibile procederet tantùm ab alterutro, processurus non esset cum eadem characteristica proprietate, cum qua nunc procedit ab vtroque simul. An verò contrà, data hypothesi, quòd ab alterutro tantùm procederet, adhuc processurus foret cū eadē characteristica proprietate, cum qua nūc procedit ab vtroque simul. Eodem prorsus modo, quo de creaturis disputamus, an illæ per se procedant à Trinitate personarum, ita vt si Deus in vna tantùm subsisteret persona, eodem modo foret principium creaturarum, sicut nunc est subsistens in tribus.

126. Secūdum est; duplex esse principium, alterum productiuum, communicatiuum alterum. Productiuum in diuinis semper est aliqua perfectio respectiua, cū illud debeat realiter distingui à termino producibili. Communicatiuum verò esse potest quæcunque perfectio, etiam absoluta; quia hoc non debet distingui à termino, cui communicatur: cùm possit idem manere in principio communicante, & simul in termino, cui communicatur. Vtrumque principium per se requiritur ad esse termini. Cùm non minùs terminus suū esse accipit vi principij communicatiui, quàm vi principij productiui. Est autē notandū, non quidquid reperitur in supposito producente, habere rationē principij cōmunicatiui, sed illud tantū, quod per se & formaliter exigitur à termino producibili vi propriæ processionis.

127. Tertium est, dupliciter posse principium variari ex variatione distinctorum suppositorum ad eundem terminum concurrentium; vno modo immediatè, & per locum intrinsecum; alio modo mediatè & per locum extrinsecum. Variatur autem immediatè & per locum intrinsecum, quando sublato tantùm supposito comproducente & omni alio præciso, variatur principium ipsum. Variatur verò mediatè & per locum extrinsecum, quando principium ipsum non variatur ex præcisa sublatione suppositi comproducentis, sed per sublationem alterius rationis necessariò connexæ cum persona ipsa comproducente, quæ necessariò tollitur per concomitantiam personæ comproducentis. Vt si à Deo prę scindas voluntatem, non eo ipso per locum intrinsecum tollitur intellectus, nisi tantùm per necessariam connexionem, quam intellectus habet cum voluntate: quæ connexio potest esse maior, aut minor, iuxta maiorem, aut minorem connexionem, quam habent perfectiones ipsæ inter se: maiorem quippe connexionem habet intellectus cum voluntate, quàm cum omnipotentia, & maiorem voluntas cum intellectu, quàm intellectus cum voluntate, saltem secundùm nostrā intelligibilitatem, licet à parte rei eandem omnes habeant in Deo connexionem, cùm omnes identificentur in vna simplicissima & indiuisibili formalitate. Cæterùm præsens quæstio non est, vtrum mediatè & per locum extrinsecum, sublata vna persona conspirante; tolleretur sufficiens principium spirandi; sed an tantùm immediatè, & per locum intrinsecum: alioqui nunquam possemus per huiusmodi hypotheses, immediatas & formales rationes in Deo indagare, nam quacunque sublata, mediatè & concomitanter tollerentur & reliquę, ob essentialem & quidditatiuam connexionem, quam omnes & singulæ inter se habent. His præmissis,

128. Dico 1. Spiritus sanctus ex vi proprietatis personalis quam de facto habet, per se postulat procedere à Patre & Filio, vt distinctis suppositis. Fundamentum est, quia tunc terminus per se postulat procedere ab aliquo, quando eo sublato, aut mutato, tollitur, aut mutatur ipse terminus quoad aliquam perfectionem intrinsecam: atqui si Spiritus sanctus non procederet à Patre & Filio, tolleretur, aut saltem mutaretur quidditatiua perfectio Spiritus sancti: ergo. Maior constat, nam omnis exigentia termini à principio est propter aliquod esse, quod ab illo accipit: igitur si Spiritus sanctus per se exigit Patrem & Filium, vt duo distincta suppositа, est propter aliquam perfectionem, quam accipit ab illis. Minor probatur, quoniam si Spiritus sanctus non procederet à Patre & Filio, necessariò variaretur principium communicatiuum ipsius: variato autem principio communicatiuo, necessariò variaretur persona ipsa Spiritus sancti, tam quoad esse absolutum, quod vi propriæ originis postulat, quàm quoad esse respectiuum, quo cōstituitur in es-

se personali distincto. Sequelam maioris probo. Etenim si Spiritus sanctus procederet ab vno tantùm suppositо, vel esset, quia vnum tantùm esset suppositum in Deo, vel quia non omnia essent productiua; vel quia priùs origine Pater spiraret, quã generaret. Si primo modo, deesset vna ex tribus personis in Deo. Si secundo, & tertio, necessariò aliqua perfectio mutaretur in Deo. Ex quo vlteriùs sequeretur, mutari proximum principium communicatiuum Spiritus sancti: nam hoc est amor essentię, & omnium personarum, ac perfectionum diuinarum. Sed eo ipso quòd tolleretur, aut mutaretur aliqua perfectio diuina, mutaretur talis amor, quia non haberet idem obiectum, quod nunc habet; & consequenter mutaretur proximum principium communicatiuum Spiritus sancti, quod in tali amore consistit: ac proinde variaretur persona ipsa Spiritus sancti, non solùm quoad esse absolutum, quod vi proprię originis de facto postulat, sed etiam quoad esse respectiuum: quoniam ipsa respectiua proprietas personalis quidditatiuè postulat, talem modum communicationis, quo variato, immediatè & per se variaretur personalitas ipsa.

*Richardus Victorinus.*

129 Huc tendit ratio illa Richardi Victorini, Spiritum sanctum per se exigere duo suppositа distincta, quia procedit vt amor mutuus, qui inter duos ad minimum versari debet; non quòd aliquis amor sit in Patre amante, qui non sit in Filio redamante, aut contra, aliquis amor sit in Filio redamante, qui non sit in Patre amante: sed quòd idem amor, quo Pater se, suamque essentiam & reliquas personas amat, communicatur Filio; quo pariter amat Patrem, diuinam essentiam, seipsum, & Spiritum sanctum: vnus enim & idem amor, vt est Patris, dicitur amantis, vt est Filij, dicitur redamantis. Quare istæ denominationes amantis, & redamantis, supra amorem communem & essentialem, non addunt in Deo, nisi solam connotationem diuersarum personarum, in quibus est. Qui amor dicitur etiam concors, quatenus determinatus proprietate spiratiua existente in Patre & Filio, vna eademque concordi voluntate vtriusque prorumpit in actum spirandi.

130. Confirmatur, quoniam si Spiritus sanctus procederet à solo Patre, non distingueretur à Filio: atque adeo non procederet cum ea proprietate personali, qua nunc procedit. Si à solo Filio, ideo esset, quia Pater priùs origine spiraret, quàm generaret; vnde priùs Pater esset constitutus in ratione personæ per spirationem actiuam, quàm per paternitatem; quia non posset spirare Spiritum sanctum, nisi supponeretur persona constituta: atqui tunc non posset supponi persona constituta per paternitatem, tum quia hanc in eo casu communicaret Spiritui sancto: cum quo simul Verbum gigneret, non minùs quàm nunc communicat spirationem actiuam Filio, cum quo simul spirat Spiritum sanctum. Tum quia tunc paternitas esset posterior spiratione actiua: ergo non posset constituere personam Patris, sed illam potiùs constitueret spiratio actiua: nam proprietas personalis debet præcedere omnem aliam proprietatem, cùm sit primum complementum naturæ in ordine ad omnes operationes ipsius.

131. Dico 2. Spiritus sanctus vi suæ proprietatis personalis per se respicit Patrem & Filium, non tantùm sub ratione spiratoris, sed etiam sub ratione Patris & Filij, vt distincta suppositа sunt; non quidem vt correlatiua formaliter, sed vt correlatiua radicaliter seu virtualiter. Assertio hæc colligitur ex Concilio Toletan. vndecimo in professione Fidei; vbi, *In relatiuis*, inquit, *personarum nominibus Pater ad Filium, & Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad vtrosque refertur.* Et paulò pòst simul cum ipsa conclusione assignat etiam rationem: *Similiter*, inquit, *Spiritus sanctus non ad se, sed ad Patrem & Filium relatiuè refertur in eo, quod Spiritus Patris, & Filij prædicatur.* *Conc. Toletanum 11*

132. Nec dici potest, quòd Concilium intelligat, quòd Spiritus sanctus referatur ad Patrem & Filium sub ratione tantùm spiratoris. Quia cùm suam Concilium propositionem non limitet, non est cur illam nos limitemus: præsertim cùm id etiam ratio ipsa suadeat, quæ talis est. Ad omne id per se refertur terminus sine quo simpliciter nõ potest suum esse habere. Atqui non potest Spiritus S. sine paternitate & filiatione simpliciter suum esse habere: ergo ad illos per se refertur Spiritus sanctus. Maior probatur, nam ideo terminus per se refertur ad suum proximum principium, quia ab illo habet esse, & sine quo non potest simpliciter existere. Minorem ostendo, quoniam spiratio actiua non est potens spirare, nisi supponatur perfectè existens; cùm nulla res sit potens perficere aliud à se nisi supponatur perfecta in se; quia vnumquodque priùs ordinatur ad seipsum, quàm ad aliud à se. Spiratio autem perfectè existit in Patre & Filio; quia cùm ipsa non sit relatio subsistens, non potest perfectè existere, nisi per subsistentiam Patris & Filij, cum quibus identificatur. Igitur cùm relatio paternitatis & filiationis compleat spirationem actiuam in ratione perfectè existentis, consequenter complet illam in ratione principij, non quidem formalis & proximi, sed radicalis & remoti. Atque adeo Spiritus sanctus per se refertur ad illos, non sub ratione principij formalis & proximi, sed radicalis & remoti.

133. Atque hinc eruitur discrimen inter principium creatiuum ad extra, & spiratiuum ad intra, cur non eodem modo illud requirat Trinitatem personarum ad creandum, sicut hoc dualitatem suppositorum ad spirandum; atque adeò cur non eadẽ perfeitate creaturæ respiciant Trinitatem personarum, qua Spiritus sanctus respicit dualitatem suppositorum. Quia nimirum principium creatiuum est natura diuina, quæ etiam præcisa à subsistentijs relatiuis est perfectè existens, cùm ab illis

non re-

non recipiat rationem existendi, sed solam incommunicabilitatem. At verò principium spiratiuum est spiratio actiua, quæ præcisa à subsistentijs Patris & Filij non est perfectè existens; cùm non sit relatio personalis per se subsistens, sed tantùm inexistens.

134. Eruitur etiam disparitas, cur operatio creata non respiciat per se suppositum creatum, nec effectus creatus ab accidente productus per se respiciat subiectum, à quo accidens in suo esse completur. Cùm non minùs suppositum creatum compleat existentiam naturæ creatæ, quæ sola est formale principium operandi; nec non subiectum creatum existentiam accidentis, quod similiter solùm est principium proximum agendi: quam suppositum Patris & Filij compleat existentiam spirationis actiuæ, quæ sola est proximum & formale principium spirandi. Disparitas autem est, quoniam & operatio creata, diuinitus saltem, esse potest à natura creata omni supposito spoliata; & effectus creatus ab accidente ab omni subiecto separato: nullo autem pacto intelligi potest, Spiritum sanctum esse à virtute spiratiua, nisi vt in Patre & Filio subsistente.

135. Quoniam verò dicere quis posset, esto vt spiratio actiua sit potens spirare, debeat subsistere, non tamen est necessarium, vt subsistat in vt vtroque, sed sufficit si in alterutro tantùm subsistat: nam in alterutro posset completè subsistere, quia in alterutro est perfecta subsistentia: ideo addo secundam rationem, cur Spiritus sanctus vi suæ proprietatis personalis per se respiciat Patrem & Filium, vt distincta suppositа: quia vi suę proprietatis personalis respicit illa, vt obiecta mutui amoris, quem de facto vi proprię processionis accipit. Nam, licet ad illa vt sic non dicat ordinem realem, sed tantùm rationis, eò quòd ab illis, vt ab obiectis non distinguitur, hoc ipso tamen, quod hæc personalitas connotat talem modum communicationis duorum suppositorum, per modum obiecti mutui amoris, aliter terminatur ad suppositа ipsa, vt principia sunt talis communicationis.

136. Quòd autem Spiritus sanctus Patrem & Filium respiciat, vt distincta suppositа, non vt correlatiua formaliter, sed vt correlatiua tantùm radicaliter seu virtualiter, inde constat quoniam id tantùm respicit terminus vt correlatiuum formale, quod respicit vt proximum principium sui. Atqui Spiritus sanctus non respicit Patrem & Filium, vt distincta suppositа, vt proximum principium sui, sed tantùm vt radicale & personale. Igitur non potest respicere illa, tanquam distincta suppositа, vt correlatiua formaliter, sed tantùm vt correlatiua radicaliter. Minor constat, quia Pater & Filius non sunt proximum principium spirandi per paternitatem & filiationem, quo pacto sunt distincta suppositа, sed per spirationem communem, quomodo sunt vnum principium spiratiuum. Maior probatur, nam id tantùm respicit terminus, vt correlatiuum formale, quod est proximum fundamentum oppositæ correlationis. Atqui id tantùm est proximum fundamentum oppositæ correlationis, quod est proximum principium productionis, quæ est proxima ratio fundandi oppositam correlationem.

137. Ex dictis colligitur, consimili relatione virtuali seu radicali Patrem & Filium, vt distincta suppositа referri ad Spiritum sanctum, qua Spiritus sanctus refertur ad Patrem & Filium. Cuius ratio est, quia vbi extrema sunt eiusdem ordinis; si relatio resultat in vno extremo, resultat & in altero: & qua ratione, resultat in vno, eadem resultat & in altero: sed Spiritus sanctus non solùm habet relationem formalem ad Patrem & Filium, tanquam ad vnum spiratorem, sed etiam radicalem ad eosdem, tanquam ad distincta suppositа. Ergo non solùm Pater & Filius, tanquam vnus Spirator habent formalem relationem ad Spiritum sanctum; sed etiam vt distincta suppositа habebunt radicalem relationem ad eundem. Confirmatur, nam hanc duplicem eiusdem relationis formalitatem fundat Spiritus sanctus ad Patrem & Filium, quatenus respicit illos, & sub ratione principij formalis proximi, & sub ratione principij radicalis remoti. Atqui eodem modo Pater & Filius respiciunt Spiritum sanctum, & sub ratione principij formalis proximi per virtutem spiratiuam, & sub ratione principij radicalis remoti per paternitatem & filiationem. Ergo eodem modo & ipsi fundabunt hanc duplicem eiusdem relationis formalitatem, formalem, & radicalem ad Spiritum sanctum.

138. Ad argumenta oppositæ sententiæ. Ad primum distinguo antecedens: totum principium productiuum Spiritus sancti est in Patre & totum in Filio subiectiuè, concedo; obiectiuè, nego. Cùm enim principium productiuum Spiritus sancti essentialiter includat principium communicatiuum, principium autem communicatiuum Spiritus sancti sit amor essentię, personarum, & omnium diuinarum perfectionum, per modum obiecti amati; licet in Patre sit totus amor subiectiuè, non est tamen totus obiectiuè; quia vt obiectum amatum includit etiam Filium & Spiritum sanctum, vt distincta suppositа à Patre: similiter licet in Filio sit totus amor subiectiuè, non est tamen totus obiectiuè, quia includit etiam Patrem & Spiritum sanctum, vt distinctas personas. Vnde si solus Pater, aut solus Filius, spiraret mutaretur obiectum talis amoris, quia non potest solus Pater, aut solus Filius spirare; nisi facta aliqua mutatione in diuinis perfectionibus: qua mutatione facta, statim mutaretur obiectum diuini amoris, atque adeo principium ipsum communicatiuum Spiritus sancti. Negandum igitur est, terminum habere esse tantùm à principio productiuo, prout condistinguitur à communicatiuo. Et consequenter, quæ conferunt ad princi-

pium communicatiuum, non per accidens & concomitanter, sed per se & formaliter se habent ad esse termini. Ad probationem verò antecedentis, eodem modo distinguenda est minor; quòd totus amor notionalis reperiatur in Patre, & totus in Filio subiectiuè, non autem obiectiuè.

139. Ad secundum negatur Maior: cuius discriminis ratio est, quia principium creatiuum saluatur integrè & perfectè quoad omnia in sola natura diuina, etiam vt præcisa à subsistentiis relatiuis. Duo quippe sunt, quæ principium cratiuum requirit, perfecta existentia, & integra virtus productiua: hæc duo habet Deus ratione solius naturæ præcisæ à qualibet subsistentia relatiua: nam & illa seipsa perfectissimè existit, & omnia potest; quia à personis non accipit vim producendi, nec rationem exemplaris, à quo ad producendum Deus determinatur; cùm ipsa essentia sit perfectissimum exemplar omnium producendorum. Dices. Saltem determinatur à personis increatis ad producendas personas creatas. Sed negatur assumptum: Quia in sola essentia eminenter continentur omnia creabilia: atque adeo in ratione exemplaris non determinatur à personis, sed à sola essentia.

140. Ad tertium. Concedo vim spiratiuam non accipere à paternitate & filiatione vim productiuam, accipere tamen tum vim communicatiuam, tum perfectam existentiam. Ad probationem verò minoris Resp. vim spiratiuam non accipere quamcumque rationem subsistendi à Patre & Filio, sed talem sine qua omnino repugnat, illam exire posse in actum spirandi.

141. Ad Quartum. Nego consequentiam, nam intellectus non supponit aliam potentiam, vt possit in actum suum exire: contrà verò, vt voluntas possit in actum suum exire, supponit Verbum, à quo virtus spiratiua completur in ratione principij communicatiui, vt ex dictis constat.

142. Ex dictis facilè erit vnicuique iudicium ferre de singulis modis, quibus alij hanc sententiam probant. Plerique enim re ipsa nobiscum conueniunt; etsi in modo explicandi discrepent. Illud autem, quod vltimo loco additur, posse Spiritum sanctum vi alterius personalitatis ab vna tantùm persona diuina procedere; atque adeo licet vi huius numero personalitatis per se petat procedere à duobus, simpliciter tamen non repugnat, illum intelligere, ab vno tantùm procedere; cùm procedat ex hypothesi omnino impossibili, & nullo pacto conferat ad intelligendam formalitatem propriæ personalitatis, qua de facto tertia Trinitatis persona constituitur, non censeo dignum Theologico labore, qui tantùm impendi debet in explicandis mysterijs fidei, & eatenus ad huiusmodi hypotheses diuertere, quatenus per illas altiùs mysteria ipsa fidei penetrantur.

## SECTIO VII.

### *An Spiritus sanctus sit formaliter donum, eiq; soli proprium?*

143. SPIRITVM sanctum esse donum, constat ex varijs scripturæ locis, Actor. 2. *Accipietis donum Spiritus sancti*: & Actor. 8. *Pecunia tua*, inquit Petrus Simoni Mago, *tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Quòd autem *Donum Dei* hîc intelligatur pro Spiritu sancto, constat ex textu ipso, *Cùm vidisset*, inquit *Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens, date & mihi hanc potestatem, vt cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum.* Et ecclesia in hymno Pentecostes Spiritum sanctum appellat *donum Dei altissimi.* Idem passim docent Patres, inter quos vberrimè Aug. in suis liberis de Trinitate. *Act. 2. & 8* *In hymno Pentecostes, Spiritus S. appellatur Donum. August.*

144. Hinc grauis insurgit difficultas, an hoc nomen conueniat Spiritui sancto propriè, an tantùm appropriatè. Ratio difficultatis est multiplex: Prima, quia *donum*, vt Philosophus definit, 4. Topic. 4. *est irredibilis donatio*: hoc est, vt S. Thomas explicat 1. p. q. 38. ar. 2. liberalis & gratuita donatio, absque intentione retributionis facta. Atqui nulla persona in diuinis procedit liberè & gratuitò, sed necessariò & naturaliter. Ergo nulla persona in diuinis est propriè donum. *Aristoteles. S. Thomas.*

145. SECVNDA, quia, vt constat ex eodem Philosopho, inter donum, donatorem, & cui datur intercedit realis distinctio: nam donum alicuius donum dicitur: Sed Spiritus sanctus, etsi distinguatur à Patre & Filio, à quibus procedit, non tamen distinguitur à seipso, quatenus accipit donum. *Aristotelet.*

146. Confirmatur, quia Spiritus sanctus vel est donum respectu sui ipsius, vel respectu alterius personæ diuinę: non respectu sui ipsius, quia nullum donum dicitur respectu sui; non respectu alterius personæ diuinæ, quia vel hęc esset Filius, quatenus Spiritus sanctus datur à Patre in donum Filio; vel Pater, quatenus datur à Filio in donum Patri per reciprocum amorem: atqui neutrum dici potest: ergo. Minor probatur, tum quia inter dantem, & cui datur intercedere debet realis distinctio. Inter Patrem autem, & Filium in ratione spirantis, seu dantis Spiritum S. nulla intercedit realis distinctio. Tum quia si Spiritus S. diceretur dari Filio à Patre, & è conuerso propter solam essentiæ identitatem, & circuminsessionem personarum; pari modo dici posset, Patrem & Filium dari Spiritui sancto, ob eandem essentiæ identitatem, & personarum circuminsessionem.

147. TERTIA ratio dubitandi est, quia vel Spiritus sanctus dicitur donũ respectu principij, à quo per originem, tanquam per do-

nationem

nationem accipit esse; vel respectu creaturarum, quibus donari potest. At non solùm Spiritus sanctus, verùm etiam Filius per originem accipit esse à Patre; & de facto datus est nobis, non solùm per gratiam & merita, sed etiam per vnionem hypostaticam. Ergo non solùm Spiritus sanctus, sed etiam Filius est donum.

148. QVARTA. Vnica est proprietas cõstitutiua Spiritus S. sed hæc est passiua spiratio: ergo non est donatio, quatenus diuersa est à passiua spiratione. Confirmatur, quia vel donatio sumitur passiuè pro ipsa passiua processione Spiritus sancti, vel actiuè pro actuali, vel aptitudinali donatione, qua Spiritus S. aptus est alteri donari. Primo modo recurrit cum ipsa passiua spiratione: secundo modo, quia repugnat eandem personam constitui oppositis relationibus: sed donatio actiua & passiua sunt oppositæ relationes, non minùs quàm spiratio actiua & passiua: igitur repugnat, per eas constitui personam Spiritus sancti.

149. QVINTA. Omne donum dicitur per ordinem ad possessorem: est enim donum alicuius possessoris donum: atqui possessio correlatiuè respicit subiectionem; hæc autem imperfectionem importat: non igitur in Deo esse potest.

*Durandus.* 150. PRIMA sententia est Durandi in 1. distinct. 18. quæst. 1. negantis, donum conuenire Spiritui sancto propriè, sed tantùm appropriatè. Fundamentum ipsius est, quoniam nulla ratio doni in diuinis reperiri potest, nisi per ordinem ad creaturas, quibus tantùm liberaliter Deus communicari potest: cùm ad intra nulla sit communicatio, nisi naturalis ac summè necessaria; ratio autem doni quidditatiuè postulat communicationem liberam donantis. Atqui per ordinem ad creaturas non magis est communicabilis Spiritus sanctus, quàm reliquæ personę, imò quàm ipsamet diuina essentia. Ergo ratio doni non magis conuenit Spiritui sancto, quàm reliquis personis, atque ipsimet diuinæ essentiæ. Ratio verò appropriationis est, quia omnis liberalis communicatio, quæ ad donum præexigitur, procedit ex radice amoris, qui est actus voluntatis. Quare illi tantùm personæ appropriari potest, quæ procedit per actum voluntatis: hæc autem est sola persona Spiritus sancti: ergo.

*Magister. S. Thomas. Syluius, Reliqui Scholastici.* 151. SECVNDA sententia est reliquorum Scholasticorum cum Magistro in 1. dist. 18. nec non S. Thomæ 1. p. qu. 38. Syluij & reliquorum Theologorum affirmantium, soli Spiritui sancto vi suæ processionis formalis conuenire veram ac propriam rationem doni. Quin Durandi sententiam doctissimi recentiores cum Carthusiano in 1. dist. 18. qu. 2. vt erroneam, aut certè vt temerariam damnant. Et meritò, cùm sit contra omnes Scholasticos & Patres, præsertim Augustinum, qui omnium clarissimè hanc veritatem expressit 5. de Trinit. c. 11. *Ille*, inquit, *Spiritus sanctus, qui non est Trinitas, sed in Trinitate intelligitur, in eo quod propriè dicitur Spiritus sanctus, relatiuè datur, cùm ad Patrem & Filium refertur, quia Spiritus sanctus & Patris & Filij Spiritus sanctus est. Sed ipsa relatio non apparet in hoc nomine, apparet autem, cùm dicitur donum Dei. Donum enim est Patris & Filij.* Vbi sic tandem concludit: *Donum ergo donatoris, & donator doni, cùm dicimus, relatiuè vtrũque ad inuicem dicimus.* Et lib. 7. c. 4. *Spiritus sanctus propria significatione, qua etiam donũ Dei dicitur, nec Pater nec Filius est.* Vbi nota, Spiritum S. ab August. appellari donum Dei, *propria*, nõ *appropriata significatione.* Et c. 6. *Sicut Verbũ*, inquit, *quod non dicitur nisi Filius, aut donum, quod non dicitur nisi Spiritus Sanctus.* Et vt expressiùs significaret *doni proprietatem* solius Spiritus sancti characteristicam notam esse lib. 4. c. 20. docet, eam Spiritui sancto vi suę processionis competere: *Sicut*, inquit, *Spiritui S. donum Dei esse, est à Patre procedere, ita mitti est cognosci quod ab alio procedat.* Quidquid autem personæ diuinæ competit vi propriæ processionis, competit illi vt characteristica proprietas: nam sicut vna persona diuina distinguitur ab alia vi propriæ processionis: ita quidquid vi proprię processionis illi competit, est propria nota & characteristica proprietas illius.

152. Secundò probatur hęc veritas à priori, hoc pacto. Solus Spiritus sanctus vi suę originis habet intrinsecam & quidditatiuâ rationem doni: ergo soli Spiritui sancto competit vera & propria ratio doni. Consequentia patet ex dictis, quia quidquid habet vna persona vi suæ originis, habet vt proprium constitutiuũ sui, & condistinctiuum ad omni alia persona: quia sicut personæ diuinæ distinguuntur inter se in fieri per origines, ita & in facto esse per proprietates cõsequentes origines. Antecedẽs autem probo: nam quidditatiua ratio doni cõsistit in liberali & gratuita donatione. Solus autem Spiritus S. vi suæ originis procedit vt liberalis & gratuita donatio; non quidem respectu sui, sed respectu creaturarum, quibus liberè donatur. Igitur solus Spiritus S. vi suæ originis habet, quidditatiuam rationem doni. Maior est ipsa definitio doni ab Arist. tradita, & ab omnibus Theologis recepta. *Aristoteles.* Minor probatur, quia solus Spiritus S. vi suæ originis procedit vt amor, non solùm vt necessariò communicatus ad intra, sed etiam vt liberè & gratuitò communicabilis ad extra. Ergo solus Spiritus S. vi suæ originis procedit vt donum. Consequentia patet, quoniam Amor est primum donũ, quod amãs simul cum re donat amato, & quo mediante cætera donat. Igitur si Spiritus S. vi suæ originis procedit vt amor, non solùm vt necessariò communicatus ad intra, verũ etiam vt liberè cõmunicabilis ad extra, procedit vt donum, siue potiùs vt ipsamet formalis ratio donandi. Antecedens probatur, quia Deus non alio amore communicat seipsum Spiritui sancto necessariò ad intra, & creaturis liberè ad extra; sed eodẽ prorsus indiuisibili amore & communicat se Spiritui S. necessariò ad intra, & creaturis liberè ad extra; cùm in Deo actus liber non distinguatur

à necessario, nisi penes connotatum extrinsecum. Igitur si Spiritus sanctus vi suæ processionis procedit vt amor increatus, non solùm procedit vt amor necessariò communicatus ad intra, sed etiam vt liberè communicabilis ad extra. Consequentia probatur, quia procedit vt amor comprehensiuus & adæquatus; ergo secundùm omnem perfectionem quidditatiuè inclusam in ipso amore diuino. Libera autem communicabilitas ad extra, est intrinseca & quidditatiua perfectio amoris diuini: nam, licet actualis communicatio libera, non sit intrinseca & quidditatiua perfectio amoris diuini, est tamen intrinseca & quidditatiua perfectio ipsa aptitudinalis communicatio. Spiritus autem sanctus non est donum formaliter per actualem, sed per aptitudinalem communicationem ad extra, quam habuisset, etiamsi nulli creaturæ se liberè communicasset. Vt enim rectè Augustinus 5. de Trinit. c. 15. Spiritus sanctus *sic procedebat, vt esset donabile, iam donum erat & antequam esset, cui daretur. Aliter enim*, inquit, *intelligitur, cùm dicitur donum, aliter cùm dicitur donatum. Nam donum potest esse, antequam detur: donatum autem, nisi datum fuerit, nullo modo dici potest.*

*Augusti.*

153. Confirmatur. Ita se habet Spiritus sanctus respectu suæ processionis, sicut Verbum respectu suæ generationis: sed Verbum, ex eo quòd procedit vi intellectionis diuinæ comprehensiuæ, non solùm procedit, vt necessariò exprimens essentiam, personas, creaturasque possibiles, sed etiam vt liberè expressiuum futurarum: ergo Spiritus sanctus, ex eo quòd procedit vi dilectionis Diuinæ comprehensiuæ, non solùm procedit vt necessariò terminatus ad essentiam, personas, creaturasque possibiles per modum simplicis complacentiæ, sed etiam vt liberè terminabilis, ad futuras per modum efficacis amoris. Vnde sicut aptitudo ad exprimendas quascunque creaturas futuras, est propria & characteristica nota Verbi, quam ab æterno habuisset, etiamsi nullæ in tempore futuræ fuissent creaturæ, ita aptitudo ad communicandum se creaturis futuris, est propria & characteristica nota Spiritus sancti, quam ab æterno habuisset, etiamsi nullæ futuræ fuissent creaturæ, quibus actu se communicasset.

154. Ex dictis deducitur 1. Id, quod constituit Spiritum sanctum donum formaliter, non esse relationem aliquam realem, aut rationis ad creaturas, quibus liberè communicari potest; cùm nullam Deus habeat relationem realem ad creaturas, nec sola rationis sufficiat, cùm Spiritus sanctus independenter ab omni intellectu procedat vt donum; sed esse proprietatem realem, qua à Patre & Filio procedit, vt aptus donari; quæ tantùm inadæquatè & per explicitum conceptum distinguitur à Spiratione passiua. Nam hæc explicitè tantùm dicit relationem spirati ad Patrem & Filium sub ratione Spiratoris; illa ad originem passiuam, quam essentialiter includit donum in diuinis propriè dictum, superaddit intrinsecam aptitudinem, qua liberè donari possit creaturis rationalibus: quæ aptitudo etsi à nobis explicari nequeat, absque ordine ad creaturas, in se tamen nullum intrinsecum ordinem ad creaturas dicit, sed solùm eas connotatiuè importat, vt terminos extrinsecos eo modo, quo omnipotentia importat effectus producibiles. Porrò Spiritus sanctus duplicem respectum dicit ad creaturas, alterum ad possibiles sub ratione simplicis, necessariæ tamen complacentiæ, ex quarum amore, tanquam ex propria origine procedit; alterum ad futuras, sub ratione efficacis, & liberi amoris, quibus in tempore donatur per gratuitam donorum communicationem. Priorem respectum importat necessariò & per se, posteriorem verò liberè & concomitanter. Sicut Verbum respectum ad creaturas possibiles importat necessariò & per se, vtpote ex quarum cognitione, tanquam ex propria origine procedit; ad futuras verò non nisi liberè & concomitanter: vtpote sine quarum cognitione procedere potuisset eodem modo perfectum, ac procedit nunc cum earum tantùm concomitante notitia.

155. Deducitur secundò. Spiritum sanctum non solùm procedere, vt donum Patris & Filij liberaliter communicabile creaturis, sed etiam vt donatorem donorum. Procedit autem vt donum donatoris, quatenus est primum donum, quod simul cum ipso dono creato à Patre & Filio, donabile est creaturis. Etenim quemadmodum creatura, dando aliquod donum, simul cum ipso donat suum amorem, tanquam primum donum, & rationem ipsam formalem donandi, quæ simul cum re ipsa donanda constituit donum formaliter, & sine qua res ipsa, quæ donatur, non esset donum formaliter; Ita Deus, donando aliquod donum creaturæ, simul cum ipso dono creato donat amorem suum increatum, tanquam primum donum, & rationem ipsam formalem donandi, sine qua illud, quod donatur, non esset donum formaliter. Dat autem Deus amorem suum increatum simul cum ipso dono creato, non subiectiuè, & secundùm se, sed vt liberè terminatum ad rem ipsam, quam liberaliter communicat creaturæ. Nam hoc ipso, quod illi donat rem liberaliter, donat illi cum re ipsa amorem suum, vt liberè terminatum ad talem rem.

156. Procedit verò idem Spiritus, vt donator doni, quia, cùm sit amor personaliter subsistens, non solùm est ratio, qua formaliter donantur omnia dona, sed etiam est author ipse donorum: idque ex peculiari sua proprietate, qua est amor, & donum personale. Sicut Verbum non modò est ars, & ratio omnium faciendorum, quatenus est increata sapientia, in qua relucent ideæ omnium rerum: verùm etiam est author, & opifex omnium operandorum, quatenus personalis sapientia est; quæ vt est ars increata, ei peculiariter conuenit concurrere ad omnia opera fabricanda. Verùm

da. Verùm prior respectus doni à donatore, quia immediatè fundatur in ipsa processione passiua, est proprius & characteristicus Spiritus sancti. Posterior verò respectus donatoris, quia immediatè fundatur in ipso amore essentiali, quo vniuersa Trinitas cum donis ipsis creatis simul donat amorem suum increatum, non est illi proprius, sed appropriatus, cùm sit illi communis cum reliquis personis. Sicut & respectus, quem habet Verbum, vt supremus artifex operum fabricandorum, non est illius proprius, sed appropriatus & communis cum reliquis Diuinis personis.

157. Deducitur 3. Quo pacto Spiritus sanctus sit primum donum; tum quia est primum simpliciter, ante quod nullum omnino præcedit: vnde sicut Deus est primum ens, eiusque Verbum, primum Verbum; quia & Deus in ratione entis, & ipsius Verbum in ratione Verbi, est primum simpliciter, ante quod nullum omninò ens, aut Verbum præcedit, vel præcedere potest: ita Spiritus sanctus, quia in ratione doni, est primum simpliciter, quod Pater & Filius ad intra producunt, ante quod nullum omnino præcedit, nec præcedere potest, est omnium donorum iure primum. Tum quia est ratio formalis omnium donorum: nam eatenus reliqua, quæ à Deo donantur, habent rationem doni, quatenus ab hoc vno, quod est Spiritus sanctus, accipiunt formalem denominationem doni. Propter quod S. Bonauentura in 1. dist. 18. q. 1. Spiritum sanctum appellat exemplar omnium donorum: quia primum in vnoquoque genere est exemplar reliquorum in eodem genere.

*Bonauent.*

158. Deducitur 4. Cur Filio non competat propria ratio doni, etiamsi sit donabilis, & de facto datus nobis: quia nimirum vi suæ processionis non procedit, vt primum donum & ratio ipsa formalis donandi. Etenim id tantùm procedit vt primum donum, & ratio ipsa formalis donandi, quod vi suę processionis procedit, vt prima & formalis ratio dandi cætera: hic autem est solus amor, vi cuius tantùm procedit Spiritus sanctus. Quia cùm solus amor sit formaliter liber, à quo cætera extrinsecè tantùm denominantur libera, solus amor est prima, & formalis ratio liberalitatis in cęteris donis; donum enim in liberalitate fundatur: liberalitas autem in solo actu libero formaliter reperitur: nam ille liberaliter donat, qui liberè; eoque donat liberaliùs, quò liberius. Cùm igitur Filius vi suæ processionis non procedat vt Amor, sed vt Verbum, non poterit ei quidditatiua ratio doni formaliter & intrinsecè, sed concomitanter & extrinsecè conuenire, per ipsam scilicet formalem rationem amoris, quæ cùm non sit propria & formalis origo Filij, sed tantùm concomitanter ei communicetur cum ipsa intellectione, quæ tantùm est propria & formalis origo ipsius, non poterit ex vi processionis formalis quidditatiua ratio doni formaliter & ab intrinseco conuenire, sed tantùm concomitanter & ab extrinseco, sicut conuenit cæteris donis, quæ formalem rationem doni sortiuntur à prima & formali ratione doni, quod est liberalis amor.

159. Deducitur 5. Vnde habeat Spiritus sanctus propriam rationem doni, ex amore essentialine, an ex notionali? Aliqui putant, id habere ex amore essentiali. Fundamentum esse potest, quia inde habet propriam rationem doni, vnde habet, vt sit liberaliter donabilis creaturis: est autem liberaliter donabilis creaturis non ex amore notionali, sed ex essentiali: nam ex eo habet, vt sit liberaliter donabilis creaturis, ex quo habet, vt ijsdem actu liberaliter donetur: atqui ex amore essentiali, nō ex notionali actu liberaliter donatur creaturis: quia principium donandi ad extra est actus Dei liber: hic autem non est amor notionalis, qui necessarius est, & proprius vnius personę, sed essentialis, & commnis toti sacratissimæ Trinitati.

160. Ego verò censeo, propriam rationem doni Spiritum sanctum completè habere ex vtroque amore, essentiali, & notionali simul; ex illo inchoatiuè, ex isto completiuè; non minùs quàm Verbum propriam rationem imaginis habet ex intellectione essentiali, & notionali simul. Cuius ratio est, quia sicut imago requirit realem distinctionem ab exemplari, vnde exprimitur: ita donum ab authore, à quo donatur. Est enim donum, vt Aristoteles definit, *alicuius alicui donum:* & vt Augustinus testatur, 5. de Trinitate cap. 14. donum est id, quod refertur ad eum, qui dedit, & ad eos, quibus datur: ergo donum duplicem requirit distinctionem, & ab eo, à quo donatur, & ab eo, cui datur: atqui essentialis amor non distinguitur à Patre & Filio, qui sunt donatores huius doni: igitur ab eo non potest Spiritus sanctus habere propriam rationem doni: habet igitur complete ab amore notionali passiuo, qui realiter distinguitur à Patre & Filio, & in Spiritu ipso constituit quidditatiuam rationem doni.

*Aristoteles. August.*

161. Quare ad fundamentum oppositę sententiæ, distinguo maiorem: ab eo habet Spiritus sanctus propriam rationem doni, à quo habet, vt sit liberaliter donabilis creaturis effectiuè, nego; à quo habet, vt sit liberaliter donabilis formaliter, concedo. Porrò Spiritus sanctus, licet sit liberaliter donabilis effectiuè ab amore essentiali; quoniam hic solus est principium donandi ad extra omnia dona creata, cum quibus per modum primi doni, & rationis formalis donandi donatur ipse amor: est tamen liberaliter donabilis formaliter per amorem notionalem, quia hic tantùm realiter illum distinguit ab ipso donatore. Quòd autem Spiritus sanctus habeat veram rationem doni, à quo formaliter, non autem à quo effectiuè habet, vt sit liberaliter donabilis, constat: quia donū non est tale formaliter per respectum extrinsecum, sed per proprietatem intrinsecam: igitur non potest per respectum ad efficiens, qui extrinsecus est, sed per proprietatem, & relationem intrinse-

cam, licet cum ordine ad extrinsecum donatorem.

162. DICES. Id constituit Spiritum sanctum donum formaliter, quod tanquam ratio donandi simul cum re ipsa creata: hic autem est amor liber, quia hic tantùm dari potest per modum liberæ terminationis ad extra. Respondeo negando minorem. Ad cuius probationem dico, quod quemadmodum donum duo requirit essentialiter, & liberam donabilitatem, & realem distinctionem à donatore: ita ab vtroque amore tam essentiali & libero, quàm notionali & necessario, habet veram & propriam rationem doni.

163. Deducitur sextò. Qua ratione dici possit, Spiritum sanctum sua processione esse donum. Etenim si propositio accipiatur in sensu formali, falsum est, Spiritum sanctum sua processione esse donum: quia sumpta propositio formaliter importat explicitam rationem, qua subiectum est tale formaliter. Vnde non dicitur Verbum generatione est Verbum, aut filiatione est Deus; sed sapientiâ est Verbum; generatione genitus, filiatione Filius; expressione imago; Deitate Deus. Ita nec Spiritus sanctus dici poterit processione donum, sed donabilitate donum, spiratione Spiritus. Si verò propositio sumatur in sensu originatiuo, verum erit dicere, Spiritus sanctus processione est donum; sicut & Verbum generatione est Verbum. Quia tunc sensus est, Spiritus sanctus processione habet esse donum; sicut & Verbum generatione habet esse Verbum, imaginem, Deum, & omnia, quæ habet. Et ratio est, quia origo non significatur, vt ratio formalis & intrinseca termino, sed vt via & tendentia ad illum.

164. Deducitur septimò. An dici posset Spiritus sanctus, *Noster Spiritus*, *Nostrum donum*. Ratio dubitandi est, quia sicut de Filio non dicitur, quòd sit *noster Filius*, *nostrum Verbum*, *nostra imago*: ita nec de Spiritu sancto, quòd sit *noster Spiritus*, *nostrum donum*. Ex alia verò parte de Patre dicitur, quòd sit *noster Pater*, *noster Deus*. Pro qua re notandum, pronomina *Nostrum* & *Meum* importare aliquam habitudinem causæ, vel effectus in eo, de quo talia pronomina dicuntur; vt *iste est meus pater*: *iste est meus filius*. Primum importat habitudinem principij secundùm effectus: Cùm autem quatuor sint causarum genera, quadruplicem habitudinem causæ, ac totidem effectus importare possunt, hæc pronomina in eo, de quo prædicantur, efficientis, ad quam reducitur exemplaris, finalis, materialis, & formalis, his positis,

165. Certa & vniuersalis regula est, quam tradunt S. Thomas in 1. dist. 18. qu. 1. art. 5. Bonaventura q. vlt. & reliqui Scholastici, ea nomina diuina admittere posse pronomina *Meum* & *Nostrum*, quæ efficientis & finalis causæ habitudinem important; non autem quæ important habitudinem causæ materialis, aut formalis, vel termini ad suum principium. Ratio regulæ est, quia vt pronomen verè de aliquo dici possit, de eodem verificari debet secundùm illum respectum & habitudinem, quam ex propria notione importat; alioqui non verè, sed falsò diceretur: ergo & *Deus*, & *Pater* & *Creator noster* dici potest, quia hæc nomina respectu nostri habitudinem important causæ efficientis. Item de Filio dici potest, quòd sit *noster Saluator*, *Redemptor*, *Magister*, *Legislator*; non autem *Filius*, *Verbum*, *Imago*: quia priora important habitudinem principij; posteriora verò termini ad principium: *Filius* enim refertur ad Patrem; *Verbum* ad proferentem; *Imago* ad producentem seu exprimentem. Eadem ratione de Spiritu sancto dici potest, quòd sit *noster Spiritus*, *Donum*, *Sanctificator*, *Rector*, *Custos*; non autem *Spiritus sanctus*, *amor*, *Spiratus*, *notionalis*, &c. Quoniam illa important habitudinem principij; hæc termini ad principium. Etenim nomen *Spiritus sancti*, vt rectè notauit sanctus Thomas loco præcitato ad secundum, est impositum ad significandam relationem termini ad principium spiratiuum: Nomen verò *Spiritus* ex propria notione admittere potest habitudinem principij, iuxta illud Ioan. 3. *Spiritus vbi vult, spirat*.

166. Ex his collige, nomina, quæ significant perfectiones diuinas in abstracto, non posse admittere pronomina *Nostrum* & *Meum*: quia ex modo significandi important habitudinem causæ formalis. Quare non dicitur *Deitas*, *æternitas*, *immensitas nostra*. Quòd si quando ab ecclesiasticis Doctoribus huiusmodi locutiones vsurpentur, vt de Christo Domino dicitur primæ Corinthiorum 1. *Factus est nobis Sapientia*, *Iustitia*, *Sanctificatio*, *Redemptio*, intelligendæ sunt exemplariter & effectiuè, non autem formaliter.

167. Ad primam rationem dubitandi patet ex dictis: non enim Spiritus sanctus dicitur donum formaliter per necessariam communicationem ad intra, sed per liberam communicabilitatem ad extra, quæ tamen fundatur in ipsa necessaria communicatione ad intra; quia nisi ad intra procederet, vt distincta persona ab ipso principo producente, non posset habere propriam rationem doni ad extra liberaliter communicabilis.

168. Ad secundam patet etiam ex dictis: quia licet Spiritus sanctus non distinguatur à seipso, respectu cuius non est, cui datur, sed quod datur, donumque ipsum formaliter alijs communicabile; distinguitur tamen à creaturis, quæ sunt terminus, cui hoc donum est liberaliter donabile. Ad confirm. Respondet Henricus in summa p. 2. artic. 61. quæst. 10. Ochamus & Gabriel in 1. dist. 18. Spiritum sanctum dici donum respectu Patris & Filij, quatenus à Patre per impensum amorem datur Filio, & vicissim à Filio per repensum amorem datur Patri, vt subsistat in eadem numero natura. Sed contrà, quia vt argumentum probat, eodem modo dici posset, Filium dari in donum Spiritui sancto, nam etiam Filius producitur à Patre, vt subsistens in eadem na-

S. Thomas. Bonauent. Reliqui Scholastici.

S. Thomas.

Ioan. 3.

1. Cor. 1.

Henricus. Ocham. Gabriel.

dem natura cum Spiritu sancto. Est igitur Spiritus sanctus donum solùm respectu creaturarum, quibus liberaliter tantùm est communicabile.

169. Ad tertiam rationem constat ex dictis, quare potiùs Spiritus sanctus, quàm Filius habeat formalem rationem doni: quia nimirũ solus Spiritus S. procedit formaliter vt amor, qui est primum donum, & ratio ipsa formalis donandi, qua cętera, quæ donantur, denominantur dona formaliter.

170. Ad quartam. Concedo proprietatem, qua constituitur Spiritus sanctus, esse vnicam formaliter, sed multiplicem virtualiter, & secundùm conceptus explicitos, non quidem adæquatos, vti est vnum attributum respectu alterius; sed inadæquatos, vti est vnum & idem attributum respectu sui ipsius, per ordinem ad plures conceptus inadęquatos explicitos. Constituit igitur ratio doni personam Spiritus sancti inadæquatè; sicut ratio imaginis personam Filij. Constituit autem illam non ratione connotati, quod in obliquo importat, sed ratione fundamenti, quod principialiter & in recto dicit: hoc autem est ipsa spiratio passiua, vt apta nata liberaliter communicari, quæ solùm secundùm conceptum explicitum, & inadæquatum distinguitur ab ipsa spiratione passiua.

171. Ad confirmationem nego, donationem, qua Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, & qua donabilis est creaturis, esse relationes oppositas: tum quia sunt respectu diuersorum; nam prior est respectu principij spiratiui; posterior respectu creaturarum: quemadmodum possunt in vno eodemque subiecto esse oppositæ relationes genitoris respectu vnius, & geniti respectu alterius. Tum quia prior est realis & secundùm esse; posterior verò rationis & secundùm dici.

172. Ad quintam. Distinguenda est maior: nam omne donum est alicuius possessoris donum, vel dominio, cui tantùm respondet subiectio; vel origine, cui sola respondet originatio. Porrò Spiritus sanctus est Patris & Filij donum non dominio, sed origine & authoritate, cui tantùm respondet origo passiua in dono ipso originato. Ex his patet ad fundamentum Durandi: nam alio modo donabilis est creaturis Spiritus sanctus, alio modo reliquæ personæ, & essentia ipsa diuina. *Ad fund. Durandi.*

# DISPVTATIO XXVIII.

## De Missione Diuinarum Personarum.

HACTENVS de proprietatibus diuinarum personarum in ordine ad se, quibus inuicem secernuntur peculiari nota, qua existunt & operantur ad intra. Supersunt explicandæ proprietates earundem in ordine ad creaturas, quibus vna secernitur ab alia, & manifestatur vt distincta persona ab alijs, per specialem modum existendi & operandi ad extra. Quæ propterea dicuntur proprietates notionales ad extra, quia sunt proprij modi existendi & operandi singularum personarum, quibus ad extra manifestantur & apparent. Sicut enim Deus habet quædam prædicata in tempore, quæ illi competunt in ordine ad creaturas, vt est vnus essentialiter, & sunt communia toti Trinitati, dicunturque essentialia, vt esse *Creatorem*, *Conseruatorem*, & *Dominum* rerum omnium: ita quædam alia habet in ordine ad easdem creaturas, quæ illi etiam in tempore competunt, vt est distinctus personaliter, suntque propria singularum personarum, dicunturque notionalia ad extra, vt esse *missum*, *Incarnatum*, *manifestatum* &c. De quibus potissimum quæremus, an *missio* propriè competat diuinis personis: in quo præcipuè consistat quidditatiua ratio *missionis* diuinæ: quæ tandem, & quotuplex sit.

### SECTIO I.

### *An Diuinis personis competat vera & propria missio?*

1. EXPRESSVM fidei dogma est, diuinis personis competere missionem, tam actiuam respectu personę mittentis, quàm passiuam respectu personæ missæ. Constat ex pluribus Scripturæ testimonijs, quibus vtraque missio diuinis personis tribuitur. Ioan. 7. *A me ipso*, inquit Christus, *non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis. Ego scio eum, quia ab ipso sum, & ipse me misit.* Et c. 15. *Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre:* aliaque innumera sunt vtriusque testamenti loca, in quibus diuinis personis tam actiua, quam passiua missio tribuitur: adeo vt nemo hactenus Hæreticorum illam simpliciter negare sit ausus: quamuis ea abutantur ad inæqualitatem Diuinarum personarum arguendam. Sola igitur Theologica controuersupereſt, an verè & propriè competat missio diuinis personis. *Fidei dogma.* *Ioan. 7.* *Ioan. 15.*

2. Ratio

*Nyssenus.*

2. Ratio dubitandi est multiplex. Prima desumitur ex Patribus. Nyssenus orat. de Deitate Filij & Spiritus sancti columna 7. inquirens quomodo Filius Dei sit missus, *an forma Dei præditus? an forma serui accepta in plena Deitate manens? Penitus enim*, inquit, *perspicuum esse arbitror, diuinam potentiam atque naturam, cùm vbique sit, ac per omnia pertingat atque permadat, & res vniuersa complexa sit, mitti haud rectè dici.* Chrysost. tom. 3. hom. de Spiritu S. quę incipit, *Heri: Si autem audieris*, inquit, *dicente*; Mittam vobis Spiritum S. *non secundùm Deitatem accipias. Deus enim non demittitur. Nomina sunt hæc operationum significantia, eò quod omnis, qui demittit, in illa mittit loca, in quibus non est.* Et paulò pòst ita concludit: *Igitur cùm dicit*, Mitto vobis Spiritum sanctum, *donum dicit sancti Spiritus: vt discatis, quòd donum mittitur, Spiritus sanctus autem non mittitur.* Et infrà: *Alia est*, inquit, *virtus, quæ conceditur, & alius est Spiritus qui concedit.*

*Chrysost.*

3. Secunda dubitandi ratio est, quoniam missio in suo quidditatiuo conceptu imperfectionem importat. Quæ autem in suo quidditatiuo conceptu imperfectionem important, nequeunt propriè, sed metaphoricè tantùm Deo competere. Minor constat, nam ideo *Irasci, Pœnitere, Obliuisci*, & similia metaphoricè tantùm prædicantur de Deo, quia in suo quidditatiuo conceptu imperfectionem inuoluunt. Cuius ratio à priori est, quia quod in suo quidditatiuo conceptu imperfectionem importat, translatum ad Deum non potest suum formale significatum retinere; ac proinde nequit propriè Deo competere: nam illud propriè Deo competit, quod competit secundùm suum formale significatum; proprium enim nominis est ipsius formale significatum. Igitur cui non competit formale significatum nominis, nec nomen ipsum propriè competere potest. Maior probatur: etenim duplex est missio physica, & moralis: vtraque per se imperfectionem inuoluit: & de morali quidem patet: nam hæc vel fit imperio & auctoritate mittentis, vt cùm dominus mittit seruum, aut Pontifex Legatum: vel consilio, vt cùm Consiliarius mittit Regem ad bellum. Nam prior missio includit subiectionem, & defectum potestatis; posterior ignorantiam, & defectum prudentiæ. De Physica verò probatur: nam hæc includit vel impressionem virtutis, qua res missa ad locum à mittente destinatum dirigitur, vt cùm sagitta dirigitur ad scopum à sagittante præfixum: vel per distinctionem propriæ entitatis, vt cum flos emittitur ab arbore, splendor à sole.

4. Confirmatur 1. Nam vtraque missio importat localem separationem missi à mittente. Non enim propriè mittitur, nisi qui vel à mittente discedit ad negotium aliquod, authoritate mittentis peragendum, vt accidit in missione morali: vel quod per propriam entitatem situ disiungitur à suo principio. Non enim propriè mitti dicitur passio ab essentia, vel actus vitalis ab interno principio, eò quòd ad missionem propriè dictam requiritur localis separatio missi à mittente.

5. Confirmatur 2. Nam propterea, vt docent Scholastici cum Magistro in 2. dist. 10. Angeli superiores non mittuntur ad externa ministeria, sed tantùm dirigunt & illuminant Angelos inferiores, quorum tantùm est mitti, quia missio imperfectionem importat ex parte missi.

*Scholastici cũ Magistro*

6. Tertia ratio dubitandi, quoniam *mitti*, est missum aliter se habere in aliquo loco, quàm antea se habebat; atqui diuinæ personæ non possunt aliter se in aliquo loco habere, quàm antea: igitur non possunt propriè *mitti*. Maior constat, alioqui non esset maior ratio, cur potiùs persona diceretur mitti ad vnum locum, quam ad alium, nisi quia aliter se habet in vno, quam in alio. Minor probatur, quia diuinæ personę sunt vbique præsentes per immensitatem: ergo implicat, eas aliter se habere in vno loco, quàm in alio: alioqui non æquè essent per immensitatem vbique præsentes.

7. Quarta dubitandi ratio est: quoniam hinc sequeretur, multa alia esse de diuinis personis propriè admittenda, quæ scriptura de illis affirmat, vt *Exire à Patre*: *Venire in mundum*: iterum *Relinquere mundum*, & *Reuerti ad Patrem*, Ioan. 16. cùm vtraque imperfectionem importent localis mutationis, quę in diuinas personas, vtpotè omnis mutationis expertes, cadere non potest. Propter has rationes. Sit

*Ioan 16.*

8. Prima sententia affirmans, diuinis personis impropriè tantùm & metaphoricè missionem competere. Hanc apud nullum Authorem reperi, qui hactenus sua scripta edidit, solùm apud Didacum Ruiz disp. 108. sec. 5. legi, non defuisse inter primarios huius ętatis Authores, qui hanc diuinarum personarum missionem metaphoricam appellarit, licet nullam huius rei rationem assignet; assignari tamen possunt omnes rationes dubitandi à nobis propositę.

*Ruiz.*

9. Secunda sentẽtia docet, omnino verè & propriè, & non metaphoricè diuinis personis missionem competere. Est omnium Scholast. cum Magist. in 1. dist. 14. 15. 16. & 17. qui vel hanc sententiam vt certam supponũt, vel expresè asserunt, missionem verè & propriè esse in diuinis: vt Bonauent. dist. 15. p. 1. q. 1. in Corp. *Missio*, inquit, *per comparationem ad terminum completissimè reperitur in diuinis multo magis, quã in creatis.* Argent. ibid. a. 1. & Marsil. q. 18. a. 1. id non solùm affirmant, sed etiã probant hac ratione: vbicunque sunt plures personæ, quarum vna habet virtutem & auctoritatem ab alia, ibi vera potest dici missio: sed in diuinis sunt plures personæ, quarum vna habet virtutem, & authoritatem ab alia; ergo ibi est vera missio. Palatius eadem dist. disp. vnica, ante 1. concluſ. *Aptissimè*, inquit, *vtitur hoc verbo Scriptura, quod sanè non imperium, aut superioritatem aliquo modo in mittente significat, sed potiùs originem emissi ab emittente.* Idem docent Patres. Vnde Athanasius lib. 5.

*Omnes Scholastici cum Magistro.*

*Bonauent.*

*Argentin. Marsilius*

*Palatius.*

*Athanasius*

contra

contra Arianos in fine testatur, hoc vocabulo *missionis* vsos fuisse sanctos viros ad exprimendam visibilem præsentiam Verbi in carne assumpta.

*Contraria sententiæ censura. Ruiz.*

10. Quare temeritatis nota dignum censet prędicato loco Ruiz illum, qui absolutè dixerit missionem non nisi metaphoricè diuinis personis competere. Et meritò, cùm nullus hactenus aut Scholasticorum, aut Patrum, quæ Scriptura de missione Diuinarum personarum docet, in metaphorico sensu intellexerit: quin multi expressè, vt paulò antè vidimus, ea in vero & proprio sensu acceperunt. Pro clariore tamen propositæ difficultatis explicatione,

*Ruiz. Richardus.*

11. DICO 1. Missio sub ea ratione, sub qua competit creaturis, nō nisi impropriè & metaphoricè competit diuinis personis. Assertio hæc certissima est, quam admittit etiam Ruiz: eamque expressè docuit Richardus in 1. dist. 15. a. 1. qu. 1. ad 2. vbi etiam rationem assignat: *Quia*, inquit, *missio propriè dicta conueniens creaturæ, & missio propriè dicta, in quantum est conueniens diuinæ personæ, non sunt eiusdem rationis vniuocæ.* Fundamentum verò est, quia missio sub ea ratione specifica, qua conuenit creaturis, includit omnes imperfectiones supra enumeratas. Quapropter nequit vt sic, nisi metaphoricè diuinis personis conuenire.

12. DICO secundò. Non obstantibus his imperfectionibus, sub quibus missio competit creaturis, adhuc missio quidditatiuè sumpta verè & propriè conuenit diuinis personis. Fundamentum est, quia resectis omnibus imperfectionibus, cū quibus reperitur in creaturis, adhuc manere potest quidditatiuus conceptus missionis, Deo & creaturæ analogicè communis: ergo missio vt sic verè & propriè competit diuinis personis. Consequentia patet, nam tunc verè & propriè aliqua perfectio creata competit Deo, quando depurata ab omni imperfectione, cum qua competit creaturis, adhuc remanet quidditatiuus conceptus ipsius, Deo & creaturę analogicè communis. Contrà verò tunc aliqua perfectio creata impropriè & metaphoricè competit Deo, quando depurata ab imperfectione, cum qua competit creaturæ, nullus remanet quidditatiuus conceptus ipsius. Exemplum primi sit. Scientia depurata ab accidentalitate, discursu, & reliquis imperfectionibus, cum quibus competit intellectui creato, adhuc remanet conceptus certò & euidenter obiectum exprimentis, intellectui creato & increato analogicè communis: in quo conceptu saluatur quidditas & ratio ipsa formalis scientiæ. Exemplum secundi sit. Motus localis, qui depuratus ab imperfectione translationis mobilis de loco ad locum, amittit quidditatiuum conceptum motus; sublata enim translatione mobilis de loco ad locum, nullus remanet conceptus, in quo quidditas & propria ratio motus saluari possit: ac proinde; cùm ad Deum transfertur, non nisi impropriè & metaphoricè de eo affirmatur.

13. Antecedens autem sic ostendo. Resectis imperfectionibus essentialis distinctionis, localis distantiæ, situalis separationis, cæterisque mutationibus, quas includit missio creata, adhuc remanere potest conceptus personalis distinctionis missi à mittente, cum actiua communicatione potestatis ex parte mittentis, & passiua acceptione eiusdem potestatis ex parte missi, ad aliquod munus authoritate mittentis obeundum. Atqui in hoc conceptu saluatur perfectissima quidditas & formalis ratio missionis, quæ, vt ex infrà dicendis constabit, est quædam realis processio missi à mittente, ad aliquod munus consilio & authoritate mittentis peragendum. Maior est manifesta tam in missione Filij ad opus Incarnationis peragendum; quàm in missione Spiritus sancti ad corda Apostolorum in die Pentecostes inflammanda. Etenim misit Pater Filium ad opus Incarnationis præfinito tempore exequendum, dum illum ab æterno genuit, cum potestate, consilio, & virtute ad prædictum opus tali tempore peragendum. Miserunt Pater & Filius Spiritum sanctum ad corda Apostolorum in die Pentecostes inflammanda, dum illum ab æterno spirarunt cum potestate, consilio, & virtute ad hoc opus præfinito tempore perficiendum. In vtraque enim legatione proprijssimè elucet natura & essentia ipsa missionis; & quidem, vt Bonauentura dixit, meliùs & perfectiùs, quàm in creaturis ipsis. Verùm hæc clariùs constabunt ex dicendis.

*Bonauent.*

14. Iuxta priorem nostram assertionem intelligenda sunt citata testimonia Patrum; nec non prima sententia cum suis probationibus & rationibus dubitandi initio propositis. Iuxta quam asserere, missionem, prout illa competit creaturis, non nisi impropriè & metaphoricè competere diuinis personis, nullus est error, aut temeritas: esset autem, si quis absque vlla declaratione absolutè negaret, missionem non nisi impropriè & metaphoricè compere diuinis personis. Quia tunc propositio simpliciter asserta, sine vlla declaratione, intelligenda veniret etiam iuxta secundam assertionem, contra quam sentire ad minimum est temeritas.

15. In speciali autem ad rationes dubitandi. Ad primam Resp. citatos Patres expressè tantùm diuinis personis negare missionem secundùm imperfectiones, secundùm quas competit creaturis, vt constat ex rationibus, quas subiungunt; *Non enim* subdit Nyssenus, *extra eam aliquid vacuum & inane est, quo cùm priùs ibi non esset, postea quàm missa fuerit, accedat, sed cum conseruatrice vi sua res vniuersas coërceat atque contineat, non habet, quo transeat, cum ipsa sit rerum vniuersitatis plenitudo.* Similiter Chrysostomus missionem diuinis personis negat, quæ localem separationem missi à mittente importat, vt ex ipsius discursu apparet. Cæterùm absolutè non negant hi Patres, missionem competere diuinis personis. Ita enim concludit Nyssenus. *Descensus igitur*

*Patres exponuntur.*

*Nyssenus.*

*Chrysost.*

*Filij Dei ad nostram humilitatem & infirmitatem, qui voluntate Patris accidit, missio dicitur. Nam ab immortali natura ad nostram vitam migratio, non de loco ad locum motum Domini significat, sed ab altitudine gloriæ ad humilitatem carnis indicat descensum.* Idem fatetur Chrys. circa finem homiliæ. *Dominus*, inquit, *misit & Spiritum suum.* Explicans autem modum huius missionis: *Genuit*, inquit, *secundùm Deitatem: misit secundùm carnem.* Et paulò pòst: *Misit*, inquit, *Pater, qui non migrat, nec transfertur loco. Misit Filius, qui non se discedere facit, & à quo non disceditur.* Igitur in eo tantùm sensu isti Patres in diuinis missionem negarunt, in quo ea reperitur in creaturis, videlicet per missi à mittente localem separationem.

16. Ad secundam nego, missionem secundùm genericam rationem, abstrahentem à diuina & humana dicere imperfectionem, sed solùm secundùm rationem specificam, ad humanam missionem contractam: de quo tantùm probant exempla & rationes adductæ. Vnde ad priorem confirmationem negandum est, illum tantùm propriè mitti, qui localiter separatur à mittente. Nam licet hoc verum sit in missione creata, propter imperfectionem & limitationem naturę missi & mittentis, non est tamen id essentiale missioni vt sic, cuius quidditas perfectè saluatur in reali egressu per originem missi à mittente, cum communicatione potestatis ad nouum munus peragendum. Cæterùm non dicitur passio mitti ab essentia, vel actus vitalis à principio vitæ, quia ad missionem requiritur habitudo ad terminum operandum extra mittentem. Est enim mittere, mediante misso aliquid extra se operari. Cùm igitur passio & actus vitalis producantur intra proprium principium, non dicuntur à suo principio propriè mitti: sicut dicitur propriè mitti lumen à sole; & flos ab arbore: quorum illud subiecto; hic situ disiungitur à suo principio. Personæ autem diuinæ, etsi per se ipsę existere nequeant separatæ à suo principio, existere tamen possunt ratione externi effectus, ad quem operandum à suo principio destinantur: in ordine ad quem effectum propriè dicuntur mitti.

17. Ad posteriorem confirmationem. Exemplum de Angelis superioribus partim est simile, partim dissimile, simile, quatenus non ad quæuis opera illi mittuntur, sed ad grandia & sublimia, quale fuit opus Incarnationis, ad quod nunciandum legatus fuit Gabriel, vnus ex supremis spiritibus. Ita non ad quęuis opera mittuntur personæ Diuinæ, sed ad magna & heroica. Dissimile, quoniam propter limitationem naturę Angelicæ, nequeunt Angeli ad hæc inferiora mitti, absque aliqua ipsorum imperfectione: congruentius autem est, vt hanc imperfectionem subeant Angeli inferiores, quorum curæ commissa sunt hæc inferiora. Personæ autem diuinę absque vlla ipsarum imperfectione mitti possunt ad quæcunque opera. Tandem personæ diuinæ mittuntur vel ad manifestandas nobis in signo aliquo sensibili suas ipsarum proprietates & origines, vel ad sanctificandas animas. Neutrum autem munus peragi potest, absque missione diuinarum personarum: cùm nec nisi diuinæ personæ animas sanctificare; nec nisi ipsęmet esse possint termini sensibilis manifestationis. Angeli autem solùm mittuntur ad aliquod opus perficiendum, quod æquè bene perfici potest à quocunque inferiori.

18. Ad tertiam rationem dubitandi Respondeo, maiorem esse veram de misso creato, non autem de increato, qui aliter existere, vel apparere potest, non per nouam existentiam, aut mutationem sui, sed rei, in qua nouo modo existere, & apparere dicitur. Neque ex eo quòd diuinæ personæ sunt vbique præsentes per immensitatem, nequeunt nouo modo & speciali existere, vel apparere, quo antea non existebant, & apparebant. Nam præter illos tres modos communes existendi per *potentiam, præsentiam, & essentiam*, dantur alij modi speciales, quibus Deus existit in creaturis, vel tanquam significatum in signo, vel tanquam suppositum in natura assumpta, vel tanquam obiectum in cognoscente & amante.

19. Ad quartam rationem concedo, eodem modo admittenda esse in Deo in proprio sensu reliqua omnia, quæ de Deo Scriptura tradit, modò vel auctoritas Patrum & Scholasticorum non repugnet, vel ratio aliqua Theologica non aduersetur. Idque ex illa vniuersali regula, à Patribus & Scholasticis tradita, quod semper sacra Scriptura est in proprio sensu intelligenda, & nunquam ad metaphoricum detorquenda, nisi aut Patrum Scholasticorumque auctoritas, aut Theologica ratio resistat. An autem quæ in ratione ipsa dubitandi allata sint in proprio, vel metaphorico sensu intelligenda, constabit ex infrà dicendis.

## SECTIO II.

### *Quid sit Missio personæ Diuinæ?*

20. Consvetvs modus indagandi diuina est per perfectiones creatas resectis earum imperfectionibus. Porrò in quauis missione creata depurata ab imperfectionibus, quas vt creata includit, tria remanent, quæ ad integrandam naturam missionis vt sic quidditatiuè concurrunt; qui mittit, qui mittitur, & terminus ad quem mittitur. Hæc enim tria necessaria sunt; & sufficiunt ad essentiam missionis vt sic. Est enim missio essentialiter operatio duorum (cùm nemo seipsum propriè mittat) mandantis & exequentis: quæuis autem operatio habitudinem dicit ad terminum operabilem. Sufficienter igitur his tribus terminis mittente, misso, & ter-

mino

mino ad quem mittitur, concluditur integra missionis quidditas. His enim tantùm positis, ponitur tota missionis essentia: quolibet autem eorum sublato, tollitur quidditatiuus conceptus illius. Nam nec mittens intelligi potest sine respectu ad missum, & terminum ad quem mittit; nec missus sine respectu ad mittentem & terminum, ad quem mittitur: quo fit, vt tam mittens dicat habitudinem ad missum & ad terminum, ad quem mittit, quàm missus ad mittentem & ad terminum, ad quem mittitur.

21. Quoniã verò duplex est missio physica, & moralis, dupliciter etiam esse potest hæc habitudo mittentis ad missum, & missi ad mittentem, physica, si missio sit physica; moralis, si missio erit moralis. Illa est per realem communicationem virtutis, ad terminum ad quem mittit, physicè operandum, vt Sagittarius per realem impressionem virtutis mittit sagittam ad scopum pertingendum: Sol per realem productionem mittit lumen ad aërem illuminandum: hæc est per moralem tantùm communicationem virtutis, aut dirigentis, si tantùm consilio: aut mandantis, si etiam imperio & auctoritate mittat.

22. Posset esse & tertia missio, vtriusque perfectionem participans, & physicę missionis per realem communicationem virtutis executiuæ; & moralis per moralem communicationem potestatis exequendi terminum, iuxta consilium & imperium mittentis. Qualis esset, si aliquis miles in fortitudine & generositate insignis, eo animo prolem susciperet, vt cõmunicatâ illi per naturalem generationem suâ fortitudine & generositate, illum postea consilio & imperio suo ad bellum mitteret, vt in eo suam, & Patris virtutem manifestaret. Huic persimilis est missio personæ Diuinæ, quæ vtriusque missionis perfectionem, & physicæ, & moralis eminentissimè participat; participat perfectionem physicę per physicam receptionem virtutis à persona mittente, ad terminum, ad quem mittitur, physicè operandum: participat perfectionem moralis, per moralem determinationem voluntatis ab eadem persona mittente ad eundem terminum, consilio & voluntate mittentis exequendum. Etenim persona missa per originem simul cum natura mittentis, accipit virtutem, & potentiam operandi terminum, ad quem mittitur: nec non sapientiam, & voluntatem exequendi terminum, iuxta voluntatem mittentis: ac proinde perfectissimè participat naturam vtriusque missionis physicæ, & moralis. Ex his potissima difficultas insurgit, in quo præcipuè quidditatiua ratio missionis diuinę consistat.

23. PRIMA sententia docet, eam consistere in sola operatione temporali, per quam processio personæ missæ in aliquo effectu creato manifestatur, cùm respectu ad principium productiuum non personæ missæ, sed operationis, quâ persona missa manifestatur in creaturis. Hanc vt Magistri sententiam defendunt S. Thomas in 1. dist. 15. q. 3. a. 1. Bonauentura eadem dist. p. 1. q. 4. Scotus dist. 14. q. vnica §. *Licet autem*, Marsilius q. 18. Gabriel q. 1. Fundamentum est, quia personam Diuinam mitti, formaliter est, peculiari modo in creaturis existere, quo antea non existebat: Atqui hoc formaliter importat solam operationem, quâ persona missa manifestatur in creaturis, cum respectu ad principium effectiuum talis operationis: igitur missio personæ Diuinæ formaliter consistit in solâ operatione temporali, cum respectu tantùm ad principium effectiuum ipsius. Minor, in qua tãtùm est difficultas, probatur 1. auctoritate Augustini 2. de Trinit. c. 5. ad finem: *Si ergo*, inquit, *missus dicitur*, (nempe Filius) *in quantum apparuit foris in creatura corporali, qui intùs in natura spirituali oculis mortalium semper occultus est, iam in promptu est intelligere etiam de Spiritu sancto, cur missus & ipse dicatur. Facta est enim quædam creaturæ species ex tempore, in quâ visibiliter ostenderetur Spiritus S.* Et paulò pòst ita concludit: *Hæc operatio visibiliter expressa, & oculis oblata mortalibus missio Spiritus S. dicta est.* Vbi nulla facta mentione de æterna personæ missæ processione, in sola temporali apparitione collocat totam personæ Diuinæ missionem.

*Magister. S. Thomas. Bonauent. Scotus. Marsilius. Gabriel.*

*Augustin.*

24. Secundò sic probat ratione præcitato loco S. Tho. hanc sententiam. Quando aliquod compositum prædicatur de aliquo secundùm fieri, diuersomodo se habet respectu facientis, & respectu facti. Nam respectu facti vtrumque debet prædicari secundùm esse, non tamen vtrumq; secundùm fieri velut si dicas; *hic factus est homo albus*, oportet, vt sit & homo albus: non autem est necesse, vt fiat homo, sed sufficit, vt fiat tantùm albus. Respectu verò facientis non est necesse, vt faciat vtrumque, sed alterum tantùm: vt si dicas, *Pictor facit parietem album*: non est necesse, vt vtrumque simul faciat, sed sufficit, si faciat tantùm album. Cuius ratio est quia faciens non refertur ad factum, nisi secundùm id, quod facit in illo. Cùm autem missio ponat missum in aliquo nouo fieri, in quo antea non erat, oportet, ad hoc vt dicatur missus, vt vtrumque includat, & quòd si ab alio, & quòd fiat in aliquo secundùm nouũ modum existendi. Ex parte verò mittentis nihil aliud importat mittere, quàm facere missum nouo modo existentem in alio: igitur cuicunque conuenit facere alium nouo modo existentem in aliquo, conuenit mittere, etiamsi non sit principium ipsius secundùm esse: atqui hoc conuenit toti Trinitati: igitur tota Trinitas dicitur mittere. Igitur Diuina missio per se non includit æternam processionem missi à mittente, sed temporalem duntaxat operationẽ, cum solo respectu rationis missi ad mittentem, quæ est tota Trinitas, à qua persona missa non distinguitur.

*S. Thomas.*

25. SECVNDA sententia ex opposito affirmat, in sola processione æterna personæ

missæ, missionis quidditatem formaliter consistere. Hanc docere videtur Gregorius Magnus homil. 26. in Euangelia columna 1. vbi postquam Filij missionem per opus Incarnationis explicuit, statim subdit: *Quamuis mitti etiam iuxta naturam Diuinitatis possit intelligi. Eo enim ipso à Patre Filius mitti dicitur, quo à Patre generatur.* Eodem modo Spiritus sancti missionem per æternam eius à Patre & Filio processionē declarat. *Sed eius,* inquit, *missio, ipsa processio est, quâ de Patre procedit & Filio.* Vnde tandem amborū missionem per increatam eorum processionem definiens, ita concludit: *Sicut itaque Spiritus mitti dicitur, quia procedit: ita & Filius non incongruè mitti dicitur, quia generatur.* Fundamentū esse potest, quoniam missio præsertim physica, est realis egressio termini à mittente, vi cuius accipit aliquod esse, quod antea non habebat: atqui æterna processio Filij & Spiritus sancti est eiusmodi: nam tam Filius vi generationis, quàm Spiritus S. vi spirationis accipit esse personale, quod nec Filius ante generationem, nec Spiritus S. ante spirationem habebat: ergo. Maior colligitur ex ipsa definitione missionis; & illustratur exemplis: nam & flos mitti dicitur ab arbore, & lumen à sole, per solam productionem floris ab arbore, & luminis à sole. Ergo tam Filius, quàm Spiritus sanctus, mitti dicuntur à suo principio productiuo, per solam processionem æternam.

*Gregorius Magnus.*

26. TERTIA sententia vtrumque ad Diuinæ missionis quidditatem requirit, & æternam processionem personæ missæ à mittente; & temporalem operationem, quâ persona missa peculiari modo manifestatur in creaturis. Adhuc tamen hæc sententia trifariam diuiditur: nam alij putant, processionem æternam non nisi connotatiuè, & in obliquo à missione importari; temporalem verò contrà per se, & in recto. Alij contrà, processionē æternam per se & in recto, temporalem verò cōnotatiuè & in obliquo. Alij demum vtramque per se, & æquè primò in missionis quidditate includi. Pro cuius difficultatis solutione,

27. Dico 1. Quidditas Diuinæ missionis non saluatur in sola operatione temporalis, cum respectu tantùm rationis personæ missæ ad principium effectiuum talis operationis, præcisa æterna processione personæ missæ à persona mittente. Fundamentum, quoniam missio propriè dicta importat realem distinctionem missi à mittente, cum communicatione virtutis & potestatis exequendi munus, ad quod missus à mittente destinatur: atqui hæc in missione Diuina non saluantur per solam operationem temporalem, cum respectu rationis personę missæ ad principium effectiuum talis operationis. Maior constat, nam quātò missio recedit à reali distinctione missi à mittente, tantò recedit à proprietate missionis: vnde improprijssima est missio sui à se ipso. Minor patet, nam per solam temporalem operationem ad extra, cum rationis respectu ad principium effectiuum talis operationis, nec persona Diuina missa distinguitur à principio mittente; nec ab illo accipit virtutem & auctoritatem exequendi munus, ad quod destinatur; nam hæc est tota Trinitas, à qua non distinguitur persona missa, sed in ea includitur: ac proinde persona missa mitteretur, & virtutem exequendi acciperet à se ipsa, aut certè ab aliquo principio à se, cæterisque personis non distincto, nempe à natura Diuina, quæ est principium effectiuum omnis operationis ad extra.

28. Confirmatur. Nam hoc modo etiam Pater posset propriè mitti: atqui hoc expressè negat Augustinus 2. de Trinitate cap. quinto. *Pater*, inquit, *solus nusquam legitur missus.* Cuius rationem assignat lib. quarto, cap. vigesimo. *Non enim*, inquit, *habet de quo missus sit, aut ex quo procedat.* Et tomo sexto, l. contra sermonem Arianorum capit. quarto. *Solus*, inquit, *Pater non legitur missus, quoniam solus non habet authorem, à quo genitus sit, vel à quo procedat.*

*Augustin.*

29. Respondent Aduersarij, ideo non posse Patrem propriè mitti, quia à nullo procedit est autem de quidditate missi, vt ab aliquo sit, quamuis non necessariò ab eo, à quo mittitur. Ex quo inferunt Filium non tantùm à Patre, sed etiam à Spiritu sancto, à quo tamen non procedit, mitti posse. Quod confirmant testimonio Isaiæ 48. *Et nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus eius.* Et capit. 61. *Spiritus*, inquit, *Domini super me, eò quòd vnxerit Dominus me: ad annunciandum mansuetis misit me.* Quæ loca de Christo, etiam vt Deo à Spiritu S. misso intelligunt Athanasius lib. 3. de assumptione hominis, Ambrosius l. 2. de fide, ad Gratianum. c. 4. & alij.

*Isai. 48. Isai. 41.*

*Athanasius Ambrosius.*

30. Sed contrà; nam eatenus missus in Diuinis quidditatiuè postulat esse ab alio, quatenus quidditatiuè postulat per realem originem accipere virtutem & potestatem à mittente ad opus, ad quod destinatur, exequendum: præcisa autem hac ratione, nulla apparet necessitas, cur missus debeat esse ab alio, siquidem neque hoc postulat missio vt sic: nam si per impossibile esset aliquis à nullo productus, adhuc mitti posset ab alio, per moralem duntaxat communicationem potestatis, ad aliquod munus, mittentis auctoritate peragendum: neque vt talis missio est; nam quatenus talis missio Diuina est, formaliter non dicit, quàm vt missus & mittens sit Deus. Quare si saluari potest conceptus missionis Diuinæ absque reali distinctione, & communicatione auctoritatis à mittente, non est, cur debeat persona missa esse ab alio; ac proinde poterit Pater, non secus ac Filius, & Spiritus S. à tota Trinitate mitti.

31. Ad testimonia autem Isaiæ Respondeo, ea à plerisque explicari de Christo, vt homine, qui non tantùm à Patre, sed etiam à Spiritu sancto, & à se ipso vt Deo, atque adeo à tota Trinitate missus est. Cæterum

*Explicātur testimonia Isa. & Patrum authoritas.*

citati

citati Patres, qui ea intelligere videntur de Christo vt Deo, explicandi sunt de missione largè sumpta, non de rigorosa, de quâ nos disputamus.

32. DICO 2. Integra quidditas missionis Diuinæ non saluatur in sola processione æterna personæ missæ. Est aperta sententia Augustini 4. de Trinitat. cap. 20. circa medium: vbi disputans de missione Filij: *Non ergo*, inquit, *eo ipso, quòd de Patre natus est, missus dicitur Filius: sed vel eo quòd apparuit huic mundo Verbum caro factum: vel eo, quòd ex tempore cuiusq; mente percipitur.* Vbi præter æternam generationem ad Filij missionē requirit temporalem aliquam operationem. Probatur hæc assertio ex Paulo ad Galat. 4. *Vbi*, inquit, *venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Porrò, si missio in sola processione æterna consisteret, illa non in tempore, sed ab æterno fuisset.

*Augustin.*

*Ad Gal 4.*

33. Probatur secundò ratione. Nam missio includit habitudinem ad terminum operandum extra mittentem: nemo enim propriè mittere dicitur ea, quæ intra se ipsum operatur: est enim *mittere*, aliquid extra se exequendum mandare: sed per æternam processionem persona mittens nihil extra se operatur: igitur in ea integra missionis quidditas saluari nequit. Minor patet, nam æterna processio, cùm sit actus immanens, manet intra ipsum Deum producentem. Nec refert, quòd producatur extra principium realiter distinctum: quia non producitur extra illud totaliter, quod ad *mittere*, propriè dictum requiritur: nam etiam actus vitalis creatus producitur realiter distinctus à suo principio vitali creato; quia tamen nō producitur extra illud totaliter, sicut producitur lumen à sole in externum subiectum, & flos ab arbore situ disiunctus, non dicitur propriè missus; nec principium vitale dicitur illum propriè mittere. Cuius ratio à priori est, quoniam mittere finaliter est ad manifestandam virtutem & potestatem mittentis: sola autem processio interna non est manifestatiua virtutis & potestatis mittentis, igitur in ea nequit integra quidditas missionis saluari.

34. DICO 3. Adæquata essentia missionis Diuinæ vtramque processionem intrinsecè includit, & æternam missi à mittente, & temporalem eiusdē processionis æternæ manifestatiuam; priorem quidem materialiter & præsuppositiuè, posteriorem verò formaliter & completiuè. Assertio tria dicit: primum, quod missio diuina vtramque processionem æternam & temporalē includat: secundum, quod eas includat intrinsecè: tertium, quod æternam includat materialiter & præsuppositiuè; temporalem verò formaliter & completiuè.

35. PRIMA pars communis est inter Scholasticos; quam expressisse videtur Christus Dominus Ioan. 8. illis verbis: *Ego ex Deo processi, & veni*: & 16. *Exiui à Patre & veni in hunc mundum*; per priora verba æternā processionem; per posteriora temporalē significans operationem, *à Patre enim venisse, & ex Deo exisse non est*, inquit Hilarius 6. de Trin. columna 14. *significationis eiusdem. Quantum interest inter nasci, & adesse: tantùm à se vterq; sermo discernitur: cùm aliud sit, à Deo in substantia natiuitatis exiisse; aliud à Patre in hunc mundum ad consummanda salutis nostræ Sacramenta venisse.* Ex eodem loco Augustinus 4. de Trinitat. cap. 20. colligit, ad missionis Diuinæ quidditatem vtramque processionem requiri. Idem docet Beda homilia in Dominica post Ascensionem: his verbis: *Cùm eiusdem Spiritus gratia datur hominibus, mittitur profectò Spiritus à Patre: mittitur à Filio, quia & eius missio ipsa processio est, qua ex Patre procedit & Filio.* Ratio verò est, quoniam missio, est quidā progressus missi à mittente ad nouum effectum virtute mittentis operandum: ergo duplicem habitudinem essentialiter includit, alteram ad mittentem, per quam missus operandi virtutem accipiat; alteram ad effectum, per quam nouo modo missus existat.

*Communis Scholasticorum. Ioan. 8. & 16.*

*Hilarius.*

*Augustin.*

36. SECVNDA pars assertionis est cō tra eos, qui vel asserunt, missionem esse processionem æternam, connotata tantùm tēporali operatione in creaturis: vel contrà, esse solam operationem temporalem, connotata tantùm processione æterna personæ missæ. Nostra tamen conclusio est S. Thomæ 1. part. quæst. 43. articul. 1. & 7. Durandi in 1. distinct. 15. quæst. 2. & aliorum. Fundamentum est, quoniam missio essentialiter est habitudo tam ad principium mittens, quàm ad terminum: ego non est maior ratio, cur potiùs vnum, quàm aliud in missionis habitudine includatur connotatiuè & in obliquo.

*S. Thomas Durandus.*

37. Confirmatur 1. Quoniam vel Aduersarij volunt ipsam habitudinem ad effectum temporalem, vel habitudinis effectum connotatiuè includi in quidditate missionis Diuinæ. Primum dici non potest, quoniam, ad hoc vt habitudo ad effectum temporalem connotatiuè includatur in missione, deberet ipsa habitudo esse terminus alterius habitudinis, eò quòd nequit habitudo connotatiuè & in obliquo includi in aliquo constituto, nisi vt terminus alterius habitudinis; alioquī si includitur vt habitudo, necessariò includitur in recto: atqui non apparet cuius habitudinis terminus possit esse ipsa habitudo ad terminum temporalem. Nec dici potest secundum, quia quando habitudo ad plura in aliquo constituto includitur in recto, non potest assignari ratio, quare potiùs vnum, quàm aliud dicatur connotatiuè, & in obliquo comparari ad talem habitudinem.

38. Confirmatur 2. Quia si missio Diuina essentialiter esset processio æterna, cōnotata tantùm habitudine ad effectum temporalem, posset simpliciter dici missio æterna: atqui neque per aduersarios dici potest missio æterna: ergo. Sequelam probo, quia

quæ connotatiuè tantùm importantur, simpliciter sunt extra essentiam constituti: ergo simpliciter non ingrediuntur intrinsecam constitutionem connotātis: vt patet in actu libero Diuinæ voluntatis, qui quoniam connotatiuè tantùm importat effectum creatum absolutè & simpliciter dicitur æternus & increatus.

39. TERTIA pars assertionis probatur, hoc pacto. Quotiescunq; duo ita se habent ad vnum tertium componēdum, vt alterum se habeat per modum determinabilis, alterū per modum determinatiui, semper determinabile se habet, vt quid materiale & præsuppositum; determinatiuum verò, vt quid formale & completiuum: atqui processio æterna in ordine ad missionem componendam se habet, vt quid determinabile, operatio verò temporalis, vt quid determinatiuū; igitur illa se habet, vt quid materiale & præsuppositum; hæc, vt formale & completiuū ad naturam missionis diuinæ componēdam. Maior constat ex analogia tum compositi physici, tum metaphysici, in quibus semper determinabile se habet vt materia, determinatiuum verò vt forma. Minor probatur, quoniam processio æterna erat indifferens, vt per operationem temporalem sui manifestatiuam contraheretur, vel non contraheretur ad naturam missionis: operatio verò temporalis processionem ipsam æternam ex indifferente, actu & formaliter determinat ad missionis naturam.

## *Corollaria Doctrinæ.*

40. EX dictis deducitur 1. missionem personæ Diuinæ simpliciter esse tēporalem. Fundamentum, quia constans ex æterno & temporali, simpliciter est temporale: ergo esto missio personæ Diuinæ constet ex processione æterna, & operatione temporali, simpliciter dicenda est temporalis. Antecedens constat primò ex paritate rationis: nam constitutum ex natura spirituali & materiali, est simpliciter materiale, vt patet in homine. Secundò, ex eo quòd Petrus hodie natus constat ex materia antiqua, & forma recente, non dicitur antiquus, sed recens homo. Tertiò, quia sæpè denominatio fieri solet ab ignobiliori parte compositi. Esto igitur missio Diuina constet processione æterna, & operatione temporali, rectè denominari poterit temporalis ab ignobiliore parte sui. Ob easdem rationes dicenda est missio creata, non increata.

41. DICES. Christus constat suppositō æterno & increato, & simul humanitate tēporali & creata: & tamen simpliciter dicitur æternus & increatus: ergo esto missio Diuina constet operatione temporali & creata, quia tamen simul constat processione æternā & increata, dicenda est simpliciter æterna & increata. Respondeo, negando consequentiam: cuius discriminis ratio est, quoniam Christus supponitur simpliciter pro suppositō; supponitur enim pro subsistente in hac natura humana. Quia igitur suppositum est æternum & increatum, simpliciter Christus dicēdus est æternus & increatus. Missio verò, quia supponitur pro toto aggregato ex processione æterna & temporali, simpliciter dicenda est temporalis & creata.

42. Deducitur 2. Solas personas diuinas procedentes posse mitti, solasque producentes mittere. Prior pars constat, quoniam in omnium sententia persona missa debet esse ab alio, licet non in omnium sententia debeat esse à quo mittitur. Vnde propterea Pater in nullius sententia est missibilis, quia non est ab alio. Verùm hi non rectè, meâ sententiâ, philosophantur: nam ideo persona missa debet esse ab alio, vt distinguatur à mittente, à quo debet authoritatem & virtutem operandi accipere. Posterior verò pars probatur, quia qui mittit debet suam authoritatem, & virturem operandi communicare misso: vt enim sit propria missio, debet missus exequi opus, ad quod mittitur, virtute & auctoritate mittentis: atqui sola persona producens potest communicare misso virtutem, & auctoritatem operandi effectum, ad quem mittit: cùm non alio modo possit vna persona diuina communicare alteri suam virtutem & auctoritatem, nisi per originem.

43. DICES. Tota Trinitas est principium operationis temporalis: ergo tota Trinitas mittit. Antecedens patet. Consequentia verò probatur, nam in creaturis ille dicitur mittere, cui vt principali agenti tribuitur ipsa missionis operatio. Respondeo, negando consequentiam: quoniam ad propriam missionem requiritur, vt missus operetur missionis effectum per virtutem à mittente communicatam. Tota autem Trinitas non communicat personæ missæ virtutem operādi effectum missionis: quia tota Trinitas nō originat personam missam, quo pacto tantùm potest persona missa accipere virtutem operandi à mittente. Ad probationem verò consequentię, esto missionis effectus tribuatur mittenti, quatenus virtutem operandi communicat misso, proximè tamen & immediatè tribuitur misso, quatenus illum operatur per virtutem à mittente acceptam. Ita persona diuina missa immediatè per se ipsam missionis effectum terminat, vel per modum obiecti significati, vel per modum suppositi intrinsecè terminantis; licet auctoritatiuè tribuatur mittenti, quatenus communicat virturem personæ missæ ad talem effectum exercendum.

44. Deducitur 3. Missionem tam actiuam in persona mittente, quàm passiuam in persona missa, esse operationem notionalem, non essentialem. Docent Palatius in 1. dist. 15. disp. vnica, concl. vlt. Vasquez disp. 170. in fine vlt. Zuniga disp. vlt. dubio 2. Fundamentum est quia missio est processio missi à mittente, ad effectum tempo-

ralem

ralem peculiari modo exercendum à persona missa: atqui hoc tam ex parte mittentis, quàm missi est notionale. Minor quoad posteriorem partem probatur; nam hoc ex parte personæ missæ est passiua origo, quâ à mittente procedit, cum habitudine ad effectum creatum peculiari modo à se terminandum: sed totum hoc est notionale, & proprium personæ missæ, nam licet effectus creatus efficienter non sit proprius personæ missæ, sed totius Trinitatis, à quâ indiuisibiliter procedit terminatiuè tamen, aut repræsentatiuè poterit esse vnius tantùm personę proprius. Sic humanitas Christi efficienter est à tota Trinitate, terminatiuè autem seu hypostaticè solius Filij. Sic columba, quæ apparuit in Iordane, & ignis in die Pentecostes, effectiuè fuerunt à tota Trinitate, repræsentatiuè verò solius Spiritus sancti, quia illum tantùm repræsentabant. Nam sicut per peculiaria nomina peculiares significantur personæ diuinæ: ita per peculiaria symbola peculiares possunt personæ repręsẽtari. Probatur minor quoad priorem partem. Nam sicut persona missa per passiuam originem, cum habitudine ad effectum creatum peculiari modo à se terminandum, denominatur passiuè missa: ita persona mittens per actiuam originem, cum habitudine ad eundem effectum creatũ, peculiari modo operãdum à persona missa, per virtutem sibi à mittente communicatam, denominatur actiuè mittens: ergo si missio passiua est notionalis & propria personæ missæ, etiam actiua erit notionalis & propria personæ mittentis.

45. Confirmatur, nam finis diuinæ missionis, est peculiaris manifestatio alicuius proprietatis notionalis personæ missæ: est enim, teste Richardo Victorino, personæ emanantis per appropriatum effectum manifestatio. Igitur quod in ea est præcipuum, est peculiaris manifestatio personæ missæ. Manifestatur autem persona missa peculiariter per notionalem, non autem per essentialem operationem ad extra: igitur per illam, non per hanc denominari debet missa. Nam per illam denominari debet missa, ad quam finaliter mittitur. Præterea operatio temporalis in missione diuina est signum sensibile processionis æternæ: vnde respondere illi debet in eodem ordine perfectionis notionalis.

*Rich. Vict.*

46. Contra hoc corollarium sentiunt Scotus in 1. dist. 14. q. vnica §. *Licet autem*, Gabriel quæstione vnica, affirmantes mittere esse essentiale, quia fit ab omnibus personis: mitti verò notionale, & proprium personæ missæ, quia connotat eius processionẽ. Alij autem docent in missione Diuina vtrũque importari essentiale, & notionale, sed essentiale principaliùs, vt censet Durandus in 1. dist. 15. q. 2. & Argentinas art. 2. alij verò principaliùs notionale, vt putant Alensis 1. p. quæst. 71. memb. 3. S. Th. in 1. dist. 15. q. 1. art. 2. Demum Aureolus in 1. dist. 15. a. 1. propos. 2. docet, mitti passiuum semper esse notionale; mittere verò actiuum aliquando esse notionale, aliquando essentiale. Est autem notionale, quando est missio personæ authoritatiua; est essentiale, quando est missio per solam determinationem ad vsum authoritatis acceptæ, quæ fit à tota Trinitate.

*Scotus. Gabriel.*

*Durandus, Argentin. Alensis. S. Thomas Aureolus.*

47. Deducitur 4. Posse vnam personam mitti sine alia. Hoc corollarium euidenter sequitur ex præcedente: illudque docent Alensis 1. p. q. 73. memb. 2. art. 3. S. Thom. 1. p. q. 43. art. 7. ad. 3. Rubio in 1. dist. 15. quæst. 1. artic. 2. & alij. Fundamentum est, quia potest peculiari effectu manifestari vna persona, quo non manifestentur cæteræ: igitur potest vna persona mitti sine alia: Consequentia patet, quia persona Diuina dicitur mitti, quatenus peculiari effectu manifestatur creaturis: igitur si potest peculiari effectu manifestari vna, quo non manifestentur cæteræ, poterit vna mitti sine alia. Antecedens constat, tum in Incarnatione, quâ manifestatus est solus Filius: tum in apparitione Columbæ & linguarum igniearum, quibus manifestatus est solus Spiritus sanctus. Quod expressè docuit Augustinus 2. de Trinitate, cap. 5. *Facta est*, inquit, *quædam creaturæ species ex tempore, in qua visibiliter ostenderetur Spiritus sanctus. Siue enim in ipsum Dominum corporali specie, velut columbæ descendit: siue, cum decem diebus peractis post eius ascensionem die Pentecostes, factus est subito de Cœlo sonus, quasi ferretur flatus vehemens, & visæ sunt illis linguæ diuisæ tanquam ignis, qui & insedit super vnumquemque eorum. Hæc operatio visibiliter expressa & oculis oblata mortalibus, missio Spiritus sancti dicta est.* Idem testatur de missione Filij in opere Incarnationis lib. 4. cap. 20. Ratio verò est, quia sicut potest peculiari nomine significari vna persona sine alia; ita & peculiari symbolo vna sine alia repræsentari.

*Alensis. S. Thom. Rubio.*

*Augustin.*

48. Dices 1. Non potest Pater sine Filio Spiritum sanctum mittere: ergo nec Spiritus sanctus sine Filio mitti. 2. Effectus, quo Diuina persona manifestatur, est communis omnibus: ergo nequit per illum vna potiùs, quàm alia persona manifestari. Respondeo ad primum, negando consequentiam; quoniam in missione actiua Spiritus sancti non potest Pater separari à Filio, quia mittũt illum per spirationem actiuam, in quâ Pater & Filius sunt vnum indiuisibile principium; atque adeò non potest vnus sine alio mittere, quia non potest vnus sine alio Spiritum Sanctum producere. At verò in missione passiua potest vnus effectus repræsentare vnam personã sine alia, quia potest vnus effectus in repræsentando appropriari vni, & non alteri. Sicut potest vnum nomen significare vnam personam, sine alia. Et hoc ideo, quia tam significatio per voces, quàm repræsentatio per symbola, est ad placitum instituentis & imponentis: vnde quęcunque voces, & symbola imponi possunt pro libitu

pro libitu imponentis ad quaſcunque res ſignificandas. At verò proceſſio, quà Spiritus S. à Patre & Filio procedit, eſt naturalis & ab intrinſeco determinata: vnde non poteſt ad libitum producentis variari vt ſit vel ſolius Patris, vel ſolius Filij productio: ſed neceſſariò eſt vtriuſque; atque adeo neceſſariò eſt vtriuſque actiua miſſio. Ad ſecundum diſtinguo conſequens: eſt communis effectiuè, concedo; repræſentatiuè, ſeu manifeſtatiuè, nego.

49. Deducitur 5. Ad hoc vt vna perſona mittat aliam authoritatiuè ad terminum miſſionis, non eſt neceſſe, vt illi formaliter communicet liberum actum exequendi terminum miſſionis, ſed ſufficit, ſi cum poteſtate exequendi illi tantùm communicet liberam voluntatem, quâ ſimul cum reliquis perſonis actu ſe ipſa determinet ad effectum exequendum. Eſt contra Ruiz Diſputat. 108. ſect. 8. & Zunigam diſputat. vltima dubio 3. contendentes, non poſſe perſonam Diuinam mitti, niſi à mittente accipiat non ſolùm voluntatem, ſed ipſam liberam determinationem voluntatis, quâ actu determinetur ad terminum miſſionis: quæ libera determinatio voluntatis ad terminum miſſionis à mittente creato imprimitur miſſo, mediante imperio, à mittente verò increato mediante origine, quâ perſona mittens communicat miſſæ omnia ſua libera decreta, per quæ actu determinat illam ad terminum miſſionis. *Ruiz. Zuniga.*

50. Cæterum negare non poſſum in hac ſententia melius ſaluari proprietatē miſſionis, in qua miſſus moraliter determinatur à mittente ad terminum miſſionis. Quia tamen aliunde hæc ſententia derogat formali libertati ſingularum perſonarum, & vniuerſali illi principio communiter recepto, quòd *neceſſaria in Deo præcedunt libera*, non eſt admittenda: ſed potiùs negandum hanc conditionem eſſe neceſſariam miſſioni vt ſic, ad quam ſat eſt, vt perſona miſſa authoritatiuè determinetur à mittente, vt ab illa accipiat voluntatem, per quam ſimul ſe determinet cum perſona ipſa mittente: ita tamen vt in ea ipſa libera determinatione potiores quaſi partes habeat perſona ipſa mittens, ratione authoritatiuæ communicationis.

51. Quòd autem contraria ſententia deroget formali libertati ſingularum perſonarum, probatur: nam formalis libertas conſiſtit, vt quis à ſe ipſo, non ab alio, determinetur. Si autem perſona procedens à perſona producente acciperet liberum decretum diuinæ voluntatis, non à ſe ipſa, ſed ab alia perſona determinaretur: ergo non eſſet ipſa formaliter libera, per actiuam quaſi determinationem ſui, ſed potiùs per paſſiuam determinationem, naturaliter communicatam à perſona producente. Confirmatur, quoniam in ea ſententia Pater independenter à reliquis perſonis ſe ipſum determinaret ad aliquid liberè volendum: ſed hanc liberam determinationem neceſſariò communicat reliquis perſonis cum ipſa communicatione naturæ: ergo in reliquis perſonis non ſaluatur proxima & formalis libertas, quæ conſiſtit in actiua determinatione ſui, ſed tantùm denominatiua, prouenies ab actu libero perſonæ originantis, naturaliter communicato perſonæ originatæ.

52. Quòd autem eadem ſententia deroget vniuerſali illi principio communiter recepto, nempe quod *neceſſaria in Deo præcedant libera*, ſic probatur. Quidquid vi originis communicatur perſonę procedenti, origine præcedit ipſam perſonam procedentem, vt principium communicatiuum ipſius: igitur ſi decreta formalirer libera vi originis communicantur perſonæ procedenti à producente, origine præcedunt perſonam ipſam procedentem: atque adeò libera origine præcedunt neceſſaria.

53. DICES. Filius à ſe ipſo in hunc mundum non venit, ſed à Patre miſſus. *Neque enim*, inquit, *à me ipſo veni* Ioan. 8. *ſed ille me miſit.* Non igitur à ſe ipſo liberè determinatus, ſed à Patre in hunc mundum venit. Reſpondeo 1. Concedo Filium non à ſe ipſo in hunc mundum veniſſe authoritatiuè, ſed à Patre. Etenim ab illo tantùm authoritatiuè venit, à quo virtutem & poteſtatem veniendi accepit: neque à ſe authoritatiuè ad veniendum determinatum fuiſſe, ſed à Patre: quia licet à ſe ſimul cum Patre, & Spiritu ſancto ad veniendum ſe determinauerit, tamen authoratiuè à ſolo Patre dicitur ad veniendum determinatus: quia à ſolo Patre accepit, vnde liberè ad veniendum ſe determinaret. Eo modo quo ipſe Chriſtus dixit Ioannis 14. *Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipſo nō loquor. Pater autem in me manens ipſe facit opera.* Cùm tamen ad loquendum & operandum formaliter non minus ipſe, quàm Pater & Spiritus ſanctus immediatè concurrat: quia tamen ſolus Pater concurrit authoritatiuè, dando virtutem loquendi & operandi, ipſam locutionem & operationem tribuit Patri. *Ioan. 8.* *Ioan. 14.*

54. Reſp. 2. Citatum locum Ioan. explicari ab Auguſtino de Chriſto vt homine lib. 2. de Trinit. cap. 5. *Cur ergo ait*; Et à me ipſo non veni? *Iam hoc*, inquit, *ſecundùm formam ſerui dictum eſt, ſecundùm quam dictum eſt*: Ego non iudico quenquam. *Auguſtin.*

55. Ad fundamentum primæ ſententiæ negatur maior & minor. Etenim mitti perſonam diuinam, non eſt vt cunque illam nouo modo exiſtere in creaturis, ſed per virtutem & poteſtatem à mittente acceptam. Ad hoc autem neceſſaria eſt perſonalis diſtinctio inter mittentem & miſſum, qualis non eſt inter totam Trinitatem & perſonam miſſam. Ad probationem verò minoris, ad authoritatem Auguſtini Reſpondeo, illum requirere quidem ad miſſionem perſonæ diuinæ productionem temporalem, non *Authoritas Auguſtin. exponitur.*

tamen

tamen negare processionem æternam personę missę à mittente, vt apertè constat ex alijs locis & testimonijs ipsius.

56. Ad rationem negandum est, nihil aliud ex parte mittẽtis importare missionem, quàm missum facere, in quo antea non erat, sed præterea addere, facere illũ, in quo ante non erat, authoritatiuè per actiuam communicationem virtutis & potestatis operandi terminum missionis, hoc autem necessariò importat realem distinctionem inter missum, & mittentem.

*Gregorius explicatur.* 57. Ad authoritatem Gregorij pro secũda sententia adductam, Respondeo, eo loco Gregorium missionem accepisse pro emissione. Etenim hoc interest inter emissionem, & *Palatius.* missionem, vt notauit Palatius suprà citatus: quòd emissio originem tantũ denotat termini emissi ab emittente, emittere enim est extra mittere. Vnde quidquid aliquo modo intra principium continetur, cùm producitur, emitti dicitur; quia ex vi productionis fit extra suum principium. Missio verò importat communicationem auctoritatis ad munus aliquod extra mittentem exercendum. Vnde præter æternam originem in diuinis, importat temporalem operationem ad extra.

58. Ad Fundamentum autem nego, ad propriam missionẽ, etiam physicam sat esse, vt terminus vi originis accipiat simpliciter esse: tum quia passio & actus vitalis in nobis vi originis accipiunt esse, & tamen non dicuntur mitti à suis principijs. Tum quia ad propriam missionem requiritur, vt quod mittitur, aliquo modo fiat extra principium, à quo mittitur, vel loco & situ vt in missione creata, vel saltem operatione appropriata termino, vt in missione increata. Tum demum, quia missio propriè dicta supponit esse eius, quod mittitur, & superaddit nouum respectum ad terminum, ad quem mittitur. Quare in hoc sensu nec lumen propriè mittitur à sole, nec flos ab arbore.

## SECTIO III.

### *Quotuplex sit Missio, & an in qualibet missione semper mittatur aliqua persona diuina?*

59. QVADRIFARIAM diuidi potest missio diuina: primo ex parte mittentis: secundò ex parte missi: tertiò ex parte modi tendendi ad terminum missionis: quartò ex parte ipsius termini. Cùm enim missio sit progressio missi à mittente ad nouum terminum virtute mittentis peragendum, non potest aliundè diuersificari, quàm ex enumeratis quatuor capitibus. Est igitur ex parte mittentis missio diuina duplex, Patris mittentis Filium; & vtriusque mittentis Spiritum sanctum. Et etiam ex parte missi duplex, Filij à solo Patre, & Spiritus sancti ab vtroque. Ratio vtriusque diuisionis est, quia solæ personæ producentes possunt mittere, solæ verò procedentes mitti: atqui duæ tantùm sunt personæ producentes, duæ itidem procedentes: duæ igitur erunt missiones ex parte mittentis, totidem ex parte missi. Ex parte modi tendendi ad terminum missionis est etiã duplex, altera ad subsistendum, vt missio Verbi ad subsistendum in natura humana Christi: altera ad apparendum, vt missio Spiritũs S. in signo columbæ in Iordane; nubis lucidæ in transfiguratione; halitus humani in insufflatione Christi. Ioan. 20. linguæ igneæ, & soni atque Spiritus vehementis in Pentecoste. Addi posset & tertia Verbi incarnati in Sacramento Eucharistiæ, per vnionem sacramentalem cum speciebus Eucharisticis, ad quas quotidie mittitur, & in quibus peculiari modo existit Christus vt cibus animæ. Ex parte termini diuiditur in visibilem, cuiusmodi sunt omnes enumeratæ, & in inuisibilem, qualis est illa, quæ fit ad animam iusti per gratiam sanctificantem.

60. De hac postrema missione inuisibili per gratiam potissimę difficultates sunt sex. Prima: an semper cum gratia detur iusto aliqua persona diuina. Secunda. An cum infusione quorumcunque donorũ donetur creaturę persona diuina. Tertia: an saltem cum infusione quorumcunque donorum supernaturalium, & augmento ipsorum detur persona diuina. Quarta: an mitti donarique possit inuisibiliter persona diuina; absque vllo dono creato in creatura producto. Quinta: an per hanc missionem inuisibilem mitti seu donari possit vna persona sine alia. Sexta: an homo iustus, vel Christus vt homo dare possit personam Diuinam.

61. Quoad primam difficultatem refert Magister in 1. Dist. 14. c. 3. fuisse aliquos, qui *Magister.* existimarunt, non dari nobis cum ipsa infusione gratiæ & donorum supernaturalium personas diuinas, sed earum duntaxat creata dona. Probatur primò hæc sententia ex Patribus. Chrysost. hom 3. de Spiritu S. quę in- *Chrysost.* cipit, *Heri: Vt dicatis*, inquit, *quòd donum mittitur, Spiritus autem non mittitur.* Et paulò pòst: *Alia est virtus, quæ conceditur, & alius est Spiritus, qui concedit*: Beda homilia in Domi- *Beda.* nica post Ascensionem. *Cùm gratia*, inquit, *Spiritũs S. datur hominibus, profectò mittitur Spiritus.* Igitur in eius sententia nihil aliud est, Spiritum S. mitti in animã iusti, quã ipsius gratiã illi infundi. Secũdò probatur ratione: quia dari seu mitti ad nos personas diuinas, nihil est aliud, quàm earum dona nobis conferri. Antecedens probatur: quia cùm personæ diuinæ sint vbique per immensitatem præsentes, non possunt ipsæ nouo modo nobis adesse: igitur dari nobis personas diuinas nihil aliud est, quàm earum dona à nobis participari. Confirmatur, quia quod datur, fit sub possessione & dominio accipientis.

pientis. Nulla autem persona diuina fieri potest sub possessione & dominio creaturæ. Igitur nulla persona diuina potest nobis donari.

62. Contraria tamen sententia affirmans, cum ipsa infusione donorum donari nobis etiam personas diuinas, est adeo certa, vt opposita à S. Tho. 1.p.q.43.art.3.in 1.arg. Canarienſi ibi.in 1.& 2. parte sui cõmentarij, Bannez ibidem, Suarez lib.12.de Trinit. c.5. appelletur erronea; à Molina verò ibidẽ disp. 3. conclu. 3. & ab alijs, fidei Catholicæ parum consentanea. Ego verò illam ad minimum censeo errori proximam, eò quòd sit contra expressa Scripturæ testimonia, accedente communi auctoritate Scholasticorũ cum Magistro in 1.dist. 14. nec non communi Patrum consensu, qui hanc veritatẽ passim docent. Aug. 15. de Trinit. c.26. *Ipse est*, inquit, *qui de cœlo etiam datus est in die Pentecostes.* Et mox: *Quomodo ergo Deus non est, qui dat Spiritum sanctum? imò quantus*, inquit, *Deus est, qui dat Deum?* & de verbis Apostoli sermone 15.columnâ 8. *Contemne*, inquit, *Spiritum tuum: accipe Spiritum Dei. Nõ te timeat Spiritus tuus, ne cũ cœperit in te habitare Spiritus Dei, angustias patiatur in corpore tuo. Cùm habitare in corpore tuo cœperit Spiritus Dei, non inde excludet Spiritum tuũ.* Et mox: *Suscipe*, inquit, *Spiritum Dei.* Et paucis interiectis: *Et dic illi, Domine Deus noster posside nos*, Idem docet sermone 43. de Verbis Domini columnâ 1. his verbis: *Dedit dona hominibus. Quæ dona? Spiritum S. Quis tale dat donum, qualis ipse est? magna est misericordia Dei. Donum dat æquale sibi, quia donum eius Spiritus S. est & vnus Deus, tota Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus S.* Idem passim docent reliqui Patres.

*S. Thomas. Canarien. Bannez. Suarez. Molin. Censura apposita sententiæ.*

*Magister. Augustin.*

63. Eadem veritas expressè deducitur ex Scriptura, in qua modo personę Diuinę dicuntur venire ad nos, & apud nos manere, Ioann.14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Et de Spiritu sancto eodem capite dicitur: *Apud vos manebit, & in vobis erit.* Modò dicũtur dari nobis. Ad Roman.5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Modò ad nos mitti. Ioannis.15. *Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis.* Veniunt autem, & dantur nobis non solùm personæ procedentes, sed etiam producentes: mittuntur verò solùm personæ procedentes. Vnde etiam Pater venit & datur nobis per gratiam: at solus Filius & Spiritus sanctus per gratiam mittitur. Cuius ratio est, quoniam *mitti*, præter infusionem gratiæ, importat passiuam originem personæ, quæ cum gratia mittitur, quam non importat verbum, *Venire*, & *Dari*. Quare potest persona à se ipsa venire, & se ipsam dare; non autem à se ipsa mitti.

*Ioan.14.* *Ad Rom.5.* *Ioan.15.*

64. Vltimò hæc ratio pro hac sententia formari potest. Creatura rationalis in sua iustificatione non solùm accipit dona creata, sed his mediantibus peculiari modo attingit personas ipsas increatas: ergo non solùm accipit dona creata, sed cum ijs etiam personas ipsas increatas. Antecedens constat, nam per gratiam & habitus cum ea infusos, attingit omnes Diuinas personas, vt peculiare obiectum in hac vita fruibile per charitatem & reliqua dona supernaturalia; nec non vi eorundem donorum accipit iustus Deum, vt specialem protectorem, & rectorem animæ suæ; & præterea ius ad possidendum illum in alia vita per visionem beatificam. Consequentia verò probatur: nam tunc dicimur rem aliquam vt nostram possidere, quando illam attingimus, vt attingibilis à nobis est: attingibiles autem à nobis sunt Diuinæ personæ tum per modum obiecti charitate, & visione beatâ fruibilis; tum per modum protectoris & tutoris animæ nostræ. Igitur cùm per gratiam & habitus infusos personas Diuinas attingimus per modum obiecti fruibilis, & specialis protectoris, atque tutoris animæ nostræ, verè dicimur illas vt nostras in iustificatione accipere ac possidere. Confirmatur, quia per gratiam non solùm accipimus habitum perfectæ charitatis, cæteraque dona infusa, quibus pro nostra libera potestate possimus Deo in hac vita frui, sed etiam ius ad gloriam ipsam, quâ perfectè illum videre, & frui in alia vita valeamus. Ergo cum infusione gratiæ non solùm conceduntur nobis dona creata, sed etiam personæ ipsæ increatæ, vt obiectum perfectè fruibile, tum in hac, tum in alia vita.

65. Zumel 1.p. quæst.43. art.3. quæst. suâ primâ, & Suarez loco cit. putant, hunc modum non sufficere, ad hoc vt Diuinæ personæ dicantur ad nos venire, nobisque donari, sed necessariam censent maiorem aliquam vnionem inter Diuinas personas, & animam iusti, vi cuius illæ speciali titulo fiant nobis substantialiter præsentes. Fundamentum eorum est: quoniam dari nobis personas Diuinas solum modo vt obiectum fruibile, non est dari nobis personas ipsas substantialiter, & secundùm earum intimam præsentiam, sed tantùm intentionaliter, & secundùm extrinsecam terminationem: Vnde etiamsi per impossibile personæ Diuinæ non essent per immensitatem vbique præsentes, imò nec existentes, adhuc possent esse nobis intentionaliter, & obiectiuè præsentes: eò quòd ad huiusmodi præsentiam non requiratur substantialis præsentia rei; nam etiamsi res ipsa non sit substantialiter præsens, imò nec existens, poterit obiectiuè terminare actum nostræ cognitionis, & amoris.

*Zumel. Suarez.*

66. Docent igitur præter hunc modum præsentiæ obiectiuę, quò Diuinæ personę dicuntur esse in anima iusti, vt cognitũ in cognoscente,

gnoscēte & amatum in amāte, habere alium modum præsentiæ, quo illæ speciali titulo fiant nobis substantialiter pręsentes per gratiam: ita vt si per impossibile, non essent præsentes ratione immensitatis, fierent hoc nouo titulo substantialiter præsentes: & consequenter illæ non sunt sicut cognitum in cognoscente, & amatum in amante tantùm extrinsecè & intentionaliter: sed sicut cognitū in cognoscente, & amatum in amante intrinsecè & substantialiter. Eadem ratione docent, per gratiam Deum fieri substantialiter præsentem animæ per modum rectoris atque tutoris, intrinsecus illam inhabitantis atque possidentis.

*Zumel.* 67. Hunc autem modum sic probat primò Zumel. Gratia est quædam specialis participatio naturę Diuinæ: ergo aliquâ ratione participare debet ineffabilem illū modum, quo natura Diuina habet suas personalitates sibi intimè præsentes, non modò obiectiuè & intentionaliter, verùm etiam subiectiuè & essentialiter.

*Suarez.* 68. Secundò sic probat Suarez, Gratia est perfectissima amicitia inter Deum & hominem: de ratione autem perfectæ amicitiæ est intima & substantialis præsentia amicorum: igitur gratia suapte natura postulat intimam præsentiā Dei, Diuinarumq; personarum in anima iusti. Confirmat, quia sicut lumē glorię suapte naturâ postulat Deum intimè prę-sentem per propriam ipsius substantiam in intellectu beati: eadē ratione gratia postulat Deum intimè præsentem, vt amicum, protectorem, & habitatorem templi animati per sanctificantem gratiam consecrati.

*S. Thomas. Reliqui Theologi.* 69. Ego verò primum modum prædeclaratum, qui est S. Tho. 1. p. q. 43. a. 3. & reliquorum Theologorum ferè communis, sat esse existimo, vt simul cū gratia & charitate vere & propriè dicantur personæ ipsæ Diuinæ ad nos venire, & apud nos manere, & in nobis tanquam in proprio templo habitare: quod probo primò, quia cùm aliquid de nouo nobis cognoscendum obijcitur, in omni proprietate Latini sermonis illud dicitur in mentem nobis venire. Prætereà cùm aliquis alicui in tutorem aut protectorem assignatur, talis persona verè & propriè moraliter dicitur dari illi, in cuius tutelam & protectionem assignatur: esto nec obiectum cognoscēti, nec tutor aut protector pupillo fiat substantialiter præsens: ergo etiamsi per infusionē gratię, donorumq́ue super naturaliū personę Diuinæ non fiant nobis peculiari titulo substātialiter præsentes, adhuc illæ verè & propriè dicentur ad nos venire, nobisque donari, & apud nos manere, & tanquam in proprio templo in nobis habitare, ex eo tantùm, quòd nobis fiant peculiariter præsentes per modum obiecti & finis fruibilis, specialemq; curā de nobis suscipiant in ordine ad finem supernaturalem acquirendum.

70. Secundò probo. Non intimior præsentia substātialis requiritur, vt persona Diuina dicatur mitti & venire in animam iusti per inuisibilem gratiā: quàm eadem persona mitti & apparere dicatur in aliquo signo sensibili: sed vt verè & propriè persona Diuina mitti & apparere dicatur in aliquo signo sensibili, non est necesse, vt ex vi talis missionis & apparitionis nouo titulo illa fiat substātialiter præsens in tali signo: ergo vt verè & propriè persona Diuina dicatur mitti, & venire in animā iusti, non erit necesse, vt ex vi talis missionis & aductus illa fiat substantialiter præsens iusto. Maior constat: cùm non minùs persona Diuina dicatur peculiari modo existere in signo sensibili, in quo tanquam in proprio symbolo se manifestat, quàm in anima iusti, in quā tanquam in proprium templum venit. Minor probatur, nam si aliunde ratione immensitatis persona Diuina non supponeretur substantialiter præsens in signo sensibili, ex vi talis missionis seu apparitionis, non fieret in illo substantialiter præsens: cùm ex vi talis missionis seu apparitionis persona Diuina non gerat, nisi vicem termini repræsentati, ad quod per se non requiritur substantialis prędsentia termini, cùm possit etiam res absens repræsentari.

71. Tertiò. Etiamsi per gratiam personæ Diuinæ peculiari titulo non fiant substantialiter præsentes in anima iusti, immediatè & formaliter, fiunt tamen peculiari titulo substantialiter præsentes, remotè & radicaliter, quatenus cum ipsa gratia datur ius ad visionem beatam, quę peculiari titulo postulat intimam, substantialemq́ue præsentiam Diuinarum personarum: est enim visio beata essentialis tendentia ad Deum in se ipso præsentem & existentem: vi cuius, si per impossibile Deus non esset ratione immensitatis vbique præsens, deberet secundùm propriam substantiam esse intimè præsens in intellectu beati. Quod autem hoc sufficiat, vt peculiari titulo personæ Diuinæ dicantur substantialiter præsentes in anima iusti per infusionem gratiæ, probatur: nam visio beata est proprietas naturaliter debita gratiæ. Est enim gratia singularis participatio Diuinæ naturæ, secundùm esse supernaturale & proprium ipsius. Vnde debita est illi peculiaris participatio modi cognoscendi ipsius Dei, qui est cognoscere illum in se ipso existentem, nullo medio creato interueniente. Porrò qui recipit formam, recipit consequentia ad formam: proinde qui recipit gratiam, cum ea simul radicaliter recipit visionem beatam: quia recipiendo gratiā, recipit omnia, quæ necessaria sunt ad consequēdam visionē beatam: quia præcipit Deum, vt specialiter iuuantem & promouentem iustū ad gloriam consequendam: atque adeo ratione visionis beatę debitæ gratię dici possunt personæ Diuinæ speciali titulo substantialiter dari iustis cum ipsa gratia.

72. Confirm. nam homo habitu tantū in iustificatione recipit personas Diuinas, vt obiectum fruibile, quatenus in actu primo accipit omnia, quibus liberè possit habere

personas

personas Diuinas, vt obiectum actu fruibile: ergo etiamsi homo in iustificatione cum ipsa gratia non accipiat Diuinas personas peculiari titulo substantialiter præsentes actu, quia tamen accipit in actu primo omnia, quibus liberè possit peruenire ad actũ visionis beatificæ, vi cuius peculiari titulo personæ Diuinæ fiunt in ipsius intellectu substantialiter præsentes, dici moraliter potest illas actu & formaliter accipere substantialiter præsentes cum ipsa gratia, cum qua confertur completa potestas & ius ad habendam talem præsentiam Diuinarum personarum actu & formaliter.

73. Quartò principaliter probatur nostra sententia, destruendo fundamentum oppositæ; quoniam non apparet modus, quo gratia, vel vllus habitus viatori infusus in hac vita, suaprè natura petat intimam & substantialem præsentiam Diuinarum personarum; ita vt si per impossibile illæ non essent substantialiter præsentes per immensitatem, necessariò fieri deberent præsentes vi gratiæ, vel talis habitus viatori infusi: nam vel illas peteret substantialiter præsentes sub ratione obiecti, vel sub ratione principij efficientis: neutro modo posset illas substantialiter præsentes petere: ergo. Maior constat, quia gratia, vel habitus non potest, nisi hoc duplici modo Deum respicere: ergo non potest, nisi alterutro ex his illum, vt substantialiter præsentem petere: quia non potest illum petere, nisi secundùm modum, quo illum potest recipere. Minor probatur quoad primum membrum: quoniam nullus habitus viatoris proprius postulat in Deum ferri, vt in se ipso immediatè existentem, alioqui ille foret beatificus, quia repræsentaret Deum immediatè, nullo medio creato interueniente, quod est proprium habitus beatifici. Nec poterit esse habitus moralis: quia cùm hic ad obiectum ferri nequit, nisi vt repræsentatum per actum intellectus, cui essẽtialiter subordinatur, si nullus in hac vita dabilis est habitus intellectualis, qui ad Deum feratur in se ipso existentem, nec dabilis erit habitus moralis, qui peculiari titulo postulet ferri ad Deum, vt in se ipso existentem.

74. Probatur eadem minor quoad secundum membrum: tum quia ratio causæ efficientis per se non postulat immediatam præsentiam suppositi agentis, sed ad summum virtutis cum suo effectu: vnde si per impossibile Deus non esset immensus, adhuc per locum intrinsecũ non sequeretur, quod non posset agere, vbi non esset substantialiter præsens: ergo exeo, quòd Deus per gratiam fiat peculiaris motor & rector animæ per speciales illustrationes, & effectus mentis, non sequitur, quòd peculiari titulo fiat substantialiter præsens animę: quia, cùm hic titulus sit causæ efficientis, per se non affert substantialem præsentiam principij cum effectu, & multò minùs cum concausa: tum quia iste titulus præsentiæ non est diuersus ab illo, quem Deus habet in omnibus rebus creatis, ratione cuius dicitur esse præsens in omnibus per potentiam operatiuam: cùm tamen Theologi, præter illos tres communes titulos præsentiæ, quos Deus habet cum rebus omnibus, peculiarẽ agnoscant titulum à cæteris distinctum, & proprium animæ iustorum, quàm Deus inhabitare dicitur, tanquam proprium templum.

75. Dices. Præter hos duos modos ad instar obiecti, & principij efficientis, dabilis est alius ad instar termini intrinsecè terminantis, cuiusmodi est ille, quo persona Verbi intrinsecè terminat humanitatem per intimam, & substantialem præsentiam sui. Respondeo: fateor possibilem esse alium modum, sed hîc tribui non potest gratiæ, vel alicui habitui infuso: quia hic modus essentialiter petit componere vnum cum persona Diuina, ad quam terminatur, vt nexus & vnio illius cum creatura. Gratia autem, vel habitus infusus nullam compositionem postulat cum personis Diuinis, sed solũ petunt terminari ad illas, vel tanquam ad obiectum fruibile, vel tanquam ad principium effectiuum.

76. Ex hic constat ad fundamentum oppositæ sententiæ, quâ videlicet ratione personæ Diuinæ dicantur peculiari titulo per gratiam sanctificãtem ad nos venire, nobisque donari: primò, quia veniunt, nobisque donantur, vt obiectum fruibile, quod licet in hac vita non requirat substantialem præsentiam cum potentia ipsa fruente; adhuc tamen ratione illius, personæ ipsæ Diuinæ dicuntur nobis moraliter donari. Secũdò, quia hanc substantialem præsentiam Diuinarum personarum, saltem postulat gratia ratione visionis beatæ, quę est connaturalis proprietas ipsius.

77. Vnde ad primum argumentum Zumel, nego consequentiam: est enim talis modus imparticipabilis à creatura; cùm enim ille immediatè fundetur in identitate naturæ Diuinæ cum suis personalitatibus, implicat creaturam participare talem identitatem cum personalitatibus Diuinis; atq; adeo talem modũ: nec ab ipso aduersario hactenus probatum est, posse dari alium modum, quo gratia essentialiter exigat substãtialem præsentiam Diuinarum personarum. *Zumel.*

78. Ad secundum Suarez distinguenda est minor: de ratione perfectæ amicitiæ est intima præsentia amicorum, iuxta statum & conditionem amicitiæ & concedo; absolutè & nego. Cùm igitur status amicitiæ hominis ad Deum in hac vita non postulet frui immediatâ præsentiâ ipsius; nã hoc est proprium amicitię beatorum, nõ necessariò postulat substantialem præsentiam subiectiuam Diuinarum personarũ, sed sufficit obiectiua & intentionalis, qualis sat est ad actus amicitiæ hominis viatoris erga Deum. Ad confirmationem patet ex dictis. *Suarez.*

79. Ad primum argumentum, quo probatur, cum gratia non dari nobis personas

Diuinas,

Chrysost. Diuinas, Resp. eo loco Chrysostomum solùm negare, personas Diuinas cum dono creato localiter ad nos mitti, vt constat ex ipsius discursu. Testimonium autem Bedæ potiùs est pro nobis: nam, si ex eo, quòd datur gratia, mittitur Spiritus S. igitur præter donum creatum, datur etiam increatum: cùm *Mitti* referri nequeat ad donum creatum, sed ad increatũ. Ad rationem verò, nego antecedens: nam præter dona creata, peculiari etiam titulo accipimus personas ipsas increatas, tum vt obiectum fruibile, tum vt specialem animæ rectorem, tutorem, atque magistrum. Ad probationem antecedentis, distinguo antecedens: non possunt personæ Diuinæ nouo modo nobis adesse per mutationem ipsarum, concedo; per mutationem nostri, nego: nã prẹter illos communes modos, quibus Deus est in rebus omnibus, potest peculiari alio titulo adesse nobis, non per sui, sed nostri mutationem. Ad confirmationem distinguo minorem: nulla persona Diuina fieri potest sub possessione & dominio creaturæ, per modum famuli, vel ad instar medij ordinati in vlteriorẽ finem consequendum, concedo; per modum obiecti & finis à creatura liberè fruibilis, nego: hoc enim nullam importat imperfectionem, sed summam in Deo perfectionem, supponit enim, quòd ipse tantùm sit vltimus finis & obiectum beatificum nostrum.

Bedæ.

Durandus. Aureolus. 80. Quoad secundam difficultatem Durandus in 1. dist. 14. q. 3 & dist. 15. q. 4. ad argumenta, Aureolus dist. 14. a. 1. propos. 2. & 3. & dist. 15. art. 2. affirmãt, non solùm ad nos mitti personas Diuinas, cùm ad gratuita dona euehimur, sed etiã cùm naturalia participamus, licet perfectiùs per illa, quàm per hæc, personæ Diuinæ ad nos mittantur. Fundamentũ, quia sicut omne verũ est manifestatiuum Filij, cùm omne verũ sit nuncius æterni Verbi: ita omne bonum est manifestatiuum Spiritûs S. ergo per omne verũ mittitur Filius; & per omne bonum Spiritus S. Consequẽtia probatur, quoniã missio finaliter est ad manifestandam personam, quæ mittitur: ergo si omne verũ est manifestatiuum Filij, & omne bonum est manifestatiuum Spiritûs S. per omne verum mittitur Filius, & per omne bonum Spiritus S.

Scholastici. Magister. S. Thomas. 81. Opposita tamen sententia, quæ affirmat, per sola dona gratuita Diuinas personas ad nos mitti, nobisque donari, communis est Scholasticorum cum Magistro in 1. dist. 17. c. 6. & S. Tho. 1. p. q. 43. art. 3. Fundamentum, quoniam per ea tantùm dona personæ Diuinæ ad nos mittuntur, per quæ nouo modo in nobis existunt: atqui per dona naturalia Diuinæ personæ non existunt in nobis nouo modo: igitur per ea Diuinæ personæ ad nos non mittuntur. Maior patet, nam ratione creationis, conseruationis & gubernationis Diuinæ personæ sunt per essentiam, potentiam, & præsentiam intimè præsentes rebus omnibus: ergo non possunt ad eas mitti, nisi nouo modo in illis existant: cùm nequeant personæ Diuinę mitti, vbi iam supponuntur esse per eundem modum operandi. Cùm enim personæ Diuinæ non mittantur per motum localem, sed per operationem, quam exercent in creaturis, non possunt ad eas mitti, nisi nouam in illis operationem exerceant: cùm igitur Diuinæ personæ ratione creationis, conseruationis, & gubernationis supponãtur adesse rebus omnibus, non possunt ad eas mitti, nisi nouam in illis exerceant operationem. Minor verò probatur, quia cùm dona naturalia sint complementum naturæ, eorum productio pertinebit ad eundem ordinem naturæ: ac proindè per illa personæ Diuinę non dicentur nouo modo existere in creaturis, & consequenter nec ad eas mitti. Quo circa quando Deus vt author naturæ vel concurrit cum causis naturalibus ad earum effectus, vel supplet earum defectum, aut quodcunque donum naturale producit, non dicitur ratione talis doni, vel concursus, nouo modo existere in creaturis, sed potiùs eundem modum, quem ab initio creationis in rebus omnibus habuit, continuare.

82. Dices. Ergo saltem Diuinæ personæ sunt ad creaturas missæ initio creationis, quia tunc nouo modo ratione creationis inceperunt existere in illis. Respondeo, negando consequentiam, quoniam missio propriè supponit existentiam personæ, aut rei, ad quam missio ipsa dirigitur: cùm igitur per creationem res primò incipiant esse, non possunt ratione illius Diuinæ personæ ad eas mitti.

83. Ad Fundamentum oppositæ sententiæ distinguendum est antecedens: omne verum, & omne bonum est manifestatiuum Filij, & Spiritûs S. peculiari titulo existentium in creaturis, nego; communi modo ac titulo, concedo: missio autem non fit ad manifestandũ hunc communem modum, quẽ Deus habet in rebus omnibus, sed ad peculiarem, quem habet in creatura rationali, tanquam in proprio templo: ratione cuius peculiaris modi dicuntur personæ Diuinæ temporaliter ad extra procedere.

Gabriel. Palatius. Torres. Granadus. Suarez. 84. Quoad tertiam difficultatem Gabriel in 1. dist. 14. q. 1. art. 1. & q. 2. art. 2. concl. 3. Palatius disp. vnicâ cõcl. 4 Torres 1. p. q. 43. art. 3. 1. p. sui Commen. Granadus disp. 3. Suarez lib. 12. de Trinit. c. 5. & alij putant, personas Diuinas ad nos mitti non posse, nisi per donum gratiæ gratũ facientis. Fundamentum, quia personę Diuinæ non mittuntur, nisi ad sanctificandas animas: porrò animę non sanctificantur, nisi dono gratiæ gratum facientis: Confirmatur, quia personæ Diuinæ mittuntur ad nos, vt eas habeamus, ijsque perfruamur: nequit autem creatura Diuinas personas habere, ijsque perfrui, nisi per donum gratiæ gratum facientis; nam hoc tantùm dono creatura rationalis consecratur Deo, efficiturque propriũ templũ ipsius, iuxta illud primæ Corinth. 3 *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* 1. Cor. 3.

85. Contrà

*Caietanus.*

85. Contrà vero Caietan. 1. p. q. 34. a. 3. docet quamuis sub-obscurè, personas Diuinas ad nos mitti etiam per actus fidei informis; & consequenter non solùm per donum gratiæ gratum facientis, sed per quodcunq; supernaturalis ordinis. Fundamentum esse potest, quia per quodcunque donum supernaturale Deus nouo modo existit in creatura rationali, vt cognitum in cognoscente, & amatum in amante.

*Alensis. Bonauent. Richardus. Rubio. Vasquez. Molina. Ruiz.*

86. Ego in hac re cum Alense 1. p. q. 73. memb. 4. art. 2. Bonauentura in 1. dist. 15. p. 2. art. 1. q. 1. Richardo art. 4. q. 2. & art. 5. q. 2. Rubione dist. 14. q. 2. art. 1. Vasquez 1. p. q. 43. in commentario articuli tertij, Molina disp. 3. Ruiz disp. 109. sect. 1. & alijs mediâ viâ incedendum existimo, vt scilicet perfecta missio Diuinarum personarum ad nos non fiat, nisi dono gratiæ sanctificantis; imperfecta verò & inchoata, quocunque alio dono supernaturali. Hanc assertionem primò colligo ex August. 4 de Trinit. c. 20. vbi explicans hanc inuisibilem missionem Diuinarum personarum, quæ ad nos fit per dona supernaturalia: *Tunc*, inquit, *vnicuiq; mittitur, cùm à quoquam cognoscitur, atque percipitur, quantum cognoscat & percipi potest pro captu vel proficientis in Deum, vel perfecta in Deo anima rationalis.* Cùm igitur distinguat hic Doctor missionem Diuinarum personarum ad nos per cognitionem vel proficientis in Deum, vel animæ perfectę in Deo, non obscurè indicat, huiusmodi missionem non tantùm fieri per donũ gratię gratum facientis, significatum per animam in Deo perfectam, sed per quodcunque aliud donum, quo anima supernaturaliter illustrata tendit ad perfectum statum gratiæ.

*Augustin.*

87. Secundò probo ratione, & quidem priorem partem assertionis probat fundamentum primæ sententiæ. Posteriorem verò ostendo hoc pacto. Per omne illud donum personæ Diuinę ad nos mittuntur, per quod nouo modo ac titulo incipiunt esse in nobis: atqui per quodcunque donum supernaturale nouo modo ac titulo personæ Diuinæ incipiunt esse in nobis, licet per donum gratiæ sanctificantis completè & perfectè, per alia verò inchoatè & imperfectè: igitur per quodcunque donum supernaturale personæ Diuinæ ad nos mittuntur. Maior constat: nã personas Diuinas ad nos mitti non est aliud quàm nouo titulo in nobis existere: cũ enim illæ per immensitatem sint vbiq; præsentes, non possunt dici ad nos venire vel mitti, nisi nouo modo distincto à cæteris incipiant esse in nobis. Minor probatur, quia quantò donum supernaturale recedit à dono naturali, & accedit ad donum gratiæ, tantò modus ipse, quo Deus ratione talis doni in nobis existit, recedit à modo, quo existit in rebus omnibus: sed quodcunque donum supernaturale maximè recedit à dono naturali, & proximè accedit ad donum gratiæ, cũ sit eiusdem ordinis, & dispositio ad illã: ergo & modus, quo ratione doni supernaturalis Deus existit in nobis, maximè recedit à modo, quo idem Deus existit in rebus omnibus, & proximè accedit ad modum, quo peculiari titulo existit in nobis per gratiam. Igitur per donum supernaturale Deus diuerso modo existit in nobis, atque in rebus omnibus.

88. Confirmatur. Ita se habet quodcunque donum supernaturale ad gratiam sanctificantem; sicut dispositio naturalis ad formam naturalẽ: sed eodem titulo, quo Deus existit in creaturis ratione formæ, existit ratione naturalis dispositionis ad talem formam, nisi quòd ratione illius existit inchoatè & incompletè; ratione verò huius completè & perfectè: ergo eodem titulo, quo Deus existit in creatura rationali per gratiam, in eadem existit per quodcunque aliud donum supernaturale, licet per hoc inchoatè & imperfectè, per illam verò completè & perfectè. Maior probatur, quia omne donum supernaturale disponit ad gratiam, tanquam naturalis dispositio ad formam perfectã: nam omne donum supernaturale eò tendit, vt animã aliquo modo vniat cum Deo, quàm vnionem animæ cum Deo perficit & complet gratia ipsa sanctificans, quę est perfecta participatio naturę Diuinę. Minor constat, quia sicut dispositio non est diuersi ordinis à forma, sed eiusdẽ cum illa: ita nec modus, quo ratione illius Deus existit in nobis, est diuersus ab eo, quo ratione huius idem Deus in nobis existit.

89. Ex his deducitur, non solùm per habitus supernaturales informes, cuiusmodi sunt habitus Fidei, & Spei supernaturalis sine gratia sanctificante, sed etiam per actus supernaturales informes, cuiusmodi sunt actus Fidei, Spei, & Attritionis supernaturalis à peccatore eliciti, Diuinas personas ad peccatorem mitti, non quidem completè & simpliciter, sed inchoatè & secundùm quid. Secundò deducitur, corruptâ gratiâ & charitate per peccatum mortale in peccatore, adhuc cum ipso manere Diuinas personas secundũ quid, ratione habitus Fidei, & Spei, qui etiam corruptâ gratiâ in peccatore manent: quod docuit Rubio loc. præcit.

*Rubio.*

90. Quoad aliam controuersiam priori annexam, an personæ Diuinæ mittantur ad animam iusti per quodlibet augmentũ gratiæ gratum facientis. Affirmant Richar. in 1. dist. 15. a. 5. q. 2. ad 2. Durãd. q. 4. in fine Suarez 12. de Trin. c. 5. & alij. Fundamentum, quia quodlibet augmentum gratiæ est de se sufficiens, vt vi illius nouo titulo personæ Diuinæ in nobis existant. Negant verò alij, eò quòd ad missionem propriè dictam requiritur, vt vi illius personę Diuinæ nouo titulo existant in nobis: atqui per augmentum gratiæ personæ Diuinæ non existunt nouo titulo in nobis.

*Richardus. Suarez. Durand.*

91. Vera autem sententia est, quã tradit S. Tho. 1. p. q. 43. a. 6 ad 2. quã reliqui ferè Scholastici ac Theologi sequuntur, nõ per quodlibet augmentũ gratiæ Diuinas personas ad

*S Thom. Reliqui Theologi.*

nos

nos mitti, sed per illud dumtaxat, quo euehimur ad nouum statum, vel extendimur ad nouum opus arduum, atque heroicum. Priorem partem probat argumentum secundæ sententiæ. Posteriorem verò confirmat missio Spiritus sancti facta in die Pentecostes: per quam non solùm missus fuit Spiritus sanctus propter externum signum visibile, in quo apparuit, sed multò magis propter interna dona inuisibilia, quæ collata fuerunt Apostolis, ad quos peculiari titulo sanctificandos missus fuit Spiritus sanctus. Missus autem fuit ad eos peculiari titulo Spiritus sanctus non propter augmentum gratię simpliciter, sed propter heroica dona ac dotes, quæ cum tali augmento fuerunt illis collatæ. Ratio verò est: quia quãdo cum augmento ipso gratiæ confertur nouum donum, vi cuius iustus vel euehitur ad nouum statum, vel extenditur ad noua opera ardua, personæ Diuinæ nouo titulo existunt atque inhabitant in nobis.

92. Dices. Per nullius doni naturalis collationem personæ Diuinæ dicuntur ad nos mitti: ergo nec per vllum augmentum gratiæ. Consequentia probatur: nam idcò per nullius doni naturalis collationem personæ Diuinæ mittuntur, quia omnis naturalis doni collatio est complementum naturæ, quod per se non affert nouum modum existendi ab eo, quo Deus existit in rebus omnibus, sed eundem tantùm auget. Sed quodlibet augmentum gratiæ est complementum gratiæ: ergo nullum augmentum gratiæ per se affert nouum modum existendi, quo Deus est in nobis per gratiam, sed eandem tantùm auget. Respondeo, negando consequentiam: tum quia sicut per creationem Diuinæ personæ non dicuntur mitti, quia mitti supponit esse rei, ad quam fit missio: ita nec per dona naturalia, quæ sunt complementum creationis. Contrà verò sicut per gratiam mittuntur, ita per augmentum ipsius, quando augmentum coniungitur cum aliquo dono afferente nouum modum essendi: tũ quia nullum donũ naturale affert nouum modum existẽdi Dei in rebus: quia si naturale est, debitum est naturæ, in qua saltem radicaliter & exigitiuè continetur: atque adeò non potest, nisi eundem modum augere. At potest donũ supernaturale afferre nouum modum existendi, quia non omnia dona supernaturalia sunt connaturaliter debita cuilibet gratiæ.

93. Ex his deducitur 1. Diuinas personas peculiari titulo mitti ad beatos ratione visionis gloriosæ, vi cuius Deus fit intimè & substantialiter præsens in intellectu beatorum: ita vt si per impossibile Deus non esset vbique præsens per immensitatem, ratione visionis beatæ deberet esse substantialiter prę-sens in intellectu beati: ex eo quòd visio beata essentialiter est ad Deum in seipso præsentem atque existentem, nullo medio creato interueniente. 2. Peculiari etiam titulo Diuinas personas mitti ad iustos in hac vita, cùm in statum alicuius religionis, aut prophetiæ euehuntur: vel cùm per susceptionem alicuius Sacramenti nouâ gratiâ Sacramentali donantur, ad specialem aliquem finem ordinata.

94. Quoad quartam difficultatem, Negant Capreolus in 1. dist. 14. art. vnico §. *Ad primum Gregorij.* Molina 1. p. qu. 93. art. 3. disp. 3. circa finem. Valentia punct. 4. Suarez lib. 12. de Trinit. cap. 5. Granadus loco præcit. disp. 3. Fundamentum, quia missio non competit Diuinis personis per mutationem intrinsecam, sed extrinsecam existentem in ipsa creatura, ad quam mittuntur: igitur implicat personas Diuinas ad creaturam mitti, absque intrinseca & reali mutatione ipsius creaturæ. Antecedens constat, quia personæ Diuinæ non sunt intrinsecæ mutationis capaces. Consequentia verò probatur, quia implicat personas Diuinas dẽnominari ex tempore realiter missas, absque reali forma missionis. Confirmatur. Implicat personas Diuinas in tempore apparere, absque reali forma apparitionis: ergo pariter implicabit in tempore mitti, absque reali forma missionis. Probatur secundò, nequit persona Diuina ad creaturam mitti, nisi nouo modo existat in illa: nequit autem persona Diuina nouo modo in creatura existere, absque reali productione alicuius doni in illa. Tertiò. Si posset Diuina persona ad creaturam mitti per extrinsecam dumtaxat acceptationem ad gratiam, vel gloriam, talis missio foret æterna. Consequens est contra scripturam asserentem missionem esse temporalem. Sequela probatur, quoniam talis acceptatio ad gratiam, vel gloriam esset ipsum æternum decretum Dei, quo ab æterno decreuisset pro tali tempore creaturam ad gratiam, vel gloriam acceptare. *Capreolus. Molina. Valentia. Suarez. Granadus.*

95. Affirmant verò Gregorius in 1. dist. 14. art. 1. concl. 3. & art. 2. *ad* 2. Ochamus q. 2. Quibus consentit Gabriel q. 2. dubitatione 3. & dist. 17. q. 1. ar. 2. conclus. 1. Fundamentum Gregorij est. Omne donabile dari potest à Deo, nullo alio dato, quod non est de essentia talis donabilis: sed Spiritus sanctus est donabilis à Deo, cùm sit essentialiter donum, & nullum dõnum creatũ est de essentia Spiritus sancti: igitur dari potest absque vllo dono creato. Maior probatur: Omne factibile à Deo fieri potest ab ipso, non facto omni eo, quod non est idem cum ipso: ergo omne donabile à Deo dari potest ab ipso, non dato omni eo, quod non est ipsum donabile. *Gregorius. Ochamus. Gabriel.*

96. Proposita controuersia dupliciter disputari potest, vno modo quoad rem ipsam, an simpliciter possibile sit, peccatorem iustificari, & ad pristinam amicitiam Dei acceptari absque vllo intrinseco dono inhærente, per extrinsecam dumtaxat acceptationem Dei. Alio modo quoad sequelam tantùm, an videlicet, posito quòd iustificatio fiat extrinseca tantùm acceptatione Dei, absque vllo dono inhærente creato, in tali casu Diuinæ personæ mitterentur in animam iustificati. In priori sensu controuersia spectat ad materiam de gratia iustificante, ex qua

negatiuam partem suppono probabiliorem, vt in 3. to. disp. 33. ostendo. Sola igitur hîc supereſt disputanda sequela. Pro cuius solutione,

97. Dicendum, in eo casu personas diuinas non mitti, ac dari homini sic iustificato physicè, daritamen moraliter. Priorem assertionis partem probant argumenta primæ sententiæ. Posteriorem efficacissimè probat hoc argumentum. Personæ diuinæ dicuntur ad creaturam rationalem mitti, ac dari per peculiarem modum, quo in illa existunt. Atqui in eo casu peculiari modo, non quidem physico, sed morali, personæ diuinæ in creatura rationali existerent: ergo ad eam mitterentur, non physicè, sed moraliter. Maior constat, quoniam personæ diuinę dicuntur ad creaturam mitti formaliter per peculiarem mutationem, quam in illa causant. Minorem ostendo: quoniam in eo casu peculiaris fieret mutatio non physica, sed moralis in homine, proueniens ab actu libero Dei condonantis peccatum, & acceptantis hominem ad amicitiam & gloriam pristinam. Siquidem ex peccatore factus esset iustus, & ex inimico & inuiso amicus & charus Deo per extrinsecam beneuolentiam, & acceptationem ipsius.

98. Confirmatur 1. nam alio modo se haberet Deus erga illum post, atque ante acceptationem. Nam ante respiciebatur à Deo, vt inimicus & infensus, post verò, vt amicus & reconciliatus per extrinsecam beneuolentiam & acceptationem ad amicitiam. Confirmatur 2. nam tota ratio missionis diuinarum personarum ad nos desumitur ex peculiari mutatione causata in nobis à Deo. Ergo eo modo dici debent personæ diuinæ ad nos missæ, quo est ipsa peculiaris mutatio, in nobis à Deo causata, sed in tali casu esset peculiaris mutatio non physica, sed moralis in nobis à Deo causata, per liberum ipsius actum condonantis culpam, & acceptantis ad gloriam: igitur in eo casu personæ diuinæ dici deberent ad nos missæ, etsi non physicè, saltem moraliter. Cùm non sit maior ratio, cur propter mutationem physicam dicantur ad nos physicè mitti, & non propter mutationem moralem dici debeant moraliter mitti.

99. Ex his patet ad argumenta primę sententiæ, quatenus oppugnant posteriorem partem nostræ assertionis. Nam primum intelligitur de missione physica, non morali, quæ fieri potest absque vlla mutatione physica per solam mutationem moralem. Ad confirmationem neganda est consequentia. Ratio discriminis est, quoniam apparitio importat signum sensibile, in quo persona diuina sensibiliter se manifestat hominibus, missio autem, quæ fit ad animam iusti, per se tantùm importat peculiarem mutationem in illa, quę cùm duplex esse possit, physica, & moralis, etiam missio esse poterit physica, vel moralis. Secundum intelligitur de missione perfecta. Ad tertium nego sequelam. Ad cuius probationem, licet decretum Dei de condonanda culpa, & acceptando homine ad amicitiam & gloriam suam esset æternum, tamen includeret moralem mutationem in tempore faciendam: & quia illam non includeret connotatiuè & in obliquo, sed intrinsecè & in recto, vt suprà diximus de missione physica, ideò simpliciter talis missio esset temporalis, ratione moralis mutationis in tempore faciendæ.

100. Quoad quintam difficultatem. Communiter docent Doctores, per hanc missionem inuisibilem non posse vnam personam mitti sine alia, neque vnam donari, aut venire absque cæteris. Quod probari potest ex illo Ioa. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Fundamentum est, quoniam in hac missione dicuntur personæ diuinæ dari nobis, & venire ac mitti ad nos, quatenus veniunt & donantur nobis, vt obiectum fruibile mediantibus habitibus supernaturalibus, & vt peculiarem curam de nostris animabus suscipiunt per specialem directionem, & gubernationem: atqui vtrumque munus est commune omnibus personis, ergo omnes personæ per hanc missionem dicuntur ad nos venire. Licet non omnes dicantur mitti, quia missio connotat processionem personæ missæ, quam, quia non habet Pater, non potest Pater dici missus, licet dicatur venire, & donari cum reliquis personis; quia *aduentus*, & *donatio* non connotat processionem in persona veniente, & donata. *Communis sententia.* *Ioan. 14.*

101. Dices. Etiam missio visibilis, quatenus effectus, refertur ad totam Trinitatem, quatenus verò signum, vnam tantùm repræsentat personam. Esto igitur missio inuisibilis referatur ad omnes personas, vt effectus, tamen poterit vnam tantùm repræsentare. Respondeo. Non inficior, posse per effectum inuisibilem gratiæ vnam personam, sine alia repræsentari; de facto tamen id non fieri. Cuius ratio est, tum quia hæc missio principaliter ordinatur ad sanctificandas animas ad quem effectum omnes personę concurrunt. Tum quia inuisibilis effectus non est proportionatum Symbolum ad manifestandas diuinas personas: quia cùm hęc manifestatio fieri debeat hominibus, qui sensibus ducuntur, non poterit esse aptum signum ad manifestandas diuinas personas nisi sit sensibile.

102. Quoad sextam difficultatem. An homo iustus, vel saltem Christus vt homo dare possit personam diuinam? Ratio dubitandi est: quia ille dare potest personam diuinam, qui conferre potest donum gratiæ, cum quo persona ipsa diuina infallibiliter venit: sed homo iustus, aut saltem Christus vt homo conferre potest donum gratiæ: ergo dare potest personam diuinam. Vnde Palatius in 1. dist. 14. disp. vnica post secundam conclusionem refert, quendam religiosum publicè Salmanticè defendisse, à Christo vt homine missum fuisse Spiritum sanctum. Quod vlteriùs confirmari potest: quia Christus vt homo est primus author gratiæ in genere principij meritorij: ergo in genere principij meritorij gratiam *Palatius.*

gratiam confert authoritatiuè, ac proinde authoritatiuè etiam cum ea nobis Spiritum sanctum donat.

103. Dicendum tamen est, nullum purum hominem, siue Christum vt hominem mittere, aut dare posse Spiritum sanctum. Fundamentum, quia nemo cum gratia dare potest personas Diuinas, nisi qui gratiam conferre potest vt absolutus Dominus: atqui nullus purus homo, neque Christus ipse vt homo dare potest gratiam, vt absolutus Dominus: igitur nullus purus homo, vel Christus ipse vt homo dare potest Spiritum sanctum. Minor de puro homine patet. De Christo verò vt homine probatur: & primò, quòd vt homo non possit Spiritum sanctum mittere, constat: nam ad hoc requiritur authoritas principij mittentis supra personam missam. At Christus ratione humanitatis nullam habet authoritatem principij supra personam Spiritus sancti, quia non producit illum vt homo, sed vt Deus: ergo.

104. Secundò, quòd neque vt homo dare possit vt absolutus Dominus gratiam, & cum ea Spiritum sanctum, probatur: quia ratione humanitatis non habet absolutum ius ad ea, quæ sunt propria Dei; cùm nulla natura creata habere queat absolutum ius ad ea, quæ sunt propria Dei. Atqui gratia & personæ Diuinæ sunt propria Dei. Igitur ad ea Christus non habet absolutum ius, vt homo; quia vt homo reduplicat tantùm humanitatem, ratione cuius non potest Christo conuenire ius ad propria bona Dei. Nam licet huic homini, qui dicitur Christus, conueniat absolutum ius ad gratiam, & ad omnia dona supernaturalia; tale tamen ius illi non conuenit ratione humanitatis, sed ratione suppositi Diuini subsistentis in tali humanitate. Maior primi syllogismi probatur, quia dare importat absolutum dominium in rem, quæ datur. Ergo vt possit quis dare gratiam, & cum ea personas Diuinas, debet habere absolutum dominium, supra gratiam, cum qua infallibiliter connexæ veniunt personæ ipsæ Diuinæ.

105. Ex his patet ad rationem dubitandi. Etenim ille tantùm potest cum gratia Diuinas personas dare, qui absolutum dominium habet supra ipsam gratiam: quale dominium nullus purus homo habet, ne quidem Christus ipse vt homo. Ad confirmationem negandum est, Christum vt hominem esse primum authorem gratiæ, sed vt hominem Deum: sic enim est primus in genere principij meritorij. Est enim primus in genere principij meritorij, quatenus est in eo genere infinitè dignus: est autem in genere principij meritorij infinitè dignus, non ratione humanitatis formaliter, sed ratione Diuinitatis infinitè dignificantis omnia Christi opera.

106. Ex dictis deducitur, hanc inuisibilem missionem Diuinarum personarum factam fuisse omnibus Angelis, tum per gratiam sanctificantem initio creationis, in quo, vt cum communi Doctorum sententia probo in 2. tomo de Angelis, omnes fuerunt conditi. Tum Angelis sanctis per collationem gloriæ initio beatitudinis: nec non primis nostris parentibus, & reliquis antiqui testamenti Patribus. An autem præter inuisibilem missionem per gratiam, facta fuerit antiquis Patribus & Prophetis visibilis missio Diuinarum personarum, per signa & Symbola sensibilia, controuertunt Doctores. Mihi cum Augustino 2. de Trinit. c. 17. & 18. & cum *Augustin.* S. Thom. 1. p. q. 43. art. 7. ad vltimum di- *S. Thomas.* cendum est, multas quidem factas fuisse sensibiles apparitiones Diuinarum personarum in veteri testamento, vt ex multis Scripturæ locis colligitur, nullam tamen earum propriæ missionis nomen meruisse, duplici ex ratione, quam citato loco assignat S. Aug. primò, quia *Augustin.* illæ apparitiones non fuerunt factæ ad significandam inhabitationem Diuinæ personæ per gratiam in animis iustorum, sed ad aliquid aliud manifestandum. Secundò, quia nulla apparitio in veteri testamento expressè & distinctè representabat vnam personam, vt distinctam ab alia, nisi satis obscurè, & vt Augustinus citato c. 17. in fine scribit: *Non euidenter nominato & designato in eis, vel Patre, vel Filio, vel Spiritu sancto. Sed tamen per quasdam valdè probabiles significationes, nonnullis indicijs existentibus, vt nimis temerarium sit dicere, Deum Patrem nunquam Patribus, aut Prophetis per aliquas visibiles formas apparuisse.* Hæc Augustinus. Qui vt patet, agnoscit factas fuisse antiquis Patribus apparitiones Diuinarum personarum per visibiles formas, eas tamen proprio missionis nomine non putat appellandas, ob rationes assignatas. Ratio verò improprietatis est; quia missio sensibilis per se ordinatur ad manifestandam personam, quæ mittitur: ergo tantò recedit à proprietate missionis, quantò recedit ab expressa manifestatione personæ, quæ mittitur. Rationem autem congruentiæ, cur nulla facta fuerit expressa missio Diuinarum personarum in veteri testamento, assignat S. Thomas loco su- *S. Thomas.* prà citato: quia prius debuit fieri expressa missio Verbi per Incarnationem, ad quam omnes veteres illæ apparitiones ordinabantur, tanquam vmbræ ad veritatem, & figuræ ad suum prototypum atque exemplar.

# DISPVTATIO XXIX.

## Quæ regulæ seruandæ sint in modo loquendi in mysterio Trinitatis.

1. SI verborum cautela seruanda est Theologo, maximè seruanda est in hoc mysterio, cuius non modò res, sed voces ipsas habemus à Cõcilijs & Patribus præscriptas, à quibus non licet absque magna temeritate recedere. Vnde nõ solùm propter res, sed etiam propter verba inordinatè prolata, vt cum Hieronymo pronũciat S. Doctor 1. p. q. 31. ar. 2. incurritur hæresis. Vt autem sciat Theologus, quo hæc verborum cautela collineare debeat, duo extremi errores sunt in hoc mysterio diligenter vitandi; alter Arij naturæ vnitatem tollentis; alter Sabellij personarum distinctionem cõfundentis: sed media via incedendum, ijsque vocibus vtendũ, quę cum naturæ vnitate personarũ explicent distinctionem. Verùm vt instruatur Theologus nõ modò cautè casteque loqui in hac materia, verùm etiã incautas insolentesque aliorum locutiones ex certis solidisque principijs Theologicè examinare, & vnamquamque propositionem, modumq; loquendi sua quasi nota censere, præsupponendi sunt certi quidam censuræ gradus, qui colligũtur ex Concilio Constantiensi sess. 8. & 15.

*Hieronym. S. Thomas*

*Arius. Sabellius.*

*Concilium Constantiense.*

2. Primus igitur censuræ gradus est. Hæresis, quę directè opponitur alicui veritati expressè reuelatæ, aut conclusioni per euidentem discursum explicatæ, vt iam contentæ in aliqua expressè reuelata. Etenim quemadmodum primus gradus fidei est, assentire veritati vt expressè reuelatæ, vel conclusioni vt euidenter contentæ in aliqua propositione expressè reuelata: ita oppositus gradus fidei est dissentire veritati, vt expressè reuelatæ, vel vt euidenter contentæ in aliqua expressè reuelata.

3. Secundus censuræ gradus est error, qui directè opponitur conclusioni Theologicæ, vt ex principijs fidei euidenter deductæ. Dixi *vt deductæ*: quia vt explicatæ spectat ad primum gradum hæresis. Ratio est, quia sicut conclusio Theologica habet distinctum gradum certitudinis à certitudine fidei, & summum post illam: ita error immediatè oppositus conclusioni Theologicæ, habet distinctum gradum censuræ ab hæresi, & primum post illam.

4. Tertius censuræ gradus est errori proximus: qui gradus opponitur conclusioni Theologicæ non vt euidenter, sed vt probabilissimè deductæ ex principijs fidei, qualis esset: Iustificationem paruulorũ in Baptismo non fieri per habitus infusos & inhærentes.

5. Quartus est hæresim sapiẽs. Est autem hic gradus propositio, quæ cùm ex se Catholicum sensum habere posset, ex circumstantia tamen & conditione proferentis meritò suspicari posset in sensu hæretico prolata: vt hæc propositio: *Christus est minor Patre* ab Ariano prolata hęresim sapit, prolata verò à Catholico nullam ingerit suspicionem, sicut enim idem vinum ex vno vase bonum, ex alio, malum contrahit saporem: ita vna eademque propositio ex vno corde & ore prolata vnum, ex alio alium spirat saporem.

6. Quintus gradus est propositio malè sonans, seu piarum aurium offensiua. Est autem hæc, quæ absurdum, & peregrinum sensum à communi & vsitato modo loquendi Patrum & Scholasticorum affert. Theologi enim est non modò damnatas sententias & verba cauere, sed etiam absurdas voces, & locutiones ab vsitato recedentes vitare. Porrò piæ aures non sunt imperiti vulgi, sed sapientum, quorum est de sensu, & qualitate propositionis iudicium ferre.

7. Sextus gradus est temeritas, quę nulla sufficiente ratione, vel authoritate fulta, communi Scholasticorum sensui, vel approbatis authoribus aduersatur: vel quæ vt certum affirmat, quòd nulla ratione probari potest; quæ & impudens insolensque dici solet.

8. Septimus gradus est, propositio scandalosa, quæ etiamsi vera sit, occasionem tamen ruinæ affert auditoribus.

9. Octauus est propositio seditiosa, quæ viam sternit ad seditionem.

10. Nonus est propositio Schismatica, quæ viam parat ad Schisma separationemve à capite, vt licitum est non obedire superiori; aut *tyrannum occidere.*

11. Decimus est propositio periculosa, quæ periculi occasio esse potest, vel in fidei doctrina, vel in vitæ moribus, vt *potest homo esse perfectus absque externa pœnitentia.*

12. Vndecimus est Blasphemia, quæ immediatè, vel mediatè Deo iniuriam irrogat: quæ interdum cum hęresi coniungitur, vt *Deus est author peccati*; sæpe enim vna eademque propositio multis inficitur notis.

13. Duodecimus est Impietas: est autem hęc propositio improbabilis, & fidei pietati notabiliter detrahens: differt autem à propo-

sitione

sitione non pia, quæ licet probabilis sit, pietati tamen fidei minimè fauet.

14. Decimus tertius est propositio arrogans, quę plus asserit, quàm probari possit.

15. Decimus quartus est propositio improbabilis, quæ nullo nititur solido fundamento. His ergo generalibus principijs præmissis, vt fortiùs firmiusque hæreant, quæ speciatim de hoc mysterio dicturi sumus, redigenda sunt, quoad fieri potest, omnia ad certas quasdam regulas.

16. PRIMA igitur regula sit. Nomina neutrius generis non sunt pluraliter enuncianda in diuinis: contra verò enuncianda sunt pluraliter nomina masculini generis. Vtraque pars regulæ definita est in Concilio Lateranensi, sub Innocentio III. & refertur cap. *Damnamus* de summa Trinit. & Fide Catholica: *Licet igitur*, inquit Concilium, *alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, non tamen aliud, sed id quod est Pater, est Filius & Spiritus sanctus.* Eandem regulam tradunt Patres, & Scholastici omnes. Quam apertè colligunt ex Ioan. 15. *Ego*, inquit Christus, *& Pater vnum sumus. Virumque*, inquit Cyrillus, l. 7. in Ioan. cap. 10. *audi & Vnum, & Sumus, & à Carybdi, & Scyllà liberaberis. Quod dixit* Vnum, *liberat te ab Ario, separante Filium à substantia Patris. Quod dixit*, Sumus, *liberat te à Sabellio, confundente personas Patris & Filij sine discretione. Si* Vnum, *non ergo diuersum. Si*, Sumus, *ergo Pater & Filius.* Et Augustinus tract. 36. in Ioan. *Aliud non est*, inquit, *Pater, Filius aliud. Alius est rectè dicis, aliud non rectè. Alius enim est Filius, quia non est ipse, qui Pater, & alius Pater: quia non est ipse, qui Filius: non tamen aliud, sed hoc ipsum est & Pater & Filius.* Idem expressit Ioannes Euangelista in 1. sua Canonica cap. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in Cælo Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.*

*Concilium Lateranēse.* *Patres & Scholastici.* *Ioan. 15.* *Cyrillus.* *Augustin.* *1. Ioan. 5.*

17. Ratio regulæ est, quia nomen neutrum, cùm sit substantiuum, refertur ad essentiam; vnde multiplicatum multiplicat essentiam. Masculinum verò, cùm sit adiectiuum, refertur ad personas. Aliam rationem assignat S. Thomas 1. p. q. 31. art. 2. ad 4. quia nomen neutrum, cùm sit informe, refertur ad essentiam, quę est communis, & vltiùs quasi formabilis per personas. Masculinum verò, vel fœmininum, cùm sit formatum & distinctum refertur ad suppositum. Vnde ad interrogationem factam, per *quid est homo?* respondemus per genus, quod est commune & informe. Ad interrogationem verò factam per, *Quis est hic homo?* Respondemus per individuum, quod est distinctum & formatum. Cæterùm assignata regula intelligenda est, quando hæc pronomina per se efferuntur de Deo, non autem quando connectuntur cum aliquo substantiuo personali vel essentiali; nam tunc & neutra pronomina multiplicari possunt, vt *aliud est suppositum Patris, aliud suppositum Filij*; & masculina pronomina multiplicari non possunt, vt *alius Deus est Pater, alius Deus Filius.*

*S. Thomas.*

18. Ex hac regula deduces primò: quòd sicut in Deo non est *aliud & aliud*, sed *alius & alius*, quod idem iudicium esto de reliquis nominibus importantibus alietatem: ita contra in Christo Domino *est aliud & aliud*, non *alius & alius*, propter oppositam rationem, quoniam in Christo est diuersitas naturarum, non autem suppositorum. Vnde etiamsi in Christo alia sit filiatio Diuina, alia humana, non tamen dicitur *alius & alius Filius*: quia *alius & alius* importat alietatem suppositi. Rectè tamen dicitur plures habens filiationes.

19. Deduces 2. has propositiones non esse facilè admittendas: *In Deo sunt multa: in Deo sunt plura entia*, nisi cum addito limitante ad multa, aut plura entia relatiua: contrà verò has posse sine limitatione admitti: *In Deo sunt plures res*, vel *entitates: In Deo est pluralitas.* Nam priora nomina referri solent ad essentiam; posteriora verò ad personas.

20. Deduces 3. has propositiones esse veras: *Pater & Filius sunt vnum: Pater & Filius sunt idem ipsum: Pater est idem quod Filius: Pater non est aliud, vel alterum à Filio.* Vnde Augustinus de natura boni cap. 24. *Quod de se*, inquit, *genuit, hoc est, quod ipse est.* Cõtrà verò has esse falsas: *Pater & Filius est vnus: Pater & Filius sunt idem ipse: Pater est idem, qui Filius: Pater est aliud*, vel *alterum à Filio.* Nam priora important identitatem naturæ, & negant distinctionem eiusdem: posteriora verò important identitatem personarum, & diuersitatem naturæ.

21. Quartò deduces, veram esse hanc propositionem: *Pater est idem Deus, qui Filius:* contrà verò, hanc esse falsam: *Pater est idem, qui Filius.* Quoniam in posteriore relatiuum *Qui* immediatè refert Patrem; in priore verò Deum.

22. Quintò deduces, has esse falsas: *Deus generans est Deus genitus: Deus generans est Pater: idem Deus est Filius genitus:* quia *Idem* immediatè refert Deum, vt affectum termino notionali genitoris.

23. Deduces sextò, hanc esse veram: *In Diuinis est Deus & Deus:* hanc verò esse falsam: *In Diuinis est alius & alius Deus*; vel *alter & alter Deus:* quia in priore propositione non affirmatur alietas Deitatis, affirmatur autem in posteriore.

24. Deduces septimò, has prædicationes esse veras: *Deus genuit Deum: Alius genuit aliũ. Habens Deitatem genuit alium habentem Deitatem:* has verò esse falsas: *Deus genuit alium Deum*, vel *alterum Deum: Deus genuit eundem se, vel alterum se.* Vnde emphaticè locutum fuisse Augustinum testatur S. Thomas 1. p. quæst. 39. art. 4. ad 4. cùm epistola 66. ad Maximum dixit: *Pater ita genuit de se alterum se, vt totus maneret in se.* Sensus enim est: *Pater genuit alterum simillimum sibi.*

*Augustin.* *S. Thomas.*

25. Aliqua controuersia est de hac propositione: *Deus genuit eundem Deum*: an admittenda sit vt vera. Negant aliqui, eò quòd pronomen *Idem* immediatè refert Deum generantem, qui immediatè præcessit. Confirma-

Bonauent. tur, quia, vt docet Bonauentura in 1. dist. 4. art. 1. qu. 1. relatiuum refert antecedens sub eodem modo supponendi, sub quo antecedens præcessit ipsum relatiuum.

Scotus. Vasquez. Suarez. 26. Admittunt verò illam vt veram Scotus in 1. dist. 4. q. 1. ad 1. Vasq. disp. 157. c. 7. Suarez lib. 6. de Trinitate cap. 7. quibus magis assentior. Moueor, quia nulla est necessitas, vt in prædicta propositione relatiuum *Idem* referat antecedens secundùm identitatem suppositi, sed solùm secundùm identitatem naturæ, vt constat in hac propositione: *Petrus genuit eundem hominem*: relatiuum *Idem* non refert identitatem suppositi, sed tantùm naturæ. Neque hinc inferas: ergo admittenda erit etiam vt vera hæc propositio: *Deus genuit eundem se*. Nam quamuis admittat illam Rubio in 1. dist. 5. q. 2. in fine: falsò tamen: nam reciprocum *Se* necessariò refert eundem Deum generantem. Potest tamen admitti hæc: *Deus genuit eundem Deum secum*: nam pronomen, *secum*: solùm refert consubstantialitatem termini cum principio producente. Ad confirmationem respondeo, non esse necessarium, vt relatiuum semper referat antecedens sub omni modo adæquato, quo præcedit, vt patet in allato exemplo.

Rubio.

S. Thomas Et omnes Theologi. 27. Secvnda regvla. Nomina substantiua concreta de re absoluta non nisi singulariter prædicantur de Tribus personis: Adiectiua verò pluraliter de ijsdem enunciantur. Hanc tradit S. Thomas 1. p. q. 39. art. 3. quem sequuntur omnes Theologi. Ratio regulæ est: quia nomina substantiua vnitatem, aut multitudinem sumunt à forma, quam significant; Adiectiua verò à subiecto vel supposito, cui significationem applicant. Atqui vna est res absoluta significata per nomina concreta substantiua in Diuinis, nempe essentia, vel aliquid pertinens ad essentiam: suppositа verò sunt plura. Igitur nomina concreta substantiua de re absoluta non nisi singulariter; adiectiua verò pluraliter prædicantur de diuinis personis. Maior probatur, quia nomina substantiua significant formam per modum substantiuæ, vt per se stantis: Adiectiua verò contrà per modum accidentis, vt alteri adiacentis. Substantia autem sicut habet esse per se, & non ab alio, ita vnitatem & multitudinem, quæ ad esse consequuntur. Accidens contrà, sicut non habet esse à se, sed à subiecto cui adiacet; ita vnitatem & multitudinem sumit à subiecto: quo multiplicato, cum ipso multiplicari censetur & ipsum accidens.

18. Huic regulæ nititur veritas illius Catholicæ propositionis, *Pater, Filius & Spiritus sanctus sunt vnus Deus*: quia nomen *Deus* est nomen substantiuum concretum de re absoluta, quæ in Deo non multiplicatur. Eadem regula nituntur omnes propositiones, in quibus per modum substantiui prædicatur aliquod absolutum pertinens ad essentiam: vt *Pater & Filius & Spiritus sanctus sunt Vnus Creator, Vnus Dominus, Vnus Sapiens, Vnus æternus, Vnus immensus. Pater & Filius sunt vnus Spirator, Vnum principium ad intra.* Nam eodem modo hæc in Deo non multiplicantur. Contrà verò hæc eadem adiectiuè significata enunciantur pluraliter de diuinis personis: vt *sunt tres diuini: tres habentes Deitatem: tres creantes: tres sapientes, tres æterni: tres immensi: duo spirantes, duo principiantes.* Vnde cùm Athanasius in symbolo dixit: *non tres increati, nec tres immensi; sed Vnus increatus, & Vnus immensus*: accepit hæc nomina substantiuè, non adiectiuè: sicut in eodem Symbolo hæc eadem accepit, cùm dixit: *Totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.* Athanasius.

29. Huic etiam regulæ nituntur propositiones, in quibus omnia verba pluraliter prædicantur de diuinis personis, vt *Pater, Filius & Spiritus sanctus intelligunt, volunt, creant, puniunt, miserentur.* Ratio est, quia verba subeunt leges Adiectiuorum.

30. Tertia regula. In diuinis vitanda sunt nomina, *Diuersi, Differentis, Alieni, Disparati, Extranei, Difformis, Dissimilis, Discrepantis, Separati, Diuisi, Disiuncti.* Hanc regulam tradit S. Thomas 1. p. quæst. 31. art. 2. eamque probat: quia nomina *Diuersi* & *Differentis* important diuersitatem in natura. Nomina *Alieni, Disparati, Extranei, Discrepantis, Difformis, Dissimilis* important inæqualitatem in essentia. Nomina *Separati, Diuisi, Defuncti*, significant distinctionem in substantia. Vnde falsæ sunt hæ propositiones: *Filius est diuersus, differens, alienus, disparatus, extraneus, discrepans, separatus, diuisus, defunctus à Patre*: contrà autem veræ sunt istæ: *Filius est distinctus, discretus, oppositus Patri. Filius est similis, æqualis, coniunctus, idem cum Patre.* Cæterùm cum addito limitante ad personas licebit in diuinis vsurpare nomen *differentis* & *diuersi*, vt personæ sunt proprietatibus *differentes*, aut *diuersæ*. Quam limitationem admittunt communiter recentiores.

31. Qvarta regula. Cauenda sunt nomina, quæ personarum consortium à Diuinis excludunt. Hanc etiam regulam tradit S. Thomas loco præcitato, art. 2. 3. & 4. Vnde falsæ sunt hæ propositiones: *Deus est solitarius: Deus est solus.* Ratio, quia hæc nomina adiuncta termino essentiali non solùm excludunt consortium aliorum Deorum, sed etiam personarum eiusdem naturæ. Dixi *eiusdem naturæ*, quia, vt rectè notat S. Thomas art. 3. præcitato ad 1. solitudo non tollitur per associationem alterius suppositi extraneæ naturæ. Vnde etiamsi Deus associetur Angelis & hominibus beatis, adhuc diceretur solus vel solitarius, si cum eo diuinę personę nō existerent. Sicut diceretur homo solus, etiāsi esset cum bestijs associatus. Cæterùm notandum, nomen, *Solus*, dupliciter posse de Deo enūciari, vno modo categorematicè, vt in hac: *Deus est solus.* Alio modo Syncategorematicè, vt *solus Deus est immensus.* Primo modo ponit solitudinē in Deo: secundo tantū excludit omnia ea, quæ cum Deo non participant idem prędicatum immensitatis: ac proinde S. Thomas.

nil prohibet

nil prohibet nomen, *Solus*, Syncategorematicè de Deo prædicari.

32. Difficultas est de nominibus *Vnicus* & *Singularis*, an adiungi possint termino essentiali. *S. Thomas.* Negat Sanctus Thomas art. 2. præcitato, eò quòd hęc nomina adiuncta termino essentiali negant communicabilitatem naturæ cum pluribus suppositis. Admittunt verò alij. Quod mihi probabilius videtur: quia hæc nomina solùm important singularitatem naturæ, non autem suppositi. Est igitur Deus *vnicus, singularis, indiuiduus*, quia per hæc tantùm excluduntur plures distincti natura, non autem suppositò. Vnde personæ diuinæ non sunt propriè indiuidua aut singularia, quia indiuidua & singularia dicuntur per ordinem ad naturam specificam, quam contrahunt, & vltimò diuidunt in partes subiectiuas vlteriùs non diuisibiles. Quare falsa est propositio, in qua de Deo affirmantur tria singularia, vel indiuidua.

33. Ex his deduces, veras esse has propositiones: *Deus singularis genuit Deum singularem. Deus vnicus genuit Deum vnicum.* Quam *Augustin.* propositionem concessit Augustinus epist. 66. ad Maximum: *Vnus*, inquit, *vnicum genera*uit. Contrà verò has esse falsas: *Deus solitarius genuit Deum solitarium. Deus solus genuit Deum solum. Deus fuit ab æterno solus. Solus Pater est Deus:* alioqui vera esset hæc: *Omnis Deus est Pater:* nam ab exclusiua ad vniuersalem affirmatiuam de terminis transsumptis, vt Logici docent, valet consequentia: vt *solus homo est compositus ex anima rationali & corpore: ergo omne compositum ex anima rationali & corpore est homo.*

34. Huic regulæ annectitur quinta: dictionem exclusiuam non posse adiungi termino personali respectu prædicati essentialis; posse autem adiungi respectu prædicati notionalis. Defectu primæ partis regulæ, falsæ sunt istæ propositiones: *Solus Pater intelligit: Solus Filius creat: Solus Spiritus sãctus gubernat:* ratione verò secundæ partis regulæ, veræ sunt istæ: *Solus Pater generat: solus Filius gignitur: solus Spiritus sanctus spiratur.* Contra hanc re- *Matth. 11.* gulam videtur locutus Christus Matth. 11. *Nemo*, inquit, *nouit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis nouit, nisi Filius:* vbi à notitia Patris & Filij prædicato essentiali excluditur Spiritus sanctus. Respondeo cũ Bonauentura in 1. dist. 21. art. 2. q. 2. S. Tho. 1. p. q. 31. *Bonauent. S. Thomæ Richardus.* art. 4. ad 2. Richardo q. 3. & alijs. Hunc terminum, *Nemo*, distribuere pro natura, non pro persona. Quare vera est hæc Christi propositio: *Nemo nouit Filium, nisi Pater:* falsa verò hæc: *Solus Pater nouit Filium:* quia in priore terminus, *Nemo*, distribuit pro natura intellectuali: vnde tantùm excludit aliud essentialiter: in posteriore verò terminus, *Solus*, distribuit pro persona, & excludit alium personaliter.

36. Sexta regula. Nomina partitiua, *Omnis, Aliquis, Quilibet, Quicunque, Nullus*, nõ congruè tribuuntur termino essentiali in diuinis. *Alensis. Vasquez.* Est Alensis 1. p. q. 65. memb. 2. art. 4. Vasquez disp. 157. cap. 5. Vnde Caietanus 1. p. q. 39. art. 4. §. *Ad tertium*, nefas esse ait dicere, *Omnis Deus*. Dixi *termino essentiali*: nam ea tribuere termino personali, nulli est dubium: rectè enim dices; *Omnis persona creat: Aliqua persona generat: Quælibet persona intelligit: Nulla persona discurrit.* Ratio verò regulæ est, quia per huiusmodi nomina indicaremus, plures esse Deos: nã hoc nomen, *Omnis*, collectionem dicit plurium: nomen verò, *Nullus*, exclusionem plurium sub aliqua natura contentorum. *Caietanus.*

37. Septima regula. In diuinis non solùm vti debemus vocibus importantibus vnitatem essentiæ, sed etiam pluralitatem personarum. Est S. Thomæ 1. p. q. 30. art. 3. Ratio regulæ est: quia sicut in Deo cum vnitate essentiæ est pluralitas personarnm, ita ratione essentiæ vsurpandæ sunt voces importantes vnitatem, ratione verò personarum vsurpandæ sũt voces importantes pluralitatem. Cautè tamen est aduertendum, ne voces significantes pluralitatem referantur ad essentiam; aut contra voces significantes vnitatem referãtur ad personas. Vnde falsæ sunt istæ: *Deus est ter Deus: Deus est geminus Deus: Deus est ter vnum. Deus est tria.* Veræ autem sunt istæ: *Deus est ter vnus. Deus est trinus. Deus est tres. Deus est Trinitas. Deus est trium.* Ratio discriminis est, quia prior numerus immediatè refert essentiam; posterior verò personas. Ad euitandum autem omne periculum erroris, cùm additur numerus, limitandus est ad personas: vt, *Deus est ter vnus personaliter. Deus est tres personæ.* *S. Thomas.*

38. Notandum est autem 1. Quòd citato loco notauit S. Thomas numerum, qui tribuitur Deo, esse transcendentalem, qui supra entitates numeratorum addit solam indiuisionem singularum vnitatum in se: diuisionem verò vniuscuiusque vnitatis ab alia non affert, nisi secundùm quid & incompletè. Cùm enim quælibet vnitas personę Diuinæ non sit perfectè discreta ab vnitate alterius personæ, ratione eiusdem naturæ, cum qua sunt vnum, vnitas vnius non dicit completam diuisionem ab alia: ac proinde non est in Deo numerus simpliciter & completus, sed secundùm quid & incompletus. *S. Thomas.*

39. Notandum 2 hoc nomen *Trinitas* ex præscripto Patrum & Scholasticorum conuenientissimè accommodatum esse ad hoc mysterium significandum: nam ex vi etymologiæ importat *trium vnitatem*, quod ex Isi- *Isidorus.* doro notauit Magister in 1. dist. 24. in fine; *Magister.* vnde translatum ad Deum non solùm importat numerum personarum, sed simul etiam vnitatem essentiæ: licet numerũ personarum importet de formali & directè; vnitatẽ verò essentiæ de materiali & in obliquo: vnde cùm dicitur, *Vnitas in Trinitate, & Trinitas in vnitate*, explicitè significatur, quod implicitè importatur per ipsum nomen *Trinitas*. Quare sicut solius Dei proprium est, esse tres personas eiusdem essentię: homo enim nõ est sua indiuidua, sicut Deus est sua suppositа; quia

homo non continet collectiuè omnia sua indiuidua, sicut Deus omnia sua suppositа: Ita soli Deo propriè competit hoc nomen *Trinitas*. Quod aliquam conuenientiam habet cum nomine *collectiuo*, quatenus significat plura per modum vnius: deficit tamen ab eo ob summam vnitatem essentiæ, quam non importat nomen *collectiuum*, solùm significans vnitatem ordinis.

40. Ex his deduces falsas esse has propositiones: *Deitas est trina: Trinitas est trina.* Nam in priore triplicatur Deitas. Nec obstat, quòd in Hymno ad matutinum in Festo Corporis Christi legatur: *Te trina Deitas:* nam statim subiungitur, *Vnaque poscimus.* Vox quippe *Vna* temperat vocem *Trina*, vt faciat illam supponere pro personis. In posteriore verò triplicatur ipsa personarũ Trinitas, sensusque est, *In Deo sunt tres personarum Trinitates.* Has verò propositiones esse veras: *Vnitas est Trina. Deus est Trinus.* Primam concedit Aug. lib. meditationum c. 30. vbi sic scribit: *O vna Trinitas, & trina Vnitas Deus.* Ratio autem, cur dici possit *Vnitas trina*, est, quia *vnitas* non solùm suppponitur pro vnitate naturæ, sed etiam personarum: & quia tres sunt personarum vnitates, rectè dici poterit, *Vnitas est trina.* Ratio verò, cur dici possit *Deus Trinus*, & nõ *Deitas trina* est, quia nomen *Deus* ex modo significandi supponitur pro personis: *Deitas* verò ex modo significandi supponitur tantùm pro essentia. Vnde nisi addatur temperamentum, quo significetur vnitas essentiæ, vox *Trina* addita Deitati, multiplicat ipsam Deitatem.

*Augustin.*

41. Neque ex eo, quòd Deus dicitur *trinus*, vel *Trinitas*, *triplex* etiam dici poterit, vt rectè Aug. ratiocinatur 6. de Trinit. c. 7. & docet Concilium Toletan. XI. in Confess. Fidei, vbi: *Non triplex*, inquit, *Trinitas, & dici, & credi debet.* Ratio est, quia *Trinitas*, & *Trinus* sunt nomina vsu Theologorum accõmodata ad significandam simul cum numero personarum vnitatem essentiæ: quam significationem quia non habet hoc nomen, *Triplex*, non poterit de Deo prædicari. Hoc autem intelligendum est, nisi illud expresè referatur ad notionalia: nam sine vllo periculo dici potest, *in Deo est triplex persona, quadruplex relatio, duplex processio, gemina spiratio actiua & passiua:* quod concessit S. Thom. q. 10. de potentia art. 2. *Natura*, inquit, *Diuina potest communicari duplici processione:* quin etiam Cyrillus dialogo de Trinit. l. 3. concedit *duplicitatem & triplicitatem* in personis Diuinis.

*Augustinus Concilium Toletan XI.*

*S. Thomas.*

*Cyrillus.*

42. Ex his constat, quid sentiendum sit de his nominibus, *Multiplex* & *Multiplicitas:* nam pari modo non licet hæc enunciare de Deo absolutè significato, licebit autẽ de personis, & notionibus: vt *in Deo est multiplex relatio, multiplicitas notionum, aut personarum:* quod concessit Aug. lib. meditationum cap. 30. his verbis: *Tu verò vnitas es Diuinitatis, personarum pluralitate multiplex.*

*Augustin.*

43. Nullo autem pacto, ne quidem cum expressa limitatione ad sola notionalia, concedenda sunt in Deo nomina *Trinumimis*, aut *Triformis*. Nec obstat, quod in hymno, qui in Vesperis Pentecost. recitatur, Spiritus sanctus appelletur *Septiformis:* nam hoc tantùm de Spiritu sancto dicitur per respectum ad effectus ad extra, qui ei appropriantur, vt Authori sanctificationis.

44. Octava regula. Notionalia prædicãtur de nominibus essentialibus concretis: & à fortiori de ijsdem prædicantur etiam essentialia. Hæc regula colligitur ex S. Thoma 1. part. quæst. 39. art. 4. Fundamentum est, quia nomen essentiale concretum ex modo significãdi supponitur pro personis: ergo possunt de illo prędicari notionalia, & à fortiori etiam essentialia. Consequentia patet, quia notionalia, cùm sint actus personales, possunt de nominibus personas significãtibus prędicari. Antecedens probatur, quia nomina essentialia concreta ex modo significandi important Deitatem vt in habente, atque adeo ex modo significandi important illam vt in supposito, licet non in hoc vel in illo determinatè: sicut vox *homo*, quia importat humanitatem vt in habẽte, supponitur pro indiuiduis naturæ humanę, licet non pro hoc vel illo determinatè.

*S. Thomas.*

45. Ex his collige, veras esse has propositiones affirmatiuas: *Deus generat. Deus generatur. Hic æternus spirat. Hic immensus spiratur. Deus refertur ad Deum. Deus relatiuè opponitur Deo.* Falsas verò esse earum negatiuas: *Deus non generatur. Hic æternus*, vel *Hic immensus non spiratur. Deus non refertur ad Deum. Deus relatiuè non opponitur Deo.* Ratio discriminis est, quoniam vt affirmatiua sit vera, non est necesse, vt vniuersaliter conueniat subiecto secundùm omnia, in quibus subiectum ipsum reperitur; sed sat est, si illi conueniat in vno tantùm supposito existenti.

46. Contrà verò, vt negatiua sit vera, secundùm nullum suppositum debet illi conuenire: vnde non sufficit ad negatiuam propositionem verificandam, vt illi forma negata non conueniat secundùm aliqua tantùm suppositа, sed debet illi secundùm omnia non conuenire. Etenim, vt vera sit hæc propositio: *Petrus scribit*, sat est, si in vno tantùm loco scribat: contrà verò, vt sit vera ipsius negatiua, necesse est, vt nullibi scribat. Vnde si replicatus in vno loco scribat, in alia verò non scribat, falsa est propositio *Petrus non scribit.* Ratio est, quia negatiua vi propriæ significationis facit sensum distributiuum, & negat formam de subiecto secundùm omnem modum, quo illi competit: ergo licet Deo conueniat nõ *generari*, respectu Patris, & Spiritus sancti, quia tamen ei conuenit respectu Filij, falsa est propositio negatiua, *Deus nõ generatur.*

47. Confirmatur, nam falsæ sunt istæ propositiones: *Filius Dei non est mortuus: Filius Dei non est sepultus*: esto verificari possint de natura Diuina. Cuius ratio est assignata, quoniam propositio negatiua vi proprię significationis facit sensum distributiuũ, & negat formam de subiecto vniuersaliter, secundùm omnem modũ, quo illi competit: est tamẽ vera

propositio,

propositio, si termino communi addatur aliquid, quo determinetur ad supponendum pro persona, pro qua Deo conuenit non generari: vt si dicas: *Deus generat, & ipse non generatur:* nam terminus, *ipse*, immediatè refert Deum generantem.

*Durandus. Aureolus. Ocham. Gregorius. Marsilius. Gabriel.*

48. Contra hoc corrollarium sentiunt Durandus in 1. dist. 4. quæst. 2. num. 13. Aureolus quęst. 1. art. 2. Ochamus quæst. 2. ad 1. Gregor. quęst. vnicâ versu, *Sed restat:* Marsilius q. 8. art. 3. Ad secundam rationem principalem, Gabriel q. 1. art. 2. concl. 2. affirmantes, quantum est ex vi significationis, non minùs veram esse hanc negatiuam, *Deus non generat*, quàm ipsius affirmantiam, *Deus generat:* propter authoritatem tamen Patrum, & ad euitandum periculum erroris, illam non esse concedendam. Fundamentum eorum est, quia vt negatiua de termino communi sit vera, sufficit, vt de vno tantùm indiuiduo verificetur. Vnde inferunt, ex vi sermonis concedi posse has propositiones: *Deus non est Pater, Deus non est Filius, Deus non est Spiritus sanctus*: quia sufficit, vt istę verificentur de aliquo particulari supposito. Verùm hi authores falsum supponunt, nempe quod quantum est ex vi significationis, negatio non remoueat formam à subiecto vniuersaliter, & secundùm omnem modum, quò illi competit.

49. Ex his soluitur alia quæstio, an hęc propositio, *Hic Deus est hic Deus*, sit vera: & quidem nulla est difficultas, si terminus, *Hic Deus*, tam ex parte subiecti, quàm ex parte prędicati supponatur pro indiuiduo Deitatis: quia tunc est identica propositio, quò nihil verius. Sed difficultas est, an si terminus; *Hic Deus*, ex parte subiecti supponatur pro vna, ex parte verò prædicati pro alia persona, num tunc sit vera propositio? quo posito; Dicendum est, falsam esse propositionem, quia tunc sensus esset, vnam personam esse aliam.

50. Sed quid tunc dicendum de ipsius negatiua, *Hic Deus non est hic Deus*, an sit vera? Negant alij. Alij verò distinguendam putant. Ego autem veram simpliciter censeo: nam posito, quòd *hic Deus* ex parte subiecti supponatur pro Patre, ex parte verò prędicati pro Filio, non negatur nisi identitas suppositi: sicut in hac, *Deus generans non est Deus genitus*, non negatur identitas naturę, sed suppositi; & ideò vera est propositio: ita in illa, *Hic Deus non est hic Deus*, non negatur identitas naturę, sed suppositi; & ideò vera est propositio: nec est maior ratio, cur in illa debeat negari sola identitas suppositi, & non in hac; cùm in vtraque terminus communis pro alia persona supponatur ex parte subiecti, pro alia ex parte prædicati.

51. Nona regula. Nulla actio siue notionalis, siue essentialis, per Verbum exercitum significata prędicabilis est de terminis essentialibus, aut personalibus abstractè sumptis, nisi talis actio formaliter sit à tali principio. Hæc regula fundatur in illo principio Logicorum: *Omnia verba, excepto substantiuo sum, es, est, esse adiectiua, & applicata subiecto reddere sensum formalem.* Vnde falsę sunt istę propositiones: *Deitas generat. Essentia refertur. Intellectus spirat. Voluntas intelligit. Immensitas creat. Misericordia punit. Iustitia miseretur.* Verę autem sunt istę: *Intellectus intelligit. Voluntas vult. Omnipotentia creat. Sapientia gubernat. Bonitas benefacit.* Quarum omnium ratio est regula assignata: nam in prioribus enunciatur actio de subiecto abstractè sumpto, cuius actionis subiectum ipsum non est formale, sed solùm identicum principium. Contra verò in posterioribus enũciatur actio de subiecto abstractè sumpto, cuius actionis subiectum ipsum est formale principium.

52. Dices. Ergo in nostra sententia, in qua proximum & formale principium gignendi Verbum diuinum est paternitas, valebit ista propositio, *Paternitas generat.* Respondeo 1. Hanc propositionem vt veram, licet propter modum significandi in abstracto, vt impropriam admitti à Ruiz disp. 80. sect. 5. nu. 16. & Zuniga disp. 39. memb. 2. *Ruiz. Zuniga.* Resp. tamen 2. negando consequentiam: quoniam *generare* non dicit solam productionem, sed cum productione importat naturæ communicationem, cuius formale principium non est sola paternitas, à natura præcisa, sed totum suppositum Patris, includentis cum proprietate relatiua naturam absolutam.

53. Propter eandem rationem falsa est hęc propositio: *Natura diuina generatur:* quia *generari* præter passiuam communicationem naturæ, includit etiam passiuam productionem termini. Natura autem diuina nullo pacto producitur in Filio, ne quidem per accidens, vt sapienter aduertit S. Tho. 1. p. q. 39. *S. Thomas.* art. 5. ad 2. Quia per accidens generari est, naturâ vi generationis personæ accipere esse, quod sine tali generatione non haberet: sicut in rebus creatis substantias secundas per accidens generari est, vi generationis primarum substantiarum accipere esse, quod sine generatione talium substantiarum non haberent: atqui natura diuina vi generationis Filij nullo pacto accipit esse, quod sine tali generatione non haberet: igitur neque per accidens dici potest generari in Filio: quin neque cum expressa reduplicatiua, dici potest, naturam diuinam, prout est in Filio, generari; quia non communicatur Filio, vt in eo de nouo accipiat esse, sed vt idem esse, quòd habebat in Patre, ingenitum & improductum, fiat commune cum Filio.

53. Neque hinc inferas: ergo *non totus Filius gignitur: nec totus Spiritus spiratur.* Quia licet natura, quâ vtraque persona producta quidditatiuè constat, non producatur sed communicetur, dici tamen non potest, quòd non tota persona procedens producatur: quia cùm productio realis tendat ad entitatem realem termini in re ipsa existentis; nullaque sit inter naturã, quæ communicatur, & personam, quæ producitur, actualis distinctio; dici non poterit, quòd non tota persona producatur: imò nec dici potest, quòd tota persona

tantùm

tantùm denominatiuè, & non formaliter producatur. Nam tametsi dici debeat, quòd natura non producatur, sed tantùm communicetur; dici tamen non debet, quòd tota persona denominatiuè tantùm, & non formaliter producatur. Quoniam, vt dicatur tota & formaliter produci, non est necesse, vt producatur secundùm naturam, sed sufficit, si tota persona indiuisibiliter terminet productionem, licet non secundùm omnem rationem, quam quidditatiuè includit, producatur. Atque hic est modus loquendi Patrum & Conciliorum, à quo recedere absque temeritate non licet.

*Modus loquendi Patrum & Conciliorũ.*

55. Dices. Si totus Filius producitur: igitur creatur: nam creatio est actio, quâ tota rei substantia producitur. Respondeo, negando consequentiam: etenim ad creationem non satest, vt tota rei substantia dicatur produci: sed ita debet produci, vt nullo pacto eadem substantia sub alia ratione, aut modo ad sui productionem præsupponatur. Cæterùm persona Filij, etsi per generationem ob indiuisibilem identitatem cum natura tota dicatur produci, eadem tamen persona ratione naturæ quam includit tota etiam præsupponitur in Patre, de cuius substantia Filius procedit.

56. Instabis. Ergo tota persona filij producitur, & tota simul non producitur. Resp. falsam negatiuam propositionem, quæ ad sui veritatem requirit, vt nullo pacto tota persona Filij producatur. Ad euitandas autem æquiuocationes adhiberi potest hæc distinctio: Tota persona vt persona producitur: eadem persona vt natura non producitur. Quia vt persona, reduplicat rationem formalem, ob quam toti personæ conuenit productio: vt natura verò, reduplicat rationem formalem, ob quam personæ non conuenit productio. Cæterùm quamdiu hæc rationis præcisio & reduplicatio non fit, sed consideratur terminus prout à parte rei est, dicendus est totus produci, quia à parte rei non est, nisi vna indiuisibilis entitas, ad quam indiuisibiliter tendit realis productio.

57. Decima regula. Omnis actio significata per nomen, vel Verbum in actu tantùm signato, enunciabilis est de quacunque perfectione diuina, siue concretè, siue abstractè significata. Ratio regulæ est: quia hoc ipso, quòd actio significatur per *nomen*, siue per *Verbum* in actu tantùm signato, non importatur per modum adiectiui, sed per modum substantiui: ac proinde, non reddit sensum formalem, sed identicum: ad cuius veritatem sufficit sola identitas prædicati cum subiecto. Quare veræ sunt istę propositiones: *Deitas est generatio, Deitas est spiratio. Essentia est relatio. Intellectus est volitio. Voluntas est intellectio. Paternitas est generatio. Filiatio est natiuitas. Intellectus est velle. Voluntas est intelligere. Deitas est generare.* Ex vi huius regulæ concedendę sunt vt verę omnes propositiones, in quibus personæ, vel quæcunque perfectiones personales, seu notionales prędicantur de termino essentiali abstracto: vt, *Deitas est Trinitas, Deitas est tres personæ. Deitas est Pater, Filius & Spiritus sanctus. Natura diuina est paternitas, filiatio, spiratio. Omnipotentia est Sapientia, &c.* Vnus tamen actus etiam nomine, vel in actu signato importatus non rectè de alio actu etiam nomine, vel in actu signato importato prædicatur: non enim rectè dicitur: *Intellectio est volitio. Actus intelligendi est actus volendi. Misereri est punire.* Ratio est diuersa connotatio obiectorum, quam isti actus essentialiter includunt.

58. Vndecima regula. Perfectiones diuinæ, quæ in suo conceptu inuoluunt secundam intentionem, nequeunt de se mutuo, vel de alijs perfectionibus diuinis prædicari. Ratio regulæ est, quia perfectiones, quæ in suo conceptu inuoluunt secundam intentionem, non solùm prædicantur secundùm perfectionem realem, quam dicunt vt substratum, sed etiam, secundùm intentionem, quam simul important: & quia secunda intentio vnius non est secunda intentio alterius, falsa est prædicatio vnius de altera, aut de alijs perfectionibus, in quibus nulla secunda intentio includitur. Vnde falsæ sunt istæ propositiones. *Attributum Sapientiæ est attributum bonitatis: attributum iustitiæ est attributum misericordiæ. Attributum misericordiæ est omnipotentia. Notio paternitatis est notio spirationis. Notio spirationis est filiatio.*

59. Dvodecima regula. Præpositiones importantes habitudinem termini ad principium productiuum tribui non possunt, nisi solis personis procedentibus respectu producentium. Hæc regula non minùs est euidens naturaliter, quàm certa supernaturaliter: eaque supponitur ab omnibus Scholasticis cum Magistro in 1. dist. 5. & Theologis cum sancto Thoma 1. parte, quæst. 41. art. 3. Fundaturque in eo principio lumine naturæ noto: Quòd *nullus possit seipsum producere.* Vi huius regulæ falsæ sunt istæ propositiones: *Deitas est ex Deitate. Essentia ab essentia. Sapientia ex sapientia.* Vnde si quando similes propositiones leguntur apud Patres, accipienda sunt abstracta pro concretis. Item falsæ sunt istæ: *Pater est de Filio. Filius est de Spiritu sancto,* aut *de substantia ipsius.* Nam omnes istæ propositiones important habitudinem termini ad principium productiuum. Contrà verò veræ sunt istæ: *Filius est à Patre, Spiritus sanctus ex vtroque, Filius est de substantia Patris. Spiritus est ex natura seu Deitate vtriusque.*

*Magister. S. Thomas. Reliqui Scholastici.*

60. Notandum est autem discrimen inter has propositiones: *Ab, De, Ex.* Omnes enim istę habitudinem important principij actiui. Sed præpositio *Ab* solam habitudinem principij actiui: Præpositio verò *De* simul cum habitudine principij actiui importat consubstantialitatem producti cum producente. Præpositio *Ex* indifferens est ad importandam habitudinem principij actiui, aut materialis, vel termini à quo. Præterea quando significat habitudinem principij actiui, non

consignificat

consignificat consubstantialitatem producti cum producente: vnde creaturæ dicuntur esse ex Deo, non autem de Deo. Quo fit, vt quidquid est de aliquo, sit etiam ex aliquo: non contrà, quidquid est ex aliquo sit etiam de aliquo. *Quod enim*, inquit Augustinus. lib. de Natura boni cap. 26. *de ipso est, potest dici, ex ipso: non autem omne quod ex ipso est, rectè dicitur de ipso.*

61. Vnde falsæ sunt istæ propositiones: *Filius* vel *filiatio est de paternitate. Spiritus* vel *processio est de spiratione activa.* Ratio, quia cùm præpositio *De* cum origine simul importet consubstantialitatem termini cum principio, & filius vel filiatio non sit consubstantialis paternitati, vt præscindenti à natura; neque Spiritus eiusque processio spirationi, vt præscindenti à subsistentia Spiratoris, non poterunt hæ propositiones esse verę. Verę autem sunt istæ, licet impropriè: *Filius* vel *filiatio est ex paternitate. Spiritus eiusque processio est à Spiratore.* Quia præpositio *A* & *Ex* non important consubstantialitatem producti cum producente, sed solam originem.

62. Petes an in diuinis sit habitudo termini *à Quo*. Ratio dubitandi est: quoniam omnis terminus, qui realiter producitur transit de non esse sui ad esse sui. Atqui in diuinis Filius & Spiritus sanctus realiter producuntur: ergo transeunt ex non esse sui ad esse sui: ergo datur in diuinis terminus à *Quo*.

63. Sed dicendum est, nullum propriè esse terminum *à Quo* in diuinis: constat, quia terminus *à Quo* est aliqua priuatio, quæ tollitur per ipsam productionem termini *ad Quem*. At nulla priuatio tollitur in Deo per productionem personę. Minor probatur, nam si qua priuatio tolleretur, esset ipsius personæ, quæ producitur: at hæc non est. Nam hæc eadem persona producta quoad totum suum esse formale & quidditatiuum essentiæ origine præcedit in Patre: quoad relationem verò ipsam, etsi origine non præcedat formaliter in principio originante, præcedit tamen radicaliter per summam necessitatem & exigentiam, quam præsupponit in natura ipsa Diuina, quæ ab intrinseco & essentialiter postulat habere illam per summam identitatem. Vnde ad rationem dubitandi neganda est maior vniuersaliter sumpta.

64. Ex dictis vna supereſt difficultas, an particula *De* cōstrui saltem possit cum personis respectu naturæ diuinæ, vt *Pater est de natura diuina: omnes personæ sunt de substantia Dei.* Vasquez. Affirmat Vasquez disp. 162. cap. 1. in fine. Ratio ipsius est, quia prępositio, *De*, ex se importare potest solam habitudinem causę formalis, vt patet in hac propositione, *Angelus est de natura intellectuali.* S. Thomas. Magister. Reliqui Theologi. Negant verò reliqui Theologi tum cum S. Thoma 1. parte quęst. 41. art. 3. tum cum Magistro in 1. distinct. 5. docentes particulam, *De*, præter consubstantialitatem semper importare habitudinem ad principium productiuum: atque adeò verificari non posse de personis respectu naturæ, ad quam personæ diuinæ nullam dicunt habitudinem principij productiui. Quod quàm cohærenter dictum sit in sententia eorum, qui docent, naturam diuinam esse formale principium producendi personas, ipsi viderint. Certè cum nostris principijs, quibus ponimus formale principium productiuum esse proprietates ipsas personales, optimè cohæret hæc communis sententia Theologorum. Quam primò probo ex Augustino 7. de Trinit. cap. 6. vbi: *Tres*, inquit, *personas eiusdem essentiæ, vel tres personas vnam essentiam dicimus: tres autem personas ex eadem essentia non dicimus, quasi aliud ibi sit quod essentia est, aliud quod persona.* Augustin.

66. Probo secundò, quoniam, vt notant communiter Scholastici, particula *De* est transitiua; importat enim transitum de vno in aliud. Cùm igitur in diuinis non sit nisi transitus originis, quà persona producta transit ex producente, non poterit hæc particula tribui, nisi personis procedentibus, respectu producentium. Confirmatur, quia si vera esset hæc: *Pater est de substantia diuina:* vera esset etiam hæc alia: *Pater est de substantia Filij.* At hanc neque Vasquez ipse admittit: igitur neque admittere debet illam. Sequelam probo, nam sicut in priore particula *De* per ipsum importat solam habitudinem causæ formalis: ita eam solam importabit in posteriore. Cōmuniter Scholastici. Vasquez.

67. Ad fundamentum ipsius negatur assumptum. Nec est eadem ratio de ista propositione. *Angelus est de natura intellectuali:* quia inter suppositum angelicum, & ipsius naturam intercedit actualis distinctio, quæ non intercedit inter suppositum increatum, & naturam Diuinam.

68. Decimatertia regula. Prępositiones importantes habitudinem causæ formalis, seu quasi causæ formalis tribui possunt tam notionalibus, quàm essentialibus respectu quarumcunque Diuinarum perfectionum. Hanc regulam colligo tum ex S. Thoma 1. parte quæst. 42. articulo 5. tum ex eodem cum reliquis Scholasticis in 1. distinct. 19. & 33. Ratio regulæ est: quoniam habitudo causæ formalis duo importat vnitatem, & aliquam distinctionem extremorum; vnitatem quidem formaliter & per se, distinctionem verò per accidens, & tanquam conditionem; causa enim formalis & per se & directè tendit ad constituendum vnum cum subiecto. Sed quantò magis extrema sunt realiter vnum, cum aliqua distinctione saltem virtuali, tantò magis saluatur habitudo causæ formalis. Cùm igitur in Diuinis omnes perfectiones tam absolutę, quàm respectiuæ habeant aliquam vnitatem inter se, cum aliqua distinctione saltem virtuali, de omnibus verificari possunt prępositiones, importantes habitudinem causę formalis, aut quasi formalis. S. Thomas. Et reliqui Scholastici.

69. Vi huius regulæ veræ sunt omnes istæ propositiones: *Deus est in Deo*, quam cum Hilario 5. de Trinitate propè finem concedunt Hilarius.

S. Thomas Scotus, Aureolus.

dunt S. Thomas 1. p. quæst. 42. art. 5. Scotus in 1. dist. 19. quæst. 2. ad finem, Aureolus eadem distinctione p. 1. art. 2. *Deitas est in Deo. Natura est in Patre. Pater est in Deitate. Deitas est in Paternitate. Paternitas est in Deitate. Sapientia est in Bonitate. Bonitas in Sapientia. Omnipotentia est in filiatione. Filiatio in Sapientia. Pater est in Filio. Filius in Patre. Vterque in Spiritu sancto. Spiritus sanctus in vtroque. Omnes personæ sunt in Deo. Deus est in omnibus personis.* Ratio omnium est, quia quælibet perfectio diuina siue concretè, siue abstractè sumpta propter sui illimitationem, quidditatiuè includit reliquas perfectiones, sibi non oppositas. Igitur de qualibet enunciari potest quælibet perfectio, illi non opposita per modum formæ inclusæ in includente: nam ad hoc sufficit continentia vnius in alio, cum sola virtuali distinctione extremorum.

70. Sola difficultas est, an dici etiam possit, vna relatio est in alia opposita relatione, vt *paternitas in filiatione: filiatio in paternitate: Spiratio in processione: processio in spiratione.* Prima ratio dubitandi est, quia vnum esse in alio per se importat vnitatem vnius cum alio: atqui vna relatio, vt præcisa à natura, nullam habet vnitatem cum opposita relatione, sed potiùs distinctionem: igitur vna relatio non est in alia opposita relatione.

71. Secvnda dubitandi ratio est, quoniam vnum esse in alio, est vnum contineri, atque includi in alio: atqui relatio non continetur & includitur in opposita correlatione, sed potiùs distinguitur & excluditur ab illa.

72. Tertia dubitandi ratio, quia esse ad aliquid, & esse in aliquo sunt habitudines oppositæ: nam vna dicit oppositionem & distinctionem, altera conuenientiam & vnitatem. Sed relatio est ad oppositam correlationem: igitur nequit esse in illa: alioqui vna & eadem relatio haberet oppositos modos essendi.

73. Qvarta ratio dubitandi est. Nihil habens commune cum aliquo potest esse in illo: sed opposita relatio nihil habet commune cum opposita correlatione: igitur non potest esse in illa.

74. Qvinta dubitandi ratio. Esse in alio, & in quo aliud, opponuntur secundùm proprias rationes; sicut esse ab alio, & à quo aliud: sed implicat vnum & idem respectu eiusdem esse ab alio, & à quo aliud: ergo similiter implicabit, vnum & idem respectu eiusdem esse in alio, & in quo aliud.

75. Sexta dubitandi ratio. Si paternitas esset in Filio, aut filiatio in Patre, sequeretur, Filium paternitate esse Filium; & Patrem filiatione esse Patrem. Sequelam probo, nam ideo Filius, & Pater Deitate est Deus, quia Deitas est in Filio & Patre, tanquam forma inhabente. Igitur si paternitas esset in Filio, aut filiatio in Patre, tanquam forma inhabente, tam Filius esset paternitate Filius, quàm Pater esset filiatione Pater. His tamen non obstantibus,

76. Dicendum est, Paternitatem esse in filiatione; Filiationem in Paternitate; Spirationem actiuam in passiua; & è contra, passiuam in actiua. Hanc expressè concedunt Scotus in 1. dist. 19. q. 2. §. *Ad argumenta.* ad 3. Aureolus eadem distinctione, p. 1. art. 2. Capreolus quæst. 1. ad argumenta, Carth. quæst. 2. Caietanus 1. p. quæst. 42. art. 5. Torres ibidem, Suarez lib. 4. de Trinit. c. 16. Ruiz disp. 107. sect. 4. & colligitur ex reliquis Scholasticis, & Patribus affirmantibus, *totum Patrem esse in Filio, & totum Filium in Patre,* vt testatur Ambros. in hymno ad laudes feriæ secundæ: *In Patre totus Filius, & totus in verbo Pater.*

Scotus. Aureolus. Capreolus. Caietanus. Torres. Suarez. Ruiz. Ambrosius.

77. Cuius duplex est ratio. Prima, quia quæuis relatio diuina, quantumuis abstractè sumpta quidditatiuè includit essentiam, in qua includitur omnis perfectio. Ergo ratione essentiæ quidditatiuè inclusæ in quauis relatione, quælibet relatio includitur in opposita correlatione. Secunda ratio est: quia quælibet ralatio diuina, ratione immensitatis inseparabilisque præsentiæ cum qualibet alia relatione, vna dicitur manere & circumsidere in alia, tanquam subsistens in subsistente, quomodo est exemplum Scoti quæst. cit. §. *Quantum ad tertium.* vna potentia animæ esset in alia, si vna realiter distingueretur ab alia, non autem ab essentia animæ; essentque ambæ in se subsistentes.

Scotus.

78. Ad primam rationem habendi Respondeo, vnam relationem habere vnitatem cum alia opposita correlatione, tum ratione essentiæ communis, in vtraque quidditatiuè inclusæ; tum ratione immensitatis inseparabilisque præsentiæ. Eodem modo respondetur ad secundam, vnam relationem contineri in alia, tum ratione essentiæ communis; tum ratione inseparabilis præsentiæ.

79. Ad tertiam negatur maior. Cuius probatio confirmat potiùs nostram sententiam: quia cùm ad habitudinem causæ formalis non solùm requiratur vnitas, sed etiam distinctio aliqua formæ cum subiecto; tantùm abest, vt vnitas & distinctio, quæ in oppositis relationibus reperiuntur, impediant habitudinem causæ formalis, vt illam potiùs compleant & perficiant.

80. Ad quartam negatur minor. Ad quintam negatur maior: nam esse ab alio, & à quo aliud, sunt habitudines producti & producentis, quæ repugnant vni eidemque rei: at verò esse in alio, & in quo aliud sunt habitudines causæ formalis, quæ non repugnant vni eidemque rei: albedo enim est in dulcedine, & dulcedo in albedine.

81. Ad sextam nego sequelam: nam non eodem modo paternitas est in Filio, aut filiatio in Patre, sicut in Patre & Filio est Deitas: quia Deitas est in illis, vt essentia constituens personam: vna verò relatio non est in alia, vt essentia formaliter constituens personam, sed vt subsistens in subsistente. Pro quo,

82. Nota,

82. Nota, multipliciter in Diuinis vnum esse in alio, primò tanquã formam in habente, vt Deitas in Patre. Ad quem modum reducitur, quo vnum attributum est in alio. Secundò tanquam suppositum in natura, vt Pater est in Deitate. Tertiò tanquam subsistens in subsistente, tum per identitatem naturæ; tum per immensitatem inseparabilis præsentiæ: vt Filius est in Patre, & Pater in Filio, & vterque in Spiritu Sancto. Qui modus peculiari nomine à Theologis appellatur per *Circuminsessionem*, merito cuius omnes personæ Diuinæ sunt sibi intimè, atque inseparabiliter præsentes, & sibi ipsæ quasi permanenter assidentes: Quartò tanquam originatum in originante, vt persona producta in producente. Quintò tanquam principium originans in termino originato, vt persona producens in producta. Sextò tanquam cognitum in cognoscente, & amatum in amante. Septimò tanquam Verbum in dicente. Quo fit, vt non liceat ex vno modo inferre alium, cùm vnus sit diuersæ rationis ab alio. Omnes tamen in eo conueniunt, vt cum vnitate, quam omnes principaliter important, aliquam dicant extremorum distinctionem; & quidem tertius, quartus, quintus, & septimus realem, cæteri verò solam rationis distinctionem important.

83. Ex hoc eodem notabili colligitur, ineptas esse has argumentationes: *Pater est in Deitate: Deitas est Pater: igitur Pater est in Patre. Filiatio est in natura. Natura est Filiatio: igitur filiatio est in filiatione.* Ratio fallaciæ est, quia variatur modus essendi in alio de virtualiter distincto in non virtualiter distinctum. Quæ virtualis distinctio necessaria est ad verificandam habitudinem vnius in alio; cùm nulla res dicatur esse in se ipsa. Defectu huius distinctionis nõ valet hæc ratiocinatio: *Petrus est similis Paulo; Paulus est similis Petro: ergo Petrus est similis sibi.* Quod exemplum affert Bonauentura ad hoc ipsum confirmandum in 1. distinct. 19. p. 1. artic. 1. quæst. 4. ad 1. & Scotus loco præcit. §. *Ad argumenta ad quartum.* *Bonauent. Scotus.*

84. Dubitatur 1. An vna persona Diuina sit in alia per *Illapsum*. Negant communiter Theologi: quoniam esse in alio per *Illapsum* importat dependentiam in esse, & operari eius, in quem fit *Illapsus* ab eo, qui illabitur. Importat enim manutenentiam & conseruationem totius esse rei, in quã fit *Illapsus*, ab eo qui illabitur. Nulla autem persona Diuina producitur & conseruatur ab alia quoad totum suum esse. Igitur in nullam personam Diuinam cadit *Illapsus*.

85. Dubitatur 2. An quælibet persona Diuina dici possit esse *Apud* aliam. Ratio dubitandi sumitur ex Ioannis 1. vbi Verbum dicitur esse *apud* Deum Patrem, & *in sinu Patris*. Negant Bonauentura in 1. distinct. 19. p. 1. a. 1. quæst. 4. ad penultimum, & Aureolus eadem distinct. p. 1. art. 3. qui hunc modum essendi tribuit soli Filio respectu Patris. Ratio ipsius est, quia esse apud alium, vel in sinu alterius importat habitudinem obiectiuam conceptus ad mentem formantis & fouentis conceptum: atqui solus Filius in Diuinis vi propriæ emanationis est conceptus subsistens Patris; ergo solus Filius dici potest esse apud Patrem, vel in sinu Patris. *Ioan. 1. Bonauent. Aureolus.* *Ruiz.*

86. Mihi verò quantum ad illam locutionem, *In sinu Patris*, arridet opinio Aureoli, vt solùm verificari possit de Filio respectu Patris: quia cùm hæc metaphora desumpta sit ex vase mulieris, in quo proles concipitur & fouetur, soluisque Filius sit proles partusque æterni Patris, solus Filius dici potest *esse in sinu Patris*. *Probatur opinio Aureoli.*

87. Quantum verò ad præpositionem, *Apud*, non solùm puto verificari posse de Filio respectu Patris, sed etiam de Spiritu Sancto tam respectu Patris, quàm respectu Filij. Nam hæc præpositio ex S. Thoma cum coniunctione & subsistentia importat authoritatem principij, quam non solum habet Pater respectu Filij & Spiritus Sancti, sed etiam Filius respectu eiusdem Spiritus S. Nam licet Filius hoc principium habeat à Patre, non tamen tollitur, quin per illud originet Spiritum Sanctum, ratione cuius vere dici potest Spiritum Sanctum esse apud Filium: sicut in humanis Filius dicitur esse apud Patrem, etiamsi Pater sit principium Filij dependenter ab alio. *S. Thom.*

88. Dubitatur 3. An quælibet persona Diuina dici possit esse in alia triplici illo modo, præcisis imperfectionibus, quo Deus dicitur esse in rebus omnibus, scilicet *præsentia, potentia, & essentia*. Affirmat Suarez l. 4. de Trinit. capit. vlt. & colligitur ex S. Thom. 1. parte quæst. 42. artic. 5. vbi hunc triplicem modum existendi Dei in rebus creatis accommodare videtur personis Diuinis. Nam primò docet, vnam esse in alia, per mutuam sui cognitionem: qui modus respondet primo modo essendi in rebus creatis per *præsentiam*, Secundò per originem producti in producente: qui modus respondet secundo modo essendi in rebus per *potentiam*. Tertiò per intimam præsentiam ratione eiusdem naturæ; qui modus respondet tertio per *essentiam*. *Suarez. S. Thomas.*

89. Ego autem ab isto modo non discrepo, modo aduertatur, secundum mo-

dum non esse reciprocum, & eiusdem rationis in vtroque extremo, sed in vno esse per potentiam productiuam respectu termini producti: in alio verò contrà per terminum productum respectu principij producentis.

Atque hæc de modo loquendi, ac de abditissimo ipso glorioſissimæ Triadis mysterio. Cuius inconcussam veritatem, sicut, te Auspice, ô Beata æternumque adoranda Trinitas, in hoc meo primo tomo explicandam suscepi; ita vt illam pleno ore, & constanti corde ad finem vsque vitæ meæ profitear, auxiliatricem opem tuam à te ipsa humillimè exposco: hasque quales quales operis mei primitias, de gloria Augustissimæ Maiestatis tuæ balbutientes, ijsdem verbis, quibus olim sanctissimus famulus tuus Hilarius suum de incomprehensibili illa trium personarum in vna natura, gloriosissimaque maiestate tua concluſit opus, ego quoque concludo. *Conserua, oro, hanc fidei meæ incontaminatam religionem, & vsque ad excessum Spiritus mei dona mihi hanc conscientiæ meæ vocem, vt quod in orationis Symbolo baptizatus in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto professus sum, semper obtineam: Patrem scilicet tenoſtrum, Filium tuum vnà tecum adorem, & Sanctum Spiritum tuum, qui ex te per Vnigenitum tuum est, promerear.*

*Laus Deo Vni atque Trino.*

FINIS.

# INDEX

## LOCVPLETISSIMVS OMNIVM,

# QVÆ IN HOC PRIMO

## TOMO CONTINENTVR: PRIOR NVMERVS DISPVTATIONEM; POSTERIOR VERO EIVSDEM DISPVTATIONIS NVMEROS, IN QVOS vnaquæque Disputatio à principio ad finem vsque partitur, designat.


### Absolutum.

*Absolutum potest esse de essentia Relatiui increati disput. 19. num. 161.*

*Absoluta quædam non possunt de Deo neque cum addito pluraliter prædicari disp. 19. 183.*

*Nullum absolutum in Deo est natura prius alio. 22. 21.*

### Abstractio, Abstractum.

*Abstractio in scientijs siue ratio formalis sub qua non habet rationem motiui, sed puræ conditionis sine qua non posset vnitas scientiæ consistere. 1. 88.*

*Abstractum & concretum in Deo non importat distinctionem quoad rem significatam, sed tantùm in modo significandi. 19. 157*

*Abstractiue tam effectus in causa, quàm conclusio in principijs proximè cognoscitur. 9. 396*

*Perfectus potest de ente in Abstracto prædicari propter rationem analogiæ, qua se mutuo includunt. 3. 138*

*Abstracta prædicatio denotat quidditatem rei. 3. 56*

### Accidens.

*Accidens metaphysicum est, quod est extra constitutionem essentiæ vel personæ, quamuis re ipsa identificetur cum substantia rei. 3. 61.*

*Accidentis ratio debet non solùm re ipsa, sed etiam per intellectum à Deo remoueri. ibid.*

*Implicat Deum cum accidente per modum subiecti venire in compositionem. 5. n. 25.*

*Accidens propriè conuenit cum substantia in ratione entis, licet non perfectè. 5. 42.*

*Accidentalis mutatio diuiditur iuxta varietatem accidentium ad quæ tendit. 6. 4.*

*Accidens potest esse adæquata proprietas substantiæ, non autem obiecti infiniti. 9. 77.*

*Accidens supernaturale essentialiter ordinatur ad subiectum naturale, esto non exigat illud. 9. 101.*

*Accidentale principium operationis propriæ Dei communicari potest creaturæ, non autem substantiale. 9. 161.*

*Accidentia supernaturalia dicuntur proprietates naturæ diuinæ, ratione modi operandi, non autem quà accidentia. 9. 175.*

*Accidentia supernaturalia quà accidentia sunt respiciunt naturaliter substantiam creatam. 9. 179.*

*Accidens in effectum substantialem influit secundùm rationem genericam entis. 9. 255.*

### Actio, Actio Dei.

*Actio, qua à Deo conseruantur æuiterna, est permanens. 7. 65.*

*Actio est attingentia termini, conseruatio est eiusdem manutenentia. 7. 67.*

*Actio Angeli libera interna nec æuo nec tempore continuo mensuratur. 7. 81.*

*Sed instanti temporis discreti formaliter indiuisibilis, virtualiter diuisibilis. 7. 82.*

*Actio Angeli externa non mensuratur æuo, nec instanti temporis discreti, sed continuo tempore. 7. 85.*

*Actiones Angelorum tam internæ quàm externæ mensurantur tempore nostro vt mensura extrinseca. 7. 92.*

*Actio non requirit intimam præsentiam agentis ad passum. 8. 20.*

*Actio Dei creatiua arguit solùm mediatè intimam eius in rebus omnibus præsentiam. 8. 22.*

*Actione immanente ordinatur agens ad perficiendum se, transeunte aliud à se, vnde hæc non potest esse perfectior illa. 8. 22.*

*Actio vitalis necessariò debet procedere à principio vitali. 9. 227.*

*Actio ab effectu tanquam via à termino distinguitur. 14. 86.*

*Actio & passio in creatis cur identificentur, non autem in diuinis processio actiua cum passiua. 18. 34.*

*Actio non æquè proficiscitur à causa prima atque à secunda. 27. 99.*

*Actio creata cur non respiciat per se suppositum creatum. 27. 134.*

*Actio significata per nomen aut verbum signatum, prædicabilis est de qualibet perfectione diuina etiam in abstracto. 29. 57.*

*Actio verò significata per verbum exercitum non nisi de proximo principio prædicabilis est. 29. 51*

## Accipere.

*Accipere & dare in diuinis quid sit.* 27.22.

## Actus.

*Actus purus demonstratur ex potentia creatiua.* 3.5.

*Actus diuini ad extra terminati nequeunt de se inuicem prædicari vb diuersam connotationem terminorum.* 3.45.& 141.& d.24.57.

*Actus Dei siue essentiales siue notionales nequeunt reduplicatiuè de se inuicem prædicari.* 3.141.

*Actus vitalis vnius suppositi nequit alteri supposito communicari.* 5.29.

*Ex ratione actus puri Deus esse physicè immutabilis immediatè demonstratur.* 5.10.

*Actui puro opponitur omnis potentialitas.* 6. 10 & 8.23.

*Actus liber in Deo potuit non esse solùm quoad extrinsecum connotatum.* 6.23.

*Actus purus est fundamentum proximum æternitatis.* 7.24.

*Actus purus necessariò debet esse intimè præsens rebus omnibus.* 8.23.

*Actus vitales potentiæ non producuntur actione distincta.* 9.68.

*Actus vitales pendent à speciebus & habitu actione distincta.* 9.69.

*Actu finito vident beati Deum infinitum.* 9.78.

*Actus per supernaturalitatem non extrahitur à genere vitæ in quo erat.* 9.132.

*Actus est similior obiecto in ratione repræsentandi, potentia vero naturalis in modo essendi.* 9.154.

*Actus obiecti supernaturalis cur semper sit supernaturalis.* 9.154.

*Actus liber in Deo formaliter distinguitur ab actu necessario per connotationem productionis, vel negationis productionis libere à se dependentis.* 9.353.

*Actus liber Dei videri debet, ad hoc vt videantur futura in verbo.* 9.348.

*Actus Dei liber est principium particulare rerum, potentia vero vniuersale.* 9.348.

*Actus viatoris sit cuiuscunque vitæ non pugnat cum clara visione Dei.* 9.492.

*Actus liber Dei aliquando est pura nolitio, interdum odium & displicentia.* 14.92.

*Actus suos voluntas liberè quomodo sibi producat.* 14.93 & 96.

*In ordine ad actus nostros liberos nulla necessitate cogimur ponere in Deo prædefinitionẽ.* 14.147.

*Actuum humanorum prædefinitio non tollit libertatem.* 14.154.

*Actus supernaturales in peccato eliciti à prædestinato sunt effectus prædestinationis.* 15.161.

*Actus alicuius perfectio magis essentialis est illa, quæ potentiam perficit secundùm naturalem exigentiam talis potentiæ.* 1.21.

*Actus vitalis non videtur habere vim effectiuam in ordine ad alium actum vitalem.* 1.79.

*Actus immanentes, vt præscindunt à creatis & increatis non sunt essentialiter infœcundi.* 19.49.

*Actus essentiales duo in intellectu, & duo in voluntate ad processiones explicandas frustra multiplicantur.* 18.55.

*Actus essentiales requiruntur ad diuinas processiones vt immediatæ & proximæ communicationes naturæ.* 18.84.

*Actus vitalis non tantùm pendet à potentia vitali proxima, sed etiam à substantia ipsa viuentis, qua ad omnem actum vitalem concurrit.* 18.94.

*Actus meritorius cur non sit subiectum primarium Theologiæ.* 1.150.

*Actus essentiales sicut & quæuis alia perfectio absoluta non potest esse vllo modo principium productiuum in diuinis.* 18.81.

*Vide verbo, intellectio, volitio.*

## Ad

*Esse Ad, in relatione reali est propria differentia constitutiua ipsius.* 19.4.

## Adiectiuum.

*Adiectiua addita substantiis appellant principiũ à quo proximè fluunt, applicantque explicitum significatum prædicati supra explicitum significatum subiecti.* 3.141.

*Adiectiua prædicatio requirit tantùm pluralitatem subiectorum.* 19.183.& d.24.27.

*Adiectiua nomina vnde vnitatem & multiplicitatem sumant.* 27.117.& 29.27.

## Adulti.

*Ordo decretorum Dei circa prædestinationem adultorum.* 15.101.

*In adultis causa reprobationis sunt demerita finalia.* 16.48.

## Æquale, Æqualitas.

*Æqualia sunt sibi diuina attributa fundamentaliter.* 3.50.

*Æqualia sunt attributa diuina secundùm explicitas rationes quas important vt in Deo existentes.* 3.149.

*Æqualia sunt attributa diuina adæquatè concepta secũdùm rationes explicitas & implicitas.* 3.151.

*Æqualitas attributorum ex intrinseca natura ipsorum competit Deo.* 3.156.

*Æqualitas compatitur secum diuersitatem.* 19.212.

*Æqualitas diuinarum personarum quomodo saluanda.* 23.31.& sequentibus.

## Æquiuoca causa.

*Æquiuoca causa per suam substantiam productiua, potest fieri productiua eiusdem effectus per virtutem vniuocam superadditam.* 9.99.

*Æquiuocæ causæ maior perfectio non desumenda est ex perfectione aut imperfectione termini.* 23.38.

## Æternitas.

*Æternitas sæpe cum immutabilitate confunditur à Patribus.* 7.initio.

*Æternum esse Deum de fide est.* 7.1.

*Æternitas analogicè conuenit cum durationibus creatis.* 7.2.

*Æternitas est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.* 7.2. & seqq.
*Æternitas est ætas propria Dei, qua eius beatissima vita mensuratur.* 7.2. & 12.60.
*Æternitatis duratio est tota simul sine partium variatione.* 7.3.
*Æternitas est mensura operationum vitalium Dei.* 7.4.
*Æternitas non solùm actualem, sed etiam potentialem terminum negat.* 7.5.
*Æternitatis rationem non perfectè participaret creatura etsi foret ab æterno condita.* 7.5.
*Æternitas est Nunc Stans.* 7.6.
*In æternitate nulla est differentia præteriti & futuri.* 7.6.
*Æternitati ratione diuisibilitatis virtualis tribuitur interdum à Patribus differentia temporis præteriti & futuri.* 7.7.
*Æternitas est virtualiter diuisibilis.* 7.7.
*Æternitas Dei non completur formaliter per rationem mensuræ.* 7.13.
*Æternitas supra negationem termini addit permanentiam vitæ Dei cum perfecta vniformitate essendi & aptitudinali correspondentia ad infinitum tempus.* 7.17. & seqq.
*Æternitas est potens coëxistere infinito tempori, proximè propter negationem termini, remotè expositiua ratione durationis.* 7.20.
*Æternitas in cognosci pendet ab extrinseco.* 7.22
*Æternitas & immutabilitas in quo conueniant & in quo discrepent.* 7.23. & 24.
*Æternitas fundatur in necessitate essendi, summa simplicitate & puritate actus.* 7.24.
*Æternitas vnica est in Deo.* 7.25.
*Æternitas non opponitur tempori immediatè, sed durationi creatæ vt sic.* 7.29.
*Æternitatis diuisio.* 7.31.
*Dari non potest creatura quæ connaturaliter exigat æternitatem.* 7.39. & seqq.
*Non repugnat creaturam etiam corruptibilem gratis à Deo ab æterno condi.* 7.44. & seqq.
*Æternitas ab æuo quomodo differat.* 7.69.
*Æternitas est prior immensitate, quia res prius est quàm sit in loco.* 8 initio.
*Æternitas non continet actu omnes durationes inferiores.* disp. 12.71.
*Ratione æternitatis Deus non solùm fuit & erit in omni tempore reali, sed etiam fuit & erit ante & post omne tempus reale.* 8.34.
*Æternitati non repugnat præteritum & futurum extrinsecè & connotatiuè.* 12.84.

## Æuum.

*Æuum non mensurat vitam actualem Angeli sed solam substantiam ipsius.* 7.4.
*Æuum est mensura & duratio rerum ab intrinseco incorruptibilium.* 7.55 & 81.
*Æuum ab æternitate non differt per aliquam successionem intrinsecam.* 7.65.
*Æuiterna conseruantur à Deo actione permanente.* 7.65.
*Æuum non est modus ex natura rei distinctus ab æuiterna substantia.* 7.68.
*Æuum dicit intrinsecam capacitatem termini, & exigentiam successionis in propriis actibus, & accidentibus substantiæ quam mensurat, quorum capax non est æternitas.* 7.69
*Æuum non est perfecta mensura rei cuius est duratio.* 7.69.
*Æuum ratione complementi ab operationibus accepti dici potest habere prius & posterius.* 7.70.
*In æuo idem est præsens, præteritum, & futurum, quoad intrinseca, non vero quoad extrinseca cõnotata.* 7.71.
*Æuum non est mensura temporis infiniti.* 7.12.
*Æuo mensuratur beatitudo supernaturalis.* 7.83.
*Æuum habet negationem infinitarum perfectionum solùm extrinsecarum.* 7.75.
*Æuum est mensura materiæ secundùm se.* 7.86.

## Agens.

*Omne agens intellectuale agit propter aliquem finem.* 3.17.
*Agens creatum potest agere in subiectum, cui non est immediatè præsens.* 8.16 & seqq.
*Agens infinitum minus requirit intimam præsentiam ad passum quàm finitum.* 8.21.
*Agens est actus passi non formalis, sed effectiuus.* 8.25.
*Cur non possit agens agere in distans tempore, possit in distans loco.* 8.26.
*Agens naturale potest dare esse effectui supernaturali saltem secundùm rationem genericam, & quomodo.* 9.253.

## Aliud & Alius.

*Inter Aliud & Alius quæ diuersitas.* 25.23. & d.29.num.17.

## Amor.

*Amor in ratione motus est perfectior cognitione, imperfectior in ratione entis.* 9.264.
*Amor increatus non solùm ad Deum vt bonum, sed etiam quasi reflexè ad se ipsum tendit.* 14.11.
*Actum amicitiæ non habet Deus erga se, sed concupiscentiæ.* 14.12.
*Amore efficaci necessario se ipsum solùm Deus amat, cætera efficaci libero.* 14.35.
*Deus ex non amante creaturam fit amans intrinsecè sine intrinseca sui mutatione.* 14.61.
*Quomodo Deus se ipsum amet.* 14.100.
*Amor facit vel supponit similitudinem inter amantes.* 18.176.
*Amor creatus licet non procedat à verbo creato, potest tamen ab illo distingui, non sic Amor increatus si à verbo increato non procederet.* 27.75.
*Amor concors quis in Deo dicatur.* 27.129.
*Amor infinitus non potest absque verbo ostendente infinitum bonum produci.* 27.109.
*Amor ex quo procedit Spiritus Sanctus non est diuersus in Patre & Filio, sed vnus & idem.* 27.103.
*Amor an sit aliquis in Patre æterno amante qui non sit in Filio redamante.* 27.129.
*Amantis & redamantis denominationes supra amorem communem & essentialem, non addunt in Deo nisi solam connotationem diuersarum personarum, in quibus est.* 27.129.
*Amor notionalis productiuus Spiritus Sancti totus reperitur in Patre, & totus in Filio subiectiuè, non autem obiectiuè.* 27.138.

*Amor diuinus includit quidditatiuè aptitudinalem communicationem ad extra.* 27.152.
*Amor est primum donum, quod amans simul cum alio redonat amato, & quo mediante cætera donat.* 27.152.
*Amor notionalis cur non possit multiplicari numero aut specie.* 18.21.

## Analogia.

*Analogatorum mutua prædicatio reduplicatiua concedenda est, dummodo non cadat reduplicatio supra rationem explicitam.* 3.140.
*Rationes analogæ possunt se mutuo includere.* 3.144.
*In rationibus diuinis est solùm analogica præcisio.* 5.18.
*Analoga ratio communis Deo & creaturis datur.* 5.35.
*Analoga non possunt constituere compositum metaphysicum.* 5.35.
*Analoga ratio non potest habere perfectam ab inferioribus præcisionem.* 5.37.

## Angeli.

*Angeli quia inter omnia creata proximius accedũt ad Deum sunt omnibus immutabiliores.* 6.25.
*Angelicæ substantiæ mensura est æuum.* 7.4.
*Angelicæ operationes non sunt permanentes, sed sibi succedentes.* 7.4.
*Angeli omnes æqualiter correspondent tempori infinito à parte post, non verò spatio.* 7.73.
*Angelus prius altero creatus dicitur plus durare solùm per connotationem & coëxistentiam extrinsecam.* 7.74.
*Angelus non potest coëxistere nouo spatio sine noua forma, potest tamen tempori.* 7.76.
*Angelus reproductus prius æuum haberet.* 7.77
*Angeli libera operatio intrinseca & extrinseca quomodo mensuretur.* 7.81. & seqq.
*Angeli vnius æuum non mensuratur per alterius Angeli æuum.* 7.89.
*Angelorum æuum mensuratur tempore nostro vt mensura extrinseca.* 7.92.
*Angeli vnius distantia ab alio mensuratur extrinseca mensura spatij localis.* ibid.
*Mensura extrinseca perfectionis quantitatiuæ vnius Angeli est alter Angelus.* 7.93.
*Angelus potest & debet habere vbi extra hunc mundum.* 8.33. & seq.
*Angelo non potest communicari immensitas connaturaliter.* 8.51.
*Angelus potest se ipsum etiam per speciem superadditam intelligere.* 9.98.
*Angelus inferior superiorem naturaliter potest cognoscere.* 9.156.
*Angeli intellectus est formaliter tam intellectiuus quam intelligibilis respectu suæ substantiæ sine alio concursu.* 9.218.
*Angelicus intellectus distat ab humano in modo intelligendi magis abstractè.* 9.288.
*Angelus non per eandem essentiæ speciem formaliter videt naturam & proprietates alterius Angeli, sed per eandem vt virtutem continentem proprietates.* 9.395.
*Angelus Persarum ignorauit quæ Persis uentura erant.* 9.441.
*Angeli ignorant diem iudicij.* 9.142.
*Angelo inferiori potest communicari vis comprehendendi angelum superiorem.* 10.28.
*Angeli non prænoscunt futura libera.* 12.73.
*Angeli non cognoscunt ea quæ intra suum æuum extitura sunt.* 12.146.
*Res intentionaliter expressæ in Angelo non dicuntur ideæ defectu potentiæ productiuæ.* 12.27.
*Media quæ sunt communia, fuere Angelis omnibus in via parata.* 16.28.
*Angeli non habuerunt causas communes in ordine ad primam gratiam.* 16.30.
*Exclusio à gratia efficaci in Angelis nullam supponit causam.* 16.47.
*Angeli boni electi sunt ad gloriam dependentes ab ipsorum meritis, non autem ad gratiam efficacem, & mali ad pœnã propter demerita.* 16.71.
*Angeli superiores non mittuntur nisi ad magna & Heroica opera.* 28.17.
*Angeli ad nos mitti non possunt sine aliqua eorum imperfectione.* 28.17.
*Angeli non ad omnia mitti possunt.* 28.17.

## Animę purgatorij.

*Animæ purgantes seruant habitum Theologicum disp.* 1.124.

## S. Anselmus.

*An senserit Spiritum S. distinguendum à Filio si ab illo non procederet.* 27.65.

## Antropomorphitę.

*Deum corporeum fingebant, & corporis oculis visibilem.* 9.122.

## Apprehensio.

*Apprehensio simplex præcedit assensum illatiuum vt conditio solùm prærequisita, sine qua assensus ipse elici non posset.* 9.90.

## Appropriatio.

*Per appropriationem dicuntur creaturę in verò videri.* 9.35.
*Per appropriationem opera supernaturalia ad voluntatem spectantia tribuuntur Spiritui sancto.* 9.359. & 13.36.
*Per appropriationem opera diuina potentiæ ad extra tribuuntur Patri.* 9.359. & 13.36.
*Per appropriationem tribuuntur verbo ideæ, quæ sunt communes tribus personis.* 13.36.
*Appropriatio nominum ab authoritate prouenire potest.* 27.9.

## Aqua.

*Aqua ad producendam gratiam eleuari potest, non autem oculus ad videndum Deum.* 9.128.

## Arbitrium.

*Liberi arbitrij libertatem non ladit præscientia futurorum.* 12.148.
*Neque ex scientia approbationis sequitur læsio liberi arbitrij.* 12.150.
*Arbitrij libertati nihil officit suppositio de futuro.* 12.151.

## Aristoteles.

*Aristoteles errauit cùm putauit Deum omnia agere ex necessitate.* 14.45.

## Armeni.

*Error Armenorum dicentium Deum videri in quadam theophania.* 9,1.

## Ars.

*Artis attributum in Deo concipiendum est posterius attributis ad essentiam in communi spectantibus.* 3.169.
*Idem Artis Attributum priùs concipiendum est attributis voluntatis.* 3.169.

## Articulus Fidei.

*Articulos Fidei non potest intellectus humanus penetrare.* 1.10.
*Potest fidelis habere notitiam euidentem de artis Fidei, & nihilominus de ijs fidem retinere.* 1.9.

## Assensus. Assensus Fidei. Assensus Theologicus.

*Nullus tenetur firmius adhærere conclusioni quàm principijs, propter quæ conclusioni adhæret.* 1.2.
*Assensus prudens intellectus non est tantùm circa ea quæ sunt euidenter nota, sed etiam quæ sunt euidenter credibilia.* 1.13.
*Assensus ex testimonio Dei clarè cognito essentialiter differt ab assensu ex eodem testimonio obscurè credito.* 1.20.
*Assensus quem de rebus fidei habuerunt Prophetæ & Apostoli per euidentiam motiui formalis & ipsius attestationis diuinæ non sunt vera & propria scientia.* 1.27.
*Assensus elicitus ex euidentia extrinsecæ attestationis potiori ratione dici potest scientia, quàm nostra Theologia.* ibidem.
*Assensus Theologicus est assensus in conclusiones deductas ex principijs reuelatis.* 1.45.
*Assensus Theologicus elicitus ex principio reuelato credito tantùm fide humana est diuersæ speciei ab assensu elicito ex principio credito fide diuina.* 1.53.& 86.
*Assensus Theologici motiuum aliud proximum aliud remotum.* 1.54.
*Assensuum Theologicorum non æqualis omnium certitudo, propter inæqualitatem authoritatum, quibus nituntur.* 1.56.
*Assensus Theologicus opinatiuus non propriè spectat ad Theologiam.* 1.57.
*Ille tantùm & omnis assensus ad Theologiam spectat qui moralem gignit certitudinem.* ibid.
*Assensus Theologicus est certior quolibet assensu scientifico naturali.* 1.67.
*Quando ad Assensum concurrit aliquod motiuum supernaturale, ille est quoad essentiam supernatulis.* 1.68.
*Assensus qui infertur ex alterutra tantùm præmissa supernaturali, est in essentia supernaturalis.* 1.70.
*Assensus Theologicus non specificatur à motiuo proximo sed adæquato.* 1.71.
*Assensus Theologicus non causatur effectiuè ab ipso assensu supernaturali fidei, sed ab habitu fidei infusæ.* 1.79.
*Assensus fidei omnes sunt eiusdem rationis ob vnitatem motiui formalis.* 1.85.
*Assensus scientifici non specificantur à conclusionibus, nec à conceptibus apprehensiuis, licet illi supponantur vt conditiones necessariò prærequisitæ, sed à medijs.* 1.89.& 90.

## Assistentia Spiritus Sancti.

*Patribus speciali auxilio intra eundem ordinem luminis obscuri Fidei assistit Spiritus sanctus, ne errent in veritatibus eruendis, quæ implicitè contineatur in principijs reuelatis, qualem assistentiam Scholastici non habent.* 1.16.

## Attributum diuinum.

*Attributum cur non possit habere rationem Notionis.* 24.8.
*Nomine attributi importatur perfectio absoluta prædicabilis de Deo ad instar formæ adiacentis.* 3. 19.& 161.
*Attributum superaddit fundamento formalitatem ratione diuersam.* 3.19.
*Ab attributis quænam excludantur.* 3.20.& 161.
*Attributa diuina ab essentia non distinguuntur vt res diuersorum prædicamentorum.* 3.22.
*Essentia diuina ab attributis ex natura rei non distinguitur.* 3.25.& sequent.
*Vnum attributum diuinum per aliud demonstrari potest.* 3.47.
*Attributa diuina sunt sibi æqualia fundamentaliter.* 3.50.
*Attributa diuina habent vnam actu definitionem, virtute multiplicem.* 3.48.
*Attributa sunt de constitutiuo Dei.* 3.54.& seqq.
*Attributa diuina non sunt passiones ab essentia realiter fluentes.* 3.67.
*Attributa quomodo constituant essentiam Dei.* 3.70.
*Attributa diuina inter se & ab essentia ratione ratiocinata distinguuntur.* 3.92.& seq.
*Vnde sumenda sit ratio distinctiua vnius attributum seu perfectionem ab alio.* 3.105.& 108.
*Attributa diuina vt à nobis concepta essentiam & se ipsa mutuo includunt.* 3.123.& seq.
*Attributa diuina secundùm esse explicitum intelliguntur à nobis vt plura.* 3.135.
*Vnius attributi ratio obiectiuè relucet in conceptu alterius implicitè, non explicitè.* 3.136.
*Essentia & attributa non propriè se mutuo includunt.* 3.142.
*Attributa diuina an & quomodo sint inæqualia.* 3.49.& seq.
*Attributa quomodo de Deo denominatiuè prædicentur.* 3.66.
*Attributa intellectus & voluntatis secundùm explicitas rationes perfectiora sunt attributis omnipotentiæ & immensitatis.* 3.154.
*Attributa intellectus perfectiora sunt attributis voluntatis.* 3.154.
*Attributa Dei sunt finita extensiuè, infinita intensiuè.* 3 62.& 9.304.
*Vndenam desumatur ratio attributi.* 3.164.

*Attributa tam positiua quàm negatiua aliquam denotant perfectionem in Deo.* 3.165.
*Inter attributa an sit aliquis ordo.* 3.166.
*In Deo quænam attributa sint concipienda priora.* 3.69.
*Distinctio virtualis inter attributa Dei sufficit ad faciendas de Deo demonstrationes propter Quid.* 3.70.
*Aliqua attributa diuina in cognosci pendent ab extrinseco.* 7.22.
*Nullum attributum diuinum potest ab vlla specie creata exprimi vt in se est.* 9.80.
*Sine attributis essētia diuina videri nō potest.* 9.321
*Et cur?* 9.330.

## Auditio.

*Auditio ad intra in diuinis quid sit.* 26.37.

## Augere. Author.

*Augere à producere quomodo discriminetur.* 25. 21.
*Authoris nomen quando tribuitur Patri & Filio an scribendum sit littera C. an littera T.* 25. 20. & seqq.
*Authoris nomen an diuinis conueniat quoad productiones ad intra.* 5. 19. & seq.
*Author non importat superioritatem & maioritatem respectu eius, respectu cuius est author.* 25.26.
*Authoritates, ex quibus tanquam proprijs medijs argumentatur Theologus, varios certitudinis gradus habent.* 1.56.

## Beatitudo.

*Beatitudo supernaturalis mensuratur æuo & dicitur participata æternitas.* 7.83.
*Beatitudo non daretur iuxta proportionem meritorum, si perfectior intellectus perfectiorem visionem eliceret.* 9.291.
*Beatitudinis obiectum primarium includit personas.* 9.341.
*Beatitudinem non posse mereri per opera naturæ viribus elicita, erronee sensit Cassianus.* 15.14.
*Beatitudo Dei consistit in perfectissima cognitione Deitatis, quæ sine cognitione possibilium haberi non potest.* 26.146.
*Beati Deum in se ipso clarè videre possunt.* 9.2.
*Beati vident Deum infinitum non in verbo creato, sed in seipso.* 9.78.
*Beati vident Deum visione creata, quæ est sola vitalis tendentia & intentionalis vnio intellectus creati cum Deo proximè & immediatè intelligibili.* 9.81.
*Beati videndo Deum formant verbum quod est tantùm species Qua non autem in Qua.* 9.83.
*Intellectus Beati lumine gloriæ informatus adhuc est naturaliter improportionatus respectu Dei in se ipso visibilis.* 9.182.
*Beatorum lumen est per modum habitus & non actus.* 9.204.
*Beatus medio intellectu actiuè producit visionem.* 9.227.
*Beati nec omnes sunt æquales in visione, nec omnes inæquales.* 9.275.
*Beati vident Deum quoad omnem modum & gradum perfectionis, qui in ipso existit.* 9.300.
*Beati non vident omnes ideas diuinas.* 9.306.
*Beati possunt libera decreta Dei cognoscere non tamen sine cognitione effectus.* 9.352.
*Beati eadem visione qua vident Deum, vident aliqua obiecta creata.* 9.361.
*Beati non vident creaturas in Deo, vt in causa vel idea formaliter.* 9.377. & 12.43.
*Beati vident creaturas in verbo vt in causa radicaliter visa.* 9.385.
*Beati per eandem speciem virtualiter diuersam vident diuinam essentiam & creaturas.* 9.392.
*A Beatis implicat videri actu omnes creaturas in verbo, imo etiam habitu.* 9.404. & 426.
*Beati qua perfectius vident Deum, eo plura possibilia vident in Deo.* 9.440.
*Beati an videant omnia futura in verbo, quæ ad eorum statum pertinent.* 9 441.
*Item an omnia quæ hic fide crediderunt.* 9.443.
*Et an ea quæ ad seriem sua prædestinationis spectant.* 9.446.
*Cur beati has potiùs videant creaturas quàm illas.* 9.454. & sequent.
*Beatis de facto visio est inuariabilis, possent tamen variare visionem circa obiectum primarium non variando circa secundarium.* 9.454. & 458.

## Bonus, Bonum, Bonitas.

*Bonus non dicitur Deus per solam connotationem bonitatis quam causat.* 3.95.
*Ratio Boni licet concipiatur vt proprietas entis, tamen includit ipsum ens.* 3.137.
*Bonitas est in Deo prior concipienda attributis intellectus & voluntatis.* 3.169.
*Bonitas dicit vel integritatem rei, si sit absoluta, vel conformitatem ad appetitum, si sit respectiua.* 4. initio.
*Bonitas præsupponit indiuisionem entis in se.* ibid.
*Bonitas Dei non potest ab vlla specie creata exprimi vt in se est.* 9.80.
*Bonitatis diuinæ attributum partim est absolutum, partim respectiuum.* 14. initio.
*Bonitas increata est obiectum formale & primarium diuinæ voluntatis.* 14.6.
*Bonitas increata est obiectum formale charitatis creatæ.* disp. 14.8.

## Causa.

*Causa & causati nomen in diuinis locum non habet respectu productionum ad intra.* 25.22. & seq.
*Causa duplicem imperfectionem importat respectu eius, respectu cuius dicitur causa.* 25.23.
*Causa secūda immediatiùs attingit effectum quàm causa prima.* 27.87.
*Causa partialis supernaturalis concurrens ad alia concausa naturali producit effectum totum supernaturalem & cur.* 1.69.
*Causarum infinita series, si dabilis esset, necessariò penderet ab alia causa, quæ sit extra totam seriem causarum producentium & productarum.* 2.78.
*Causa ab effectibus tunc arguitur infinita, cùm illos infinitos formaliter in se continet.* 3.6.
*Quod causa efficiens aut exemplaris non limitat, est omnino illimitatum.* 4.2.
*Causa non necessariò suum effectum tempore præcedit, sat est si præcedat natura, & causalitate.* 7.44.

*Causa continens formaliter perfectionem, si illam communicare potest effectui sine certo limite, tunc in ea perfectione causa est infinita.* 8.5.
*Causa æquiuoca productiua effectus per suam substantiam potest eiusdem fieri productiua per virtutem vniuocam superadditam.* 9.99.
*Esse causa dum communicat Deus creaturæ, non communicat esse causæ primæ.* 9.105.
*Causa secunda in producendo non per omnia gerit vicem causæ primæ.* 9.105.
*Causa & instrumentum naturale sunt in eodem ordine.* 9.185.
*In Deo vt est causa creaturarũ non videntur proximè & formaliter creaturæ.* 9.377.
*Intensior causa cognitio non facit formaliter videre plures effectus.* 9.384.
*Deus in se ipso vt in causa non cognoscit formaliter creaturas.* 9.393.
*Causæ æquiuocæ intuitiua cognitio non necessariò infert intuitiuam cognitionem effectus.* 9.394.
*In causa abstractiuè proximè cognoscitur effectus.* 9.396.
*Causa formalis cur hæ potiùs creaturæ videantur in verbo est ipsa visio: moralis, merita, physica efficiens remota, voluntas Dei, efficiens proxima est lumen gloriæ vt est participatio intelligibilis similitudinis, quam Deus habet de creaturis.* 9.449. & 454.
*Causa rerum directiua est scientia Dei.* 12.276.
*Causa rerum absolutè futurarum est scientia conditionata Dei.* 12.281.

## Certitudo.

*Certitudo scientiæ consequitur euidentiam.* 1.19.
*Certitudinis gradus varij in authoritatibus.* 1.56.

## Censura.

*Censuræ gradus quot sint.* 29 *initio.*

## Charitas.

*Charitas Dei nulli substantiæ creatæ potest esse connaturalis.* 9.163.
*Charitas Dei est perfectior lumine gloriæ in genere moris, imperfectior in ratione entis.* 9.264.
*Charitatis formale obiectum est bonitas increata.* 14.8.

## Christus.

*Christi visio beata excedit in perfectione omnium Angelorum visionem.* 9.287.
*Christus cognoscit omnes creaturarum cogitationes & volitiones quoad speciem: quoad numerum verò futuras, vsque ad diem iudicij.* 9.431.
*In Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei, intellige increatæ.* 9.433.
*Christum viatorem simul & comprehensorem fuisse certum est.* 9.49.
*Christus stante intuitiua cognitione suarum operationum in verbo adhuc potuit illas liberè exercere.* 12.158.
*Christi merita sunt causa nostræ prædestinationis.* 15.39. *& sequent.*
*Christi merita nõ sunt causa nostræ electionis, quatenus hæc dicit dilectionẽ vnius præ alio.* 15.47.
*Christi merita quandonam sint præuisa.* 15.48.
*Cur Christi merita non numerentur inter effectus prædestinationis.* 15.49.
*Christus non habuit gloriam animæ ex meritis, benetamen corporis.* 15.14.
*Eandem habuit propter vnionem hypostaticam.* *ibid. num.* 128.
*Christus cur noluerit expressè dicere, Spiritum sanctum procedere à se, sicut dixit de Patre.* 27.37.
*Christus vt homo missus est non solùm à Patre, sed etiam à Spiritu sancto, & à se ipso vt Deo.* 28.31.
*Christus dicendus est increatus.* *ibid.* 41.
*Christus quotidie mittitur vt cibus animæ ad species sacramentales.* *ibid.* 59.
*Christus vt homo mittere non potest Spiritum sanctum.* *ibid.* 103.
*Christus non vt homo, sed vt homo Deus est author gratiæ, & primum principium meritorium.* *ibid.* 105.

## Cicero.

*Negat Deo præscientiam futurorum liberorum.* 12.54.

## Circumsessio.

*Circumsessio diuinarum personarum in quo consistat.* 19.210.

## Cognitio.

*Cognitio quam Deus habet de creaturis est practica & speculatiua simul.* 1.105.
*Cognitio ex qua procedit verbum est cognitio personarum præsentium & existentium in eadem duratione in qua existit ipsa cognitio.* 26.98.
*Cognitioni intuitiuæ non obstat posterioritas originis obiecti cognoscibilis, nec posterioritas præcisionis, sed sola posterioritas durationis obiecti cognoscibilis.* 26.99.
*Cognitio increata per se dicit expressionem creaturarum possibilium.* 26.130.
*Cognitio diuina non solum dicit perfectionem intrinsecam in Deo vt est expressiua obiecti primarij, sed etiam vt est expressiua obiecti secundarij.* 26.131.
*Cognitio futurorum in Deo cur nullam addat perfectionem intrinsecam Deo, addat autem possibilium.* 26.143.
*Cognitio creaturarum possibilium addit nouam aliquam expressionem supra expressionem essentiæ diuinæ.* 26.143.
*Cognitio creaturarum possibilium spectat etiam ad obiectum Beatificum Dei saltem connaturaliter.* 26.146.
*Cognitio Dei est adæquata toti cognoscibilitati diuinæ tam quoad necessaria, quam quoad contingentia, sed non in ratione comprehensionis formaliter.* 26.176.
*Cognitio potest esse finita de obiecto infinito si sit cognitio Qua.* 3.7.
*Cognitio omnium possibilium arguit manifestè*

*Deum*

*Deum infinitum.* 3.4.
*Cognitio Dei præciso ordine ad creaturas non terminatur ad essentiam sub ratione veri, præcisa ratione boni.* 3.114.
*Cognoscibile obiectum potest dici præsens cognoscenti, & cognoscens præsens obiecto cognoscibili.* 8.54.
*Cognitio qua Deus est præsens rebus est cognitio intuitiua rei præsentis vt præsentis, & actu existentis.* 8.52. & 53.
*Cognitio intuitiua necessariò requirit speciem propriam obiecti.* 9.66.
*Cognitio sensitiua essentialiter postulat specificari ab aliqua ratione formali sensibili.* 9.124.
*Cognitio in ratione entis est perfectior amore, imperfectior in genere moris.* 9.264.
*Cognoscibilitas fundatur in tota essentia rei.* 9. 333.
*Cognitio essentialis in diuinis quomodo sit prior & posterior.* 9.339.
*Cognita creatura intuitiuè, non necessario cognoscitur intuitiuè obedientialis potentia.* 9.345.
*Cognitio intuitiua ad quanam feratur.* 9.349.
*Eadem cognitio potest esse tantùm Ratio Qua respectu vnius obiecti, & respectu alterius ratio in qua.* 9.367.
*Cognitio intensior causę non facit formaliter plures videri effectus.* 9.384.
*Cognitio intuitiua causa aquiuoca non necessario infert intuitiuam cognitionem effectus.* 9.394.
*Cognitio intuitiua fundamenti non necessari ò arguit intuitiuam cognitionem termini extrinseci.* 9.394.
*Cognitio abstractiua habetur proximè tam effectus in causa, quàm conclusionis in principijs.* 9.396.
*Cognitio omnium possibilium in verbo arguit comprehensionem diuinæ essentiæ & omnipotentiæ.* 9.408. & *seq.*
*Cognoscens vnum creabile cum connexione ad potentiam creatuam Dei, debet adæquate cognoscere actum purum, vt causam talis creabilis.* 9.412.
*Cognitio actu exprimens infinita indiuidua dearticulatè implicat siue in, siue extra verbum.* 9.429.
*Cognosci infinita indiuidua habitu non implicat.* 9.432.
*Potest dari circa vnum obiectum cognitio adæquata extensiuè, & non intensiuè, & non è contra.* 10.11.
*Cùm cognitio circa idem indiuisibile obiectum crescit, non videtur obiectum sub noua perfectione entitatiua, sed tantùm sub noua claritate obiectiua.* 10.15.
*Est cognitio comprehensiua qua Deus se & suam cognitionem cognoscit.* 12.8.
*Cognitio non repræsentat intuitiuè obiectum, nisi ei intellectui, cuius est vitalis imago.* 12.43.
*Quomodo Deus mala & peccata in se ipso cognoscat.* 12.46.
*Cognitio diuina non solùm est medium, in quo obiectum exprimitur, sed etiam quo immediatè tendit ad obiectum in se existens.* 12.138.
*Cognitio diuina quomodo ad obiecto pendeat.* 12.146.
*Cognitia creata. quomodo ab obiecto pendeat. ibid.*
*Vide V. Lumen, intellectio, species, visio, verbum scientia.*

## Color.

*Color vehemens diu conspectus facit sequentem colorem ad aliquod tempus eiusdem coloris videri.* 9.48.

## Communicatio.

*Communicatio solius naturæ & non paternitatis, quæ sit Filio, fundamentum præbet distinguendi paternitatem à natura.* 3.109.
*Communicatio intellectionis ex vi originis soli Filio facta, & non Spiritui sancto fundamentum præbet distinguendi intellectum à voluntate.* 3.109.
*Communicare quid, & quomodo à producere differat.* 18.10 & 85.
*Communicatio naturæ à productione personę quomodo distinguatur.* 18.87.
*Communicatio duplex in diuinis, alia proxima, alia remota.* 18.84.
*Quid vi originis formaliter cum intellectione & volitione communicetur cuilibet personę.* 18. 94.
*Communicatio vi processionis vnde desumenda.* 18.126.
*Communicatio immediatior desumitur ab eo, quod est immediatior via respectu termini.* 18.128.
*Communicatio non est notionalium.* 18.171.
*Communicatio realis quot modis fieri possit.* 19. 37.
*Communicationis finis est facere vnum.* 19.37.
*Communicatio aptitudinalis ad extra est intrinseca perfectio amoris increati.* 27.152.

## Comparatiua Nomina.

*Comparatiua nomina in materia Trinitatis vitanda.* 27.86.

## Complementum.

*Complementum substantiæ duplex, vnum habetur in Deo à relationibus, alterum à natura formaliter.* 21.28.

## Compositio.

*Implicat in Deo compositio ex potentia obiectiua, & esse, non solùm re, sed etiam ratione.* 5.2.
*Implicat in Deo realis compositio ex partibus actu distinctis.* 5.3.
*Compositionis multiplex diuisio.* 5.1.
*Tres relationes personales nullam faciunt in Deo compositionem.* 5.5.
*Repugnat Deo compositio per modum plurium distinctorum coalescentium in vnum, non autem per modum identitatis.* 5.12. & *seq.*
*Non repugnat Deo compositio ex rationibus se mutuò includentibus implicitè.* 5.17.
*Deus physicè naturaliter venire non potest in compositionem cum creatura.* 5.24.
*Compositio in Deo qualisnam sit.* 5.19.
*Compositio virtualis in Deo nulla est.* 5.20.
*Compositio physica varia Metaphysica esse solet*

*ex genere & differentia.* 5.24.
*Implicat Deum venire in compositionem cum forma, vel cum materia.* 5.25.
*Implicat Deum vt subiectum venire in compositionem cum accidente.* 5.26.
*Implicat Deum componere vnum existens cum essentia creata.* 5.27.
*Non potest natura increata componere cum supposito creato, potest vero suppositum increatum cum natura creata.* 5.28.
*Non potest Deus vniri cum creatura in ratione vitæ.* 5.29.
*Non repugnat Deo compositio cum causis creatis in ratione efficientis.* 5.30.
*Deus vt causa prima componit vnum principium cum qualibet causa secunda in ordine ad effectum producendum.* 5.30.
*Compositio metaphysica est ex extremis, quorum vnum conceptibiliter saltem excludit alterum.* 5.36.
*Non potest Deus venire in compositionem metaphysicam vniuocam cum creatura.* ibid.

## Comprehensio.

*Deum nemo videre potest visione comprehensiua.* 9.6.
*Non est comprehensiua visio quæ non tendit ad obiectum cum ea claritate, quam obiectum petit.* 9.307.
*Comprehensio diuinæ omnipotentiæ & essentiæ ex cognitione omnium possibilium in verbo arguitur.* 9.408. & seq.
*Comprehensa omnipotentia Dei, comprehendi totam essentiam Dei demonstratur.* 9.411.
*Comprehensio vt sic non consistit in cognitione omnium perfectissima, quæ de obiecto haberi possit.* 10.1.
*Comprehensio non solùm requirit adæquationem extensiuam, sed etiam intensiuam in claritate obiecto commensuratam.* 10.6.
*Ad comprehensionem necessarium non est, vt cognoscantur extrinseci termini, ad quos res ordinatur.* 10.13.
*Comprehendi ab intellectu creato Deus non potest.* 10.22. & 27.
*Ad comprehensionem Dei distincta cognitio possibilium vt sic nihil facit.* 10.24.
*Comprehensiua est cognitio, qua Deus se & suam cognitionem cognoscit.* 12.8.
*Comprehensio Patris necessariò secum affert comprehensionem aliarum diuinarum personarum.* 26.88.
*Comprehensio est cognitio omnium, quæ spectant ad rem comprehensam naturaliter & necessario, non verò quæ spectant ad rem comprehensam liberè & contingenter.* 26.176.

## Conceptus.

*Conceptus nostri inadæquati de diuinis attributis non sunt falsi.* 3.58.

## Conclusio.

*Conclusio eadem propter diuersitatem medij pertinere potest ad diuersas scientias.* 1.34.
*Conclusionis Theologicæ ex principijs reuelatis deductæ motiuum adæquatum non est sola authoritas reuelantis, sed naturalis etiam connexio eiusdem conclusionis cum principijs reuelatis.* 1.38.
*Conclusio ex principio reuelato deducto considerari potest vel vt deducta formaliter, vel vt explicata: Primo modo est obiectum Theologiæ, secundo verò fidei infusæ.* 1.40.
*Conclusio cur & quomodo sequatur debiliorem partem.* 1.62. & 72.
*Conclusio Theologica deducta ex vtraque de fide est certior, quàm deducta ex vna tantùm de fide & altera naturali.* 1.79.
*Conclusio quando est propinquior principio, ex quo deducitur, tanto magis participat certitudinem principij propter quam ipsa asseritur.* 1.79.
*Conclusio non est ratio specificatiua assensus scientifici sed medium.* 1.89.

## Conseruatio.

*Conseruatio est manutenentia termini, actio verò est attingentia eiusdem.* 7.65.

## Conspicillia.

*Conspicillia multangularia repræsentant obiectum multiplex, & vbi non est.* 9.44. & 47.

## Constitutiuum.

*Constitutiuum formale rei, quænam debeat habere.* 3.77. & 19.116.
*Constitutiuum formale Dei non potest assignari vt condistinctum à reliquis perfectionibus essentialibus ipsius Dei.* 3.78.
*Constitutiuum formale Dei est ipsum esse secundum totam latitudinem essendi.* 3.79. *nec potest esse quid aliud.* ibid. n. 82. & seq.
*Constitutum ex actu volendi & spiratione actiua ratione tantùm distinctum a Patre & Filio datur.* 19.79.
*Constitutiuum rei duplex, alterum virtualiter diuisibile, alterum omnino indiuisibile.* 19.120.
*Constitutio essentialiter importat duo.* 19.143.
*Constitutio personarum, quomodo sit realis, & quomodo per intellectum.* 20.17.

## Consubstantialitas.

*Consubstantialitas termini procedentis requirit identitatem eiusdem numero naturæ cum principio producente.* 18.5.

## Contradictoria.

*Contradictoria de eadem re omnino etiam virtualiter indistincta, implicat verificari, non autem de eadem re formaliter virtualiter tamen diuersa.* 3.42.

## Corporeum.

*Nulla potentia corporea potest ferri in vllum ens spirituale.* 9.130.
*Corporea potentia minus distat ab ente spirituali, quàm intellectus creatus à Deo in ratione entis, non autem in ratione obiecti & potentiæ.* ibid.

## Creatio, Creatura.


*Creaturæ quatenus attributionem aliquam dicunt ad Deum sunt secundarium subiectum Theologiæ.* 1.139.

*Creaturæ varias à posteriori perfectiones de Deo manifestant & exprimunt & sic attributionem ad Deum dicunt.* 1.141.

*Creaturæ dicuntur procedere ex Deo, potiùs quam de Deo.* 18.6. & 29.60.

*Creaturæ possibiles quomodo constituant essentialiter intellectiuum Dei.* 18.172.

*Creaturæ possibiles vt cognitę non concurrunt ad productionem verbi per se originatiuè, sed per se tantùm terminatiuè: nec vt terminus primarius, sed tantùm secundarius.* 26.133.

*Creaturæ possibiles habent summam necessitatem essendi non quidem positiuè, sed negatiuè.* 26.137.

*Creaturæ possibiles dupliciter considerari possunt, vel per ordinem ad omnipotentiam Dei, vel in ordine ad se ipsas.* 26.137.

*Creaturæ possibiles præsupponunt, & præsupponuntur ad omnipotentiam Dei.* ibid.

*Creaturę possibiles secundùm non repugnantiam ad esse à nullo pendent, neque à Deo, vnde habent necessitatẽ in suo genere summã.* 26.137.

*Creaturis possibilibus sublatis tolleretur à Deo aliqua perfectio.* 26.138.

*Creaturæ possibiles non cognoscuntur à Deo vt omnino ipsi extrinsecæ.* 26.149.

*Creaturæ possibiles sub qua ratione priùs cognoscantur à Deo, quam vis generatiua & spiratiua, & consequenter quam Filius & Spiritus sanctus.* 26.150.

*Creaturæ possibiles habent connexionem specificatiuam vel quasi specificatiuam cum omnipotentia Dei: perfectiones verò intrinsecæ Deo habent tantùm subiectiuam.* 26.151.

*Creaturæ possibiles sub qua ratione pendeant à voluntate Dei libera, sub qua non.* 26.171.

*Creaturæ manerent eodem modo distinctæ à Deo, si per impossibile procederent à solo Patre, ac nunc dum procedunt à sola Trinitate: non tamen Spiritus sanctus maneret distinctus à Filio si à solo Patre procederet.* 27.74.

*Creaturæ quomodo procedant à Deo.* 27.74.

*Creatiua virtus est priùs origine in vna persona quàm in alijs, non tamen creatio.* 27.83.

*Creatiua potentia cur non eodem modo requirat Trinitatem personarum ad creandum, sicut spiratiua virtus requirit dualitatem suppositorum ad spirandum.* 27.133.

*Creaturæ non respiciunt per se Trinitatem personarum.* ibid.

*Creatio excluditur à ratione attributi diuini.* 3.20. & 161.

*Creationis conceptus non est vt in instanti duret, sed vt res accipiat esse.* 7.46.

*Actio Dei creatiua arguit intimam præsentiam Dei in rebus omnibus mediate.* 8.22.

*Qui cognoscit vnum creabile cum connexione ad potentiam creatiuam Dei cognoscit adæquate actum purum.* 9.416.

*Creaturarum omnium Deus est finis vltimus.* 3.17.

*Creatura quò magis accedit ad Deum, eò est actualior & immutabiliar.* 6.25.

*Creatura si foret ab æterno nec dum esset vere æterna.* 7.5.

*Creaturæ non potest esse connaturalis æternitas.* 7.39.

*Creaturam ab æterno gratis condi non implicat.* 7.44.

*Cùm dicitur creatura, fit ex nihilo, quid ly Ex importat.* 7.45.

*Creaturæ defectibilitas saluatur in dependentia eius esse.* 7.66.

*Intima præsentia Dei in creaturis non colligitur euidenter ex præcisa operatione ipsius in creaturis.* 8.16.

*Creaturæ nulli sine lumine gloriæ esse connaturalem visionem Dei est de fide.* 9.134.

*Creaturæ communicari potest aliqua operatio Dei, & principium proximum accidentale operandi, non autem remotum substantiale.* 9.161.

*Nulli substantiæ creatæ esse potest connaturalis gratia alijque habitus supernaturales.* 9.163.

*Nulla substantia creata naturaliter potest esse impeccabilis.* 9.166.

*Nulli substantiæ creatæ connaturalis esse potest vnio hypostatica.* 9.167.

*neque æternitas.* 9.168.

*neque intuitiua cognitio mysteriorum supernaturalium.* 9.169.

*neque vis creatiua.* 9.170.

*Nequit creatura participare accidentaliter omnes perfectiones Dei.* 9.177.

*Nulli substantiæ creatæ vt instrumento connaturali debita est visio Dei, aut quauis alia forma supernaturalis.* 9.184 & seqq.

*Creaturæ in Deo dupliciter videri possunt.* 9.358.

*Creaturas videri in verbo quid sit?* 9.359.

*Eadem visione qua videtur Deus videntur aliqua obiecta creata.* 9.361.

*Quid sit creaturarum matutina & vespertina visio.* 9.362.

*Creaturæ non videntur in verbo vt in causa vel idea proximè visa, eadem indiuisibili motione & intelligibilitate, sed diuersa virtualiter.* 9.377.

*Creaturæ videntur in verbo vt in causa radicaliter tantùm visa eadem entitatiua visione, non tamen eadem indiuisibili ac formali motione & intelligibilitate, qua videtur Deus.* 9.385.

*Creaturas non cognoscit Deus in se ipso vt in causa, sed vt in specie expressa earum.* 9.393.

*Creaturas omnes possibiles actu videre in verbo implicat.* 9.404.

*Creaturas omnes possibiles etiam habitu videri in verbo implicat.* 9.426.

*Creaturæ possibiles plures de facto à beatis in verbo videntur, quò perfectior est eorum visio.* 9.440.

*Ratio cur hæ potiùs creaturæ videntur in verbo, est lumen gloriæ, vt est participatio intelligibilis similitudinis, quam habet Deus de creaturis.* 9.440. & seqq.

*Nullum de facto lumen inclinat ad alias creaturas, quam eas quas de facto repræsentat, aut ad intensiùs cognoscendas, quam ipsum de facto sit*

*intensum.* 9.469.
*Lumen ad hanc numero creaturarum & Dei visionem ab intrinseco determinatur & non tantùm per extrinsecum concursum Dei.* 9.471.
*Possibile est lumen quod sit plurium creaturarum repræsentatiuum in verbo, & minùs cognoscitiuum verbi & è contra.* 9.473.
*Non est possibile lumen quod sit intensiùs cognoscitiuum creaturarum in verbo, quàm verbi.* 9.474.
*Creaturæ omnes in Deo videri possunt intuitiuè non comprehensiuè, item distributiuè non collectiuè.* 9.483.
*Ad creaturæ comprehensionem non est necesse vt cognoscantur extrinseci termini, ad quos ordinatur.* 10.13.
*Nulla creatura potest Deum cõprehendere.* 10.22.
*Creaturas cognoscit Deus secundùm esse participatum.* 12.10.
*Creaturas possibiles cognoscit Deus in sua cognitione & specie expressa earum, non verò vt causa.* 12.19.& 47.
*Nullum aliud esse habent creaturæ possibiles extra Deũ, ad quod terminetur diuina cognitio.* 12.23
*Essentia diuina antequam actu à Deo cognoscatur est tantùm remotũ exemplar creaturarũ.* 13.14
*Essentia diuina vt actu cognita à Deo est proximũ exemplar, non autem idea creaturarum.* 13.15.
*Essentia diuina est idea creaturarum, vt est species expressa earum.* 13.17.
*Deus habet verum gaudium, nec non desiderium de bono creaturæ.* 14.13.
*Creaturas possibiles Deus necessariò diligit dilectione simplicis complacentiæ.* 14.27.
*Creaturas existentes Deus liberè amat, necessariò tamen ex suppositione.* 14.34.

## S. Damascenus.

*S. Damascenus an fuerit in errore Spiritum sanctum à solo Patre procedere.* 27.38.

## Damnati.

*Damnati retinent habitum Theologicum in essentia supernaturalem.* 1.125.

## Decretum Dei.

*Decreta Dei libera excluduntur à ratione attributi.* 3.161.
*In decreto suo Deus certò cognoscit futura, quæ solùm pendent ex voluntate Dei.* 17.128.
*Non potest Deus infallibiliter cognoscere in decreto suo tanquam ratione proxima cognoscendi futura pendentia à voluntate creata.* 12.130.
*Liberum decretum Dei non constituitur per respectum rationis consequentem rem futuram.* 12.129.
*Decreta sua absoluta Deus priùs ratione cognoscit vt ponenda, quàm vt actu posita.* 12.252.
*Decretum Dei fuit ab æterno priùs ponendum negatiuè, non positiuè.* 12.254.
*Ordo decretorum Dei circa prædestinationem parvulorum & adultorum.* 15.101.

## Defectibilitas.

*Defectibilitas creaturæ non necessariò saluari debet in successione, sed in dependentia.* 7.66.

## Definitio.

*Definiri vera definitione non potest Deus.* 3.1. & 5.39.
*Definitio vna est actu, virtute multiplex in attributis diuinis.* 3.48.
*Definitio & definitum licet significent eandem formalitatem rei synonima tamen non sunt.* 3.49.
*Definitionum diuersitas infert diuersitatem essentiæ.* 19.217.

## Demonstratio.

*Demonstratio de Deo fieri potest per virtualem attributorum distinctionem.* 3.170.
*Demonstratio vt conuincat intellectum debet esse per medium ostensiuum, & non per solam non repugnantiam.* 9.12.
*Demonstrari potest euidenter esse in Deo potentiam actiuam productiuam ad extra.* 17.6.
*Deum esse est demonstrabile per effectus à posteriori.* 2.2.
*Deum esse non potest à priori & per causam demonstrari, cùm ipsum esse sit prima Dei perfectio.* 2.10.
*Demonstrabilia quando non debeant esse notiora.* 2.11.
*Demonstratur Deus esse infinitus & actus purus à posteriori.* 3.3.& 4.5.& à priori.d.3.n.8.
*Demonstrari potest vnum attributum diuinum per aliud vtpotè nobis notius.* 3.47.

## Denominatio.

*Denominari debent attributa diuina simpliciter æqualia.* 3.152.& 155.156.
*Denominatio noua mutationem necessariò affert saltem in extrinseco.* 6.24.

## Desiderium.

*Deus non habet desiderium aut spem de suo bono.* 14.13.
*Deus respectu boni creaturæ non solum habet gaudium, sed etiam desiderium.* 14.13.

## Deus Deitas. Deus Causa.

*Deitas est ratio formalis respectu creaturarum, de quibus tractatur in Theologia, & simul ratio materialis respectu reuelationis virtualis.* 1.146.
*Deus vt causa vniuersalis non concurrit nisi ad exigentiam causæ secundæ, vt causa verò particularis non concurrit nisi ad supplendum aliquem defectum in causis secundis.* 1.14.
*Deus sub ratione saluatoris quomodo consideretur à Theologo.* 1.151.
*Dei ignorantia inuincibilis ad breue tempus & in paucis quibusdam dari potest.* 3.17.
*Deus ex suo formali conceptu importat aliquid actu subsistens.* 19.117.
*Deus paternitate intelligit, falsa est, & cur.* 19.159
*Hic Deus. Dupliciter sumi potest, & an includat aliquam subsistentiam.* 21.31.

*Diuinitas est Deus, & Deus est diuinitas quomodo vera.* 21.32.
*Quicquid in Deo est, actu est, quomodo intelligendum.* 23.3.
*Deitas in hac propositione, Pater est principium totius Deitatis, dupliciter sumitur.* 25.15.
*Deus est verbum creaturarum, quem sensum habeat.* 26.50.
*Deus nullum realem respectum dicit ad creaturas possibiles.* 26.139.
*Deus ob summam plenitudinem essendi & dependentiam creaturarum à se connexionem habet cum creaturis.* 26.139.
*Deus prius ratione, quàm producat verbum, cognoscit ipsum verbum & reliquas personas diuinas.* 26.150.
*Deus sub qua ratione priusquam cognoscat suam omnipotentiam & creaturas possibiles cognoscat se ipsum vt completum principium productiuum creaturarum per triplicem subsistentiam relatiuam.* 26.150.
*Deus cognoscit se scientia visionis.* 26.177.
*In Deo omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationum oppositio.* 27.64.
*Deus quomodo dicatur se ipsum nosse & amare.* 27.103.
*Deus ratione solius naturæ vt præcisæ à personalitatibus habet omnia requisita ad principium creatiuum.* 27.135.
*Deus non alio amore se ipsum communicat Spiritui sancto necessario ad intra, & creaturis liberè ad extra.* 27.152.
*Deus donando aliquod donum creaturæ simul etiam donat suum amorem increatum non subiectiuè, sed terminatiuè.* 27.155.
*Deitas est quasi subiectum intellectus & voluntatis & simul obiectum constituens vltimò intellectum & voluntatem.* 18.162.
*Per effectus in infinitum perfectiores ab ipso producibiles à posteriori concluditur infinitè perfectus.* 3.3.
*Eandem veritatem arguit cognitio, quam habet Deus de effectibus perfectioribus & perfectioribus à se producibilibus.* 3.4.
*Actio creatiua Dei de necessitate arguit Deum esse actum purum.* 3.5.
*Demonstrato Deo per effectus, rectè concluditur per rationem à priori esse infinitè perfectus, quoad omnes perfectiones, quæ in tota latitudine entis excogitari possunt vt compossibiles inter se.* 3.8. & *seq.*
*Deus est ipsum parissimum esse continens totam plenitudinem essendi.* 3.10.
*Nulla perfectio possibilis est, quæ non sit in Deo aut formaliter aut eminenter.* 3.11.
*Deus est esse interminatum & infinitum quod nullo clauditur termino aut fine.* 3.11.
*Deus est quo melius excellentiusque excogitari non potest.* 2.16.
*Deus est omnium finis vltimus, quo vlterior excogitari non potest,* 3.17.
*Nulla est in Deo potentia passiua.* d.3.18.
*Potentia actiua Deo actui puro non repugnat.* ibi.
*Nomina diuersa quæ de Deo dicuntur non sunt synonima.* 3.49.
*Ratio Deitatis non est attributū in Deo.* 3.20.
*Non sunt in Deo plura, vel aliud & aliud, sed omnia sunt vnum sola voce diuersa.* 3.27.
*In Deo idem est quo est, & quod est, quo est & quo viuit.* 3.27.
*Formale constitutiuum Dei est ipsum esse secundum totam plenitudinem essendi.* 3.79. & *seq.*
*Deitatis adæquatum constitutiuum non est intellectiuum vt dicit essentialem gradum vitæ.* 3.87.
*Deus circumscripto ordine ad creaturas non intelligeret se sub ratione veri præcisa ratione boni, neque diligeret se sub ratione boni præcisa ratione veri.* 3.114.
*Demonstratio de Deo fieri potest propter virtualem attributorum distinctionem.* 3.170.
*Deus est omnia & tamen distinguitur ab omnibus formaliter, non eminenter.* 3.15.
*Deus à sapientibus per Antonomasiam vocatur vnitas.* 4.6.
*Deus non potest esse formale principium operationum immanentium creaturæ, neque vitalium.* 5.25. & 29.
*Deus potest componere vnū principium cum creatura in ratione intellectiui & intelligibilis.* 5.30
*Deus non est substantia sed supersubstantia ex Dionysio, Damasceno.* 5.40.
*Deus non ideo non est destruibilis, quia habet omnem suam durationem simul, sed quia illam habet independenter à quocunque.* 7.71.
*Deus fieri potest præsens rebus quibuscunque si creentur sine vlla sui mutatione.* 8.8.
*Deum in se ipso existere, & existere in spatio aut tempore imaginario an sit idem.* 8.40.41. & 43
*Deus non est in vacuo per operationem, sed tantùm per substantiam & immensitatem.* 8.44.
*Deus in rebus est per operationem, in spacio vero occupatiuè.* 8.45.
*Cur Deus in rebus præteritis aut futuris esse non possit, possit esse in spatio imaginario.* 8.45.
*Deus est in rebus per essentiam, præsentiam & potentiam.* 8.52.
*Cur in se ipso clarè videri potest à Beatis.* 9.2.
*Deum in se ipso clarè nemo hominum vidit ante Christum.* 9.5.
*Deum nemo videre potest visione comprehensiua.* 9.6.10. & 12.
*Deus est intra spharam intellectus creati sub ratione analoga.* 9.7.
*Deum in se ipso visum esse intra Spharam intellectus creati non est euidens.* 9.20.
*Dei species expressa in Qua dari non potest.* 9.73.
*Dei species impressa dari non potest.* 9.29.
*Eiusdem vera Authoris implicantia.* 9.116.
*Deus oculo corporeo videri nullo modo potest.* 9.122.
*Nequit Deus à creatura participari accidentaliter quoad omnes suas perfectiones.* 9.177.
*Deus potest in causis secundis efficienter supplere omnem defectum virtutis actiuæ.* 9.247.
*Dei ad extra concursus licet sit simpliciter liber, potest tamen in aliquo ex suppositione esse necessarius.* 9.337.
*Deus est speculum voluntarium respectu creaturarum.* 9.378. & 87.
*Deus est medium non tantùm causale, sed etiam formale intelligendi creaturas, non enim debet intelligibilitas formaliter, sed efficienter*

concurrere ad intellectionem. 9.388. & 89.
Deus non est medium videndi creaturas formale subiectiuum, sed obiectiuum, non terminatiuum sed motiuum, non proximum, sed radicale & remotum. 9.390.
Deus est obiectum primarium visionis beatæ, creatura verò secundarium. 9.390.
Deus non cognoscit creaturas formaliter in se ipso vt in causa, sed vt in specie expressa earũ. 9.393
Deus non producit creaturas per potentiam virtualiter distinctam à reliquis attributis. 9.415
Deus per eandem perfectionem actus puri est productiuus ad intra diuinarum personarum, & ad extra infinitarum creaturarum. 9.420.
Deus neque vt speculum voluntarium
Neque vt species expressa creaturarum
Neque vt species impressa earundem
Neque eius liberum decretum sunt causa cur hæ potius creaturæ in verbo videantur, 9.454. & seqq.
Deus in seipso de potentia absoluta potest ab homine videri in hac vita. 9.490.
Deum clarè in se ipso nullus de facto homo viator vidit. 9.502.
Deus se creaturæ secundùm esse personale communicare potest, non autem secundùm esse intelligibile. 10.29.
Deum à creatura comprehendi non posse est de Fide. 10.31.
Quomodo Deus sit ineffabilis. 10.33. & inuisibilis disp. 11. num. 7.
Deus se ipsum cognoscit & quidem necessario. 12. 4. & 5.
Deus habet in se ipso independenter à rebus exemplaria & ideas rerum effectiues. 12.50.
Deus est causa rerum per scientiam simplicis intelligentiæ. ibid.
Deus aliter concurrit ad effectum conditionatum, aliter ad absolutum. 12.224.
Deo requisita concomitanter conditio ad concurrendũ est determinatio voluntatis creatæ. 12.230
Deus saluare quemlibet potest salua etiam arbitrij libertate 12.231.
Nequit ex sola omnipotentia absque præscientia liberi consensus si saluã libertatẽ velit. 12.234
Deus quomodo repræsentat sibi infinita. 12.330. & seqq.
Deus necessariò se ipsum diligit & quoad specificationem & quoad exercitium. 14.9.
Deus se ipsum vt finem creaturarum quoad exercitium liberè amat in ordine ad existentes, necessario in ordine ad possibiles. 14.10.
Deus erga se non habet verum actum amicitiæ, sed concupiscentiæ. 14.12.
Deus habet verum & proprium gaudium & fruitionem respectu sui proprij boni. 14.13.
Deus non habet spem aut desiderium respectu sui proprij esse. 14.13.
Deus respectu boni creaturæ non solùm habet gaudium, sed etiam desiderium. ibid.
Deus necessariò diligit creaturas possibiles dilectione simplicis complacentiæ. 14.27.
Non est in Deo libertas contradictionis. 14.33.
Deus liberè amat creaturas existentes, necessario tamen ex suppositione. 14.34.
Deum omnia agere ex necessitate sensit Aristoteles. 14.45.
Deus non modo est liber per modum principij in ordine ad effectus producendos, sed etiam per modũ actus in ordine ad obiecta volenda vel nolenda, sine vlla intrinseca mutatione. 14.83.
Deus gloriam reddit prædestinatis vt iustus iudex, & quomodo. 15.92.
Deus non est obiectum potentiæ diuinæ. 17.57.
In diuinis est Deus & Deus est vera propositio. 29.23.
Deus generans est Deus genitus, falsa. 29.22.
Habens Deitatem generat alium habentem Deitatem, vera. 29.24.
Alius generat alium, vera. ibid.
Alius Deus, generat alium Deum falsa. ibid.
Deus genuit eundem Deum, vera. ibid. 26.
Deus genuit eundem se, est falsa. ibid. 26.
Deus genuit eundem Deum secum, vera. ibid.
Deus est solitarius, Deus est solus sunt falsæ propositiones. ibid. 31.
Deus dici potest vnicus individuus singularis. ib. 32
Deus vnicus generat Deum vnicum, Deus singularis generat Deum singularem sunt veræ propositiones. ibid. 33.
Deus solus generat Deum solum, falsa. ibid.
Deus est ter Deus, Deus est geminus Deus, Deus est ter vnum, Deus est ternarium, Deus est tria, falsæ propositiones. ibid. 37.
Deus est ter vnus, Deus est trinus, Deus est tres, verè. ibidem.
Deitas est trina, falsa propositio. ibid. 40.
Deus generat, Deus refertur ad Deum, Deus relatiuè opponitur Deo, sunt veræ propositiones. ibid. 45.
Deus non generatur, Deus nõ spiratur, Deus non refertur ad Deum, falsæ. ibid.
Hic Deus est hic Deus. ibid.
Hic Deus non est hic Deus, quatenus concedendæ, & quatenus negandæ. ibid. 49. 50.
Deus est in Deo, Deus est cum Deo, Deitas est in sapientia, sapientia in Deitate, veræ propositiones. ibid. 69.

## Particula de.

Particula de quam significationis proprietatem habeat in processionibus diuinis. 18.6.
Quomodo inter se differant particula De, Ab, & ex. 29.60.
Particula de consubstantialitatem producti cum producente importat. ibid.
Particula de est transitiua. ibid. 66.

## Dependentia.

Dependentia vnius personæ ab alia non est concedenda in diuinis. 25.25.

## Dicere.

Dicere non distinguitur ab intelligere & verbo. 9.68.
Dicere & intelligere quomodo distinguat Scotus ad processiones saluandas. 19.58. sed falsò. n. 59.
Dicere quod est actus proprius personæ producentis includit formaliter & non tantùm concomitãter ipsum intelligere essentiale. 18.62. & 63.
Dicere addit aliquid supra intelligere essentiale, id tamen quod superaddit non pertinet ad intelligere formaliter tanquam differentia con-

tractiua generis, sed tanquam modus alterius rationis. 18.64.
Dicere in suo obiectiuo concep tu includit intelligere, non contrà. 18.67.
Dicere duplicem respectum importat, & sub qua ratione sit commune omnibus personis. 18.69.
Dicere diuinum & loqui diuinum siue ad extra siue ad intra differunt. 26.40. & seq.
Dicere quos respectus importet. 26.44.
Dicere an aliquo modo conueniat alijs personis. 26.49.
Dici aliud essentiale, aliud notionale. 26.46.
Præcisa omni productione ad intra nullum in Deo esset proprium dicere. 26.58.

## Differentia.

Differentia perfectè à genere præcisa in Deo dari non potest. 5.36.
A parte rei cum vna differentia & cum negatione aliarum differentiarum coniunctum genus fundamentum præbet distinctioni vninoca. 5.37.
Differentia alia formalis & intrinseca, alia materialis & quasi extranea. 18.109.
Differentia per se quid sit? 18.117.

## Dilectio.

Dilectio Dei præciso ordine ad creaturas non terminaretur ad essentiam sub ratione boni præcisa ratione veri. 3.114.
Deus necessariò diligit seipsum, & quoad specificationem, & quoad exercitium. 14.9.
Deus seipsum vt finem creaturarum existentium libere quoad exercitium amat, possibilium verò necessario. 14.10.
Deus necessariò diligit creaturas possibiles, dilectione simplicis complacentiæ. 14.27.
Creaturas existentes amat Deus liberè, necessario tamen ex suppositione.

## Displicentia.

Displicentia cur propriè non sit in Deo. 14.29.

## Distantia.

Distantia vnius Angeli ab alio mensuratur extrinseca mensura spatij localis. 7.92.
Distantia vel positiua, vel negatiua necessaria est ad motum localem. 8.309.
Aliqua distantia debet intercedere inter oculum & obiectum visibile. 9.53.

## Distinctio.

Distinctio realis nulla in Deo admittenda, nisi quæ fundatur in reali origine & processione, cùm alia omnis ex limitatione proueniat. 18.3.
Distinctio per relationes cur non repugnet in Deo. 19.2.
Distinctio realis & incommunicabilitas idem sunt in diuinis. 19.38.
Distinctio in diuinis non tantùm debet esse inter suppositum producens & productum, sed etiam inter potentiam proximè productiuam & terminum producibilem. 19.74.
Distinctio personarum cur sit realis formaliter, & non constitutiua personarum. 20.17.
Quotuplex genus distinctionum secundùm Scholasticos. 3.23.
Distinctio essentialis qua vna quidditas existens distinguitur quidditatiuè ab alia existẽte. ibid.
Realis qua res distinguitur à re. ibid.
Formalis qua quidditas vnius non est quidditas alterius. ibid.
Modalis, quæ est inter quidditatem & modum. ibid.
Nulla distinctio ex natura rei intercedit inter attributa diuina & essentiam. 3.25.
Distinctio Theologica est distinctio ex natura rei. 3.26.
Omnis distinctio præter eam quæ fundatur in essentiali oppositione relatiua prouenit ex limitatione & finitate extremorum. 3.24.
Diuersæ emanationes ex natura rei non necessariò arguunt distincta principia. 3.35.
In se indistinctum potest obiectiuè distingui in ordine ad varios conceptus inadæquatè exprimentes eandem rem secundùm varias perfectiones in ea virtualiter distinctas. 3.96.
Perfectiones in Deo virtualiter distinctæ quomodo & quando cognoscantur. 3.106.
Distinctio virtualis incompleta in Deo est ipsa plenitudo diuini esse vt conceptibilis per æquiualentiam ad plura actu distincta. 3.112.
Ex eò quod aliquid sit ratio maioris distinctionis, non rectè infertur, quòd etiam possit esse ratio minoris distinctionis. 3.115.
Distinctio rationis concipitur per analogiam ad distinctionem realem. 3.154.
Distincta virtualiter admittunt inter se ordinem virtualem. 3.167.
Omnis distinctio virtualis fundatur in distinctione actuali. 3.167.
Distinctio virtualis in attributis diuinis est sufficiens fundamentum ad demonstrationem in quid de Deo faciendam. 3.170.
Distinctio virtualis sufficit ad rationem mensuræ. 7.15.

## Diuersitas.

Omnis diuersitas fundatur in aliqua distinctione. 3.149.

## Dominium.

Dominium perfectissimum, quod habet Deus super creaturas vt sic non arguit intimã Dei in creaturis præsentiam. 8.21.
Dominium Dei in creaturas consistit in potestate vtendi illis ad quemcunque vsum possibilem sibi placitum. ibid.
Discrimen inter Dominium Dei, & Regis terreni. ibid.

## Donum.

Donũ habet rationem doni ex affectu, fine, effectu. 12.227.
In donis gratuitis non est acceptio personarum, sed in debitis. 15.22.
Donum frequenter in scriptura pro Spiritu sancto usurpatur. 27.143.
Doni ratio proprijssimè & soli Spiritui Sancto conuenit. 27.151. & seqq.
Donum quid. 27.152.
Donatoris conceptus non est proprius Spiritui sancto sed appropriatus. 27.156.

*Doni ratio cur non conueniat Filio.* 27.158.
*Donum in liberalitate fundatur.* 27.158.
*Donum duplicem requirit distinctionem & ab eo à quo donatur, & ab eo cui donatur.* 27.160.
*Doni ratio constituit personam spiritus sancti, inadæquatè tantùm.* 27.170.
*Donum est alicuius possessoris donum vel dominio vel origine.* 27.172.
*Dona alia sunt naturalia, alia supernaturalia, quæ ad effectum prædestinationis iuuare possunt.* 15.136.
*Non omnia dona naturalia sunt effectus diuinæ prædestinationis.* 15.146,
*Ea dona naturalia sunt effectus diuinæ prædestinationis, quæ per modum medij aut dispositionis actu conferunt ad consecrationem gloriæ vel incrementum illius.* 15.147.
*Omnia dona supernaturalia in prædestinato sunt effectus diuinæ prædestinationis.* 15.152.
*Dona peccato interrupta sunt in prædestinato effectus diuinæ prædestinationis.* 15.161.
*Nullum donum naturale aut supernaturale est in reprobo effectus reprobationis.* 16.62.

## Duratio.

*Duratio creata analogicè conuenit cum æternitate.* 7.2.
*Duratio creata est propria mensura, qua cuiusque rei creatæ esse mensuratur.* 7.ibid.
*Duratio importat quietem & stabilitatem.* ibid.
*Duratio qua mensurantur operationes indiuisibiles Angelorum est diuersa ab æuo & tempore continuo.* 7.81.
*Hæc duratio est instans temporis discreti formaliter indiuisibile, virtualiter diuisibile.* 7.82.
*Durationi creatæ vt sic opponitur æternitas.* 7.29.
*Duratio creata habet subsæuum & tempus.* 7.29.
*Duratio supra existentiam addit permanentiam in esse.* 7.65.
*Duratio non distinguitur à parte rei à durante re.* 7.68.
*Duratio ad tempus se habet successiuè, locabilitas vero ad speciem permanenter.* 7.73.
*Duratio Angeli priùs altero creati dicitur maior solùm per connotationem rei extrinsecæ.* 7.74.
*Duratio beatitudinis supernaturalis est æuũ.* 7.83.
*Mensura durationis operationis externæ Angeli est tempus continuum.* 7.85.
*Mensura durationis operationis internæ hominis est tempus continuum.* 7.86.
*Duratio materiæ cum Scoto & vera sententia est æuum, secundùm Thomistas est instans temporis discreti.* 7.87.
*Vide Vo. Æuum, Æternitas, Tempus.*

## Ecclesia.

*Ecclesia definire potest aliquid de cuius essentia est controuersum inter Doctores.* 10.32.
*Ecclesiæ declaratio est necessaria conditio sine qua obiectum fidei non censetur sufficienter propositum, vt credatur saltem ab omnibus.* 1.41.

## Effectus.

*Effectus infiniti cùm continentur secundùm formalem suam rationem in causa arguunt illam infinitam, effectus non importat tantùm distinctionem realem, sed etiam dependentiam à principio producente.* 18.7.
*Effectus cur æquè procedat à causa prima atque à causa secunda.* 27.99.
*Effectus ab accidente productus cur non respiciat per se subiectum, à quo accidens in suo esse completur.* 27.134.
*Esse effectuum determinat potentia actiua factiua.* 6.21.
*Effectus non necessariò requirit intimam præsentiam agentis.* 8.16. & seqq.
*Effectus supernaturalis potest secundùm rationem saltem genericam accipere esse ab efficiente naturali.* 9.253.
*Effectus substantialis dependet ab accidente secundum rationem genericam entis.* 9.255.
*Effectus connaturaliter postulat videri, cùm causa intuitiuè videtur.* 9.385.
*Effectus æquiuocus non continetur formaliter, sed eminenter in causa.* 9.394.
*Effectus æquiuoci intuitiua cognitio non necessariò sequitur ex intuitione causæ.* 9.394.
*Effectus in causa proximè abstractiuè cognoscitur.* 9.396.
*Effectus ab actione tanquam terminus à via distinguitur.* 14.81.

## Efficiens causa.

*Quod efficiens causa aut exemplaris non limitat, à nullo, neque etiam à se ipso limitari potest in genere causæ formalis.* 4.2.
*In ratione efficientis causæ vniri potest Deus cum causis creatis.* 3.30.
*Quod efficienti causæ ad producendum deest, potest extrinsecè suppleri.* 9.131. & 9.247.
*Efficiens & finis, quando in eandem rem coincidunt, sibi mutuo proportionantur.* 9.191.
*In agente creato est effectiua vis, quæ si coniungitur cum concursu naturali, est naturalis. si cum supernaturali est supernaturalis.* 9.235.
*Ab efficiente naturali potest effectus supernaturalis accipere esse saltem secundùm rationem genericam.* 9.253.

## Ens.

*Ratio Entis explicitè solam dicit rationem essendi, implicitè verò quidquid inferiora ipsa dicunt.* 3.136.

## Ens supernaturale.

*Ad Ens supernaturale euidenter cognoscendum non potest intellectus humanus habere medium aliquod à natura petitum.* 1.10.
*Non entia in duplici sunt differentia, Alia sunt non entia essentialia, alia non entia accidentalia.* 26.171.
*Ens per essentiam non potest multiplicari.* 4.2.
*Ens quod non limitatur ab alio efficienter vel exemplariter, neque à se ipso potest limitari.* 4.2.
*Entis & perfectatis rationes in composito non manent inuicem conduisæ nequidem per rationem.* 5.16.

*Ens implicitè importat rationem perfectatis.* 3. 137.
*Dicente in abstracto potest prædicari perfectas propter rationem Analogiæ, qua se mutuo includunt.* 3.138.
*Enti maiorem explicationem addit perfectas in constitutione substantiæ.* 3.143.
*Ens non componit metaphysicè cum inferioribus, a quibus non præscindit.* 5.18.
*Ens spirituale attingi non potest ab vlla potentia corporea.* 9.130.
*Ens spirituale minùs distat à potentia corporea, quam Deus ab intellectu creato in ratione entis, non autem in ratione potentiæ & obiecti.* 9.130
*Entis ratio in effectu supernaturali producitur ab agente naturali.* 9.253.& 224.
*Tam ens quàm non ens sunt obiectum diuinæ potentiæ.* 17.15.& 58.
*Non ens essentiale nullo modo est obiectum potentiæ diuinæ.* 17.56.
*Non esse creaturæ est obiectum remotum diuinæ potentiæ.* 17.60.

## Ens rationis.

*Entia Rationis, quæ actu finguntur cognoscit Deus scientia visionis, quæ verò nunquam fingentur cognoscit scientia simplicis intelligentiæ.* 12. 182.

## Error.

*Qui errores cauendi in Mysterio SS. Trinitatis.* 29.1.
*Error, & Errori proximum quid sit.* ibid. 3.74.

## Esau.

*Esau est reprobatus, antequam quidquam mali faceret in executione temporali.* 16.50.

## Esse, Essentiale, Essentia Dei.

*Essentia diuina & Relationes non sunt ratione Theologica distinguendæ.* 3.26.
*Non aliud est sapientia Dei, aliud essentia, cui hoc est esse quod sapientem esse.* 3.55.
*Esse Dei à posteriori demonstrari potest.* 2.2.
*Non autem à priori.* 10.
*Esse est prima perfectio quæ Deo competit, & radix cæterarum.* 2.10.
*Essentiale aliquot modis sumitur.* 19.112.
*Esse seu existere vnum est in Deo absolutè loquendo sine vlla limitatione.* 19.188.
*Essentia vel alia ratio absoluta in diuinis non potest esse principium producendi quo.* 23.14. & seqq.
*Essentia diuina producit: hæretica est propositio.* 23.17.& seqq.
*Essentia diuina neque per accidens conuenit producere.* 23.18.
*Essentia cur non fundat realem respectum Relationis ad personas productas.* 23.20.
*Essentia diuina aut vlla alia perfectio absoluta non potest esse ne partialis quidem ratio producendi.* 23.21.
*Essentia diuina est eminentialis species diuinarum personarum.* 26.97.
*Essentia diuina vel directè terminans dilectionem diuinam & prior illa est inadæquatè constitutiua Deitatis.* 3.65.
*Essentiam rei non participat quod caret prædicato essentiali illius rei.* 1.19.
*Essentia rei est quæ ex integra constitutione omnium suorum prædicatorum essentialium consurgit.* ibid.
*Essentia diuina constitutiuum est ratio prima secundùm perfectionem explicitam & implicitam, quam essentialiter importat.* 3.69.
*Essentia diuina constitutiuum est ipsum esse secundùm totam plenitudinem essendi.* 3.79.
*Esse est actualitas omnium actualitatum.* 3.80.
*Esse diuinum est analogum ad omnes perfectiones diuinas.* 3.130.
*Essentia diuina potest prædicari de attributis in abstracto, eò quòd illa analogicè includit.* 3.138.
*Essentia & attributa diuina non propriè se mutuo includunt.* 3.147.
*Deum per essentiam esse rebus præsentem, est eius substantiam intimè esse coniunctam, & indistantem rebus.* 8.52.
*Essentiæ diuinæ species expressa in qua, clarè expressiua eius esse, repugnat.* 9.73.
*Essentia diuina sine attributis vel personis videri non potest.* 9.321.
*Essentia diuina vt liberum decretum aut speculum voluntarium creaturarum non est proxima ratio efficiens visionem harum potiùs creaturarum.* 9.454.
*Deus non cognoscit futura libera in sua essentia proximè visa vt causa.* 2.120.
*Essentia diuina antequam actu cognoscatur à Deo est tantùm remotum exemplar creaturarum.* 13.14.
*Essentia diuina vt actu cognita à Deo est exemplar, non autem idea creaturarum.* 13.15.
*Essentia diuina est idea creaturarum vt est species expressa earum.* 13.17.
*Non omne quod est idem re cum alio est illi essentiale.* 3.51.
*Essentia creata essentialiter includit identificationem propriæ existentiæ.* 3.61.

## Euidentia.

*Euidentia in attestante stare potest cum ineuidentia obiecti, atque adeo cum essentiali ratione fidei.* 1.16.
*Euidentia est prædicatum essentiale scientiæ & primum constitutiuum ipsius.* 1.19.
*Euidentia, non certitudo scientiam distinguit primò ab omni alio actu, qui scientia non est.* ibid.
*Euidentia alia rei, alia extrinsecæ attestationis.* 1.27.
*Euidentia extrinsecæ attestationis non sufficit ad assensum scientiæ, qui debet esse per proprium testimonium, quod in ipsâ rei euidentia consistit.* ibid.
*Euidentia extrinsecæ attestationis cogit intellectum ad assensum præbendum.* ibid.

## Exemplaris causa.

*Quod efficiens aut exemplaris causa non limitat, neque à se ipso limitari potest.* 4.2.

*Discrimen inter exemplar & ideam.* 13.13.
*Exemplar est primum directiuũ in aliud non reducibile.* 13.13.
*Essentia diuina antequam actu cognoscatur à Deo est tantùm remotum exemplar creaturarum.* 13.14.
*Essentia diuina vt actu cognita à Deo est proximum exemplar creaturarum.* 13.15.
*Vnum est exemplar, ideæ vero plures in Deo.* 13.32.
*Deus non est exemplar earum perfectionum, quæ sunt incommunicabiles creaturis.* 13.33.
*Exemplar quid, & quomodo ab imagine differat.* 26.191. & 200.
*Exemplata artificialia an habeant perfectam rationem imaginis.* 26.196.

## Existentia, Existere.

*Existentia relatiua ratione distincta ab existentia absoluta datur in Deo.* 19.172. & seq.
*Existentia debet proportionari essentiæ & quidditati rei.* 19.178.
*Existentia relatiuæ nequeunt dici partiales quia cum nulla alia componunt.* 19.188.
*Existentia absoluta naturæ terminatur existentijs relatiuis, non quidem in ratione existentiæ, sed in ratione subsistentiæ.* 19.190.
*Existentia quæuis relatiua est completa in suo genere, non tamen in omni genere existentiæ relatiuæ.* 19.191.
*Existentia absoluta dat naturæ diuinæ quidquid requiritur ad perfectè & completè existendum, vnde à proprietatibus relatiuis non habet natura diuina vt perfectè existat.* 21.9. & seq.
*Existere incommunicabiliter tantùm habet natura diuina à relationibus.* 21.9. & seq.
*Existentia obiectiua naturæ diuinæ etiam vi ratione præcisæ à subsistentijs relatiuis est in genere existentiæ perfectissima.* 21.10. & seq.
*Existentiæ relatiuæ quomodo compleant naturam & existentiam naturæ.* 21.13.
*Vnum existens cum essentia creata Deus facere non potest.* 5.27.
*Existentia à se distincta existere nulla essentia creata potest.* ibid.
*Effectus formalis existentiæ est ponere rem extra suam causam.* ibid.
*Essentia creata essentialiter includit identificationem propriæ existentiæ.* 3.61.

## Fides.

*Fides est simplex adhæsio ad obiectum ex testimonio diuino media illustratione supernaturali applicato.* 1.1.
*Fidei regulæ sunt traditio Apostolica, Authoritas Ecclesiæ, & Scriptura sacra.* 1.16.
*Fides ad credendum non nititur rationis discursu.* 1.17.
*Fides ad obiectum tendit per testimonium extrinsecum, quod de se nunquam aptum est parere obiecti euidentiam.* ibid.
*Fidem & opinionem, cùm formidinem includant à virtutibus intellectualibus excludit Aristoteles.* 6. Ethic. disp. 1. num. 29.
*Fides infusa augetur non quidem physicè, sed meritoriè, ex assensibus Theologicis procedentibus ex assensibus principiorum creditorum fide diuina.* 1.60.
*Fides infusa intenditur moraliter etiam ab actu fidei diuinæ non meritorio.* 1.61.
*Fides diuina alia virtualis & implicita, alia formalis & explicita.* 1.74.
*Fides cur in beatis non maneat, & tamen maneat habitus Theologicus.* 1.126. & 128.
*Fidei assensus fertur in Deum vt veracem medio verbo mentis.* 9.59.
*Fide credita obiecta in via, excepto indicij die, vident beati in verbo.* 9.443.

## Filius Dei.

*Filius Dei est sapientia genita de sapientia generante, quo sensu verum sit.* 18.66.
*Filius Dei quomodo procedat vt verbum.* 18.91.
*Filius vnitatem minimum specificam naturæ postulat cum principio producente.* 18.132.
*Ratio Filij non reperitur nisi in imagine perfecti viuentis.* 18.137.
*Filij ratio essentialis in quo consistat.* 18.144.
*Filius non debet procedere similis in notionalibus sed tantùm in essentialibus.* 18.171.
*In Filio prius ratione concipienda est potentia spiratiua quàm referatur ad Patrem.* 19.77.
*Filiatio diuina quæ relatio est formaliter sustentat humanitatem Christi.* 19.203.
*Filiatio diuina an posset distinguere Filium tam à Patre quàm à Spiritu Sancto, etiamsi Spiritus sanctus per impossibile non produceret.* 20.60.
*Filium generari intellectu quomodo verum.* 23. 25. & seq.
*Filij notio est filiatio,* disp. 24. 413.
*Filius habet veram rationem principij notionalis, non tamen eodem modo quo pater.* 25.8. & seq.
*Filius cur non possit dici principium & fons totius diuinitatis.* 26.17. & seq.
*Filius Spiritus sancti Author absolutè dici potest.* 25.19. & seq.
*Filius solus propriè dicitur verbum.* 26.17. & seq.
*Filius cur debet vi suæ processionis similitudinem naturalem & intentionalem accipere, & cur ex vtraque relatione filiationis & verbi constitui.* 26.28.
*Filius intellectualis requirit & similitudinem naturæ & intentionalem obiecti.* ibid.
*Filius licet sit tantùm verbum Patris principiatiuè, potest tamen etiam dici verbum creaturarum terminatiuè.* 26.48 & seq.
*Filius solus in diuinis est propriè imago.* 26.192. & seq.
*Filius vi nominis explicitè importat aliquid quod non importat verbum; tam ratione Naturæ communis quàm proprietatis personalis.* 26. 77.
*Filius increatus procedit ab exemplari præcognito.* 26.200.

*Filius in humanis cur dicatur habere perfectam rationem imaginis sui parentis.* 26.205.
*Filij persona adæquatè constituitur per respectum filiationis verbi & imaginis.* 26.224.
*Filius nullam habet rationem communem cum Patre, quomodo intelligendum.* 27.40.
*Filius non distingueretur à Spiritu sancto, si Spiritus sanctus non spiraret,* 27.60. & *seqq.*
*Filius Dei pro formali suo constitutiuo non habet filiationem vt præcisam ab ordine ad Spiritum sanctum.* 27.66.
*Filius filiatione distinguitur à Spiritu sancto virtualiter, spiratione verò actiua formaliter. ibid.*
*Filius quà Filius non est formaliter proximum principium producendi Spiritum sanctum, sed quà spirator.* 27.71.
*Filius distingui posset à Spiritu sancto, etiamsi actu illum non produceret, modò haberet aptitudinalem processionem in ordine ad Spiritum sanctum.* 27.75.
*Filius non ita propriè spirat sicut Pater, verane?* 27.87.
*Filius principaliter spirat, falsa.* 27.86.
*Filius immediatè tantùm spirat.* 27.90.
*Filius spirat propter Patrem, non videtur absolutè admittenda.* 27.94.
*Filius non se habet vt vsuarius tantùm respectu virtutis spiratiuæ.* 27.104.
*Filio conuenit virtus spiratiua à Patre, non tamen liberè, ac proinde non minùs propriè ac Patri.* 27.105.
*Filio cur non competat propria ratio doni, cùm tamen sit donabilis.* 27.158.
*Filius non venit in mundum à se ipso, sed à Patre missus.* 28.53.
*Filius totus generatur, vera propositio.* 29.54.
*Filiatio est de paternitate falsa propositio. ibid.* 61.
*Filius vel filiatio est ex paternitate impropria, sed vera propositio. ibid.*
*Filiatio est in paternitate, paternitas in filiatione, spiratio actiua est in passiua, & passiua in actiua, propositiones veræ. ibid.* 76.
*Filius & Spiritus sanctus posteriùs origine, non duratione, quàm Pater, intelligunt essentiam.* 9.338.
*Filius dat Patri aliquam beatitudinem obiectiuè, non originatiuè.* 9.339.

## Finis.

*Vltimus finis omnium, quo vlterior excogitari non potest, est Deus.* 3.17.
*Omne agens intellectuale agit propter finem aliquem. ibid.*
*Finalis causa verbi mentis est vt suppleat defectum absentiæ obiecti.* 9.83.
*Finis & efficiens quando in eandem rem coincidunt, sibi mutuo commensurantur.* 9.191.
*Discrimen inter causam finalem & idealem.* 13. 13.
*Finis, si dependeat à concausa, potest nec dum esse efficaciter intentus in se cùm intenduntur efficaciter media.* 15.120.
*Finis in agibilibus quomodo se habeat.* 1.150.

## Finitum, Finitas.

*Res finita non potest correspondere spatio infinito, disp.* 7.73.
*Finita species non potest clarè repræsentare Deum infinitum.* 9.75.
*Finito actu vident beati Deum infinitum.* 9.78.
*Finita virtus altioris ordinis potest producere infinita inferioris ordinis si illa eminenter & non formaliter contineat.* 9.410.
*Finitus intellectus potest successiuè intelligere infinita.* 9.428.
*Finita tantùm obiecta potest attingere habitus etiam successiuè.* 9.426.

## Forma.

*Implicat Deum per modum materiæ cum forma venire in compositionem.* 5.25.
*Noua forma Angelo nouum spacium acquirente superaddi debet, non verò in temporis noui acquisitione.* 7.76.

## Futurum.

*Futurum non inuenitur in æternitate.* 7.6.
*Futurum dicit rem nondum esse, sed habituram esse. ibid.*
*Futurum in æuo admitti potest ratione complementi desumpti ab operationibus.* 7.70.
*Futura libera in Deo videri nequeunt, nisi visis actibus liberis diuinæ voluntatis.* 9.348.
*Non omnes Beati vident in verbo omnia futura, quæ ad eorum statum pertinent.* 9.441.
*Lumen gloriæ respectu futurorum sæpe est perfectius extensiuè, intensiuè imperfectius.* 9.478.
*Futura alia absoluta, alia conditionata.* 26.152.
*Futura conditionalia nunquam habitura sunt existentiam, habitura si poneretur conditio.* 12.2.
*Futurum contingens à casu est simpliciter necessarium & certo cognoscibile in suis causis.* 12. 53.
*Errauit Cicero negans Deo præscientiam futurorum liberorum.* 12.54.
*Futura contingentia libera omnia Deus certò prænoscit.* 12.55. & *seq.*
*Implicat realis præsentia futurorum in æternitate.* 12.70.
*Et si ea possibilis foret nec dum esset Deo prima ratio cognoscendi futura.* 12.77.
*Futura libera non cognoscunt Angeli.* 12.72.
*Futurum non repugnat æternitati extrinsecè & connotatiuè.* 12.84.
*Futura in sua futuritione cognoscere quid sit.* 12.86.
*Futurum contingens nulla facta suppositione rei futuræ nullam habet veritatem, & vt sic non est certo cognoscibile.* 12.98.
*Facta suppositione rei per propositionem enunciatæ futuræ, fit determinatè vera, nec tamen propositio est prima ratio cognoscendi futurum.* 12.99.
*Propositio enuncians futurum præcedit duratione, non causalitate existentiam rei futuræ.* 12.100.
*Futurorum contingentia tolleretur, si propositio*

ante suppositionem esset determinate vera. 12. 103.
Futura libera non cognoscit Deus certò in suis causis proximis. 12.108.
Futura libera non cognoscit Deus in sua essentia proximè visa vt causa. 12.120.
Neque in suis ideis independenter à quocunque alio. 12.121.
Idea est Deo ratio cognoscendi futura posita determinatione ipsorum ad esse futuri. 12.122.
Futura quæ solùm pendent ex voluntate Dei Deus certo cognoscit in suo decreto. 12.128.
Futuros effectus dependentes à voluntate creata non potest Deus infallibiliter cognoscere in decreto suo tanquam in ratione proxima cognoscendi. 12.130.
Deus futura cognoscit in seipsis pro ea duratione qua extitura sunt extra suas causas. 12.140.
Futura Deo repræsentantur vt existentia pro vno tempore, futura verò vel præterita pro alio. 12.141.
Et hoc quidem ab æterno. 12.142.
Futurorum præscientia nullo pacto liberi arbitrij libertatem lædit. 12.148.
Futura conditionata sunt extra statum possibilem obiectiuè, non subiectiuè. 12.235.
Futura conditionalia disparata quæ? 12.237.
Quomodo cognoscuntur à Deo? 241.
Vide scientia.

## Gaudium.

Deus habet verum & proprium gaudium respectu sui boni proprij. 14.13.
Deus habet verum & proprium gaudium respectu boni creaturæ. 14.13.

## Genus.

Genus dupliciter potest per differentiam ad certam speciem contrahi. 18.109.
Genus perfectè à differentia præcisum in Deo dari non potest. 5.36.
Omne genus dicit quid potentiale & perfectibile per differentiam. 5.36.
Generis natura à parte rei coniuncta cum vna differentia & cum negatione aliarum differentiarum, præbet fundamentum distinctioni vniuocæ. 5.37.
Genus & species de Deo à S. Damasceno prædicantur impropriè & similitudinariè. 5.42.

## Generatio.

Ad generaitonem non sufficit concurrere principium vitæ materialiter. 18.45.
Generatio cur requirat adæquatam similitudinem termini procedentis cum principio producente. 18.160.
Generationis nomen per prius dicitur de generatione intellectuali quàm materiali. 18.167.
Ad generationem non sufficit communicari principium productiuum quomodocunque, sed iuxta exigentiam essentiæ generationis. 18.182.
Generationis definitio quomodo intelligenda. 18. 83.
Generatio & spiratio actiua in Patre non distinguitur realiter. 27.61.
Generare & spirari an sit habere naturam contrarijs modis. 27.63.
Generatio passiua & spiratio præciso ordine vnius ab alia, non sunt inter se formaliter distinctæ. 27.68.
Generatio actiua est prima tantùm virtualiter, non prima realiter respectu spirationis actiuæ. 27.68.
Generatio & spiratio passiua, ex suppositione quod vna non esset ab alia, non essent duæ productiones adæquatè distinctæ, sed tantùm inadæquatè & virtualiter. 27.69.

## Gloria.

Electio bonorum ad gloriam facta est dependenter à meritis. 15.61.
Probatur 1. Authoritate scripturæ. n.62.
2. Authoritate SS. Patrum n.66.
3. Ab absurdis oppositæ sententiæ. 69.
4. Rationibus. n.83.
Gloria prædestinatis redditur à Deo, vt à iusto iudice. 15 92.
Quomodo bona operà prædestinatorum habent veram causalitatem causa meritoria respectu consecutionis gloriæ. 15.95.
Ordo decretorum Dei circa prædestinationem ad gloriam. 15.101.
Responsio ad argumenta in oppositum. 15.112.
Paruuli ad gloriam non prædestinantur ex meritis, sed illam vt hæreditatem accipiunt. 15.103.
Gloriam animæ non habuit Christus ex meritis. 15.127.
Gloriam corporis habuit Christus dependenter à meritis ibid. & Vnione hypostatica. 128.
Gloria non est connexa cum gratia actuali præueniente, vt fructus cum semine, sed cum habituali. ibid. 129.
Nemo fuit à gloria efficaciter excluſus donec fuerunt eius demerita præuisa. 15.45.
Non excludit Deus à gratia efficaci vt excludat à gloria, eligit verò ad gratiam efficacem vt eligat ad gloriam. 16.49

## Græci.

Græcorum error circa processionem Spiritus sancti. 27.11. & seq.

## Gratia.

Gratia est simpliciter perfectior lumine, licet lumen sit perfectius secundùm quid gratia. 9.265.
Gratiam connaturaliter ab intrinseco exigere creatura non potest. 7.41.
Gratia in Patria mensuratur æuo siue æternitate participata. 7.84.
Gratia in via mensuratur instanti temporis discreti ordinis supernaturalis. 7.84.
Gratia nulli substantiæ creatæ connaturalis esse potest. 9.163.
Gratia mysteria nulla substantia creata naturaliter cognoscere intuitiuè potest. 9.169.
Gratia productio non petit concursum potentiæ creatæ, quia non est actus vitalis. 9.230.
Gratia non immediatè, sed mediantibus habitibus infusis operatur. 9.266.

Gra-

*Gratiæ non potest supponi infallibiliter congrua ante consensum sub conditione futurũ.* 12.222. 225.
*Ad gratiam congruam impetrandam semper necessaria oratio.* 12.233.
*Gratia iustificans eiusq; incrementum adultis in æternitate præparata est & in tempore collata propter præuisa merita futura.* 15.104.
*Ex bono vsu gratiæ futuro Deus non prædestinat hos præ alijs.* 15.27.
*Exclusio à gratiæ efficaci saltem in Angelis nullam supponit causam.* 16.47.
*Gratia nequit tribui propter bonum vsum ipsius gratiæ futurum.* 16.47.
*Nequit gratia efficax negari propter peccatum, quod ex negatione talis gratiæ sequetur.* 16.47.
*A gratia efficaci non excludit Deus vt excludat à gloria, eligit verò ad gratiam efficacem vt eligat ad gloriam.* 16.49.
*Angeli ad gratiam electi sunt independenter ab ipsorum meritis.* 16.71.
*Angeli omnes admissi sunt ad primam congruam, licèt non omnes ad congruam finalem.* 16.71.
*Non omnes homines admissi sunt ad primam gratiam congruam.* ibid.

## Gubernatio.

*Gubernatio Vniuersi ordinata arguit Deum esse vnum.* 4.4.
*Gubernator dicitur Deus non per mutationem sui sed creaturæ.* 6.24.

## Habitus, Habere.

*Implicat habitus qui in hac vita postulet Personas diuinas substantialiter præsentes.* 28.73.
*Habitus specificationem sumit ab obiecto formali.* 1.34.
*Habitus speculatiui obiectum formale est medium quo ostenditur conclusio.* 1.34.
*In habitu naturali principiorum & conclusionum motiuum assentiendi est diuersum, ipsa scilicet connexio terminorum, quæ alia est in principijs, alia in conclusionibus.* 1.37.
*Habitus Fidei potest se de nouo extendere ad conclusionem, ad quam antea se non extendebat.* 1.41.
*Ab habitu acquisito habitus infusus per se quomodo discriminetur.* 1.60.
*Habitus supernaturales duplicis generis sunt, alij infusi, alij acquisiti.* 1.76.
*Habitus infusi non possunt augeri à propriis actibus physicè, eò quòd sint ad instar potentiarum, quæ per actus non augentur.* 1.76.
*Habitus supernaturales acquisiti supponunt infusos tanquam potentias, & tantum conferunt in operando facilitatem, & ab actibus proprijs physicè intenduntur.* 1.76.
*Habitus seu naturalis, seu supernaturalis acquisitus sunt ipsamet species actuum in potentia relictæ.* ibid.
*Habere aliquid à se, & habere illud origine prius differunt.* 26.177.
*Habitus supernaturales in patria mensurantur æuo siue æternitate participata.* 7.84.
*Habitus supernaturalis in via mensuratur instanti temporis discreti ordinis supernaturalis.* 7.84.
*Habitus & species impressa actione distincta producunt actus vitales.* 9.69.
*Habitus supernaturales nulli substantiæ creatæ esse connaturales possunt.* 9.163.
*Lumen gloriæ est per modum habitus & non actus.* 9.204.
*Habitus supernaturales infusi non producuntur coagente potentia, quia non sunt actus vitales.* 9.230.
*Non est possibilis habitus operatiuus specificè perfectior lumine gloriæ.* 9.268.
*Habitus nequit ad infinita tendere vt tendit potentia, quia ille vt causa proxima & particularis influit, non verò intellectus.* 9.420.
*Habitus qui est in Christo, rerum post diem iudicij futurarum, rationes genericas tantùm & specificas repræsentat.* 9.431.
*Habitus inclinant ad obiecta formalia non quomodocumque, sed cum respectu intensionis.* 9. 484.

## Hęresis, & Hęreticus.

*Hæresis & hæresim sapiens quid sit.* 29.2. & 5.
*Hæreticus esset qui negaret conclusionem vt deductam materialiter ex principio reuelato. Qui verò illam negaret vt deductam formaliter, non esset, sed præsumeretur hæreticus, eò quòd non præsumeretur negare ipsam euidentem deductionem, sed principium reuelatum, ex quo illa euidenter deducitur.* 1.41.
*In hæretico manet habitus theologicus acquisitus ex assensibus fidei humanæ.* 1.58.

## Homo.

*Homo à Scholasticis cur potiùs dicatur vestigium, quàm imago Dei.* 26.202.
*Nequit homo exigere admirabilitatem, & cum ea non exigere risibilitatem.* 7.43.
*Hominis interna operatio mensuratur tempore continuo, & nonnunquam instanti discreto.* 7.86.
*Nullus hominum ante Christum vidit Deum clarè in propria substantia.* 9.5.
*Homo non habet naturalem appetitum ad videndum Deum clarè in se.* 9.17.
*Homo elevatus ad statum supernaturalem dici potest habere naturalem appetitum ad claram visionem Dei.* 9.18.
*Hominem efficienter beari à re creata instrumentaliter, non repugnat.* 9.94.
*Humanus intellectus & angelicus habent eundem modum intelligendi in visione?* 9.228.
*Homo in hac vita potest de potentia absoluta videre Deum clarè in se ipso.* 9.490.
*Homini viatori quia conuenit subire certamina non debetur de ordinaria potentia visio.* 9.493.
*Nullus purus homo viator de facto vidit Deum clarè in se ipso.* 9.502.
*Non omnes homines admissi sunt ad primam gratiam congruam.* 16.71.

## Humanitas Christi.

*Humanitas Christi sustentatur à filiatione diuina quatenus relatio est formaliter.* 19.203.

## Hypostasis.

*Hypostasis immediatiùs ordinatur ad naturam quàm ad proprietates naturæ.* 18.124.seqq.
*Hypostasis triplex in Deo, à S. Hieronymo, dum negari videtur, quid dicendum.* 21.27.

## Hypotheticę Propositiones.

*Hypotheticæ propositiones quando destruunt se ipsas.* 20.79. *Vide plura de iisdem.* d.27. 44. & n.45.

## Idea.

*Ideæ ratio an propriè sit respectu diuinarum personarum.* 26.200.
*Idea est posterior in Deo concipienda attributis ad essentiam in communi spectantibus.* 3.169.
*Idea in Deo est prior concipienda attributis voluntatis.* ibid.
*Ideæ diuinæ non omnes videntur à Beatis.* 9.306.
*Non videntur formaliter creaturæ in Deo vt in Idea.* 9.377.
*Videntur in Deo vt in idea remotè tantùm & mediatè creaturæ.* 9.397.
*Ideæ suæ ideata repræsentant proximè & immediatè ei intellectui cuius sunt propriè ideæ.* 9. 397.
*Ideæ alienum intellectum terminant solùm secundum esse subiectiuum.* 9.397.
*Ideæ diuinæ independenter à rebus sunt rerum effectrices.* 12.50.
*In suis ideis non cognoscit Deus futura libera independenter à quocunque alio.* 12.121.
*Idea est Deo ratio cognoscendi futura posita determinatione ipsorum ad esse futuri.* 12.122.
*Ideæ diuinæ non solùm essentiales connexiones terminorum repræsentant, sed etiam accidentales & contingentes, attamen inuariabiliter.* 12. 123.
*Verè in Deo dantur ideæ.* 13.1.
*Discrimen inter ideam & exemplar.* 13.n.13.
*Idea est immediatum directiuum in aliud reducibile; vnioce conuenire debet cum ideato.* ibid.
*Essentia diuina vt actu cognita à Deo est proximum exemplar, non autem idea creaturarum.* 13.15.
*Essentia diuina non est idea creaturarum quatenus est species intelligibilis earum.* 13.17.
*Essentia diuina est idea creaturarum quatenus est species expressa earum.* 13.18.
*Ratio idealis in Deo est increata.* 13.25.
*Deus non solum futurorum, sed etiam possibilium habet ideas.* 13.26.
*Idea essentialiter vim productiuam ideati in artifice supponit.* 13.27.
*Æternus Pater non habet ideam de æterno suo Filio.* 13.28.
*Idea formaliter non consistit in conceptu formali, sed obiectiuo,* ibid.
*Idea habet veram rationem causę sed regulantis.* 13.30
*Discrimen inter causam idealem & finalem.* 13. 31.
*Vt ideæ plures sic exemplar est in Deo vnicum.* 13.32.
*Deus non habet ideas earum perfectionum, quæ sunt creaturis incommunicabiles.* 13.33.
*Idea est principium dirigẽdi & cognoscendi ideatum.* 13.34.
*In ideis diuinis non realis, sed rationis ordo ponendus est.* 13.35.
*Ideæ sunt communes tribus personis, per appropriationem autem sunt verbi.* 13.36.

## Identitas.

*Identitas plurium in tertio quomodo inferat identitatem eorundem inter se.* 19.94.
*Identitas plurium non tollit rationes formales eorum.* ibid.
*Identificatio inadæquata alicuius cum aliquo in quo consistat.* 19.89.

## Idolum.

*Idolum vocatur partus potentiarum cognoscitiuarum distinctarum ab intellectu.* 19.70.

## Ignis.

*Ignis eleuatur ad torquendos spiritus in genere causæ efficientis.* 9.131.

## Ignorantia.

*Ignorantia inuincibilis Dei an dari possit, & quid ad eam requiratur.* 2.17.

## Imaginarium.

*Imaginaria mora infinitæ correspondet æternitas.* 7.7.
*Imaginario spacio infinito correspondet immensitas Dei.* ibid.
*Spacia imaginaria Deus actu occupat ratione immensitatis.* 8.35.
*Deus ratione æternitatis occupat imaginaria tempora infinita.* 8.41.
*Imaginarium spacium non est quid fictum ratione negatiuæ capedinis & distantiæ.* 8.44.
*In spacio imaginario non est Deus per operationem & potentiam, sed tantùm per substantiam & immensitatem.* 8.44.
*Imaginarium spacium præter non repugnantiam capacitatis corporis dicit distantiam negatiuam.* 8.47.

## Imago.

*Ratio imaginis ad repræsentandum expressæ non saluat cur solum Verbum sit Filius.* 18.132. & seq.
*Imago naturalis requirit & vnitatem aliquam naturæ, & distinctionem realem producti à producente.* 18.135.
*Ad rationem imaginis requiritur similitudo & passiua origo.* 23.19.
*Imago quid, & quæ ad perfectam rationem imaginis requisita, quis finis & quomodo à similitudine differat.* 26.189.
*Imaginis ratio nequit Deo conuenire essentialiter,*


sed

*sed tantùm personaliter.* 29.191.
*Imago ab exemplari quomodo differat.* ibid.
*Imaginis ratio in diuinis soli Filio est propria.* 26. 192. & seqq.
*Imaginis ratio an conueniat exemplatis artificialibus.* 26.196.
*Imaginis ratio quam similitudinem requirat sui prototypi.* 26.197.
*Imago non quæcunque sed tantùm intellectualis & artificialis requirit vt procedat ab exemplari præcognito.* 26.200.
*Imaginis ratio alio modo de homine, alio de Filio Dei in scriptura dicitur.* 26.202.
*Imago à vestigio quomodo differat.* ibid.
*Imaginis ratio conuenit Filio Dei tam ratione essentiæ communis quàm ratione proprietatis personalis.* 26.206. & seqq.
*Imago principaliùs dicit similitudinem quàm originem, vtrumque tamen essentialiter, & in recto.* ibid.
*Imago in diuinis includit relationem producti ad producens, non tamen eodem modo importatur ab imagine, atque à Filio.* 26.214.
*Imago intentionalis non debet necessariò produci ab ipso exemplari intentionaliter mouente.* 26. 221.
*Ratio imaginis quæ est inter Deum & hominem est solùm analoga.* 9.19.
*Discrimen inter imaginem naturalem & artificialem.* 9.65.
*Imago non confert suum effectum formalem representandi imaginatum nisi subiecto proportionato.* 9.124.
*Imago vitalis non exprimit imaginatum nisi ei cuius est vitalis imago.* 9.391.

## Immensitas.

*Immensitas est in Deo prior concipienda omnipotentia & attributis intellectus ac voluntatis.* 3.169.
*Posterior verò Vnitate, Veritate, Bonitate, & attributo immutabilitatis, nec non infinitatis.* ibid.
*Ratione immensitatis est Deus aptus respondere infinito spacio reali, & de facto respondet infinito imaginario.* 7.7.
*Quis sit adæquatus immensitatis conceptus.* 7.19.
*Immensitas est posterior æternitate, cùm res prius existat quàm sit in loco.* 8. in initio.
*Immensum esse Deum probatur.* 8.1. & seqq.
*Immensitas re ipsa importat perfectionem positiuam disput.* 8.7.
*Deus fieri potest præsens rebus quibuscunque si creentur sine vlla sui mutatione.* 8.8.
*Discrimen inter immensitatem & præsentiam Dei.* 8.9.
*Immensitas competit Deo ab æterno & est perfectio necessaria.* ibid.
*Ratione immensitatis non solùm est Deus in, sed etiam extra hunc mundum.* 8.32. & seq.
*Immensitas non potest creaturæ communicari.* 8.51.

## Immutabilitas.

*Immutabilitatis causa est simplicitas.* 6. initio.
*Duplex est mutabilitas, physica & moralis.* 6.4.
*Deus est immutabilis quacunque mutatione physica.* 6.5.
*Deum esse physicè immutabilem demonstratur ex quadruplici capite.* 6.9. & seq.
*Immutabilitas est incapacitas & repugnantia ad quamcunque mutationem.* 6.12.
*Deus est immutabilis quacunque mutatione morali.* 6.15.
*Angeli inter creaturas sunt omnibus immutabiliores.* 6.25.
*Immutabilitatem cum æternitate sæpè confundunt Patres.* 7. initio.
*Immutabilitatis & æternitatis discrimen.* 7. 23. & 24.
*Immutabilitas infert negationem motus, æternitas temporis.* 7.23.
*Deus sine intrinseca sui mutatione sit ex non amante amans creaturam.* 14.99.
*Immutabilis intrinsecè etiam scientia Dei.* 12. 296. & seqq.

## Impeccabilitas.

*Nulla creatura naturaliter potest esse impeccabilis.* 9.166.

## Inequalitas.

*Omnis inæqualitas fundatur in aliqua diuersitate.* 3.149.
*Inæquale dicit aliquid quod non dicit illud cui est inæquale.* 3.151.
*Attributa diuina secundùm præcisas rationes explicitas sunt inæqualia.* 3.152.
*Inæqualitas diuinis attributis competit ex inadæquata consideratione intellectus nostri.* 3.156.
*Inæqualitas nulla reperitur in processione Spiritus sancti, respectu Patris & Filij.* 27.82. & seqq.
*Inæqualitas varia vnde oriatur.* ibid.

## Incarnatio.

*Incarnatio non est facta dependenter à meritis Christi.* 15.45.
*Incarnatio vt sic est effectus diuinæ prouidentiæ supernaturalis.* 15.134.
*Incarnatio vt actu applicata prædestinato est effectus diuinæ prædestinationis.* ibid.
*Incarnatio Christi iuxta Caiet. & Scotum quo ordine prædestinata.* 22.48. & seqq.
*Incarnatio Christi quo ordine prædestinata iuxta probabilem sententiam.* 22.67. & seqq.

## Inclusio.

*Inclusio essentialis duplex, vna explicita, altera implicita.* 19.112.

## Incomprehensibilitas.

*In quo differat ab attributo cognoscibilitatis.* 10. initio.
*Incomprehensibilis est Deus intellectui creato.* 10.22.
*Incomprehensibilem à Creatura esse Deum, est de fide.* 10.31. *vide V. Comprehensio.*

## Incorruptibile.

*Incorruptibilis substantia partim est in actu, partim in potentia ad durandum.* 7.78.
*Incorruptibilis substantia nullam habet intrinsecam potentiam corruptibilitatis.* 7.81.

## Indiuiduum.

*Plura indiuidua multiplicant esse à se.* 4.7.
*Diuinæ personæ non sunt plura, sed vnum indiuiduum.* 4.8.
*Indiuidua infinita à nulla cognitione creata repræsentari possunt.* 9.429.
*Indiuidua infinita cognosci possunt habitu.* 9.432.
*Indiuidualis ratio in creatis, an sit etiam ratio producendi vnà cùm ratione specifica.* 23.34.

## Ineffabilis.

*Quomodo Deus dicatur ineffabilis.* 10.33. & 11. 17.

## Infinitum.

*Infinitas non est constitutiuum Dei siue vt attributum, siue vt est modus reliquarum perfectionum.* 3.89.
*Infinitas essendi simpliciter immediatè arguit Deum esse physicè immutabilem.* 6.14.
*Infinitum agens vt sic minùs requirit intimam præsentiam ad passum quã finitum agens.* 8.31
*Infinita distantia negatiua extra hunc mundum est, in qua Angelus moueri posset, & quam Deus actu occupat.* 8.39.
*Infinitas creaturas Deus per eandem virtutem actus puri produceret, per quam producit ad intra diuinas personas.* 9.420.
*Infinita foret visio Beati si videret omnia possibilia actu.* 9.404. & seq.
*Implicat cognitio actu representans infinita indiuidua siue in, siue extra verbum.* 9.429.
*Infinita indiuidua cognosci possunt habitu.* 9.432.
*Quæ in seipsis sunt infinita tantùm syncategorematicè, in mente diuina sunt infinita categorematicè.* 12.338. & seqq.
*Inaniter tamen illo argumento triumphant assertores infiniti categorematici extra Deum.* 353. & seqq.
*Infinita est subiectiuè potentia actiua Dei ad extra.* 17.44.
*Infinita est potentia Dei actiua ad extra etiam ex parte termini producibilis.* 17.46.
*Infiniti effectus ordinis inferioris arguunt infinitam causam, si in illa contineantur secundùm suam formalem rationem.* 3.6.
*Infinita vnitas excludit consortium plurium in eadem natura generica vel specifica.* 4.3.

## Ingenitum.

*Ingenitum sub qua ratione sit propria notio Patris.* 24.21.
*Ingenitũ est proprium Patris, nec potest alij, quàm ipsi attribui.* 25.31. & seq.
*Ingenitum an sub aliqua ratione attribui possit Filio & Spiritui sancto.* 25.41.
*Ingenitum prout dicit negationem omnis passiuæ productionis & communicationis, quomodo conueniat Patri, & quomodo entibus impossibilibus.* 25.42.
*Ingenitum & innascibile sumi potest vel concretè, vel abstractè.* 25.50.
*Ingenitum tam concretè quàm abstractè sumptum importat negatiuum & positiuum simul, negatiuum tamen principaliter, positiuum verò secundariè.* 25.51. & seq.
*Ingenitum sub qua ratione positiua conueniat Paternitati.* 25.57. & seqq.
*Ingenitum sub qua ratione sit prius paternitate.* 25.64.
*Ingenitum priuatiuè dicitur de Patre absque vlla imperfectione ipsius.* 25.65.

## Increati ratio.

*Increati ratio quid formaliter importat.* 26.128.

## Initium.

*Initij ratio importat primitatem durationis ac proinde in diuinis locum non habet.* 25.12.

## Instans.

*Instantia naturæ Scotisticæ sanè subtilia.* 22.6. & seqq.
*Instanti temporis discreti formaliter indiuisibili virtualiter diuisibili mensuratur actio intrinseca libera Angeli.* 7.82.
*Instans temporis discreti est mensura rerum permanentium ab intrinseco defectibilium.* 7.88.
*Instans temporis discreti est mensura materiæ primæ in sententia Thomistarum.* 7.87.
*Instans temporis discreti, est mensura interna hominis actionis, non tamen semper.* 7.86.

## Innascibilitas.

*Innascibilitas est formaliter negatio, est tamen mediatè notificatiua positiuæ dignitatis personæ Patris.* 24.19.

## Inspirabilitas.

*Inspirabilitas cur non sit propria notio Filij, sicut innascibilitas est propria notio Patris.* 24.18

## Instrumentum.

*Instrumentum immediatius producit effectum, quàm causa principalis.* 27.85.
*Instrumentum connaturale non necessario essentialiter ordinatur ad supplẽdum defectum principalis agentis.* 9.103.
*Species non est instrumentum, sed causa principalis partialis cognitionis.* 9.103.
*Nulla substantia creata potest esse instrumentum connaturale respectu visionis Dei, aut alterius formæ supernaturalis.* 9.184.
*Instrumentum naturale debet esse in eodem ordine cum causa principali.* 9.185.
*Instrumentum obedientiale est intellectus respectu supernaturalitatis, quæ est in visione beata.* 9. 233.
*Instrumenti naturalis concursus sorsim sumptus est accidentalis, coniunctus verò causæ principali est substantialis.* 9.255.

## Intentionalis.

*Intentionalis expressio notionalium non est perfectio notionalis, sed essentialis.* 26.92.

## Intellectio, Intellectus, intelligere

*Naturalis exigentia potentiæ intellectiuæ est suum assensum præbere ex proprio & non ex alieno testimonio, cùm natura ipsius sit rem in se ipsa cernere & intueri.* 1.21.
*Ratio intellectus per solam certitudinem absque euidentia principiorum saluari non potest, alioqui assensus Fidei in articulos reuelatos erit verè & propriè intellectus, & habitus fidei infusus, qui est principium talis assensus, erit propriè habitus intellectus.* 1.22.
*Habitus intellectus requirit euidentiam primorum principiorum circa quæ versatur.* 1.29.
*Actus intellectus falsò ab obiecto scientiæ practicè excluditur à Scoto, cùm etiam ipsæ operationes intellectus sint regulabiles & dirigibiles per notitiam practicam priorem.* 1.95.
*Actus intellectus considerari potest vel vt est imago subiecti, vel vt est forma subiecti.* 1.148.
*Intellectio essentialis diuina determinata alia & alia relatione est actiua & passiua productio.* 18.29.
*Intelligere essentiale non est in qualibet persona diuina productiuum & cur?* 18.68.
*Intellectio essentialis quinque modis potest ad diuinam processionem requiri.* 18.72.
*Intellectio differentiam suam intrinsecam desumit non ex subiecto, sed ex obiecto.* 18.112.
*Intellectus fit proximè fœcundus ad operandum per speciem intelligibilem obiecti.* 18.165.
*Intelligere importat solum respectum intelligentis ad obiectum intellectum.* 26.42.
*Intellectus diuinus cur sola proprietate generatiua determinatus sit integrum principium generandi, & non voluntas diuina sola proprietate spiratiua determinata sit integrum principium spirandi.* 27.141.
*Intellectus diuinus vt virtualiter distinctus à voluntate tantùm generat, vt verò indistinctus actualiter etiam spirat.* 3.45.
*Intellectio in Deo à parte rei non est prior actu volitionis.* 3.46.
*Intellectio diuina vt directè terminata ad essentiam & non reflexè ad se ipsam supponit essentiam inadæquatè constitutam.* 3.65.
*Intellectiuum non est prius volitiuo secundùm rationem implicitam & explicitam simul.* 3.70.
*Intellectio secundùm rationem explicitam est posterior natura intellectiua.* 3.70.
*Intellectiuum non est adæquatum formale constitutiuum Deitatis.* 3.82. & 87.
*Intellectio non constituit adæquatè Deum in ratione Deitatis.* 3.82. & 88.
*Intellectus diuinus qua diuinus non solùm est essentia, sed etiam voluntas.* 3.140.
*Intellectus diuinus vult falsa est propositio.* 3.141
*Intellectus attributum secundùm explicitas rationes perfectius est attributis voluntatis, immensitatis, omnipotentiæ.* 3.154.
*Intellectus est in Deo posterior concipiendus attributis essentiæ in communi.* 3.169.
*Intellectus in Deo est prior concipiendus attributis voluntatis.* 3.169.
*In ratione intellectiui & intelligibilis, Deus potest cõponere vnum principium cum creatura.* 5.20.
*Intellectus creatus habet Deum intra sphæram suam sub ratione analogæ.* 9.7.
*Intellectus creati specificum obiectum est ens vt includit increatum cognoscibile tantùm per aliud.* 9.14.
*Intellectus creatus non habet naturalem propensionem ad videndum Deum visione beata.* 9.17.
*Intellectum creatum eleuari posse ad videndum Deum non est euidens.* 9.20.
*Deum in se ipso clarè visum esse intra sphæram intellectus creati non est euidens.* 9.20.
*Intellectus creatus tanquam potentia conceptiua non supponit, sed facit sibi obiectum.* 9.58.
*Intellectio nulla esse potest sine re intellecta vel in se, vel in suo repræsentatiuo.* 9.62.
*Intelligere & verbum mentis, formaliter distinguuntur.* 9.67.
*Ab Intelligere & verbo nõ distinguitur dicere.* 1.68
*Partus proprius intellectus vocatur verbum, aliarum potentiarum, idolum.* 9.70.
*Intellectus finitus potest videre obiectum infinitum.* 9.79.
*Esse intelligibile aut intellectiuum dum Deus communicat creaturæ, non communicat esse primum intellectiuum.* 9.105.
*Intelligere non est sola speciei receptio, sed est actus vitalis à propria potentia elicitus.* 9.119.
*Intellectus creatus non dicitur completus in ratione percipiendi Deum, quia non est completus in ratione producendi visionem.* 9.129.
*Eandem ob causam non dicitur causa principalis visionis Dei.* ibid.
*Intellectus creatus plus distat à Deo in ratione entis, quàm potentia corporea ab ente spirituali, non autem in ratione potentiæ & obiecti.* 9.130
*Intellectus eleuatus ad videndum Deum obiectum supernaturale non extrahitur ad obiectum alterius vitæ.* 9.132.
*Intellectus creatus habet proportionem cum Deo in se ipso visibili obedientialem, non autem naturalem.* 9.158.
*Intellectus supernaturalis nulli substantiæ creatæ potest esse connaturalis.* 9.159.
*Intellectui creato attribuitur visio Dei secundùm rationem vitalitatis.* 9.179.
*Intellectus creatus cum lumine gloriæ tantùm obedientialiter videt Deum.* 9.182.
*Implicat intellectus creatus vt naturale instrumẽtum perceptiuum Dei actus puri.* 9.186.
*Intellectus creatus indiget aliquo lumine vt Deum videre possit.* 9.197.
*Intellectui additur lumen gloriæ, non vt illum intendat, sed vt comprincipium diuersæ rationis.* 9.202.
*Intellectus ad recipiendam formam indebitam non indiget dispositione, ad producendam verò formam se perfectiorem indiget comprincipio.* 9.208.
*Intellectus Angelicus est formaliter intellectiuus & intelligibilis respectu suæ substantiæ sine alio concursu.* 9.218.
*Intellectus Beati ad visionẽ concurrit actiuè.* 9.227

*Intellectus creatus dicit ordinem ab obiectum supernaturale incompletum & inchoatum* 9.228
*Intellectus Beati ad visionem, quà illa supernaturalis est concurrit vt instrumentum obedientiale, qua vero vitalis est, vt causa principalis* 9.233
*Intellectui informato lumine gloriæ connaturalis est visio beata.* 9.240.
*Potest intellectus creatus de potentia absoluta videre Deum sine lumine inhærente.* 9.246.
*Intellectum non complet lumen in ratione potentiæ vitalis.* 9.247.
*Vis intellectus per assistentiam virtutis supernaturalis non mutetur intrinsecè.* 9.252.
*Intellectus humanus & angelicus non habent diuersum modum intelligendi in visione beata, quia intelligunt vt conuenientes in vna ratione formali & generica.* 9.283. & 287.
*Intellectus diuersitas non facit inæqualitatem visionis, sed lumen maius aut minus.* 9.286.
*Intellectus nobilior tunc producit effectum nobiliorem quando secundùm suas rationes specificas influit in actum.* 9.289.
*Intellectus perfectior non concurrit vt perfectior formaliter ad visionem, sed tantùm materialiter.* 9.295.
*Intellectus cum intelligente maiorem coniunctionem postulat, quàm intelligibile.* 9.335.
*Ratio formalis sub qua tendit intellectus ad Deum est intelligibilitas fundata immediatè in ratione entis.* 9.344.
*Intellectus finitus potest successiuè tendere ad infinita, non verò habitus, quia ille per modum causæ remotæ vniuersalis influit, hic verò vt proxima & particularis causa.* 9.428.
*Intellectus in Deo cùm non distinguatur ab intellectione non habet veram rationem potentiæ.* 17. 1. & 3.
*Intellectiua vis in Deo est tantùm perceptiua obiecti, non autem productiua actus.* 17.3.
*Intellectualitas diuina non solùm quà diuina est, sed etiam quà intellectualitas quidditatiuè dicit perfectionem spiritus.* 17.17.
*Ab intellectu non distinguitur potentia actu diuina, secundùm rationem formalem explicitam, nisi vt ratio includens ab inclusa.* 17.20.
*Intellectus diuinus immediatè & proximè per suam artem attingit effectus creatos in ratione operis artificiati.* 17.36.

## Intuitiua cognitio.

*Vide visio, cognitio.*

## Inuisibilis.

*Inuisibilis quomodo sit Deus.* 11.17.

## Iouinianus.

*Iouiniani error assirmantis omnes beatos æqualiter Deum visuros.* 9.273.

## Ira.

*Cur ira in Deo admittenda non sit.* 17.92.

## Iustitia.

*Deus non potest vniri in ratione Iustitiæ cum creatura rationali.* 5.29.
*Iustitia est posterior in Deo concipiẽda attributis, tam essentiæ in communi quã intellectus.* 3.169.
*Iustitia quomodo sit in Deo.* 14.100.
*In Iustis est Deus specialiter tripliciter per gratiam, per identitatem, assumendo ex eo aliquid, & per vnionem hypostaticam.* 8.59.

## Liberalitas.

*Liberalitas in quonam actu reperiatur.* 27.158.

## Libertas, Liberum.

*Libertas voluntatis in eo consistit vt dum elicit actum possit non elicere, etiam in sensu compositio.* 12.108. *seqq.*
*Libera in Deo sunt, posteriora necessarijs omni posterioritatis genere.* 26.162.
*Libera cur pendent à communi consensu & deliberatione omnium personarum.* 26.164.
*Liberum decretum Dei non potest origine præcedere Filij & Spiritus sancti productionem.* ibid.
*Liberum decretum Dei est aliquid Dei, sed liberum, atque adeo ad comprehensionem Dei minimè necessarium* disp. 26.176.
*Libera futura pendentia à voluntate creata non potest Deus infallibiliter cognoscere in decreto suo tanquam in ratione proxima cognoscendi.* 12.130.
*Liberi arbitrij libertatem non lædit præscientia futurorum.* 12.148.
*Libertati arbitrij nihil officit suppositio de futuro.* 12.151.
*Libertas contradictionis non est in Deo.* 14.33.
*Liberè amat Deus creaturas existentes, necessario tamen ex suppositione.* 14.34.
*Libera volitio non est perfectio intrinseca in Deo quæ potuit in Deo non esse.* 14.48.
*Falsum est liberam volitionem nullam dicere perfectionem intrinsecam in Deo.* 14.53.
*Libera volitio Dei non addit supra essentiam sõlum respectum rationis.* 14.73.
*Libera volitio Dei non saluatur per practicum iudicium rationis præcedens de indifferentia medij in ordine ad finem consequendum.* 14.77.
*Neque libera volitio Dei completur per extrinsecam productionem obiecti actum liberum in recto constituentis.* 14.74.
*Voluntas Dei non tantùm est libera quà est principium effectuum, sed etiã quà est vitalis.* 14.81
*Volitio libera in Deo est ipse actus necessarius vt liberè connotans extrinsecam productionem effectus libere à se pendentis.* 14.82.
*Libertas alia est per modum principij, alia per modum actus.* ibid.
*Libera volitio & nolitio, sunt intrinsecæ perfectiones vitales in Deo.* 14.90.
*Deus non est liber quoad vitalem tendentiam quã in recto dicit actus liber, sed solùm quoad connotationem extrinseci termini.* 14.91.
*Liber actus Dei aliquando est pura nolitio, interdum odium & displicentia.* 14.82.
*Nulla necessitas cogit ponere in Deo prædefinitionem liberorum actuum.* 14.147.
*Prædefinitio actuum non tollit necessario libertatem.* 14.139.
*Ex bono vsu liberi arbitrij futuro Deus non prædestinat hos præ alijs.* 15.27.
*Libertatem creaturæ in ipso fine acquirendo non saluant qui dicunt Deum prædestinasse independenter a meritis.* 15.73.
*Libera decreta vide Decreta.*

## Locus.

*Loco infinito non potest respondere nisi locabile infinitum.* 7.73.
*Locabilitas se habet ad spatium permanenter, duratio vero ad tempus successiue.* 7.73.
*Locale spatium est mensura extrinseca distantiæ vnius Angeli ab alio.* 7.92.
*In passum loco distans tur possit agens agere & non in distans tempore.* 8.26.
*Localis motus essentialiter est successiua acquisitio spacij.* 8.39.
*Deus non est proprie in loco.* 8.58.

## Logica.

*Logica omnes speculatiuas scientias practicè dirigit per certas regulas formæ syllogisticè.* 1.55.

## Loqui, Locutio.

*Loqui & Locutio cui conueniat?* 26.22.
*Locutio Patris ad Filium in quo consistat.* 26. 37. & seqq.
*Loqui & dicere diuinum siue ad intra siue ad extra quomodo differant.* 26.40. & seqq.
*Loqui competit soli Patri.* 26.45.
*Locutio Dei ad extra creaturis intellectualibus varia & multiplex.* 26.54.
*Locutio actiua & passiua in diuinis quid importent adæquate.* 26.74.

## Lumen Gloriæ, & Lumen Fidei.

*Lumen supernaturale secundum Henricum triplex est, obscurum Fidei, clarum Patriæ & euidens viæ.* 1.3.
*Lumen supernaturale Fidei cùm sit essentialiter obscurum non potest causare notitiam euidenter claram.* 1.14.
*Lumen Fidei à lumine naturali distinguitur, quod illud tendat ad obiectum per testimonium extrinsecum, quod de se nunquam aptum est parere obiecti euidentiam, hoc verò tendat ad obiectum per medium intrinsecum, quod de se aptum est obiecti euidentiam parere.* 1.17.
*Lumen aliud se tenens ex parte potentiæ, aliud ex parte obiecti.* 1.144.
*Lumen gloriæ non est principium visionis per modum speciei impressæ.* 9.119.
*Lumen gloriæ non complet vim perceptiuam intellectus sed productiuam.* 9.128. & 187.
*Sine lumine gloriæ nulli creaturæ esse connaturalem visionem, est de fide.* 9.134.
*Lumen gloriæ nulli substantiæ creatæ connaturale esse potest.* 9.159.
*Necessarium est lumen aliquod vt intellectus creatus Deum videre possit.* 9.197
*Lumen gloriæ additur intellectui vt comprincipium diuersæ rationis, non verò vt illum intendat.* 9.202.
*Lumen quod de facto in Beatis datur est quidem per modum habitus non tamen id de fide est.* 9.204.
*Lumen gloriæ non deseruit Beatis ad recipiendam visionem.* 9.207. & 216.
*Nec supplet munus solius speciei intelligibilis supplendo concursum obiecti.* 9.210. & seq.
*Lumen gloriæ tria præstat in Beati intellectu Primò complet illum in ratione potentiæ productiuæ visionis. Secundò determinat ex parte obiecti ad notitiam Dei. Tertio supplet speciem impressam creaturarum.* 9.217.
*Lumen gloriæ respectu Dei tantùm connaturalius determinat potentiam.* 9.227.
*Lumen non participat similitudinem perfectam intelligibilem Dei, sicut participat creaturarum.* 9.218.
*Lumen gloriæ est causa principalis visionis beatæ entitatiuè, non autem representatiuè considerata.* 9.237.
*Lumen gloriæ non debet esse eiusdem ordinis cum visione terminatiuè considerata.* 9.238.
*Intellectui lumine gloriæ informato connaturalis est visio.* 9.240.
*Potest intellectus creatus sine lumine inhærente de potentia absoluta videre Deum.* 9.246. & seq.
*Lumen gloriæ non complet intellectū in ratione potentiæ vitalis.* 9.247.
*Lumen solum absque intrinseco concursu intellectus non est integrum principium productiuum visionis.* 9.247.
*Lumen fluens à nonnullis excogitatum reijcitur.* 9.258.
*Lumen gloriæ perfectius est charitate in ratione entis, charitas verò in ratione veris.* 9.264.
*Lumen est secundum quid perfectius gratia, licet simpliciter gratia sit perfectior.* 9.265.
*Non est possibilis habitus operatiuus perfectior lumine gloriæ.* 9.268.
*Inæqualitas visionis oritur solùm ex lumine magis aut minùs intenso.* 9.286.
*Opposita sententia non saluat beatitudinem dari iuxta proportionem meritorum.* 9.291.
*Lumen est causa cur hæ potiùs creaturæ à Beato videantur in verbo.* 9.466.
*Lumen nullum de facto inclinat ad alias creaturas quàm eas, quas de facto repræsentat, aut ad intensiùs cognoscendas.* 9.469.
*Lumen ad hanc numero creaturarum & Dei visionem est ab intrinseco determinatum per se ipsum.* 9.471. & seq.
*Possibile est lumen quod sit plurium creaturarum representatiuum in verbo & minus cognoscitiuum verbi & è contra.* 9.473.
*Non est possibile lumen quod sit intensiùs cognoscitiuum creaturarum in verbo, quam verbi.* 9. 474.
*Implicat Lumen quod inclinet ad plures & plures creaturas videndas in verbo absque limitatione tam ex parte obiecti, quàm ex parte modi cognoscendi.* 9.475.
*Idem tamen non implicat si modum habeat cognoscendi limitatum.* 9.477.
*Respectu futurorum de facto sæpe lumen est perfectius extensiuè, imperfectius intensiuè.* 9.479.
*Lumen à Sole maius producitur in pariete qui directè, quàm qui obliquè est oppositus.* 8.17.

## Lutherani.

*Lutheranorum fuit error omnes Beatos æqualiter Deum visuros.* 9.273.

## Lux.

*Lux vehemens conspecta facit ad aliquod tempus cætera videri ea luce micare.* 9.48.

## S. Maria Mater Christi.

*Probabile est Beatissimam Matrem vidisse clarè Deum post Christi resurrectionem.* 9.504.
*Beatissima Virgo non est prædestinata ad gloriam sine præuisis meritis.* 15.130.

## Massilienses.

*Massilienses per errorem volunt Deum in iustificatione impij habere respectum ad merita naturalia antecedentia.* 15.14.

## Materia.

*Cum materia implicat Deum per modum formæ venire in compositionem.* 5.25.
*Materia prima tanquam ens à Deo remotissimum est omnium maximè mutabilis.* 6.25.
*Mensura materiæ secundùm se est æuum.* 7.87.
*Mensura materiæ in ordine ad mutationes est tempus continuum.* 7.82.
*Mensura materiæ in sententia Thomistarum est instans temporis discreti.* 7.87.

## Mathematica.

*Mathematica non attendit nisi ad veritates, quæ consequuntur ex tali vel tali principio posito, siue illud possibile sit siue non.* 1.25.

## Medium. Medium Cognitionis.

*Cognitio euidens habetur, vel per propriam speciem obiecti, vel per effectum aliquem, vel per causam, vel per ipsam terminorum connexionem.* 1.10.
*Motiuum formale assentiendi est illud, quo intellectus mouetur ad assensum præbendum.* 1.38
*Medium formale intelligendi creaturas in visione beata est Deus.* 9.388.
*Medium non subiectiuum, sed obiectiuum, non terminatiuum, sed motiuum, non proximum, sed radicale & remotum creaturas videndi est Deus.* 9.390.
*Tota series mediorum ex gratuita Dei voluntate præparatur prædestinato.* 15.108.
*Media incarnationis, prædicationis &c. vt sic sunt effectus diuinæ prouidentiæ supernaturalis.* 15.134.
*Eadem vt actu applicata prædestinato sunt effectus prædestinationis.* ibid.
*Medium potest efficaciter intendi, sine necdum in se ipso efficaciter intento, quando hic ab alia concausa libera pendet.* 15.120.
*Media ad salutem omnibus præparata alia sunt communia, alia particularia & quale inter illa discrimen.* 16.28. & 29.
*Media sufficientia ad salutem paruulis omnibus sunt à Deo parata.* 16.34.
*Media ad salutem vult Deus paruulis applicari dependenter à libera voluntate hominum.* 16. 34.

## Mensura.

*Mensura vitæ Dei est æternitas.* 7.2.
*Mensura substantiæ Angeli est æuum, non autem operationum eiusdem.* 7.4.
*Per rationem mensuræ non completur formaliter æternitas Dei.* 7.13.
*Nec per negationem mensuræ.* 7.14.
*Ratio mensuræ non repugnat æternitati.* 17.15.
*Ad rationem mensuræ sufficit distinctio virtualis.* 7.15.
*Immensurabile & interminabile non sunt idem, nec se mutuo inferunt primò & per se.* 7.28.
*Mensura ratio est tempori accidentalis.* 7.29.
*Mensura inadæquata est æuum respectiu eius cuius est duratio.* 7.69.
*Mensura beatitudinis supernaturalis est æuum.* 7.83.
*Mensura operationis internæ liberæ Angeli est instans temporis discreti.* 7.82.
*Mensura operationis externæ Angeli est tempus continuum, & nonnunquam instans discretum.* 7.86.
*Mensura materiæ secundùm se est æuum.* 7.87.
*Mensura materiæ in ordine ad mutationes est tempus continuum.* 7.87.
*Mensura vnius Angeli non est æuum alterius Angeli.* 7.89.
*Mensura extrinseca æui Angelorum, eorundemque operationum est tempus nostrum.* 7.92.
*Mensura extrinseca distantiæ vnius Angeli ab alio sumitur à spatio locali.* ibid.
*Mensura extrinseca perfectionis quantitatiuæ vnius Angeli est alter Angelus.* 7.93.

## Meritum.

*Merita Christi sunt causa nostræ prædestinationis.* 15.39.
*Merita Christi non sunt causa prædestinationis ipsius Christi.* 15.45.
*Merita Christi non sunt causa nostræ electionis quatenus hæc dicit dilectionem vnius præ alio.* 15.47.
*Merita Christi saltem quoad substantiam nõ sunt præuisa post Adæ peccatũ scientia visionis.* 5.48
*Cur merita Christi non numerentur inter effectus prædestinationis.* 15.49.
*Dependenter à meritis Christi facta est electio adultorum & Angelorum ad gloriam.* 15.61.
*Paruuli non eliguntur ad gloriam ex meritis ipsorum, sed illam vt puram hæreditatem accipiunt.* 15.103.
*Merita vt præmium causent, debent in scientia præcedere præmium quia debent illud causare præcognita vt absolutè futura.* 15.105.
*Merita possunt mouere dupliciter vel in genere causæ finalis, vel in genere efficientis.* 15.121.
*Merita non sunt apta mouere præmiantem ad præmium tribuendum nisi vt existentia.* ibid.
*Ex meritis gloriam animæ non habuit Christus.* 15.127.
*Dependenter à meritis habuit Christus gloriam corporis, ibid. & vnione hypostatica.* 15.128.
*Merita peccato interrupta sunt in prædestinato effectus diuinæ prædestinationis.* 15.161.
*Angeli dependenter ab ipsorum meritis sunt prædestinati aut reprobati.* 16.71.
*Angeli independenter à proprijs meritis electi sunt ad primam gratiam.* 16.71.

## Misericordia.

*Misericordia est in Deo posterior concipienda attributis spectantibus ad essentiam in communi & ad intellectum.* 3.169.

*Misericordia quomodo sit in Deo.* 14.100.
*Prædestinatio ad gloriam ex meritis est opus puræ misericordiæ, quia fundatur in prima gratia gratuita.* 15.132.

## Mitti, Mittere, Missio.

*Missionem diuinarum personarum dari de Fide est.* 28.1.
*Missionem diuinarum personarum nullus Hæreticus negauit.* ibid.
*Missio physica & moralis quæ sit:* 28.21.
*Missionem diuinarum personarum metaphoricam aliqui appellarunt.* 28.8.
*Missionem diuinarum personarum metaphoricam asserens temerarius est.* 28.10.
*Missio sub ea ratione specifica qua competit creaturis impropriè & metaphoricè competit diuinis personis.* 28.11.
*Missio quidditatiuè sumpta verè & propriè cõpetit diuinis personis.* 28.12. & seqq.
*Missio vt abstrahit à creata & increata nullam dicit imperfectionem.* 28.16.
*Quare non dicitur passio mitti ab essentia vel actus vitalis à principio vitæ.* 28.58.
*Mitti quid propriè sit?* 28.20. & 23.
*Missio quid sit?* ibid.
*Missio quotuplex sit?* 28.59.
*Missio diuina non saluatur in sola operatione temporali cum respectu tantùm ad principium effectiuum.* 28.27.
*Missio importat realem distinctionem missi à mittente.* 28.27.
*Missio sui à se ipso est impropriissima missio.* ibid.
*Missio non integrè saluatur in sola processione personæ missæ.* 28.32.
*Missio includit habitudinem ad terminum operandum extra mittentem.* ibid. 33.
*Missio diuinarum personarum in quo adæquatè consistat.* 28.34.
*Missio duplicem importat habitudinem ad mittentem, & ad effectum operandum.* 28.20.
*Missio diuinarum personarum est temporalis.* 28.40.
*Missio tam actiua quàm passiua diuinarum personarum est quid notionale.* 28.44. & seq.
*Mitti potest vna persona sine alia.* 28.47.
*Mittere non potest Pater sine Filio Spiritum Sanctum.* 28.48.
*Mittere potest vna persona aliam etiamsi illi non communicet formaliter liberum actum exequendi terminum.* 28.49. & seq.
*Mitti est nouo modo existere in effectu per virtutem & potestatem acceptam à mittente.* 28.55.
*Missio & emissio in quo differant.* 28.57.
*Mittitur Christus vt cibus animæ ad species sacramentales.* 28.59.
*Missio visibilis & inuisibilis.* ibid.

## Modus.

*Modus indagandi diuina.* 28.20.
*Modus in Deo nullam superaddit formalitatem ratione diuersam ab eo cuius est modus, sed solùm modificat fundamentum intra eandem perfectionem.* 3.19.
*Modi non pendent à subiecto media causalitate ab ea distincta.* 9.69.
*Modi pendent ab agente creato media actione ab ea distincta.* 9.69.

## Moralis Virtus.

*Morales virtutes quomodo sint in Deo.* 14.100.
*Morales virtutes sunt in Deo concipiendæ posteriores attributis tam essentiæ in communi quàm intellectus.* 3.69.
*Deus non potest in ratione alicuius moralis virtutis vniri cum creatura rationali.* 5.29.
*Moralia opera non sunt Deo causa cur hos præ alijs prædestinet.* 15.19.

## Motus.

*Negatio motus spectat ad immutabilitatem.* 7.23
*Motus habet exigentiam ad permanendum per diuisas & continuas sui partes.* 7.81.
*Motum in vacuo communis sententia admittit.* 8.39.
*Motus localis essentialiter est successiua acquisitio spacij.* 8.39.

## Moyses.

*Moyses nunquam Deum clarè in se ipso vidit.* 9.503. & 506.

## Multitudo, Multiplicatio.

*Multiplicatio inferioris quando trahat secum multiplicationem superioris & quando non.* 19.14.
*Virtualis multiplicitas ratione formalitatum & attributionum arguit in Deo maiorem perfectionem quàm vnitas.* 3.96.
*Tria esse relatiua non faciunt multa esse simpliciter.* 4.8.
*Multiplex dici potest Deus non tamen compositus secundum Capreolum.* 5.20.

## Mutatio.

*Mutatio est transitus ab aliqua priuatione ad formam, vel à forma ad priuationem intrinsecam mobili.* 6.4.
*Mutabilitas duplex, alia physica, alia moralis est.* 6.4.
*Mutatio moralis ceruitur in actibus liberis.* 6.4.
*Mutatione physica mutari non potest Deus.* 6.5.
*Mutabilitatis radix est potentialitas.* 6.10.
*Nulla morali mutatione mutari potest Deus.* 6.15.
*Non mutantur personæ diuinæ cùm transeunt de non esse producti ad esse producti.* 6.18.
*Mutatio saltem in extrinseco esse debet ad nouam denominationem.* 6.24.

## Mysteria Fidei.

*Mysteria Fidei non sunt euidenter cognoscibilia ob solam terminorum connexionem alioqui etiam ab infidelibus cognosci possent.* 1.10.
*Ad obiectiones contra mysteria Fidei soluendas non requiritur euidens cognitio falsitatis obiectionum, sed satis est si mysterium ipsum non appareat falsum, & nulla obiectio euidenter intel-*

lectum conuincat contra veritatem ipsam mysterij. 1.12.
Nullus est in natura effectus vel causa, quæ euidenter ostendat mysteria supernaturalia Fidei. 1.10.

## Natura Creata.

Natura creata cum supposito potest facere vnum compositum. 5.28.
Natura semel adæquatè terminata nequit vlteriùs terminari. 5.28.
Natura non potest exigere vnam perfectionem & abstrahere ab alia cum ea essentialiter connexa. 7.43.
Natura non potest exigere potentiam & cum potentia non exigere actus eidem essentialiter connexos. 7.43.
Natura non tribuit propensionem ad finem, quin etiam tribuat ad media. 9.17.

## Natura Diuina.

Natura diuina non est producibilis cum ipsa personalitate propter infinitatem ipsius simpliciter. 18.8.
Natura diuina non tantùm non multiplicatur ad multiplicationem processionis, sed etiam identificatur ipsi processioni ob infinitatem in omni genere. 18.9.
Natura diuina est principium productiuum Quo denominationis. 18.90.
Natura per prius respicit hypostasim quàm proprietates. 18.125.
Natura diuina per se concurrit vt principium communicatiuum ad intra ad productionem Verbi & Spiritus sancti. 18.126.
Naturæ similitudo, quam media productione accipit productum, est ratio qua productum fit aptũ repræsentare suum producens. 18.133.
Natura viuentis præter quidditatem dicit etiam principium fœcundum operationum vitalium intra se. 18.154.
Natura diuina ex eo, quia illimitata est, identificat sibi perfectissima identitate omnem perfectionem, cum qua oppositionem non habet. 19.88.
Natura diuina est vna formaliter virtute multiplex. 19.90.
Natura diuina concepta secundùm rationem explicitam non importat explicitè nisi solas perfectiones absolutas, quia id tantùm explicitè importat quod explicitè illam concipienti obijcitur. 19.119.
Naturæ diuinæ conueniunt multa prædicata, quæ tamen non conueniunt personæ vt persona est formaliter. 19.125. & seqq.
Natura diuina tota adæquatè sumpta tam secundùm rationem explicitam, quàm secundùm rationem implicitam non est communis. 19.129.
Natura diuina quomodo comparetur ad relationes vt determinabile ad determinatiuum. 19.135.
Naturæ diuinæ melius est esse in Trinitate personarum, quàm esse in vna tantùm persona, non tamen melius est illi esse in Patre quam in Filio. 19.205.
Natura diuina independenter à proprietatibus relatiuis habet quicquid requiritur ad perfectè existendum. 21.9. & seqq.
Natura diuina à relationibus tantùm habet vt incommunicabiliter existat. ibid.
Natura diuina complet relationes, & relationes complent naturam. 21.15.
Natura diuina cur non possit producere paternitatem. 25.34. & seqq.
Natura diuina quomodo possit dici ingenita. 25.56.
Dicere naturam diuinam realiter præsè distingui ab attributis, hæreticum est. 3.22.
Natura diuina & attributa non distinguuntur inter se vt res diuersorum prædicamentorum. 3.22.
Natura diuina & attributa non distinguuntur inter se ex natura rei. 3.25.
Condistinguendi naturam diuinam à paternitate fundamentum præbet naturę ipsius communicatio facta Filio non communicata paternitate. 3.109.
A filiatione verò & spiratione passiua productio earundem, non producta natura. ibid.
Natura diuina, quia æquipollet multis perfectionibus actu distinctis, & ordini qui inter actu distincta intercedit, ideo admittit intra se tam virtualem distinctionem quàm ordinem. 3.167.
Natura increata non potest componere vnum cum supposito creato. 5.28.
Natura diuina non propriè dicitur transire à non esse relatiuo personæ procedentis ad esse relatiuum eiusdem. 6.22.
V. Deus & essentia diuina.

## Necessitas antecedens & consequens.

Necessitas antecedens est quæ per modum causæ determinat ad vnum. 12.151.
Necessitas consequens est quæ supponit rem esse, nec determinat ad vnum per modum causæ. 12.151.
Præscitum à Deo non potest non fieri potestate consequente, potest non fieri potestate antecedente. 12.151.

## Necessaria in Deo.

Necessaria in Deo sunt priora liberis reali subsistendi consequentia. 26.164.

## Necessitas essendi.

Necessitas essendi arguit Deum esse immutabilem physicè. 6.7. & 9.
Necessitas essendi est fundamentum proximum æternitatis Dei. 7.24.

## Negatio.

Negatiuum nomen dupliciter potest aliquid positiuum importare. 25.39.
Negatio pura non pendet à Deo. 26.137.
Negatio motus spectat ad immutabilitatem. 7.23
Negatio temporis spectat ad æternitatem. 7.23.
Negatione mensuræ non explicatur adæquatè ratio æternitatis. 7.14.
Negatio reddit sensum vniuersalem & negat formam de subiecto, secundum omnem modum, quo

illi

*illi competere potest.* 19.210.
*Negatio termini primò, sed non adæquatè constituit æternitatem.* 7.30.
*Negationes à Deo cognosci certum est.* 12.261.
*Deo ratio immediatè cognoscendi negationes non est forma aliqua positiua.* 12.265.
*Implicat Deum cognoscere negationem non cognita forma positiua cuius est negatio.* 12.264.
*Forma per quam immediatè noscitur negatio est bonitas creata, quæ per negationem remouetur.* 12.269.
*Non omnes negationes cognoscit Deus scientia visionis sed aliquas etiam simplici intelligentia.* 12.268.
*Negationum causa indirectè & consequenter est scientia diuina.* 12.284.

## Nomen, Nomen Dei.

*Negatiui nominis primaria significatio quænam sit?* 25.51.
*Nomina quibus Spiritus sancti processio explicatur sunt communia, non item quibus Filij processio significatur.* 18.40.
*Nomina neutra non possunt prædicari de singulis personis, possunt tamen dici de omnibus.* 19. 185. & 29.16. & seqq.
*Nomina vnde significationem suam sortiantur.* 26.13.
*Nomina imponens rebus quid spectare debeat* 26.15.
*Nomina appropriata non dicuntur semper tantùm de eo, cui appropriantur.* 26.17.
*Nomina vnde sumant suam vnitatem & multiplicitatem.* 27.115.
*Nomina neutrius generis non sunt absolutè pronuncianda in diuinis.* 29.16. & seqq.
*Sunt autem vsurpanda in Christo.* ibid.18.
*Nomina substantiua concreta de re absoluta non nisi singulariter prædicantur de tribus personis.* 29.27. & seqq.
*Nomina adiectiua pluraliter de ijsdem prædicantur.* ibid.
*Nomina Diuersi, Alieni, Extranei, Difformis, Dissimilis, Discrepantis, Separati deuitanda sunt in diuinis.* 29.30.
*Nomina quæ personarum consortium excludunt vitanda sunt in diuinis.* 29.31.
*Nomina partitiua non rectè de Deo dicuntur.* 29.36.
*Nomina trinuminis & triformis nullo pacto Deo concedenda.* 29.43.
*Nomina Triplex, Quadruplex, Multiplex, quatenus Deo concedenda.* 29.41. & 42.
*Nomina quæ inuoluunt secundam intentionem non prædicantur de se mutuo in diuinis.* 29.58.
*Non repugnat nomen Deum quidditatiuè significans.* 11.6.
*Repugnat viatorem imponere nomen, quod sit expressiuum quidditatis Dei alijs viatoribus, non autem comprehensoribus.* 11.9.
*Nomen Tetragrammaton, non est viatoribus expressiuum quidditatis Dei.* 11.9.
*Potest rei nomen imponi ad distinctiùs significandum, quàm ipsemet nomen imponens intelligat.* 11.12.
*Qui rem nullo modo cognoscit, nullum quoque nomen imponere potest.* 11.13.
*Nullum nomen imponi potest significatiuum Deo,* 11.14.
*Nomen imponi non potest quod Deum comprehensiuè exprimat.* 11.15.
*Nomina quæ tribuuntur Deo imperfectè tantùm & confusè significant naturam diuinam.* 11.16
*Deum nominant Viatores ex triplici perfectione.* ibid.
*Nomina non physicè sed moraliter audientem ducunt in notitiam rei significatæ.* 11.18.

## Notio, Notionalia.

*Notionalia prædicantur de essentialibus concretis,* d.29.44.
*Notio alia formalis, alia obiectiua.* 24.1.
*Notiones in personis diuinis sunt admittendæ.* 24. 3. & seqq. *nec plures nec pauciores quàm quinque.*
*Ad rationem notionis quinque conditiones requisitæ.* 24.8. & seqq.
*Notiones quomodo sint discretiuæ personarum.* 24.13.
*Notio est quid superius ad relationes.* 24.14.
*Notio non necessario est vnius tantùm personæ notio.* 24.16.
*Ad notionem sufficit vt mediatè saltem ducat ad notitiam positiuæ proprietatis & dignitatis personæ.* 24.19.
*Notiones non admittunt de se inuicem prædicationem vt substant secundis intentionibus.* 24. 22.

## Numerus.

*Numerica distinctio quid requirat.* 19.220.
*Numeralis ratio non prædicatur de Deo adæquatè sed inadæquatè.* 19.222. & disp. 29.n.27. & seqq.

## Obcęcatio.

*Deus Peccatores obcæcat permissiuè.* 16.36.

## Obiectum, Obiectum Scientię & actus.

*Inter obiectum & potentiam debet esse proportio in eodem genere vitæ.* 9.7.
*Obiectum formale habitus Theologici est testimonium Dei, vt modificatum naturali connexione conclusionis deductæ cum principio reuelato.* 1.39.
*Obiecti formalis vnitas desumitur ex vnitate rationis, qua potentia ipsa mouetur ad assensum vel actum eliciendum.* 1.84.
*Obiectum formale alicuius assensus non debet necessario esse intrinsecum obiecto cui assentior.* 1.88.
*Obiectum scientiæ quomodo differat à subiecto scientiæ.* 1.129.
*Obiecta quæ veluti formæ specificæ constituunt intellectum & voluntatem diuinam sunt perfectiones intimæ per se identificatæ intellectui &*

*volun-*

voluntati. 18.162.
Obiectum intelligibile aliud extrinsecum intelligenti, aliud intrinsecum. 18.73.
Obiectum primum paternæ cognitionis non est sola essentia exclusis personalitatibus. 26.90.
Obiectum beatificum Patris non est sola essentia, sed etiam personalitates. 26.91.
Obiectum non concurrit nisi ad actum repræsentatiuum sui. 26.100.
Obiectum beatificum intellectus paterni sunt etiam possibilia si non essentialiter, saltem connaturaliter. 26.146.
Obiectum naturaliter attingitur à potentia in eadem abstractione posita. 9.13.
Obiectum specificum intellectus creati est ens vt includit increatum cognoscibile per aliud. 9.14.
Obiectum videtur in specie expressa vt ratione in Qua intelligibiliter ipsum exprimente. 9.40.
Obiecto visibili non variato realiter, variatis tantùm speciebus, variatur visio. 9.44.
Obiectum supra oculum positum non potest producere speciem impressam, ideoque nec dari visio. 9.53.
Obiectum infinitum potest attingi actu finito. 9.78.
Inter obiectum & potentiam non est attendenda proportio commensurationis entitatis ad entitatem, sed habitudinis ad terminum. 9.130.
Obiectum ad potentiam comparatur tripliciter vt illi adæquatum, vt disparatum, vt excedens intra eandem rationem formalem obiecti. 9.132.
Obiecto similior est actus in ratione repræsentandi, potentia verò naturalis in modo essendi. 9.154.
Obiecti supernaturalis actus semper est supernaturalis, non autem potentia. 9.154.
Potentia motiua obiecti fundatur in tota entitate rei. 9.331.
Obiectum primarium visionis beatæ est Deus, secundarium creatura. 9.390.
Obiecta syncategorematicè infinita arguunt cognitionem categorematicè infinitam. 9.405.
Obiectum intelligibiliter continetur in Verbo procedente ex perfecta similitudine obiectiui. 12.26.
Obiecta infinita possunt intelligi ab intellectu finito successiuè quia ad illa concurrit secundum rationes remotas & vniuersales, non autem habitus. 9.428.
Obiectum formale primarium diuinæ voluntatis est ipsa bonitas increata. 14.6.

## Oculus.

Inter oculum & spiritum est proportio in ratione entis, non autem in ratione potentiæ & obiecti. 9.7.
Oculus videt obiectum in sua visione tanquam in propria imagine expressum. 9.43. & seq.
Oculo non obiectiuè sunt æquè præsentia, sicut sunt subiectiuè. 9.53.
Oculus percipit obiectum coloratum non subiectiuè, sed obiectiuè. 9.53.
Oculus clausus non potest videre obiectum quia caret specie impressa effectiua speciei expressæ. 9.53. Sic neque superpositum obiectum. ibid.
Oculus intuitiuè videt obiectum, quia species, in qua videt, est per propriam speciè genita. 9.60.
Oculus corporeus eleuari non potest ad videndum Deum. 9.128.

## Odium.

Est in Deo verum odium. 14.99.

## Omnipotentia.

Omnipotentia Dei in ordine ad effectus supra naturam distinctè & in particulari cognosci nequit. 1.10.
Omnipotentia Dei non continet sub se potentiam productiuam ad intra. 23.49. & seqq.
Omnipotentia Dei non importat nisi potentiam productiuam ad extra, neque distribuit pro omnipotentia quæ est in Deo. 23.52. & seqq.
Omnipotentia Dei cur intimiorem connexionem habeat cum creaturis possibilibus, quam cum reliquis perfectionibus intimis, atque adeo omnipotentia & creaturæ possibiles sub qua ratione prius cognoscantur, quam vis generatiua & spiratiua. 26.150.
Omnipotentia in Deo à Sapientia non distinguitur sola extrinseca connotatione obiecti producibilis & intelligibilis, sed etiam intrinseca ratione præsupposita in Deo. 3.94.
Omnipotentia attributum in Deo secundum explicitas solas rationes est perfectius attributo immensitatis. 3.154.
Omnipotentiæ attributum secundum explicitas solas rationes est imperfectius attributis intellectus & voluntatis. 3.154.
Omnipotentia est prior concipienda in Deo attributis intellectus & voluntatis. 3.169.
Omnipotentia est posterior concipienda vnitate, veritate, bonitate. 3.169.
Omnipotentia in cognosci pendet ab extrinseco. 7.22.
Omnipotentia Dei videri debet ad hoc vt videantur incompossibilia. 9.348.
Omnipotentia comprehensa, necessariò comprehenditur tota essentia Dei. 9.411.

## Operatio.

Operationum immanentium in homine Deus non potest esse principium formale, 5.25.
Operationes Angeli non mensurantur æuo. 7.4.
Operationes vitales Dei sunt indiuisibiles & permanentes. 7.4.
Operationes vitales liberæ Angeli sunt successiuæ. 7.4.
Operationes Angeli intrinsecæ & vitales mensurantur instanti temporis discreti. 7.82.
Operationes Angeli extrinsecæ mensurantur tempore continuo. 7.85.
Operationes hominis internæ mensurantur tempore & quandoque æuo. 7.86.
Operatio vnius Angeli nequit esse mensura operationis alterius Angeli. 7.91.
Ex præcisa operatione Dei in creaturas non colligitur euidenter ipsius intima præsentia in creaturis. 8.16.
Ex operatione Dei colligitur cum sanctis patribus mediatè præsentia Dei in rebus omnibus. 8.27.

*Per operationem Deus non est in spacio imaginario.* 8.44.
*Operatione immanente vel nihil producitur extra nos, vel quod sit finis ipsius operationis immanentis.* 9.61.
*Operatiuum per se potest fieri operatiuum per aliam formam.* 9.98.
*Operationum in Deo triplex genus primum creaturæ omnino incommunicabile, secundum connaturaliter communicabile. Tertium per gratiam tantùm communicatur.* 9.134.
*Operatio propria Dei cum principio proximo accidentali non autem substantiali remoto communicari potest creaturæ.* 9.161.

## Opinio.

*Opinio specificatur à medio, quo ostenditur & declaratur conclusio.* 1.34.

## Oppositio.

*Oppositio & distinctio inter producens & productum in diuinis non est desumenda à ratione communicandi, sed à ratione producendi.* 18.10.
*Oppositio quam habere potest vna relatio ad aliam quomodo contingat.* 19.39.
*Opposita propter identificationem cum tertio non amittunt oppositionem inter se.* 19.94.
*Oppositio inter relationes diuinas alia formalis, alia radicalis, & in quo huius essentia consistat.* 20.39. & *seqq.*
*Oppositio radicalis sufficiens est ad constituendas & distinguendas personas diuinas, suppositata tamen formali oppositione relatiua earum.* 20.59
*Oppositio in diuinis est fundamentum incommunicabilitatis, non contrà.* 20.60.
*Oppositio disparata an sufficiat vnam personam distingui ab alia in diuinis.* 27.64.

## Oratio.

*Oratio vtilis est, quia est effectus primæ gratiæ, & causa subsequentis.* 15.32.
*Oratio semper est necessaria ad impetrandam gratiam congruam.* 12.233.

## Ordo.

*Ordo alius originis, alius naturæ secundùm Scotum.* 229. & *seqq.*
*In diuinis est ordo realis originis inter personas producentes & productas.* 22.15. & *seqq.*
*Ordo realis quis sit.* 22.16.
*Ordo necessariò trahit secum aliquam prioritatem.* 22.29.
*Ordo & simultas originis, in quo consistat.* 22.20.
*Quo ordine concipiendæ sunt prioritas & posterioritas quæ in Deo reperitur.* 22 30.
*Ordinatio libera mediorum ad finem impossibilis est, absque aliqua physica mutatione in rebus ipsis ordinatis.* 22.69. & *seqq.*
*Ordo virtualis, non autem actualis est inter attributa diuina.* 3.166.
*Omnis ordo virtualis fundari debet in ordine actuali.* 3.167.
*Ordine priora in Deo concipienda sunt attributa, quæ essentiam immediatè secundùm rationem communem & indeterminatam consequuntur.* 3.169.
*Ex his priora quæ consequuntur rationem entis analogicè communis Deo & creaturis, quàm quæ consequuntur rationem entis increati & infiniti.* 3.169.
*Ordine priora concipienda sunt in Deo attributa intellectus, posteriora voluntatis.* 3.169.
*Ordo & gubernatio vniuersi arguunt Deum esse vnum.* 4.4.
*Ordo non realis, sed rationis ponendus est in ideis diuinis.* 13.35.
*Ordo decretorum Dei circa prædestinationem adultorum & paruulorum.* 15.96.

## Origo.

*Origines actiuæ non distinguuntur realiter inter se.* 18.31.
*Origines actiuæ distinctionem suam sumunt penes proprietates principiorum producentium.* 18.31.
*Origines actiuæ non obstante identitate earum inter se simpliciter duæ dicendæ sunt, quia numerantur ad numerationem terminorum originatorum, non tamen dicendæ sunt duæ res.* 18 33.
*Origo includit communicationem naturæ & formalem productionem hypostasis.* 18.97.
*Origo arguit tantùm à posteriori distinctionem personarum.* 20.44.
*Origines quomodo personas constituant.* 20.62.
*Origo passiua alio modo personam constituit, quàm actiua.* 20 63.
*Inter origines adiectiuas & passiuas reperitur prioritas & posterioritas.* 22.24.
*Origines à ratione notionum cur excludantur.* 24.12.
*Origine prius habere aliquid, & à se habere, quomodo differant.* 26.177.
*Origo in Deo non est attributum.* 3.20.
*Pater priùs origine, non duratione intelligit essentiam, quàm generat Verbum.* 9.338.

## Pars.

*Pars connotat diuisionem perfectionis communicatæ à non communicata.* 19.123. & 223.

## SS. Patres.

*Patres sæpe perfectiones diuinas probant rationibus tantùm probabiliter concludentibus.* 8.27.
*Patres in rebus fidei quomodo procedant.* 1.16.

## Paruuli.

*Paruuli accipiunt gloriam vt hæreditatem, nec ad eam ex suis meritis prædestinantur.* 15.130
*Media sufficientia ad salutem parauit Deus paruulis omnibus.* 16.34.
*Ordo decretorum Dei circa prædestinationem paruulorum.* 15 96.
*Media salutis vult Deus paruulis applicari dependenter à libera voluntate hominum.* 16.34.
*Voluntate Beneplaciti antecedente vult Deus paruulis omnibus salutem.* 16 34.
*Causa Reprobationis paruulorum est originale.* 16.38.

*Permissio peccati originalis, cum quo parvuli decedunt, non est effectus reprobationis.* 16.64.

## Pater æternus.

*Pater prius origine non duratione intelligit essentiam, quam generet Verbum.* 9.338.
*Pater à Filio habet aliquam beatitudinem obiectiuè non originatiuè.* 9.339.
*Pater æternus non habet ideam de æterno suo filio.* 13.28.
*Patrem ingenitum esse probatur discursu Theologico.* 25.33.& seqq.
*Paternitas cur non possit produci à natura diuina.* 25.34.& seqq.
*Paternitas cur non possit esse ab alia persona ab ipsa Paternitate distincta.* 25.37.
*Paternitati sub qua ratione positiua conueniat Notio ingeniti.* 25.57.& seqq.
*Solus pater soli Filio in diuinis propriè loquitur.* 26.34.& seqq.
*Pater non loquitur propriè ad seipsum.* 26.37.
*Pater licet dicat totam Trinitatem, atque adeo seipsum, non tamen loquitur nisi ad solum filium.* 26.40.& seqq.
*Pater si non produceret Verbum, sed tantùm intelligeret, res ab ipso intellectæ non dicerentur dictæ.* 26.73.
*Pater vnde determinetur ad intuitiuam notitiam Personarum.* 26.97.
*Pater in priori originis, quo gignit Verbum, Verbum & Spiritus sanctus non existunt prioritate originis, existunt tamen simultatè durationis.* 26.103.& seqq.
*Pater in nullo signo non cognouit Filium & Spiritum sanctum in se ipsis actu existentes.* 25.104
*Pater prius fertur sua cognitione ad se ipsum cognoscendum, quam ad Filium & Spiritum sanctum prioritate tantùm virtuali, non verò reali.* 26.105.
*Patris notitia non prius terminatur ad Verbum vt productio ipsius, quam vt notitia eiusdem, & reliquorum obiectorum.* 26.106.
*Pater est sapiens sapientia genita, retractatur à S. Augustino.* 26.106.
*Patris suppositum considerari potest, vel vt obiectum paternæ dilectionis, & sic ad productionem Verbi non concurrit nisi tantùm terminatiuè; vel vt naturale suppositum patris, & sic concurrit originatiuè.* 26.142.
*Pater non potest mitti.* 28.28.42.100
*Licet veniat & donetur nobis.* ibid.100.
*Pater prius cognoscit suam essentiam quàm creaturas possibiles, non tamen prius producit Verbum, quàm cognoscat creaturas.* 26.142.
*Pater est idem Deus qui Filius, vera est propositio: contrà verò: Pater est idem qui Filius falsa.* 29.21.
*Pater prius cognoscit creaturas possibiles, quàm Filius & Spiritus sanctus cognitione notionali, non essentiali.* 26.147.
*Pater non prius ratione, quàm cognoscat creaturas possibiles producit Verbum.* 26.150.
*Pater dupliciter potest prius ratione quàm producat Filium & Spiritum sanctum eosdem cognoscere.* 26.150.
*Pater est de Natura diuina, Personæ sunt de substantia Dei, falsæ propositiones.* 29.64.& seqq.
*Pater est de substantia Filij, falsa.* ibid.
*Pater est in Filio, Filius in Patre, vterque in Spiritu S. veræ propositiones.* ibid.69.
*Pater diuerso modo loquitur æterno Filio de rebus necessarijs ac de contingentibus.* 26.168.
*Pater cur non possit habere rationem Imaginis, sed solius Exemplaris.* 26.194.
*Pater per generationem communicat Filio vim spirandi.* 27.35.
*Pater, quænam per generationem communicet, quæ non.* ibid.
*Pater cur requirat consortium Filij ad productionem Spiritus Sancti.* 27.42.
*Pater sola Paternitate radicaliter distinguitur à Spiritu S. spiratione verò formaliter & explicitè.* 27.66.
*Pater est prior origine Filio quoad virtutem ipsam spiratiuam, non autem quoad actum ipsum spirandi.* 27.83.
*Pater principaliùs spirat, quatenus spirat a se, vera ne?* 27.86.
*Pater prius authoritate spirat; & pater principaliter spirat veræ.* 27.88.
*Pater & Filius quantùm ad ordinem Personarum producentium non æquè seu vniformiter spirant, quomodo vera?* 27.89.
*Pater non solùm immediatè, sed etiam mediatè spirat, quomodo vera.* 27.90.
*Pater spirat per Filium siue mediante Filio, quomodo intelligendum.* 27.91.
*Pater non est origine prior generatione actiua.* 22.26.
*Pater prius origine per generationem actiuam respicit Filium, quàm per spirationem actiuam Spiritum S.* 21.27.
*Pater prius prioritate secundùm quid spirat, quam Filius.* 22.28.
*Pater & Filius prius ad extra producunt prioritate secundùm quid quam Spiritus S.* ibid.
*Pater est sub aliqua ratione posterior Filio & Spiritu S.* 22.41.& seqq.
*Pater quomodo gignat Filium voluntate complacentiæ.* 22.58.
*Pater in priori signo originis, quo præcedit Filium, non solùm cognoscit seipsum suamque essentiam, sed etiam Filium & Spiritum S. quorum perfecta notitia beatur.* 22.59.
*Pater prius prioritate à quo, non in quo existit, quam existat Filius.* 22.60.
*Pater est Pater vt Filium gignat finaliter, non originaliter.* 23.4.
*Paternitas generat, an concedenda?* 23.43.
*Patris Notio est Innascibilitas & Paternitas.* 24.13.
*Pater est principium & Fons totius Deitatis, propositio est catholica, & absque limitatione concedenda.* 25.14.& seqq.
*Pater est author Filij & Spiritus S.* 25.19.
*Pater in diuinis quomodo se ipsum dicat & creaturas.* 18.69.
*Pater & Filius diligunt se Spiritu S. Pater sapit sapientia genita. Pater intelligit aut dicit se Verbo, quomodo veræ? sequentes propositiones, cur falsæ. Pater est sapiens sapientia genita.*

*Pater gignit se verbo. Pater & Filius spirant se Spiritu S.* 18.70.
*Paternitas immediatè afficit intellectionem tanquam proximam rationem communicandi.* 18.92.
*Pater adhuc esset Pater etiamsi non spiraret Spiritum S.* 18.147.
*Paternitas conuenit Deo non media origine, vnde nec supponit aliquam rationem fundandi.* 19.7.
*Pater non respicit Spiritum S. Paternitate formaliter, sed Paternitate entitatiuè accepta.* 19.48.
*Pater communicat totam essentiam Filio solum secundùm rationem explicitam Deitatis.* 19.130.
*Pater priùs origine, quàm generet Filium quomodo sit completè Deus absque filiatione.* 19.131.
*Paternitas est Essentia, an sit vera propositio.* 19.159.
*Pater per essentiam est distincta Persona à Filio; item Pater paternitate est eadem essentia cum Filio, an concedenda.* 20.22.
*Paternitas si auferretur à Patre, an posset radicaliter opponi Spiritui S.* 20.41.
*Pater non constituitur in ratione Personæ per relationem sub ratione formæ subsistentis incommunicabilis.* 20.50.
*Paternitas in diuinis an & quomodo consequatur generationis actum.* 20.68.
*Paternitas qualiter sit constitutiua, originans & referens.* 20.68.
*Pater quomodo sit prior & simul cum Filio.* 20.71.
*Patrem originare Filium quid sit.* 20.75.
*Pater non eo formaliter est prior origine, quod ipse à nullo sit, sed quòd sit alterius productiuus.* 22.23.
*Pater licet priùs origine habeat virtutem spiratiuam, non tamen priùs origine habet actum virtutis spiratiuæ, quam habeat Filius.* 27.102
*Pater respectu virtutis spiratiuæ non se habet vt proprietarius, Filius verò vt Vsuarius.* 27.104.
*Patri conuenit virtus spiratiua à se, Filio à Patre, non tamen liberè, atque adeo non magis propriè vni, quàm alteri.* 27.105.
*Pater & Filius in omni proprietate sermonis est vnum principium spiratiuum.* 27.112. & seqq.
*Pater & Filius sunt vnum principium spiratiuum, quem sensum faciat.* 27.116.
*Pater cur non possit dici duo principia propter duplicem formam, generatiuam & spiratiuam.* 27.118.
*Pater per gratiam nobis non mittitur, sed tantùm Filius & Spiritus S. Venit autem non tantùm Filius & Spiritus S. sed etiam Pater.* 28.100

## Peccatum & permissio peccati.

*Peccata quomodo Deus cognoscat in seipso.* 12.46.
*In prædestinatis permissio peccati numeranda est inter effectus diuinæ prædestinationis.* 15.172.
*Permissio peccati in vno, sæpe est effectus prædestinationis in alio.* 15.165.
*Non repugnat Deum velle permissionem peccati nondum præuisi scientia absoluta.* 15.172.
*Nulla peccati permissio est effectus reprobationis.* 16.63. & 64.
*Dona peccato interrupta sunt effectus prædestinationis in prædestinato.* 15.161.
*Permissio peccati originalis cum quo paruuli decedunt non est effectus reprobationis.* 16.64.

## Pelagius.

*Pelagius impiè voluit opera solius arbitrij creati esse sufficientia ad beatitudinem.* 15.13.

## Per, præpositio.

*Per præpositio quam causam denotet.* 27.91.

## Perfectio.

*Perfectio alia est simpliciter simplex, alia ad certum genus limitata.* 3.12.
*Quæ perfectio propriè, quæ improprie competat Deo.* 28.12.
*Perfectio in creaturis duplex est.* 3.13.
*Nulla perfectio possibilis est, quæ non sit in Deo aut formaliter aut eminenter.* 3.11.
*Perfectio ex suo conceptu importans aliquid per modum constituentis naturam excluditur à ratione attributi: Item perfectio libera.* 3.20.
*Perfectiones creatæ sunt posteriores increatis quoad entitatem, non autem necessariò quoad completam distinctionem virtualem inter se.* 3.116
*Perfectiones diuinæ quomodo cognoscantur.* 3.106. & 108.
*De qualibet perfectione vt diuina cum reduplicatione affirmari potest qualibet perfectio diuina, dummodo reduplicatio non cadat supra rationem explicitam.* 3.141.
*Perfectio diuina est in alia multipliciter.* 29.69. & seqq. & 82. & seqq.
*Perfectio attributalis in Deo à nobis concipi potest duplex.* 3.162.
*Perfectiones in Deo sunt finitæ extensiuè, infinitæ intensiuè.* 3.162.
*Perfectio in Deo duplex, alia necessariæ, alia liberæ.* 9.297.
*Perfectiones diuinæ quam connexionem habeant cum omnipotentia Dei, & quam creaturæ possibiles.* 26.151.
*Perfectio est entitas commensurata rei.* 19.200.
*Nulla perfectio est in vna persona, quæ non sit in alia persona.* 19.209.
*Perfectio entis alicuius potest limitari ad certum genus vel propter finitudinem, vel propter essentialem oppositionem.* 19.213.
*Perfectio increata essentialiter debet esse infinita in aliquo saltem genere.* 26.128.

## Perseitas.

*Perseitas, quæ est differentia Entis aduenit Enti & includit ipsam rationem entis.* 19.153.
*Perseitas explicitè importatur in ratione substantiæ, implicitè in ratione entis.* 3.137.

## Perseuerantia.

*Perseuerantiam nec de congruo mereri possumus*

*ratione primi auxilij.* 15.126.
*Possumus tamen ratione vltimi.* 16.38.
*Perseuerantiæ donum est principalis effectus diuinæ prædestinationis.* 15.154.

## Persona diuina. Personalitas. Proprietas personalis.

*An persona diuina sit in alia per præsentiam, potentiam & essentiam.* 1.29.88. & seqq.
*Proprietates notionales diuinarum personarum ad extra quę sint.* 28 1.
*Personæ diuinæ non ad quæuis opera mittuntur.* ibid. 17.
*Personæ diuinæ absque vlla imperfectione mittuntur ad nos non sic Angeli.* ibid.
*Ad quid personæ diuinæ ad nos mittantur.* ibid.
*Personæ procedentes tantùm possunt mitti.* ibi.42.
*Personæ tantùm producentes possunt mittere.* ibid.
*Personæ diuinæ nobis donantur cum ipsâ gratia.* ibid.62. & seqq.
*Persona diuina tota producitur, vera propositio.* 29.54. & seqq.
*Personæ diuinæ non sunt plura Individua sed vnum.* 48. & 29.2.
*Personæ diuinæ quo modo distinguuntur ad inuicem.* 48.
*Personales relationes in Deo non faciunt compositionem.* 5.5. & 44.
*Personæ diuinæ cùm transeunt de non esse producti ad esse producti nullo modo notantur.* 6.18.
*Persona vna in diuinis videri sine alia non potest.* 9.321.
*Ratio implicantiæ.* 9.330.
*Personæ diuinæ licet ad extra non sint purè effectiuæ, sunt tamen effectiuæ obiectiuè.* 9.336.
*Personæ diuinæ non excluduntur ab obiecto primario beatitudinis.* 9.341.
*Tribus personis sunt communes ideæ, appropriantur tamen Verbo.* 13.36.
*Personalitates diuinæ per quid inter se distinguantur.* 25.34.
*Personæ duæ improductæ in diuinis cur implicent.* 25.39.
*Personæ diuinæ possunt sub aliqua ratione incompleta quasi & partiali concipi absolutæ.* 25.67.
*Personæ aliæ præter Verbum cur non dicant respectum ad creaturas, vt dictas & manifestandas.* 26.70. & seqq.
*Personæ productæ quidquid habent à producente quomodo verum.* 26.179.
*Persona vna, an ad alterius imitationem sit producta.* 26.199.
*Personæ diuinę non habent propriè ideam sui.* 26.200.
*Personalitas in diuinis quo modo includatur essentialiter in ratione Imaginis.* 26.215.
*Quidquid de vna persona dicitur in sacra scriptura, etiamsi dicatur cum particula exclusiua, dictum intelligitur de cæteris, vbi non obuiat relationis oppositio.* 27.37.
*Personæ diuinæ quotuplex formalitas.* 21.25.
*Persona producens sub qua ratione sit prior origine persona producta.* 22.35.
*Personæ diuinæ quomodo sint simul duratione natura, & cognitione.* 21.40.
*Ad posterioritatem quid requiratur.* 21.41.
*Persona vna diuina includit reliquas intensiuè formaliter, & extensiuè virtualiter.* 23.31. & seqq.
*Personæ quomodo notionibus ab inuicem discernantur.* 24.13.
*Personalitas cur sit producibilis, & non naturæ.* 18.5.
*Persona quæ supponitur à duabus personis procedentibus necessario debet esse improducta.* 18.18.
*Persona improducta & reliquarum productiua alia esse non potest, quàm persona Patris cum proprietate spiratiua.* 18.19.
*Persona, quæ est prima in Trinitate, cur non potuerit in ratione personæ constitui personalitate spiratiua, & proprietate generandi.* 18.19.
*Personæ plures in Deo esse non possunt quàm tres.* 18.20.
*Personarum multiplicatio in Deo necessariò fundari debet in origine producentis & producti.* 18.20.
*Personarum diuinarum ordo.* 19.8.
*Persona directè & formaliter importat hypostasin, indirectè verò, & materialiter naturam.* 20.2.
*Personæ diuinæ constituuntur, & distinguuntur per proprietates personales.* 20.11. & seqq.
*Persona cur habeat constitutiuum & non personalitas.* 20.14.
*Personarum constitutio quomodo sit realis, & quomodo per intellectum.* 20.17.
*Personæ diuinæ constituuntur, & distinguuntur relationibus.* 20.32. & seqq.
*Personas diuinas constitui proprietatibus absolutis, & simul referri proprietatibus relatiuis aduenientibus personis iam cõstitutis per suas proprietates absolutas an implicet?* 20.36. & seqq.
*Personę non constituuntur relationibus sub ratione originis.* 20.44.
*Persona Patris an constituatur per expressam rationem Paternitatis vt conceptam solùm & non vt exercitam.* 20.45. & seqq.
*Personæ diuinæ re ipsa constituuntur relatione vt Relatio est formaliter.* 20.56. & seqq.
*Personæ diuinę constituũtur etiã originibus.* 20.62
*Personæ si adæquatè concipiantur, concipi debent conceptu relatiuo.* 20.64.
*Personæ diuinæ si concipiantur conceptu confuso & inadæquato, quomodo debeant concipi.* 20.65. & seqq.
*Personalitas increata concepta iuxta exigentiam tres formalitates includit.* 20.70.
*Persona quoad modum significandi, non quoad rem significatam importat perfectionem absolutam.* 20.72.
*Persona diuina absolutè & respectiuè constituitur.* 20.80.
*Persona est intellectualis naturę individua substantia, quomodo intelligenda?* 20.81.
*Personæ diuinæ quomodo omnes simul ad extra creent in sententia Scoti.* 22.13.
*Inter diuinas personas est realis prioritas & posterioritas originis non autem naturæ.* 22.17. & seqq.

*Proprietas personalis debet præcedere omnem aliam proprietatem cùm sit primum complementum naturæ in ordine ad operationes omnes ipsius.* 27.130.
*Personæ diuinæ, qua ratione dicantur cum gratia nobis dari.* 28.62.& seqq.
*Personæ diuinæ non fiunt nobis per ipsam gratiam substantialiter, sed tantùm moraliter præsentes: fiunt autem substantialiter præsentes per gloriam.* 28.69.& seqq.
*Personæ diuinæ etiam per gratiam dici possunt fieri nobis substantialiter præsentes ratione iuris ad gloriam.* 28.71.
*Personæ diuinæ quo pacto fieri possint sub dominio & possessione creaturæ rationalis.* 28.79.
*Personæ diuinæ non mittuntur ad nos nisi per dona supernaturalia & gratuita.* 28.81.
*Personæ diuinæ per solam gratiam gratum facientem ad nos perfectè mittuntur, inchoatiuè verò per quodcunque donum supernaturale.* 28.86.& seqq.
*Personæ diuinæ mittuntur ad peccatorem inchoatiuè ratione auxiliorum & actuum supernaturalium.* 28.89.
*Personæ diuinæ manent in peccatore ratione habitus fidei & spei.* 28.ibid.
*Personæ diuinæ non per quodlibet augmentum gratiæ mittuntur.* 28.91.
*Personæ diuinæ peculiari titulo mittuntur ad beatos.* 28.93.
*Personæ diuinæ moraliter saltem mitterentur ad eum, qui sola condonatione extrinseca iustificaretur.* 28.97.& seq.
*Personæ diuinæ missæ sunt ad omnes Angelos initio creationis & ad nostros Protoparentes.* 28.106.
*An personæ diuinæ visibiliter missæ sint ad antiquos Patres.* 28.ibid.
*Vna persona diuina missione inuisibili ad nos venire posset sine alia, de facto tamen omnes veniunt.* 28.101.
*Personam Spiritus S. mittere non potest Christus vt homo.* 28.103.
*Vna persona diuina est apud aliam, an & quo pacto sit concedenda.* 29.87.
*Personam esse in sinu alterius soli Filio competit respectu patris.* 29.86.
*Persona diuina non est in alia per illapsum.* 29.84.

## Plato.

*Plato primus fuit idearum inuentor.* 13.1.

## Possessio.

*Possessio importat quietem & firmitatem rei possessæ.* 7.2.

## Possibile.

*Possibile quomodo habeat locum intra Deum, cum quidquid in Deo est, actus esse debeat.* 23.3. *Vide Vo. creatura & lumen gloriæ.* ibid.

## Potestas antecedés & consequés.

*Potestas antecedens est, qua simpliciter possumus producere vel non producere effectum, quousque illum actu non produxerimus.* 12.250.
*Consequens est, quæ nulla facta suppositione liberæ determinationis nostræ voluntatis, & antecedenter & consequenter nos relinquit indifferentes ad vtrumlibet faciendum.* ibid.
*Præscitum à Deo non potest non fore potestate solum consequente.* ibid.

## Potentia.

*Potentia productiua ad extra est perfectio intrinseca Dei.* 26.130.& seq.
*Potentia productiua Notionalis realis in Deo datur.* 23.2.
*Potentia proximè productiua, quæ requirat.* 23.24.
*Potentia productiua ad extra in quo sensu possit dici perfectior potentia productiua ad intra.* 23.36.& seqq.
*Potentia productiua æquiuoca non desumit perfectionem suam ex perfectiore termino producibili.* 23.38.
*Potentia productiua ad intra non continetur sub omnipotentia Dei.* 23.49.& seqq.
*Potentia operatiua respicit determinatam suppositi operationem, à qua proximè specificatur.* 19.74.
*Potentia cognoscei non potest non cognito termino talis potentiæ.* 3.107.
*Potentia actiua non autem passiua est in Deo.* 3.18.& 17.1.
*Potentia passiua includit priuationem alicuius perfectionis.* 3 18.
*Potentia actiua non est ad perficiendum se, sed alia à se.* 3.18.
*Potentia passiua intelligibilitatis est tantùm extrinseca & grammaticalis.* 5.30.
*Potentia producibilitatis prout hæc dicit solam non repugnantiam ad esse, non videtur neganda Deo.* 6.22.
*Potentia nequit exigere actum nisi cum eo exigat obiectum specificans actum.* 7.43.
*Potentia infinitas arguit solùm infinitatem syncategorematicam termini.* 8.51.
*Per potentiam Deus est præsens rebus omnibus.* 8.52.
*Præsentia & Essentia presentiam supponit præsentia Dei in rebus per potentiam.* 8.52.
*Inter potentiam & obiectum debet esse proportio in eodem genere vitæ.* 9.7.
*Potentia naturaliter fertur tantùm in obiectum suum sub eadem & non maiori abstractione positum.* 9.13.
*Actus vitalis non pendet à potentia media actione distincta.* 9.69.
*Potentia diuina quia est in ratione potentiæ illimitata non potest exprimi ab vlla specie creata.* 9.80.
*Nulla potentia corporea attingere potest Deum.* 9.123.
*Potentia vegetatiua nequit per actum vitæ sensitiuæ percipere obiectum sensibile.* 9.127.
*Neque sensitiua per actum vitæ intellectiuæ obiectum intelligibile.* 9.127.
*Potentia per supernaturalitatem non extrahitur à genere vitæ in quo est.* 9.132.

*Potentia vitalis in ratione percipiendi obiectum ab intrinseco completa esse debet, & solùm potest esse complebilis in ratione producti uitatis.* 9.128
*Nulla potentia corporea vitalis potest ferri in vllum obiectum spirituale.* 9.130.
*Potentia corporea minùs distat ab ente spirituali in ratione Entis, quâ intellectus creatus à Deo: non autem in ratione obiecti & potentiæ.* 9.130
*Inter potentiam & obiectum attendenda est proportio commensurationis habitudinis ad terminum.* 9.130.
*Potentia ad visionem beatam non concurrit secundùm rationem specificam sed genericam.* 9.281
*Potentia in via non solent operari secundùm vltimum posse bene vero in Patria.* 9.196.
*Potentia Dei est principium vniuersale, actus verò liber particulare.* 9.348.
*Potentia actiua est principium transmutandi alterum in quantum alterum.* 17.1.
*Potentia passiua est principium transmutandi ab altero, in quantum altero.* 17.1.
*Potentia actiua Dei ad intra respectu Notionalium habet veram & propriam rationem potentiæ.* 17.1. & 23. nu.2. & seqq.
*Potentia actiua Dei ad intra respectu actuum essentialium non habet veram rationem potentiæ.* 17.1. & 3.
*Est in Deo potentia actiua productiua ad extra.* 17.4.
*Hæc potentia nullum includit ordinem realem ad creaturas.* 17.5.
*Euidenti discursu potest demonstrari hæc potentia in Deo.* 17.6.
*Potentia diuina productiua ad extra non distinguitur ex natura rei ab essentia diuina & reliquis attributis.* 17.7.
*Potentia diuina non tantùm quà diuina, sed etiam quà potentia includit formaliter essentiã.* 17.17.
*Potentia secundùm rationem formalem explicitam non distinguitur ab intellectu & voluntate nisi vt includens ab incluso.* 17.20.
*Potentia executiua non completur in Deo proximè per actum liberum voluntatis sed per potentiam in actu primo indifferentem.* 17.23.
*Potentiam executiuam in Deo complet intellectio vt actus directiuus operis.* 17.23.
*Potentiæ Dei actiua ad extra eadem est directiua applicatiua & executiua.* 17.29.
*Potentia Dei actiua ad extra est infinita ex parte subiecti, seu ab essentia diuina.* 17.44.
*Eadem est infinita ex parte termini producibilis.* 17.46.
*Eadem esse tam intensiuè, quàm extensiuè infinitam, ratione naturali demonstrari potest.* 17.53
*Discrimen inter obiectum potentiæ & scientiæ diuinæ.* 17.54.
*Potentia diuina obiectum non solùm est ens, sed etiam non ens.* 17.55.
*Potentia diuina obiectum non est Deus.* 17.57.
*Potentia Dei non potest se extendere ad præterita reduplicatiuè.* 17.61.
*Sed specificatiuè.* 17.61.
*Potentia diuina diuiditur in ordinatam & absolutam.* 17.62.
*Per potentiam non est Deus in spatio imaginario.* 18.44.
*Potentia cognoscitiua sub quo abstractionis genere est, sub eodem est cognitio naturalis ab ea producta.* 9.152.
*Potentia naturalis est similiùs obiecto in modo essendi, actus verò in ratione representandi,* 9.154.
*Quomodo Deus producat extrinsecos effectus.* 14.85. & 88.

## Predesinitio.

*Prædefinire est aliquid velle vt absolutè fiat.* 14.138.
*Prædefinire antecedenter ad humanam libertatem est, antequam tales actus sint præuisi vt futuri dependenter à libera voluntate creata, in prio re signo rationis decernere.* 14 ibid.
*Nulla necessitas cogit ponere in Deo prædefinitionem huiusmodi.* 14.146.
*Licet prædefinitio actuum liberorum necessaria non sit, cum libertate tamen creata non pugnat.* 14.140.
*Posita prædefinitione Dei implicat oppositum fieri.* 14.139.

## Prędestinatio.

*Prædestinatio non est aliquod attributum in Deo.* 3.20.
*Prædestinatio ponit perfectionẽ in creatura.* 3.20.
*Non est melius Deo prædestinare quam non prædestinare.* ibidem.
*Prædestinationis suæ seriem vident Beati in Verbo.* 9.446.
*Prædestinatio est transmissio creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ.* 15.1.
*Prædestinatio principaliter importat efficacem actum voluntatis gloriam decernentis, & media eligentis: minùs principaliter actum intellectus disponentis media.* 15.6. & seqq.
*Tota ratio prædestinandi hos fuit merum Dei Beneplacitum.* 15.19 & 16.48.
*Opera moralia & obicis remotio non sunt Deo causa prædestinandi hos præ alijs.* 15.19.
*Deus non prædestinat ex bono vsu gratiæ aut liberi arbitrij futura.* 15.27.
*Ad prædestinationem requiritur creaturæ non repugnantia per modum conditionis, non autem motiui.* 15.30.
*Christi merita sunt causa nostræ prædestinationis.* 15.39 & seqq.
*Christi merita non sunt causa prædestinationis ipsius Christi.* 15.45.
*Christi merita non sunt causa nostræ Electionis, quatenus hæc dicit electionem vnius præ alia.* 15.47.
*Cur merita Christi non numerentur inter effectus diuinæ prædestinationis.* 15.49.
*Prædestinatio completa duo importat: electionem ad gloriam & præparationem mediorum.* 15.50.
*Prædestinatio ad gloriam decreta est dependenter ab operibus gratiæ in genere causæ meritoriæ.* 15.61. & seqq.
*Ordo decretorum Dei circa prædestinationem adultorum & paruulorum.* 15.101.
*Paruuli non prædestinantur ad gloriam ex*

meritis. 15.103.
Prædestinatus non semper discernitur à non prædestinato per primam gratiam congruam, sed per vltimam finalem. 15.107.
In tota serie mediorum multa conferuntur vt præmia intuitu præcedentium. 15.108.
Conditiones necessariæ ad effectum prædestinationis. 15.133.
Prædestinatio ad gloriam ex meritis est opus puræ misericordiæ, quia innititur primæ gratiæ gratuitæ. 13 132.
Media Salutis vt Incarnatio &c. vt sic considerata sunt solum effectus diuinæ prouidentiæ. 15. 134.
Vt vero applicata prædestinato sunt effectus diuinæ prædestinationis. ibid.
Non omnia bona naturalia sunt effectus diuinæ prædestinationis. 15.146.
Sed tantùm ea quæ per modum medij aut dispositionis ad gloriam consequendam conferunt, aut ad eius augmentum. 15.147.
Omnia bona supernaturalia in Prædestinato sunt effectus prædestinationis. 15.152.
In prædestinatis permissio peccati numeratur inter effectus prædestinationis. 15.172.
Permissio peccati in vno sæpe est effectus prædestinationis in alio. 15.176.
Prædestinatio incipit à prima vocatione congrua, non autem reprobatio à negatione eiusdem. 16. 49.
Si prædestinatio includit electionem ad primam gratiam, non est in nostra potestate, secus si tantùm dicat electionem ad gloriam. 16.65.

## Prædicamentum.

Prædicamenta de Deo secundùm omnem proprietatem enunciari non possunt. 5.40.
Prędicamenta de Deo propriè, id est, non metaphoricè, non tamen vniuocè dicuntur. 5.42.

## Prędicatio.

Prædicari in quid & in recto nihil potest, nisi quod formaliter inest. 3.56.
Prædicatio abstracta denotat quidditatẽ rei. 3.56.
Prædicatio in abstracto non requirit tantùm identicam inclusionem. 19.115.
Prædicationes quando fiunt per Verbum faciunt sensum formalem & explicitum. 19.159.
Prædicata, quæ diuinis Relationibus attribui possunt in triplici sunt differentia. 19.182. & seqq.
Prædicantur attributa denominatiue de Deo non secundùm rem, sed secundùm modum nostrum significandi. 3.66.
Prædicatio mutua diuinorum attributorum etiam reduplicatiua admittenda est, modo reduplicatio non cadat supra rationem explicitam. 3.140.

## Practicus. Prędmissa.

Præmissa naturalis ex coniunctione cum præmissa supernaturali eleuatur ad participandum aliquem gradum certitudinis supernaturalis: Et in quo hæc Eleuatio consistat. 1.73.
Præmissa naturalis cognita per discursum vt contenta in præmissa reuelata credi potest ex testimonio diuino explicitè & formaliter, vel implicitè & virtualiter. 1.74.
Præmissa probabilis aut contingens non potest ex coniunctione cum præmissa supernaturali eleuari ad participandum aliquem gradum maioris certitudinis, eò quòd talis præmissa probabilis non censeatur implicitè contineri in propositione formaliter reuelata. 1.75.
Præmissa euidens non potest præmissa credita fide diuina communicare aliquem gradum euidentiæ, potest tamen præmissa credita fide diuina communicare aliquem gradum certitudinis præmissæ naturali. 1.75.
Practicus habitus est gratia alterius, cùm non sistat in sola veritate sui obiecti cognoscenda, sed vlteriùs tendat ad actum seu opus à se distinctum dirigendum & regulandum. 1.95.
Practica scientia debet versari circa obiectum operabile modo operabili. 1.98.
Practica scientia non requirit vt possit immediatè operari circa finem, sed sat est si operari possit circa media quibus finem consequimur. 1.100.
Practica notitia supponit in sciente liberam facultatem exercendi opus, cuius notitia ipsa practica est directiua. 1.99.
Potest vnus idemque habitus esse formaliter practicus & formaliter speculatiuus, cùm possit eadem notitia esse practica & speculatiua simul. 1.105.
Axioma illud intellectus extensione fit practicus, quomodo intelligendum. 1.105.
Ratio practici & speculatiui non debet desumi ex intrinseca ordinatione scientis, sed ex intrinseca natura & conditione obiecti. 1.110.

## Prępositio.

Præpositiones importantes habitudinem termini ad principium productiuum tribui non possunt nisi solis personis procedentibus respectu producentium. 29.59.
Præpositiones importantes solam habitudinem causæ formalis tribui possunt tam notionalibus, quam essentialibus respectu quarumcunque perfectionum diuinarum. ibid. 68.

## Perspectiua.

Perspectiua quodnam obiectum, & quomodo subalternetur Geometriæ. 1.113.

## Physica.

Physica est subalternans Medicinæ. 1.115.

## Præscientia.

Præscientia futurorum non ladit libertatem liberi arbitrij. 12.148.
Præscitum non potest non fieri potestate solùm consequente. 12.151.

## Prędsentia Dei.

Deus fieri potest præsens rebus sine sui mutatione. 8.8.
Discrimen inter præsentiam Dei & immensitatem Dei. 8.9.
Præsentia competit Deo in tempore & liberè. 8.9.

*Ex præcisa operatione Dei in creaturas non colligitur euidenter intima præsentia Dei in rebus omnibus.* 8.16.& seqq.
*Ex actione Dei creatiua mediatè colligitur intima præsentia Dei in rebus omnibus.* 8.22.
*De fide videtur esse Deum esse extra hunc mundum negatiuè.* 8.28.
*Negari non potest Deum esse actu extra hunc mũdum etiam positiuè.* 8.32.
*Deus ratione suæ immensitatis actu occupat infinita spatia imaginaria extra hunc mundum.* 8.35.& seqq.
*Presentia realis dicit terminum realem saltem intrinsecum, non verò necessario extrinsecum.* 8.50.
*Deus est in rebus per essentiam, præsentiam & potentiam.* 8.52.
*Per essentiam est intimè præsens rebus Deus, quia est intimè coniuncta & indistans à rebus eius substantia.* 8.52.
*Per potentiam est Deus præsens rebus, quia omnia producit & conseruat.* 8.52.
*Deus est in rebus per intimam præsentiam & illapsum.* 8.56
*Præsentia potentiæ necessariò supponit præsentiam, & hæc essentiæ præsentiam.* 8.52.
*Per præsentiam est Deus præsens rebus, quia omnia eius cognitioni sunt præsentia.* ibid.
*Omnia sunt in Deo sicut effectus in causa, & Deus est in rebus, sicut causa in effectu.* 8.57.
*Deus non est propriè in loco.* 8.58.
*Deus est specialiter in iustis tripliciter.* 8.59.
*Agens passo non necessario debet esse intimè præsens.* 8.16.& seqq.
*In passum tempore distans cur non possit agens agere, possit in distans loco.* 8.26.

## Præteritum.

*Præterito caret æternitas.* 7.6.
*Præteritum dicit rem non esse sed fuisse.* 7.6.
*Præteritum in æuo admitti potest ratione complementi ab operationibus accepti.* 7.70.
*Præteritum non repugnat æternitati extrinsecè connotatiuè.* 12.84.
*Potentia Dei non potest se extendere ad præterita reduplicatiuè sed specificatiuè.* 17.61.

## Principium. Producere. Processio. Productio.

*Principium realiter influens in rebus creatis reciprocatur cum causa.* 25.36.
*Principij Ratio analogicè dicitur de principio, Notionali, & Essentiali.* 25.27 & seqq.
*Producens semper distingui debet à producto, siue producens sit suppositum, siue solum naturæ individuum.* 25.35.& seqq 12.288.& seqq.
*Producere importat solum respectum producentis ad productum.* 26.43.
*Procedere per se ex cognitione obiecti & procedere concomitanter quomodo differant.* 26.80.
*Principium quod complet hypostaticè principium quo, sine quo complemento principium quo non est proximè aptum ad producendum.* 27.71.
*Procedere magis propriè ab vno quàm alio: immediatiùs procedere ab vno quàm alio quid sit.* 27.85.
*Processio mediata Spiritus S. à Patre in quo consistat.* 27.90.
*Principium productiuum quo in diuinis non potest esse essentia aut ratio aliqua absoluta.* 23.14.& seqq.
*In principio productio specificari debet & ratio productiua & ratio communicatiua.* 25.26.
*Processionum diuinarum vniuocatio in ratione communicationis consistit.* 23.33.
*Principia duo productiua ad intra non sunt concedenda, licet sint duo suppositа producentia.* 23.41.& seqq & 25.10.
*Principium productiuum & terminus producibilis cur non habeant rationem Notionum.* 24.9.
*Principij nomen dupliciter de Deo dicitur, notionaliter, & essentialiter.* 25.4.
*Principij Notionalis ratio respectu productionum ad intra in diuinis an concedenda.* 25.6.& seq.
*Principium est quod realiter influit esse in terminum à se distinctum.* 25.6.
*Principij Notionalis ratio peculiari modo conuenit Patri.* 25.8.
*Primitas principij in quo consistat.* 25.9.
*Principiatio & principiatum in diuinis non sunt concedenda.* 25.11.
*Principij nomen cur Deo ad intra conueniat & non ratio causæ.* 25.23.
*Principium latiùs patet quàm causa.* 25.26.
*Propter quod vnumquodque tale & illud magis, cur in diuinis locum non habeat.* 27.100.
*Processio Verbi tantùm est generatio.* 18.100.& seqq.
*Procedere per modum naturæ quid sit iuxta Doctorum sententias.* 18.107.
*Processio denominationem suam sumit ab eo quod formaliter communicatur.* 18.123.
*Principium adæquatum Verbi & Amoris in diuinis quodnam sit.* 18.161.
*Productio essentialiter terminatur ad rei existentiam.* 19.175.
*Principium Theologici discursus non potest esse veritas reuelata, cognita notitia euidente naturali.* 1.49.
*Productio sui ipsius, vel à producto implicat.* 2.4.
*Improductum in qualibet serie individuorum, aut specierum cur implicet.* 2.5.
*Processio realis datur in Deo.* 18.2.
*Processio arguit naturæ diuinæ fœcunditatem.* 18.4.
*Procedere per modum effectus à causa quid sit.* 18.7.
*Processio in Deo non est per modum Emanationis transeuntis, neque per modum effectus à causa, sed per modum termini consubstantialis principio producenti in eadem natura subsistentis.* 18.5.
*Producere & communicare quomodo differant.* 18.10.
*Processiones passiuæ duæ tantùm sunt in Deo realiter distinctæ.* 18.15.
*Processiones passiuæ specie quasi differunt in Deo.* 18.16.

*Processiones passiuas multiplicari sola fide constat.* 18.23.
*Processiones actiuæ in personis Producentibus duæ sunt realiter à passiuis distinctæ.* 18.28.
*Processiones diuinæ non sunt operationes naturæ, sed intellectus & voluntatis.* 18.39. & 42.
*Productiua vis ad intra licet radicetur in fœcunditate Naturæ, proximè tamen fundatur in ipso Intelligere & Velle diuino.* 18.46. & 47.
*Principium producendi quo in diuinis siue adæquatum, siue inadæquatum non potest esse aliquid absolutum.* 18.81. & seqq.
*Principium productiuum duo essentialiter importat & assimilationem termini, & distinctionem à Termino.* 18.85.
*Principium communicatiuum in diuinis aliud proximum, aliud remotum.* ibid. 98.
*Principij productiui non est assimilare sibi terminum, bene autem communicatiui.* 18.95.
*Principium productiuum in diuinis ex variatione suppositorum distinctorum ad eundem terminum concurrentium dupliciter variari potest.* 27.127.
*Principium productiuum Spiritus S. est totum in Patre & totum in Filio subiectiuè, non autem obiectiuè.* 27.138.
*Principium productiuum ad Extra quænam requirat.* 27.139.

## Prioritas, & Posterioritas.

*Prioritas omnis in Deo aut est actu aut virtute.* 26.162.
*Prioritas & posterioritas originis compatitur secum simultatem durationis.* 26.103.
*Prioritas originis in Deo supponit aliam prioritatem virtualem respectu eius, respectu cuius est origine prius.* 26.63.
*Prioritas & posterioritas non est inter Relationes diuinas, quatenus ad instar Relationum Prædicamentalium concipiuntur resultare ex originibus.* 22.25.
*Prioritas & posterioritas realis originis non intercedit nisi inter realiter distincta.* 22.26.
*Prioritas & posterioritas naturalis exigentiæ & obiectiuæ præconceptibilitatis in Deo est admittenda.* 22.29.
*Prioritas secundum subsistendi consequentiam quid, & virum in Deo admittenda.* 22.31.
*Prioritas & posterioritas, in quo, in Deo nulla est, sed tantùm à quo.* 22.33.
*Prioritas & posterioritas durationis & dignitatis in Deo nulla.* 22.34.
*Prioritas & Posterioritas, imò & simultas in diuerso genere reperitur tam in creatis, quàm in increatis.* 22.39. & seq.
*Prioritas originis compatitur secum posterioritatem in alio genere.* 22.34.
*Prioritatis & Posterioritatis signa in actibus intellectus & voluntatis diuinæ an sint realia, an rationis.* ibid. 35.
*Prioritatis & posterioritatis instantia in actibus intellectus & voluntatis diuinæ non deseruiunt intellectui increato.* 23.53.
*Prioritas & posterioritas inter actus intellectus & voluntatis diuinæ vnde sumenda.* 22.54. & seq.
*Prioritas & posterioritas in actibus diuini intellectus circa obiecta necessaria & libera vnde sumenda.* 22.61.
*Prioritas & posterioritas in actibus diuinæ voluntatis circa obiecta necessaria & contingentia vnde petenda.* 22.65.
*Prioritas alia realis seu actualis, alia rationis, seu virtualis.* 22.1.
*Prioritas & posterioritas in concipiendo fundat prioritatem & posterioritatem in significando.* 20.69.
*Qualem prioritatem aut posterioritatem importent præsens, præteritum, & futurum.* 20.71.
*Prioritas & posterioritas in quo consistat.* 22.1.
*Prioritas naturæ & originis in quo consistunt.* 22.21. & seqq.
*Prioritas & posterioritas est etiam inter potentias productiuitatis & producibilitatis, nec non inter ipsas formales origines actiuas & passiuas.* 22.24.

## Prophetę.

*A nullis prophetis Deum clarè in seipso visum fuisse probabile est.* 9.503. & 506.
*Propheta habens euidentiam in attestante, Theologicum discursum formare potest de obiecto sibi reuelato.* 1.51.

## Proportio.

*Est aliqua proportio inter Deum & intellectum creatum, non autem inter oculum & Spiritum in ratione obiecti & potentiæ.* 9.7.

## Pronomina, propositio.

*Pronomina Nostrum & Meum important aliquam habitudinem causæ, vel effectus in eo, de quo talia pronomina dicuntur.* 27.164.
*Pronomina Meum & Nostrum an coniungi possint cum quolibet nomine significante aliquam perfectionem diuinam, siue in abstracto, siue in concreto.* 27.165. & seq.
*Propositiones sæpe possunt esse suspectæ non ex intrinseca significatione, sed ex extrinseca intentione proferentis.* 25.19.
*Propositio per se siue nota quoad se, & propositio nota quoad nos, quænam sit.* 2.12.
*Facta suppositione rei futuræ propositio de ea fit determinatè vera.* 12.89.
*Propositio enuncians futurum præcedit duratione existentiam rei futuræ, non causalitate.* 12.112.
*Propositio malè sonans & piarum aurium offensiua quænam sit.* 29.6.
*Propositio scandalosa, qua?* ibid. 8.
*Propositio seditiosa.* ibid. 9.
*Propositio schismatica.* ibid. 10.
*Propositio periculosa.* ibid. 11.
*Propositio blasphema.* ibid. 12.
*Propositio impia, arrogans, improbabilis quæ.* ibid. 13.14. & 15.

## Proprium.

*Proprium vnius Naturæ non potest fieri proprium alterius Naturæ.* 9.199.
*Proprius modus operandi Dei fieri potest connaturalis creaturæ accidentali, non autem substantiali.*

tiali. 9.239.
Nulla proprietas est eminentior quoad esse, re, cuius est proprietas. 9.112.

## Particula Quasi.

Particula Quasi quam vim habeat frequenter in scriptura. 18.100.

## Quaternitas.

Quaternitas non rerum, sed Relationum in Deo admittenda est. 19.34.

## Particula quo.

Quo est particula reduplicativa essentialium praedicatorum. 19.100.

## Quinitas Rerum.

Quinque Notiones non important quinitatem rerum in Deo. 24.15.

## Ratio Theologica.

Ratio Theologica & ratio Mathematica quid. 19.85.

## Rectitudo.

Rectitudo duplex in actibus, altera moralis in ordine ad mores, altera artificialis in ordine ad artem. 1.96.

## Regula.

Quæ Regulæ seruandæ in Mysterio SS. Trinitatis. 29.1.

## Relatio.

Relatio in Deo excluditur à ratione attributi. 3.20.
Relationes & essentia diuina nõ sunt ratione Theologica distinguenda. 3.26.
Relationes diuinæ non distinguuntur per aliquid absolutum, sed se ipsis. 3.158.
Relationes diuinæ cum essentia fundare non possunt inæqualitatem. 3.158.
Relatio vt Relatio non ordinatur ad componendum vnum tertium. 5.4.& 5.
Relativa vndenam sumant multitudinem suam. 18.33.
Relatio duplicis quasi generis reperitur in diuinis, alia formaliter constitutiua personæ, alia solum complens proximum principium producendi. 18.36.
Relatio Transcendentalis est actiua. 18.95.
Relationes reales dantur in Deo. 19.1.
Relationes diuinæ sunt reales non tantùm secundùm esse, in, sed etiam secundùm esse, ad. 9.3. & seqq.
Relationes diuinæ exercent realem respectum ad inuicem per ipsum esse ad. 9 4.
Relationes reales realiter inter se distinctæ tres tantùm sunt in Deo. 19.6.& seqq.
Præter Relationes Personales datur quarta Relatio Spirationis actiuæ Patri & Filio communis. 19 9.& seqq.
Relationum multiplicatio non infert multiplicationem rerum & cur. 19. 13.& 46.
Relationes in Deo non sunt nisi quatuor. 19.16. & seqq.
Relatio fundata in vnitate præexigit fundamentum realiter distinctum. 19.16.
Relatio est cuius totum esse est ad aliud quomodo intelligendum. 19 48.
Relatio non est tantùm conditio distinguens personam producentem à producta, sed etiam est ratio formalis constituens proximum principium producendi. 19.82.
Relationes diuinæ nullo pacto ex natura rei distinguuntur ab essentia. 19 85.
Relationes diuinæ inadæquatè identificantur cum essentia, & essentia cum quauis earum, inter se vero realiter distinguuntur. 19 89.
Relatio non ita identificatur Essentiæ, sicut Essentia sibi ipsi. 19.92.
Relationes implicitè includuntur in obiectiuo conceptu naturæ diuinæ, atque adeo illæ sunt de essentia Naturæ diuinæ. 19.113.& seqq.
Relationes diuinæ virtualiter distinguuntur à Natura secundùm conceptum explicitum, non autem implicitum. 19.136.
Relationes diuinæ includunt essentialiter Naturam diuinam, & non tantùm identicè. 19. 150.& seq.
Relatio diuina limitatur tantùm ad non includendam expositam correlationem. 19.152.
Relatio diuina concipi potest vt adueniens Deitati, & vt includens Deitatem. 19.153.
Relatio est secundùm se tota respectiua secundùm rationem explicitam, non autem secundùm rationem implicitam. 19.154.
Relationes diuinæ existunt existentia relativa ratione distincta ab existentia absoluta Naturæ. 19.172.& seqq.
Relatio secundùm explicitum conceptum non includit essentiam, includit tamen existentiam relativam. 19.173.
Relationibus diuinis triplicis generis prædicata conueniunt. 19.182.& seqq.
Relatio diuina non est modus naturæ. 19.188.
Relationes diuinæ ab essentia etiam virtualiter distinctæ perfectionem important infinitam non simpliciter, sed in suo duntaxat genere. 19.199.
Relativæ perfectiones in Deo multiplicantur. 19.206.
Relationum limitatio non prouenit ex imperfectione, sed ex essentiali oppositione. 19.213.
Relationes diuinæ non differunt propriè specie inter se aut numero, differunt tamen quasi specie & impropriè individualiter. 19.216.& seqq.
Relationes diuinæ non sunt propriè individua, dici tamen possunt differre numero non quidem positiuè sed negatiuè. 19.221.
Relatio vt sic ab essentia præcisa an sit formaliter Deus. 20.20.
Relatio in quo sensu constituat aliquid ad se. 20. 54.
Relatio sub ratione Relationis reipsa personas constituit. 20.56.& seqq.
Relatio diuina constituit Personam vt transcendentalis & Prædicamentalis simul secluſis imperfectionibus. 20.61.
Relatio identitatis cur realis non sit. 20.72.
Relatiuum potest producere suum correlatiuum, quia ad hoc sufficit prioritas originis. 20.75.
Ad Relationem non est per se modus, quomodo

verum?

*verum?* 27.76.
*Relationes diuinæ quomodo se habeant ad essentiam & ad inuicem.* 20.79.
*Relationes diuinæ quomodo compleant Naturam, & compleantur à Natura.* 21.15.
*Sub qua ratione habeant rationem perfectionis simpliciter simplicis.* 21.29.
*Relationes diuinæ sub qua ratione non habeant prioritatem & posterioritatem inter se.* 22.25.
*Relatio in diuinis sola est formalis ratio producendi, & sub qua ratione considerata.* 23.22. *& seq.*
*Relatio cur non sit productiua ad extra, cùm tamè sit productiua ad intra.* 23.39. *& seqq.*
*Relationes sunt quid superiùs ad proprietates personales.* 24.14.
*Relatio Verbi est eadem cum Relatione Filiationis sola ratione inadæquata diuersa.* 26.28.
*Relatio Filiationis magis exprimit identitatem naturæ & ordinem ad genitorem.* 26.28.
*Relatio diuina vt sic non est repræsentatiua alicuius obiecti.* 26.71.
*Eadem relatione refertur Filius in diuinis ad Patrem, & Imago ad Prototypon, licet non eodem modo.* 26.214.
*Relatio Filiationis Verbi, & Imaginis quomodo inter se differant.* 26.224.
*Relatio Paternitatis & Filiationis quomodo compleat spirationem actiuam.* 27.132.

## Reprobatio.

*Reprobatio principaliter importat actum voluntatis, connotato tantùm actu intellectus culpam præuidentis.* 15.9.
*In statu Naturæ & integræ & lapsæ voluit Deus omnes homines saluos fieri.* 16.11.
*Reprobatio alia est executiua, alia intentionalis.* 16.40.
*Nemo fuit à gloria efficaciter exclusus ante demerita præuisa.* 16.45.
*Exclusio à gratia efficaci saltem in Angelis nullam supponit causam.* 16.47.
*Si Reprobatio incipit à Negatione congruæ vocationis, eius saltem in Angelis nulla datur causa.* 16.48.
*Si Reprobatio incipit ab exclusione à gloria datur Reprobationis causa.* 16.48.
*Causa reprobationis parnulorum est originale.* 16.48.
*In adultis sunt demerita finalia.* 16.48.
*Reprobatio non incipit à negatione congruæ vocationis vt prædestinatio.* 16.49.
*Esau reprobatus est antequam quidquam mali faceret in temporali executione.* 16.50.
*Conditiones requisitæ ad effectum reprobationis.* 16.54.
*Peccata reproborum nequeunt esse effectus reprobationis.* ibid.
*Sola executio æternæ pœnæ est effectus reprobationis.* 16.61.
*Nullum bonum naturale vel supernaturale est effectus reprobationis.* 16.62.
*Permissio peccati originalis, cum quo parnuli decedunt, non est effectus reprobationis.* 16.64.
*Si reprobatio incipit à negatione gratiæ non est in hominis potestate reprobari; si ab exclusione à gloria est in hominis potestate.* 16.65. *& 67.*

## Res.

*Res multiplicatur, non ad multiplicationem termini extrinseci, sed subiecti intrinseci.* 18.33.

## Respectus.

*Respectus aut ordo realis Dei ad creaturas possibiles nullus datur.* 26.139.
*Necessarius est respectus ad creaturas ad distinguenda attributa, quæ nullum in Deo supponunt fundamentum realis distinctionis.* 3.106.
*Respectus intrinsecus Dei ad creaturas nullus est.* 9.309.
*Cognito intuitiuè respectu non necessario cognoscitur intuitiuè terminus ad quem est.* 9.394.

## Reuelatio.

*Multa per Reuelationes cognoscunt beati, quæ ad ipsorum statum pertinent.* 9.441.
*Reuelatio, circa hoc vel illud obiectum in particulari, cùm applicetur nobis per Testimonium obscurum Ecclesiæ, non potest nobis hoc vel illud obiectum in particulari reuelatum esse euidens, licet euidens sit lumine naturali, verum esse id quod Deus reuelauit.* 1.11.
*Reuelatio explicita de veritate obiecti est simul reuelatio implicita de falsitate contradictorum, vnde quo testimonio obscuro, sed certo fidei teneo mysteria fidei esse vera, eodem credo contradictoria esse falsa, atque adeo non est euidens nobis, sed tantùm certum certitudine fidei obiectiones contra Mysteria fidei esse solubiles.* 1.12.
*Reuelatio alia scripta, alia tradita, alia animata.* 1.56.
*Reuelatio alicuius propositionis censetur se extendere ad ea omnia, quæ cum ea sunt naturaliter connexa.* 1.73.
*Reuelatio virtualis est ipsa virtualis continentia conclusionis in principio reuelatæ.* 1.84.
*Reuelatio diuina per discursum applicata est ratio formalis motiua, sub quo Theologia tendit in suum subiectum.* 1.142.

## Sacramenta.

*Sacramenta vt sic sunt effectus diuinæ prouidentiæ supernaturalis.* 15.134.
*Sacramenta vt actu applicata prædestinato sunt effectus prædestinationis.* ibid.

## Salus.

*Deus saluare quemlibet potest salua etiam arbitrij libertate.* 12.231.
*In statu Naturæ & integræ & lapsæ vult Deus omnes homines saluos fieri.* 16.11.
*Voluntas diuina saluandi omnes non est impropria.* 16.21.
*Voluntas diuina saluandi omnes est per modum actus prosecutionis, efficacis quidem ex parte Dei, conditionati verò ex parte obiecti.* 16.24.
*Voluntas saluandi omnes non est tantùm simplex complacentia de possibili salute hominum.* 16.22.
*Voluntas saluandi omnes non est per modum decreti*

creti omnino absoluti independentis à quacunque conditione. ibid.

## Sanctus.

Sanctus cur addatur ad nomen Spiritus. 27.4. & 8.

## Sapientia.

Sapientia diuina non quà sapientia, sed quà diuina formaliter includit bonitatem. 3.37. & 17.17.
Sapientia sumpta pro virtute seu habitu intellectuali requirit euidentiam primarum altissimarumque causarum. 1.29.
Sapientia in communi neque dicit distinctionem, neque vnitatem cum bonitate, sed præscindit ab vtroque. 3.38.
Sapientia diuina est magis sibi quàm bonitati vna, non per maiorem identitatem actualem, sed virtualem. 3.38.
Sapientia Dei ab omnipotentia non distinguitur sola extrinseca connotatione obiecti intelligibilis & producibilis, sed etiam intrinseca ratione præsupposita in ipso Deo. 3.94.
Sapiens non dicitur Deus per solam connotationem Sapientiæ, quam causat, alias etiam diceretur terra. 3.95.
Sapientia concepta vt diuina concipi debet saltem implicitè cum tota plenitudine essendi, quam dicit esse diuinam. 3.130.
Sapientia diuina explicitè dicit solùm perfectionem sapientiæ, implicitè verò quidquid perfectionis dicunt attributa diuina. 3.136.
Sapientia secundùm præcisam rationem Sapientiæ non est ipsa explicita ratio bonitatis. 3.153.
Sapientia diuina secundùm explicitam rationem est perfectior attributis voluntatis, omnipotentia & immensitatis. 3.154.
Deus in ratione Sapientiæ non potest vniri cum creatura rationali. 5.29.
Sapientia diuina, quia in ratione Sapientiæ est illimitata, à nulla specie creata exprimi potest vt est in se. 9.80.
Sapientia diuina est in immensitate, & è contra: vera est propositio. 29.69.

## Scholastici.

Scholastici à patribus quomodo differant quoad modum probandi principia fidei. 1.16.

## Scientia.

Scientia Dei vnicum est in Deo attributum, quia sub vna ratione generali tendit ad omnia obiecta. 3.164.
Scientia Dei in cognosci pendet ab extrinseco. 7.2.
In scientia nullum Prædicatum essentiale supponitur ante euidentiam, cum ipsa certitudo consequatur euidentiam. 1.19.
Scientia distinguitur ab habitu intellectus, quod intellectus appellet assensum principiorum, Scientia verò conclusionum per principia; vnde in euidentia & certitudine non differunt, sed in modo tantùm assentiendi per discursum & simplicem adhæsionem. 1.21.
Scientia subalternata si non habet euidentiam in se, non potest illam accipere per continuationem ad subalternantem existentem in alio subiecto. 1.23.
Scientia potest esse de rebus indiuiduis quando sunt immutabilia vel ratione sui vt Deus, vel quatenus substant scientiæ diuinæ. 1.28.
Speculatiuæ Scientiæ intrinsecus finis veritas. 1.95.
Scientiæ adæquata diuisio est in Speculatiuam & Practicam. 1.100.
Scientia Dei iuxta varietatem obiectorum variè habet prioritatem & posterioritatem. 22.62.
Scientia triplex in Deo supponit notitiam triplicis decreti. 22.63.
Scientia visionis in Deo est scientia libera. 26. 162. & 165.
Scientia visionis non potest super scientiam simplicis intelligentiæ addere aliquid intrinsecum, sed solam connotationem obiecti extrinseci. 26. 168. & 177.
Scientia visionis est infinita tum ratione obiecti primarij, tum fundamentaliter ratione simplicis intelligentiæ, non tamen formaliter respectu obiecti secundarij nisi tantùm extrinsecè & connotatiuè. 16.177.
Scientia visionis origine præcedit in Patre productionem Verbi, sed fundamentaliter tantùm, non formaliter, licet illam à se habeat. 26.177.
Scientia Visionis quomodo communicetur Verbo. 26 179.
Scientiæ Dei diuisio. 12.2.
Scientia simplicis intelligentiæ est necessaria. 12.3. & 12.279.
Scientia visionis Dei est libera. 12.8. & 279.
Scientia media seu conditionata partim est necessaria partim libera. 12.3 & 279.
Deus seipsum cognoscit. 12.4.
Et quidem necessariò. 12.5.
Cognoscit Deus seipsum vt obiectum primarium reliqua vt secundaria. 12.7.
Cognitio quà Deus cognoscit se, est perfectè comprehensiua & naturæ, & suimetipsius. 12.8.
Cognoscit Deus creaturas secundùm esse participatum. 12.10.
Scientia Dei quomodo terminetur ad scitum. 14.95.
In sua cognitione vt specie expressa earum cognoscit Deus creaturas possibiles. 12 19. & 47.
Nullum esse aliud habent creaturæ possibiles extra Deum ad quod diuina cognitio terminetur. 12. 23. & seqq.
Vt res cognoscatur sufficit, quòd in Verbo contineatur intentionaliter. 12.38.
Cognitio diuina non mutatur dum cognoscit creaturas, quas poterat non cognoscere. 12.49.
Deus certò cognoscit in suis causis futurum contingens à casu. 12.53.
Deus certo præcognoscit omnia futura libera. 12.55.
Si possibilis foret realis præsentia futurorum in æternitate, necdum ea esset Deo prima ratio cognoscendi futura. 12.77.
Futura libera non cognoscit Deus certò in suis causis proximis. 12.108.
Scientia Dei, quæ est simplicis intelligentiæ, est solùm

lùm remota causa rerum exemplariter dirigendo. 12.112.
Deus non cognoscit futura libera in sua essentia proximè visa vt causa. 12.1.
Deus non cognoscit futura libera in suis ideis independenter à quocunque alio. 12.121.
Idea est Deo ratio cognoscendi futura, posita determinatione ipsorum ad esse futuri. 12.123.
Deus certò cognoscit in suo Decreto futura, quæ solùm pendent ex voluntate Dei. 12.128.
Non certò Deus cognoscit in suo Decreto tanquam in ratione proxima cognoscendi effectus futuros dependenter à voluntate creata. 12.130.
Deus cognoscit futura in se ipsis pro ea duratione, qua extitura sunt extra suas causas. 12.140.
Deo futura repræsentantur vt existentia pro vno tempore, futura verò, vel præterita pro alio. 12.141.
Scientia Dei, qua nouit futura, non est causa, sed pura intuitio futurorum. 12.148.
Neque ex scientia approbationis sequitur vlla vis aut læsio nostræ libertatis. 12.150.
Deus priùs ratione cognoscit sua Decreta vt ponenda, quàm vt actu posita. 12.252.
Deus cognoscit negationes, priuationes tam physicas quàm morales, & quidquid fingi potest. 12.261.
Deo ratio immediatè cognoscendi negationes & priuationes non est forma aliqua positiua. 12.265.
Implicat Deum cognoscere negationem & priuationem non cognita priùs forma, cuius est negatio aut priuatio. 12.264.
Hæc forma cognoscenda, est illa bonitas creata, quam negatio aut priuatio immediatè remouet. 12.266.
Non omnes negationes aut priuationes cognoscit Deus scientia visionis, aliquas enim tantum cognoscit scientia simplici. 12.268.
Entia rationis nunquam fingenda cognoscit Deus scientia simplici, qua verò fingentur, scientia visionis. 12.272.
Obiectum scientia visionis Dei potest esse necessarium. 12.273.
Scientia Dei est causa rerum non effectiua, sed directiua. 12.276.
Quid scientia simplex sit, & quid scientia approbationis. 12.282.
Scientia Dei est causa negationum indirectè & consequenter. 12.284.
Scientia Dei quomodo terminetur ad Scitum. 14.95. & 110. Vide Cognitio, Visio.
Deum cognoscere futura conditionalia, de fide. 12.162.
Cognoscit etiam omnia, quæ à creaturis possibilibus sub quauis occasione futura essent. 166.
Scientia hæc formaliter in Deo est. 172. certa & infallibilis etiam ex parte rei cognitæ. 174.
Deum cognoscere futura conditionata ante vllum decretum suæ voluntatis actu positum probatur ex scripturis. 200. Ex Patribus. 202. ad hominem. 204. Ex absurdis. 205. Ex falsis aduersariorum principijs. 209. ratione. 211.
Scientia conditionata cur dicatur media. 215.
Qua ratione deseruiat Deo ad saluandam cum infallibilitate decreti sui libertatem hominis 216.
Nullus effectus creatus præuidetur ante omne decretum Dei. 217.
Nulla præuidentur merita neque sub conditione futura, nisi dependenter ab electione gratuita. 218.
Scientia conditionata saluat rationem doni specialis in auxilio diuino. 219.
Illà consensus præuidetur futurus viribus gratiæ: ideo vis non infertur creaturæ, si gratia negetur. 221.228.
Futura conditionalia disparata, quoad materialem veritatem extremorum certò cognoscuntur à Deo ante decretum actu existens, per ordinem ad decretum condit. obiectiuum. 241.
Scientia conditionata Deus cognoscit sua decreta condit. quæ nunquam de facto existent in Deo. 246.
Scientia Dei inuariabilis est quoad intrinsecam perfectionem. 286.296.
Nec certitudo obiecti potuit à Deo abesse, nisi ratione extrinsecæ terminationis. 302.
Scientia tamen creaturarum possibilium intrinsecam perfectionem superaddit scientia. 12.316. & seqq.
Scientia exprimit intra intellectum cognoscentis quodlibet obiectum materiale & secundarium. 327.
Scientia diuina repræsentat intra se infinita categorematicè. 338. etsi infinitum extra Deum implicet existere totum actu. 353. & seqq.


## Sensus.


Sensus non potest nisi singulare ac determinatum obiectum cognoscere. 9.152.


## Signum.


Varia intellectus diuini signa. 13.20. & seq.
Quid & quotuplex voluntas signi in Deo. 14.124
Signum duplicem respectum importat. 26.16.
Signum in diuinis aliud durationis, aliud originis, aliud præcisionis vnius ab alio cum fundamento in re. 26.99.
Signum secundùm Augustinum non sunt sola voces, sed etiam res, ad alias res significandas impositæ. 1.130.


## Syllogismi.


Syllogismi expositorij leges. 19.95.


## Simplicitas.


Simplicitas in Deo non saluatur cum actuali distinctione relationum ab Essentia. 19.87.
Simplex Deitatis Natura vnum habet esse, viuere, & posse. 3.27.
Deus est omnino simplex. 3.28.
Simplicitas est species vnitatis. 5.initio.
Omne simplex est vnum, non autem omne vnum simplex. ibid.
Summa simplicitas est propria Dei. 5.45.
Simplicitas est perfectio simpliciter simplex. 5.46.
Simplicitas est causa immutabilitatis. 6.initio.

*Ex summa simplicitate demonstratur Deus esse immutabilis.* 6.13.
*Summa simplicitas est fundamentum proximum æternitatis Dei.* 7.24.
*In re simplici non possunt plura virtute distincta cognosci nisi per ordinem ad plura actu distincta.* 3.106.
*Vide V. Compositio.*

## Simultas, Similitudo.

*Similitudo est principium amoris, quem sensum habeat.* 18.175.
*Similitudo alia conuenientiæ, alia proportionis; prior ad generationem necessaria: Posterior insufficiens.* 18.179.
*Similitudo ad generationem requisita non est spectanda ex capacitate termini vel principij, sed ex propria essentia generationis.* 18.184.
*Simile ab imagine quomodo differat.* 26.89.
*Simultas durationis quid, & an possit secum compati aliquam Prioritatem.* 20.71.

## Spatium Imaginarium.

*Spatia Imaginaria, infinita extra hunc mundum Deus actu occupat ratione immensitatis.* 8.35.
*Spatium Imaginarium non est quid fictum quoad distantiam, & capedinem negatiuam.* 8.44.

## Species.

*Propria species obiecti supernaturalis non potest esse comprincipium cognitionis naturalis.* 1.10
*Species propria gignit visionem intuitiuam.* ibid.
*Species intellililes pendent à phantasmatibus in fieri, non tamen in facto esse.* 1.133.
*Species componitur ex duobus conceptibus, quorum vnus perfectè prescindit ab alio, & quædam alia ad rationem speciei requisita.* 19. 216. & seqq.
*Species qua de obiecto infinito potest esse finita, non autem species in qua.* 3.7.
*Species de Deo à S. Damasceno impropriè vsurpatur.* 5.42.
*Species intelligibilis est duplex impressa & expressa.* 9.21.
*In specie impressa non consistit verbum mentis.* 9.38.
*Species expressa est Ratio non tantùm qua, sed etiam in qua videtur obiectum intentionaliter expressum.* 9.40.
*Speciebus variatis, non variato obiecto in se realiter, potest visio variari.* 9.44.
*Species visibiles si refringantur obiectum apparet fractum.* 9.44.
*Species propria necessaria est ad intuitiuam cognitionem.* 9.66.
*Species impressa & habitus producunt actione distincta actum vitalem.* 9.69.
*Species expressa in qua diuinæ essentiæ repugnat, & cur.* 9.3.
*Species expressa finita non potest representare infinitum obiectum.* 9.75.
*Potest species accidentalis repræsentare obiectum substantiale.* 9.77.
*Non potest dari species expressa exprimens attributum diuinum vt est in se.* 9.80.
*Species impressa diuinæ essentiæ vt est in se etiam de possibili neganda est.* 9.89. *eiusdem vera implicantia.* 9.116.
*Species tam impressæ quàm expressæ substituuntur loco obiecti.* 9.94.
*Species non est Instrumentum, sed causa principalis partialis cognitionis.* 9 103.
*Species impressa non per omnia gerit vicem obiecti.* 9 105.
*Species impressa non determinat potentiam formaliter, sed effectiuè.* 9.109.
*Species impressa non necessariò debet habere eminentius esse, quàm res ipsa.* 9.112.
*Speciei impressæ munus est esse determinatiuum potentiæ ad obiectum per expressionem obiecti intra potentiam cognoscentis.* 9.118.
*Lumen gloriæ est species impressa creaturarum.* 9.217.
*Deus creaturas in se ipso vt in specie expressa cognoscit.* 9.393.
*Species exprimens infinita indiuidua etiam debet esse infinita.* 9 429.
*Deus neque vt species impressa, neque vt expressa creaturarum est causa cur hæ potius creaturæ videantur à Beatis.* 9.463.
*Essentia diuina est idea creaturarum vt est species expressa earum.* 13.18.
*Res intentionaliter expressa in Angelo non dicitur idea defectu potentiæ productiuæ.* 13.27.

## Speculatio.

*Speculatio est etiam praxis, quatenus ipsa veritatis contemplatio regulatur à scientia practica secundùm circumstantias.* 1.97.
*Speculatiua cognitio includit negationem cognitionis practicæ permistiuè non incompossibiliter.* 1.106.

## Speculum.

*Quomodo Deus sit speculum respectu visionis creaturarum.* 9.378. & 387. & 485.
*Discrimen inter speculum creatum & Deum speculum voluntarium creaturarum.* 9.397.
*Deus vt speculum voluntarium Creaturarum non est ratio proxima cur hæ potiùs creaturæ à Beatis videantur.* 9 454.

## Spes.

*Deus respectu sui boni proprij nullam habet spem aut desiderium.* 14 13.
*Imò nec respectu suæ gloriæ extrinsecæ.* 14.14.

## Spiritus S. Spiratio, Spirare.

*Spiritus Sanctus procedit ex amore creaturarum, non ex Creaturis.* 14.43.
*Spiritus S. cur non sit alterius personæ productiuus.* 18.22.
*Spiratio actiua non dicit proximè & formaliter paternitatem & Filiationem, sed relationem spiratoris communem Patri & Filio.* 18.32.
*Spirare, qui est actus Notionalis, includit formaliter & nontantùm concomitanter Velle essentiale.* 18.62. & 63.
*Spirare addit aliquid supra Velle essentiale, non tamen pertinens ad Velle formaliter.* 18.64.
*Spiritus S. quomodo procedat vt amor, etiamsi ra-*

tio productiua sit Relatio, non autem volitio. 18.91.
Spiratio immediatè afficit Volitionem tamquam proximam rationem communicandi. 18.92.
Spiratiua Virtus quomodo de Filio prædicetur. 18.157.
Spiritus S. vi suæ processionis non accipit similitudinem Intentionalem. 18.174.
Spiritui sancto totum principium productiuum communicatur terminatiuè, non subiectiuè. 18.181.
Spiritus S. vi suæ originis procedit similis in Natura cum principio producente, nec tamen est genitus. 18.186.
Spiritus S. vi suæ originis procedit vt Deus formaliter & non tantùm identicè. 18.187.
Spiritus S. vi suæ formalis originis subiectiuè procedit inadæquatè Deus, subiectiuè verò & terminatiuè simul procedit adæquatè Deus. 18.188.
Spiritus S. processio non esset generatio, etiamsi per impossibile in diuinis non esset Verbum. 18.189
Spirationi passiuæ an definitio generationis conueniat. 18.190.
Spiratio actiua non potest realiter distingui à paternitate & Filiatione ne admittatur Quaternitas rerum in Deo, neque formaliter ex natura rei contra Scotum. 19.33. & seqq.
Spiratio actiua sola ratione ratiocinata distinguitur à Paternitate & Filiatione. 19.42.
Spiratio actiua non est vna in Patre & Filio vnitate Rationis, sed rei. ibid. 43.
Spiratio actiua communicatur Filio à Patre cum ipsa Natura. 19.44.
Spiratio actiua esto non in ratione rei, tamen in ratione Relationis realiter distinguitur à Paternitate & Filiatione. 19.46.
Spiratio actiua cur nequeat in abstracto prædicari de Paternitate & Filiatione. 19.58.
Spirationis actiuæ munus quadruplex iuxta varias sententias. 19.60.
Spiratio actiua non potest personas constituere, aut constitutas tantum referre. 19.67. & seqq.
Spiratio actiua constituit principium proximè spiratiuum. 19.74.
Spiratio actiua immediatè recipitur in Patre & Filio iam constitutis in ratione Personæ. 19.76.
Spiratio actiua concipienda est prius in Patre, quàm in Filio, in Patre concipienda est posterius quàm potentia generatiua, prius verò quàm actus ipse generandi: in Filio autem concipienda est, prius ratione quàm referatur ad Patrem. 19.77.
Spiratio actiua non est accidens Metaphysicum. 19.78.
Spiratio actiua est minoris efficaciæ in constituendo suppositum, non autem minoris perfectionis. 19.80.
Spiratio actiua quanam existentia existat. 19.187.
Spiratio actiua cur non distinguatur à Patre & Filio. 20.40.
Spirans non ita respicit spiratum, vt generans genitum. 20.77.
Spiritus Sanctus ex quorum obiectorum amore procedat in sententia Scoti. 22.12.
Spiritum Sanctum spirari voluntate quomodo verum. 23.25. & seqq.
Spirator non est origine prior spiratione actiua. 22.26.
Spiratio spirat an concedenda. 23.43.
Spiritus Sancti Notio cur non sit improductiuitas. 24.11.
Spiritus Sancti Notio est spiratio passiua. 24.13.
Spiratoris Notio est spiratio actiua. 24.13.
Spiritus S. non est principium Notionale, sed duntaxat essentiale respectu productionis ad extra. 25.13.
Spiritus S. est principium de vtroque principio, quem sensum habeat. 25.13.
Spiritus S. quomodo dicatur Verbum Filij. 16 21.
Spiritus S. cur non sit Verbum. 26.22.
Spiritus S. non propriè loquitur Patri, aut Filio. 26.36.
Spiritus S. est non tantùm amor essentiæ & totius Trinitatis, sed etiam creaturarum. 26.50.
Spiritus S. non ita propriè dici potest donum Creaturarum, sicut Filius Verbum creaturarum. 26.52.
Spiritus S. si actu non existeret, non posset exprimi, vt possibilis à Verbo diuino etiamsi creaturæ actu non existentes possint exprimi vt possibiles ab eodem Verbo. 26.94. & seqq.
Spiritus S. sub qua ratione sit prior processione verbi. 26.96.
Spiritus S. procedit ex perfectissimo amore sui & reliquarum diuinarum Personarum. 26.107.
Spirationem actiuam non habet Filius à Patre formaliter, sed tantùm radicaliter. 26.179.
Spiritus S. cur non habeat rationem Imaginis. 26.194.
Spiritus S. non est Imago spiratoris & cur. 26.198. & 205.
Spiritus S. quo in sensu dicatur Imago Filij à Patribus. 26.203.
Spiritus nomen dici potest à spiritualitate vel à spiratione. 27.3.
Spiritus à passiua spiratione dictus est nomen Personale & solius tertiæ personæ proprium. 27.4. & seqq.
Spiritus S. a spiratione actiua dictus potest esse communis toti Trinitati, vel Patri & Filio pro diuersitate spirationis actiuæ. 27.4.
Spiratio actiua alia ad intra, alia ad extra. 27.4.
Spiritus sumptus pro spiratione passiua idem quod spiratus. 27.4.
Spiritus etiam à spiratione actiua dictus non eandem Notionem habet in diuinis atque in humanis, sicut habent nomen Patris & Filij, genitoris & geniti. 27.5.
Spiritus in creatis quid. 27.5.
Spiritus prout dicit emissionem vitalis habitus & processionem Spiritus S. quam similitudinem analogam habeat. 27.6.
Spiritus S. à spiritualitate dictus nõ est proprium, sed tantùm appropriatum tertiæ Personæ. 27.7.
Spiritus S. cur per appropriationem dicitur de tertia Persona incomplexè, & cur de tertia persona dicatur per appropriationem. 27.7.
Spiritus S. quando coniungitur cum genitiuo Dei, Domini, Patris, Filij, Christi, sumitur notionaliter, quando cum Deo in casu recto essentialiter. 27.8.

*Spiritus S. non tantùm à Patre sed etiam à Filio procedit.* 27.19. & seqq.
*Spiritum S. à Filio procedere, cur abstinuerint dicere aliqui SS. Patres.* 27.19.
*Spiritus S. non mittitur ad extra vt sit & subsistat, sed tantùm vt appareat & operetur.* 27.24.
*Principia seu propositiones, quibus Græci Patres Spiritus S. processionẽ explicant.* 27.26. & seq.
*Spiritus S. processio habetur in scriptura quoad sensum & rem ipsam significatam, licet non quoad Verbum hoc procedendi.* 27.38.
*Spiritus S. potiùs per Filium, quàm ex Filio dicitur procedere à Græcis patribus cur hoc.* 27.39
*Patres Græci & Concilia de Spiritus Sancti processione loquentia, quomodo explicantur.* 27. 38. & seqq.
*Spiritus S. processio quòd sit à Patre & Filio vnde proueniat.* 27.42.
*An si Spiritus S. à Filio non procederetur ab eo distingueretur: qualis nam hypothesis.* 27.44.
*Spiritus S. non distingueretur à Filio si ab illo non procederet.* 27.60. & seqq.
*Spiritus S. si mediatè saltẽ produceretur à Patre, etiamsi non immediatè, adhuc distingueretur à Patre, si tamen immediate non produceretur à Filio nullo modo posset ab illo distingui.* 27.67.
*Spiritus S. si non procederet à Filio non essent duæ productiones hypostaticæ: sed vna terminata ad vnam eandemque indiuisibilem personam, quæ simul esset genita & spirata.* 27.70.
*Spiritus S. non producitur à Filio vt Filius est, tanquam à Principio quo, producitur tamen ab illo tanquam principio quod.* 27.21,
*Spiratiua virtus non intelligitur completa nisi vt subsistens.* 27.71.
*Spiratiua virtus ex se nullam habet subsistentiam propriam, sed subsistit subsistentia Patris & Filij formaliter.* 27.71.
*Spiratiui principij vnitas saluatur ex Vnitate principij quo.* ibid.
*Spiritus S. alio modo compararetur ad Filium, si per impossibile ab illo non procederet, ac comparatur nunc.* ibid.
*Spiritus S. non maneret distinctus à Filio si à solo Patre procederet, manerent tamen distincta creatura à Deo, si à solo Patre procederent, & non à tota Trinitate.* 27.74.
*Spiritus S. distingui posset à Filio etiamsi actu non procederet ab illo per aptitudinalem processionem ab illo.* ibid. 75.
*Spiritus S. aquè procedit à Patre atque à Filio, nec prius aut perfectius, nec principalius aut magis proprie, immediatiusque ab vno quàm ab alio producitur.* 27.81. & seqq.
*Spiratiua virtus non est inæqualis in Patre & Filio, aut inæqualis ratione applicationis.* 27. 84.
*Spiritus S. non solùm est à Patre immediatè, sed etiam mediatè, à Filio verò tantum immediatè, vera propositio.* 27.90.
*Spiritus procedit à Filio per Patrem seu mediante Patre non ita bene dicitur.* 27.92. & seqq.
*Spiritus Sancti Ingeniti, genitique medium.* 27. 97.
*Spiritus S. procedit à Patre mediatè non mediatione voluntatis, sed mediatione suppositi specificatiue sumpti.* 27.101.
*Spiratiua virtus cur non procedat in actum ante generationem Filij.* 27.102.
*Spiritus S. non solùm procedit æqualiter, sed etiam eodem modo à Patre & Filio.* 27.107. & seqq.
*Spiratiua Virtus sola est formale principium adæquatum quo Spiritus S.* 27.108.
*Spiritus S. non ex eo præcisè procedit eodem modo à Patre & Filio, quia ab illis procedit æqualiter.* 27.109.
*Spiritus S. vi suæ personalis proprietatis per se postulat duo suppositа diuersa & quomodo.* 27. 109.
*Spirator cum sit nomen substantiuum principaliter & in recto importat vim spirandi.* 27.115.
*Spiratiua virtus spirat, non ita vsitata, bona tamen locutio.* 27.116.
*Spiratiua virtus non importat aliquam personam determinatam, sed vtramque simul, sub Analogo conceptu personæ.* ibid.
*Spirantes duo dici possunt adiectiuè non substantiuè.* 27.117.
*Spiritus S. procedit à Patre & Filio authoribus, quomodo verum.* ibid.
*Spiritus S. ex vi proprietatis personalis quam de facto habet, per se postulat procedere à Patre & Filio vt distinctis suppositis.* 27.128. & seqq.
*Spiritus S. si non procederet à Patre & Filio vt distinctis suppositis mutaretur vt minimum quidditatiua perfectio Spiritus S.* ibid.
*Spiritus S. vi suæ formalis proprietatis Personalis per se respicit Patrem & Filium vt sunt distincta suppositа, non quidem vt correlatiua formaliter, sed vt correlatiua radicaliter seu virtualiter.* 27.131. & seqq.
*Spiratio actiua non est potens spirare nisi supponatur vt perfectè existens in Patre & Filio; vnde compleatur à Patre & Filio.* 27.135.
*Spiritus S. duplicem eiusdem Relationis formalitatem fundat ad Patrem & Filium.* 27.137.
*Spiratiua virtus quid accipiat à Patre & Filio.* 27.140.
*Spiritui Sancto soli vi suæ processionis formalis conuenit vera & propria ratio doni.* 27.151. & seqq.
*Spiritus S. vi suæ originis procedit vt amor non solùm vt necessario communicatus ad intra, sed etiam vt liberè & gratuitò communicabilis ad extra.* 27.152.
*Spiritus S. est donum formaliter per aptitudinalem communicationem ad extra.* ibid.
*Spiritus S. per quid constituatur in ratione doni formaliter.* 27.154.
*Spiritus S. duplicem respectum rationis importat ad creaturas.* ibid.
*Spiritus S. non solùm procedit vt donum donatoris, sed etiam vt donator donorum.* 27.155. & seqq.
*Spiritus S. quomodo sit primum donum.* 27.157.
*Spiritus S. vnde habeat rationem propriam doni an ex amore essentiali, an notionali.* 27.159. & seqq.
*Spiritus S. ab amore Essentiali habet vt sit habitualiter donabilis effectiuè, à Notionali verò habet, vt sit substantialiter donabilis formaliter.* 27.161.

*Spiritus S. sua processione est donum, qua ratione verè dici possit.* 27.163.
*Spiritus S. an dici possit noster Spiritus, nostrum donum.* 27.164. & seqq.
*Spiritus S. respectu quorum sit donum.* 27.169.

## Spiritus, Spirituale.

*Inter Spiritum & oculum est proportio in ratione Entis, non autem in ratione potentiæ & obiecti.* 9.7.
*Spirituale Ens à potentia corporea attingi non potest.* 9.130.

## Subalternatio.

*Subalternatio scientiarum in quo consistat.* 1.113.
*Subalternata scientia debet addere aliquam differentiam accidentalem supra obiectum scientiæ subalternantis.* ibid.

## Substantia, Substantiuum.

*Ratio substantiæ in Deo non est attributum.* 3.20.
*Substantia non constituitur ex ratione entis & perfectionis tanquam ex partibus, sed tanquam ex ratione implicita & explicita.* 3.143.
*Deus non est substantia sed supersubstantia ex S. Dionysio & Damasceno.* 5.40.
*Substantia quæ de Deo prædicatur, analogice tantùm conuenit cum Prædicamentali.* 5.41.
*Substantialis mutatio alia est Totalis, alia Partialis.* 6.4.
*Substantia Angelica mensura est æuum.* 7.4.
*Substantia incorruptibilis creata est partim in actu, partim in potentia ad durandum.* 7.78.
*Substantiam supernaturalem dari quid.* 9.135.
*Substantia supernaturalis si esset possibilis, de facto à Deo creata esset.* 9.145.
*Non est possibilis substantia creata, cui connaturalis sit visio Dei.* 9.145.
*Triplex eiusdem implicantia.* 9.150.
*Substantiua non multiplicantur nisi ad multiplicationem formæ per ea principaliter & in recto importatæ.* 17.115.
*Substantiuum non multiplicatur ad multiplicationem formæ, quando importatur forma per modum potentiæ, & virtutis suppositorum, bene tamen quando importatur per modum naturæ.* 27.118.
*Nulli substantiæ creatæ connaturalis esse potest intellectus supernaturalis, lumen gloriæ, vnio cum diuina essentia.* 9.159.
*Omnis substantia supernaturalis implicat.* 9.60.
*Substantialis modus operandi Dei substantialiter communicari creaturæ non potest, potest accidentaliter.* 9.161. & 239.
*Nulli substantiæ creatæ connaturalis esse potest gratia, alique habitus supernaturales.* 9.163.
*Neque impeccabilitas.* 9.160.
*Neque vnio hypostatica.* 9.67.
*Neque æternitas.* 9.168.
*Neque intuitiua cognitio mysteriorum supernaturalium.* 9.169.
*Neque vis creatiua.* 9.170.
*Nulli substantiæ vt instrumento connaturali debita est visio Dei, aut alia forma supernaturalis.* 9.183.
*Substantiales effectus dependent ab accidente secundum rationem genericam entis.* 9.285.

## Subiectum.

*Subiectum scientiæ quomodo differat ab obiecto scientiæ, & quas conditiones habere debeat.* 1.129.
*Subiecti variæ diuisiones.* 1.135.
*Subiectum adæquatum quid, & eius conditio.* 1.136. & 137.

## Supernaturale.

*Supernaturalis obiecti actus semper est supernaturalis non autem potentia.* 9.154.
*Supernaturalis intellectus nulli substantiæ creatæ potest esse connaturalis.* 9.159.
*Supernaturalis substantia creata dari non potest.* 9.160.
*Supernaturalia dona à nulla substantia creata naturaliter cognosci intuitiue possunt.* 9.169.
*Supernaturalia accidentia dicuntur proprietates naturæ diuinæ ratione modi operandi, non autem qua accidentia.* 9.175.
*Supernaturalia Accidentia qua accidentia sunt, respiciunt substantiam creatam naturaliter.* 9.179.
*Nulla supernaturalis forma debita est substantiæ creatæ vt instrumento connaturali.* 9.184.
*Supernaturalis effectus potest accipere esse, saltem secundum rationem genericam ab agente naturali.* 9.253.

## Suppositio.

*Quid sit suppositio de præterito & de futuro.* 12.150.
*Suppositio de præterito tollit potestatem & antecedentem & consequentem.* 12.150.
*Suppositio de futuro tollit solam potestatem consequentem.* 12.150.

## Suppositū, Subsistētia, Subsistere.

*Discrimen inter subsistentias creatas & increatas.* 21.15.
*Subsistentia absoluta distincta à substantijs relatiuis personarum in Deo nulla datur.* 21.18. & seqq.
*Semisuppositum Caietani reijcitur.* 21.19.
*Subsistentia absoluta si daretur, derogaret maiori perfectioni diuinæ.* 21.21.
*Subsistentia absoluta, quæ à multis adstruitur, spectat ad eandem lineam & formalitatem essentialis existentiæ naturæ diuinæ.* 21.21.
*Subsistentia essentialiter postulat incommunicabilitatem.* 21.23.
*Subsistere apud S. Augustinum quomodo vsurpetur.* 21.26.
*Subsistentia quomodo sit de essentia Dei vt Deus est.* 21.30.
*Subsistentiæ relatiuæ non tantùm reddunt subsistentes actus Notionales, sed etiam Naturam.* 21.33.
*Subsistentia absoluta importat imperfectionem repugnantem diuinis personis.* 18.90.
*Plura suppositia in eadem Natura non multiplicant esse à se.* 4.7.
*Suppositum Increatum potest facere vnum compositum cum natura creata.* 5.28.
*Suppositum creatum est modus, ac proinde ineptum*

*ineptum ad terminandam naturam diuinam.* 5.28.
*Suppositari est recipere aliquam perfectionem, sicut supponitare est dare aliquam perfectionem.* 5.28.

## Tanquam.

*Dictio, Tanquam, quando reddit causam alicuius veritatis, non importat improprietatem, sed potiùs rigorem sermonis.* 29.n.114.
*Temeritas quid sit.* 29.n.7.

## Tempus.

*Tempus importat quietatem & stabilitatem non interruptionis.* 7.2.
*Temporis duratio successiuè variatur per diuersas continui partes.* 7.3.
*Præterito & futuro caret æternitas.* 7.5.
*Tempori infinito apta est correspondere æternitas.* 7.7.
*Temporis negatio spectat ad æternitatem.* 7.23.
*Tempori accidentalis est ratio mensuræ.* 7.29.
*Tempus & æternitas non opponuntur immediatè.* 7.29.
*Temporis partibus tota æuiterna res, posito quod existat, necessariò coëxistit.* 7.67.
*Temporis extrinseci etiam infiniti connotatio non facit rem intrinsecè perfectiorem.* 7.72.
*Tempori vt res adæquetur, non est necesse vt ipsa sit infinita.* 7.73.
*Ad Tempus duratio se habet successiuè, locabilitas verò ad spatium, permanenter.* 7.73.
*Tempore continuo mensurantur res successiuæ.* 7.81.
*Instante temporis discreti mensuratur operatio intrinseca libera Angeli.* 7.82.
*Tempore continuo mensuratur extrinseca operatio Angeli.* 7.85.
*Tempus continuum est mensura materiæ in ordine ad mutationes.* 7.86.
*Tempus discretum est mensura materiæ in sententia Thomistarum.* 7.86.
*Tempus discretum vnius Angeli non est mensura temporis discreti alterius Angeli.* 7.89.
*Tempus nostrum est mensura extrinseca eui Angelici, operationumque omnium Angelicarum.* 7.92.
*In passum tempore distans cur agens agere non possit.* ibid.

## Terminus.

*Terminus procedens in diuinis non identificatur producenti adæquatè & in ratione producentis formaliter, sed inadæquatè & in ratione communicantis.* 18.10.
*Terminus quicunque productus non potest habere maiorem necessitatem essendi quàm habeat eius principium.* 26.115.
*Terminus quicunque non potest per se procedere ex eo, quod illi accidit, & sine quo æquè perfectè processisset.* 26.69.
*Terminus quicunque non tantùm debet distingui à principio Quo, sed etiam à principio Quod.* 27.71.
*Terminum per se procedere ab aliquo quid sit.* 27.28.
*Terminus productus per se refertur ad id, sine quo simpliciter non potest suum esse habere.* 27.132.
*Terminus à Quo non est propriè in diuinis processionibus.* 29.62. & seqq.
*Terminus, Quo, rationem formalem, per quam res est, importat.* 3.27.
*Termini, eo, & Quo, per omnes important rationem formalem.* 3.56.
*Terminata adequatè natura nequit vlteriùs terminari.* 5.28.
*Termino etiam potentiali caret æternitas.* 7.5.
*Terminum potentialem quia haberet creatura ab æterno condita, non participaret perfectè rationem æternitatis.* 7.5.
*Termini tam actualis, quàm possibilis negatio, vt sic, non adæquat rationem æternitatis.* 7.16.
*Negatio omnis termini infert causaliter, non formaliter æternitatem.* 7.16.
*Interminabile & immensurabile non sunt idem.* 7.28.
*Terminus non necessariò intuitiuè cognoscitur cognito intuitiuè respectu, qui est ad illum.* 9.394

## S. Thomas.

*S. Thomæ sententia de comprehensionis essentia.* 10.6. & 19.
*Nusquam docet S. Thomas futurum contingens à Deo certò cognosci in causis.* 12.137.
*Sed docet illud ab æterno cognosci in seipso pro ea duratione, qua extiturum est.* 12.143. & 144.

## Theologia, Theologicus discursus.

*Theologia alia Viatoris, alia comprehensoris.* 1.1.
*Theologia Viatoris à fide quomodo distinguatur.* ibid.
*Theologicus discursus alius est, qui ex vno principio reuelato & altero probabili infert conclusionem opinabilem; alius qui ex vno principio reuelato, & altero naturali euidenter cognito, aut ex duobus reuelatis, per euidentem consequentiam infert conclusionem necessariam.* 1.7.
*Theologia nostra, non procedit ad conclusiones probandas per euidentem notitiam naturalem suorum principiorum.* 1.9.
*Theologia nostra non procedit ex principijs ad conclusiones per euidentem notitiam supernaturalem principiorum.* 1.14.
*Theologus de rebus fidei rationem reddit, non per euidentiam supernaturalem principiorum, sed ostendendo eas non repugnare, tum probabilibus rationibus suadendo, tum argumenta in oppositum probabiliter soluendo.* 1.15.
*Theologia Scholasticorum, à Theologia Patrum quomodo differat.* 1.16.
*Theologia non est propriè scientia, ob defectum euidentiæ.* 1.19
*Theologia Beatorum non potest nostra Theologiæ dare intrinsecam euidentiam, atque adeo propter hanc continuationem euidentia alterius scientiæ non erit ipsa verè scientia.* 1.23.
*Theologia nostra non tam attendit ad bonitatem*

consequentiæ, quod est proprium Logicæ, quàm ad veritatem consequentis, quod est proprium Theologiæ. 1.24.
Theologia nostra præcipuè attendit ad veritatem articulorum, & eorum quæ in articulis virtute continentur. ibid.
Theologia nostra etiamsi habeat euidentiam consequentiæ, si tamen non habet euidentiam consequentis, non erit scientia. ibid.
Theologia Viatoris finis est indagare veritatem propositionis absolutæ, propter quod etiam vtitur aliquando argumentandi modo hypothetico. 1.24.
Theologia nostra non solùm caret euidentia rei, sed etiam attestationis. 1.27.
Theologia nostra potest aliquo modo dici scientia, non tamen vniuoce aut æquiuoce cum reliquis, sed analogicè, tam analogia proportionis, quàm attributionis. 1.28.
Theologia non est habitus tantùm declaratiuus & assensiuus veritatum reuelatarum, cum sit etiam deductiuus conclusionum ex articulis reuelatis. 1.34.
Theologus ad defendendos articulos fidei contra infideles vtitur sæpe ministerio aliarum scientiarum. 1.34.
Theologia non est habitus fidei infusæ, quatenus extenditur ad nouas conclusiones ex reuelatis deductas. 1.37. & 138.
Theologia non est habitus fidei acquisitæ. 1.42.
Theologia est habitus medius inter fidem & scientiam. 1.43.
Theologia conuenit cum Sapientia quatenus tractat de rebus altissimis & per causas primas, & dignissimas. 1.43.
Ad Theologicum discursum non sufficit vt procedat ex principijs reuelatis, nisi etiam procedat ex iis cognitis proportionata cognitione assensui Theologico, qualis non est notitia naturalis euidens. 1.50.
Discursus Theologicus est, si procedat ex alterutro tantùm principio euidenter noto, non autem ex vtroque. ibid.
Theologicus discursus formari potest ex duobus principijs, quorum alterum est euidenter notum, alterum euidentiâ in attestante. 1.51.
Theologia non solùm procedit ad suas conclusiones probandas ex immediato, sed etiam ex mediato testimonio diuino, quatenus illud per humanam authoritatem proponitur credendum. 1.55.
Theologus vnde eruat argumenta ad Theologicas veritates confirmandas. 5.55.
Theologia non est vnus specie habitus. 1.59.
Theologia inclinans intellectum ad conclusiones deductas ex principijs reuelatis creditis fide diuina, est habitus quoad substantiam supernaturalis. 1.68.
Theologia inclinans ad conclusiones deductas ex principijs reuelatis creditis tantùm fide humana, est habitus tantùm naturalis. 1.78.
Theologia est vna scientia, propter vnitatem rationis proximæ, qua mouetur intellectus ad assentiendum conclusioni cuilibet Theologicæ, quæ est ipsa reuelatio Dei virtualis. 1.84.
Theologia non est vna simplex qualitas, sed plures habitus distincti numero. 1.87.
Theologia qua talis non vtitur principijs pure naturalibus ad suas conclusiones tuendas, sed quatenus coniunctas habet in eodem subiecto alias scientias, quarum ministerio vtitur. 1.91.
Theologia primario de Deo agit, secundario de creaturis per ordinem ad Deum. 1.93.
Theologia nostra non est tantùm practica nec tantùm speculatiua, sed partim practica, partim speculatiua. 1.104.
In Theologia nostra de facto datur aliquis habitus, qui simul sit formaliter practicus & speculatiuus. 1.107.
Theologia nostra constat ex multis habitibus speculatiuis, & ex multis practicis. 1.108.
Theologia nostra æquè speculatiua ac practica appellanda est. 1.109.
Theologia nostra non subalternatur Theologiæ Dei & Beatorum. 1.113.
Theologia nulli scientiæ naturali subalternatur, cùm non vtatur principijs vt naturalibus formaliter. 1.116.
Theologiæ non subalternantur naturales scientiæ propriæ. 1.117.
Theologia nostra non subalternatur vllis habitibus infusis siue moralibus existentibus in voluntate, siue intellectualibus. 1.118.
Theologia non remanet in patria in ratione habitus formaliter. 1.122.
Theologia materialiter & quoad conclusiones ipsas ex principijs fidei deductas manet in patria. 1.123.
Theologia etiam in ratione habitus formaliter perseuerat in animabus purgantibus, cùm in illis perseueret etiam habitus fidei. 1.124.
Theologia manet etiam in damnatis. 1.125.
Theologici habitus in patria perseuerantis munus est exprimere obiectiuè intellectus conclusiones Theologicas in via deductas. 1.127.
Theologiæ subiectum adæquatum commune communitate prædicationis est ens diuinum cognoscibile per reuelationem virtualem. 1.136.
Theologiæ subiectum primarium est Deus sub ratione Deitatis, secundarium verò sunt creaturæ quatenus attributionem aliquam dicunt ad Deum. 1.139.
Theologia pro ratione formali motiua habet diuinam reuelationem per discursum applicatam. 1.142.
Theologia nostra habet limitatius obiectum, quàm Theologia naturalis. 1.143.
Theologiæ subiectum primarium non est actus meritorius aut Deus sub ratione Saluatoris. 1.150

## Totum, Totalis.

Totum importat partes, quarum vna non includat alteram. 5.15
Totalis mutatio substantialis dicitur vel transubstantiatio, vel creatio, vel annihilatio. 6.4.
Totalitas in definitione æternitatis dicit ordinem ad partes, non quas habet, sed quibus priuat. 7.3
Totalitas, (in hac propositione, Pater est fons totius Deitatis) supra quid cadat. 25.16.

## Trinitas, Tria.

Trinitas diuinarum personarum Theologico discursu ostenditur. 18.17.

*Tres existentiæ & durationes relatiuę in Deo concedi possunt, non autem tres æternitates.* 19. 182. & seqq.
*Tria entia præsertim cum addito Relatiua, Tres entitates, tres realitates, nec non tria aliqua relatiua possunt prædicari de Deo.* 19.184.
*Tria infinita & perfecta relatiua concedi possunt in Deo.* 19.207.
*Tota Trinitas non mittit personas diuinas.* 28. num. 43.
*Trinitas est nomen competens soli Deo.* 29.39.
*Trinitas est Trina, falsa propositio.* 29.40.

## Transitus.

*Personæ diuinę non dicuntur transire ex non esse sui ad esse, sed emanare ex substantia producentis.* 6.18.
*Transitus vi suæ primariæ notionis importat antecedentem indifferentiam ad esse, & non esse eius termini, qui transit.* 6.22.

## Vacuum.

*Motum in vacuo communis sententia admittit.* 8.39.
*Vacuum est aptum terminare Vbi Angelicum & immensitatem Dei.* 8 44.

## Vbi.

*Vbi potest habere Angelus extra hunc mundum.* 8.33.
*Vbi concipi non potest sine respectu ad spatium vel reale, vel imaginarium.* 8.35.
*Vbi Angelicum est aptum terminari vacuo.* 8.44

## Verbum diuinum.

*Verbum increatum continet in seipso intelligibiliter omnes creaturas.* 12.26.
*Verbum diuinum non est creatura subiectiuè & naturaliter; est tamen obiectiuè & intelligibiliter.* 12.36.
*Verbum diuinum non potest simpliciter sine addito dici creatura.* 12 37.
*Verbum diuinum cur non possit multiplicari numero aut specie.* 18.21.
*Verbum non ideo est filius quia procedit ab vno.* 18.105.
*Verbum non ideo est filius quia procedit per modum naturæ.* 18.107.
*Verbum non ideo est filius quia procedit per intellectum præcisè.* 18.114 & seqq.
*Verbum intellectuale per se tantum importat similitudinem intentionalem & in repræsentando cum obiecto intelligibili.* 18.115. & seq.
*Verbum non ideo est filius quia vi suæ processionis communicatur illi sola intellectio, quasi hæc sit formale constitutiuum naturæ diuinæ.* 18.122. & seq.
*Verbum non ideo est filius, quia immediatiùs communicatur natura.* 19.128.
*Verbum non ideo est filius quia procedit vt imago ad repræsentandum expressa.* 18.132. & seq.
*Verbum non ideo est filius quia accipit naturam fœcundam cum virtute illam communicandi alteri.* 18.144. & seq.
*Verbum etiamsi non esset productiuum Spiritus Sancti, si tamen procederet per intellectum vti nunc procedit, adhuc esset filius.* 18.145.
*Verbum tantùm est filius, quia procedit adæquate simile principio producenti tam quoad rationem genericam, quàm quoad rationem specificam.* 18.160. & seqq.
*Verbum vi suæ formalis originis subiectiuè procedit inadæquatè Deus, subiectiuè verò & terminatiuè simul, adæquate procedit Deus.* 18.188.
*Verbum diuinum ex quorum notitia procedat in sententia Scoti.* 22.17.
*Verbum diuinum quomodo procedat ex cognitione omnium personarum.* 22.53.
*Verbum esset imago essentiæ, si essentia esset principium Quo productiuum.* 23.19.
*Verbi variæ acceptiones.* 26.13. & seq.
*Verbi vocalis & mentalis conuenientiæ & discrepantiæ variæ.* 26.14.
*Verbum est signum ad aliquid manifestandum à dicente expressum.* 26 16.
*Verbum tribus respectibus essentialiter constituitur.* 26.16.
*Verbum non nisi personaliter de Deo propriè dicitur, idque tantùm de Filio.* 26.7. & seq.
*Verbum vt sic non postulat realiter procedere per modum actus intelligendi à principio intelligente, sed tantùm realiter procedere per modum termini locutionis.* 26.24. & seq.
*Verbum dupliciter potest esse manifestatiuum loquentis, & secretorum ipsius loquentis.* 26.25.
*Verbum diuinum quomodo sit manifestatiuum loquentis Patris.* 26.25.
*Verbum increatum in aliquo magis assimilatur verbo vocali, quàm mentali creato.* 26.25.
*Verbi increati ratio non potest saluari per aptitudinem manifestationis ad Extra; licet possit saluari ratio Doni increati per solam aptitudinem communicabilitatis ad Extra.* 26.27.
*Verbum diuinum formaliter & in recto importat Relationem realem ad dicentem.* 26 29.
*Verbum diuinum formaliter & in recto importat expressionem obiecti; & quidem principalius, minùs verò principaliter importat respectum ad dicentem.* 26.30. & seq.
*Verbum increatum principaliùs importat expressionem obiecti increati, creati verò secundario.* 26 31.
*Verbum diuinum importat proprietatem personalem, sed non aquè primo ac proprietatem absolutam.* 26.31. & 33.
*Per Verbum quomodo omnia facta sint.* 26.53.
*Verbum diuinum est tantùm expressiuum totius Trinitatis, creaturarum autem est etiam operatiuum.* 26.53.
*Verbo creato ab alio producto cur nequeat aliquis intelligere, & Verbo diuino ab alio producto possint omnes personæ intelligere.* 26.60.
*Verbum in Deo non ponitur propter necessitatem intelligendi, licet hoc verum sit de verbo creato. Sed propter alium duplicem finem.* 26.62.
*Verbum increatum saluari non potest sine perfectione respectiua, licet in sola qualitate exprimente & repræsentante obiectum saluari possit verbum creatum.* 26.64.
*Verbum increatum sub qua ratione sit expressiuum.* 26.64.

*Verbum diuinum duplicem respectum dicit & ad Patrem dicentem, & ad obiecta dicta, quorum tamen prior tantùm est realis.* 26.65. & seq.

*Verbum diuinum non dicit respectum ad creaturas seipso dictas, ratione solius notitiæ essentialis, aut solius proprietatis personalis, sed ratione virtusque perfectionis.* 26.70. & seq.

*Verbum vi nominis explicitè importat aliquid tam ratione naturæ communis, quàm proprietatis personalis, quod formaliter non importat filius.* 26.77.

*Verbum vi suæ processionis formalis non procedere ex cognitione creaturarum possibilium, & tamen vi suæ proprietatis personalis dicere respectum ad creaturas possibiles, non consequenter à multis docetur.* 26.78. & seq.

*Verbum per se procedit ex cognitione essentiæ & omnium personarum, cùm procedat ex cognitione comprehensiua totius Deitatis.* 26.87. & seq.

*Verbum non procedit vt imago Patris ratione cognitionis solius essentiæ.* 26 92.

*Verbum non procederet à Patre ea perfectione, qua de facto procedit, si per impossibile Spiritus Sanctus non produceretur.* 26.93. & seq.

*Verbum non posset exprimere Spiritum Sanctum vt possibilem si actu non existeret, licet possit exprimere creaturas vt possibiles, etiamsi actu non existant.* 26 94. & seq.

*Verbũ careret aliqua perfectione intrinseca si non existeret Spiritus Sanctus, non autem careret etiamsi nulla creatura existeret.* 26.95.

*Verbum sub qua ratione præsupponat Spiritum Sanctum.* 26.96.

*Verbum non procedit ex notitia abstractiua, sed intuitiua personarum.* 26.97. & seq.

*Verbum non procedit à se ipso & Spiritu Sancto cognitis vt existentibus in seipsis per se originatiuè, sed per se tantùm terminatiuè.* 26.100. & seq.

*Verbum non procedit per se ex notitia, cuius obiectum per se est productiuum Verbi, cùm tale nullum sit, sed ex notitia cuius obiectum per se requiritur vt terminus ad notitiam, quæ vi originis communicatur Verbo.* 26.108.

*Verbum diuinum vi suæ originis per se procedit ex notitia creaturarum possibilium.* 26.127. & seq.

*Verbum diuinum est exemplar & practicum principium productiuum creaturarum.* 26. 128.

*Verbum diuinũm est declaratiuum & manifestatiuum creaturarum possibilium.* 26.128.

*Verbum diuinum adæquari debet notitiæ Patris.* 26.130.

*Verbum per se procedit ex cognitione comprehensiua Deitatis.* 26.132.

*Verbum non procedit ex creaturis possibilibus vt cognitis per se originatiuè, sed per se tantùm terminatiuè.* 26.133.

*Verbum est à vel ex seipso, Spiritu Sancto, vel creaturis falsæ locutiones; prout & hæ; Verbum est De seipso, De Spiritu Sancto, aut de creaturis; ista tamen vera, Verbum est à vel Ex Patre, De Patre, De substantia, aut sapientia & virtute Patris.* 26.134.

*Verbum est suiipsius, Spiritus Sancti & creaturarum Verbum.* 26.134.

*Verbum cur producatur dependenter à creaturis possibilibus terminatiuè.* 26.139.

*Verbum non procederet cum omnibus perfectionibus quibus de facto procedit, sublata vel una creatura possibili.* 26 140.

*Verbum procederet ex cognitione impossibilium si nulla creatura foret possibilis.* 26.141.

*Verbum non tantùm procedit ex illo obiecto ex cuius obiecti notitia intellectus Patris beatur essentialiter, sed etiam ex cuius obiecti notitia beatur etiam saltem completiuè.* 26.146.

*Verbum diuinum non procedit per se ex cognitione creaturarum existentium.* 26.162.

*Verbum non potest procedere ex scientia visionis, nisi scientia ipsa visionis sit prior Verbo.* 26. 162.

*Verbum diuinum debet habere modum procedendi inuariabilem.* 26.165.

*Verbum diuinum ex ea scientia debet per se procedere, ex cuius communicatione accipit aliquam intrinsecam perfectionem.* 26.167.

*Verbum ex scientia visionis nullam accipit perfectionem intrinsecam, quam non acceperit ex scientia simplicis intelligentiæ.* 26.167.

*Verbum diuinum æquè perfectũ processisset etiamsi nulla fuisset creatura.* 26.169.

*Verbum diuinum non procedit per se ex scientia conditionalium.* 26.170.

*Verbum diuinum per se procedit ex cognitione non entium essentialium, non vero non entium accidentalium.* 26.171.

*Verbum per se procedit ex cognitione possibilium, non quoad negationem esse, sed quoad positiuas essentias, secundùm quas non pendent à voluntate Dei.* 26.171.

*Verbum procedit de omnibus quæ sunt in scientia Patris aut formaliter, aut radicaliter.* 26. 172.

*Verbum an procedat ex cognitione futurorum in sententia Sancti Thomæ.* 26.174.

*Verbum diuinum est ars & exemplar futurorum, non ratione scientiæ visionis, sed simplicis intelligentiæ.* 26.175.

*Verbum diuinum est ipsum Patris imperium, quo creaturarum executionem imperat, sed appropriatum, non proprium.* 26 178.

*Verbum non debet necessariò procedere ex scientia formali omnium quorum est declaratiuum, bene tamen est de ratione Verbi vt procedat ex scientia siue formali siue radicali omnium quorum est expressiuum.* 26 179.

*Verbum ex suppositione quòd aliqua quæ de facto sunt impossibilia, forent possibilia, per se ex notitia illorum procederet, non tamen ex suppositione quòd aliqua quæ de facto non sunt futura, essent futura, per se ex notitia illorum procederet.* 26 180.

*Verbum creatum an sit perfecta imago sui obiecti, & qualem similitudinem obiecti contineat.* 26. 197.

*Verbum diuinum est obiectiua apparentia æterni Patris, non ratione solius proprietatis personalis, sed etiam ratione essentiæ communis.* 29. 212.

*Verbum per aliquam perfectionem distinctam à Spiritu Sancto est obiectiua apparentia Patris.* 26. 212.
*Verbum diuinum solius Patris est imago.* 26. 217.
*Verbum est imago Patris non solùm vt habentis essentiam, naturam & Paternitatem vt hypostasin productiuam, sed etiam vt habentis naturam, Paternitatem, & reliqua omnia vt obiectum intelligibile.* 26.218.
*Verbum non tantùm respicit id à quo recipit esse tantùm productiuè, sed etiam à quo recipit esse saltem communicatiuè.* 26.219.
*Verbum est imago Patris per naturam tanquam per rationem quasi genericam, & per intellectionem tanquam per rationem quasi specificam.* 26.220.
*Verbum est imago Patris & naturalis & intentionalis.* 26.221.
*Verbum non est imago eorum omnium, ex quorum notitia per se procedit.* 26.223.
*Verbum increatum non influit immediatius in Amorẽ, licet hoc fiat in verbo creato.* 27.103.
*Verbum ex eo quòd procedit vi intellectionis diuinæ comprehensiuè procedit etiam vt liberè expressiuum futurorum,* 27.153.
*Verbum non modo est ars & ratio omnium fiendorum, quatenus est increata sapientia, sed etiam est Author & opifex omnium operandorum, quatenus personalis Sapientia est.* 27.156
*Verbum generatione est Verbum, verane?* 27.163

## Verbum. Verbum mentis.

*Verbum mentis non consistit in specie impressa.* 9.38.
*Verbum mentis est imago obiecti & ratio in qua videtur obiectum intelligibiliter expressum.* 9. 40. & seq.
*Verbum mentis cognosci potest aut subiectiuè aut obiectiuè.* 9.55.
*Verbum mentis eodem actu quo formatur, & fit intellectio, cognoscitur obiectiuè.* 9.55.
*Verbum mentis de re quanta est medium in quo cognoscendi quantum.* 9.56.
*Verbum mentis actu directo cognoscitur concretè concretione obiectiua, non subiectiua.* 9.57.
*Verbum immediatè producitur ab intellectu per speciem intelligibilem obiecti media actione dicendi, non autem intelligendi.* 9.64.
*Verbum mentis formaliter distinguitur ab intelligere.* 9.67.
*Cognitio est verbum quatenus est expressiua obiecti, intelligere verò quatenus est ratio percipiendi obiectum in Verbo expressum.* 9.67.
*Dicere non distinguitur à verbo, & intelligere.* 9.68.
*Verbum est proprius partus intellectus, & non aliarum potentiarum.* 9.70.
*Verbum dicitur tam respectu intellectus à quo producitur, quàm respectu obiecti quod repræsentat.* 9.71.
*Verbum formatur etiam cum res concipitur imperfectè.* 9.72.
*Repugnat Verbum intelligibile intuitiuè diuinam essentiam repræsentans.* 9.73.
*Verbum intelligibile finitum non potest repræsentare obiectum infinitum: potest tamen accidentale substantiam.* 9.75. & 77.
*Ex verbo creato probatur à Patribus Increatum Verbum in ratione causæ formalis, non finalis.* 9.83.
*Verbi mentis finalis causa est supplere absentiam obiecti.* 9.83.
*Verbum procedens ex perfecta similitudine obiecti continet in seipso intelligibiliter obiectum.* 12. 26.
*Verbum Angelicum non est res materialis subiectiuè, & naturaliter, est tamen materialis obiectiuè & intelligibiliter.* 12.36.
*Verbum Angelicum non potest simpliciter sine addito dici materia.* 12.37.

## Verbum. Vox.

*Quibus vocibus vtendum sit ad explicandum Mysterium Trinitatis.* 29 1.
*Omnia verba pluraliter prædicantur de personis diuinis.* 29.29.
*Nullum verbum prædicatur in diuinis nisi de proximo principio, à quo emanat actio per verbum significata.* 29 51.

## Verum. Veritas.

*Veri ratio licet concipiatur vt proprietas entis, tamen inuoluit ipsum ens.* 3.137.
*Veritas in Deo prior est concipienda attributis spectantibus ad intellectũ & voluntatem.* 3.169.
*Eadem veritas est prior concipienda immensitate & omnipotentia Dei.* 3.169.
*Veritas est conformitas rei ad intellectum, siue ad principia quibus vnaquæque res intrinsecè petit constare.* 4. initio.
*Veritas præsupponit indiuisionem entis.* ibid.

## Vestigium.

*Vestigium quid, & cur homo non dicatur vestigium Dei potiùs quàm imago.* 26.202.

## Viator.

*Non potest Viator Deo nomen imponere quod sit expressiuum eius quidditatis, alijs Viatoribus, non verò comprehensoribus.* 11.9.
*Viator potest de potentia absoluta, non verò ordinaria videre Deum.* 9.490.
*Puro Viatori vtpote luctatori non est conueniens visio Dei.* 9.493.
*Nullus purus Viator de facto vidit Deum clare in seipso.* 9.502.
*Viatores Deum nominant ex triplici perfectionum capite.* 11.16.

## Virtus, Virtualis Distinctio, Compositio.

*Virtus magis petit esse in subiecto secundùm esse reale, quàm secundùm esse intentionale, quia secundùm esse reale magis perficit.* 1.111.
*Virtualis diuisibilitas & distinctio fundat prioritatem & posterioritatem sui ipsius in ordine ad intellectum concipientem.* 18.127.
*Virtualis multiplicitas arguit in Deo maiorem perfectionem quàm vnitas.* 3.96.
*Virtualis distinctio inter attributa diuina saluat*

*veritatem contradictoriarum propositionum de Deo.* 3.42.
*Virtualiter distincte perfectiones in Deo, quando & quomodo cognoscantur.* 3.106.
*Datur inter attributa diuina & essentiam virtualis distinctio.* 3.108.& 5.20.
*Virtualis distinctio inter verum & bonum originatur ex virtuali distinctione inter intellectum & voluntatem.* 3.114.
*Virtualis compositio partium in Deo concipienda non est, sed sola constitutio per modum implicuti & explicuti.* 3.143.& 5.20.
*Inter attributa diuina est virtualis ordo.* 3.167.
*Virtualis distinctio attributorum Dei est sufficiens fundamentum ad demonstrationem in quid de Deo faciendam.* 3.170.
*Virtualiter diuisibilis est æternitas.* 7.7.
*Virtualis distinctio sufficit ad rationem mensuræ.* 7.18.

## Visio, Visio Dei.

*Visio Beatifica est speculatiua & practica simul.* 1.105.
*Deus in seipso clarè videri potest à Beatis.* 9.2.
*Deum nemo hominum ante Christum clarè vidit.* 9.5.
*Deum nemo videre potest visione comprehensiua.* 9.6.
*Possibilitas Visionis beatæ ratione naturali demonstrari non potest.* 9.12.
*Visio variari potest variatis speciebus, etiamsi obiectum inuariatum maneat.* 9.44.
*Visio non est colorata subiectiuè, sed obiectiuè.* 9.53.
*Visio beata creata est sola tendentia vitalis ad Deum immediatè in se.* 9.81.& 154.
*Videri ab oculo corporeo nullo modo potest Deus.* 9.122.
*Visio posita in lapide non faceret illum videntem.* 9.124.
*Visionem Dei nulli creaturæ esse connaturalem sine lumine gloriæ, est de fide.* 9.134.
*Non est possibilis substantia creata, cui sit connaturalis visio Dei.* 9.145.
*Visio beata est immersa potentialitati subiectiuè, non obiectiuè.* 9.155.
*Visio creata Dei, quà visio Dei est, Deo connaturalis est, quà creata & vitalis, intellectui creato; quà supernaturalis lumini gloriæ.* 9.179.
*Visio Dei nulli substantiæ creatæ vt instrumento connaturali debita est.* 9.184.
*Ad visionem Dei non requiritur lumen vt dispositio.* 9.207.
*Visio ab intellectu Beati producitur actiuè.* 9.227.
*Visionem, quà supernaturalis est, producit intellectus vt Instrumentum obedientiale, quà verò vitalis est vt causa principalis.* 9.233.
*Visionis entitatiuè, non representatiuè consideratæ lumen est causa principalis.* 9.237.
*Visio beata connaturalis est intellectui creato lumine gloriæ informato.* 9.240.
*Intellectus creatus videre potest Deum sine lumine gloriæ de potentia absoluta.* 9.246.
*Visio beata nec est æqualis in omnibus beatis, nec in omnibus inæqualis.* 9.275.
*Visio in omnibus Beatis est eiusdem perfectionis specificæ.* 9.281.
*Visio Beatæ animæ Christi excedit perfectione omnium Angelorum visionem.* 9.282.
*Visionis beatæ inæqualitatem non facit diuersitas intellectus, sed luminis.* 9.286.
*In visione beata nihil se tenet ex parte Dei quod lateat beatum.* 9.300.
*Visio nisi sit cum ea claritate, qua postulat obiectum cognosci, non est comprehensiua.* 9.307.
*Videri non potest essentia diuina sine attributis vel personis.* 9.321.
*Videri possunt creaturæ in Verbo dupliciter.* 9.358.
*Creaturæ dicuntur videri in Verbo per appropriationem.* 9.359.
*Eadem visione qua videtur Deus, videntur aliqua obiecta creata.* 9.361.& seq.
*Quid sit matutina & vespertina visio Creaturarum.* 9.362.
*Creaturæ non videntur in Verbo vt in causa vel idea.* 9.377.
*Creaturæ videntur in Verbo vt in obiecto intelligibili mouente ac supplente concursum obiectiuum earum.* 9.388.
*Visionis obiectum primarium est Deus, secundarium Creaturæ.* 9.390.
*Videri actu simul omnes creaturas in Verbo implicat.* 9.404.
*Videri habitu omnia obiecta possibilia in Verbo implicat.* 9.426.
*Visio beata de facto exprimit plures creaturas possibiles, quò perfectius ad Deum tendit.* 9.440.
*Non vident Beati in Verbo omnia quæ ad ipsorum statum pertinent.* 9.441.
*Vident Beati in Verbo ea, quæ hîc fide crediderunt excepto die iudicij.* 9.443.
*Vident Beati in Verbo ea, quæ spectant ad seriem suæ prædestinationis.* 9.446.
*Ratio cur hæ potius creaturæ videantur in Verbo, non est essentia diuina vt speculum voluntarium earum.* 9.454.
*Neque vt species expressa earum.* 9.463.
*Neque vt species impressa.* 9.464.
*Neque vt liberum decretum earum.* 9.465.
*Sed est lumen gloriæ.* 9.466.
*Visio Beata de facto est inuariabilis circa omne suum obiectum.* 9.454.
*Visio Beata variari posset circa obiectum primarium non variata circa secundarium, non è contra.* 9.458.
*Videri potest Deus in hac vita ab homine de potentia absoluta.* 9.490.
*Visio Dei neque cum essentiali, neque cum accidentali vita hominis Viatoris pugnat.* 9.491.
*Nullus purus homo Viator de facto vidit Deum in hac vita.* 9.502.

## Visiua potentia.

*Visiua potentia percipit obiectum in sua visione tanquam in propria imagine expressum.* 9.43.& seqq.

## Vita.


*In ratione vitæ non potest Deus vniri cum creatura.* 5.29.
*Vitæ Angeli mensura non est æuum.* 7.4.
*Vita Dei caret termino ortus & interitus etiam potentiali.* 7.5.
*Vita duplex in homine, substantialis & accidentalis.* 9.491.
*Cum neutra vita hominis pugnat visio beata.* 9.491.


## Vitalis actus.


*Vitalis actus non pendet ab intellectu media actione distincta.* 9.69.
*Vitalis actus pendet à speciebus media causalitate distincta.* 9.69.
*Vitalis actio necessariò debet procedere à principio vitali.* 9.227.
*Vitalis potentia, vide Potentia.*


## Vnio.


*Vnio non pendet à subiecto media causalitate distincta.* 9.69.
*De ratione vnionis non est participare eundem modum essendi extremorum.* 9.154.
*Vnio cum diuina essentia tamquam cum specie intelligibili nulli intellectui creato potest esse connaturalis.* 9.159.
*Vnio hypostatica est modus substantialis.* 9.178.
*Vnio hypostatica nullam postulat in subiecto dispositionem.* 9.207.
*Vnio hypostatica cum persona diuina nulli creaturæ connaturalis.* 9.167.
*Vnio hypostatica in ratione doni substantialis est omnium maxima.* 9.259.
*Stante vnione hypostatica adæquatè suppositante naturam humanam, non possunt eam reliquæ Personæ assumere.* 9.344.
*Propter vnionem hypostaticam decreta fuit Christo gloria animæ & corporis.* 15.128.& 129.


## Vnitas, Vnum.


*Vnitas in Deo est prior concipienda attributis spectantibus ad intellectum & voluntatem* 3.169.
*Vnitas maxima cum distinctione minima, quomodo in diuinis saluetur.* 18.86.
*Vnum magis dicitur illud quod in sui constitutione minorem inuoluit distinctionem.* 20.80.
*Vnitas est trina, est vera propositio.* 29.40.
*Eadem vnitas est prior concipienda immensitate & omnipotentia Dei.* 3.169.
*Ratio vnius licet concipiatur vt proprietas entis, tamen includit ipsius ens.* 3.137.
*Ab eo quod est formaliter vnum non potest oriri perfectionum diuersitas, secus si sit vnum eminentialiter.* 3.112.
*In superioribus adunantur quæ sunt dispersa in inferioribus.* 3.31.
*Vnitas est indiuisio entis in se, ad quam consequitur diuisio à quocunque alio.* 4.initio.
*Vnitatem supponunt Veritas & Bonitas.* 4.initio.
*Deum esse vnum euidenter demonstratur.* 4.2.
*Vnitas infinita & illimitata excludit consortium pluriumin eadem natura generica vel specifica.* 4.3.
*Vnum Deum arguit gubernatio ordinata vniuersi.* 4.4.
*Vnitas Dei distinguit Deum à creaturis formaliter non eminenter.* 4.5.
*Deus à sapientibus per antonomasiam vocatur Vnitas.* 4.6.
*Diuinæ personæ non sunt plures, sed vnum individuum.* 4.8.
*Vnitas de formali nullam dicit perfectionem in Deo, de materiali autem maximam.* 4.9.
*Vnitas alia opponitur multitudini, alia compositioni.* 5.initio.


## Vniuoca.


*Vniuocatio diuinarum processionum in communicatione eiusdem naturæ consistit.* 23.33.
*Vniuoca & aquiuoca causæ perfectio vnde desumenda.* 23.38.
*Vniuocæ rationes non possunt se mutuo essentialiter includere.* 3.144.
*Nulla est vniuoca præcisio in diuinis.* 5.18.
*Vniuoca aliqua ratio communis Deo & creaturis dari non potest.* 5.36.& seqq.
*Vniuoca dicunt solam essentiam & abstrahunt à sola existentia.* 5.38.
*Vniuoca ratio vnius prædicamenti excludit rationes aliorum prædicamentorum.* 5.38.


## Vniuersum.


*Vniuersi dispositio Deum esse demonstrat.* 2.9.
*Vniuersi tres ordines Naturæ, Gratiæ & Vnionis, hypostaticæ, quomodo à Caietano assignentur.* 22.4.47.& seqq.


## Vocatio.


*Vocatio diuina efficax in prædestinato est effectus prædestinationis.* 15.154.
*Vocatio diuina inefficax in prædestinato etiam est effectus prædestinationis.* 15.161.


## Voluntas, Volitio.


*Voluntas diuina vt actualiter indistincta ab intellectu generat, at vero virtualiter distincta tantum spirat.* 3.45.
*Volitiuum in Deo est posterius intellectiuo secundum rationem explicitam.* 3.70.
*Hæc propositio: voluntas diuina intelligit, est falsa.* 3.141.
*Voluntatis diuinæ attributa secundum explicitas rationes sunt perfectiora attributis omnipotentiæ & immensitatis.* 3.154
*Eadem sunt minus perfecta attributis intellectus* 3.154.
*Voluntatis diuinæ attributum est posteriùs concipiendum attributis omnipotentiæ immensitatis & intellectus.* 3.169.
*Voluntas non producit sibi suum obiectum sed supponit.* 9.58.
*Voluntas cur non possit immediatè ferri in suum amo-*

*rem, sicut intellectus in suum verbum.* 9.59.
*Infallibile est solùm moraliter non logicè, voluntatem creatam posito iudicio practico de prosequibilitate obiecti & omnibus ad agendum requisitis, operaturam.* 12.115.
*Voluntatis diuinæ determinationis prima radix ad operandum cum creatura simpliciter est ab ipsa voluntate diuina.* 12.230.
*Voluntas Dei præparantis auxilium congruum est prima radix discretionis vnius ab alio futuro absolutè: Quoad discretionem conditionatam, non est liberum arbitrium solum, sed ipsum cum auxilio gratiæ.* 12.232.
*Voluntas diuina comparatur ad futurum conditionatum per determinationem obiectiuam per quam non comparatur ad possibile.* 12.236.
*Est in Deo voluntas non per modum potentiæ, sed actus; non eliciti, sed subsistentis.* 14.1.
*Voluntatis diuinæ primarium & formale obiectum est bonitas increata, bona creata sunt tantùm obiectum secundarium.* 14.6.
*Voluntas diuina necessariò diligit creaturas possibiles affectu simplicis complacentiæ.* 14.27.
*Volitio essentialis determinata aliâ & aliâ relatione est actiua & passiua Spiratio.* 10.29.
*Velle essentiale cur non est productiuum in qualibet persona.* 18.68.
*Volitio essentialis quot modis potest ad processionem diuinam requiri.* 18.72.
*Volitio cur non cum natura formaliter communicetur Filio.* 18.94.
*Voluntas diuina producit Spiritum sanctum vt natura quædam est.* 18.107.
*Volitio differentiam suam intrinsecam non sumit ex subiecto, sed ex obiecto.* 18.112.
*Volitio libera non est intrinseca perfectio in Deo, qua potuit in Deo non esse.* 14.48.
*Falsum est liberam volitionem Dei nullam dicere intrinsecam perfectionem in Deo.* 14.53.
*Volitio libera Dei non addit supra essentiam solum respectum rationis.* 14.73.
*Actus liber voluntatis diuinæ non saluatur per practicum iudicium rationis præcedens de indifferentia medij in ordine ad finem consequendum.* 14.77.
*Neque libera volitio Dei completur per extrinsecam productionem obiecti, quæ actum liberum in recto constituat.* 14.79.
*Voluntas Dei non tantùm est libera, quâ est principium effectiuum, sed etiam quâ vitale.* 14.81.
*Volitio libera in Deo est ipse actus necessarius vt liberè connotans extrinsecam productionem effectus liberè à se pendentis.* 14.82.
*Volitio & nolitio libera sunt intrinseca perfectiones vitales in Deo.* 14.90.
*Deus non est liber quoad vitalem tendentiam, quam in recto dicit actus liber, sed solùm quoad connotationem extrinseci termini.* 14.91.
*Actus liber Dei interdum est pura nolitio interdum odium & displicentia.* 14.92.
*Deus positiuè non vult quæ nunquam est productus, esto connotatum sit negatiuum.* 14.94.
*Quomodo voluntas Dei terminetur ad volitum & scientia ad scitum.* 14.95.
*Quomodo voluntas creata liberè sibi producat suos actus.* 14.93. & 96.
*Voluntas Dei eadem actione tendit ad creaturas vt obiectum, & eas producit vt effectus.* 14.97
*Quomodo voluntas diuina ex indifferenti fiat determinata.* 14.98.
*Sine intrinseca sua mutatione Deus fit ex non amante amans creaturam.* 14.95.
*Voluntati quam habet Deus de omnibus saluandis respondent media omnibus præparata.* 14. 14.114.
*Quid, & quotuplex sit voluntas signi.* 14.124.
*Voluntas beneplaciti est qua Deus sibi complacet in re creata.* 14.126.
*Voluntas antecedens est quam habet Deus de creaturis nulla occasione capta ex ipsis, siue ea sit efficax siue inefficax.* 14.127.
*Omnis voluntas Dei antecedens est beneplaciti & non econtra.* 14.128.
*Absoluta voluntas Dei est, cui actu correspondet productio ad extrà.* 14.129.
*Conditionata voluntas quotuplex.* 14. *ibid.*
*Non omnis voluntas Dei antecedens aut beneplaciti adimpletur.* 14.132.
*Adimpletur tamen in ordine ad alium effectum.* 14.136.
*Nulla necessitas cogit in Deo prædefinitionem liberorum actuum.* 14.146.
*Voluntas prædestinandi Christum non fuit dependens à meritis Christi.* 15.45.
*Voluntas in Deo cùm non distinguatur à volitione, non est propriè potentia.* 17.1.
*Voluntas in Deo est tantùm appetitiua obiecti, non autem productiua actus.* 17.3.
*Voluntas à potentia actiua diuina non distinguitur secundùm rationem formalem explicitam, nisi vt includens & inclusum.* 17.20.

## Vsuarius.

*Vsuarius quis sit.* 27.107.

## Wicleffus.

*Wicleffus errauit, cùm asseruit omnia de absoluta necessitate euenire.* 12.148.

Soc.tis Jesv Paderb. 1652.

Laus Deo Vni atque Trino.

# ERRATA.

| DISP. | NVM. | VERS. | LEGE. |
|---|---|---|---|
| 1. | 10. | 35. | cum qua est in cœlis adde quòd si mysteria |
| | 15. | 7. | de facto. |
| | 28. | 8. | quia caret |
| | 32. | 15. | obiecta |
| | 60. | vlt. | intendi |
| | 81. | 10. | q.1. |
| | 95. | 13. | non sistit. |
| 3. | 31. | 3. | non modò |
| | 42. | 25. | indistincta contradictoria non verificantur |
| | 54. | 13. | c.31.§ considerandum |
| | 78. | 9. | 1.p.q.3. |
| | 85. | 1. | esse est actus. |
| | 154. | penul. | ex extrinseca |
| 6. | 16. | 11. | prudentia |
| 7. | 93. | 8. | est nota |
| 9. | 60. | 9. | *tolle* non |
| | 67. | 25. | est posterius |
| | 106. | 15. | quia illam |
| | 221. | 9. | substituitur. |
| | 236. | 7. | cui in |
| | 240. | 10. | visio non sit |
| | 277. | 15. | imparibus |
| | 284. | 17. | ergo |
| | 339. | 8. | prior ratione |
| | 370. | 10. | vel vt idea |
| | 479. | 18. | respectu |
| | 490. | 14. | quam sit |
| 10. | 2. | 23. | locatum |
| 11. | 34. | 5. | in Deo est diuinum esse |
| | 133. | 22. | igitur, num in eo |
| | 143. | 11. | eius intuitus |
| | 160. | 2. | prædicuntur |
| | 161. | 4. | iudicat |
| | 191. | 6. | c.98. desipiat. |
| | 245. | 2. | art.13. |
| | 316. | 44. | proinde earum cognitione |
| | 342. | 24. | infinita categorem. |
| | 355. | 26. | categorematicè |
| | 363. | 21. | excederet |
| | 377. | 27. | excessum secundùm perfectionē |
| 14. | 87. | penul. | ex præconcepta |
| | 95. | 4. | sui obiecti |
| | 101. | 11. | sicut iudex |
| 15. | 75. | antep. | in ea augenda |
| | 79. | antep. | impugnantium |
| | 121. | 31. | vt existentia in sua |
| | 125. | 2. | non antecedenter & |
| | 134. | | illam, vel incrementum |
| 17. | 28. | penul. | mansuram |
| 18. | 5. | 10. | de seipso |
| | 128. | 18. | quia in humanis |
| | 147. | penul. | inter Spir. Sanct. |
| | 169. | 22. | ratione |
| 19. | 114. | vlt. | hypostasi prodeuntem, |
| | 169. | vlt. | tunc vna |
| | 214. | 4. | constant rationibus; |
| 20. | 23. | 12. | distinguit, |
| 21. | 10. | 22. | solis relationibus |
| | 20. | 7. | à subsistentijs |
| 22. | 15. | 1. | ordo realis orig. |
| | 22. | 8. | concedenda |
| | 40. | 12. | eadem priorit. |
| | 46. | penul. | prioritas & post. |
| 23. | 31. | 7. | persona non produeens. |
| 24. | 15. | penul. | quaternitatem |
| | 22. | 10. | *Innascibilitatis* : rectè dices, *paternitas* |
| 25. | 10. | 2. | non dicitur principium |
| 26. | 83. | 2. | principium per se |
| | 150. | 48. | generatiuæ & spiratiuæ |
| | 164. | 11. | communi. |
| | 168. | 15. | obiecti extrinseci. |
| | 194. | 11. | prototypon |
| 27. | 90. | 23. | supponitur |
| 28. | 24. | 20. | quod sit ab |
| | 36. | 12. | ergo non est |
| | 71. | 31. | recipit Deum |
| 29. | 60. | 2. | præpositiones. |

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

LAMICUS
Th
873 a

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN